THESAVRVS ANTIQVITATVM ROMANARVM,

Congestus

a

JOANNE GEORGIO GRAEVIO.

Accesserunt

Variae & accuratae tabulae aeneae.

TOMVS VNDECIMVS.



Traject. ad Rhen. / *Lugd. Batavor.* { Apud FRANCISCVM HALMAM, / PETRVM vander AA, } Bibliop.

MDCXCIX.

Cum Privilegio.

MAGNIFICO ET PERILLVSTRI

VIRO

ANTONIO HEINSIO,

HOLLANDIAE CONSILIARIO

ET SYNDICO,

MAGNI SIGILLI CVSTODI,

BENEFICIARIARVM POSSESSIONVM

CVRATORI,

S. D.

JOANNES GEORGIVS GRAEVIVS.

Nisi exploratum & omnium sermone celebratum esset, non minus litterariae rei, quam publicae salutem & dignitatem Tibi esse curae, non sustinuissem Tuam domum tot curis, sollicitudini-

 bus

bus & negotiis pro publica felicitate dies noctesque circumsessam, ut vix respirare Te sinant, litterario hoc adire munusculo. Nam horam si quam vacuam & subsecivam quasi istis catenatis occupationibus subducere potes, in nullis eam relaxationibus lubentius consumis, quam in Tuis veteribus deliciis, optimarum artium studiis; cumque illorum cultores foveas, tuearis, ornes, in nullius sinum Musae cupidius fugiunt, quam Tuum, cum nusquam amicius excipiantur, & praesidium inveniant firmius. Itaque laborant & contendunt omnibus viribus, ut gratas se praebeant, & decantent Tua in rempublicam merita, ut non tantum in his audiantur terris, in quibus quotidie spectantur, sed in ultimis Orbis terrarum gentibus, & in omni futurorum temporum memoria. Nunquam illae cessabunt praedicare summam Tuam prudentiam in administranda republica, mirificam sollertiam & celeritatem in capiendis consiliis, & rebus impeditissimis sagaciter explicandis, singularem fidem & invictam vigilantiam prospiciendi patriae, ut tanquam in specula positus pro commodis & utilitatibus ejus excubes, & nunquam ab illius cu-

stodia

ſtodia & tutela deflectas oculos illos acres & acutos, ſed in omnes partes eorum aciem intendas, ne inexpectata tempeſtate foris, aut nec opina calamitate domi obruatur. Semper celebrabunt iſtam exaggeratam animi excelſitatem in deſpiciendis periculis, & contemnendis inimicitiis pro reipublicae rationibus, quarum cura Tibi eſt antiquiſſima, cum ſemper provideas, ne tam hujus vel illius membri aut ordinis cupiditati ſerviatur, ſed ut totius corporis ſalus procuretur & illibata ſervetur, ut aequabile jus vigeat, & retineat omnes cives in fide & officio, nec ullius ambitione divellantur commoda civium, atque artibus, negotiationibus & litterarum omnis generis ſtudiis magis magiſque Belgica foederata effloreſcat. Hinc nemo miratur tantopere Te Sapientiſſimum & Maximum Britanniae Regem amare, Primores ſuſpicere, bonos omnes cives colere, & pro Tua ſalute vota facere quotidie. In quibus cum & ego numerari velim, non, ſpero, hoc ſummae meae in Te obſervantiae pignus aſpernaberis, nec dedignaberis, quae Tua eſt bonitas & facilitas, me clientibus Tuis adſcribere, quod in primis mihi dudum in vo-

tis

tis fuit. Spero autem in hoc volumine Te reperturum cum alia, quae possint Tuum otium, si quod dabitur, oblectare, tum in primis Viri Illustris Ezechielis Spanhemii, Serenissimi Novemviri Brandeburgensis apud Galliarum Regem legati dissertationem pulcherrimam, de jure civitatis Romanae. In hac non solum Constitutionem Imperatoris Antonini, ab Ulpiano in Pandectis servatam, sed & multas obscuras leges illustrat. Nec poterit non, ut de aliis taceam, Tibi ingrata esse lectio disputationum cum Ludovici Savoti, tum Marquardi Freheri de re monetaria, in quibus de materia nummorum variisque metallis, & eorum temperatura, tam antiquis, quam nostri temporis flatóribus monetalibus usitata, differitur eleganter. Si haec aliquid contulerint ad occupationum molestias aliquando diluendas, satis magnum operae pretium me tulisse putabo. Vale Vir Excellentissime patriae bono. Trajecti Batavorum prid. Kl. Julias anni cIↄ. Iↄc Ic.

LECTORI

S. D.

JOANNES GEORGIVS GRAEVIVS.

IN hoc tomo videbis, benevole lector, primo loco positas suo jure duas exercitationes de Civitate Romana sub Imperatoribus, nunquam ante hac in publico visas, Ezechielis Spanhemii, Viri dignitate, ingenio, doctrina & virtute summi, qui, ut olim ante nuperius bellum, sic nunc pace redintegrata denuo legati Brandeburgici personam sustinet apud Regem Galliarum magna cum prudentiae & fidei laude. De hoc praestantissimo Viri Illustris commentario non est ut pluribus agam, quam multa intacta & invisa cunctis, qui aut Romani juris disciplinam, aut Romanae Reip. rationem & instituta illustrarunt, doceat, cum cetera illius opera tanta eruditione referta, tantoque cum applausu ubique gentium excepta facile fidem faciant omnibus, qui non hospites sunt in republica litteraria, quanta frugis bonae messis nostra horrea sit distentura. Has Spanhemii exercitationes sequuntur Fasti magistratuum Romanorum ex Capitolinis marmoribus superiore seculo Romae inventis descripti, & post alios a Stephano Vinando Pighio, singularis doctrinae viro, magna cura & industria sollerter restituti. Eis subjecimus & alios fastorum & magistratuum Romanorum scriptores veteres, nimirum Fastos Consulares, quos vulgo Idatianos vocant, a Philippo Labbeo integriores editos, Tyronis Prosperi, & alterius Prosperi Chronica plenius & emendatius ab eodem Labbeo in bibliotheca nova manuscriptorum publicata, nec non Fasti Consulares Anonymi, quos ex manuscripto bibliothecae Caesareae depromsit & dissertatione pulcherrima Cardinalis Eminentissimus Henricus Noris exposuit in Epocharum Syriacarum appendice, tum aliud fragmentum Fastorum & Paschalis centum annorum Laterculus, ab Aegidio Bucherio in commentario in Victorii Aquitani canonem Paschalem editus. His accedit Ejusdem eruditissimi Cardinalis epistola Consularis, undique variae doctrinae notis persperfa, quam non sine voluptate & fructu leges, cum in illa tam non nullarum legum subscriptiones, quam aliorum scriptorum lo-

ca belliſſime corrigantur & explanentur. Poſt hanc habes Sertorii Urſati Equitis Patavini de notis Romanorum commentarium ſumme neceſſarium, qui non modo nummos & inſcriptiones priſci aevi, ſed & infinita Romanarum legum & aliorum idoneorum Latinae linguae auctorum hujuſcemodi notis referta intelligere deſiderant. Urſatus ſtatim in initio libri Joannem Calvinum Lexici Juridici auctorem eundem eſſe Joanni Calvino Theologo illi celeberrimo ſcribit, cum iſte fuerit Noviodunenſis Gallus, ille Wetteranus Germanus. Ad vocem *Auguſtalis* idem notat, Lazium in commentariis reip. Romanae forte perperam ſcripſiſſe Auguſtales apud Romanos fuiſſe apparitores. Perperam certe. Non erat dubitandum. *Auguſtales* nimirum ſodales aut flamines erant ſacerdotes ex primoribus Romanis lecti, ut novi Numinis Auguſti poſt obitum inter Deos relati ſacra procurarent, de quibus Tacitus, annal. 1, 54. Imitatae id ſunt coloniae & municipia, ubi creabantur ex decurionibus & primariis Viris. Praeerant ſacris, ludis, ſpectaculis & aliis functionibus publicis, de quibus multa cum alii Viri docti, tum in primis Thomas Reineſius epiſtola XXXI ad Rupertum, & Petrus de Marca in diſſertatione maximi facienda propter exquiſitam & diffuſam eruditionem de Primatu Lugdunenſi. Urſatus ſtatim dicit, in antiquo codice notari, litteram A ſignificare quinquaginta, corrupte procul dubio. Scriptum fuit Λ pro L, quae nota eſt quinquagenarii numeri non raro in antiquis titulis. Eodem modo in iis etiam prima littera exprimitur, ut in lapide qui penes me eſt, IOVI. O. M. SVMMO. EXSVPERANTISSIMO &c. APOLLINI. LVNAE &c. Hanc notam Λ cum reperiſſent librarii, aut ſcioli, ignorantes eam poni pro L, crediderunt eſſe Λ, quod effinxerunt forma A ſuae aetatis. Interdum A in antiquis monumentis ſic quoque ſculpitur ᴧ. Vide inſcriptionem de M. Aquilio Eucarpo apud Manutium de Orthographia pag. 54. quae & in Grutero legitur pag. 679. n. 11. & apud eundem plures alias. Si antiqui uſi ſunt hac quoque littera A ad denotandam pueritiam, ut ex Iſidoro notavit Urſatus, nulla videtur alia cauſa fuiſſe, niſi quod prima fuerit littera in voce *Adoleſcentia*, ſic ut ea vox latius ſit accepta, quomodo non nunquam etiam ponitur pro juventute. Sed quod ibidem addunt A notare militis ignorantiam ex Petro Diacono & Manutio, id fateor me non intelligere, quin meras nugas eſſe ſcio. Quid enim eſt militis ignorantia, & cur illa & ubi notetur?

Pag. 1117. *T nomini militis appoſitum ſuperſtes ſignificat.*

Hic

Hic locus est ex Isidori Origin. lib. II. cap. 23. petitus, in quo haec legimus: In breviculis *T nota in capite versiculi posita superstitem designabat.* Caussam hujus notae Rutgersius Var. Lect. V. 17. existimat, quod sit prima littera vocis τηρηθεὶς, quae significet *conservatus.* Sed τηρεῖσθαι non est servari, sed observari, custodiri, ut recte monuit Vir maximus Thomas Reinesius Var. Lect. lib. I. cap. 8.. Ei subscribo, qui ibidem docet pro T legendum esse in Isidoro Υ, quod sit ὑγιὴς, *salvus, vivus.* Id ego verissimum esse censeo, quamvis sit qui obloquatur. C. M. in inscriptione Nannetensi Salmasius in epistola ad Sarravium ep. 63. exponit *Collegium Municipum.*

NVMINIBVS AVGVSTORVM
DEO VOLIANO
M. GEMEL. SECVNDVS. ET. C. SEDAT. FLORVS
ACTOR. VICANOR. PORTENS. TRIBVNAL. C. M.
LOCIS. EX. STIPE. CONLATA. POSVERVNT.

Verum saepe legimus in priscis epigrammatibus commemorari collegia opificum in municipiis ac coloniis, ut apud Gruterum pag. 534, 7. C. C. M. R. est Collegium centonariorum municipii Ravennatis, & sic in aliis. Sed simpliciter Collegium Municipum quid sit nemo explicet. Deinde *Locis* ait ostendere, non in uno loco tribunal positum fuisse. Quis credat in pago non maximo multa fuisse tribunalia. Mihi videtur C. M. LOCIS simpliciter notare *cum locis*, hoc est, subselliis, in quibus sedebant vel ipsi judices; inde *longi subsellii judicatio* apud Cic. III. ad fam. 12, est judicium, in quo multi judices sedent; aut assessores, qui & consiliarii dicuntur, de quibus Sueton. Tib. 33. *Magistratibus pro tribunali cognoscentibus plerumque se offerebat consiliarium, assidebatque mistim vel ex adverso in parte primori*; aut testes, qui inde nimirum ex subsellio dicebantur excitari, cum citati responderent. C. vero in antiquis monumentis, ut & CM notare non nunquam CVM Sarainas tradit. Itaque videtur στιγμὴ in Nannetensi inscriptione post C, delenda esse, & scribendum CM. Sin vero sic est, ut editur, in lapide, explicandum censeo *cum multis locis*, hoc est, multis subselliis. Ista subsellia conducebantur a litigatoribus. Sueton. Neron. 17. *Ut litigatores pro patrociniis certam justamque mercedem, pro subselliis nullam omnino darent, praebente aerario gratuita.* Legitur in inscriptione prima pag. 38. apud Gruterum:

APOLLINI
GRANIO
SIGNVM. CVM
BASE. MIRPA

 Haec

Haec vox MIRPA mire viros eruditos exercuit. Marcus Velſerus in rebus Auguſtanis conjicit nomen eſſe proprium. Joſephus Scaliger in eadem eſt ſententia in epiſtola, quam ad Velſerum de hac re dedit. Cenſet Mirpa eſſe factum ex Μυρφων, ut apud Tullium Rupa Ῥυφᾶς ex Rufo. At, quaeſo, Mirphii nomen quis legit aut audivit? Nemo unquam ſic fuit dictus. Thomas Reineſius notas eſſe putat, quae lectorem ſpectent & compellent. Eas haec verba innuere: *Mature in rem propera. Abi.* quae formula integra reperiatur in epigrammate ſepulchrali apud Magium II Miſcell. 14, in cujus calce legitur: *In rem tuam mature propera. Vale.* Nullo modo poſſum probare hanc Viri ſummi, quo doctiorem Germania non tulit, ſententiam. Non dicam inter ſuſpectas inſcriptiones hanc referri a Grutero, & id quidem jure. Sed ſit genuina. Si haec noſtra, in qua MIRPA legitur, poſita fuiſſet mortuo homini ac D. M. interpretationi Reineſii forte applauderem. At in ea conſecratur Apollini Granio ſignum cum baſe. Quis locus in illa poteſt eſſe huic formulæ:. *Mature in rem propera. abi?* Quis in voto aut dono euchariſtico ſic alloqueretur lectores? Perabſurde ſane faceret, ſi quis tam ineptus eſſet, ut id faceret. Nec monebo hic Latinis ſimpliciter *in rem propera* nihil ſignificare, ſed ſemper addi *tuam*, *in tuam rem propera*, & hoc exigit ſententia. Nunc quid mihi videatur oſtendam. MIRPA puto denotare materiam baſis, & explicandum *marmorea Paria.* Primo MIR pro MAR. poni, nemo mirabitur, qui antiqua marmora inſpexit, in quibus I pro A non nunquam legitur, ut in vi pag. 526. Gruteriani operis:

M. AVR. AVGVSTIANO
7. Coh. V. VIG. VIX. AN. XXXIIII
PROVITVS. ANN. XVII. EXCEP
TOR.

hoc eſt, ut recte magnus Scaliger exponit in utiliſſimis indicibus, *probatus annis XVII. exceptor.* Sic in alia eundem apud Gruterum *vocitus* pro *vocatus.* Sic hic *mir* pro *mar*, hoc eſt, marmorea, *Pa* eſt Paria. Jam marmor Parium quis ignorat? Petronius: *Parium marmor pedum candor exſtinxerat.* Nec hoc obſcurum baſes ex marmore factas eſſe olim, quibus ſigna imponebantur. Gruterus pag. 448, 7:

. L. PEDANIO. LIB
EVPHRONI. &c.
IN. MEMORIAM. L. PEDANI

EV-

EVPHRONIS. CVIVS. BASIS
LAPIDEA. AERE. CLVSA. VETVSTATE
ERAT. CORRVPTA. STATVAM. EIVS
MARMOREAE. SVPERPOSVIT
PERMITTENTE. ORDINE
BARCINONENSIVM

Et pag. 39, 4.

M. AVRELIVS. PACORVS
M. COCCEIVS. STRATOCLES
AEDITVI. VENERIS. HORTORVM
SALLVSTIANORVM. BASEM. CVM
PAIMENTO. MARMORATO
DEANAE
.D. ◊ .D.

Pro *pavimento* in Ms. Ligorii, testante Marquardo Gudio, qui Ligorii libros evolvit, scriptum fuit *palmento*, ut in aliis quoque inscriptionibus haec vox occurrit, pro qua male Scaliger deceptus depravata lapidis scriptura, in indicibus scribit *paimentum pavimentum.* En tibi quatuor ineditas inscriptiones ex Gudiano syntagmate, quarum tres *palmentum* referunt, quarta pertinet ad basin marmoream. Prima lecta fuit olim Romae in ecclesia S. Hadriani in via sacra:

VOLCANO. MVL
L. FOVRIVS. L. F. SVC. ASPER
EQ. ROM. PRÆFECTVS. ET
PROCVRATOR. COLL. FERR. EIVS
DEM. NOMIN. COLLEGIO. FABRO
RVM. FERRARIORVM. SIGNVM
AENEVM. DEDIC. ET. SACELLVM. HOC
ORNAVIT. DE. SVA. PECVNIA. ET
PALMENT. MARMOR. FECIT. XVI
KAL. IVN. IMP. CAESAR. GORDIANO. AVG. II
ET. CIVICA. POMPEIANO. COS

Alia itidem inedita, inventa in via Aurelia:

TI. CLAVDIVS. AVG. LIB. PVENISVS
AVRIGATOR. FACTION. PRASINAE
SVA. PECVNIA. PALMENT. . . . . . .
CVM. OLLAR. XII. OPER. . . . .
AM. PERFECIT. VBICV. . . . .
MENSVRAM. TERMIN. . . . .
LONG. P. XVI. ALT. PED. . . . .

Addemus & tertiam ad ignotam vocem Latio restituendam:

D ⸙ M
FL. IRATIO. T. F. CRV. FAVSTO
REATINO. EQ. PVBL

VIX. ANN. XXXXVIII. M. VIII.
SEX. IRATIVS. A. F. BASSVS
EQ. SING. TVTOR
EX. TESTAMEN. PON. CVR
IN. FRONTE. PED. XV
IN. AGRO. PED. XX
FECIT. FODINAS. III. CVM PAL
MEN. MARMORAT.

Vides veteres dixiſſe *palmentum* itidem ut *pavimentum*. De baſi marmorea, aut hypobaſi non poſſum quin & aliam inſcriptionem Romae repertam tecum communicem:

GENIO. FAMIL
SACR
M. ILLVSIVS. C. F. PAPIR. IV
NIOR. PRIM. PIL. LEG.
X. GEMINAE. SVA. PEC. D. D.
AIR. SIGNVM. CVM
HYPOBAS. MARMOR

Haec igitur de nota MIRPA. Poſſent longe plura ad iſtum Urſati librum notari, ſed ea differo in tomum inſcriptionum ſatis ponderoſum, quem, ſi vita & otium ſuppetet, publicare conſtitui.

Poſt Urſatum videbis eruditiſſimos Ludovici Savoti de antiquis nummis commentarios, nunc primum ex Gallico Latinum in ſermonem converſos a CL. Viro L. Neocoro. Quae Savotus diſputat lib. III. cap. ſeptimo & ſequentibus de proportione auri & argenti apud Romanos duodecuplá, & quinta decima, diſcuſſit ſolide Gronovius ꝰ ꝟ lib. II. de Seſtertiis cap. 8. ubi oſtendit decuplam tantum fuiſſe proportionem, exceptis temporibus antiquiſſimis reip. ut & quae de denariis aureis, cum Romani non niſi argenteis ſint uſi, aut ſeſtertiis aereis differit, cum & illi fuerint ſemper argentei, refutavit Gronovius lib. III. cap. 15. Ad locum Plinii in libro XXXIII. cap. 3. cui exponendo tot capita impendit, vide Viri elegantiſſimi & celeberrimi Joannis Harduini notas, ut & ejus appendicem ad librum de nummis antiquis Populorum & Urbium de re nummaria, qui eum commodiſſime, & mea ſententia, veriſſime dilucidat. Savoti commentarios excipiunt Alberti Rubenii pereruditae diſſertationes de gemma Tiberianâ, de nummo Auguſti, cujus epigraphe ASIA. RECEPTA, & de natali die Caeſaris Auguſti. Has olim edidi cum ejuſdem de lato clavo libris quos ex viri ſummi variis ſchedis collegi poſt acerba illius fata. Eas ſequuntur, qui illas debebant praecedere, Marquardi Freheri de re monetaria veterum

veterum tam Romani quam Germanici Imperii libri duo, Roberti Cenalis de vera mensurarum ponderumque ratione, ut & Lucae Paeti de mensuris & ponderibus Romanis & Graecis libri quinque: & antiquorum scriptorum Prisciani Caesariensis, Rhemnii Fannii, Bedae Angli, Volusii Maetiani, Balbi ad Celsum de nummis, ponderibus, mensuris, numeris, eorumque notis libelli, cum emendationibus Eliae Vineti, & J. Fr. Gronovii. Tandem his omnibus accedit Alexandri Sardi Ferrariensis de nummis liber. Plures in hoc argumento de nummis & ponderibus veterum elaborarunt viri docti, ut Guilielmus Budaeus, Georgius Agricola, Joachimus Camerarius, Leonardus Portius, Henricus Glareanus, Josephus Scaliger, Petrus Ciacconius, Joannes Fridericus Gronovius, Willebrordus Snellius, Matthaeus Hostus, Erycius Puteanus, Daniel Anglocrator, Eduardus Bernhardus ac nonnulli alii, sed minorum gentium. Horum praecipui nuperius denuo typis descripti omnium sunt in manibus, ut hic cum detrimento & indignatione bibliopolarum, qui eos ediderant, & emtorum, qui sibi pararant, recuderentur. Hoc & tibi dictum sit de multis scriptoribus de re militari, ut Valtrini, Justi Lipsii, Savilii, & aliorum, ut & qui alias antiquitatum Romanarum partes illustrarunt, quos in hoc opere non vides. Aut propter hanc, quam dixi, causam hic omissi sunt, aut quia hisce finibus, quibus se ipsi circumscripserunt nostri librarii, excludebantur, ne aut ignorantia praetermissos aut fastidioso quodam supercilio contemtos existimes. Sequetur, credo, appendix, cum fuerint venditi isti libri, qui nunc passim in tabernis librariis comparent, Tomasini, Curtii, Balduini, Schefferi, Figrellii & alii hujus notae sane optimae. Nam in his terris ante non multos annos denuo fuerunt publicati, ut plurima supersint exempla, nec per jura & leges magistratuum sibi eos nostris aut licebat vindicare, aut religioni ducebant aliorum quaestum intercipere. Vale.

SERIES SCRIPTORVM,

Qui in undecimo Tomo Thesauri Antiquitatum Romanarum inveniuntur.

EZE-

EZECHIELIS SPANHEMII

ORBIS ROMANVS,

SEV

Ad Conſtitutionem Antonini Imperatoris, de qua Ulpianus Leg. XVII. Digeſtis de Statu Hominum,

EXERCITATIONES DVAE.

***

LEG. XVII. DIGEST. DE STATV HOMINVM.

VLPIANVS LIB. XXII. AD EDICTVM:

IN ORBE ROMANO QVI SVNT, EX CONSTITVTIONE IMPERATORIS ANTONINI CIVES ROMANI EFFECTI SVNT.

ILLVSTRI VIRO

GISBERTO CVPERO,

VRBIS DAVENTRIAE CONSVLI,

NVPER IN SVPREMO

POTENTISSIMORVM FOEDERATI

BELGII ORDINVM CONSESSV

PER PLVRES ANNOS DELEGATO,

ET INTER ORDINES PROVIN-

CIAE TRANSISVLANIAE

ASSESSORI PERPETVO,

S. D.

EZECHIEL SPANHEMIVS.

Qua demum occaſione, ut hanc ego commentationem ſuſciperem, ſim inductus, in ejus limine jam aperui; ut neutiquam ſit opus id hic denuo retractare. Neque vero illud, ubi in eam incubui, metuendum occurrebat; ne in argumento levi vel contrito, hanc operam a me inconſulto ſtudio collocatam, quiſquam facile poſſet arbitrari. A qua utique opinione cum

ſummum, & quo inter homines majus olim non exſtitit, auctoris, qui eam, de qua hic agimus, conſtitutionem tulit, faſtigium: tum juris ipſius ſeu beneficii, quod humano velut generi, toti certe Romano orbi, illa olim impertivit, natura & amplitudo: tum ejuſdem haud injucunda nec inanis utique, vel multiplici etiam utilitate vacua perceptio, ſecuro me eſſe animo ſinebant. Id equidem potiori aliquantum jure ſubvereri continuo poteram, ne datam nuper ea de re fidem non meditata diu vel expolita lucubratione, ac proinde haud digne ſatis cumulateque valerem adimplere. Haud pauca enim e priſcis variarum gentium inſtitutis, vel e veteris memoriæ oblitteratis quandoque ritibus; aut non ex obviis ſolum, ſed abditis etiam e fontibus ac monumentis, in lucem erant educenda; quibus tota conceſſæ hujus, inuſitato & ſingulari prorſus exemplo, largitionis ratio conſtaret penitius; & conſtituta inde nova velut Romani juris vel imperii facies liquidius agnoſceretur. Quod nec indiligenter omnino, certe pro tenuitatis meæ modulo, aut temporis huic labori impenſi menſura; aut pro mea cæteroquin veteri & perpetua de præclaris litterarum ac eruditæ antiquitatis ſtudiis bene merendi voluntate, a me factum, meo quodam jure poſſum hic in limine profiteri. An vero id, quod hac ſcriptione intenderam, ſim adſequutus, tuum erit judicium, VIR AMPLISSIME, tuique ſimilium: hoc eſt, qui cum ſingulari optimarum artium & doctrinarum cultu & cognitione haud vulgari, ſed eximia omnino ac illuſtri, candorem animi; politum humanitate ac tractabile ingenium; æquam inde ac propitiam laudabilibus quibuſque vel inſtitutis vel conatibus mentem, felici ac amabili ſocietate conjunxerunt. Cujus ego in te animi ac virtutis, quæ in uberrimam dein meſſem exuberarunt, præclara utique ſemina, immo lætas jam fruges perſpicere mihi pridem licuit: quum nempe ante hoſce triginta ferme annos, Pariſiis, ubi publicam obibam legationem, & quo ad promovendum ingenii & doctrinarum, quibus jam eras non tinctus ſolum ſed perunctus, cultum, te contuleras, me officioſe conveniſſes. Id enim cum e tuo conſpectu, & habitis tecum

haud

haud una vice sermonibus; tum ex primo Observationum tuarum, quod necdum typis vulgatum, mihi tum legendum dederas, specimine, plene ac jucunde quidem, & fausto præterea in posterum omine, sum edoctus. Adolevit autem brevi tua illa flagrans in patriæ & litterarum commoda ac splendorem feliciter emergendi cupiditas. Hinc lectissimis solertis ingenii & exquisitæ eruditionis commentationibus, crevit tua apud exteros laus & fama: ac domi ad tuæ originis seu claræ civitatis gubernacula admotus, dein inter potentissimæ Reipublicæ adsessores adlectus, parem rebus arduis explicandis aut gerendis mentem ac industriam adtulisti. Neque interea, etsi hisce gravissimis implicatus curis, a tractandis litterarum studiis, aut emittendis in lucem præclaris lucubrationibus, tibi temperasti: nec illæ insuper te a frequenti & mutua consuetudine, cum decoris hujus ætatis, & quæ in variis agunt terrarum partibus, ingeniis, excolenda ullatenus revocarunt. Quam mentem, uti in aliis antea prisci ævi cimeliis enarrandis est laudabiliter a te factum, ita in explanandis ac illustrandis Palmyrenarum inscriptionum monumentis, aliisve præterea ex ultimo Oriente, tuo potissimum studio ductuque, in orbem nostrum, ac ad te quidem delatis, brevi, prout ad me nuper retulisti, & quod statuere certo jam licet, haud sine levi tuæ gloriæ ac elegantiorum interiorumque litterarum incremento, denuo & luculenter testatam facies. Unde etiam me nuper ultro tibi obstrinxeram, ut de rebus quibusdam ab eodem instituto haud alienis, & de quibus meam flagitare sententiam visum tibi fuerat, peculiari disquisitione, èaque tibi nuncupanda, tecum agerem. Quum vero eo qualicunque labore necdum perfungi mihi per alias, quibus me jam addixeram, aut forte aliunde distrahebar, vel adhuc distrahor, curas licuerit; provecto autem ætate homini haud liceat spes vel destinationes in longum jacere; inde ut in eo, quod præ manibus erat, opere seu opusculo verius, tuum interea inscriberem nomen, continuo sum inductus: tum quod argumenti dignitas haud dedecere videretur hominem, in Reipublicæ simul ac litterarum luce & procuratione cum singu-

lari laude verſantem: tum quod illud nemini nuncupare poteram, qui, quæcunque a me exeunt, de iiſdem litteris conſcriptiones, ſoleat fronte magis ſerena, ne dicam blanda, excipere & complecti: denique, ut, cujus plura exſtant ac illuſtria amoris in me haud vulgaris ac ſinceræ voluntatis documenta, eum hoc tenui licet officii genere, quod apud poſteros noſtram ſtudiorum ſimul & animorum conjunctionem proderet, aliquatenus remunerarem. Dabam Berolini prid. Non. Quintil. Anno Aeræ Dionyſianæ CIↃ IↃ CXCVII.

EXERCITATIONIS
PRIMÆ
SYLLABUS.

I.

De Civibus Romanis ab Urbis natali ad Jul. Cæsarem.

II.

De Civibus Romanis a Jul. Cæsare ad Antoninum Pium.

EXERCITATIONIS
SECUNDÆ
SYLLABUS.

E Z E-

EZECHIELIS SPANHEMII

ORBIS ROMANUS,

Seu Ad Constitutionem Imperatoris Antonini, de qua Ulpianus Leg. XVII. Dig. de Statu Hominum,

EXERCITATIONES DUAE

EXERCITATIO PRIMA

De Civibus Romanis ab Urbis Natali ad Antoninum Pium.

QUUM nuper ea Juliani Imperatoris verba commentarer, quibus omnes Romano imperio subjecti, Romanæ dicuntur civitatis participes, post memoratam ea de re celebrem Ulpiani legem, seu verius Antonini Imperatoris, quam is refert ea de re, constitutionem, ac nonnulla, quæ id argumentum tangerent, a me ibi prolata, hæc continuo subdidi: „Sed de his plenius alibi. Dum enim ea, quæ de nobili hac constitutione, qua civitas omnibus in orbe Romano data dicitur, & ad quam respicit hoc loco Julianus, seu de tempore, vel a quo Antonino Imp. (neque enim hic veteres aut recentiores, ut obiter paullo ante adtigi, ὁμόψηφοι) sit eadem lata: maxime autem quæ vis ejusdem legis, & quis effectus in orbe Romano deinceps, ac ante Juliani ætatem, vel ab ejusdem ævo fuerit, ut inde major lux hisce ejusdem ea de re verbis accederet, hic adnotaveram, plures præter constitutum compleverunt paginas: eadem opportunius, & cum minori Lectoris fastidio, ac præterea ob argumenti dignitatem, in peculiarem Diatribam, ad calcem harum in Julianum observationum, σὺν Θεῷ, adnectendam, rejicienda censui. Neque enim pauca sunt forte vel levia, & nec dum etiam ab iis, qui hæc attigere, animadversa, quæ ambiguum adhuc & perplexum, vel latæ illius constitutionis tempus ac auctorem, vel eadem constitutione datum omnibus in orbe Romano ingenuis jus civitatis reddunt, seu reddere aliquatenus possunt. Quam autem ea de re fidem ibi dederam, nec licuit mihi tum adimplere; eam absque interposita longiori mora, nunc utcunque liberare constitui: tum quod id a me viri graves & eruditi, ac horum aliqui mihi de nomine, vel e libris tantum ab iis editis noti, officiose exigerent: tum inde, ne vana prorsus, quod fieri sæpe numero contigit, qualiscunque hujus commentationis pollicitatio a me ibi profecta videretur. Cui instituto accessit illud opportune, quod haud aliena utique id genus argumenti tractatio appareret, quam Romanarum Antiquitatum Thesauro felicibus celeberrimi amicissimique Grævii auspiciis membratim prodeunti, inferendam, & rogatus quidem, concederem. Etsi enim præclari sint omnino & accurati, quos de Romanæ civitatis, aut earum, quæ Romanis parebant, urbium vel provinciarum jure, summo studio & singulari eruditione ac industria elucubravit superiori seculo Sigonius, quique in editis illius Thesauri voluminibus denuo prostant, libri; ii tamen ad eam demum, quæ primis sub Regum dominatione, ac dein liberæ urbis temporibus, non vero quæ sub Cæsarum imperio obtinuit, hujus juris aut beneficii, eorumve, qui illo sunt potiti, conditionem ac amplitudinem respiciunt. Neque enim me qualicunque eo labore levatum ab iis videbam, qui hanc traditam ab Ulpiano legem, qua IN ORBE ROMANO QUI SUNT EX CONSTITUTIONE IMPERATORIS ANTONINI CIVES ROMANI EFFECTI SUNT, viri cæteroquin Quiritium publici privatique juris, aut antiquitatum quoque bene periti subinde sunt commentati: dum nec eas, in quibus eadem Ulpiani verba incurrunt, difficultates tangunt, aut solvunt; aut vero vim illius constitutionis & effectum, quod obiter ad Julianum monueram, plene satis vel idonee haud adtendunt, vel enarrant. Unde me rem nec plane jam transactam aut protritam facturum censui, si quæ forte eo de argumento a me observata, dum nuper Augustum scriptorem illustrarem, seposueram, in manus denuo sumerem; & in hac etiam otii mei

penuria, cum bona eorum, qui præclaris hiſce ſtudiis & antiquitatibus delectantur, gratas, uberius aliquanm & liquidius ordinare & explanare non refugerem.

Antequam vero Ulpiani de illa memorabili Antonini Imperatoris conſtitutione verba paullo intentius expendere adgrediar; de Romana civitate, ſeu veteri ejus jure, quale id libera adhuc Republica, ac dein ſub Cæſaribus ad Antoninorum uſque tempora exſtiterit: quibus illud, præter urbis aut agri Romani incolas, aut poſt donatam civitate Italiam, ſubinde fuerit impertitum: quæ diverſa etiam ejuſdem largitionis, uti ea civitatis conceſſio a Cicerone *a* alicubi dicitur, ratio ſeu conditio fuerit: erunt quædam, nec inutiliter, ut opinor, in hac prima Exercitatione delibanda.

Liberæ quidem urbis, vel antiquiora ejus tempora quod adtinet, planam eam rem nobis continuo præſtat, minuſque impeditam, accurata, quod paullo ante jam monui, eo de argumento viri, quo nullus ſuperiori ævo, non Italorum duntaxat, ſed Tranſalpinorum hominum, Romanas id genus antiquitates, majori judicio, fide ac diligentia pertractavit, commentatio. Quamobrem mihi abunde nunc erit, ea demum repetita e priſcis illius urbis inſtitutis, ſeu juris hujus, quod inde latius dimanavit, primordiis, hic ſummatim adtingere, ac nova ſubinde luce perfundere; vel nonnulla etiam controverſa, de illo Romanæ civitatis jure, capita, poſt Sigonium, maxime ubi ab eo diſcedendum videbitur, aut is ea parcius adnotavit, aut quandoque præteriit, paullo attentius retractare vel expendere: unde illa Antoniniana conſtitutio; & qui velut gradus ad eam ferendam exſtiterint, poſſit plenius aliquanto ac dilucidius percipi.

a Pro Balbo. cap. 31. *largitio ac communicatio civitatis.*

I.

DE CIVIBUS ROMANIS

ab Urbis Natali ad J. Cæſarem.

I. ILlud equidem nemo, uti opinor, ambiget, quod qui primi Urbis Romæ, iidem quoque civium Romanorum, quomodo & ſuſcepti imperii ſequutis ætatibus ſunt nuncupati, natales continuo fuerint. Etſi enim, qui ſunt primum in civitatem recepti, ſub Regum imperio, per *b* ducentos & quadraginta quatuor annos, haud eodem prorſus ſeu optimo civitatis jure, quo parta demum libertate & communicatis plebi honoribus, ſint uſi; haud minus pro civibus Romanis ſunt iidem habiti, qui vel in urbe, vel in ejus agro domicilium conſenſu, vel ex pacto, conſtituerant. Quomodo præter collectam primum, eamque ſine diſcrimine, ut ea de re *c* Livius, e finitimis populis civium turbam, a Romulo præterea mox in civitatem adſciti, & in curias dein adſcripti, Camerini, Antemnates, Cruſtumini, ac poſtremo etiam loco, Sabini. Quod conſilium quam ſalubre & glorioſum Romanæ magnitudini fuerit, docet his verbis Cicero *d*: *Illud vero ſine ulla dubitatione maxime noſtrum fundavit imperium, & populi Romani nomen auxit, quod princeps ille creator hujus urbis Romulus, fœdere Sabino docuit, etiam hoſtibus recipiendis AUGERI CIVITATEM oportere.* Unde ſub aliis dein Regibus, illa communicandi quibuslibet, qui Romam vellent commigrare, civitatem, inducta ſemel ab ejus initiis conſuetudo tenuit; ac inde in conſtitutas ſub Servio Tullio varias civium claſſes ac tribus relati iidem ac cenſi. Adeo ut quamquam eos optimo jure cives haud immerito ſtatuat *e* Ariſtoteles, qui in Populari ſtatu vivunt, magiſtratuum, ut ille ait, ac judiciorum participes: haud ideo tamen illos civium numero excludit, qui Regibus aut Optimatibus parent. Immo nec ſub Regibus, gemino illo beneficio, in quo plenum jus civitatis a Philoſopho ſtatuitur, fuerunt cives Romani omnino deſtituti: dum illis, qui inter eos opibus ac genere præſtabant, ſeu Patribus, leguntur commiſſa jam a Romulo ſacerdotia, (a *f* quibus novi etiam cives in populari Athenienſium Republica excludebantur) magiſtratus præterea, judicia, ac publicis de rebus conſultatio: adde in curiatis ac centuriatis dein poſt Serv. Tullium comitiis, creandi magiſtratus, legis ferendæ, bella decernendi conſtituta poteſtas.

II. Idem vero jus civitatis, pulſo dein rege ſeu tyranno, ac regio inde abdicato imperio, haud parum fuit amplificatum: dum ſupremi & annui quidem Magiſtratus e civium, neque promiſcuo tamen adhuc numero, communibus vero civium ſuffragiis, ſeu in populi comitiis, ſunt creati: provocatio mox a conſulibus ad populum lata: plebeji dein magiſtratus inducti, iique ſacrata lege inviolabiles: ubi omnes denique, ut ait alicubi Tullius, *g poteſtates, imperia, curationes, ab univerſo populo Romano*, ſi dictaturam tamen mittas, *proficiſci convenit.* Quamquam non æquo adhuc, ſeu optimo jure, agerent, quicunque ea, quam memoravi, conditione cives Romani cenſebantur: dum & *h patritii*, ut eos alicubi vocat Tullius, *magiſtratus*, & auſpicia, ſacerdotia, immo & connubia, nec dum plebi forent communicata. Quæ ſingula, ubi paullatim plebeji ſunt adepti, ut ita & magiſtratuum, quod requirit, ſicut paullo ante diximus, in vero ac populari cive Ariſtoteles, & judiciorum eſſent, potiori, quam antea ſub Regibus, conditione ac jure, participes, quicunque inter cives cum jure ſuffragiorum erant cenſi, ſeu in urbe, ſeu in agro Romano haberent ii domicilium; tum pleno iidem & optimo jure civitatis ſunt deinceps uſi. Quæ autem complexus eſt hiſce ad Quirites verbis Cicero *i*: *retinete iſtam poſſeſſionem gratiæ, libertatis, ſuffragiorum, dignitatis, urbis, fori, ludorum, feſtorum dierum, cæterorum omnium commodorum.* Quibus nempe cum publicum, tum privatum jus Quiritium contineri facile quivis intelligit: quorum illud, ut monuerunt jam *k* alii, in jure cenſus, militiæ, tributorum, vectigalium, ſuffragiorum ac honorum, addo & ſacrorum, erat ſitum: iſtud jus erat libertatis, connubiorum, patrium, legitimi dominii, nexus, teſtamenti, & uſucapionis.

b Livius l. 1. c. 60. Dionyſ. Halic. l. IV. p. 247.
c l. 1 c. 8.
d Pro Balbo c. 31.
e Politic. III. c 1.
f Demoſth. in Neæram p. 530. ed. Baſil.

g Orat. II. de Leg. Agrar. c. 17.
h Ibidem c. 26.
i Ibid. c. 19.
k Sigonius de Antiquit. Civ. Rom. l. 1. c. 13. &c.

Immo

Immo quomodo, ut hoc insuper addam, potior evasit conditio civis Romani; qui constituto vel in urbe, vel in agro domicilio, erat tum inter cives census, ac inde in tribus & curias relatus, potior, inquam, eo, qui in civitatem Atheniensium erat olim adscitus. Ii enim, uti nos docet [l] Orator Atheniensis, (neque enim de Auctore illius Orationis satis constat) nec in collegium novem Archonton, seu in praecipuos urbis magistratus, poterant cooptari; aut ullius sacerdotii, quod supra jam adtigi, vel festorum gentilitiorum esse participes: quod utrumque eorum liberis, si iidem e muliere cive suscepti & legitime desponsa, demum licuit. Quae exceptio mox apud eundem Oratorem legitur, ubi Atheniensium decretum refert, quo profugis Plataeensibus data sit civitas: nempe, ut Graeca compendii caussa nunc omittam: [m] *Hippocrates retulit, ut Plataenses pro Atheniensibus ab hac die, eadem dignitate, qua caeteri Athenienses, haberentur, & jus habeant, quorum Athenienses jus habent, omnium & sacrorum, & profanorum, PRAETERQVAM quod est SACERDOTIVM, aut FESTVM GENTILITIVM, EXCEPTO item NOVEM ARCHONTON magistratu:* eadem etiam addita conditione, *ut tamen eorum liberis ea paterent.* Quae autem de novis illis Atheniensium civibus constituta; etsi ii, ut de hisce Plataeensibus ibidem sequitur, continuo in tribus & curias essent describendi; aut de iis dicat in genere [n] Isocrates, quod Athenienses *civitate illos donaverint, ac omnium pars secum jure frui permiserint,* πολίτας ἐποιήσαντο, καὶ τῶν ὑπαρχόντων αὐτοῖς ἁπάντων μετέδοσαν. Addo, quum alioqnin id ab Aristide post bellum Persicum Athenis sancitum refert [o] Plutarchus, ut Archontes ex universo Atheniensium populo crearentur. Unum autem forte vel alterum apud Romanos, Regii nempe sacrificuli, & majorum Flaminum, Dialis, Martialis, & Quirinalis, ut & Saliorum existit sacerdotium, quod, sicut Interreges, perpetuo, libera certe republica, ut id e [p] Cicerone ac [q] Livio jam est a viris doctis observatum, remansit penes patritios.

III. Id vero inter eosdem Athenienses, uti etiam Thebanos & Lacedaemonios, ac inter Romanos discrimen tangit [r] Dionysius Halicarnassensis; quod ad retinendam generis nobilitatem, nullos illi vel raros cives admitterent; quidam etiam ex iis hospites seu peregrinos repellerent: quibus autem institutis, gravissima senserint detrimenta: dum Romani diverso, eoque coepto primis urbis temporibus, quem ante adtigimus, ac haud intermisso deinceps more, de multiplicando promiscue civium numero adprime fuerint solliciti. Idque inde ac sapienter, ut [s] alibi rursus tradit Dionysius; quod urbis potentia in vi armorum foret sita, quae nulla esse possit, sine numerosa civium multitudine. Qua ratione etiam, prout is priori loco observat, contigerit; ut post acceptas gravissimas clades, sicut Cannensi praelio, & tota ferme Italia ad Annibalem deficiente, eluctari nihilominus ex iis malis potuerint Romani, ut de hostibus etiam suis triumpharent: ubi autem Thebani ac Athenienses uno praelio ad Chaeroneam a Macedonibus victi, patria libertate, & Graeciae principatu exciderint. Cujus utique diversi Romanorum instituti, illustre exemplom suppeditat [t] Livius: quum nempe post captam & incensam a Gallis urbem, magna foret civium, qui novis eam aedificiis instaurarent, penuria, duo eam in rem a Romanis provisa memorat: unum, dum in urbem Senatusconsulto fuerunt revocati, & quidem sub capitis poena, qui aedificandi, quod ille ait, pigritia, Vejos se contulerant. Alterum mox tangit, quod eodem anno, & quidem Senatus populique Romani, uti tum obtinuit, auctoritate, novi adhuc & peregrini quidem cives in urbem sint adsciti, nempe qui Vejentium, Capenatiumque, & Faliscorum per ea tempora ad Romanos transfugerant; agerque iis adsignatus; eaque insuper occasione, quatuor novae tribus additae, quae viginti quinque tribuum numerum expleverint. Quomodo jam antea a rege Tullio, ac proinde ante partam libertatem, de Romanis dictum refert [v] Dionysius, ἅπασι τοῖς ξένοις ἐπιτρέποντες τῆς πόλεως μετέχειν, *quum quoslibet exteros admittant ad jus civitatis;* nempe vel e captis, uti ea de re jam supra, hostibus; aut qui caeteroquin de populo Romano, uti paulo post dicetur, seu eorum ducibus ac imperatoribus; erant bene meriti. Unde jam ante ab eodem rege Servio dicitur: [x] ἡμεῖς γὰρ τοσοῦτον δέομεν αἰσχύνεσθαι ΚΟΙΝΗΝ ἀποδείξαντες ΤΗΝ ΠΟΛΙΝ τοῖς βουλομένοις, ὥστε καὶ σεμνυνόμεθα ἐπὶ τούτῳ μάλιστα τῷ ἔργῳ, *nos enim adeo non pudet COMMVNICASSE CIVITATEM quibuslibet eam repetentibus, ut ea re praecipue gloriemur.* Quomodo id citra ullum gentium discrimen sua etiam aetate factum tangit Cicero: [y] *quod si Afris, si Sardis, si Hispanis, agris stipendioque mulctatis, virtute adipisci licet civitatem.* Accessit & quod praeteriri hic non debet, haud exiguus servorum, qui a Romanis, priscis jam temporibus, frequenter manumittebantur, seu libertorum numerus; quos inde non libertatem solum, sed civitatem quoque consequutos constat, & quam in rem a Cicerone dicitur; [z] *servos denique, quorum vis & fortuna conditio infima est, bene de republica meritos, PERSAEPE libertate, ID EST CIVITATE, publice DONATOS videbamus.* Quales proinde manumissos, ac inde cives factos, in quatuor urbanas Romanorum civium tribus descriptos, tradit rursus apud [a] Dionysium rex Tullius; & in quas suo adhuc tempore relatum, quicquid esset libertini generis, addit idem Auctor. Quod tamen, hosce quod adtinet libertinos in quatuor tribus conjectos, id a censoribus L. AEmilio, & C. Flaminio primum inductum, ac proinde anno demum V. C. DXXXII, refert in [b] Liviana Epitome Florus. Id quod in genere de forensi seu viliori civium turba, a Q. Fabio censore jam antea, seu anno V. C. DXLIX, provisum observat [c] Livius. Ex illo vero, quod a Servio Tullio celebrari apud Dionysium diximus, Romanorum in communicanda quibuslibet civitate instituto, factum videmus; ut quum sub eodem rege censi sint, anno V. C. CXIV, civium Romanorum octoginta, juxta [d] Livium, millia; aut juxta [e] Dionysium, LXXXV, minus trecentis, millia; sequenti autem censu, qui nempe intermissus fuerat sub Tarquinio, annis interjectis uno & quinquaginta, seu anno V. C. CCXLVI, censa sint, juxta eundem [f] Dionysium, civium, qui pubertatem attigissent, centum & triginta millia.

IV. Factum vero haud longo temporis decursu, ut praeter eos, qui domicilium vel in urbe, vel in agro primitus constituerant, ac in urbanas vel rusticas tribus erant adscripti, vel qui dein, relicta patria, Romam commigrantes advenae, inter Romanos cives fuerint itidem, ut modo vidimus, censi: factum, inquam, ut peregrinis quibusque aliorum oppidorum & qui in iis remanebant, incolis; aut

[l] Demosth. in Neaeram p. 530.
[m] Ibidem p. 532. [n] Panath. p. 252. ed. H. Steph.
[o] In Aristide p. 332. [p] Pro Domo c. 38. [q] l. IV. c. 54.
[r] Antiq. l. II. p. 89. [s] l. III. p. 148. [t] l. VI. c. 4.

[v] l. IV. p. 226 [x] l. III. p. 147. [y] Pro Balbo c. 42.
[z] Ibidem c. 24. [a] l. IV. p. 226. [b] l. XX.
[c] l. IX. in fine. [d] l. V. c. 44. [e] l. IV. p. 221.
[f] l. V. p. 293.

victis etiam, nec tamen in urbem abductis hostibus, modo sigillatim, modo universis, jus Romanæ civitatis, Senatus populique Romani judicio ac auctoritate, deferretur. Quam in rem rursus expressa sunt, quæ apud *g* Dionysium leguntur verba, quibus id longe maximum statuit exstitisse Romanæ libertatis & futuræ magnitudinis ac dominationis fundamentum, quod nempe non, Græcorum more, captas urbes exscinderent; sed quod in more haberent: *ποιεῖν ἀποικίας Ῥωμαίων τὰς κρατηθείσας, ἐνίαις δὲ καὶ* ΠΟΛΙΤΕΙΑΝ *μεταδιδόναι*, *in devictas urbes colonos mittere, quibusdam autem CIVITATEM dare.* Unde ea M. Valerii Lævini Consulis verba apud Livium: *h jam inde a majoribus traditum morem colendi socios, ex quibus alios in CIVITATEM atque AEQVVM SECVM JVS accepissent*; ac antiquioribus urbis temporibus, tribunus plebis Canulejus *i*, *nos quidem CIVITATEM, quæ plus quam connubium est, HOSTIBVS etiam victis dedimus.* Neque vero id insolito apud alias gentes aut urbes more: prout Athenienses, non advenas solum seditione aut bello pulsos, civitate, quod de Platæensibus paullo ante vidimus, donasse tradit *k* Demosthenes, seu quicunque sit illius Orationis Auctor, sed modo *l* Menoni Pharsalio; modo Perdiccæ Macedonum, aut Cotyi Thracum Regibus; Ariobarzani præterea, Charidemo, aliisque apud suos remanentibus, jus Atheniensis civitatis, tanquam, quod idem orator tangit, eximium quid ac singulare, pro collatis in Athenienses beneficiis, præmium ultro concessisse. Ut Hippocratem mittam, quem ab Atheniensibus inter cives adscriptum, tradit in ejus vita Soranus. Quomodo alioquin Alexandro orientis victori, oblatam a Corinthiis per legatos civitatem docet *m* Seneca. & quod officii genus quum risisset primum Alexander, unum e legatis dixisse: *nulli civitatem unquam dedimus alii, quam tibi, & Herculi. Libens accepit non delatum honorem*: ac unde præterea adstruitur, id quod paullo ante de aliorum Græcorum more, nunquam aut raro peregrinos in civium numerum admittentium, e Dionysio adduximus. Etsi, quod etiam hic monendum est, dictis modo apud Demosthenem, Menoni Pharsalio & Perdiccæ Macedonum regi, ob eadem, quæ utroque tamen loco tangit, eorum in Athenienses aut Græcos in genere merita, non civitatem quidem, sed immunitatem tantum datam, tradit *n* alio loco Demosthenes; addita etiam hujus rei, quæ hic præteriri non debet, caussa: ΟΥΚ *ἐψηφίσαντο* ΠΟΛΙΤΕΙΑΝ *ἀλλ' ἀτέλειαν ἔδωκαν μόνον, μεγάλην, οἶμαι, καὶ τιμίαν, καὶ σεμνὴν τὴν αὑτῶν πατρίδα ἡγούμενοι, καὶ πάσης μείζονα εὐεργεσίας. non decreverunt CIVITATEM, sed immunitatem duntaxat: magnam nimirum, & præclaram, & venerabilem suam patriam existimantes, & quovis majorem beneficio.* Cui autem contrariæ adeo de eodem facto, eademque de caussa, ejusdemque præterea auctoris, quem rei illius veritas fugere non debuerat, datæ nempe ab Atheniensibus, aut non datæ Menoni illi & Perdiccæ civitatis, narrationi, quæ fides præstari debeat, haud licet nunc certo statuere. Idem vero *o* alibi, ipsius Thracum regis Cotyos, etsi civitate prius (quod tradit etiam *p* Valerius Maximus) donati, sed qui magnis dein injuriis Athenienses adfecerat, duos interfectores Thessalos, in civitatem Athenis adscriptos, aureisque coronis ornatos refert. Qua in re equidem, seu in danda civitate, faciliores antiquitus fuisse, uti de priscis Romanis modo vidimus, Athenienses; postea non item, ob eorum multitudinem, observant veteres ad Thucydidem *q* Critici: & ad quæ tempora respicit proinde, adducto supra loco, Dionysius, ubi culpantur Athenienses, quod vel nullos vel raros cives admiserint. Equidem id a Solone decretum refert *r* Plutarchus, ut iis solum, qui e patria in perpetuum exilium pulsi, Athenas cum tota familia venerant; aut qui cæteroquin artis exercendæ causa, in eam urbem commigrassent, civitas concederetur.

V. Factum quoque, ut sicut ob mutua Urbium inter se fœdera vel commercia, commune jus civitatis inter varias urbes subinde sit sancitum; ita *de civitate Rhodiis ab* iisdem *Atheniensibus data, quemadmodum prius Rhodii Atheniensibus dederant*, a *f* Livio, ac jam ante a *t* Polybio, & quæ *ἰσοπολιτεία*, seu *æquum jus civitatis* ab eo ibidem dicitur, sit in litteras relata. Quam itidem, uti is vocat, *συμπολιτείαν*, seu *commune jus civitatis*, inter *Perinthios* ac *Byzantios* restituendam memorat *u* alibi Polybius: qualem etiam inter *Cretenses* & *Apolloniatas* exstitisse, sed a prioribus præter fas violatam, docet idem in *x* Excerptis Valesianis; ubi per Cretenses intelligi debent aut supplendi e Diodoro in iisdem *y* Excerptis, ubi id factum quoque tangit, *Cydoniatæ*: quum *Apolloniatæ* illi eorum *συμπολῖται*, Cretenses itidem forent, ut e Plinio, Ptolemæo, Stephano, constat: immo duæ eo nomine in Creta Urbes, & ipsa *Cydonia* olim *Apollonia* nomine, juxta eundem *z* Stephanum, sit dicta. Haud aliter nempe ac in tabulis inter duas alias Cretensium urbes, *Hierapytnenses* ac *Priansios*, quas primus vulgavit *a* Priceus, & quæ leguntur etiam inter *b* Marmora Oxoniensia, *ἰσοπολιτεία*, seu *æquum jus civitatis*, constituta legitur. Quo spectat inter alia, & quod primo loco in iisdem Marmoribus comparet, antiquum inter *Smyrnæos* & *Magnesios* fœdus, ubi *ἰσοπολιτεία* similiter in posteriorum gratiam, a Smyrnæis decernitur, ΠΟΛΙΤΕΙΑΝ *ἐν Σμύρνῃ* ΕΦ' ΙΣΗι *καὶ ὁμοίᾳ τοῖς ἄλλοις πολίταις*, *JVS CIVITATIS in Smyrna AEQVAE, nec dissimili reliquorum civium juri.* Ut vero inter dictas modo Cretensium, aut ejusdem Asiæ, quæ Proconsularis olim dicta, urbes; ita etiam inter Bithyniæ civitates, eam quoque *συμπολιτείαν*, Lege Pompeja, ut a Romanis relictam docet junior Plinius: *c adscribere sibi quos vellent cives, dum non sint civitatis alienæ, sed suarum quisque civitatum, quæ sunt in Bithynia.* Quod egregie etiam illustrat Bithynus Orator, & Trajani, ad quem hæc scribit Plinius, itidem familiaris, qui cum Prusæ, qua ortus erat, tum Apameæ se in civem adscriptum tradit: *d εἰμὶ γὰρ πολίτης ἑκατέρων*, *sum enim civis utrarumque*: immo se ab aliis tum inferioribus, tum dignatione æqualibus Apameæ urbibus, in civem simul ac senatorem adscitum, ab initio ejusdem orationis tradit: *e οὐ γὰρ μόνον αἱ λοιπαὶ πόλεις, ἀλλὰ καὶ τῶν ἰσοτίμων ὑμῖν αἱ πλεῖσται σχεδὸν, ὅσαι γέγονε, καὶ* ΠΟΛΙΤΕΙΑΣ, *καὶ* ΒΟΥΛΗΣ, *καὶ τῶν πρώτων τιμῶν οὐδὲν δεομένῳ* ΜΕΤΕΔΩΚΑΝ. *non enim solum reliquæ urbes, verum pleraque etiam fermæ, quæ sunt ejusdem vobiscum dignationis, me nihil rogantem, & CIVITATIS & SENATVS FECERVNT PARTICIPEM.* Inter quas autem primarias Bithyniæ urbes, a quibus hic Dio fuerit civitate donatus, aliisque, quos modo adtigi, honoribus adfectus, occurrit continuo cum illius

g l. II p. 89. *h* l. XXVI. c. 24. *i* l. IV. c. 3.
k In Neæram p. 532.
l adv. Aristocratem p. 445. 448. 457.
m de Benef. l. V c. 13. *n* περὶ Συντάξ. p. 70.
o adv. Aristocrat. p. 445. *p* l. III. c. III. 7.
q ad l. I. p. 3. ed. Wechel. *r* in Solone p. 95.

f lib. XXX. c. 15. *t* Excerpt. Leg. III.
u Hist. l. XVII. p. 744. ed. Paris. *x* pag. 133.
y Ibid. p. 316. *z* In Κυδωνία. *a* in Apul. Apolog.
b p. 116. p. I. *c* l. X. Epist. 115.
d Dio Prusæ. Orat. XLI. p. 499.
e Ibidem p. 498.

illius provinciæ metropolis *Nicomedia*, prout is inde auſpicatur orationem in ea urbe habitam, *f ſe cauſſas nempe expendere, cur enim Nicomedienſes CIVEM FECERINT*, ὅταν ἐκλογίζωμαι τὰς αἰτίας, ἄνδρες Νικομηδεῖς, δι' ἃς ΕΠΟΙΗΣΑΤΕ ΜΕ ΠΟΛΙΤΗΝ, tum dignatione eadem Nicomediæ proxima, immo de primatu cum ea certans, *Nicæa*. Sequentem enim orationem, quam itidem, antiquo Sophiſtarum ſeu Oratorum more, in ea civitate habuit, inde etiam orditur: quod *g* haud levi perfundatur gaudio, ſe honore ibi adfectum, & quidem in tam præclara, & omni laude digna civitate, ἐγὼ χαίρω τιμώμενος ὑφ' ὑμῶν &c. Ut nec mirum ſit, quod a Bithynis itidem *Apamenſibus* io civem quoque, quod avo jam ejus & matri, ut id *h* alibi ait, contigerat, ſit adſcitus; & quod, prout itidem id tangit, plures e Pruſeenſibus *i factæ ſint* Apamenſium *civitatis*, *& ſenatus etiam ac magiſtratuum participes*; καὶ τοίνυν πλείους τῶν ἐκεῖθεν καὶ ΠΟΛΙΤΑΣ πεποιήκατε, καὶ ΒΟΥΛΗΣ μετεδώκατε, καὶ ἄρχοντας ἐν ἀπηξιώκατε γίγνεσθαι παρ' ὑμῖν. Idque opportune omnino ad ea Plinii, quæ in eadem epiſtola leguntur, verba, *k præterea quia ab aliquibus adfirmabatur mihi in omni civitate* (Bithynorum nempe) *plurimos eſſe BVLEVTAS ex aliis civitatibus.* Quæ omnia firmat itidem, & qui inde illuſtratur, oratione pro *l* Balbo Tullius; ubi quum diverſum ea in re Romanorum inſtitutum vel morem adtigiſſet, qui non poterant in alias civitates, quod cæteris conceſſum eſſet, recipi, & quod jam ante in eadem Oratione, tum *m* alibi etiam tangit, addit: *n itaque in Græcis civitatibus videmus Athenis Rhodios*, (quod e Polybio ac Livio modo vidimus) *Lacedæmonios, cæteros undique adſcribi, MVLTARVMQVE eſſe eoſdem homines CIVITATVM.* Quomodo alibi de eodem Archia poëta ait, *o hunc & Tarentini, & Rheginenſes, & Neapolitani, CIVITATE cæteriſque præmiis DONARVNT.* tum poſtea: *quid de ejus civitate dubitatis, præſertim quum ALIIS quoque CIVITATIBVS fuerit adſcriptus?* Hunc enim poëtam, alioſve a Tullio dictos *multarum homines civitatum* quod adtinet; inducto id utique apud Græcos aut Græcis ortos more, quod ille adductis modo locis, & alibi adhuc innuit, eſt factum; quo non plurium ſolum, ut jam vidimus, inter ſe civitatum συμπολιτείας, ſeu communia inter eas civitatum jura erant recepta; ſed ut ſigillatim qui inter eos aliqua in arte erant eximii, ac ejus ſpecimina variis in urbibus ediderant, velut *Medici, Oratores, Poëtæ, Sophiſtæ, Philoſophi, Athletæ, Citharœdi*, ab iiſdem certatim civitate donarentur. Quam in rem memorabilis exſtat inſcriptio Bithyni cujuſdam & Pruſeenſis inſuper Medici, ac unde eam in rem de Bithynis modo e Dione ac e Plinio dicta, haud parum illuſtrantur: qua is ſibi totique familiæ ſeptem civitates dicitur a Trajano impetraſſe.

p C. CALPVRNIVS ASCLEPIADES
PRVSA AD OLYMPVM MEDICVS
PARENTIBVS ET SIBI ET FRATRIB
CIVITATES VII. A DIVO TRAIANO
IMPETRAVIT.

Sic præter adductum ipſius Dionis, Bithyni Oratoris ac Sophiſtæ, prout Rhetores eo ævo dicebantur, exemplum; qui plurium Bithyniæ civitatum, *Pruſa* in qua natus, *Apamea* præterea, *Nicomedia*, civis eſſet: Ariſtides, etſi Hadrianis in Myſia natus, *Smyrnæus* vulgo dictus, quod Smyrnæ civitate donatus, artem ſuam ibidem ſit profeſſus: & Ptolemæus Naucratites, ac proinde Ægyptius Sophiſta, Marathoni populo ab Athenienſibus adſcriptus, ac inde *Marathon*, teſte *q* Philoſtrato, eſt appellatus. Ita enim factum, ut haud una patria ſit ſubinde id genus *Sophiſtis, Oratoribus, Poëtis, Philoſophis*, ab Auctoribus & Grammaticis antiquis adſcripta: ac inde nata ſit quandoque de vero eorum natali ſolo vel ſede, vel an pro iiſdem, qui haud unas id genus appellationes tulerant, haberi continuo debeant, ſed quæ jam non eſt hujus loci diſceptatio. Unde etiam orta forte illa de *Homeri* patria ſequutis ætatibus contentio, inter nobiles Aſiæ urbes, in quarum civitatem haud minus ac apud varia magnæ Græciæ oppida, juxta adductum Ciceronis de Archia poëta locum, ille Vatum parens fuerit olim receptus. Ut nunc de *Ennio* ſileam, quem Rudia, Calabriæ oppido, ortum, civitate Romana donatum, a Q. Fulvio Nobiliore, tradit in *r* Bruto Cicero. *Scenicos* vero quod adtinet, a Lycurgo Oratore apud Athenienſes lex lata, qua, quod ante non licebat, qui in Chytris, uno Bacchi apud Athenienſes feſto, comœdia vicerant, civitatem, ut id docet in ejuſdem Athenienſis Lycurgi vita *ſ* Plutarchus, adipiſcerentur. Immo de quibus *Scenicis*, aut ignobilioribus adhuc artificibus, exſtat luculentum Ciceronis teſtimonium: *t Etenim cum mediocribus multis, & aut nulla, aut humili aliqua arte præditis, GRATVITO CIVITATEM in Græcia impertiebantur: Rheginos credo, aut Locrenſes, aut Neapolitanos, aut Tarentinos, quod SCENICIS ARTIFICIBVS largiri ſolebant, id huic ſumma ingenii prædito gloria noluiſſe.* Unde obvia etiamnum in antiquis marmoribus eorum *Citharœdorum* vel *Athletarum* nomina, qui plurium ſubinde ac nobiliſſimarum quidem urbium, earumque non unius ſolum regionis aut provinciæ, ſed valde invicem diſſitarum, ob edita nempe apud eas præclara roboris vel artis ſuæ ſpecimina, cives dicuntur exſtitiſſe. Ita in Græcis eorundem marmorum inſcriptionibus, quas vulgarunt viri docti, ac ut Græca, quæ ibi obvia, compendii rurſus cauſſa prætercam, M. Aureolus Aſclepiades Pontifex xyſti & palæſtræ magiſter, dicitur *u Alexandrinus, Hermopolites, Puteolanus, Neapolitanus Et Eleus, Et Athenienſis Senator, Aliarumque Multarum Vrbium Civis & Senator*: aut C. Septimius Publius, *x Pergamenus, Smyrnæus, Athenienſis, Et Epheſius Citharœdus: Immo Et Solus, Qui Poſt Homines Natos Vicerit Subſcripta*; variis nempe, quæ ibi adducuntur, in urbibus *Certamina*: ejuſque moderator, Cajus Ælius *Citharœdus Epheſius Et Pergamenus.* Quibus accedunt inter eas inſcriptiones Athleticas, quas Romæ olim paullo ante effoſſa, conſulere mihi tum licuit, ac deio edidit & enarravit illuſtris, mihique ſingulari, dum ſuperſtes eſſet, amicitia conjunctus, Octavius Falconerius; ea, in qua memoratur *y* athleta M. Aurelius Demoſtratus Demas; *Sardianus, Alexandrinus, Antinoënſis, Athenienſis, Epheſius, Smyrnæus, Pergamenus, Nicomedienſis, Mileſius, Lacedæmonius*: ac ſimiliter in *z* Sponii Miſcellaneis, athleta itidem M. Tullius *Apamenſis Bithyniæ, Athenienſis, Corinthius, Smyrnæus.* Quibus inſuper Græcis inſcriptionibus, ubi iidem, juxta Tullium, *multarum homines civitatum* dicuntur, addi inſuper debet Romana in Hiſpanienſi Carthagine reperta, ubi legitur qui-

f Orat. XXXVIII. p. 468. *g* Orat. XXXIX. p. 483.
h Orat. XVI. p. 500. *i* Ibid. p. 502. *k* l. X. Epiſt. 115.
l cap. 21. *m* pro Cæcina c. 100. *n* pro Balbo. c. 28.
o pro Archia. c. 5. *p* Reineſ. Syntagm. p. 608.

q Vet. Sophiſt. l. II. p. 592. *r* cap. 20. *ſ* p. 842. T. I.
t pro Archia. c. 10. *u* Grut. Theſ. CCCXIV. 2.
x Marm. Oxon. p. 70. & Spon. Miſc. p. 367.
y Inſcript Athlet. p. 60. *z* Pag 366.

 dam

dam L. Æmilius *a Domo Rom. Qui Et Carthaginensis, & Sicelitanus, Lacedæmon. Et Argivus, & Balestanus Scriba Quæstorius, Scriba Ædilitius, Civis Adlectus Ob H.* (nempe *Honorem*) *Ædilitatis* : de quo autem postremo facto, seu Ædilitatis aut Decurionatus etiam in patria honore, quo aliarum urbium vel oppidorum Latini juris incolis patebat ad Romanam civitatem aditus, infra dicetur.

VI. E quibus autem modo adductis, cum illud, quod paullo ante e Cicerone adtigi, de Græcorum more, quo *b multarum esse eosdem homines civitatum* licuit, abunde, ut opinor, illustratur: tum alterum percipitur, de diverso ea in re Romanorum instituto, juxta quod, ut idem alibi observat, *c duarum civitatum civis esse, nostro jure civili nemo potest*: ac proinde, ut ibi addit, *non esse hujus civitatis civis, qui se alii civitati dicavit*. Unde oblatæ sibi ab Atheniensibus civitatis beneficio uti noluisse Atticum, observat in ejus *d* vita Cornelius Nepos. Ad quam autem Romanæ civitatis singularem quandam dignitatem, aut jus peculiare, & illud accessit; quod civi Romano haud poterat adimi civitas, nisi exilio in eam civitatem, in quam confugerat, foret receptus. Quod utrumque de Romano cive tangit alibi Tullius: *e Nam cum ex nostro jure duarum civitatum nemo esse potest, tum amittitur hæc civitas denique, cum is qui profugit, receptus est in exsilium, hoc est, in aliam civitatem.* Unde de cliente suo C. Memmio Gemello, in *f* Epistolis ad familiares ab eo dicitur: *cum in calamitate exsilii sui Patrensis civis factus esset.* Id quod alibi rursus adstruit, ubi ait *g rerum capitalium condemnatos, non prius hanc civitatem amisisse, quam erant in eam recepti, quo vertendi, hoc est, mutandi soli caussa venerant.* quibus vero continuo subdit: *id autem ut esset faciendum, non ademptione civitatis, sed tecti, aqua & ignis interdictione faciebant.* Quod postremum etiam observat Pomponius: *h* ubi quæsitum docet, an qui hostibus esset a Romanis deditus, nec a prioribus receptus, maneret civis Romanus: quibusdam autem existimantibus manere, aliis contra, addit: *quum quem semel populus jussisset dedi, ex civitate expulisse videretur, sicut faceret, cum aqua & igni interdiceret.* Quamquam, ut hoc addam, non sola deportatione in insulam, quæ nempe in locum illius antiquæ ignis & aquæ interdictionis, *i* Ulpiano teste, transiit, *k* adimi civitatem: sed eos etiam, qui ad opus publicum perpetuo damnari, inde ἀπόλιδας continuo fuisse, seu amisisse civitatem, testatum reliquerint *l* alii veteres Romanorum juris Interpretes. Extra quam proinde pœnam aut noxam, invito adimi non potuisse latam semel a populo, aut lata lege, civitatem, licet præterea ex adductis ab ipso Tullio, post superiora ejus verba, singularibus hujus rei exemplis, statuere. *m Populus Romanus, L. Sulla Dictatore ferente comitiis centuriatis, MUNICIPIIS CIVITATEM ADEMIT: ademit iisdem agros: de agris ratum est (fuit enim populi potestas) DE CIVITATE, ne tamdiu quidem valuit, quamdiu illa Sullani temporis arma valuerunt. Hanc vero VOLATERRANIS, cum etiam tum essent in armis, L. Sulla victor, Republica recuperata, comitiis centuriatis CIVITATEM ERIPERE NON POTUIT: hodieque Volaterrani non modo CIVES, sed etiam optimi cives, fruuntur nobiscum simul hac civitate.* Unde alibi *n municipes Volaterranos* vocat idem Tullius; quodque illi eam Sullani temporis acerbitatem subterfugerint, ibidem tangit. Quum alioquin non *municipiis* solum, ut in adductis modo verbis, Tullius; sed in genere *sociis & Latinis* datam civitatem (prout latius jam patebat indultum illud paullo ante toti Italiæ beneficium) eripere Sullam voluisse, declarant M. Lepidi ea de re apud *o* Sallustium verba: *Sociorum & Latii magna vis CIVITATE, pro multis & egregiis factis, a vobis DATA, per unum prohibentur.* Nempe, quod, ut alio rursus loco Cicero *p*, *civitatem nemo umquam ullo populi jussu amittet invitus:* quum alioquin voluntate, sicut a civibus Romanis, qui sponte in colonias Latinas nomina dederant, amitti potuisse civitatem ibidem doceat. Quod alibi ab eo dicitur, *q multi etiam superiori memoria cives Romani SUA VOLUNTATE, indemnati & incolumes, rebus relictis, alias in civitates se contulerunt*: nempe postquam a clarissimis civibus, Q. Maximo, Q. Philippo, C. Catone, Q. Cæpione, P. Rutilio, in calamitate seu exilio factum dixisset, ut iidem aliarum civitatum, in quas ii confugerant, cives fierent. De quo postremo, qui ibi memoratur, Rutilio, tradit quoque Diodorus in *r* Excerptis Valesianis, eum Smyrnam, quam nempe omnibus provinciæ illius civitatibus, secessium apud se, ut de eo *s* Valerius, certatim petentibus prætulerit, abiisse, ibique reliquum vitæ tempus exegisse: & quidem quum tutum ei in patriam reditum, quod alibi testatur idem *t* Valerius, Sullana victoria fecisset. Quo Rutilii cæteroquin, quod hic obiter addendum est, vel Smyrnæorum eum sibi civem adsciscentium jure vel exemplo, Vulcatium quoque Moschum apud Massilienses exulem, & inter cives apud eos itidem receptum, probatum a Patribus auctor est *u* Tacitus. Nempe pro illo fœderatarum aut sociarum Urbium jure; quo, juxta *x* Polybium, Romanis exulibus impune degere licuit Neapoli, Præneste, Tibure, item aliis in urbibus; quibus, ut ille addit, hoc jure fœdus intercedit cum Romanis. Tribus cæteroquin amitti civitatem, *y exsilio* (non voluntario nempe, sed quo bona venibant, & aqua & igni, ut in judicio, de quo supra, M. Postumi Pygargi apud *z* Livium dicitur, interdicebantur) *postliminio*, ac *rejectione civitatis*, cujusque rei dederat aut adducit dein exempla, declarat *a* ibidem Tullius: ac prout illud, quod ibi adducit, Menandri interpretis, de mutanda postliminio civitate, legitur quoque apud *b* Pomponium in libris de jure Civili Romanorum exemplum. Quomodo cæteroquin Athenis receptum ibidem fuisse, docet in Critone *c* Plato; ut quisque Atheniensium civis, liberam haberet cum facultatibus suis alio emigrandi facultatem. Quamquam postea apud Romanos, non civibus solum singulatim, extra tres illos memoratos a Cicerone casus: sed universis etiam oppidis, quod Sulla, sed frustra, tentaverat, ereptam subinde a Cæsaribus civitatem, uti postea dicetur, aliunde liqueat. Adde etiam, quod Civis Romanus alterius quandoque civitatis jus, eorundem Cæsarum voluntate, habuerit: ut istud vel e Dionis Prusæensis de avo ac patre, ut de ipsomet jam nihil dicam, verbis licet omnino percipere: *d* ὁ μὲν γὰρ πάππος ὁ ἐμὸς μετὰ τῆς μητρὸς τῆς ἐμῆς, ἀλλὰ τῷ τότε αὐτοκράτορι φίλος ὤν, ΑΜΑ ΤΗΣ ΡΩΜΑΙΩΝ ΠΟΛΙΤΕΙΑΣ ΚΑΙ ΤΗΣ ΥΜΕΤΕΡΑΣ ἔτυχεν. ὁ δὲ πατὴρ παρ᾽ ὑμῶν. *avus enim meus*

a Grut. Thes. CLXXXIV. 3. *b* pro Archia c. 5.
c pro Balbo c. 28 *d* cap. 3. *e* pro Domo c. 83.
f l. XIII. Epist. 19. *g* pro Domo c. 78.
h leg. XVII. D. de Legat. 3. *i* leg. II. D. de Pœnis.
k Idem leg. VI. D. de Interd.
l Marcian. leg. XVII. D. de Pœnis. *m* pro Domo c. 79.

n l. XIII. Epist. 4. *o* Fragm. Hist. l. I.
p pro Domo c. 78. *q* pro Balbo. c. 25. *r* p. 638.
s l. II. c. VIII. 5. *t* l. VI. c. IV. 4. *u* Annal. IV. c. 43.
x l. VI. p. 402. *y* pro Balbo c. 29 *z* l. XXV. c 4. *a* pro Balbo. c. 28.
b Leg. III. §. 3. D. de Capt. & Postlim. *c* pag. 51. T. I.
d Orat. XLI. p. 500.

cum

cum matre ab illo tum Imperatore, qui ei erat amicus, SIMUL ROMANAM CIVITATEM ET VESTRAM adeptus est: pater autem a vobis. Transiisse autem vulgo ad liberos posterosque, datam semel cuipiam a Republica, vel a principe Romanam civitatem, aliunde notum est; nec *e* Caligulæ, qui tamen & filio id jus relinquendum statuebat, sed aliis dein posteris adimendum, ratio ea in re habita deinceps legitur. Utrumque vero illud, de quo hic agebatur, Romanam nempe civitatem amittere, aut alterius simul esse civitatis participem, erat, ut de hisce loquitur Cicero, extra *f præclara atque divinitus inde a principio Romani nominis constituta jura:* nempe, ut de iis ait ibidem: *ac ne quis nostrum plus quam unius esse civitatis posset:* addita etiam ejus rei caussa, *dissimilitudo enim civitatum varietatem juris habeat necesse est:* tum, *ne quis invitus civitate mutetur:* nec, quod postremo addit, *in civitate maneat invitus.*

B

VII. Neque vero, quod obiter hic notandum est, primum illud, ne quis Romanus plus quam unius civitatis esset civis, natis in Romanorum municipiis civibus ullatenus obsuit; quin iidem cum in patria, in qua nati erant, aut ea orti; tum Romæ in cujus civitatem erant recepti, magistratus gererent: quod non adeo duarum diversarum urbium, quam unius, etsi aliqua inter eas privati juris, qua de re postea dicetur, esset varietas, cives censerentur. Quam in rem præclarus exstat apud Ciceronem de Legibus, & qui præteriri hic non debet, locus: *g* ubi, quum in Ciceroniana ad Arpinum municipium villa, se eo loco vel maxime delectari, Attico suo dixisset Tullius; & quidem quod hæc esset, seu Arpinum, sua & fratris sui, Quinti nempe tum præsentis, *germana patria:* quærit continuo *h* Atticus, numquid *duas* haberent *patrias?* & annon esset illa *una patria*, Roma nempe, communis? nisi forte, quod addit, *sapienti Catoni fuit patria, non Roma, sed Tusculum:* Ad quæ autem regerit Tullius: *ego me hercule illi & omnibus municipibus DUAS esse censeo PATRIAS: unam naturæ, alteram CIVITATIS. Ut ille Cato, cum esset Tusculi natus, in populi Romani civitatem susceptus est: itaque cum ortu Tusculanus esset, CIVITATE Romanus, habuit alteram loci patriam, alteram juris.* Quod quum Atticorum exemplo illustrasset Cicero, qui Sunii iidem forent ac Attici; addit, ac ut potiorem quidem, inter duas illas municipum patrias, Romæ rationem habendam doceat: *i sic & nos eam PATRIAM ducimus, ubi nati, & illam, qua excepti sumus. Sed necesse est, caritate eam PRAESTARE, qua Reipublica nomen universæ CIVITATIS est: pro qua mori, & cui nos totos dedere, & in qua nostra omnia ponere & quasi consecrare debemus:* dein, *itaque ego hanc meam esse PATRIAM*, Arpinum nempe, *numquam negabo: dum illa*, h. e. Roma, *sit MAIOR, ET HAEC IN EA CONTINEATUR.* Quibus postremis utique verbis, luculenter, id quod paullo ante adtigeram, adstruitur; quod etsi duas patrias haberent id genus municipes, eam, in qua nati erant, & Romam, in cujus civitatem erant adscripti, *φύσει* nempe unam, ut vulgo Græci ea in re ajunt, alteram *θέσει*, unius tamen civitatis, Romæ nempe, in qua prior seu *naturalis patria* includeretur, non vero duarum urbium cives iidem vulgo censerentur. Unde etiam, & quod hæc haud parum illustrat, profectum legitur illud Mæcenatis apud Dionem consilium; quo is omnibus in orbe Romano, ac proinde extra Italiam quoque, dandam suadebat

C

D

E

e Sueton. in Caligul. c. 38.
f pro Balbo. c. 25. *g* lib. II. c. 1. *h* Ibid. c. 2.
i Ibid. c. 2. *k* Annal. IV. c. 43.

A

civitatem: ut iidem deinceps *unam revera urbem*, Romam nempe; *ea vero in quibus nati erant, oppida, agros tantum & vicos reputarent*, καὶ πάντας, μηδ' ὄντας πόλιν, τὰ δ' ἐν σφέτερα, ἀγροὺς καὶ κώμας νομίζοντες εἶναι. Quomodo vicissim de illo Vulcatio Moscho in exilium a Romanis pulso, & a Massiliensibus, ut paullo ante dictum, in civem recepto, dicitur ibidem apud *k* Tacitum, *bona sua Reipubl. eorum, ut PATRIAE relinqueret.* Ut proinde duplex eidem Vulcatio fuerit *patria;* naturalis quidem, Roma, unde fuerat in exilium pulsus, seu Romanum aliquod municipium: altera vero in quam idem receptus, eaque inde, quod ait Cicero, *major* seu potior ejus *patria* Massilia; cujus nempe unius urbis civis est deinceps habitus. Quomodo etiam, ac unde hæc rursus elucidantur, quum sequentibus temporibus sub M. Antonino Imperatore, civitate Romana donati essent, quicunque in Romani orbis provinciis aut oppidis delecti erant milites, ut præsidiarii in imperii limitibus constituerentur; ea conditione id factum ab Aristide, qui hoc refert, dicitur; ut iidem continuo naturalem patriam amitterent, immo ne profiteri quidem eam præ pudore deinceps vellent. Quæ cum singularia sint ejus rei documenta, nec alibi facile, quod equidem sciam obvia, ipsa Græci Oratoris ea de re ad Imperatores verba hic adponere, haud erit, ut opinor, inconsultum: *l* καὶ ὡς εὕρετε, ὁμοῦ ΤΗΣ ΤΕ ΠΑΤΡΙΔΟΣ ΑΠΗΛΛΑΞΑΤΕ, καὶ τὴν ὑμετέραν αὐτῶν πόλιν ἀντέδωκατε αὐτοῖς. ὥστε καὶ αἰσχυνθῆναι καὶ τὸ λοιπὸν αὐτοὺς ἐκείνους γ' ἂν εἰπεῖν, ὅθεν ἦσαν τὸ ἀρχαῖον. ποιησάμενοι δὲ ΠΟΛΙΤΑΣ, οὕτω καὶ ΣΤΡΑΤΙΩΤΑΣ ἐποιήσατε. ὥστε τούς τε ἀπὸ τῆς πόλεως μὴ στρατεύεσθαι, καὶ τοὺς στρατευομένους, μηδὲν ἧττον εἶναι πολίτας. dein de iisdem: ΠΟΛΙΤΕΙΑΣ ΤΗΣ μὲν ΑΡΧΑΙΑΣ ΑΠΟΛΙΔΑΣ μὲν γεγενημένους ἅμα τῇ στρατείᾳ, τῆς δὲ ὑμετέρας πολίτας τε καὶ φρουροὺς ἀπὸ τῆς αὐτῆς ἡμέρας, *quos* (nempe qui e provincialibus ad tutandos imperii limites mitterentur) *ut invenistis, simul & SUA quemque PATRIA LIBERASTIS, & VESTRA CIVITATE vicissim DONASTIS: ita ut non ausint deinceps præ pudore antiquam profiteri originem: CIVITATE vero donata MILITES eos effecistis, ut jam nec cives vestri militent, & qui militant cives nihilominus sint: quum & ANTIQUAM CIVITATEM AMISERINT, & VESTRI sint ab eodem tempore CIVES ac præsidiarii constituti.* Quomodo *ἀπόλιδες* alioquin in penu Romanarum legum, quod paullo ante vidimus, ab *m* Ulpiano dicuntur & *n* Marciano, non, qui amissa patria civitate, Romanam fuerant, ut hi milites, consequuti; sed qui in opus publicum perpetuo dati, aut in insulam deportati, Romanam civitatem amiserant, ac inde *extorres*, seu *sine civitate*, ut ea vox *ἀπόλιδες* ibidem ad litteram redditur, habebantur. E quibus autem Aristidis verbis liquet, meliori fuisse conditione municipes, quibus duas fuisse patrias, ut modo vidimus, docet Cicero, unam *naturæ* seu *loci*, alteram *juris:* neque hunc Consularem, instar illorum militum, erubuisse, suam, qua ortus erat, patriam profiteri, de qua ibidem ait, *o itaque ego hanc meam esse PATRIAM, Arpinum nempe, numquam negabo.* Adde, quod de Hermogeniano, qui ultimus in catalogo veterum Jurisconsultorum, unde Romanarum legum corpus est conflatum, recensetur, dicitur: *p MUNICEPS esse desinit, Senatoriam adeptus dignitatem, quantum ad munera: quantum vero AD HONOREM, RETINERE creditur ORIGINEM*, sui nempe, ut vere ibi notant interpretes, municipii: ac prout a Paulo ibidem dicitur, *q Senatores & eorum filii* &c.

F

l Orat. in Romam. p. 380. *m* Leg. 1. §. 2. D. de Leg. III. *n* Leg. XVII. D. de Pœnis. *o* de Legib. l. 2. c. 2.
p Leg. XXIII. D. ad municip. *q* Leg. XXII. §. 5. eod. 2.

ORI-

ORIGINI eximuntur, licet municipalem possideant dignitatem. [r] Qua proinde ratione factum intelligimus, ut, sicut Mamilius, Tusculi Dictator, antiquis urbis temporibus apud Livium dicitur; aut *M. Portius Celsus Dictator Municipi Caritum* legitur in veteri [s] lapide. Ita Milo Lanuvii, in naturali nempe patria Dictator, quod rursus e [t] Cicerone constat, exstiterit; & quidem eodem tempore, quo idem Milo Romæ, post alios honores ibi gestos, ac proinde dudum Senatoriam, quod de municipe ait Hermogenianus, adeptus dignitatem, Consulatum peteret: aut Ciceronis filius, Ædilis apud municipes suos Arpinates, idque patris, quod ipse in [u] Epistola ad D. Brutum testatur, voluntate factus, quique solus, eodem teste, in illo suo municipio magistratus crearetur. Quomodo insuper de quodam Catinensi L. Manlio ait alibi Cicero: [x] *est una cum reliquis Neapolitanis civis Romanus factus, Decurioque Neapoli.* Unde etiam, ut hoc præterea addam, & quod inde illustratur, contigit, ut sequutis temporibus Hadrianus Imperator, prout de eo refert in ejus vita Spartianus, [y] *in Hetruria Prætorem Imperator egit: per Latina oppida & Dictator, & Ædilis, & Duumvir fuit: apud Neapolitanos Demarchus: in PATRIA SVA Quinquennalis, & dein Adria Quinquennalis, quasi in alia patria.* Erat enim pridem Lege Julia, ut ea de re mox dicetur, data civitas omnibus illis per Latium ac dein per Italiam oppidis; ea vero, quæ *patria* ejus ibidem vocatur, qua nempe orti erant Hadriani majores, seu qualem *originis* nomine dici in libris veterum Jurisconsultorum modo vidimus, Hispaniæ urbs Italica, municipii nomine ac jure, jam Augusti, ut e nummis ejus, & de qua re infra, constat, temporibus ornata legitur. Id forte adtentione magis ibi dignum, quod idem Hadrianus Athenis Archon exstitisse, & apud [z] Dionem similiter aut Xiphilinum, dicitur; quum nec dum Athenas eo ævo Romana civitate donatas constet; ac præterea, quod e Demosthene supra jam adtigi, novo etiam apud Athenienses civi, non liceret Archontis munus, uti nec ullum sacerdotium, capessere. Adeo ut præter solita civium Romanorum aut Atheniensium etiam jura, & pro ea quidem, quæ supra leges Augusto data jam fuerat, ac dein ejus successoribus, potestate, id ab Hadriano factum statuere liceat. Sed qua de re opportunior, ubi de haud dissimili Gallieni facto, quo is Athenis Archon fuerit, ac inde civis ibidem adscribi, & sacris omnibus Atheniensium interesse voluerit, ut ea de re in ejus vita [a] Pollio, agendi erit in sequentibus locus.

VIII. Quum vero, ut institutam hic commentationem persequamur, major paullatim dignatio Romanæ civitatis evasisset; aucta illius urbis potentia, & amplificato per Latium ac Italiam Imperio; haud mirum, si juris illius gratia, pro insigni beneficio, vel *ad augendam rem Romanam*, ut ea de re ajebat, post devictos Latinos, [b] Camillus; seu *honoris caussa*, ut alibi a [c] Livio dicitur, fuerit bene meritis subinde, aut subactis etiam ejusdem Latii vel Italiæ oppidis ac populis impertita. Cujus autem beneficii, sicut datæ devictis quondam Latinorum populis ac Hernicis civitatis, seu, ut eam vocat, *ἰσοπολιτείας*, prima, ut observo, occurrit apud [d] Dionysium Halic. mentio, ad Consules anni V. C. CCLXVIII, Spurium Cassium & Proculum Virginium, ac proinde interjectis solum viginti quatuor annis, a pulsis Regibus ac parta libertate. Ibi enim inducitur se jactans Cassius; quod secundo suo consulatu, ac proinde jam anno urbis CCLXI, Latinos Romanorum cognatos & ingenii gloriæque æmulos, *in amicitiam populi Romani perduxerit, concesso AEQVO nobiscum CIVITATIS IVRE, ita ut ROMAM non amplius adversariam, sed PATRIAM vocent, εἰς φιλότητα συνήγαγε, ΤΗΣ ΙΣΟΠΟΛΙΤΕΙΑΣ μεταδούς, ὥστε μηκέτι ἀντίπαλον, ἀλλὰ ΠΑΤΡΙΔΑ ΤΗΝ ΡΩΜΗΝ ἡγεῖσθαι.* Ita Hernicos, & quidem proprio ejus arbitratu, in easdem pacis conditiones, ac in civitatem, tertio illius consulatu, ab eodem Cassio acceptos, cum ante [e] memorat Dionysius, tum paullo post apud eundem Sempronius Atratinus: [f] *Ἑρνικας μὲν γὰρ καὶ Λατίνους, οἷς νυνὶ δεδώκαμεν τὴν ἰσοπολιτείαν, Hernicos enim & Latinos, quibus recentissime æquum jus nobiscum civitatis dedimus:* & quod utrumque huic Cassio, vitio in sequentibus apud eundem Dionysium vertitur, quod ille & Latinis [g] *ἰσοπολιτείαν* dederit, & Hernicos, *πολίτας τε ἀντὶ ὑποτελῶν, cives pro tributariis fecerit.* Addit vero idem [h] Auctor, accitos a Cassio ad ferenda suffragia de lege, quam promulgare volebat, agraria, novos illos e Latinis & Hernicis cives; contrarium edicente altero consule Virginio. Adeo, ut inde statuere liceat, vix elapsis septemdecim annis a parta libertate, aliquot Latinorum populis, foederis, quod cum iis percussum est, & cujus meminit idem [i] Dionysius (uti etiam, sed citra juris illius mentionem, [k] Livius, ac similiter [l] Cicero) annis aliquot interjectis, Hernicis civitatem datam: non tamen cum expressa suffragii commemoratione: quod illis tamen, ut adscitis civibus, concedi debere contendebat Cassius; negabat autem alter Consul Virginius. Qua ratione etiam factum videtur, ut sequutis dein temporibus, ne scilicet illud ambigui dein juris remaneret, aliis deinceps Latinorum vel sociorum populis, pro diversa nempe eorum conditione, aut in populum Romanum studio, civitas, modo cum jure suffragii, modo sine eodem jure, impertita diceretur. Cujus rei auspicium a Cæretibus factum observat Gellius: [m] *primos autem municipes, sine suffragii jure Cærites esse factos accepimus:* nempe ob sacra populi Romani, ut ea de re Livius, bello Gallico ab iis recepta, ac proinde anno demum V. C. CCCLXIV. atque ita centum & aliquot annis, post donatos civitate, juxta Dionysium, ut modo vidimus, aliquos Latinorum populos, ac paucis dein annis interjectis, Hernicos. Quod alioquin discrimen datæ antiquitus Romanæ civitatis, modo cum jure ferendi suffragii & capiendi in urbe muneris, unde [n] *municipiorum* iis, quæ eo donata erant, oppidis nomen; modo sine eodem jure, obvium apud eos, qui vetera urbis tempora adtigerunt, Scriptores, ac Livium potissimum, Vellejum, aliosque. Quomodo prius illud innuere videtur Livius, [o] ubi ad annum V. C. CCCCXV, Lanuvini, Aricini, Nomentani, Pedani, *in civitatem accepti:* aut Lanuvinis ac Tusculanis [p] *civitas data*, vel *servata*, sicut paullo post [q] Privernatibus quoque, dicitur: alterum, ubi mox [r] Campanis equitibus, Fundanis & Formianis, ac dein [s] Acerranis, alibi [t] Anagninis, *civitas sine suffragio*, cum restricto proinde nec pleno illius jure, concessa apud eundem legitur. Quod de Cam-

[r] Gruter. Thes. CCXIV. [s] l. III. c. 18.
[t] Pro Milone. c. 37. [u] l. XIII. Epist. II.
[x] Ibid. Epist 30. [y] cap. 20. [z] l. LXIX. p. 295.
[a] in Gallien. c. 11. [b] Liv. l. VIII. c. 13.
[c] Ibid. c. 14.
[d] l. VIII. p. 538. [e] Ibid. p. 542. [f] Ibidem.

[g] Ibid. p. 544 [h] Ibid. p. 538 [i] Ibid. p 537.
[k] l. II. c. 13. [l] pro Balbo c. 53. [m] l. XVI. c. 13.
[n] Ulpian. Leg. I. §. I. D. ad municipal.
[o] l. VIII. c. 14. [p] Ibidem 12. [q] Ibidem c. 21.
[r] Ibidem c. 14. [s] Ibidem c. 17.
[t] l. IX. c. 43.

pani-

panis, in genere, parteque Samnitium, quibus *data est civitas sine suffragio*, tradit itidem *u* Vellejus: mox vero de Fundanis quoque & Formianis, quod iidem interjecto triennio sint *in civitatem recepti*. Haud aliter ac apud Livium, *x Arpinatibus Trebulanisque civitas data* solum dicitur: qui tamen Arpinates, una cum memoratis modo Formianis Fundanisque, suffragii demum jus post centum & quindecim annos sunt consequuti: sicut rursus ex eodem Livio liquet, ad Consules anni Urbis DLXV. *y de Formianis Fundanisque municipibus & Arpinatibus C. Valerius Tappus tribunus plebis promulgavit, ut iis suffragii latio (ANTE SINE SUFFRAGIO habuerant civitatem) esset.* Quod agnoscit etiam *z* Festus; nisi quod hisce Fundanis, Formianis & Acerranis, Lanuvinos, Tusculanos, praeter Cumanos adjungit; qui omnium rerum ad munus fungendum fuerint cum civibus Romanis participes, *praeterquam de suffragio ferendo, aut magistratu capiendo: qui autem populi seu municipes*, ut continuo addit, *post aliquot annos cives Romani effecti sunt.* Quum tamen Fundani & Formiani, ut e Livio modo diximus, interjectis centum & quindecim annis, sint demum adepti jus suffragii: hosce vero Lanuvinos, uti memoratos supra Latii itidem populos, Aricinos, Nomentanos, Pedanos, accepta civitate in tribum continuo conjectos, in qua suffragium tulerint, ac censos, e *a* proximis aliisque in eodem Livio verbis constat. Tusculanis vero non data tum primum, sed, quod ibi a Livio dicitur, *b servata, quam habebant, civitas:* nempe quam antea jam iis datam, *c* alibi retulerat idem Auctor, eamque, ut hoc addam, cum optimo civium Romanorum jure, quod adstruunt insuper Dionysii Halic. ea de re in *d* Excerptis Valesianis verba: ubi Romani, Tusculanis, a quibus bello fuerant lacessiti, poenae loco ΠΟΛΙΤΕΙΑΝ *ἔγνωσαν, τοῖς πρατηθεῖσι χαρίσασθαι,* ΠΑΝΤΩΝ *μεταδόντων, ὧν τοῖς φύσει Ῥωμαίοις μετῆν.* *CIVITATEM victis dare decreverunt, OMNIA JURA, quaecunque indigenis civibus competebant, eis IMPERTIENTES*, ac proinde jus quoque suffragii. Quod firmare videtur etiam Tullius, a quo Tusculum *e antiquissimum municipium* dicitur: alibi, quum Romuli exemplo, Sabinos in civitatem adsciscentis, numquam a majoribus intermissam civitatis largitionem dixisset, id Lanuvinorum ac Tusculanorum ante alios commemoratione comprobat *f: itaque & in Latio multi & Tusculani, & LANUVINI, & ex caeteris gentibus, gentes universae in civitatem sunt receptae, & Sabinorum, Volscorum, Hernicorum.* Quomodo nempe de Sabinis ait *g* Vellejus, quod iis Manio Curio & Cornelio Rufino consulibus, h. e. anno V. C. CDLXIII, sit *civitas sine suffragio data:* mox autem, post viginti quinque annos, sub consulatu nempe Sempronii Sophi, & Appii Claudi Caeci filii, *h suffragii ferendi jus Sabinis datum.* Volscorum autem civitates, partim in municipia civium Romanorum, ut de Priverno paullo ante vidimus, anno V. C. CDXXI, transierunt: partim potiora seu nobiliora eorum oppida, Antium, Anxur, Cusinum, Circeji, Norba, Setia, Signia, Velitrae, in totidem Romanorum colonias, ut e variis ejusdem *i* Livii locis liquet, sunt jam antiquitus conversa. Hernicorum vero, quos juxta Sabinos & Volscos, in civitatem acceptos tradit memoratis modo verbis Tullius, & quibus datam jam a Spurio Cassio, primis liberae Urbis temporibus, civitatem, e gravissimo auctore Dionysio paullo ante vidimus, eorum, inquam, tribus populis Alatrinati, Verulano, Ferentinati, quod deficientibus aliis, in fide Romanorum manserint, pro civitate, quia id maluerunt, suas leges, anno V. C. CDXLVII redditas, docet *k* Livius: Anagninis vero, aliisque Hernicis, qui arma Romanis intulerant, datam, ut id quoque supra jam adtigi, sine suffragio civitatem. Quos tamen Anagninos inter eos Festus, seu apud eum Paulus refert, quorum *l civitas universa in Romanam civitatem venit*, h. e. qui optimo jure civium Romanorum, suffragii proinde ac honorum, sunt deinceps usi, & de quibus, ut *municipibus Anagninis* loquitur alicubi *m* Tullius; sed quo tempore jus illud suffragii, non municipiis solum, quae prius eo caruerunt, verum toti Latio, immo universae Italiae ita tum dictae, erat jam indultum. Mitto quod apud eundem Paulum vel Festum, praeter Aricinos, quibus datam cum suffragiis civitatem, e Livio vidimus, Caerites ibidem conjunguntur: quos tamen municipes sine suffragii latione esse factos testatur, ut paullo ante vidimus, *n* Gellius; ac ante illum *o* Strabo eo nomine Romanos ut ingratos redarguit, qui bene meritos de iis bello Gallico Caerites, non pleno jure civitatis continuo donaverint; immo alios, qui itidem non aequali caeteris civibus jure fruerentur, in Caeritum tabulas referri deinceps dixerint. Quum tamen post datam cum suffragii jure, qua de re mox, Latio civitatem, aut forte jam ante, eo quoque gavisos Caerites, liceat omnino statuere. De quo caeteroquin municipio intelligi debet Frontinus, *p Ceretium* (seu *Caeritum*) *municipium familia Marsi obsidebat:* & cujus municipii praeclara exstat adhuc & antiqua *q* inscriptio, de qua jam ante est facta mentio. Meminit vero alibi Livius, & quidem diu ante civitatem lege Julia Latio impertitam, Latinorum, qui in judicio M. Postumi Pyrgensis publicani, suffragium ferre debuerunt *r*: *testibus datis, tribuni populum summoverunt, sitellaque allata est, ut sortirentur, ubi Latini suffragium ferrent.* Quae postrema verba vitii coarguit is, cui Livius aliique optimi veteris Latii Scriptores plurimum debent, J. F. Gronovius; tueri vero conatur nuperus Livii apud Gallos editor, dum ex Latinorum urbibus civitate donatis, multos Romae esse potuisse, qui invitantibus tribunis, suffragia ferrent, & qua in re praeeuntem habuit, a quo id hausit, *f* Sigonium, existimat: quodque, ut is addit, fieri non potuerit, nisi prius certa tribus sorte iis Latinis adsignaretur. Neque illud frustra dici videtur: quum pridem plura exstarent in Latio civium Romanorum, & quidem cum jure suffragii, municipia; prout de Tusculanis, Lanuvinis, Aricinis, Nomentanis, Pedanis, aliisque, jam ex eodem Livio vidimus. Verum & illud quoque, quod non adtendit vir doctus, & quod magis adhuc miror, omnis bujus juris & antiquitatis optimus caeteroquin auctor *t* Sigonius, e Livio rursus constat; eosdem Latinorum populos, ubi pridem data eis fuisset cum jure suffragii civitas, inde continuo in novas tribus, in quibus illi suffragia deinceps ferrent, fuisse conjectos. Adde, quod non id a tribunis plebis fieret, aut ipso ferendi suffragii tempore, quum jam tribus ad suffragia vocari, seu eas sortiri conveniret, quae nempe ex ipsis fieret praerogativa; sed a censoribus lustro condito, cum civium census ab iis ageretur. Ita, quod utrumque mododictum

u l. 1. c. 14 *x* l. x. c. 1. *y* l. xxxviii. c. 26.
z in *Municipium.* *a* l. viii. c. 14 17. *b* Ibid c. 14
c l. vi. c. 26. *d* pag. 530. *e* pro Plancio c. 19.
f pro Balbo c. 31. *g* l. 1. c. 14 *h* Ibidem.
i l. vi. c. 12. 21. vii. c. 42. viii. 13. 25. &c.

k l. ix. c. 43. *l* in *Municipium.* *m* pro Domo c. 81.
n l. xvi. c. 13. *o* l. v. p. 220.
p de Coloniis pag. 135. ed. goes.
q Thes. Gruter. p. ccxiv.
r l. xxv. c. 2. p. 51. *f* de Ant. Jur. Ital. l. 1. c. 4. *t* Ibidem.

adstruit

adstruit, post memoratos paulo ante aliquot Latinorum populos, Lanuvinos, Aricinos, &c. in civitatem cum jure suffragii adscitos, Livius u: *eodem anno census actus, novique cives censi, tribus propter eos additæ, Mæcia & Scaptia: censores addiderunt, L. Publius Philo, Sp. Postumius*: & alibi, ubi Formianis Fundanisque municipibus & Arpinatibus datam, qua caruerant hactenus, suffragii in Urbe lationem dixisset x: *rogatio perlata est, ut in Æmilia tribu Formiani & Fundani, in Cornelia Arpinates ferrent; atque in his tribubus tum primum ex Valerio plebiscito censi sunt.* Adeo ut hæc procul dubio doctissimum J. F. Gronovium, nec immerito induxisse videantur; ut is alienam omnino *Latinorum* in iis Livii verbis mentionem, indeque ibi a veteri librorum lectione discedendum sibi existimaverit.

IX. In quem vero Romanorum civium censum collocandi similiter veniunt, qui *jure Latii*, seu gestis in patria, quæ Latio donata erat, magistratibus, inde jus Romanæ civitatis adepti censebantur: atque adeo, ut pateret tum iis Romæ ad suffragia & honores aditus; sicut adhuc Trajani ævo id tangit in ejus Panegyrico Plinius: y *his quoque quibus per Latium civitas Romana patuisset.* Quod de Nemausi in Gallia, Latini quippe juris, incolis observat z Strabo, ac vidit jam, ubi ea de re agit, a Sigonius; ut qui ædilitatem ac quæsturam in eadem civitate gesserant, cives Romani haberentur: ac de Novocomo sub Alpibus, ac vel utriusque Plinii natalibus nobilitato haud parum oppido, quod illo Latii jure donaverat, antequam rerum potiretur, J. Cæsar, refert b Appianus; ut qui annuum ibidem obirent magistratum, cives Romani continuo fierent. Etsi, quod subdit idem Auctor, nulla indulti hisce Novocomensibus a Cæsare beneficii, seu juris illius Latii, habita fuerit a Marcello consule, ob infensum ejus in Cæsarem animum, ratio: quippe qui ex horum Novocomensium numero quendam apud suos magistratu functum, ac ob id se pro cive Romano ferentem, in Cæsaris contumeliam, tanquam peregrinum, virgis cædi jusserit: quæ poena civi Romano quantumvis sonti, ut aliunde etiam, ac vel e D. Pauli, ob hanc illatam sibi insignem contumeliam, eo nomine justissime conquerentis c verbis constat, neutiquam infligebatur. Quod alioquin Marcelli factum a d Plutarcho itidem tangitur; ac præterea, sicut etiam a e Suetonio, quod illis Novocomensibus, quos Cæsar deduxerat, impertitam ab eo civitatem (nec proinde jus demum Latii, quod tradit Appianus) tanquam *per ambitionem & ultra præscriptum datam*, iidem consules Marcellus ac Lentulus continuo ademerint. Datam vero hisce Novocomensibus colonis a Cæsare civitatem, memorat quoque f Strabo: & quod oppidum alioquin a Rhœtis adflictum, a Pompejo Strabone Magni patre, jam antea instauratum, idem Geographus refert; ac proinde cui jus illud Latii, sicut reliquis g Transpadanis, qua de re postea dicetur, non vero civitatis Romanæ, fuerat ab eodem Pompejo concessum. Neque enim idem fuisse jus Latii, quod Romanæ civitatis? nec proinde Latinas colonias civium Romanorum jus habuisse, nisi quatenus per illud Latium, seu per gestos in patria, quæ illo jure Latii gaudebat, magistratus, id beneficium consequebantur, e Cicerone, Livio, & aliunde viderunt jam viri eruditi, ac monuit præ aliis diligentissimus h Sigonius. Hinc illud Livii i: *NOVUM JUS eo anno a Ferentinatibus tentatum, ut LATINI, qui in coloniam Romanam nomina dedissent, CIVES ROMANI essent.* k Cicero autem Spoletani cujusdam T. Matrinii meminit, qui ex ea Latina colonia a C. Mario fuisset civitate donatus. Adeo, ut quanquam e Romanis civibus constarent subinde dictæ illæ Latinæ, seu deductæ cum jure Latii Romanorum coloniæ, prout a Cicerone, quem locum paullo ante adtigi, dicitur, l *qui Cives Romani in colonias Latinas proficiscebantur*: eosdem tamen colonos ne privato quidem Quiritium jure usos liquet, sed civitatem etiam, quamquam voluntate, non vero invitos, amisisse: Docet id cum eodem loco, tum alibi adhuc Cicero m: *certe quæri hoc solere me non præterit (ut ex me ea, quæ tibi in mentem non veniunt, audias) quemadmodum, si civitas adimi non possit, in COLONIAS LATINAS sæpe NOSTRI CIVES profecti sint, aut sua voluntate, aut legis multa profecti sunt; quam multam si sufferre voluissent, tum manere in civitate potuissent.* Unde etiam mediam capitis diminutionem passos, qui in Latinas colonias mitterentur, cives Romanos, tradit Boethius eo loco quem jam n Sigonius vidit, sed cujus verba paullo aliter idem refert. ita vero se habent o: *media vero* (nempe capitis diminutio) *in qua civitas amittitur, retinetur libertas, ut in Latinas colonias transmigratio*; hoc est, quod tanquam ibi ab ipso Boethio explicatum, neque tamen ibidem legitur, adducit inde Sigonius, *neque connubii, neque testamenti, neque municipii, aut nexus, aut patriæ potestatis jus, quod erat proprium civium Romanorum, habuisse.* Quo loco illud præterea observandum, dictos olim sub Romanis Cæsaribus, & quorum apud p Ulpianum, ac in veteri præterea juris Fragmento, quod edidit q Pithœus, fit mentio, *Latinos colonarios*: ad discrimen nempe *Latinorum*, seu *libertorum*, qui post legem de iis a Junio Norbano sub Augusto latam, *Latini Juniani*, ac *Latini liberti*, & *Latina* de iisdem *libertas* ac *Latinitas* dicuntur, cum in iisdem r Fragmentis, tum in libris Juris s Justinianei, & in t Codice Theodosiano. Ii enim *Latini liberti*, aut de iis *Latinitas*, ut in Justiniani, qua est eadem *Latinitas* sublata, u constitutione, dicitur, *ad similitudinem antiquæ LATINITATIS, quæ in colonias missa est*, inducta: seu, ut in Pithœi x Fragmento traditur, *sed nunc habent propriam libertatem, qui inter amicos manumittuntur, & fiunt LATINI JUNIANI: quoniam lex Junia, quæ libertatem eis dedit, exæquavit eos LATINIS COLONARIIS, qui tunc erant CIVES ROMANI, & nomen suum in COLONIAM* (non ut ibi in Batava Leewii, aut in antiquioribus etiam editionibus legitur, *in civitatem*) *dederant.* Id autem Fragmentum Græce, e qua lingua illud conversum esse constabat, in veteri manuscripto codice sibi aliunde suppeditato exstare, observat in y libro de Modo Usurarum vir maximus, & cujus eadem inde verba adducit, ac inde in Latinis a Pithœo editis supplenda existimat: nempe ἐπειδὴ νόμος Ἰούνιος, ὃς τὴν ἐλευθερίαν αὐτοῖς ἔδωκεν, ἐξίσωσεν αὐτοὺς ΛΑΤΙΝΟΙΣ ΚΟΛΩΝΑΡΙΟΙΣ, οἳ τότε ἦσαν ΠΟΛΙΤΑΙ ΡΩΜΑΙΟΙ ΑΠΕΛΕΥΘΕΡΟΙ, ὄνομα ἴδιον εἰς τὴν ΚΟΛΩΝΙΑΝ ἐπιδεδώκεσαν, qui-

u l. VIII. c. 17. x l. XXXVIII. c. 36. y cap. 37.
z l. IV. c. 187. a de Ant. Jur. Ital. l. I. c. 4.
b Bell. Civ. l. II. p. 443. c Act. XVI. 37. XXII. 25.
d in Cæsare p. 722. e in Cæsare c. 28. f l. V. p. 213.
g Asconius in Pisonian. h de Ant. Jur. Ital. l. I. c. 4.
i l. XXXIV. c. 42. k pro Balbo c. 48. l pro Domo c. 78.
m pro Cæcina c. 98. n de Ant. Jur. Ital. l. II. c. 3.
o Boeth. in Topic. Ciceron. l. II. p. 780.

p Fragm. Tit. XIX. §. 4.
q Post. Collat. Leg. Mosaic.
r Ulp. Tit. III. XVII. §. 1. XIX. §. 4. XX. §. 8. &c.
s Inst. de Libert. §. 4. de success. Libert. §. 4. Leg. unic. Cod. Inst. de Latin. Libert. toll.
t Leg. un. Cod. Theod. de Hered. Petit.
u Leg. unic. de qua ante. x Post. Collat. Leg. Mosaic.
y cap. XIX. p. 877. 878.

bus respondent Pithœana modo adlata, nisi quod in iis, ut notat *ὁ πάνυ*, *qui cum essent cives Romani liberti*, vox illa *liberti*, quæ est in Græcis, nempe *πολίτας Ῥωμαίοι ἀπελεύθεροι*, desit, quæ omnino restituenda. Interest enim, ut addit ibidem vir magnus, scire, de quibus Romanis civibus intelligendum sit, qui in coloniam missi, *Latini colonarii* fiebant. Quamquam haud frustra eam vocem *liberti* a Latino interprete ibi omissam liceat, ut mihi equidem videtur, statuere. Neque enim e libertis demum constabant, quod tamen inde colligit Salmasius, quæ a Romanis olim seu e Romanis civibus deducebantur, dictæ ab iis *Latinæ coloniæ*; neque eædem ita appellatæ ad exemplum *Latinorum libertorum*, quales lege Junia Norbana sunt primum, ut in eodem Fragmento dicitur, & sub Augusto quidem inducti: sed inde, quod modo e Cicerone, Livio, Boethio vidimus, & viderat jam antea, ubi de iis agit, Sigonius, qui cum prisco Latii, non vero Quiritium, sicut Romanæ coloniæ, jure mittebantur in colonias cives Romani. Unde etiam sequentibus ætatibus *Latini colonarii*, sicut ab z Ulpiano, ac in eo Juris Fragmento vocantur, & quidem ad discrimen *Latinorum libertorum*, qui a civibus Romanis inter amicos manumissi, sed quibus non competebat jus Quiritium, dicebantur: ac inde, ut de iis aperte in adductis supra verbis Justinianus, *ad similitudinem ANTIQVAE LATINITATIS, quæ in COLONIS missa est*: quod nempe *Latini* illi *coloni* seu *colonarii*, sine civium Romanorum jure, ut jam diximus, olim deducerentur: non vero quod e *libertis* demum iidem constarent. Quis enim, ut alia mittam, & inductam primum, ut modo dictum, sub Augusto eam *Latinorum libertorum* appellationem; dum vel *Latium*, qua de re postea dicetur, universæ Hispaniæ a à Vespasiano; vel multis civitatibus ab b Hadriano datum traditur; vel alioquin *veteris Latii* donata jure oppida apud c Plinium legitur: hæc continuo de *Latina libertatis jugo*, sicut de eo loquitur d Salvianus, iis regionibus vel civitatibus, & pro singulari quidem beneficio, a Romanis Principibus impertito dicta unquam statuet? Adde datum, quod antea vidimus, per Latium, ad honores in urbe & magistratus adipiscendos aditum: a quibus tamen, & a Senatoriis etiam dignitatibus, immo adhuc sequiori ævo & Valentiniani III, quæ exstat in e Codice Theodosiano constitutione, *ab honoribus & palatina militia* exclusi erant in genere liberti; qui alioquin, exceptis Latinis hisce vel Dedititiis, cives Romani, ut postea de iis dicetur, erant & habebantur. Adeo ut Græci illius Fragmenti, e quo Latina Pithœana sunt conversa, auctor, seu qui eum forte interpolavit, sit e veteri ejus interprete potius emendandus: a quo vox ea *liberti*, de priscis illis *Latinis colonariis*; quasi e libertis demum ii constitissent, sit ibi opportune omissa. Neque vero minus, ut hoc addam, *Romani* apud Livium dicti, qui ex urbe seu e civium Romanorum numero, in Latinas id genus colonias erant missi; & Roma *antiqua* eorum *patria*: ubi nempe duodecim Latinas populi Romani colonias, militiam detrectantes, admonent consules f: *Non Campanos atque Tarentinos eos esse, sed ROMANOS. inde oriundos, inde in colonias, atque in agrum bello captum, stirpis augendæ caussa missos: quæ liberi parentibus deberent, ea illos Romanis debere, si ulla pietas, si memoria ANTIQVÆ PATRIÆ esset.* Idque pro consueto ac recepto pridem, ut hoc addam, metropoleon in colonias a se longinquas etiam in regiones deductas jure; seu pro ea, quæ inter parentes ac liberos, quomodo ii haud semel leguntur appellati, intercedere debuit, pietate ac necessitudine. Adeo ut etiam sacra, leges, ritus, magistratus, a conditoribus suis acciperent apud Græcos aliosve populos, deductæ ab iis coloniæ; (prout id de *Carthaginiensibus*, *Syracusanis*, *Phrygibus*, *Potidæatis*, *Ionibus*, Græcorum *Locris* &c. quos *Tyro*, *Corintho*, e *Thracia*, *Athenis*, *Locris Italicis*, seu Magnæ Græciæ, tanquam *antiqua* eorum *patria*, sacra, sacerdotes, legumlatores, corporis seu comæ cultum, vel annuos etiam magistratus, petere solitos, tradunt Thucydides, Polybius, Diodorus, Strabo, Plutarchus, aliique, & qua de re nos alibi, *ἐν Θεῷ*, plenius.

X. Quemadmodum vero *Latinæ coloniæ*, ut sæpe, quod modo vidimus, apud Ciceronem, Livium aliosque, dictæ, quæ cum jure Latii deducebantur, Romanorum etiam civium, coloniæ, ac inde uti ea de re mox, a Plinio, *Latino* aut *antiquo Latii* donata jure oppida; ita ad illarum coloniarum discrimen, appellatæ *coloniæ civium Romanorum*, aut solo etiam *coloniæ* nomine, quæ alio quam Latii, & potiori quidem, jure, deduci itidem a Romanis consueverant. Discrimen inter id genus colonias tangit cum alibi, tum ubi de colonis Aquilejam deducenda agit Livius g: *Illud agitabant, uti colonia Aquilejam deduceretur: nec satis constabat, an civium ROMANORVM deduci placeret: postremo LATINAM potius COLONIAM deducendam Patres censuerunt.* An autem hæ postremi generis, seu dictæ *Romanorum civium coloniæ*, Romanæ civitatis jura itidem, sicut de Latinis modo dictum, amiserint: an vero illæ eadem retinuerint, ut deinceps missi in eas urbes coloni, omnia civium Romanorum jura, & quidem suffragii etiam ac honorum in urbe adipiscendorum, habuerint, haud ita liquidum; apud eruditos certe, qui de hisce sunt commentati, aut ea cæteroquin adtigere, hactenus controversum legitur. h Sigonius quidem privata tantum, & quibus carebant Latinæ coloniæ, Quiritium jura; nempe quæ paullo ante dicta, libertatis, testamenti, connubiorum, patrium jus, legitimi dominii, nexus, & usucapionis: non vero publica, sicut census, tributorum, vectigalium, iis Romanorum civium coloniis relicta existimat, ut neque illud præcipuum suffragii & magistratuum Romæ petendorum jus. Hæc enim duo, etsi muta fere hac in parte ei videantur veterum monumenta, multis coloniis, ante civitatem, lege Julia, Latio ac dein Italiæ datam, patuisse, se adduci ut credat ait i Sigonius; nisi id, quomodo Latini, ut paullo ante dictum, per magistratus domi gestos sint adepti. A quo vero ea in re abit, qui hoc jam adtigerat, k Manutius, ac ferme recentium eruditorum cohors, qui illas civium Romanorum colonias, jus retinuisse suffragii, ac magistratuum Romæ gerendorum, arbitrantur: immo qui illud inter hasce & Latinas colonias discrimen, l se veteri etiam nummorum fide comprobare posse crediderunt. Equidem, ut ea monumenta seu testimonia, quibus niti potest hæc sententia, hic tangam, iis continuo videtur suffragari ipsa *civium Romanorum*, a Livio, ut modo dictum, ac a Cicerone, ad discrimen Latinarum coloniarum, tributa nomenclatio: tum, quod aperte m duobus locis supra memoratis Tullius, ubi eripi non potuisse nisi exsilio, vel tecti,

z Fragm. Tit. XIX. §. 4. a lib. III. c. 3. in fine.
b Spartian. in Hadrian. c l. III. c. 3.
d adv. Avarit. l. III. c. 7.
e Leg. III. C. Th. de Libertis f l. XXVII. c. 9.

g l. XXXIX. c. 56. h de Ant. Jur. Ital. l. III. c. 3.
i Ibidem k de Civitate Roman.
l Harduin. Antirrhet. p. 136.
m pro Cæcina c. 100. pro Domo c. 78.

aquæ & ignis interdictione, datam semel Romanam civitatem docet; quærit duntaxat, aut a se quæsitum tradit, quomodo tamen a Latinis coloniis amitteretur civitas, præterita omnis eam in rem, tanquam quod ad id illas non adtineret, earum coloniarum, quæ erant civium Romanorum, mentione. Quomodo etiam adductis jam ante apud Livium verbis, *n novum jus a Ferentinatibus tentatum* dicitur, *ut Latini qui in coloniam Romanam*, non Latinam proinde, sed Romanorum civium, *nomina dedissent*, *CIVES ROMANI essent*: haud aliter nempe ac ipsi Romani cives, qui in Romanam id genus coloniam deduci consueverant. Adde, quod servata subinde fuerit *civium Romanorum* aut *veterum civium*, de deductis pridem id genus coloniis, apud antiquos Scriptores appellatio; ut apud Livium de Velitris, Romana apud Volscos colonia *o*: *Veliternos veteres cives Romanos.* alibi jam ante *p*: *Veliternis, civibus suis, diu impunita defectio esset*. Unde etiam duodecim coloniarum, deferentibus ipsarum coloniarum censoribus, censum in urbe a Romanis, Censoribus M. Livio Salinatore & C. Claudio Nerone, actum, refert alibi *q* Livius. Quomodo eædem coloniæ, Romani populi seu urbis Romæ *quasi effigies parva simulacraque* dicuntur apud *r* Gellium; & mutata subinde municipiorum in colonias, uti ab Italicensibus in Bætica, & ab Afris Uticensibus, eorundem rogatu, factum tradit ibidem Hadrianus: quod vix unquam ab iis petitum statui posset, si ea mutatione omni illo suffragii seu adipiscendorum Romæ honorum beneficio, ac proinde optimo civitatis Romanæ jure, excidissent tum eadem oppida vel municipia. Quibus accedit crebra apud Ciceronem aut Scriptorem postremi de bello Gallico libri, ut infra videbitur, & conjuncta quidem municipiorum & coloniarum, quæ jus haberent suffragii, commemoratio. Ut jam illud mittam, e veteri Græcorum more petitum, quo communia fuisse civitatum inter metropoles & deductas ab iis colonias, civitatum jura videntur exstitisse: prout ortos e Locris in Græcia, alios Magnæ Græciæ Locros, inde inter alia contendit apud *ſ* Polybium Timæus, ob repertas apud priores Locros fœderum cum postremis tabulas, quibus *sancitum sit jus commune civitatis utrisque*, καθ᾽ ἃ πολιτείας ὑπάρχειν ἑκατέροις παρ᾽ ἑκατέρων. Unde etiam illud a Corcyræis, qui Corinthiorum erant coloni, apud *t* Thucydidem dicitur, colonos in colonias *mitti*, *non ut sint servi, sed ut cum iis qui domi remanserunt, æquales sint jure*, ἀλλ᾽ ἐπὶ τῷ ὁμοῖοι τοῖς λειπομένοις εἶναι, ἐκπέμπονται.

XI. Verum, ut quid de ea coloniarum, quæ e Romanis civibus constabant, conditione sentiam, & quia id flagitat argumenti, quod hic expendimus, tractatio, nunc aperiam: potior longe mihi videtur *u* Sigonii sententia, quæ jus omne suffragii & petendorum Romæ honorum, coloniis civium Romanorum, haud minus ac Latinis, aut nonnisi per jus Latii, de quo supra, seu per gestos in coloniis magistratus, abjudicat; solaque iis relicta existimat, ad Latinarum coloniarum discrimen, privata Quiritium jura. Adeo etiam, ut ea in re non *muta* mihi, sicuti *x* Sigonio, sed clara satis, quæ hanc opinionem firmant, exstare videantur, quæque id liquidum meo judicio reddant, *vetera monumenta*, & quidem Ciceronis, Livii, Dionis, ac, ut de aliis adhuc sileam, Plinii. Ciceronem quod adtinet, exstat insignis eam in rem in secunda Catilinaria locus *y*: *Hi sunt homines ex iis COLONIIS, quas Fesulis Sulla constituit: quas ego universas CIVIUM esse optimorum & fortissimorum virorum sentio: SED TAMEN HI SUNT COLONI, qui se insperatis repentinisque pecuniis sumptuosius insolentiusque jactarunt.* In quibus nempe verbis, Romani quidem *cives* dicuntur exstitisse, qui in eas deductas a Sulla colonias sunt profecti; sed ita ut dein non *cives* adeo, quam *coloni* sint habiti. Quo referri itidem debet, quod idem Tullius alibi memorat *z*: *A Saturnino Tribuno plebis lege lata, Mario decretum, ut in SINGULAS COLONIAS TERNOS CIVES facere posset.* neque enim id ad Latinas solum colonias, sed in genere ad *singulas*, quæ tum erant a Mario deducendæ, ac proinde dictas etiam Romanorum civium *colonias*, referri, satis, ut opinor, liquet. Apud Livium vero, post memorata paullo ante ejus verba, de tentato a Ferentinatibus novo jure, quo Latini, qui in coloniam Romanam nomina dedissent, cives Romani censerentur, illud continuo additur *a*: *Puteolos, Salernumque, & Buxentum adscripti COLONI, qui nomina dederant, quum ob id se pro civibus Romanis ferrent, senatus judicavit, NON esse EOS CIVES ROMANOS.* Eas autem colonias fuisse Romanorum civium, aperte docent, quæ brevi sequuntur, ejusdem Auctoris ea de re verba *b*: *Coloniæ civium Romanorum eo anno deductæ sunt Puteolos, Vulturnum, Liternum, triceni homines in singulas: item Salernum, Buxentumque coloniæ civium Romanorum deductæ sunt.* Dionis autem clara sunt, ubi de J. Cæsare, post victum in Hispania Sex. Pompejum, variis bene de se meritis in ea gente oppidanis beneficia largiente loquitur, verba; dum aliis agros, aliis immunitatem, *c* πολιτείαν τε τισὶ, καὶ ἄλλοις, ἀποίκους τῶν Ῥωμαίων νομίζεσθαι, *aliis civitatem, aliis autem, ut jus haberent coloniarum Romanarum*, dedit: quæ aperte satis utriusque illius juris, datæ nempe civitatis, aut vero juris Romanæ coloniæ, diversitatem docent. Eadem vero diversitas maxime apud Plinium, ac proinde adhuc ejus ætate, obtinuisse legitur; a quo in describendis imperii Romani provinciis, quæ in iis essent, civium Romanorum municipia, seu donata civitate oppida; quæ vero coloniæ, Romanæ nempe, seu privato, uti mox adhuc dicetur, jure Quiritium usæ; quæ autem Latinæ, seu cum Latii antiqui jure oppida, accurate ab eo distingui solent ac enarrari. Sic de ulteriori agens Hispania, seu Bætica, *d*: *Oppida omnia numero CLXXV. In iis coloniæ VIII: municipia VIII: Latio antiquitus donata XXII: libertate VI: fœdere III: stipendiaria CXX.* de citeriori vero Hispania *e*: *In iis coloniæ XII: oppida civium Romanorum XIII: Latinorum veterum XVIII.* Idem de Sardinia *f*: *Caralitani civium Romanorum, & Norenses: Colonia autem una, quæ vocatur ad turrim Libyssonis.* de Sicilia autem *g*: *Oppidum Messana civium Romanorum, qui Mamertini vocantur; Promontorium Drepanum, colonia Tauromenium: dein, Latinæ conditionis, Centuripini, Netini, Segestani &c.* Adde, ubi Lusitaniam describit *h*: *Tota populorum XLVI, in quibus coloniæ sunt, quinque: municipium civium Romanorum, unum: Latii antiqui, tria: Stipendiaria XXXVI. Coloniæ, Augusta, Emerita &c.* mox: *Municipium civium Romanorum, Olisippo, Felicitas Julia cognominatione. Oppida veteris Latii Ebora, quod item Liberalitas Julia & Myrtilis, ac Salatia.* Addc eundem de Africæ populis agentem *i*: *In his coloniæ VI. præter jam su-*

n l. XXXIV. c. 42. *o* l. VIII. c. 14. *p* l. VI. c. 21.
q l. XXIX. c. 37. *r* l. XVI. c. 13.
ſ Excerpt. Valeſ. p. 49. *t* l. I p. 21. ed. Wech.
u de Ant. Jur. Ital. l. II. c. 3. *x* Ibidem. *y* cap. 10.

z pro Balbo c. 48. *a* l. XXXIV. c. 42. *b* Ibidem c. 45.
c l. XLIII. p. 253. *d* l. III. c. 2. *e* Ibidem c. 4.
f Ibidem c. 6. *g* Ibid. c. 8.
h l. IV. c. 22. *i* l. V. Sat. 4.

pra

pra dictis, ultimam Tiburtin. Oppida civium Romanorum XV. &c. Oppidum Latinum, unum Usalitanum. Quæ ideo huc adferre non piguit, quod vel inde, ut opinor, clara omnino sint ac liquida, quæ de discrimine inter oppida, quæ civitate Romana erant donata, & dicta inde Plinio *oppida* vel *municipia civium Romanorum*, ac Romanorum iisdem in oris *colonias*; easque proinde cum privato solum Quiritium jure, de quo mox adhuc, deductas; ac denique, prout ea ibi a duobus prioribus accurate distinguit Plinius, *Latina*, seu donata *jure Latii* oppida. Ut mirari proinde haud parum subeat, postremum ac eruditum Plinii editorem, [k] cum se, quid ibi *coloniæ*, quid *municipia*, quid *donata Latio oppida*, dicturum in selectis ad Plinii libros notis ac emendationibus monuisset; [l] ibi tamen hæc ita enarraverit, ut *jus* illud *Latii antiquum*, datum postea toti Italiæ, ac inde *Italicum*, idque ad discrimen juris civium Romanorum, dictum censeat; illudque interpretetur de eo jure, quo Latinis olim est concessum, ut in bello Romanis legionibus permixti militarent; & ibi magistratus & honores possent adipisci, non autem Romæ. Post datam vero Latinis & populis aliquot exteris civitatem, vocatum illud fuisse *jus civium Romanorum*: alterum vero longo post tempore universæ Italiæ datum, *Italicum jus* exinde dici cœptum: *municipia* vero appellata, quibus *jus* illud *Italicum*, aut vero civium Romanorum daretur; ita ut alterutro jure municipia fruerentur. Qua equidem notatione, quod illibenter utique de viro litteram, & qui se nobis [m] amicum publice est professus, hic monendum est, nihil potuit diei, a tot Plinii, quem enarrabat, ea de re verbis magis alienum. Aliud enim longe erat, quod vel cum docere potuerat, quem paullo ante ibi memorat, Sigonius, *jus Latii*, aliud *jus Italicum*: neque prius illud toti Italiæ usquam datum, ac dein in *Italici* nomen mutatum legitur; sed post datam lege Julia tum Latio, tum brevi, non autem longo post tempore, qua de re mox dicetur, toti Italiæ Romanam civitatem, *jus* idem *Latii* antiquum, aliis dein extra Italiam provinciis & nationibus Alpium maritimarum sub Nerone apud Tacitum, aut tot in ulteriori & citeriori Hispania, juxta Plinium, ut paullo ante vidimus, & quæ plura etiam alibi tangit, oppidis; aut vero eodem adhuc [n] teste, universæ Hispaniæ a Vespasiano; vel *multis* dein *civitatibus* ab Hadriano, juxta [o] Spartianum, est concessum. *Jus* vero *Italicum* ab eodem *Latii jure* diversum, ac in tributi potissimum cum soli, tum capitis immunitate, quod aliunde constat, & de quo in sequenti Exercitatione opportunior erit dicendi locus, positum; quodque nonnullis extra Italiam oppidis aut coloniis, uti vel e [p] Plinio rursus, aut [q] Ulpiano & [r] Paulo Dig. de Censibus liquet, & agnovit [s] alibi vir eruditissimus, ab Imperatoribus, singularis beneficii loco, est impertitum. Veterum vero *municipum*, etsi duo itidem genera agnoscat, qui paullo ante a viro docto memoratur, [t] Sigonius: unum nempe illorum, idque post [u] Festi ea de re verba, quibus jus tantum erat legionis: alterum vero eorum, qui præter legionem, omnia jura civium Romanorum, ac inter ea jus suffragii sunt consecuti: neutiquam inde firmatur viri eruditissimi ad Plinium adnotatio. Neque enim duplex, sed unum *municipiorum* genus a Plinio traditur: eorum nempe, quæ gaudebant jure Romanæ civitatis, seu quæ ab eo vocantur, *oppida civium Romanorum*: a quibus autem perpetuo distinguuntur apud eundem oppida, quæ *Latio* seu *jure veteris Latii* gaudebant, quæque inde ab eo [x] *Latinorum*, aut [y] *Latinorum veterum*, aut [z] *Latinæ conditionis oppida*, aut *Latii veteris oppidani* appellantur; seu qui non in legione solum militare, aut in ea honores adipisci poterant, sed quibus per gestos, ut diximus, in patria magistratus dabatur ad Romanam civitatem aditus. Eam utique diversam *Municipiorum*, *Coloniarum*, & *Latinorum*, seu cum jure Latii antiquo, oppidorum conditionem, præter illa, quæ aliunde ea de re sunt nata, ita aperte ac frequenter distinguit, uti videmus, Plinius: ut ejus certe ævo alterutro illo jure, *Latii* nempe, seu juxta virum eruditum *Italici*, & altero civium Romanorum, usa esse *municipia* neutiquam liceat statuere: aut eadem inter se, & quidem in interpretando eodem Plinio, permiscere & confundere. Neque vero res ei cessit felicius, dum [a] alibi hæc rursus ita enarrat vir cæteroquin præstanti ingenio, ut e Romanorum coloniis, alias dicat exstitisse *civium Romanorum*; quibus jus illud fuerit, ut earum civibus, perinde ac Romanis ipsis, in Urbe petere ac gerere magistratus licuerit: alias vero cum *jure antiquo Latii*, quod & *Italicum* postea dictum sit, ubi illud toti Italiæ est impertitum: aut a tributis immunitas Italiæ ab Augusto data: quibus vero postremis tantum licuerit, in bello cum Romanis legionibus militare, ibique, non vero in Urbe, honoribus fungi & magistratibus. Neque enim, quod jam vidimus, *coloniarum*, quocunque nomine illæ dicerentur, extra Italiam, seu post civitatem toti Italiæ datam, sed *municipiorum* demum jus illud fuit, petere & adipisci in Urbe magistratus; nec id *jus Latii*, quo fruebantur alterius generis coloniæ vel oppida, idem erat, ut modo diximus, cum *jure Italico*; aut vero illud post donatam, libera adhuc Republica, civitate Italiam, in *Italici* appellationem usquam transiit: quod vel adducta e Plinio oppidorum cum illo Latii jure exempla, ut nunc de aliis adhuc Auctoribus sileam, abunde redarguunt. Neque enim firmiore stant talo, quod [b] se in nummis Cæsareanorum temporum inter colonias Romanorum civium, & eas quæ erant *Latinæ conditionis*, seu, ut hæc rursus male de iisdem interpretatur, quæ solum *juris* essent *Italici*, credit reperisse vir doctus. Sed qua de re agetur in sequenti Exercitatione opportunius, ubi de communicata sub Cæsaribus civitate; aut de coloniis aliisve urbibus, quæ concesso ab illis Romanis Principibus *juris Italici* beneficio fruebantur, dicendi erit locus.

XII. Ex hisce autem, quæ paullo ante adnotavi, abunde, ut opinor, liquet, id quod hic expendendum incumbebat; coloniis nempe Romanorum civium, ante datam toti Italiæ civitatem, nuspiam in Italia jus suffragii, vel petendorum in Urbe honorum, quod vere existimaverat Sigonius, patuisse: neque post donatam civitate Italiam, in provinciis, quibus nec dum impertitum fuerat illud beneficium, idem jus Romanas colonias habuisse. Nec ideo etiam, quod jus Quiritium, privatum nempe eædem retinuerint, inde publicum illud jus suffragii & capiendorum Romæ magistratuum, eas secum, in quæ deducebantur oppida, adportasse, statuendum est. Neque vero quod existimat [c] vir eruditissimus, qui Rei Agrariæ Scriptores postremus

[k] Harduin. ad Plinii l. III. sat. 3. p. 288.
[l] In Not. & Emendat. p. 389. T. I.
[m] Antirrh. p. 93.
[n] l. III. c. 3. in fine. [o] in Hadriano c. 21.
[p] l. III. c. 3. [q] Leg. 1. D. de Censib.
[r] Leg. VIII. §. 7. eodem. [s] Antirrh. p. 135.
[t] de Antiq. Jur. Ital. l. II. c. 7. [u] in *Municipes*.
[x] l. III. sect. 3. [y] Ibid. sect. 4. [z] Ibid. sect. 14.
[a] Antirrhet. p. 135. [b] Ibid. p. 136.
[c] Wilh. Goesius Antiq. Agrar. p. 12. 13.

edidit ac illustravit, coloniis Romanorum civium jus illud suffragiorum contulisse Augustus a Suetonio dicitur. Præterquam enim, quod ita omnibus deductis magno numero, & a primis liberæ Urbis temporibus ante Augustum, Romanis id genus coloniis, idem jus suffragii non fuisset datum vel relictum; præter id, inquam, pridem ante Augustum, toti Italiæ & Galliæ etiam Cisalpinæ, uti ea de re mox dicetur, ac proinde omnibus etiam inter eos populos coloniis, iisque tam Romanorum civium, quam Latinis, hoc jus lege Julia erat jam impertitum. Unde neque id inferunt, quod existimat vir eximius, Suetonii, ad quem ille ibi respicit, in Augusto verba *d*: *Ad hunc modum urbe urbanisque rebus administratis, Italiam duo & triginta COLONIARVM numero deductarum, sub se frequentavit, operibusque ac vectigalibus publicis plurifariam instruxit, etiam jure ac dignatione Urbi quodam modo parte aliqua adaequavit: excogitato genere SVFFRAGIORVM, quæ de MAGISTRATIBVS VRBICIS decuriones colonici, in sua quaque COLONIA ferrent, & sub diem comitiorum obsignata Romam mitterent.* Quibus nempe verbis, non universam tum Italiam, ac proinde in ea quoque colonias, jus suffragiorum, quæ illud jam ante Augustum habuerant, adeptas primum dici a Suetonio, idque longe esse ab ejus mente, monuerat pridem ad eum locum ὁ πάνυ Casaubonus, & de quo etiam aliunde potuerat constare viro eruditissimo; sed ad excogitatum ab Augusto modum ibi demum respici, quo propter rei difficultatem & molestiam veniendi Romam singulis comitiis, inutile ferme populis Italicis jus, ea ratione planum & expeditum redderetur. Mitto, quod nec tam de Italicis in genere populis, etsi id censeat Casaubonus, quam de deductis illis novis, ab Augusto in Italia coloniis, quæ proinde eodem, quo reliquæ in Italis coloniæ pridem gaudebant, suffragii jure donari quoque debuerant, loqui videatur ibi Suetonius. Neque vero quæ hactenus ea de re dicta sunt, ex iis continuo infirmantur, quibus adversam Manutii, vel aliorum sententiam niti posse paullo ante diximus. Etsi enim a Cicerone, vel a Livio, dictæ sint *Romana* aut *Romanorum civium coloniæ*: aut subinde deducti pridem id genus coloni, *cives Romani*, & *veteres* etiam *cives*, uti supra ex eodem Livio vidimus, legantur appellati: id inde factum, quod revera cives tum forent, qui in colonias illas ultro nomina dederant; ac præterea iidem privata Quiritium jura, in eas colonias profecti, retinerent: atque ita ad discrimen Latinarum coloniarum, quæ sive e Romanis, sive e peregrinis colonis constarent, cum jure demum Latii, non vero cum illo Quiritium jure deducebantur. Quomodo etiam dispar erat utrorumque conditio; dum non amittebatur plane a prioribus illis colonis, sicut a posterioribus, etsi iidem e civium forent numero, civitas: ac unde memoratis *e* duobus apud Ciceronem locis, de Latinis tantum, non de alterius generis seu Romanorum civium colonis quæritur, quomodo illi amisisse civitatem, voluntate nempe, vel dum multam nolunt persolvere, censeri debeant. Quod ergo priores coloni, omnia privata retinerent Quiritium jura, sicut, quod jam ante diximus, libertatis, connubiorum, patrium, legitimi dominii, hereditatis, testamenti, usucapionis, nexus; non optimo quidem civis, ut vere monuit Sigonius, quo ii, quibus patebat jus suffragii, ac ad honores in Urbe aditus, jure fruebantur; sed Romanæ tamen civitatis partem haud contemnendam, & quo jure soli gaudebant cives Romani, retinuerunt; ut omnino civitatem amisisse, qui in Romanas colonias nomina dederant, dici non possent: Haud minus certe, ac dicti in Urbe proletarii vel capite censi; qui quod eadem Quiritium jura haberent, non vero jus illud suffragii & honorum adipiscendorum, cives tamen Romani, parsque Romanæ plebis censebantur; etsi in sextam demum seu postremam eorundem civium classem conjecti. Ita jus nexorum atque hæreditatum, proprium fuisse coloniarum, docet alicubi *f* Cicero, & inde etiam jus Quiritium dare, idem esse, quod civitatem Romanam largiri, dixit Ulpianus *g*. *Beneficio principali Latinus civitatem Romanam accipit, si ab Imperatore jus Quiritium impetraverit*; ac jam ante de Cornelio Balbo minore, qui Romæ triumphaverat, Plinius *h*: *Uni huic omnium externo curru & Quiritium jure donato: quippe Gadibus genito civitas Romana, cum Balbo majore patruo data est.* Quum alioquin non pro eodem continuo habendum jus illud Quiritium, aut Romanæ civitatis, quatenus nempe plenum seu publicum haud minus ac privatum jus civitatis intelligitur, aperte doceat in Epistola ad Trajanum alter Plinius *i*: *Ago gratias, Domine, quod & JVS QVIRITIVM libertis necessariæ mihi feminæ, & CIVITATEM ROMANAM Harpocrati, iatraliptæ meo, sine mora indulsisti.* alibi *k*: *Quare rogo des ei CIVITATEM ROMANAM: est enim peregrinæ conditionis, manumissus a peregrina.* mox: *Item rogo des JVS QVIRITIVM libertis Antoniæ Maximillæ:* Ubi autem hoc *jus Quiritium* male a viris eruditis, vel idem cum *jure Latii*, quod refelli pluribus haud indiget; vel ab aliis *l*, magnæ cæteroquin doctrinæ, accuratique judicii, idem quod *ipsum jus civitatis* statuitur: quod tamen latius, ut modo vidimus, patuit, & aliquod esse inter utrumque discrimen, ipsa Plinii duobus illis locis verba, satis superque arguunt. Illud vero, quod e Livio supra diximus, delati Romam duodecim coloniarum, qui nempe e civibus solum Romanis agi consueverat, census, ut prorsus insolitum, seu *m quod nunquam antea factum fuerat*, ibi ab eodem Livio dicitur. Quum alioquin proprium & peculiarem fuisse coloniarum censum, & in ipsis coloniis, ab earum colonicis censoribus actum; quique in publicas Urbanorum censorum tabulas non referretur, ex adductis & sequentibus Livii verbis haud male colligit doctissimus *n* Sigonius. Quum tamen non eorum solum, qui in Urbe, cum lustrum conderetur, censoribus præsto erant, civium, sed absentium quoque census subinde sit actus: quod e Livio rursus & P. Scipionis oratione apud *o* Gellium monuit jam idem Sigonius; & quam in rem certe a Livio dictum *p*: *Per provincias dimiserunt censores, ut civium Romanorum in exercitibus quantus ubique esset, referretur numerus.* Adde quod Græcorum, quem supra attigimus, more, communia quoque remanserint inter deductas illas ex Urbe Romanorum civium colonias, & ipsam earum *antiquam patriam*, sicut dici eandem vidimus, civitatis jura. Quæ vero apud Ciceronem, aut Hirtium, aliosve illius ætatis Scriptores, frequens occurrit conjuncta *municipiorum* & *coloniarum*, cum jure suffragii, mentio; ad illa demum tempora respicit, quibus jam ante toti Italiæ ac Cispadanæ itidem Galliæ, uti ea de re mox dicetur, ac proinde coloniis etiam eorundem locorum, civitas erat data.

XIII. Equidem latius paullatim diffusum est illud Romanæ civitatis beneficium: dum non pluribus solum vel Latii, vel Italiæ oppidis, seu municipiis inde appellatis; aut iis, qui Latinitate, seu

d in Augusto c. 46. *e* pro Cæcina c. 98. pro Domo c. 78.
f pro Cæcina c. 102. *g* Fragm. Tit. III. §. 2.
h l. v. c. 5. *i* l. x. Epist. 32. *k* Ibid. Epist. 4.

l I. F. Gronovius. *m* l. XXIX. c. 37.
n de Ant. Jur. Ital. l. IV. c. 8. *o* l. V. c. 19. *p* l. XXIX. c. 37.

Latii,

Latii, de quo paullo ante, jure, post gestos in patria magistratus, civitatem erant adepti; sed etiam, juxta *q* legem a Romanis latam, ut e sociis ac Latinis, qui stirpem ex se domi reliquerant, cives Romani fierent: aut juxta *r* alteram legem, quam tulit tribunus plebis, Servilius Glaucias, ut Latinis jus esset civitatis adsequendæ, in illius civis seu senatoris locum, qui accusatus ab iis repetundarum, a Romanis fuisset damnatus. Quomodo nempe, ut ait eam in rem Cicero *f*: *hanc Latinis, id est fœderatis, viam ad civitatem populi jussu patere passi sunt* Romani: donec postea primum universo Latio, mox Italiæ reliquæ, juxta tum præscriptos eidem Italiæ fines, est illud impertitum. Quum enim per Latium & Italiam socii, nec dum juris illius compotes, jus civitatis, quam viribus auxerant, & cujus Imperium armis tuebantur, ut loquuntur ea de re *s* Romani Scriptores, justissime peterent; inque eam spem essent modo a Fulvio Flacco; modo a C. Graccho, modo a Livio Druso, totidem tribunis plebis, promulgatis etiam ea de re, sed quæ non tenuerunt, legibus, subinde erecti; ob denegatum vero illud a Senatu beneficium, natum inde esset gravissimum inter Romanos eorumque socios, seu Latinos ac Italos, bellum, ita demum illud sopitum est, ut primum ac durante adhuc bello Italico, lege Julia, seu quæ a L. Julio Cæsare Consule cum P. Rutilio Lupo, est lata, anno V.C. DCLXIII. *u* sociis, qui in fide manserant, civitas sit data. Cujus rei meminit præter alios Tullius pro Balbo *x*: *Ipsa denique Julia, qua lege civitas est sociis & Latinis data*: ubi per *socios*, obvio apud Ciceronem, Livium, aliosque ea ætate Scriptores, illius vocis usu, ad aliquos Italiæ populos tantum respici, satis liquet. Ut proinde neutiquam opus fuerit, ea viri doctissimi Antonii Augustini ad hæc Tullii verba, ubi de *y* Legibus Romanis agit, notatione: nempe quod de *sociis* ait ibi Cicero, non esse ad omnes populi Romani socios referendum: id enim Antonini constitutione (cui utique locus hic non erat, & quæ latius adhuc, quam ad *socios* populi Romani, uti de ea postea dicetur, se diffudit) effectum esse. Ut mirari præterea subeat, quod idem, omnis cæteroquin Romanæ antiquitatis & publici privatique Quiritium juris peritissimus, hanc legem Juliam a Cæsare Dictatore latam patet: quum tamen ante eam Dictaturam, adducta modo de hac lege Julia Ciceronis verba, cujusque *z* alibi adhuc, etsi præterito ibi *Juliæ* nomine, superstite adhuc Cæsare neque ut tum primum latæ meminit, abunde id refellant: immo quam legem, durante bello sociali seu Italico, ac triginta circiter annis ante primum Cæsaris consulatum, ut vel ex *a* Appiano constat, is, quem dixi, C. Julius Cæsar, P. Rutilii in consulatu collega, non vero prioris anni consul, Sextus Julius Cæsar, (ut male rursus ad superiora Ciceronis pro Balbo verba in nupera Parisiensi editione adnotatur) tulerat. Inde mox confecto tandem, & in quo præcipua eluxerat, Pompeji Strabonis consulis opera, bello Italico, civitas, amplificato nempe ejusdem legis Juliæ beneficio, universis Italis est itidem data: seu id ante exitum consulatus ejusdem Pompeji, ac proinde anno adhuc sequenti DLXIV. contigerit, ut id e *b* Vellejo liceret colligere; seu proximo demum anno, L. Sulla & altero Q. Pompejo consulibus, quo *c* debellatus sit ac cæsus postremus Italicorum dux Pompadius Silo, non vero juxta *d* Livii Epitomen, sub sequenti Cinnæ consulatu; & in quam civitatem mox etiam accepti, qui postremi arma abjecerant *e*, Lucani & Samnites. Immo quomodo adauctum jam fuerat civitatis lege Julia sociis ac Latinis datæ beneficium, lege Plotia vel Plautia, quam tulit cum C. Carbone M. Plautius Silvanus tribunus plebis, ut de eo tradit Asconius, consule, de quo modo actum, Cn. Pompejo Strabone: ejusque legis exstat etiamnum apud Ciceronem, qui illam retulit, verba *f*: *Data est civitas Silvani lege & Carbonis, QVI FOEDERATIS CIVITATIBVS ADSCRIPTI FVISSENT: SI TVM, CVM LEX FEREBATVR, IN ITALIA DOMICILIVM HABVISSENT: ET SI SEXAGINTA DIEBVS APVD PRAETOREM ESSENT PROFESSI.* Inde enim præter Italos, peregrinos quoque, qui vel in fœderatis Italiæ civitatibus, vel in reliqua Italia domicilium tempore latæ illius legis Plotiæ, habuerant, ac intra sexagesimum diem apud Prætorem essent professi, eodem civitatis, juxta legem Juliam, Italis tum concessæ jure donatos liquet. Quo referri proinde debet id, quod de memorato supra Lucio quodam Manlio Catinensi refert in *g* Epistola ad Acilium Siciliæ proconsulem Cicero; eum etsi domo Siculum, civem Romanum, una cum reliquis Neapolitanis, factum, & quidem, ut ibi continuo addit: *erat enim ADSCRIPTVS in id municipium, ANTE CIVITATEM sociis & Latinis datam*: ac proinde, vi legis illius Plotiæ, inter cives Romanos acceptus. Omnibus vero hisce, non Latinis solum, sed Italicis datam cum jure suffragii civitatem, vel ex *h* Appiano, ac *i* Livii Epitome constat. in qua postrema ad annum V.C. DCLXVI dicitur: *Italicis populis a Senatu civitas data est*, iis nempe, qui soli hactenus inter Italos nondum arma deposuerant, Lucanis ac Samnitibus: *k* alibi ad annum V.C. DCLXX *novis civibus senatusconsulto suffragium datum est*: ac dein ad sequentem annum *l*, *Sulla cum Italicis populis, ne timeretur ab iis velut erepturus civitatem & suffragii jus nuper datum* &c. Unde etiam factum, ut illos, quos *m* Appianus vocat, *νεοπολίτας* seu *novos cives*, primus in *n* octo novas, ut quæ postremæ, ac inde irrito ut plurimum juris illius beneficio, suffragium ferrent, tribus Romanas conjectos; in veteres dein XXX tribus, lege ea de re promulgata, distribuere tentarit *o* P. Sulpitius tribunus plebis; ac dein, & id agente prius C. Mario *p*, Cinna consul: quodque, etsi repugnantibus acerrime antiquis civibus, ne novi cives sibi suffragiorum numero æquarentur, tandem obtinuit. Accedit, quod ut veri cives, iidem sint in Urbe deinceps censi; ac inde lustro paucis post annis a censoribus condito, L. Gellio & Cn. Cornelio Lentulo, censa tum sint, multiplicato inde haud parum eorum numero *q*, *civium capita quadringenta quinquaginta millia*: haud aliter ac post Lanuvinos, Aricinos, aliosque Latinos populos, in civitatem, ut supra retulimus, acceptos, de iis paullo post refert *Livius r*: *novique cives censi, tribus propter eos additæ Mutia & Scaptia.*

XIV. Immo nec Italis solum, qui tum Arimino & Ancona seu Rubicone a supero mari; Luca, ab inferiori, ac proinde angustis adhuc limitibus terminabantur: sed Gallis Cisalpinis ac Venetis

q Liv. l. XLI. c. 8.
r Cicero pro Balbo c. 14. *f* Ibidem.
s Vellejus l. I. c. 15. Florus l. II. c. 9. Appian. Bell. Civ. l. p. 521. *u* Appian. Ibid. p. 379. *x* cap. 21.
y Thes. Antiq. Rom. T I. p. 120. *z* l. XIII. Epist. 30.
a Bell. Civ. l. I. p. 379. *b* Vell. I. l. II. c. 17.
c Appianus p. 382.

d l. LXXX. *e* Appianus p. 382. *f* pro Archia c. 7.
g l. XIII. Epist. 30. *h* Bell. Civ. l. I. p. 379.
i l. LXXX. *k* Epit. l. LXXXIV. *l*. Epit. l. LXXXVI.
m Bell. Civ. l. I. p. 379. *n* l. II. c. 20.
o Epit. Liv. l. LXXVII. Appian p. 383.
p Vellejus l. II. c. 20. Appian. p. 389.
q Epit. Liv. l. XCVIII. *r* l. VIII. c. 17.

datam

datam quoque civitatem, post eam Italis indultam, tradit Strabo. Cujus autem ea de re verba, quod restricte aliquantum debeant accipi, merentur hic adscribi *f*: Ὀψὲ δέ ποτε ἀφ᾽ οὗ μετέδοσαν Ῥωμαῖοι τοῖς Ἰταλιώταις τὴν ἰσοπολιτείαν, ἔδοξε καὶ ΤΟΙΣ ΕΝΤΟΣ ΑΛΠΕΩΝ ΓΑΛΑΤΑΙΣ, καὶ ΕΝΕΤΟΙΣ, τὴν αὐτὴν ἀπονεῖμαι τιμὴν, προσαγορεῦσαι δὲ καὶ Ἰταλιώτας πάντας, καὶ Ῥωμαίους, ἀποικίας τε πολλὰς στεῖλαι, τὰς μὲν πρότερον, τὰς δ᾽ ὕστερον, ὧν οὐ ῥᾴδιον εἰπεῖν ἀμείνους ἑτέρας. *Tandem etiam cum Romani Italos in aequum secum jus civitatis accepissent, placuit eodem honore dignari GALLOS CISALPINOS ac VENETOS, omnibusque Italorum & Romanorum nomen tribuere, ac diversis temporibus colonias condere, quibus praestantiores alias haud facile dixeris.* In quibus gravissimi Scriptoris verbis, illud primo licet advertere; quod non eodem tempore, ac ab eodem Pompejo Strabone, a quo civitas Italis erat data, illud quoqne tum Galliæ Cisalpinæ ac Venetis dicatur impertitum, sed tantum in genere, post communicatam tandem Italis civitatem, eam Cisalpinis Gallis ac Venetis a Romanis quoque tributam. Neque vero eo honore gavisos promiscue Gallos Cisalpinos, post receptos in civitatem Italos, inde licet statuere: quod quum ii Galli Cisalpini in Gallos Cispadanos ac Transpadanos, quos nempe, uti ea de re idem Strabo, medios secat Padus, forent divisi; Transpadanis jus tantum Latii concessisse dicatur ab *t* Asconio Pompejus Strabo, iique demum a Jul. Cæsare Dictatore in civitatem, quam frustra unus e duobus censoribus antea voluerat iis impertiri, sint recepti. Utrumque docet duobus locis Dio *u*: priori, sub coss. L. Aurelio Cotta & L. Manlio Torquato, ac proinde anno Urbis conditæ, DCXXXIX, censores, Catulum nempe, ut e *x* Plutarcho constat, & M. Crassum, de Transpadanis tradit dissensisse; quibus dum alter civitatem dari vellet, alter vero negaret, nihil ea de re sit perlatum. Idem vero Dio in rebus J. Cæsaris *y*: καὶ ΤΟΙΣ ΓΑΛΑΤΑΙΣ ΕΝΤΟΣ ΤΩΝ ΑΛΠΕΩΝ ὑπὲρ τὸν Ἠριδανὸν οἰκοῦσι τὴν πολιτείαν, ἅτε καὶ ἄρξας αὐτῶν, ἀπέδωκε. *Gallis, qui cis ALPES trans Padum incolunt, quod suo sub imperio fuissent, civitatem dedit.* Unde ad ea J. Cæsaris tempora, seu ad annum V. C. DCCVII, Cisalpina illa, quæ trans Padum Gallia, ac proinde Insubres in ea, Cenomani, Orobii, Lebui, aliique populi adhuc Romanæ civitatis, exceptis municipiis, aut coloniis eo jure tum donatis, expertes exstitere. Neque vero Ligures ab eodem Pompejo Strabone, in civitatem tum acceptos, evincit Diodori, ad quem respicit *z* Sigonius, ac unde id contendit, locus; aut condita in eo tractu Alba Pompeja. Hæc enim sunt Diodori de Liguribus verba, ubi de eorum ferino & agresti victu, ac inde de eorum armatura a Romana aliquantum diversa egisset, addit *a*: Τινὲς δὲ αὐτῶν διὰ ΤΗΝ ΕΠΙΜΙΞΙΑΝ ΤΗΣ ΡΩΜΑΙΩΝ ΠΟΛΙΤΕΙΑΣ μετεσχηματίκασι τὸν ὁπλισμὸν, ἐξομοιοῦντες ἑαυτοὺς τοῖς ἡγεμόσι. *nonnulli tamen per IMMIXTIONEM ROMANAE CIVITATIS, priscam armorum formam immutarunt, dominorum imitantes armaturam.* Ut mittam enim, quod sub Augusto hanc historiam concinnavit, ut notum, & ad quæ tempora, atque ita pluribus post Pompejum Strabonem annis, respicere potuit Diodorus; nihil aliud inferunt eadem verba, nisi ex admixtis inter Ligures municipiis aut coloniis Romanorum, cujusmodi Albam Pompejam, Astam, Dertonam, e Strabone, Plinio, aliisve priscis Auctoribus constat exstitisse, eos priscam armorum formam immutasse: non vero Ligures universos, quorum plura, eaque tam maritima, quam mediterranea, ut ex iisdem aliisve priscis Geographis liquet, erant oppida, civitate ab illo Pompejo Strabone, juxta Italiam, donatas. Immo quod vel aperte refelli inde videtur, quod nec sub Nerone quidem, eo Romanæ civitatis jure gauderent promiscue iidem Ligures. de quo Principe ait verbis supra jam adductis Tacitus: quod *b* *is nationes Alpium maritimarum*, quibus accensentur Ligures ab antiquis Geographis, *in jus Latii*, quod erat infra jus civitatis Romanæ, transtulit. Cispadanam vero Galliam, utpote Romanis propiorem, ac Italis tum ita dictis conterminam, Romana civitate, post eandem toti Italiæ impertitam, cum jure quoque suffragii mox itidem donatam, vel inde continuo licet colligere; quod de Transpadana, tanquam illius beneficii, sub censoribus Q. Catulo & M Crasso, h. e. annis circiter, a bello Italico seu sociali, viginti quatuor, nec dum compote, paullo ante vidimus. An vero id lege Pompeja, quam tulerit nempe confecto illo bello Italico Pompejus Strabo, ut existimat *c* Sigonius, sit factum, haud licet hodie statuere. Neque enim, quo ejus rei auctore nititur, id continuo inferunt Plinii verba, quibus Cottianæ civitates XII. dicuntur *d* *attributa municipiis lege Pompeja*: quum ea illarum Cottianarum civitatum accessio, non ad Cispadanæ, sed ad Transpadanæ demum Galliæ municipia posset adtinere: nec de data Romana civitate, & quidem toti genti, fuerit ibi sermo: nec ulla occurrat in priscis Romanorum monumentis legis illius Pompejæ, quam tulerit de civitate Cispadanis data Magni parens, sicut alioquin fit alterius legis mentio, qua, teste *e* Asconio, Latinitas est Transpadanis impertita. Verum, & quod hic adtendi merebatur, nec adeo ad universæ Galliæ Cispadanæ oppida, quam ad ejus, uti Transpadanæ etiam, municipia & colonias, quibus nempe id suffect impertitum, jus illud suffragii restringere videntur ipsa Ciceronis & Hirtii ea de re verba. Ita Hirtius, seu quisquis auctor postremi libri de Bello Gallico *f*: *Cæsar in Italiam* (Galliam nempe, uti de ea mox, Togatam, quæ jam subinde Italiæ appellatione censebatur) *maximis itineribus est profectus, ut MVNICIPIA & COLONIAS appellaret, quibus M. Antonii Quæstoris sui commendaret sacerdotii petitionem.* mox *g*: *Hunc* (Antonium) *etsi augurem prius factum, quam Italiam adtingeret, in itinere audierat, tamen non minus justam sibi caussam MVNICIPIA & COLONIAS adeundi existimavit, ut iis gratias ageret, quod frequentiam atque officium suum Antonio præstitissent: simulque se & honorem suum in sequentis anni commendaret petitione.* Erant enim in illa, de qua ibi agitur, Togata, seu quæ, ut aliunde notum, e Cispadana & Transpadana constabat Cisalpina Gallia, plura præter municipia & colonias, oppida; ad quæ tamen nullus fit ibi, ad prensanda nempe eorum suffragia, respectus: Accedit, ac unde, de qua Italiæ parte seu Gallia fit ibi sermo, magis constet, quæ mox subdit idem Auctor *h*: *Quum omnes regiones Galliæ Togatæ* (quæ eadem, ut diximus, cum Cisalpina) *Cæsar percucurrisset summa celeritate, ad exercitum Nemeticennam redit*: dein, *T. Labienum Galliæ Togatæ præfecit, quo majore commendatione conciliaretur ad consulatus petitionem.* Cicero autem, de M. Antonio tum consulatum ambiente *i*: *Is per MVNICIPIA COLONIASQVE GALLIAE, a quâ nos tum, cum consulatus petebatur, non rogabatur, petere consulatum* sole-

f l. v. p. 210. *t* in Pisonian. *u* l. XXXVII. p. 33.
x in M. Crasso p. 551. *y* l. XLI. p. 118.
z de Ant. Jur. Ital. l. III. c. 2. *a* l. v. p. 315.

b Annal. XV. c. 32. *c* de Ant. Jur. Ital. l. III. c. 2.
d l. III. c. 20. *e* in Pisonian. *f* l. VIII. c. 49.
g Ibidem c. 50. *h* Ibidem, c. 52. *i* Philipp. II. c. 76.

solebamus : ac unde ipse de sua consulatus petitione ait alibi ad Atticum [k], *quoniam videtur in suffragiis multum posse Gallia*, h. e. Cispadana, ut ibi viderunt jam eruditi (quum Transpadana jus illud, quum ambiret consulatum Cicero, nec dum foret adepta) quæ nempe municipiis & coloniis Romanorum, quibus id jus suffragii erat jam ante indultum, abundabat. Cujusmodi certe in Cispadana Gallia municipia vel colonias, Bononiam seu Felsinam, Brixillum, Lucam, Mutinam, Parmam, Placentiam, adde & Ravennam, aliasque; non e Plinio solum, aut Festo, sed ex antiquioribus Scriptoribus, Cicerone, Livio, Strabone, aliisque constat, exstitisse: & quibus coloniis, quod adducta modo testimonia planissime arguunt, haud minus ac municipiis, jus ferendi in urbe suffragii iis temporibus jam fuerit impertitum. Etsi de quodam P. Cæsio, equite Romano, qui Ravennæ ageret, eoque fœderato ex populo (hisce nempe Cispadanis) dicat pro [l] Balbo Tullius: quod eam Pompejus Strabo, qui res Italiæ maximas gessit; civitate donaverit. Quod proinde, ac simul id quod de duabus Camertium cohortibus, quibus is civitatem sit quoque largitus, ibidem additur, durante adhuc bello Italico, ac ante civitatem, eo confecto, toti Italiæ; aut mox Galliæ Cispadanæ datam, factum, debet omnino intelligi. Ita sublato dein omni in eadem Gallia Cispadana, sicut in Italia reliqua, coloniarum Latinarum & Romanorum civium, quod obtinuisse paullo ante e Cicerone ac Livio vidimus, discrimine, cujusque nulla deinceps iis in oris, sicut alioquin in Transpadana aut Comata etiam Gallia, ac, uti de ea jam ante, Hispania, occurrit apud antiquos Scriptores mentio; priores seu Latinæ coloniæ, pro jure Latii: coloniæ autem civium Romanorum, præter privata, quæ hactenus habuerant, Quiritium jura, optimum jus civitatis, quod in ferendo suffragio ac petendo magistratu erat situm, haud minus ac municipia, quæ illo jam gaudebant, sint consequuta. Qua ratione etiam factum videtur, ut eædem urbes Galliæ hujus Cispadanæ, sicut subinde aliæ etiam coloniæ, modo *colonia*, modo *municipia* sint appellatæ: prout id Bononiæ ac Placentiæ contigit, quæ, quum *colonia* passim a [m] Livio, [n] Vellejo, [o] Tacito, aliisque dicantur, *municipiis* tamen a [p] Festo adnumerantur; immo [q] *Placentini* etiam *municipes* vocantur a Cicerone, quod proinde non debuit Asconio ibi negotium facessere, apud quem legas: *Magnopere me hæsitare confiteor, quid sit, quare Cicero PLACENTIAM MUNICIPIUM dicat: video enim in Annalibus eorum, qui Punicum bellum scripserunt, tradi Placentiam coloniam deductam prid. Cal. Junii primo anno ejus belli.* Unde etiam apud Festum, ubi is municipia distinguit, & potiora aliquot ex iis, quæ optimo nempe jure gauderent, tangit, ex eo genere hominum constare eadem dicit [r], *qui ad civitatem Romanam ita venerunt, ut MUNICIPIA essent sua cujusque civitatis & COLONIAE, ut Tiburtes, Prænestini* &c. Quamobrem ubi de ferenda a populo Quiritium, seu qui in urbe jus habebant suffragii, de reditu suo sententia, idque auctore P. Lentulo consule, actum, ipse in urbem redux ait ad Quirites Cicero [s]: *Salutem vobis, MUNICIPIIS, COLONISQUE omnibus commendavit.* ac paullo ante, facta prius aliorum præstantissimorum civium, qui olim ab exilio in urbem fuerant revocati, mentione: *Nullus in eorum reditu motus MUNICIPIORUM & COLONIARUM factus est: at me in patriam ter suis decretis ITALIA CUNCTA revocavit.* Qua in re nempe, etsi civitas toti cum Italiæ, aut Cispadanæ etiam Galliæ, dicta supra lege Julia, iisque quæ eas continuo sunt subsequutæ, cum jure suffragii foret jam data; potiorem tamen municipiorum & coloniarum præ reliquis earum gentium oppidis, seu præfecturis, rationem in ferendis suffragiis habitam, e modo dictis licet opinari. Nempe seu quod jam ab antiquo cives Romani ii forent municipes; aut coloniæ e civitate Romana, ut de hisce loquitur [t] Gellius, propagatæ: seu quod ad ferenda in urbe suffragia, maxime in municipum suorum aut patronorum gratiam, ac ubi de saluto eorum ac honore agebatur; aut etiam eorum commendatione, (sicuti paullo ante de J. Cæsare vidimus) qui plurimum in iisdem coloniis vel municipiis poterant, majori numero, & tanquam ad gentiles ibi suos aut propinquos, facto velut agmine, confluxerint. Unde etiam cum objectum sibi a L. Torquato, *peregrini*, quod e municipio nempe esset, nomen diluit Cicero; & quidem Catonis, Coruncanii, Marii exemplo, quibus ortis itidem e municipiis, nemo id objecerat [u]: *Equidem*, ait, *vehementer lætor, eum esse me, in quem hic cum cuperes, nullam contumeliam jacere potueris, quæ non AD MAXIMAM PARTEM CIVIUM* (nempe qui itidem erant e municipiis) *conveniret.* Mitto, quod urbi viciniora ferme essent, ac inde suburbana antiqua illa Latii, quibus data primum cum jure suffragii civitas, municipia: ac unde de Atinati, quo ortus erat C. Plancius, præfectura seu municipio, præ Tusculo nempe ait Cicero [x]: *Hic est e præfectura Atinate, non tam prisca, non tam honorata, non tam SUBURBANA.* ac paullo post: *Plancius hoc non solum municipii, verum etiam VICINITATIS genere vincebat.* & alibi adhuc in eadem oratione: *Nam municipia conjunctione etiam VICINITATIS vehementer moventur.* Immo unde factum videtur, ut inter tria illa oppidorum, quæ Italiæ, post civitatem ei datam, subinde a Romanis Scriptoribus tribuuntur, genera, municipia, colonias, & præfecturas; harum postremarum seu præfecturarum in ferendis suffragiis, etsi illæ eodem jure tum gauderent, (ut eas mittam, quæ, ut vere monuit [y] Sigonius, ac vel e Cicerone de dictis modo Atratinis, vel e [z] Festo de præfecturis notatione licet colligere, simul erant municipia) haud æqua ac municipiorum ratio fuerit continuo habita. Unde in adducto paullo ante Suetonii loco, quo providisse dicitur Augustus, ne datum jam ante toti Italiæ suffragium ferendi beneficium, eidem, prout hæc ea de re verba enarrari ibi a magno Casaubono diximus, inutile redderetur, *Coloniarum* fit tantum mentio: nempe *excogitato genere suffragiorum quæ de magistratibus urbicis decuriones COLONIAE in SUA quaque COLONIA ferrent, & sub diem comitiorum obsignata Romam mitterent.* Accedit, quod nullo etiam peculiari ad jus suffragii aut magistratus in urbe capiendos respectu dicta sint, uti apud Rei Agrariæ Scriptores, municipia, de splendidis aut munitis quibusvis oppidis; ac unde aliis a [b] *munitionibus*, aliis a *munificentia* leguntur appellata apud Agrimensorem Siculum Flaccum. & inde alibi [c]: *prima origo oppidorum, quæ civitates dicta sunt, MUNICIPIA in caussa supra dicta nominata.* Quomodo etiam deductas iidem tradunt in civitates, seu lata illa significatione, in *municipia*

[k] l. 1. Epist. 1. [l] cap. 30. [m] l. xxi. c. 25.
[n] l. 1. c. 14. 15. [o] Annib. aii. c. 58.
[p] in *Municipium*. [q] in Pison. c. 53.
[r] in *Municipium*. [s] 2. ad Quirites c. 15.
[t] l. 16. c. 13. [u] pro Sulla c. 23.

[x] pro Plancio c. 19 & c. 21.
[y] de Ant. Jur. Ital. l. ii. c. ii. [z] in *Præfectura*.
[a] in August. c. 46. [b] de condit. Agror. p. 2. ed. Goes.
[c] ibidem p. 2.

colo-

colonias *d* : *COLONIAE inde dicta, quod populus Romanus in ea MUNICIPIA miserant colonos, vel ad ipsos priores MUNICIPIORUM populos coercendos, vel ad hostium incursus repellendos.* Etsi illud statuere insuper liceat, a tempore datæ toti Italiæ aut Cispadanæ etiam Galliæ civitatis, præcipua & nobiliora præter colonias (quæ in originis suæ memoriam, & ob peculiaria earum jura, appellationem illam retinuerunt) reliqua regionum illarum oppida, communi deinceps *Municipii*, cujus jure tum fruebantur, quodque haud ita pridem fuerat indultum, nomine, fuisse Ciceronis ævo nuncupata. Ita apud eundem Tullium *e* dicta Neapolis, loco supra jam adducto, *municipium* : nempe, quam urbem ante civitatem, ut ibi additur, sociis & Latinis datam, fœderatam tantum exstitisse aliunde liquet; atque ita unde crebra sit apud Ciceronem ac solemnis *municipiorum* & *coloniarum*, ubi de ferendis in urbe suffragiis ab eo agitur, aliosque veteres Scriptores, uti ea de re paullo ante, commemoratio : Immo unde nomen illud ab eo coloniis etiam, sicut Placentinis & quod Asconius facile potuit intelligere, communicatum. Quod autem jam ab eruditissimo *f* Sigonio monitum postea animadverti : inde nempe factum, ut post legem Juliam, multa oppida, quod suffragii jure donata sint, *municipia*, etsi etiam præfecturæ, vel coloniæ eædem forent, fine nuncupatæ. Quomodo rursus inde factum video, ut cum *g* Italiæ & *Galliæ Cisalpinæ oppida enarrat Plinius, nulla in iisdem, pro more alioquin suo, ubi Hispaniam aliasque provincias describit, municipiorum fiat ab eo mentio : quod nempe in eadem veterum illorum municipiorum, ut Acerranorum, Anagninorum, Privernatum, Laviniorum, Arpinatum, Tusculanorum, Veliternorum, aliorumque id genus (civitatem nempe Romanam quod adtinet,) jura transiissent, reliqua vel Latii, vel totius Italiæ oppida : quæ proinde singula, quod notandum est, sine illo peculiari municipiorum, quod olim iis in oris obtinuit, discrimine, ab eodem Plinio enarrantur.

XV. An vero illud inter *colonias* & *municipia* discrimen remanserit; ut illæ quidem, quod jam ante vidimus, acceptis Roma, tanquam a metropoli, seu antiqua patria legibus; hæc autem propriis suis legibus ac institutis regerentur; an vero post datam hisce seu municipiis, quæ eo prius caruerant, jus suffragii, suis eadem legibus sint continuo spoliata, & Romanis, quod statuit *h* Sigonius deinceps obstricta, haud immerito licet ambigere. Illud enim aperte redarguit Gellius *i* : *Municipes ergo sunt CIVES ROMANI ex municipiis LEGIBUS SUIS & SUO JURE UTENTES, muneris tantum cum populo Romano participes, a quo munere capessendo appellati videntur, nullis aliis necessitatibus, neque ulla lege, ni in quam populus eorum fundus factus est.* De *municipiis enim in genere*, & quatenus a *coloniis* ea differant, loquitur ibi Gellius : non vero de una tantum municipiorum classe, uti censet Sigonius, quæ jus dutaxat haberent legionis, non vero reliqua Romanæ civitatis & quidem suffragii jura. Id enim vel ipse totius illius capitis, quo inter colonias & municipia discrimen, quodque jus foret utrorumque, enarrandum suscepit Gellius, sotuitus abunde redarguit : tum quod inter eos municipes, *Pranestini* ibi adnumerantur : quos tamen cum *Tiburtibus*, *Arpinatibus* aliisque conjungit *k* Festus; quos jura suffragii & honorum in urbe habuisse, aliunde insuper, ac e *l* Cicerone quidem constat. Neque vero addita ibi in postremis Gellii verbis conditio : municipes nempe, etsi, ut ibi eos vocat, cives Romanos, nulla tamen populi Romani lege esse adstrictos, *ni in quam populus eorum fundus factus est*, id infert, quod statuit alibi *m* Sigonius, in omnes nempe populi Romani leges, omni amisso suarum legem arbitrio, seu qua antea gaudebant, autonomia, venisse, sive *fundos factos* alios id genus populos seu municipes; sed in eam tantum de jure civili Romanorum legem (quod varie de his populis fundis observarunt Viri doctissimi *n* Rigaltius & Valesius, & aperte Gellii ea de re verba id notant) in quam iidem municipes, beneficio populi Romani consenserant, sive cujus legis auctores & subscriptores iidem populi fuerant. Quod omnino etiam adstruunt Tullii, ubi de hisce populis fundis agit, eorumque conditionem describit, consona plane cum Gellio verba : ut mirari ferme subeat, quod ea aliter viri eruditissimi, & Romanæ cæteroquin antiquitatis egregie periti, acceperint *o* : *Sed totum hoc, Judices,* (nempe populos fundos quod adtinet) *in ea fuit positum semper ratione atque sententia, ut cum jussisset populus Romanus aliquid, SI ID ADSCIVISSENT socii populi ac Latini, & SI EA LEX* (non omnes proinde populi Romani leges) *quam nos haberemus, eadem in populo aliquo, tanquam in fundo, resedisset: ut tum LEGE EADEM IS POPULUS TENERETUR*; nempe, quod ait Gellius adductis paullo ante verbis, *in quam* legem *populus eorum fundus factus est*. Quæque insuper adstruit adlatum mox ibi a Tullio de iisdem Latinis, qui vel legem C. Furii de testamentis, aut Q. Voconii de mulierum hereditatibus, aut aliam aliquam de jure civili a Romanis latam; aut vero etiam legem Juliam, *qua civitas est sociis & Latinis*, ut ibidem ait, *data*, adsciverant, seu in eas fundi populi erant facti. Neque etiam hanc omnibus municipiis necessitatem incubuisse, ut cum Romana civitate, in Romanorum leges & jura, suis abdicatis, continuo venirent, infert, ut existimat, *p* Sigonius, id quod ibi a Tullio, post factam legis hujus Juliæ mentionem, exemplum additur : *In quo magna contentio Heracliensium & Neapolitanorum fuit; cum magna pars in iis civitatibus fœderis sui libertatem civitati anteferret.* Etsi enim non omnes quidem, uti censuit doctissimus *q* Valesius, at priores tamen Ciceronis, & juxta veterum librorum fidem adornatæ editiones, *fœderis sui*, non vero (juxta Cl. *r* Bullialdum, aut nuperam etiam Parisiensem in usum Delphini editionem) *juris sui libertatem* hic habent; unde etiam ad eam solam conditionem ibi respici vere monuit contra eundem Bullialdum Valesius, qua qui in civitatem Romanam transibant populi, fœderati amplius esse non poterant; sed quibus tantum libertas fœderis adimebatur; non vero mutatio aut amissio propriarum legum, & quidem post Romanas adscitas præscripta. Quamquam, de quo silet ibi Valesius, neque negari illud possit, eam fuisse municipiorum aliquot conditionem, ut cum Romana civitate, Romanorum legibus, amisso proinde legum suarum arbitrio, iidem forent deinceps obstricti. Id enim haud obscure innuunt adducta jam a *s* Sigonio ejus rei e Livio de Hernicis testimonia *t* : *Hernicorum tribus populis Alatrinati, Verulani, Ferentinati, quia*

d Ibidem p. 2. *e* l. XIII. Epist. 30.
f de Ant. Jur. Ital. l. III. c. 3. *g* l. IV sect. 4. * ibid. sect. 5.
h de Ant. Jur. Ital. l. II. c. 7. *i* l. XVI. c. 13.
k in *Municipium*.
l pro Plancio c. 22. pro Sulla c. 23. pro Balbo. c. 53.

m de Ant. Jur. Ital. l. II. c. 7.
n vid. Thes. Antiq. Rom. T. II. p. 1932. &c.
o pro Balbo c. 20 *p* pro Balbo c. 21.
q Thes. Antiq. Rom. T. II. p. 1947. *r* Ibidem p. 1936.
s de Ant. Jur. Ital. l. II. c. 7. *t* l. XXI. c. 42

MA-

MALVERVNT, *quam CIVITATEM*, *SVAE LEGES REDDITAE. Anagninis*, *quique arma Romanis intulerant*, *civitas sine suffragii latione data.* dein ubi Æquos Romanorum hostes, ita de hoc Romanorum facto differentes tradidit *u*: *Tentationem ajebant*, *esse*, *ut terrore incusso belli*, *ROMANOS se fieri paterentur*, *quod quantopere optandum foret*, *Hernicos docuisse*, *quum quibus licuerit*, *SVAS LEGES ROMANAE CIVITATI praeoptaverint*: *quibus legendi quod mallent*, *copia non fuerit*, *pro poena*, *necessariam CIVITATEM fore.* Quæ insuper lucem ex iis capiunt, quæ de haud una municipum classe vel conditione tradit iis verbis Festus, quorum genuinum sensum non videntur satis percepisse, qui ea cæteroquin haud semel adduxerunt, viri doctissimi, & harum litterarum principes, Manutius, Sigonius, aliique. Tria nempe ibi, non duo, ut vulgo iidem, municipum genera distinguit Festus. ac primum quidem, de quo primo loco ait: *Municipium id genus hominum dicitur*, *qui cum Romam venissent*, *NEQVE CIVES ROMANI essent*: *participes tamen fuerant omnium rerum ad munus fungendum una cum Romanis civibus*, *praeterquam de suffragio ferendo aut magistratu capiendo*, *sicut fuerant Fundani*, *Formiani*, *Cumani*, *Acerrani*, *Lanuvini*, *Tusculani*, *qui post aliquot annos Cives ROMANI effecti sunt.* Non veri proinde *municipes*, qui e patria Romam commigrabant id genus advenæ: dum iidem a munere in urbe capiendo erant exclusi, *neque* etiam, quod ibidem dicitur & notari in primis debuit, iidem *cives Romani*: quo jure tamen, quave appellatione municipes, & inde dicta in genere apud Plinium ac alibi, ut supra vidimus, *municipia civium Romanorum* censebantur; ac unde a L. Torquato objectum sibi, municipi nempe Arpinati, *peregrini* nomen miratur & explodit Cicero *x*: *At si nos tibi peregrini videmur*, *qui sumus e municipio*, *quorum jam & nomen & honor inveteravit & huic urbi*, *& hominum fama*, *& sermonibus.* An vero in eam id genus *municipum*, quique *cives Romani* non essent, classem vel conditionem referri debuerint singuli illi, qui ibi hodie apud Festum leguntur, Latini vel socii populi, ex iis, quæ jam ante de Lanuvinis & Tusculanis, quibus ab initio civitas fuerit cum jure suffragii data; non vero Fundanis, Formianis, & Acerranis, quibus civitas primum sine suffragio impertita apud *y* Livium dicitur, constare jam potest. De Cumanis vero ad annum V. C. DXXXVIII. latum ad populum refert idem Livius *z*, *uti municipes Cumani* essent, præterita omni, an cum suffragio, an sine suffragio, mentione. Alterum vero municipum genus, a Festo tangitur, quorum *civitas universa in Romanam civitatem venit*, ut Aricini, Cærites, Anagnini: qui nempe e sociis seu fœderatis populis, post civitatem lege Julia a populo Romano datam, & ab iisdem acceptam, aut jam ante, vere Romani cives deinceps, & cum pleno suffragii jure, sunt effecti. Quibus alioquin populis, Cæretibus quidem & Anagninis, civitatem sine suffragio primum datam, e *a* Livio & *b* Gellio jam ante vidimus; ut proinde haud dispar ea in re illorum conditio fuerit, quam Formianorum, Fundanorum, aut Acerranorum etiam & Cumanorum, qui in primam tamen municipum classem a Festo sunt rejecti. Tertium deinque municipum genus ab eodem Festo memoratur *c*: *qui ad civitatem Romanam ita venerunt*, *ut municipia essent sua cujusque civitatis & coloniae*: iidem nempe municipes, de quibus paullo ante dixerat, *qui ea conditione cives Romani fuissent*, *ut semper rempublicam a populo Romano separatam haberent.* Ac proinde in populi Romani leges & jura fundi non erant facti, nec se iisdem obstrinxerant. In quam postremi generis, quique proinde suis legibus ac institutis, non vero Romanis tenebantur, municipum classem, referuntur ibi continuo ab eodem Festo inter alios *Tiburtes*, *Praenestini*, *Arpinates*; quos tamen Arpinates diu ante civitatem lege Julia sociis ac Latinis datam, eadem civitate cum jure suffragii; jam donatos, e Livii verbis, quæ supra adduximus, liquet, ad consules M. Valerium Messalam & C. Livium Salinatorem, anno V.C. DLXV. *d*: *de Formianis Fundanisque MVNICIPIBVS*, *& C. Valerius Tappus tribunus plebis promulgavit*: *uti iis suffragii LATIO* (*nam ante sine suffragio habuerant civitatem*) *esset.* Ut proinde merito redarguat, quod paullo ante vidimus, L. Torquatum *e* Cicero; ipsum e tali municipio civium Romanorum, & quidem cum pleno civitatis jure, ortum, *peregrinum* nihilominus vocare sustinuerit: immo quo jure non primus inter suos municipes, vel ante eum C. Marius, ut e dictis Livii verbis liquet, sit jam usus. Prænestinos vero quod adtinet, eos sub Tiberio demum, atque ita diu post donatam civitate Italiam, e colonis jus illud municipale, seu suarum legum arbitrium demum nactos, ex Hadriani ea de re apud Gellium verbis constat *f*: *Praenestinos autem refert*, *maxima opera a Tiberio Imperatore petisse*, *orassequе*, *ut EX COLONIA in MVNICIPII STATVM redigerentur*, *idque illis Tiberium pro referenda gratia tribuisse*, *quod in eorum finibus*, *sub ipso oppido ex capitali morbo revaluisset.* Eo enim jure suarum legum, utpote fœderati populi Romani, antequam colonia in illam urbem, post eam a Sulla excisam, fuisset deducta, usi erant olim juxta Tiburtes, Prænestini: unde exulibus populi Romani licuisse suo ævo in urbibus illis, Tibure, Præneste, ac Neapoli, degere, tanquam Romanorum fœderatis, observat *g* Polybius. Easdem vero Urbes, civitate lege Julia primum donatas, ex *h* Appiano liquere videtur; qui id de Tibure ac Præneste, paullo ante Cinnæ dominationem, quæ eandem legem Juliam brevi est subsequuta, sive data tum iis civitate tradit: de Neapoli vero, nominatim, dicto jam ante loco, *i* Cicero. Factum autem pro diversa nempe eorundem Prænestinorum conditione, ut modo *colonia*, modo *municipii* nomine, designetur eadem Præneste in antiquis lapidibus: sicut postrema appellatio ei tribuitur in Inscriptione, quam olim in Æde illius Urbis primaria, dum in id oppidum ditionis Principum Barberinorum, insigni eminentissimi Cardinalis Francisci Barberini civilitate fuissem deductus, describere mihi licuit:

GEN
MVNICIP
C. TALONIVS. CYPARVS
PATER ET
C. TALONIVS CYPARVS
FILIVS.
D. D.

Quomodo jam illud, ut opinor, liquidius percipitur, quod inter municipia & inter colonos discrimen tangit ibidem Gellius: quod nempe iidem *k* *municipes sunt CIVES ROMANI legibus suis & suo jure utentes*, non proinde in Romanorum leges, suis abolitis, ni quam ex iis forte adsciverant, seu ut ibi

u Ibidem c. 45. *w* pro Sulla c. 21. *y* l. VIII. c. 14.
x l. XXIII. c. 31. *a* l. IX. c. 43. *b* l. XVI. c. 13.
c in *Municipium.* *d* l. XXXVIII. c. 36.

e pro Sulla c. 21. *f* l. XVI. c. 13.
g l. VI. p. 462. *h* Bell. Civ. l. I. p. 489.
i l. XIII. Epist. 30. *k* l. XVI. c. 13.

additur, *in quam* iidem *fundi* continuo *facti*: coloniæ vero, ut postea ad horum municipum discrimen ab eodem tangitur, *quæ non veniunt extrinsecus in civitatem, nec suis radicibus nituntur* (sicut nempe utrumque faciebant municipes) *sed ex civitate quasi propagatæ sunt, & jura institutaque omnia populi Romani, NON SVI ARBITRII, habent.* Quæ autem vel eo nomine hic adtigimus, quod id exigeret argumenti, de quo hic agitur, tractatio: tum maxime, quod minus adtente hactenus vel feliciter in enarrandis hisce Gellii, ac Festi, de veteri municipiorum jure aut conditione, locis, versati sint, quod superiora, ut opinor, abunde arguunt, viri cæteroquin in bis litteris principes.

XVI. *Transpadana* vero Galliæ, haud minus ac *Cispadana*, qua de re paullo ante agebatur, municipia non solum, sed colonias eodem etiam jure suffragiorum usas, ante civitatem, integræ primum Transpadanorum legioni, dein universis Transpadanis a J. Cæsare Dictatore, quod paullo ante vidimus, datam; vel ex adductis supra Hirtii, seu Scriptoris ultimi libri de Bello Gallico verbis, licet statuere, quibus Cæsar ante bellum civile [l], *omnes Galliæ Togatæ*, ut municipiis nempe & coloniis commendaret cum auguratus pro M. Antonio, tum sui consulatus petitionem, *partes percucurrisse* dicitur: & mox eundem in finem, sui nempe consulatus petitionis, *T. Labienum Galliæ Togatæ præfecisse*: qua autem *Galliæ Togatæ*, tam *Transpadanam*, quam *Cispadanam* designari, aliunde notum est. Ne adducam huc, ac unde, quæ paullo ante ea de re dicta, denuo adstruuntur, nempe de potiori municipiorum & coloniarum in ferendis in Urbe suffragiis, præ aliis oppidis eo tamen jure donatis, conditione aut confluxu, Ciceronis in Philippicis verba, quibus memoratur *consensus municipiorum coloniarumque provinciæ Galliæ*, h. e. Cisalpinæ, seu quæ tam Transpadanam, quam Cispadanam Galliam complectitur. Hæc enim ad ea tempora (post cædem nempe J. Cæsaris) respiciunt, quibus Transpadani haud minus ac Cispadani jam erant, ut paullo ante vidimus, civitate donati; ac proinde jus illud erant tum adeptæ, quæ a Suetonio dicuntur [n], *Latinæ coloniæ, de petenda civitate agitantes*: ad eas enim Transpadanorum colonias ibi a Tranquillo respici, statuunt haud male eruditi interpretes, ac ante eos monuerat ad Tacitum [o] Lipsius. Transpadanis certe, non nudum civitatis nomen, uti Comatæ Galliæ, qua de re [p] Tacitus, primoribus; sed cum latione suffragii & adipiscendorum Romæ honorum jure, a J. Cæsare datum liquet, cum e Suetonio in ejus vita [q], *civitate donatos & quosdam e semibarbaris Gallorum receptos in curiam*, & quod de Togatis illis Transpadanis dici, vere ad [r] Tacitum monuit vir doctus; tum e Claudii Imperatoris apud Tacitum ea de re verbis, abunde licet colligere. Ibi enim, quum principes Comatæ Galliæ civitatem ante jam consequuti, jus adipiscendorum in Urbe honorum, quo carebant hactenus, expeterent, inter alia, quibus illud iis concedendum censet Claudius, ut quod Alba, Camerio, Tusculo, ac dein Etruria, Lucania, omnique Italia sint in Senatum acciti, addit [s]: *postremo ipsam* (nempe civitatem) *AD ALPES promotam, ut non modo singuli viritim, sed terræ gentesque in nomen nostrum coalescerent. Tunc solida domi quies, & adversus externos floruimus, cum TRANSPADANI IN CIVITATEM RECEPTI*, & quidem, ut totus loci contextus docet, cum pleno suffragii & honorum petendorum jure. Quod etiam adversantium hinc Galliæ Comatæ primorum petitioni Senatorum verba, quæ paullo ante ibidem leguntur, satis evincunt [t]: *An parum, quod Veneti & Insubres curiam irruperint*, qui Transpadani nempe populi: prout etiam Cisalpinos ac Venetos, post civitatem, eamque, ut antea vidimus, cum jure suffragii datam, in eam receptos tradit, adductis supra verbis [u] Strabo. Quum alioquin, & quod præteriri hic non debet, Insubres inter eos populos recenseat in oratione pro Balbo Tullius, & memorabili ea de re loco, qui vi fœderum recipi in civitatem non poterant, nec proinde essent adhuc in eam adsciti [x]: *at enim quædam fœdera exstant, ut Germanorum, INSVBRIVM, Helvetiorum, Japidum, nonnullorum itidem ex Gallia barbarorum, quorum in fœderibus exceptum est, NE quis eorum A NOBIS CIVIS RECIPIATVR.* Quo respicit proinde alibi in eadem oratione, ubi facta Camertini cujusdam civitate a C. Mario donati mentione, addit [y]: *neque Fulginatium, neque Camertium fœdere esse exceptum, quo minus eorum civibus a populo Romano præmia virtutis tribuerentur.* Quum etiam dictorum modo fœderum cum Germanis, Insubribus, Helvetiis, aliisve, ne quis ex iis gentibus Romanus civis fieret, conditionem, ab iisdem populis, non vero a Romanis profectam, licet ibi ex eodem Tullio agnoscere: maxime autem ex iis, quæ paullo ante de diverso omnino Romanorum ea in re instituto, clarissime disserit [z]: *Defendo enim rem universam, NVLLAM esse GENTIVM ex omni regione terrarum, neque tam dissidentem a populo Romano, odio quidem atque dissidio, neque tam fide benevolentiaque conjunctam, ex qua NOBIS INTERDICTVM SIT, ut neque adsciscere civem, aut civitate donare possimus.* A quo tamen instituto non multo post resilierunt aliquatenus sub primis Cæsaribus, & quidem, ut licet statuere, sub Augusto Romani, seu ipse Augustus; dum devictis Ægyptiis, iis interdictum est, ne Romanæ aut etiam Alexandrinæ civitatis fierent participes; & quomodo alioquin a Dione dicitur [a], Augustum nulli Ægyptiorum, senatorem esse Romanum permisisse. Docet id insigni eam in rem loco Josephus, ubi Apionem redarguit, qui quum Oasi in Ægypto, ut paullo ante dixerat, foret natus, præter fas tamen se Alexandrinum ferebat [b]: Γεννηθεὶς γάρ, ὡς προεῖπον, ἐν τῷ βαθυτάτῳ τῆς Αἰγύπτου, πῶς ἂν Ἀλεξανδρεὺς εἴη, ΤΗΣ κατὰ δόσιν ΠΟΛΙΤΕΙΑΣ, ὡς αὐτὸς ἐφ' ἡμῶν ἠξίωκεν, ἀνῃρημένης; καίτοι ΜΟΝΟΙΣ ΑΙΓΥΠΤΙΟΙΣ οἱ κύριοι νῦν Ῥωμαῖοι τῆς οἰκουμένης, μεταλαμβάνειν οὑτινοσοῦν ΠΟΛΙΤΕΙΑΣ ΑΠΕΙΡΗΚΑΣΙΝ. *Natus enim in intima Ægypto, quomodo erit Alexandrinus, JVRE CIVITATIS, quod ipse de nobis prædicat, SVBLATO? cum SOLIS AEGYPTIIS orbis nunc Romani domini participare cujuslibet civitatis interdixerint.* Unde mirari haud immerito subit, ignorasse id eadem ætate cum Romanum Principem, tum eruditissimum consularem; quod tamen recutitum ac Romæ agentem non fugit, dum medico Harpocrati, eique Ægyptio, civitatem a Trajano petit, eamque ab eo sine mora impetrat Plinius junior; donec postea aliunde edoctus, quid agendum prius fuerat, quo novus hic civis concesso uti posset Romanæ civitatis beneficio, Principem ipsum commonefacit: debuisse nempe illum Ægyptium Harpocratem, prius Alexandrinum civem fieri, antequam is civitate Romana donaretur. Verum, & quod ab eruditis ad Plinium id non animadversum videam, nec is parum inde, uti vicissim Josephus, illustretur, illius ea de re ad Trajanum

[l] l. viii. c. 52. [n] in Cæsare c. 9.
[o] ad Annal. xv. c. 23. [p] Annal. xi. c. 23. [q] cap. 76.
[r] ad Annal. xv. c. 24. [s] Annal. xi. c. 24.

[t] Ibid. c. 23. [u] l. v. p. 210. [x] pro Balbo c. 32.
[y] Ibidem c. 47. [z] Ibidem c. 30. [a] l. 51. p. 455.
[b] adv. Apion. l. II. p. 1063. ed. Genev.

verba

verba hic juvabit adponere *c*: *Ago gratias, Domine, quod & jus Quiritium libertis necessariæ mihi feminæ, & CIVITATEM ROMANAM HARPOCRATI, jatraliptæ meo, sine mora indulsisti: Sed quum annos ejus & censum, sicut præceperas, ederem, ADMONITVS SVM a peritioribus, debuisse me ANTE ei ALEXANDRINAM CIVITATEM impetrare, deinde ROMANAM: quoniam esset ÆGYPTIVS. Ego autem, quia inter ÆGYPTIOS, cæterosque peregrinos nihil interesse credebam, contentus fueram hoc solum scribere tibi, eum scilicet a peregrina manumissum, patronumque ejus pridem decessisse. De qua IGNORANTIA MEA non queror, per quam stetit, ut tibi pro eodem homine sæpius obligarer. Rogo itaque ut beneficio tuo LEGITIME FRVI POSSIM, tribuas ei & ALEXANDRINAM CIVITATEM, & ROMANAM.* Quod jus Alexandrinæ civitatis, etsi in eo largiendo superiorum ante eum Principum exemplo, non illud facile impertiri constituisset, se eidem tamen Harpocrati sequenti ad Plinium rescripto, concedere significat Trajanus: ita tamen, & quo se lata illa de Ægyptiis a prædecessoribus suis lege, non teneri ostendat, ut novum seu duplicatum beneficium a se eidem Harpocrati, ac simul id roganti Plinio, conferri declarat; non vero sine quo is data jam civitate Romana perfrui legitime, sicut admonitus erat Plinius, non possit *d*: *Civitatem Alexandrinam, secundum institutionem Principum, non temere dare proposui: sed cum Harpocrati, jatraliptæ tuo, JAM CIVITATEM ROMANAM impetraveris, huic quoque petitioni tuæ negare non sustineo.* Pro quo autem concessæ huic Ægyptio Harpocrati Alexandrinæ civitatis, post Romanam, beneficio, gratias Trajano idem agit, ea, quæ *e* ante apud illum legitur, alieno proinde loco, epistola. Quum alioquin, ut id haud uno loco testatur Cicero, ac supra jam expendimus, civili Romanorum jure, sed quod postea rescriptis & constitutionibus Principum, subinde mutatum videtur & emendatum, nemo Romanæ ac simul alterius civitatis, quod apud Græcos licuit, civis esse posset. Quod obtinuisse tamen Dionem Prusæensem, ejusque majores, ex eodem oratore intelligimus; a quo traditur ejus *f* *avus ab Imperatore, cujus ei erat amicus, una cum matre CIVITATEM Romanam AC SIMVL Apamensem in Bithynia consequutus.* ὁ μὲν γὰρ πάππος ὁ ἐμὸς μετὰ τῆς μητρὸς τῆς ἐμῆς παρὰ τοῦ τότε αὐτοκράτορος φίλου ὄντος ἅμα ΤΗΣ ΡΩΜΑΙΩΝ ΠΟΛΙΤΕΙΑΣ, καὶ ΤΗΣ ΥΜΕΤΕΡΑΣ ἔτυχεν. Hisce autem adductis modo Josephi vel Plinii, de interdicta olim Ægyptiis Alexandrina, vel Romana, aut qualibet etiam civitate, testimoniis, addi potest illud Ægyptii Scriptoris, Isidori Pelusiotæ, qui & caussam simul id genus interdicti tangit *g*: Αἰγυπτίους μὲν δι' ὠμότητα ΝΟΜΟΣ εἴργει ἀρχῆς, *Ægyptios quidem, ob morum immanitatem, LEX magistratu arcet.* Eadem autem, ne hunc propriam mihi notationem tribuam, Josephi & Isidori de Ægyptiis, quo lex civitate Romana vel magistratu arceret, loca, a me juxta adducta Plinii junioris eadem re verba, pridem animadversa, vidisse quoque eruditissimum *h* Menagium nunc demum advertere mihi contigit.

XVI. Verum non constitutis solum intra Alpes, quod hactenus vidimus, & qui omnes postea in Italiæ appellationem transierunt, populis, sed jam ante civitatem Transpadanis, ac ita omnibus tandem Cisalpinis a J. Cæsare impertitam, eam quoque ante secundum ejus consulatum, Gaditanis universis in ulteriori Hispania, ab eodem Julio datam, & quod populus dein ratum habuerit, tradit Dio *i*: καὶ τοῖς δὲ Γαδειρεῦσι πολιτείαν ἅπασιν ἔδωκε, ἣν καὶ ὁ δῆμος ὕστερον ἐπεκύρωσεν, *Gaditanis etiam universis civitatem dedit, quam deinde populus ratam esse jussit.* Qua quidem civitate donatos jam ante a Sulla novem Gaditanos; a Pompejo autem, Gaditanum itidem Cornelium Balbum, vel e Tullii pro eodem *k* oratione constat; quia is illum, ob controversiam ei postea de civitate motam, tuetur, idque plurimis aliorum exemplis adstruit, qui superioribus Reipublicæ temporibus, e stipendiariis gentibus seu provinciis, ob merita in populum Romanum eorumque Imperatores, sunt subinde in civitatem adsciti *l*: *Nam & stipendiarios ex Africa, Sicilia, Sardinia, cæteris provinciis multos CIVITATE DONATOS videmus, & qui hostes ad nostros Imperatores perfugissent, & magno usui Reipublicæ nostræ fuissent, CIVITATE esse DONATOS.* dein *m*: *quod ... Afros, Sardos, Hispanos, agris stipendioque multatos, VIRTVTE adipisci liceat CIVITATEM.* ac tandem, adductis eorum nominibus comprobat, qui sigillatim a clarissimis Imperatoribus *n*, C. Mario, L. Sulla, Q. Metello Pio, patre Pompeji, ipsoque Pompejo, sint e peregrinis gentibus vel oppidis, iique non Itali solum, sed Massilienses, dicti modo *Gaditani, Saguntini, Mamertini, Uticenses*; Galli proinde, Hispani, Siculi, Afri, ob singularem eorum virtutem ac fortitudinem in civitatem accepti: ac prout ab eodem Tullio in Verrinis Halesinus in Sicilia Dio *o*, *nunc beneficio Q. Metelli civis Romanus factus dicitur.* Quomodo etiam lege, & de qua jam ante, a Saturnino tribuno plebis lata, Mario decretum tradit *p*, *ut in singulas colonias ternos cives facere posset*: & alia lege, quam L. Gellius & Cn. Cornelius consules ex senatus sententia tulerant *q*, *ut cives Romani sint, quos Cn. Pompejus de consilii sententia sigillatim civitate donaverit.* Adeo ut non id in mero fortissimorum, liberæ Reipublicæ temporibus, Imperatorum arbitrio positum foret, civitate Romana quenpiam peregrinum, etsi bene de se vel Romano populo meritum, donare; nisi id peculiari lege, aut senatus populique Romani decreto, foret iis nominatim concessum; aut saltem, ut de Cæsare paullo ante vidimus, Gaditanis civitatem largiente, a populo dein ratihabitum. Quorum illud e Marii etiam facto dictove apud Plutarchum licet colligere; qui quum uno tempore mille Camerinos, (nempe ante civitatem toti Italiæ datam) quod strenue fuerant contra Cimbros præliati, civitate donasset, *r* *idque tanquam contra leges factum* in reprehensionem incurrisset, dixisse fertur, *leges se per armorum strepitum exaudire non potuisse*, ὅτι τοῦ νόμου διὰ τὸν τῶν ὅπλων ψόφον οὐ κατακούσειε. In quo cæteroquin vel hujus Marii, vel aliorum, quos adtigi, Romanorum ducum, peregrinos, qui se strenue in bello gesserant, civitate donantium facto, licet illud Ennianum de Hannibale, quod refert alicubi Tullius, agnoscere *s*, *hostem qui feriet, mihi erit Carthaginiensis, quisquis erit, civitatis.* Quomodo etiam vel Siculum Mutinem, ob merita in populum Romanum, seu quod in Sicilia cum equitatu suo ad Romanos transierit, civem Romanum factum, tradunt *t* Livius & *u* Asconius; vel Q. Lutatius Diodorus, qui Catuli ope a Sulla, teste *x* Tullio, civitatem accepit: aut quod is alibi de

c lib. x. Epist. 22. *d* l. x. Epist. 23. *e* l. x. Epist. 4
f Orat. xvi. p. 50. *g* l. i. Epist. 489.
h Amœnit. Jur. c. 30. *i* l. xli. p. 164.
k pro Balbo. c. 40. *l* Ibidem. c. 40
m Ibidem. c. 41.

n Ibidem. c. 51. *o* in Verrem. ii. c. 20.
p pro Balbo c. 48 *q* Ibidem. c. 19.
r in Mario p. 421.
s pro Balbo c. 51. *t* l. xxvii. c. 5.
u in Pisonian. *x* in Verrem ii. c. 37.

eodem Sulla ait *y*, *Sulla cum Hispanos & Gallos donaret*, civitate nempe; & ibidem paullo ante de Pompejo, quod is Theophanem Mytilenæum *z in concione militum civitate donavit*. Ita, quod alibi ait in oratione pro Balbo Cicero *a*: *ad civitatem recepti ex liberis fœderatisque populis*; & quidem ex Transalpinis, aliisve, ut vel superiora arguunt, populi Romani provinciis, libera adhuc Republica: donec eadem civitas, integris etiam extra Italiam oppidis ac gentibus, extremis liberæ Urbis temporibus, ac dein sub Cæsarum imperio est paullatim latius communicata.

y pro Archia. c. 27. *z* Ibidem c. 24. *a* cap. 52.

II.

DE CIVIBVS ROMANIS A JVL. CAESARE

ad Antoninum Pium.

XVII. ENIMVERO civitatis extra Italiam, ac integris quidem oppidis, impertitæ initium a J. CAESARE factum est: a quo præter Gaditanos, sub initium belli civilis, ac secundo ejus consulatu, & confirmato iis a populo, ut paullo ante diximus, jure, civitate jam donatos, victis postea in Hispania Pompeji liberis, idem illis, quorum in ea gente benevolentiam fuerat expertus *b*, *aliis immunitatem*, *aliis civitatem*, *aliis ut essent coloniæ Romanorum*, *largitus*, a Dione, quod itidem supra vidimus, dicitur: ἔδωκε μὲν χωρία, καὶ ἀτέλειαν, ΠΟΛΙΤΕΙΑΝ τέ τισι, καὶ ἄλλοις ἀποίκοις τῶν Ῥωμαίων νομίζεσθαι. Adeo ut haud immerito sua in eam provinciam, neque unius generis, beneficia prædicare legatur Cæsar apud *c* Auctorem de bello Hispaniensi. Accedit, quod ante Cæsaris obitum, & quum is solus rerum potiretur, civitas peregrinis ad ejus lubitum deinceps sit data; uti, teste *d* Tranquillo, omnibus medicinam in Urbe professis, & liberalium artium doctoribus: prout olim Archagathum medicum, e Peloponneso Romam, anno V. C. DXXXV. profectum, jure Quiritium donatum, emptamque ei de publico tabernam, tradit *e* Plinius. Ita Siculo cuidam Demetrio Megæ, & rogatu quidem, ut ipsemet id tradit, *f* Ciceronis, ac interventu Dolabellæ, data a Cæsare civitas: ita ut citra senatus vel populi consensum, beneficium illud, quibus vellet, Cæsar pro imperio tum largiretur; aut vero qui gratia apud eum valebant, aliis & indignis etiam illud vendere non dubitarent. Quam in rem exstant ejusdem Tullii verba in Epistola ad Acilium Siciliæ proconsulem *g*: *Cumque propter sordidos quosdam homines, qui Cæsaris beneficia vendebant, tabulam in qua nomina CIVITATE DONATORVM incisa essent, revelli jussisset, eodem Dolabella, me audiente, Cæsar dixit, nihil esse quod de Mega vereretur: beneficium suum in eo manere. Hoc te scire volui, ut eum CIVIVM ROMANORVM numero haberes.* Ita ut jus illud, quod quondam ne Senatus quidem *h* citra populi consensum tribuere cuiquam solitus, & inde quod *populi jus* exstitisse *i* alibi apud Livium dicitur (haud aliter nempe ac idem in danda civitate apud Athenienses obtinuisse, ut nonnisi plebiscito, & iterato quidem, conferri eadem posset, in *k* oratione in Neæram traditur) jam ad unius hominis arbitrium, & quidem ut venale etiam esset beneficium, fuerit impertitum. Ita non jam uni vel altero Siculo, sicut illi Demetrio, quem modo diximus, Megæ, sed mox toti Siciliæ civitas, velut ejusdem J. Cæsaris testamento, lata ea de re lege, a M. Antonio est data, & quo nomine queritur apud Atticum suum Tullius *l*: *Scis quam diligam Siculos, & quam illam clientelam honestam judicem: multa illis Cæsar, neque me invito, etsi Latinitas erat non ferenda: verumtamen ecce autem Antonius accepta grandi pecunia, fixit legem a Dictatore comitiis latam, qua SICVLI CIVES ROMANI, cujus rei, vivo illo, mentio nulla.* Quod factum tangit similiter alibi *m*: *CIVITAS DATA non solum singulis, sed etiam nationibus & provinciis universis a mortuo.* Ad quæ verba respicit Dio, ubi habitam hanc a Tullio orationem refert, & qua de eodem Antonio inter alia dicitur, multa eum Cæsaris acta evertisse, multa in commentarios ab eo relictos intulisse, & quidem *n* καὶ γὰρ χώρας, καὶ ΠΟΛΙΤΕΙΑΣ, καὶ ἀτελείας, καὶ ἄλλας τινὰς τιμὰς, τοὺς τε ἔχοντας ἀφῄρειτο, καὶ ἰδιώταις, καὶ βασιλεῦσι, καὶ πόλεσι, καὶ τοῖς μὴ λαβοῦσι ἐδίδου, παραποιούμενος τὰ τοῦ Καίσαρος ὑπομνήματα. *Agros CIVITATES, immunitates, aliosque id genus honores iis, quibus Cæsar ea dederat, privatis, regibus, urbibus, ademit: aliis ea adtribuit, corruptis ob hanc rem Cæsaris commentariis.* ac, ut addit, illis, qui ejus postulatis non satisfacerent, ea eripiens; aliis, qui quod petiisset, darent, ea atque alia vendens. Id quod jam antea, ubi testamenti relictas a J. Cæsare tabulas nactus esset Antonius, ab eo factum, retulerat idem *o* Dio: eum nempe, quasi ex Cæsaris præscripto, *aliis libertatem*, *aliis CIVITATEM*, *aliis immunitatem vendidisse*, τοῖς δὲ ἐλευθερίαν, ἄλλοις ΠΟΛΙΤΕΙΑΝ, ἄλλοις ἀτέλειαν πωλῶν. Quanquam non eo mortui Cæsaris beneficio, seu civitatis jure donatam continuo Siciliam, sed ea potius, quam illi provinciæ adhuc, uti ex adductis Tullii verbis liquet, indulserat, Latinitate, liceat ex Plinio percipere. Ab eo certe in describenda Sicilia, suo adhuc ævo una traditur *p* *Messana*, *civium Romanorum*; aliquot vero coloniæ, *Syracusæ*, *Tauromenium*, *Thermæ*, *Tyndaris*: pleræque autem, quas ibidem enarrat, illius Insulæ urbes, dicuntur *Latinæ conditionis*. Unde etiam illustratur id, quod de Augusto refert *q* Dio, eum in Siciliam profectum, rebus in ea provincia ordinandis, Syracusisque & aliis quibusdam coloniis Romanorum ut essent, destinatis.

XVIII. Ita hoc dandæ civitatis beneficium, usurpati jam a Cæsare illius juris exemplo, ad se quoque transtulerunt ejus successores; & quidem ut in eo largiendo parciores alii, alii vero liberaliores aut securi nimium exstiterint. De AVGVSTO nempe tradit Suetonius *r*: *Civitatem Romanam parcissime dedit: dein & Livia pro quodam tributario Gallo roganti civitatem, negavit, immunitatem obtulit: adfirmans, se facilius passurum fisco detrahi aliquid, quam CIVITATIS ROMANAE vulgari honorem.* Unde etiam ne venalis apud alios evaderet eorum civitas, Atheniensibus, ne quem civem accepta pecunia facerent, interdixisse Augustus apud

b l. XVIII. p. 233. *c* cap. 42. *d* in Cæs. c. 42.
e l. XIX. sæc. 6. *f* l. XIII. Epist. 6. *g* Ibidem.
h l. VIII. c. 21. *i* l. XXXVIII. c. 36.
k Demosthen. p. 519. & 530. *l* l. XIV. Epist. 12

m Philipp. X. c. 24. *n* XLV. p. 282.
o l. XLIV p. 268.
p l. III. c. 8. *q* l. LIV. p. 525.
r in August. c 40. *s* l. LIV. p. 525.

Dionem

Dionem dicitur. Quod utique dudum apud Athenienses invaluisse, ut venalis nempe esset eorum civitas; ac unde hic Dionis locus haud parum illustratur, docet insignis eam in rem apud Demosthenem locus, ubi quum magnum quid Athenis, immo majus omni beneficio, habitam a majoribus civitatem dixisset, addit continuo *t*: Νῦν δὲ, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, φθόρους ἀνθρώπους ὑπεροπτῶν ὑποτεθέντας, ΤΙΜΗΝ, ὥσπερ ἄλλο τι τῶν ΤΩΝ ΩΝΙΩΝ, λαμβάνοντες, ΠΟΙΕΙΣΘΕ ΠΟΛΙΤΑΣ. *nunc vero, Athenienses, homines perditos, servos servis genitos, accepto tanquam pro ALIIS MERCIBVS PRECIO, CIVES FACITIS*: & quomodo *u* alibi abjectum & vile dicit factum hoc civitatis Atheniensium donum, præ turpis lucri studio eorum, qui illius urbis honores ac præmia levi omnino lucello addicerent. Quum alioquin, quod tamen priori loco factum tangit Demosthenes, servis lege vetitum Athenis civitatem dare, tradit *x* Dio Chrysostomus. Idem vero Romanæ civitatis suo ævo, ac proinde sub Augusto, quale extremis Jul. Cæsaris, ac post ejus mortem temporibus, modo adtigimus, fatum deplorat alicubi Halicarn. *y* Dionysius. Ubi nempe e manumissis plurimos olim gratis, ac honestatis & probitatis merito, libertatem ac inde (uti ea de re ante) civitatem consequutos docet; paucos autem numerato pretio, quod labore per jus & fas conquisivissent. At non ita, quod addit, suo tempore, quo talis sit rerum confusio, ac adeo ad sordes & ignominiam degeneraverit Romanorum probitas; ut e quibusvis & gravissimis etiam flagitiis collecta pecunia, libertatem redimant scelerati quique & impuri, καὶ εὐθὺς εἰσὶ Ῥωμαῖοι, *& ita Romani cives continuo fiunt*: ac, ubi plures adhuc nefandas aut propudiosas nequissimorum servorum libertatem consequendi artes enarrasset, subdit, eorum adspectum & consuetudinem a plerisque respui, *z* ὡς οὐ πρέπον ἡγεμονικῇ πόλει, καὶ παντὸς ἄρχειν ἀξιούσῃ τόπου, ΤΟΙΟΥΤΟΥΣ ΠΟΛΙΤΑΣ ΠΟΙΕΙΣΘΑΙ, *quo indignum clamant, Urbem rerum dominam, & totius orbis imperium consequutam, TALES CIVES ADSCISCERE.* Quam tamen inductam a Servio Tullio, ut supra vidimus, in manumittendis legem seu consuetudinem, & qua tot indignis civibus fœde urbs inquinatur, non ideo tollendam censet ibidem Dionysius; sed alia ratione, seu a censoribus providendum, ut in agendo censu digni tantum civitate in tabulas referantur: scelerata vero & impura multitudo, honesta aliqua specie, foras seu in coloniam ablegaretur. Quod etiam brevi, ut hoc addam, ac sequutis adhuc temporibus, variis legibus & constitutionibus, quibus effrena hæc manumissionum, ac inde datæ civitatis licentia coerceretur, est provisum; sicuti celebratis illis legibus Junia Norbana, Ælia Sentia, Fusia Caninia, aliisque, & quarum peculiares exstant in jure Justinianeo tituli; nempe, *a Qui & a quibus manumissi, liberi non fiunt*, addo, nec proinde cives Romani: aut, *b Ne quibusvis ex caussis manumittere liceret*; sed justa & probata, uti ea de re in iisdem *c* legibus præcipitur, apud judices caussa. Qua ratione itidem cautum jam olim in eadem juris penu constat, *d* ne omnes manumissi continuo Romani cives fierent: tum etiam, ut qui e manumissis Romani cives forent, *e* amissa civitate, nempe tanquam in dominos *f* ingrati, *Latini* tantum fierent. aut aliis insuper poenis subjacerent. Nam alioquin *cives*, ut in Diocletiani *g* constitutione legitur, *origo, MANVMISSIO, adlectio vel adoptio facit*: de Augusto autem a *h* Suetonio, ne id genus manumissionibus Romanæ civitatis honor vilior evaderet, dictum, *& manumittendi modum terminavit*: mox *cum & de numero & de conditione ac differentia eorum, qui MANVMITTENTVR, curiose cavisset, hoc quoque adjecit, ne vinctus unquam tortusque quis, ullo libertatis genere CIVITATEM adipisceretur.* Quibus etiam præcavendis (quæ postea legum severitas, aliis dein legibus fuit mitiganda) respexerat itidem illud Augusti in extremis ad Tiberium ac ad Senatum populumque Romanum mandatis, prudens inter alia monitum, quod apud Dionem legitur, & qui ex adducto Dionysii, coævi Augusto scriptoris, ut diximus, loco, haud parum illustratur. *i*: Καὶ τὸ τέταρτον, ἐντολὰς καὶ ἐπισκήψεις τῷ Τιβερίῳ καὶ τῷ κοινῷ ἄλλας τε, καὶ ὅπως ΜΗΤ' ΑΠΕΛΕΥΘΕΡΩΣΙ ΠΟΛΛΟΥΣ, ἵνα μὴ παντοδαποῦ ὄχλου τὴν πόλιν πληρώσωσι. ΜΗΤ' ἂν ΕΣ ΤΗΝ ΠΟΛΙΤΕΙΑΝ συχνοὺς ἐσγράφωσιν, ἵνα πολὺ τὸ διάφορον αὐτοῖς πρὸς τὸ ὑπήκοον ᾖ, *quarta mandata Tiberio ac Republicæ data, interque alia, NE MVLTOS MANVMITTERENT, ac promiscua turba urbe impleretur: NEVE MVLTOS JVRE CIVITATIS DONARENT, quo magnum inter ipsos & subjectos discrimen remaneret.* Adeo ut vel inde etiam, seu e postremis hisce verbis vel mandatis constet, quam moriens alienus adhuc fuerit ab amplectendo eo consilio Augustus, quod ei dudum dedisse Mæcenas alibi apud eundem Dionem legitur, cujusque loci obiter & alia occasione facta est jam ante a nobis mentio, ὅτι καὶ ΤΗΣ ΠΟΛΙΤΕΙΑΣ ΠΑΣΙ σφίσι ΜΕΤΑΔΟΘΗΝΑΙ, φημὶ δεῖν, ἵνα καὶ ταύτης ἰσομοιροῦντες, πιστοὶ σύμμαχοι ἡμῖν ὦσιν, ὥσπερ τινὰ μίαν τὴν ἡμετέραν πόλιν οἰκοῦντες, καὶ ταύτην μὲν ὄντως ΠΟΛΙΝ, τὰ δὲ σφέτερα ἀγροὺς καὶ κώμας νομίζοντες εἶναι. *ut insuper addam OMNIBVS iis* (nempe imperio subjectis) *CIVITATEM ESSE DANDAM; ut hujus quoque participes, fideles nobis socii sint, nostram quasi unicam urbem ipsi quoque incolentes, eamque vere urbem, suas autem patrias agros demum & pagos reputantes.* Quod equidem consilium, quo omnes in orbe Romano, sublato nempe omni inter eos discrimine, cives Romani continuo fierent, nec sequutus est, ut vidimus, qui & contrarium prorsus ultimis tabulis mandavit, Augustus; nec nisi duobus circiter ab ejus morte seculis, constitutione Antonini Imperatoris, de qua infra dicetur, & cujus occasione, suscepta est omnis hæc commentatio, est demum sancitum. Id tantum de Augusto, quoad illam Romanæ civitatis communicationem adtinet, refert Suetonius *k*: *civitates merita erga populum Romanum adlegantes, immunitate, vel CIVITATE donavit.* Quod postremum a Dione similiter tangitur; Augustum nempe Gallicis, Germanicis, & Hispanicis bellis confectis *l*, τὴν τε ἐλευθερίαν καὶ ΤΗΝ ΠΟΛΙΤΕΙΑΝ, τοῖς μὲν δοὺς, τοῖς δὲ ἀφελόμενος, *libertatem ac JVS CIVITATIS aliis dedisse, aliis ademisse.* Adeo ut ultimo quidem hoc facto, a majorum institutis religiose adeo libera adhuc Urbe, quod antea vidimus, servatis discesserit, Antonii, de quo paullo ante, aut Sullæ, de quo supra, exemplo, ac uti dein a Claudio etiam factum dicetur, Augustus: quibus nempe institutis, data semel civitas non poterat invito etsi tum hosti, ac in armis contra Urbem, ut supra de Vo-

t Περὶ Συνταξ. p. 70. *u* actu. Aristocrat. p. 457.
x Orat. xv. p. 235. *y* Antiq. l. iv. p. 287.
z Ibid. p. 228. *a* Dig. lib. xl. Tit. ix.
b Instit. lib. v. Tit. vi. *c* Leg. ix. & xvi. D. de Manumis. vindict. Inst. Tit. vi. 11. 6.
d Ulpian. Fragm. Tit. 1. 12. 5. Inst. de libertin. 3.

e Leg. 1. C. Th. de Hered. Petit.
f Ulpian. leg. xxx. D. Qui & a quib. manum. Paulus leg. xxx. de V. E.
g leg. vii. Cod. Inst de Incolis. *h* in August. cap. 40.
i leg. lvi. p. 541. 8. l. li. p. 379.
k in August. c. 47. *l* l. liv. p. 538.

Inter-

laterranis dictum, eripi. Quam in rem unique memorabilia sunt Ciceronis verba *m*: *Tum igitur majores nostri populares non fuerunt, qua nec vis temporum* (Syllanorum nempe,) *nec potentia magistratuum, nec res tum judicata, nec denique universi populi Romani potestas, qua cateris in rebus est maxima, labefactare possit.* Prius vero illud Augusti beneficium, datæ nempe pluribus oppidis civitatis, arguunt etiamnum, ac unde adductis ea de re Tranquilli ac Dionis verbis, lux & auctoritas accedit, ea, quæ in residuis hactenus illius Principis nummis, inscripta leguntur cum MVNICIPII appellatione oppida; & cujusmodi nos olim protulimus, ac descripserunt quoque & divulgarunt celebres antiquarii, cum pridem, varia quod adtinet Hispaniæ municipia, Ant. Augustinus; tum nuper peculiari opere, de hisce antiquitatibus præclare meritus, Jo. Vaillant. Qualia nempe signantur in Augusti nummis *Hispania Municipia*, illiusque vel *Ulterioris*, ut a Romanis, dicebatur, BILBILIS, unde *municipes Bilbilitani*, a *n* Bilbilitano poeta appellati: & quæ dicta est duorum Imperatorum Trajani ac Hadriani, etsi hic Romæ sit natus, patria, ac de qua etiam obiter supra, ITALICA: vel Citerioris Hispaniæ, CALAGVRIS, ERGAVICA, ILERDA, TVRIASO; & quibus addi debent, etsi hactenus in nummis Tiberii inscripta itidem tantum compareant, MVNICICIA, HIBERA ILERGAVONIA, DERTOSA, GRACCVRIS, CASCANTVM, OSICERDA; ac unde apud Plinium *o* *Osicerdenses*, non *Osigerdenses*, bene autem juxta nummos apud Ptolemæum Ὀσικέρδα, ut obiter id tangam, quod præteriit postremus ac eruditus Plinii editor, legendum liquet. Etsi negotium hic facessere videatur idem Plinius, dum eosdem *p* *Osicerdenses*, uti & *Cascantes*, *Ergavicenses*, *Graccurritanos*, ac præterea *Leonicenses*, non oppida Civium Romanorum, sicut dicta ante municipia, *Calagurim*, *Ilerdam*, *Turiasonem*, sed *Latinorum veterum* vocet. Quum tamen indubia sit nummorum illorum, qui MVNICIPII appellationem iis civitatibus tribuunt, & quales ipsimet haud semel cum in Italiæ gazis, tum maxime in Regiis Gallorum thesauris versavimus, fides: nec statuendum videatur, ab Augusti vel Tiberii temporibus, imminutam eorum oppidorum sortem, ut e municipiis civium Romanorum, eædem coloniæ, & quidem Latinæ, seu cum Latii demum jure, fierent. Nisi id sub Vespasiano dicatur contigisse; a quo datum universæ Hispaniæ Latium, uti ea de re postea, tradit in fine ejusdem capitis Plinius. De *Celsa* quidem Tarraconensis Hispaniæ, ac in ea Cæsaraugustani conventus oppido id tangit idem *q* Plinius; quod e colonia (& prout in antiquis illis nummis sub Augusto & Tiberio inscribitur, C.I.V. CELSA, *Colonia Julia Victrix Celsa*) eadem municipium evaserit: ut indicant ea, quæ non adsequuti videntur interpretes, auctoris illius verba, *in his* (populis) *civium Romanorum*, *Bilitanos*, *Celsenses ex colonia*, factos nempe cives Romanos, seu municipes, *r* prout *civium Romanorum municipia* dicuntur ab eodem Plinio, quod jam monui, alia, quæ eo jure gaudebant, Hispaniæ oppida. Neque superiora Plinii verba, de Latinis illis, seu cum jure Latii Hispaniæ oppidis, quæ *municipia* dicuntur in Augusti vel Tiberii nummis, tueri alioquin posset id, quod ex Hadriani de Hispanis Halicensibus, unde ortus erat, habita in senatu oratione refert Gellius *f*; mirari nempe Hadrianum, *quod & ipsi ITALICENSES, & quadam item alia MUNICIPIA ANTIQUA, in quibus UTICENSES nominat, cum suis moribus legibusque uti possent, in JUS COLONIARUM MUTARE gestiverint: contra autem Pranestinos, ut Ex COLONIA* (sicut de Celsa, adductis modo verbis Plinius) *in MUNICIPII statum redigerentur.* Neque enim illa *Halicensium* vel *Uticensium* e municipiis, quomodo eadem in antiquis Augusti, & ITALICA etiam in Drusi junioris nummis, dicuntur, mutatio in colonias Latinas, quæ jure demum Latii, non vero, sicut aliæ civium Romanorum Coloniæ, Quiritium gaudebant, ac deterioris proinde erant conditionis, facta ibidem ab Hadriano traditur. Immo ubi de coloniis ei sermo, quæ, ut in sequentibus tangit idem Gellius, *jura institutaque populi Romani habent*, nec proinde erant Latinæ conditionis. Utrumque alias & *municipii & coloniæ* nomen iisdem oppidis, pro mutata quandoque eorum conditione in antiquis monumentis ac apud Auctores subinde tribui, qui in iis non sunt plane hospites, norunt, & adducto etiam haud uno ejus rei exemplo, supra vidimus. Eam vero, de qua ibi apud Gellium Hadrianus, in Africa UTICAM, itidem concesso MVNICIPII jure prius usam, arguunt ejus sub Tiberio nummi; quales in Regia Gallorum gaza a me olim visos pridem *t* indicavi, nempe MVNICIP. JVL. UTICENS. D.D.P. aut in vulgatis nuper a diligenti *v* antiquario Coloniarum Cæsareanarum nummis, M. MVN. JVL. UTICENS. D.D.P.P. *Municipes Municipii Uticensis Decuriones Posuerunt*, seu, ut legendum contendit vir *x* eruditissimus, *Decreto Decurionum*; quod tamen in antiquis MVNICIPIORVM id genus inscriptionibus aliter subinde exprimitur, nempe *Ex D. DD. h.e. Ex Decreto Decurionum.* JVLII vero appellationem municipiis aut coloniis ab Augusto demum deductis, subinde tributam, vel ex eadem nummorum penu constat: ac prout alioquin de Augusto, uti id jam notarunt alii, tradit Dio *y*, quod is *Uticensibus Civitatem dedit*, καὶ τοῖς Ὀυτικησίοις πολιτείαν ἐχαρίσατο. jus nempe, ut e dictis nummis & *z* Gellio liquet, municipii. Adde insuper Hispaniæ in aliis adhuc, quos olim in Pyrrhi Ligorii collectionibus notavimus, aut describit Goltzius, nummis, MVNICIPIA, ut Tarraconensis, *a* CARACCAM aut CARACCENSES; in nummis Tiberii, & *b* Goltzii quidem fide, BARBVSOLA, BVRDOA, LOBETVM, OLEASTRVM, OSCONABA, RAVDA, SAGVNTVM, de quo itidem Plinius *c*, *Saguntum civium oppidum Romanorum*, VOLOBRIGA; in *d* Germanici autem nummis, qui ad eadem proinde tempora respiciunt, BISCARGOS, & filii ejus Caji Cæsaris Augusti, ARABRIGA, quæ inter Lusitaniæ municipia refertur in veteri inscriptione apud *e* Gruterum, ac præterea DACTUVIUM, JVLIOBRIGA, LEONICA; totidem, ut e priscis liquet Geographis, Hispaniæ oppida. Quibus vero *Hispaniæ* sub Augusto municipiis adnumerari continuo debet urbs *Emporia*: de qua nempe, ubi docuisset *f* Livius, eam e tribus constitisse oppidis, quorum unum a Græcis Phocæensibus fuerit conditum; alterum ab Hispanis; tertium autem colonorum genus a Divo Cæsare post devictos Pompeji liberos adjectum, addit *g*: *nunc in corpus unum confusi omnes, Hispanis prius, postremo & Græcis IN CIVITATEM ADSCITIS*,

m pro Domo c. 80. *n* Martial. l. x. Epig. 103.
o l. III. c. 3. *p* Ibidem. *q* Ibidem.
r l. IV. c. 22. *f* l. XVI. c. 13.
t Diss. de præst. num. 5. 768.
v Jo. Vaillant de Colon. num. p. 124. Tit. 2.

x Harduin. Antirrh. p. 121. *y* l. XLIX. p. 401.
z l. XVI c. 13. *a* in MSStis Ligorii.
b in Thesauro Antiquit. *c* l. III. c. 2.
d in Thesaur Goltii 15. *e* Thes. CCXII. 3.
f l. XXXIV. c. 9. *g* Ibidem.

&c

& Augnsti proinde ætate, qua vixisse & historias suas condidisse Livium constat. Cujus rei insuper, seu civitate donati illius oppidi fidem facit, & qui inde quoque illustrari merebatur Plinius *h*, quo inter *oppida CIVIVM Romanorum*, in ora citerioris Hispaniæ, urbs illa Emporiæ adnumeratur: etsi non triplex, juxta Livium, sed geminum duntaxat, juxta *i* Strabonem, oppidum, ibi agnoscat Plinius, h.e. veterum, ut ait, incolarum & Græcorum, qui Phocæensium fuere soboles, seu ut apud Strabonem aliosque *k*, Massiliensium. His autem accedunt vel varia, quorum subinde meminit Plinius *l*, *Siciliæ*, *Sardiniæ*, *Dalmatiæ*, *Illyrici*, *Istriæ*, &c. vel inscripta rursus in lapidibus antiquis, quot collegerunt ac in lucem emiserunt viri præclari, Hispaniæ itidem aliarumve regionum municipia, seu civium Romanorum opppida: quæ postrema, vel ex Goltzii, aut Gruteriani Thesauri, & Reinesiani Syntagmatis indicibus; aut e Gudiano, qui faventem Lucinam, quam ei vovemus, adhuc exspectat, opere, poterit Lector percipere; uti insuper e vulgatis Sponii Miscellaneis, in quibus nonnulla etiam, præter quædam Italica, leguntur Hispaniæ MVNICIPIA, ut *m* SVDITANVM; aut Siciliæ & Lucaniæ *Strongoli*, juxta *n* Holstenium, ut ibidem memoratur, & *o* Gualtherum, *p* LILYBITANVM, & *q* PETILINORVM: in Africa etiam, seu prope Melitam, Insulæ, quam olim vidimus, *r* GAVLITANVM. Verum de qua inscriptionum ætate, aut quando datum iisdem oppidis jus illud municipii, haud licet quid certi statuere, nec eadem proinde ad Augusti vel Tiberii ævum, si paucas mittas, continuo referre: id quod cæteroquin de alio Hispaniæ Tarraconensis municipio dici potest, quod nempe MVNICIPIVM URGAVONE, seu Urgavonense in veteri *ſ* lapide, qui L. CÆSARI AVGVSTI FILIO, quem hic Princeps, ut vulgo notum, cum Cajo fratre adoptavit, est dicatus. In quibus autem, quod obiter hic monendum est, adductis paullo ante Hispaniæ municipiorum nummis, bovem, qui subinde in aversa eorum parte conspicitur, proprium esse municipii in iisdem symbolum, statuit, subinde in præclaro de *t* Coloniis Romanis sub Imperatoribus opere, vir in hac palæstra antiquaria valde exercitatus. Cui tamen, ne continuo accedam, obstat, quod in eadem veteri nummorum suppellectile, occurrat passim similis bovis effigies: qua, & quod idem eximius vir alibi *u* etiam agnoscit, non municipia solum, sed coloniæ, tanquam agri ad arandum eis concessi intuitu, signantur: aut fertilitatis eorundem locorum, sicut in variis quoque Græcarum urbium aut regionum nummis, insigne denotat. In Gallia vero Narbonensi plura quoque oppida civitate sub Augusto donata, liceret e Strabone colligere, uti a Lipsio *x* ad Tacitum fieri video, ubi de Cavaris in altera Rhodani ripa agens, ait eos ne barbaros quidem amplius esse, qui jam omnes Romanam formam, linguamque, & vitæ rationem, *quosdam* etiam, ut ibi interpres *y*, *civitatem adeptos*, τινὰς δὲ καὶ τῇ πολιτείᾳ, nisi ea voce ibi, pro solita itidem hujus vocis apud Græcos Auctores significatione, non tam data Romana civitas debeat intelligi, quam regiminis seu reipublicæ eorum locorum forma; adeo ut linguam aliamque vitæ rationem, ad Romanorum morem ac instituta dicantur accommodasse iidem Cavari. Neque enim vel caput gentis *Narbo*, vel alia præcipua illius Provinciæ oppida, & a Romanis frequentata, *Nemansus*, *Biterra*, *Arausio*, *Avenio*, *Arelate*, aliaque, totidem municipia civium Romanorum, sed coloniæ; & quædam ex iis Latinæ tantum, uti de de *Nemauso*, etsi potissimo tum illius oræ, juxta Strabonem *z*, emporio, Plinii etiam ævo leguntur *a* exstitisse. *Comata* quidem *Gallia*, ac *Transalpina* proinde, primoribus, sed adhuc, qua de re agentem in rebus Claudii Tacitum supra vidimus, & mox dicendi adhuc erit locus, sine suffragio datam sub Augusto, dum Galliam nempe peragravit, vel nonnullis ante sub Julio, civitatem; singulatim nempe iis, qui de nomine Romano erant bene meriti; non vero universis adhuc illius gentis oppidis, licet omnino statuere. Quomodo etiam id subinde in amicorum gratiam factum constat; ut natales eorundem urbes, plurima a Cæsaribus beneficia, sicut autonomiæ, libertatis, immunitatis, restitutæ civitatis, uti *b* Alexandrinis Arium ab Augusto, & quandoque jus civitatis Romanæ adipiscerentur. Postremum utique, de quo hic agitur, in Principe minime cæteroquin benigno, CAJO nempe CALIGVLA commendat, in literis ad eum scriptis apud Philonem *c*, Rex Agrippa, φίλων ἐνίων πατρίδας ὅλας τῆς Ῥωμαϊκῆς ἠξίωσας πολιτείας, *amicorum aliquot patrias integras civitate Romana donasti.* De quo alioquin Cajo, tanquam jus illud Romanæ civitatis a prioribus ante se Principibus datum, præter fas eorundem civium posteris adimente, refert Suetonius *d*: *Negabat jure civitatem Romanam usurpare eos, quorum majores SIBI POSTERISQVE eorum impetrassent, nisi filii essent. Neque enim intelligi debere POSTEROS, ultra hunc gradum. Prolataque Divorum Julii & Augusti diplomata, ut vetera & obsoleta deflebat*, seu, ut eruditi e vestigiis veterum codicum, *deflabat.* Quod nempe prorsus iniquum erat ac absurdum, & in fraudem concessi illius Romanæ civitatis juris, servatæque hactenus perpetuæ ea in re, ut e Romanarum rerum Scriptoribus manifestum, consuetudinis; vel ceteroquin ab obvio ac usitato in omni actorum apud Romanos genere, aut immunitatum largitione, vocis *posterorum*, ut e libris juris civilis notarunt jam ad eum Tranquilli locum viri docti, non plane alienum. Immo quod veteres datæ Romanæ civitatis *e* tabulæ adhuc superstites liquido comprobant; etsi in iis, consueta in talibus formula, & solita vocis *posterorum*, quæ ultra *liberos* extenditur, significatione, non *sibi posterisque* dicitur, sed *IPSIS LIBERIS POSTERISQVE EORVM CIVITATEM DEDIT*, Vespasianus nempe, vel Domitianus, aut Hadrianus, & qua de re mox, ubi de iis Principibus, sermo, seu data sub iis civitate, agetur. Nempe quomodo a veteri Jurisconsulto dicitur *f*: *Vacatio itemque immunitas, quæ LIBERIS ET POSTERIS alicujus data est*, &c.

XIX. CLAVDIVM, patruum ejusdem Caji & successorem quod adtinet, is pro variis Principis illius indole, modo severe, modo humaniter, aut vero temere vel sordide, in concedenda, neganda, aut in adimenda etiam civitate se gessit. Hinc de eo Suetonius *g*: *Civitatem Romanam usurpantes, in campo Esquilino securi percussit.* alibi autem, naves mercaturæ caussa fabricantibus, magna commoda constituisse Claudium *h*: *Civi vacationem legis Papiæ, Poppææ, Latino jus Quiritium*; nempe non qui La-

h l. III. c. 3. *i* l. III. p. 160.
k Scylax p. Stephanus in Ἐμπόριον.
l l. III. Sect. 13. 14. 23. 26. 30. &c.
m Miscell. Spon. p. 189. *n* ad Ital. Cluver. p. 307.
o in Italia p. 145. *p* Misc. Spon. p. 184.
q Ibid. p. 196. *r* Ibid. p. 192. *ſ* Grut. Thes. CCXXXIV. 6.
t Jo. Vaillant. 2. p. 30. & 37. *u* Ibid. p. 205.

x ad Annal. XV. c. 23. *y* l. IV. p. 187. *z* Ibidem p. 181.
a l. III. c. 4. *b* Themist. Orat. XIII. p. 173.
c Legat. ad Cajum p. 1032. *d* in Caligula c. 38.
e Gruter. Thes. DLXXIII 1. 2. 3. &c.
f leg. XIII. D. de Mun. & Honor.
g In Claudio c. 25.
h Ibidem cap. 19.

tium

tium incolebant Latini, lege Julia civitatem dudum jam adepti, sed Latinæ conditionis homines, quos nave non minori quam decem millium modiorum fabricanda, ex hoc Claudii edicto, civitatem, quod ad eum Tranquilli locum opportune jam vidit Torrentius, consequutos tradit *h* Ulpianus. Sic apud *i* Dionem, legatum quendam Lycium origine, sed patria Romanum, Latine interrogasse dicitur Claudius; ac non intelligenti, quid quæsivisset, civitatis jus (pro ea nempe, quam præter avita Civium Romanorum jura, uti ea de re jam ante, potestatem sibi arrogarant Cæsares) continuo ademisse: quum diceret, Romanum eum esse non debere, qui eam linguam nesciret. Eundem vero Claudium, Galliæ non solum Comatæ primoribus civitatem, quam ii jam ante, sed sine honorum petendorum jure erant adepti, cum optimo illo Civium Romanorum beneficio, ut supra e Tacito vidimus, concessisse; sed eandem civitatem universæ *Comata Gallia* ab eodem Principe impertitam, indicare videtur Seneca, præclaro ea de re loco, & de quo alioquin ad Tacitum silent viri docti. Exstat ille lib. VI. de Benef. cap. 19.[n] *Quid ergo:* inquit, *si Princeps CIVITATEM dederit OMNIBVS GALLIS, si immunitatem Hispanis, nihil hoc nomine singuli debebunt? Quidni debeant? debebunt autem non tanquam proprium beneficium, sed tanquam publici partem. Nullam, inquit, habet cogitationem mei. Illo tempore quo universis proderat, noluit mihi propria CIVITATEM DARE: nec in me direxit animum. Itaque quare ei debeam, qui me sibi non substituit, cum facturus esset quod fecit? Primum cum cogitavit GALLIS OMNIBVS prodesse, & mihi cogitavit prodesse: eram enim Gallus, & me etiam, si non mea, PVBLICA tamen NOTA comprehendit.* Quibus nempe verbis ad illud, cujus Tacitus meminit, & de quo mox, Claudii factum respici, quo universæ Galliæ Comatæ civitas sit ab eo data, notat ad eum Senecæ locum, de quo ad Tacitum siluerat, Lipsius. Quod præterea a Principe, ut hoc addam, in eadem Gallia Comata, Lugduni quippe nato, in popularium suorum gratiam factum liceret continuo statuere; quippe *k* alibi ab eodem Seneca, *Marci* (*Antonii* nempe, in cujus etiam nummis LVGDVNI exstat signatum nomen ac loci typus, non, ut hactenus eruditi, *Munatii Planci*, qui *Lucius* dictus est, non *Marcus*) *municeps* vocatur. Cui tamen Lipsianæ de priori illo Senecæ loco interpretationi haud pauca obstant: uti quod nec id e *l* Tacito, ubi ea de re agit, & de Gallorum tantum, qui adepti erant jam ante civitatem, sicut Æduorum, de quibus idem postea, primoribus, liceat colligere: nec e Plinio *m*, ubi post Claudii fata, Galliam Comatam, variasque in eadem gentes ac civitates, quæque inter eas liberæ, aut fœderatæ, aut Romanorum coloniæ demum forent, tangit. Adde, nec ex iis, quæ de Gallia Narbonensi a Romanis magis frequentata, neque tamen jus illud civitatis adhuc adepta: aut de Hispania, quæ præ aliis provinciis Romanorum confluxu florebat dudum, paullo ante diximus, vel adhuc in sequentibus dicetur de Latii tantum jure, quod ei concesserit Vespasianus: quæ omnia, inquam, obstant, ne toti illi, qua late patebat, Comatæ Galliæ, cujusque incolæ pro barbaris a Romanis etiam tum habiti, civitas a Claudio impertita statuatur. Adde, quod nec universæ Hispaniæ immunitatem tum a Claudio datam, quod utrumque conjungit ibi Seneca *n*, *si Princeps civitatem dederit omnibus Gallis, si immunitatem Hispanis &c.* vel ex eodem, de quo modo, Plinio liqueat: nec etiam utrumque illud beneficium, tanquam a Principe jam Gallis & Hispanis revera datum, eadem Senecæ verba continuo adstruant: immo quibus is videtur innuere voluisse, si Claudius civitatem dederit omnibus Gallis, uti data jam erat eorum primoribus, aut omnibus Hispanis, qua pluria inter eos jam gaudebant oppida, teste eodem Plinio, immunitatem; quid tum singuli earundem gentium, qui ita alterutrius illius beneficii compotes forent, ea de re deberent statuere; & an id tanquam indultum sibi privatim a Principe illud donum, agnoscere. Immo quod ex alio rursus Senecæ loco luculenter adstruitur; ubi, ceu in eleganti de Claudii morte satyrico libello, is cogitasse quidem dicitur, civitatem non omnibus solum Gallis, sed aliis etiam gentibus dare, ni mors eum prævenisset: *Sed Clotho: Ego me hercule*, inquit, *pusillum temporis adjicere illi volebam, dum hos pauculos, qui supersunt, CIVITATE DONARET. Constituerat enim omnes Græcos, GALLOS, Hispanos, Britannos, Togatos videre: Sed quoniam placet aliquos peregrinos in semen relinqui, & tu ita jubes fieri, fiat.* Quam autem, etsi jam ante receptam, at sub hoc Principe auctam mirum in modum Romanæ civitatis non largitionem solum, sed turpem nundinationem, docet, & quæ inde merentur omnino hic adscribi, Dionis ea de re verba *o*: Συχνοὺς δὲ δὴ καὶ ἄλλους ἀναξίους ΤΗΣ ΠΟΛΙΤΕΙΑΣ ἀπήλασε, καὶ ἑτέροις αὐτὴν, καὶ πάνυ ἀνέδην, τοῖς μὲν κατ' ἄνδρα, τοῖς δὲ καὶ ἀθρόοις ἐδίδου. ἐπειδὴ γὰρ ἐν πᾶσιν, ὡς εἰπεῖν, οἱ Ῥωμαῖοι τῶν ξένων προετιμῶντο, πολλοὶ αὐτὴν παρά τε ἐκείνου αὐτοῦ ᾐτοῦντο, καὶ παρὰ τῆς Μεσσαλίνης, τῶν τε Καισαρείων ΩΝΟΥΝΤΟ· καὶ διὰ τοῦτο μεγάλων τὸ πρῶτον χρημάτων πραθεῖσα, ἔπειθ' οὕτως ὑπὸ τῆς ἐπιχειρίας ἐπευωνίσθη, ὥστε καὶ λογοποιηθῆναι, ὅτι κἂν ὑαλινά τις σκεύη συντετριμμένα δῷ τινι, ΠΟΛΙΤΗΣ ΕΣΤΑΙ. *Multos quoque alios indignos CIVITATE spoliavit; multis autem aliis singulatim, aut confertim eam & absque discrimine dedit. Quia enim omnibus fere in rebus, Romani peregrinis potiores habebantur, multi CIVITATIS jus ab ipso petebant, multi a Messalina, Cæsareanisque libertis REDIMEBANT. Itaque jus illud magna quondam pecunia venditum, adeo tunc vile factum est, ut vulgo jactatum fuerit, etiamsi quis alicui vasa vitrea confracta dedisset, CIVEM ROMANVM fore.* Quod de venundato pridem, & quidem haud exiguo ære, illo Romanæ civitatis jure hic tangitur, a Salviano similiter monitum video *p*: *Itaque nomen civium Romanorum aliquando non solum magno æstimatum, sed MAGNO EMPTVM.* Quod vero idem jus aut nomen in indignos fuerit collatum, in jam ante ex adductis Ciceronis de Cæsaris familiaribus, aut qui gratia ejus ea in re abutebantur; vel ex aliis ejusdem Tullii ac Dionis, de simili M. Antonii post Cæsaris cædem facto, prolatis quoque supra verbis, licet colligere; aut vero e gravissima Dionysii Halicarn. de civitate, suo, seu Augusti, ævo, nefandis artibus, & collecta e turpissimis quibusque flagitiis pecunia, ab impuris hominibus, quod itidem vidimus, parta. Ut mittam quod de simili quoque Atheniensium, in vendenda quoque vili pretio & indignis quidem, eorum civitate, instituto, supra jam adtigi. Neque vero vel ab ipso Cæsare, Gaditanis primum, dein Gallis Transpadanis; aut ab eodem Julio vel Augusto, opulentis Hispaniæ oppidis, vel ditibus Comatæ Galliæ, etsi nec dum pleno jure, primoribus; aut hisce postremis a Claudio, cum honorum adipiscendorum jure, *gratuito* datam civitatem, licet utique arbitrari. Immo unde haud parum illustratur id, quod in Actis Apostolorum *q*, vel a tribuno militum, &

h Fragm. Titul. III. *i* l. LX. pag. 676.
k in Ludo de morte Claudii *l* Annal. XI. c. 23. 25.

m l. IV c. 17. *n* de Benef. l. VI. c. 19. *o* l. LX. p. 676.
p de Gubern. Dei l. V. c. 5. *q* Act. XXII. 28.

quidem

quidem hujus Claudii temporibus, dicitur; quod multa pecuniæ summa esset civitatem Romanam consequutus [s]; aut quod de D. Paulo, qui quum Tarsi in Cilicia natus, se [r] Romanum civem profiteretur, in [ſ] Græcorum ea de re commentariis legitur: quod nempe ejus pater pecunia sibi Romanam civitatem comparasset. *Tarsus* enim, non civitate quidem, ut minus accurate ad eum Actorum locum a viris eruditis est adnotatum, sed libertate tantum ac immunitate, post hanc urbem a Cassio adflictam, a M. Antonio donata apud Appianum legitur [t]: *Λαοδικέας δὲ καὶ Ταρσέας ἐλευθέρους ἀφίει, καὶ ἀτελεῖς φόρων, Laodicenses autem ac Tarsenses liberos ac immunes a tributis reliquit.* Quod postremum immunitatis beneficium, in Athenodori Tarsensis præceptoris sui gratiam, ab Augusto itidem concessum, a Luciano [u] dicitur, nulla qooque facta datæ iisdem civitatis mentione; uti nec a Dione Chrysostomo [x], ubi recenset eo loco, quem jam viderunt eruditi, varia in hanc urbem collata ab Augusto beneficia. Neque enim *honore*, quo inter alia adsectam ab Augusto Tarsum dicit ille oris aurei Dio, Romanæ civitatis beneficium, quod statuit ad eum Actorum locum [y] Vir magnus, innuitur; sed primatus gentis, seu, & de qua facta fuerat ibidem mentio, metropoleos dignitas, qua ornata fuit eadem Tarsus, quæque ei ab Augusto, ut vel nummi ejus sub Cæsaribus cusi abunde etiamnum arguunt, adserta fuerit vel confirmata. Ipsum vero ΕΛΕΥΘΕΡΑΣ seu *Libera* nomen, quod eidem largitur [z] Plinius, huic Ciliciæ metropoli, in antiquo Regiæ Gallorum gazæ [a] nummo sub Caracalla percusso tribuitur; non vero, quod Cl. Patini fide olim credideram, *Coloniæ* itidem appellatio. Immo ut dies diem docet, etsi Romana colonia sub primis Cæsaribus, quod de ea nuspiam legitur, evasisset eadem Tarsus; haud ideo illa oppidum civium Romanorum, quod municipii, uti jam antea vidimus, non coloniæ fuit beneficium, exstitisset: aut inde D. Paulus, quod censent tamen eruditi, se *civem Romanum*, & qui proinde flagris, & quidem indemnatus non debuerat cædi, continuo declarasset. Neque vero ullatenus statuendum est, libertate Tarsensibus data, eos inde municipes fuisse, & municipii jure donatos; ut ii dein se pro civibus Romanis ferrent, ac inde Paulus eam quoque sibi appellationem vindicarit. Qui enim vel Ciceronem, Livium, Plinium, aliosque rerum Romanarum scriptores vel obiter inspexit, obvium inter *liberas* urbes & *municipia* discrimen haud ignorat: ut mirari haud parum subeat id excidisse viro magni in litteris nominis [b], quique ceteris, ut idem præ se fert, accuratius hæc D. Pauli se *Romanum* profitentis verba sibi expendenda susceperat. Neque etiam, quæ ibi adfert idem Vir illustri ingenio ac eruditione, si Judæi Antiochiæ habitantes, *Antiochenses* sint dicti, illius urbis civitate iis a Seleuco, quod tradit Josephus, tributa: aut si Hispani veteres, Tyrrhenique & Sabini, juxta eundem gravissimum scriptorem [c], *Romani* dicerentur; inde Tarsenses, *Romani* fuerunt etiam appellandi. Prior enim illa *Antiochensium* appellatio Judæis data, qui Antiochiæ essent nati, vel collocarant domicilium; & pro concesso iis æquo cum reliquis Antiochensibus civium, uti passim aliis in urbibus, Alexandriæ, Cæsareæ, ac alibi, jure; de quo sæpe agit, non solum adversus Apionem, sed in [d] originum libris, & de [e] bello Judaico Josephus. *Romani* autem dicti prisci illi Iberes seu Hispani, ob crebra in ea gente, & de quibus jam ante, ut mox adhuc dicetur, civium Romanorum oppida seu municipia: Tyrrheni autem vel Sabini, post Romanam civitatem lege Julia iis tandem datam. Quomodo dispar hic longe vel a Judæis *Antiochensibus*, vel a *Romanis* illis Hispanis, aut Tyrrhenis vel Sabinis, Tarsensium ratio: qui nec fixo Romæ domicilio, aut ibidem nati, haud æquo etiam cum aliis civibus Romanis jure gaudebant; nec aliunde erant civitate donati. Unde, quod miror non hic adtendisse viros eruditos, vel in tota hac de D. Paulo tanquam cive Romano, aut in sequente etiam capite, vel jam [g] ante, quum is Philippis ageret, ea de re narratione, haud occurrit ulla Tarsi mentio; aut petita inde juris illius vel appellationis ratio. Unde aliud omnino, ut bene etiam, & juxta veterum Græcorum adnotata vidit ὁ πάνυ Grotius, hic quærendum, & quod eidem Paulo ac majoribus ejus fuerit peculiare: ut nempe civitate Romana iidem, quacunque tandem de caussa, sint donati: aut vero, ut eam, quod in Græcorum scholiis, sicut supra jam adtigi, de Pauli patre dicitur, pecunia, haud insolito maxime illa ætate, quod antea vidimus, more, iidem redemerint. Neque vero huic rei obstabat, quod Judæus esset religione, ac Judæis ortus idem Paulus. Nec enim solum *ἰσοπολιτεία*, seu *æquum jus civitatis*, Judæis in variis Asiæ, Ægypti, aliarumve regionum, ubi nati erant, vel domicilium constituerant, urbibus; Alexandri & successorum ejus exemplo, a Romanis, qua de re paullo ante, fuerat adserta, vel firmata, & autonomia, seu suis legibus vivendi arbitrium passim iis indultum; aut a Romanis sancta etiam cum illis fœdera, quorum omnium testis luculentus, qui ea subinde libris suis inseruit, Josephus, sed ut omnium juxta reliquos Romano imperio subjectos, jurium aut privilegiorum fierent iidem Judæi participes. Adeo, ut in eadem jura, in quæ reliqui earundem urbium cives, transirent Antiochenses, Alexandrini, Cyrenæi, Cæsarienses, aliorumque locorum Judæi; ac proinde instar oppidanorum, qui frequenter jus illud, quod hactenus vidimus, consequebantur, cives Romani fieri itidem possent. Id quidem in litteris Agrippæ senioris ad Cajum Imperatorem apud [h] Philonem exstare memini; quod non ausus sit ille patriæ suæ, nempe, ut de eadem paullo ante dixerat, Hierosolymis, petere, *non Romanam quidem civitatem*, *οἱ καὶ μὴ τὴν Ῥωμαίων πολιτείαν*, sed, quod addit, ne libertatem quidem vel immunitatem: at non ideo ob eadem non libertate solum ac immunitate, sed a civitate etiam exclusi, omnes seu in Judæa, seu extra eam nati in subjectis Romano imperio urbibus, & quales dicti inde Hellenistæ Judæi. Ita Antipatrum ex Idumæo Judæum religione [i], civitate Romana ac immunitate a J. Cæsare donatum; immo se quoque Herosolymitanum quamquam, & quidem sacerdotalis Judæorum generis, eodem *civitatis honore* a Vespasiano *adfectum*, *πολιτείᾳ τε Ῥωμαίων ἐτίμησεν*, tradit in [k] vita sua Josephus. Immo quam in rem, quæ non adtenderunt Viri docti, exstant aperta Philonis de Judæis Romæ Augusti ætate agentibus verba [l]: *οὔτε ἐξῴκισε τῆς Ῥώμης ἐκείνους*, ΟΥΤΕ ΤΗΝ ΡΩΜΑΙΚΗΝ *αὐτῶν ἀφείλετο* ΠΟΛΙΤΕΙΑΝ, *neque eos Urbe jussit excedere, nec CIVITATEM eis ademit.* Quod itidem aliis passim Judæis, qui extra Judæam in variis Romani orbis

[r] Ibid. v. 25. [ſ] in Græcis Scholiis.
[t] Bell. Civ. l. v. p. 675. [u] in Macrobiis.
[x] Orat. XXXIV. p. 415. [y] Dan. Heins. in Exercitat.
[z] l. v. c. 27. [a] Specim. Morel. Tab. IV.
[b] Dan. Heinsio in Exercitat. ad Act. XXII. 925.

[c] adv. Apion. l. II. p. 1063. [d] Antiq. l. XII. c. 3. §. 27.
[e] l. VII. v. 21. [f] Act. XXIII. 27.
[g] Ibidem XVI. 21. 37. [h] Legat. ad Cajum p. 1031. 1037.
[i] Joseph. Antiq. l. XIV. c. 15. [k] pag. 1031. ed. Genev.
[l] Legat. ad Cajum p. 1014.

provinciis nati, aut domicilium ibidem fixerant, contigisse, vel inde constare poterat: quod ii pari, ut diximus, jure & conditione cum reliquis eorundem locorum civibus agerent: indeque ad munera civilia in iis obeunda, aut ad curiales etiam honores ac administrationes, latis quoque Romanorum Imperatorum constitutionibus *m*, sint admissi. Exstant in thesauro Romanarum legum, cum Ulpiani, tum *n* Modestini ea de re verba: ut de posterioribus Christianorum Principum *o* Constantini *p*, Honorii, aliorumque, quæ idem sanciunt vel renovant, & quæ in Codice Theodosiano prostant, editis; donec postea *q* Leonis constitutione sunt eædem abolitæ, nihil nunc dicam. Adeo etiam ut iidem *Judæi*, non *Romano* solum *& communi* jure, ut de iis a *r* Constantino dicitur, *viverent*: sed & cives Romanos eos jam olim habitos, vel inde liquere possit, quod a tutela, quæ, ut aliunde notum, ac superiori Exercitatione obiter adtigimus, erat civilis Quiritium juris, a quo exclusi erant peregrini, haud immunes essent iidem Judæi. Docent id Modestini *f* Dig. de Excusatione Tutorum ea de re verba: *Jam autem & JUDÆI, non Judæorum* (nempe Gentilium) *TUTORES erunt, sicut & reliqua administrabant: constitutiones enim in iis solis sine molestia eos esse jubent, per quæ cultus inquinari videtur.* Ut proinde haud mirari subeat, D. Paulum, non Hierosolymis, aut alibi in Judæa, sed in urbe Græca seu Græcis orta natum, eaque Provinciæ Romanæ metropoli, multisque beneficiis a M. Antonio & ab Augusto ornata, & cujus incolis seu Tarsensibus Romam suo ævo abundasse, testatur *t* Strabo, se *civem Romanum*, & quidem *natum*, quocunque demum titulo aut jure id majores ejus essent adepti, profiteri. Quod haud alieno utique loco dicendum hic fuit, ubi de exteris civitate Romana sub Claudio donatis, aut eo tempore inter Romanos jam adscitis agitur: maxime quod in alia vulgo abeant, hisce haud satis accurate expensis, eruditi novi Fœderis interpretes. Quin minus etiam hic viderint, qui se præ reliquis, ut Plautino verbo nunc utar, oculissimos crediderant. Qua occasione & illud obiter hic dicendum est, quod ipsa Tarsensium civitas quingentis drachmis, seu quinquaginta, quod ajunt, scutatis fuerit olim venundata, ut e *u* Dione Prusæensi licet colligere, ac ubi vulgi etiam fæcem ac inopes seu famelicos, quos λινουργοὺς ibi vocat, a Tarsensibus pro civibus habendos tradit, additque: *οὐ μὴν γὰρ εἴ τις καταβάλῃ πεντακοσίας δραχμὰς, δύναται φιλεῖν ὑμᾶς, καὶ τῆς πόλεως εὐθὺς ἄξιος γεγονέναι, non enim, si quis solvat quingentas drachmas* (peregrinus nempe in Tarsensium civitatem adscitus) *amare vos ideo potest, dignusque confestim fieri civitate.* Si vero, quod ibidem subdit, pauperis alicujus apud eos prognati nomen haud continuo sit in civium tabulas receptum, non utique diligere civitatem poterit, eamque suam patriam reputare. Adeo ut non semper vel promiscue id apud Græcas, aut e Græcis ortas urbes, uti nec, quod jam vidimus, apud Romanos locum habuerit, quod alioquin de Græcis tradit eo loco, quem supra jam adtigimus, Cicero: quod etiam *x mediocribus multis, aut nulla aut humili arte præditis, GRATUITO CIVITATEM in Græcia impertiebantur.* Referuntur vero apud Goltzium *y* non Ciliciæ quidem, sed inscripta in Hispanicis quoque hujus Claudii nummis, eaque vix aliunde, nisi e Plinio forte vel Ptolemæo, nota MUNICIPIA: ut BEDUNIA & MIROBRIGA. quibus addi potest e veteri inscriptione sub Claudio, quam e Pyrrhi Ligorii Collectaneis Romæ olim a me descriptam, & cum pluribus aliis ad Cl. Reinesium missam, agnoscit *y* idem ac refert, AMERINUM, Umbriæ nempe MUNICIPIUM, sed quod ante Claudii tempora eodem jure usum, vel e Tullio *z* liquet, a quo Sex. Roscii pater *municeps Amerinus*; mox, *sui municipii facile princeps* dicitur. Mitto quod pueros, qui ad Pyrrhicham saltationem fuerant in Urbem evocati, ea semel saltata, civitate donatos ablegavisse dicitur apud *a* Dionem Claudius: qualem cæteroquin Pyrrhicham saltasse Asiæ Bithyniæque principum liberos, tradit in J. Cæsare Suetonius *b*.

XX. Idem vero de NERONE observat similiter Tranquillus, eum exhibuisse *c Pyrrhichas quasdam e numero epheborum, quibus post editam operam, diplomata singulis CIVITATIS ROMANÆ obtulit.* Idque pro recepto, quem supra jam tetigi, more; quo præstantes athletæ aut citharœdi, earum urbium civitate donabantur, in quibus præclara suæ artis specimina ediderant. Quomodo insuper idem Nero, ubi victor in musicis & curulibus apud Olympiam agonibus, fuisset a judicibus proclamatus, decedens inde, Provinciam universam, nempe Achajam, libertate donavit *d*; simulque judices, teste rursus eodem Suetonio, *CIVITATE ROMANA & pecunia grandi.* Id alioquin de eodem Nerone refert, quod supra jam vidimus, Tacitus *e*: quod is *nationes Alpium maritimarum in jus Latii transtulit*, ac proinde Ligures, aut magnam eorum partem; quos tamen a Pompejo Strabone, post datam Italis & Cispadanis Gallis civitatem, ea quoque tum donatos statuebat, ut id antea jam adtigi, Sigonius. De GALBA vero, qui Neronem excepit, & cujus breve fuit, ut sat notum, imperium, id monet Tranquillus *f*: *Civitatem Romanam raro dedit.* Memorantur quidem in hujus Galbæ nummis apud Goltzium, quatuor Hispaniæ municipia, e quibus duo Tarraconensis, cui is antea præfuerat, BARGIASIS, de qua *g* Ptolemæus, & LACCOBRIGA, cujus meminit Plinius *h*; tum duo Lusitaniæ, DEOBRIGA a *i* Ptolemæo memorata, & a Plinio *k*, TALABRIGA; de quibus tamen oppidis, quod municipia fuerint, nulla apud eundem Plinium, qua de re mox, aut in memorata paulo ante veteris arcus, in quo *l Municipia Provinciæ Lusitaniæ* recensentur, inscriptione, facta occurrit mentio. Quibus cæteroquin Galbæ apud Goltzium Municipiis, additur quoque Sequanorum metropolis MUN. VESONTIUM; & cui fides continuo accedit e nummi illius icone, quam a parente suo acceptam, retulit Cl. Chiffletius *m* in accuratum de ea civitate commentarium. Mitto, quod in alio insigni ejusdem Galbæ nummo, qualem jam ad Suetonium *n* vulgavit Torrentius, dicatur, gentili illius Principis nomine, HISPANIA CLUNIA SUL. seu *Sulpicia*: ut de alio gazæ Gallorum Regiæ nummo, qualem inde adducit vir *o* doctus, & qui in eadem, quod monuit jam diligens *p* antiquarius, non comparet, nunc sileam, inscripto nempe MUN. seu *Municipium* CLUNIA. cujus equidem Hispaniæ

m Leg. III. D. de Decurionib.
n Leg. XVII. D. de Excusation. Tutor.
o Leg. II. Cod. Th. de Judæis. *p* leg. XXIV. eodem.
q Leon. Const. LV. *r* leg. II. C. Th. de Judæis.
f Leg. XVII. *t* l. XIII. p. 672.
u Orat. XXXIV. p. 420. *x* pro Archia c. 10.
y Syntagm. p. 293. *z* pro Sex. Roscio c. 15.

a l. LX. p. 669. *b* cap. 39. *c* in Nerone c. 12.
d Ibidem. *e* Annal. XV. 32. *f* in Galba c. 8.
g Geogr. II. c. 5. *h* l. III. c. 9. *i* l. II. c. 5.
k l. IV. c. 21. *l* Grut. Thes. CCLXII. 3.
m Veson. l. I. c. 28. *n* in Galba c. 9.
o Hard. Num. Urb. Ulp. p. 120.
p J. Vaill. de Colon. T. I. p. 105.

Tar-

Tarraconensis oppidi, & in quo faustis ominibus suscepit imperium Galba, sed sine municipii aut coloniæ appellatione, cusum sub Tiberio nummum recondit eadem gaza. De OTHONE vero illud apud Tacitum legitur, quod is, præter quasdam alias largitiones, quibusdam Hispaniæ oppidis & Provinciæ Bæticæ factas *q*: *Lingonibus universis civitatem Romanam dedit*. Sub FLAVIO autem VESPASIANO ac TITO, in præclaris eorum nummis, quales olim Romæ in Cimeliis Christinæ Augustæ a me inspectos, indicavi *r*, municipii in Macedonia, donati proinde Romana civitate, *Stoborum* signatur nomen: prout iidem nummi, seu a Vespasiano primum, seu jam ante id beneficium fuerat huic oppido indultum, sunt inscripti, MVNICIP. STOBENS. ac unde illustratur, ut id pridem jam monui, Plinius *s*, *Stobi oppidum civium Romanorum*: Paulus autem *t*, *Stobenses juris Italici sunt*; & de quo Italico municipiorum seu coloniarum sub Imperatoribus jure, in sequentibus agendi erit locus. Duas vero in Palæstina colonias, Cæsariensem & Æliam Capitolinam fecisse dicitur ab Ulpiano *u*, & primum etiam a Paulo *x*, Vespasianus: cujusque rei fidem etiamnum faciunt illius Cæsareæ, cum *Coloniæ* non solum, sed *Flaviæ* etiam appellatione, nummi, C. aut COL. FLAV. CÆSAREA; sed quas non inde oppida civium Romanorum, quod municipiorum, ut cum alibi, tum modo de Stobis a Plinio dictum vidimus, proprium fuit, jure quispiam dixerit. Adde quod nec Italici quidem juris, eas a Vespasiano factas tradit Ulpianus; etsi illas eo jure postea gavisas, nempe quoad immunitatem soli & capitis, e Pauli *y* de duabus hisce coloniis verbis, & qua de re dicetur infra opportunius, liquet. Neque vero præteriri hic debet, quod, uti id tradit Plinius *z*, & qua de re supra obiter, *universæ Hispaniæ Vespasianus Imperator Augustus jactatum procellis Reipublicæ Latii jus tribuit*; iis nempe oppidis, quæ fœderata demum erant ac stipendiaria, ut sæpe de iis in describenda Hispania, & cujus ea longe maximam adhuc partem occupabant, agit Plinius; non vero municipiis in eadem gente, aut etiam coloniis civium Romanorum, quorum potior erat præ Latinis coloniis, ut jam ante vidimus, conditio. Ejusdem vero VESPASIANI uti & DOMITIANI aliquot exstant signatæ in tabulis antiquis, Aquilejæ, Salonæ in Dalmatia, aut in Pannonia repertis, inscriptiones. in quarum nempe priore Vespasianus *a*: *Veteranis Qui Militaverunt In Classe Ravenate Sub Sex. Lucilio Basso Qui Sena Et Vicena Stipendia Aut Plura Meruerunt Et Sunt Deducti In Pannoniam Quorum Nomina Subscripta Sunt IPSIS LIBERIS POSTERISQVE EORVM CIVITATEM DEDIT*. Quod CIVITATIS beneficium iisdem verbis a DOMITIANO collatum in aliis duabus Inscriptionibus legitur. in priori quidem *b*: *Peditibus Et Equitibus Qui Militant In Cohorte III. Alpinorum Et In VIII. Voluntariorum Civium Romanorum, Et Qui Peregrina Conditionis Probati Erant*. in altera *c*: *Iis Qui Militant In Classe Flavia Mœsica*. in utraque autem similiter: *IPSIS LIBERIS POSTERISQVE EORVM CIVITATEM DEDIT*. De quo cæteroquin Romanorum Imperatorum more, bene meritos, aut etiam præsidiarios in limitibus imperii milites, civitate donandi, occurret adhuc in sequentibus dicendi locus.

XXI. TRAIANI autem ævo, seu sub eo Principe, signata subinde leguntur in antiquis monumentis, Hispaniæ Municipis: quale Italicæ, quæ hujus Imperatoris patria, vicinum *d* MVNICIPIVM INLIPENSE, cujus cives in alio lapide dicuntur *e*, IMMVNES ILIENSES ILIPONENSES. præterea, si vera alterius lapidis scriptura, MVNIC. ALBENGENSE VRGAVONEN: sed quod postremum idem statuendum est cum eo Bæticæ municipio, cujus fit mentio in veteri lapide, de quo supra, qui L. Cæsari, Augusti adoptione filio, dicatus & inscriptus *f*, MVNICIPIVM ALBENSE VRGAONENSE; quodque apud Plinium, ad quem hujus lapidis meminit eruditissimus Harduinus, dicitur *g Urgo, quæ Alba*. A Trajano autem vel in gentis, unde erat oriundus, gratiam, multis in eadem oppidis civitatem primum datam, vel ex aliis lapidum monumentis licet colligere; & quidem ex inscriptione paullo ante memorata, in arcu pontis iis oris Trajani jussu exstructi, ubi a Lusitaniæ municipiis, iisdem proinde oppidis civium Romanorum perfectum illud opus dicitur; nempe *h*,

IMP. CAESARI DIVI NERVAE
F. NERVAE TRAIANO. &c.
MVNICIPIA
PROVINCIAE
LVSITANIAE STIPE
CONLATA QVAE OPVS
PONTIS PERFECERVNT
ICAEDITANI
LANCIENSES OPPIDANI
TALORI. Plinius TAPOKI
INTERRANIENSES
COLARNI
LANCIENSES TRANSCVDANI
ARAVI
MEIDVBRIGENSES
ARABRIGENSES
BANIENSES
PAESVRES.

Quum tamen in Lusitaniæ descriptione, ac proinde sub Flaviis, Vespasiano ac Tito, apud Plinium, major quidem illorum oppidorum pars commemoretur; sed ita ut unum in eadem Lusitania municipium tum adhuc exstaret *i*: *Tota populorum XLVI. in quibus coloniæ sunt quinque, MVNICIPIVM civium Romanorum VNVM: Latii antiqui tria*: *dein*, ubi eadem sigillatim enarrat, *municipium civium Romanorum, Olisipo Felicitas Julia cognominatum*. hic autem alia undecim Lusitaniæ sub Trajano commemorentur civium Romanorum municipia; & quæ proinde id beneficium ac forte ob sumtus in ponte illo exstruendo ab iis factos, a gentili, seu qui Hispanus ortu esset, Principe sint adepta. Quibus addi adhuc possunt alia in antiquis lapidibus ejusdem Lusitaniæ MVNICIPIA, ut SALACIA, non municipium quidem apud Plinium *k*; sed *cognominata urbs Imperatoria*: quod proinde oppidum, jus civium Romanorum municipii a Trajano, aut ab ejus successore Hadriano, sicuti postremo, de quo mox dicetur, in eadem Lusitania,

q Hist. l. I. c. 78. *r* Diss. de Prov. num. p. 767.
s l. IV. c. 10. *t* leg. VIII. §. 8. D. de Censib.
u leg. I. §. 6. D. de Cens. *x* Ibid. leg. VIII. §. 8.
y Ibidem. *z* l. III. c. 3. circa finem.

a Grut. Thes. DLXXIII. I. *b* Ibid. DLXXIV. 5. 6.
c Ibid. DLXXV. I. *d* Ibid. CCXLVI. 6.
e Ibid. CCCLI. 5. *f* Ibid. CCXXIV. 6. *g* lib. III. c. 3.
h Ibid. CLXI. 3. *i* l. IV. c. 22. *k* Ibidem.

CIVILITA, videtur consequutum. Ne singulos jam tangam, sicut Ægyptium illum Harpocratem, quem civitate, *l* Plinii secundi rogatu, a Trajano donatum ante vidimus; aut quam idem Plinius pro *m* Postumii Marini medici propinquis; alibi *n*, pro P. Acci Aquilæ centurionis filia, ab eodem Imperatore itidem efflagitasse ac impetrasse, apud eundem, ac e Principis ea de re rescriptis legitur. In quem censum non jam referam, cujus facta in superioribus mentio, dati ab eodem Principe, Bithyno cuidam medico, non unius jam, sed septem civitatum juris beneficium. Illud enim licet omnino, vel ex iis quæ supra jam adtigi, de superiorum Principum, J. Cæsaris maxime, Claudii, aliorumve ea in re institutis, aut aliunde etiam statuere; etsi non consignata occurrat in priscis Romanorum annalibus vel monumentis, nec id præ eorum numero res ipsa exigeret, datæ nempe sigillatim civitatis commemoratio: haud eo minus eam cum pluribus passim peregrinis, neque una de caussa, a Romanis Principibus, etsi a quibusdam parcius, communicatam. Ut nunc eos mittam, quibus per Latium, qua de re jam ante, & mox rursus apud Trajani laudatorem, h. e. per gestos in patria Magistratus, patebat ad Romanam civitatem, ac ad honores in eadem aditus. Huic autem Trajani in multiplicandis Romanis civibus, propensioni, addi continuo debet ejus in sublevandis novis civibus benignitas, & quam e dicato illi Panegyrico licet continuo agnoscere. Quum enim edicto Augusti Vicesimam hereditatis (cujus præter *o* Auctores, sæpe in antiquis lapidibus facta occurrit mentio, ubi *p* *Procuratores XX.* seu *vicesima hereditatium*, & quidem *q* *per Gallias & utramque Germaniam* &c. commemorantur) persolvere tenerentur novi cives; adeo ut non haberent ii jura cognationis, nisi rescriptis ad eam rem a Principe seorsim acceptis; sed quando filius succedebat patri, succedebat tanquam extraneus heres, soluta hereditatis Vicesima. Nerva, amplificato eo jure, matrem in liberorum hereditate, & vicissim liberos ac filium in parentis bonis ea immunitate perfrui voluit. Trajanus vero id beneficium in tantum auxit, ut sicut in patris filius, ita in filii hereditate pater immunis esset: tum ut frater, avus, avia, neptis, nepos & invicem, absque diminutione Vicesimæ heredes esse possent: denique exiles hereditates, ad quoscunque heredes pertinerent, immunes itidem fecit. Verum audienda sunt ipsius Plinii, etsi eadem, qui de hac Vicesima egerunt viri docti, subinde jam commemoraverint, in præclara illius Principis laudatione, ea de re verba; ac vel ideo, quod de Romana civitate, seu quo in pretio eadem olim haberetur, luculenta ibidem exstant testimonia *r*: *Vicesima reperta est, tributum tolerabile & facile heredibus duntaxat extraneis, domesticis grave: itaque illis irrogatum est, his remissum.* mox: *Hac mansuetudo legis VETERIBVS CIVIBVS servabatur: Novi seu per Latium IN CIVITATEM, seu beneficio Principis venissent, nisi simul cognationis jura impetrassent, alienissimi habebantur, quibus conjunctissimi fuerant. Ita maximum beneficium*, civitatis nempe Romanæ, *vertebatur in gravissimam injuriam, CIVITASQVE ROMANA instar erat odii & discordiæ & orbitatis, cum carissima pignora, salva ipsorum pietate, distraheret. Inveniebantur tamen, quibus tantus amor nominis nostri inesset, ut ROMANAM CIVITATEM, non Vicesima modo, verum etiam affinitatis damno bene compensatam putarent; sed iis maxime debebat gratuita contingere, a quibus tam magno æstimabatur. Igitur pater tuus* (Nerva) *sanxit, ut quod ex matris ad liberos, ex liberorum bonis pervenisset ad matrem, etiamsi cognationum jura non recepissent, CVM CIVITATEM ADIPISCERENTVR, ejus Vicesimam ne darent.* &c. de Trajano dein: *Statim ergo muneri ejus liberalitas tua adstruxit, ut quemadmodum in patris filius, sic in hereditate filii pater esset immunis, ac eodem momento, quo pater esse desisset, hoc quoque amitteret, quod fuisset.* ac rursus: *Nec vero contentus primum cognationis gradum abstulisse Vicesimæ, secundum quoque exemit, cavitque, ut in sororis bonis frater, & contra in fratris soror atque avus, avia in neptis nepotisque, & invicem illi servarentur immunes. His quoque, quibus per Latium CIVITAS ROMANA patuisset, idem indulsit*; & quibus illud, novis scilicet civibus gratulabundus, subdit laudator Consul: *Late ergo adite honores, CAPESSITE CIVITATEM: neminem hoc necessitudinis abruptum vetat truncum amputatumque destituet: iisdem omnes, quibus ante pignoribus, sed honestiores perfruuntur.* denique: *carebit onere Vicesimæ, parva & exilis hereditas.* E quibus abunde jam liquet, quo insigni beneficio macti sint a Trajano novi inter Romanos cives; neque tamen adhuc, quod supra jam innui, eos plena Quiritium jura habuisse, seu veteribus civibus prorsus in omnibus, quoad eadem jura, adæquatos, adscitos in Romanam civitatem, aut per Latium, aut Principis rescriptus seu *libellis rescripti*, uti de iis adductis supra locis apud Trajanum *s* Plinius, peregrinos.

XXII. A TRAJANO HADRIANO, prout is in antiquis lapidum ac nummorum monumentis dicitur, tanquam adoptato Trajani filio & successore, multa quidem in socias atque subditas Romano imperio urbes collata leguntur beneficia, quibus ille eas magnifice juverit, sed nulla nominatim datæ iis civitatis facta mentione; nisi referri illuc debeat, quod, ubi ea de re agit Dio, honoribus etiam haud minus ac ornamentis aliis, easdem urbes ab illo Principe auctas & locupletatas tradit *t*: Πολλὰς μὲν γὰρ εἶδεν αὐτῶν, ὅσας οὐδεὶς ἄλλος αὐτοκράτωρ. πάσαις δὲ, ὡς εἰπεῖν, ἐπεκούρησε, ταῖς μὲν ὕδωρ, ταῖς δὲ λιμένας, σῖτον, καὶ ἔργα, καὶ χρήματα, καὶ ΤΙΜΑΣ ἄλλαις ἄλλας διδούς. *earum tam sociarum, quam subditarum urbium, multo plures, quod nullus Imperator, vidit, & omnibus, ut ita dicam, subvenit: dum aliis aquam, aliis portus, annonam, opera quadam publica, pecunias, HONORES aliis alios præbuit.* nempe aliis, ut arbitrari licet, civitatem; aliis demum jus Latii, vel immunitatem; quæ duo postrema in eo Principe tangit Spartianus *u*: *Latium multis civitatibus dedit, tributa multis remisit.* Ab Hadriano certe, cujus majores in Hispania & quidem Italicæ in Bætica constiterant; unde tamen *externus*, uti vel Nerva, vel ipse Trajanus, quod viderunt jam alii, ab utroque Victore dici neutiquam meruit; ab eo inquam, nonnullis Hispaniæ oppidis, sicut a Trajano quoque, datam civitatem arguit continuo vetus inscriptio memorati paullo ante municipii, in qua nempe legitur *x*, MVNICIPES MVNICIPI. T. ÆLI HADRIANI. AVG. CIVILITANI, qui nempe *Civilitani*, seu, quod idem, *Cibilitani*, inter Lusitaniæ non municipes, de quibus supra, sed stipendiarios, *y* Plinii adhuc ævo, recensebantur. Leguntur quidem in alio *z* lapide huic Principi similiter dicato, SVESSANI MVNICIPES: Sed quod municipii beneficium huic in Campania

l l. x. Epist. 22. *m* Ibid. Epist. 6.
n Ibid. Epist. 107. 108. *o* Dio lib. LV. pag. 565.
p Grut. Thes. CCCCLXXXIX. 7. Spon. Misc. p. 203.
q Grut. Thes. CCCCLXXXIX. 2. *r* Paneg. c. 37.

s l. x. Epist. 108. *t* l. LXIX. p. 790.
u cap. 21. *x* Grut. Thes. CCLXII. 5.
y l. IV. cap. 22.
z Grut. Thes. CLI. 3.

Suessæ

Suessæ jam Ciceronis ævo indultum, ex eodem liquet, dicente de Antonio *a*; *Lautissimum oppidum, nunc MUNICIPIUM, honestissimorum quondam colonorum, SUESSAM, fortissimorum militum sanguine implevit.* Huic autem Hadriano, quod præteriri hic non debet, male a nonnullis tribuitur, quasi is auctor fuisset amplissimi illius beneficii, seu constitutionis, quæ expendenda nobis nunc veniet, qua omnibus in orbe Romano civitas data dicitur. Id utique a D. Chrysostomo traditum, primus monuit ad Spartianum πλὴν Casaubonus *b*, & deinde ad Aurelium Victorem *c*, alii: nempe cujus facundissimi Johannis exstant ea de re ad Acta Apostolorum verba *d*: Ἀπὸ ἈΔΡΙΑΝΟΥ, φασὶ, ΠΑΝΤΑΣ [illegible] ΡΩΜΑΙΟΥΣ. τὸ δὲ παλαιὸν οὐχ οὕτως. *ab HADRIANO dicunt OMNES factos esse ROMANOS. antiquitus vero non ita fuit.* Quod, ne alia jam hic tangam, abunde redarguunt ipsa Constitutionis illius verba, quibus auctor hujus beneficii Antoninus Imperator ab Ulpiano dicitur. Quia vero haud inde continuo liquidum multis, & magni etiam in literis aut in juris scientia viris, visum est, quod plures scilicet Imperatores hoc *Antonini* nomen tulerint, quis inter eos memorabilis adeo legis lator exstiterit: immo inde non inter recentiores solum, sed inter veteres etiam, & quos cæteroquin minime id latere debuerat, Auctores, id legatur controversum; ad primum autem inter Cæsares Antoninum ac Hadriani successorem, suscepta hac de re, seu de Romana civitate sub Cæsaribus tractatio jam nos deduxerit: hinc de singulari hac lege, quis nempe, quod alioquin luculento Dionis in Excerptis ejus Valesianis testimonio jam videtur transactum, ex Antoninis Imperatoribus eam tulerit; ac dein, quænam legis illius in Orbe Romano vis & ratio fuerit, & quod postremum maxime argumentum, haud injucundæ nec protritæ disquisitionis materiam præbet, in sequenti Exercitatione, agendi nobis nunc est locus.

a Philipp. XIII. cap. 19. *b* in Hadriano c. 21.
c in M. Antonino.
d ad Act. Apost. c. XXV. p. 875. T. IV. edit. Savil.

EZECHIELIS SPANHEMII EXERCITATIO SECVNDA DE CIVIBVS ROMANIS AB ANTONINI PII TEMPORIBVS; ET

de Constitutione Antonini Imperatoris, qua omnes in orbe Romano cives sunt effecti.

POSTQVAM a primis Urbis natalibus, ad Antonini Pii Imperatoris tempora, Romanorum civium ortum, progressum & incrementa, superiori Exercitatione, quod suscepti argumenti tractatio id omnino flagitaret, deduximus: nunc de diffuso adhuc latius sub sequutis Imperatoribus, & communicato tandem, non pluribus duntaxat extra Italiam oppidis, aut gentibus etiam aliquot universis, sed omnibus Romani orbis incolis, eodem Urbium Principis ac Reginæ civitatis jure, nobis porro nec indiligenter agendum est. Ab ANTONINO autem Pio eo opportunius ejus. rei auspicium hic faciendum jam incumbit: utpote ad quem nobilem illam ANTONINI IMPERATORIS memoratam ab Ulpiano Constitutionem, EX QVA IN ORBE ROMANO QVI SVNT, CIVES ROMANI EFFECTI SVNT, non doctissimis solum hac aut superiori ætate viris; sed ipsi Romani juris conditori seu ordinatori verius Justiniano referre, quamquam minus consulte, visum est. Unde, ut quid ea de re, seu unde habitus sit auctor insignis illius beneficii idem Antoninus, aut juxta alios, successor ejus Marcus, liquidius deinceps constare possit; & quæ sub iisdem, quique sunt eos subsequuti, Principibus, juris illius, seu eorum, qui illo deinceps perfruerentur, multiplex primo, ac effusa dein & communis largitio sit tandem facta, hæc eadem, quam hactenus institui, via perscrutari constitui: ipsamque postea, cujus potissimum intuitu suscepta est hæc omnis commentatio, Antoninianam Constitutionem, ubi ad eum, qui illam tulit, Antoninum devenietur, paullo intentius expendere adgrediar.

I. EQuidem ad ANTONINVM PIVM quod adtinet, obvia sunt Justiniani, quibus hanc immensam Romanæ civitatis largitionem, eidem Imperatori aperte tribuit, in Novellis verba [a]: *Sicut enim ANTONINVS PIVS cognominatus est (ex quo etiam appellatio hæc ad nos pervenit) JVS ROMANÆ CIVITATIS, prius ab unoquoque subjectorum petitum* (immo *petitum*, ut juxta Græca ibi verba, τὸ δὲ Ῥωμαϊκῆς πολιτείας πρότερον παρ' ἑκάστου τῶν ὑπηκόων αἰτούμενον) *& taliter ex iis, qui vocantur peregrini, ad Romanam ingenuitatem deducens, HOC ILLE OMNIBVS IN COMMVNE SVBIECTIS DONAVIT.* Ut minus proinde mirari subeat, si illius loci Augustique Scriptoris auctoritate moti, hanc relatam ab Ulpiano Antoninianam constitutionem eidem Pio certatim adscripserint præclari juris ac literarum Antistites, & quorum ea de re testimonia haud opus est pluribus hic enarrare, Alciatus [b], Antoninus Augustinus [c], Guido Pancirollus [d], Cujacius [e], dum lii *Antoninum*, non adjecto *Marci* prænomine, aut alio cognomine, auctorem hujus constitutionis faciunt; Casaubonus, etsi idem aliter alibi [f], aperte Spartiani Severum [g]; & Salmasius [h] itidem, aliique dein minorum gentium juris interpretes ac eruditi. Neque vero pauca erant vel levia, quæ id insuper suadere videbantur: seu quod ille primus *Antonini* nomen ad imperium adtulit: successor autem ejus, *Marci* ut plurimum prænomine in libris Jurisconsultorum, vel eodem *Antonini* nomini præposito, apud Auctores nuncupatur: seu ob beneficam ejusdem Principis naturam, unde non solum nomen illud PII primus inter Imperatores tulit, sed etiam, ut hoc addam, Cyri exemplo, ut de eo alicubi Pausanias [i], *PATER HOMINVM appellari meruit*, ΠΑΤΗΡ ΑΝΘΡΩΠΩΝ καλούμενος, & a quo non abit alter Aur. Victor [k] de eodem Pio, *adeo trementibus eum atque*

[a] Novell. LXXVIII. c. 5. [b] l. II. Dispunct. c. 21.
[c] Lib. singular. ad Modestinum. [d] Varior. l. II. c. 64.
[e] Observ. l. IV. c. 5. [f] ad Spartiani Hadrianum. c. 21.

[g] cap. 1. [h] ad Vopiscum in Probo c. 14.
[i] l. VIII. p. 526. ed. Wech. [k] in Epitome.

amantibus

amantibus cunctis Regibus, nationibusque & populis, ut PARENTEM seu patronum magis, quam dominum Imperatoremve reputarent. Quod proinde *Parentis* seu *Patris Hominum* appellatio ei, qui omnes Romani orbis incolas, tanquam unius Orbis seu Parentis progeniem, Romanos effecisset, omnium optime convenire videbatur. Idem nempe Princeps, qui a Dione seu Xiphilino dictus *l*, *cunctis benignus ac mitis*, πρὸς ἁπάντων χρηστός τε καὶ ἤπιος. a Capitolino similiter *m*, *mitis & largus*. alibi *n*: *Qui tanta indulgentia subjectos sibi populos rexit, ut omnia & omnes, quasi sua essent, curaret, & quod provinciæ sub eo cuncta floruerunt:* quæ singula, si forte Marcum mittas, de nullo ex aliis Imperatoribus *Antoninis*, Commodo nempe, Caracalla, Elagabalo, Diadumeniano, dici poterant ac prædicari. Unde etiam, si respicias insuper ad diuturnum ejusdem Pii, ac in summa quidem Romani orbis pace & tranquillitate, imperium, hæc universalis Romanæ civitatis largitio ad eundem opportune referenda videbatur. Accedit, quod etsi, ut *o* alibi pridem adtigi, is sub nominibus *Divi Pii*; aut *Imperatoris Titi Antonini*; aut *Divi Antonini Pii*, designetur, ut plurimum in libris veterum Jurisconsultorum; idem solo etiam *Antonini* nomine, aut, quod observo, & qualis auctor hujus Constitutionis ab Ulpiano appellatur, *Imperator Antoninus*, in iisdem quoque libris nuncupatur. Ita *ex indulgentia Principis Antonini*, a Gajo *p*, qui sub eodem Principe vixit, dicitur. *Imperator* vero *Antoninus*, quod de solo Marco aut Caracalla dici, in iisdem Romani juris thesauris existimarunt nonnulli, alibi ab eodem Gajo appellatur idem Pius *q*: *Quæ sententia rescripto Imperatoris Antonini confirmata est.* & a Mauritiano *r*: *Et hoc nuper Imperator Antoninus ad libellum rescripsit.* & apertius alibi *ſ*: *Sicuti Divus Hadrianus in Plotina, & proxime Imperator Antoninus, in Faustina Augusta persona constituit.* & e quo etiam loco non post Antoninum Caracallam, nec sub Alexandro demum Severo, juxta Antonium Augustinum, aut Bertrandum, sed sub hoc Antonino Pio vixisse eundem Mauritianum, vere nuper monuit in *t* vitis Jurisconsultorum eximius magni Hugonis frater. Verum alia adhuc sunt, & quæ pro Antonino Pio, tanquam auctore insignis hujus largitionis, qua data omnibus in orbe Romano civitas ab Ulpiano dicitur, stare adhuc validius possunt. Mitto, quæ sub successore ejus Marco, de subjectarum Romano imperio gentium, quæ eadem perfruebantur, conditione ac felicitate, & quidem tanquam de *una tum domo*, & *communi unius velut civitatis Republica*, aliisque eam in rem, uti paullo post videbitur, ab Aristide prædicantur *v*: quorum autem constituta jam ratio, ad hujus Marci decessorem Pium, seu latam ab eo, de qua hic agitur, legem, referri haud incommode poterat. Quibus autem majus & præcipuum quoddam pondus accedebat, & quod ab eruditis adverti merebatur, e veteri hujus Antonini Pii nummo, eoque tanquam in hujus largitionis fidem ac memoriam percusso; seu ex ejus inscriptione, quam retulerat pridem Goltzius *x*, ac nuper Illustrissimus Occonis locupletator Comes Biragius, nempe AMPLIATORI CIVIVM. Ne autem de illius nummi fide, quod Goltzianis subinde nummis, jure an injuria jam non dicam, contigit, liceret cuipiam dubitare; nec ab aliis, quod equidem sciam, penus hujus antiquariæ promicondis esset ille hactenus divulgatus; opportune nuper id a me ad Juliani *y* Imp. Cæsares in linguam Gallicam conversos ac illustratos factum; & opportunius adhuc ejusdem memorabilis nummi effigies ab erudito lectore hic conspicienda exhibetur. Dum enim in Ubiis, illud calcatum olim a Romanis solum, ante hosce viginti tres annos, ad muniendum Bonnam oppidum effoditur, est ibi ille nummus, cum pluribus aliis antiquis ac æreis probæ notæ nummis repertus; isque ab earundem munitionum, summoque ibi Cæsareani exercitus tunc præfecto; magno autem harum antiquitatum æstimatore, Bournonvillæ Duce, summa cum voluptate, quum e vicina Agrippina, ubi tum agebantur de pace, ad quæ missus eram, comitia, eo me contulissem, æruginosus adhuc coram est ostensus:



Adeo ut tam insigni monumento haud parum utique confirmari videantur, quæ accedente haud levi Justiniani Augusti auctoritate, latam ab hoc Antonino Imperatore eam, qua omnes in orbe Romano, ingenui nempe, cives Romani sunt effecti, Constitutionem suadere videbantur. Cui tamen sententiæ ne suffragari continuo liceat, præter memoratum jam ante, & de quo in Antonino Caracalla dicetur accuratius, Dionis Cassii, luculentū & coævi tum Auctoris, testimoniom, alia adhuc obstant, & de quibus mox dicetur, quæ necdum sub Antonino Pio, aut vero sub ejus successore Marco, omnibus in orbe Romano ingenuis communicatum jus illud Romanæ civitatis arguunt. Adeo ut *ampliatum* quidem ab eodem Pio, quod vel adductus modo ejus nummus evincit, Romanorum civium numerum; ac proinde jus illud pluribus imperio subjectis, qui ejus erant hactenus expertes, sub eo Principe munifice datum, liceat omnino statuere: non vero (qui haud unus Justiniani Imperatoris, seu verius Triboniani, in ampla illa novarum, uti sunt appellatæ, constitutionum accessione lapsus) in universum, & sublato inde omni in Romano orbe Romanorum civium, Latinorum, & peregrinorum, quod *z* Ulpiani, ac infra eam, ætate (uti ea de re postea) adhuc supererat, discrimine. Unde etiam in veteri sub hoc Pio Tergestanæ civitatis inscriptione, natus in eadem Fabius quidam Severus *a*, *A Divo Augusto Pio* (seu hoc *Antonino*, de quo facta ibidem paullo ante mentio) dicitur impetrasse, *ut Carni, Catalique Adtributi A Divo Augusto Pio Resp. Nostra Providi Qui Meruissent Talia Absque Censu Per Ædilitatis Gradum In Curiam Nostram Admitterentur, AC PER HOC CIVITATEM ROMANAM ADIPISCERENTVR.* mox: *Et Universam R. P. N.* (seu Rempublicam Nostram) *Cum Eo Munus Ampliavit, Admittendo Ad Honorum Communionem Et Usurpationem ROMANÆ CIVITATIS, Ut Optimum Et Locupletissimum Quemque*, &c. E quibus utique verbis liquet, Antonini Pii, ejusque jam fato functi, quod *Divi* appellatio arguit, ætate, prædicari ibi beneficium,

l l. LXX. p 800. *m* in Pio c. 2. *n* Ibidem c. 7.
o Diss. de Præst. num. p. 715.
p Leg. XLI. D. de Donat. int. vir. & uxor.
q Leg XI. D. de Jurisd. *r* Leg. XXIII. D. de Usu & Usuf.
ſ Leg. VII. D de Legatis II. *t* p. II c. 7.
v Orat. in Romam p 374. 395. *x* in Thesaur. Antiq.
y pag. 83. *z* Fragm. Tit. XIX. 4.
a Grut. Thes. CCCCVIII. 1.

quo

quo Carni & Catali *per Ædilitatis* apud Tergestanos *gradum*, ac proinde per jus Latii antiquum, de quo in priori Exercitatione diximus, Romanæ civitatis fiebant participes; necdum proinde communicato promiscue omnibus in orbe Romano ingenuis, eodem civium Romanorum jure. Haud aliter ac in memorata jam ante Carthaginis in Hispania inscriptione *b*, quidam *C. Æmilius* dicitur *Civis Adlectus Ob H.* (seu *Honorem*) *Ædilitatis*, ac unde illustrari potest Diocletiani, de qua postea adhuc dicetur, constitutio: *CIVES quidem origo, manumissio, ADLECTIO vel adoptio facit.* Sed quod jus illud Romanæ civitatis seu ejusdem illo ævo largitionem adtinet, liquidius adhuc ex iis, quæ de successore ejusdem Pii Marco dicenda nunc venient, constabunt.

II. Cui equidem MARCO ANTONINO eadem hæc Constitutio, de civitate omnibus in orbe Romano data, a Victore Schotti, aliisque dein ejus auctoritate inductis; aut quod *Imperatoris Antonini* apud Ulpianum verba, de eo debere intelligi, existimarint, tribuitur. Ita Victor in Mario: *Data cunctis promiscue civitas Romana.* ac inde præter ejus enarratores, aliosve magna in litteris celebritate viros, *è viris* Casaubonus, (qui tamen alibi, ut paullo ante vidimus, eandem legem Pio tribuit) in Spartiani Hadriano *c*: *Nondum enim jus civitatis promiscuum fuit commune. Atqui non desunt, qui Hadriano tribuant illam legem, per quam civitas omnibus data, quos & hic locus refellit, & Jurisconsulti, qui M. ANTONINUM faciunt auctorem, suffragante Aurelio Victore.* Quod de Jurisconsultis seu Ulpiano hic dicitur, esset omnino liquidum, si *Marci* prænomen, ut fit a Casaubono, nomen *Antonini Imperatoris* esset ab Ulpiano præpositum: ac prout vel *d Marcus Imperator*: aut *e Imperator Marcus Antoninus*, a Papiniano & Paulo: vel *Divus Marcus* passim in eorum Jurisconsultorum libris, & quidem ab hoc *f* Ulpiano, ut de aliis sileam, vocatur: aut *Divus Augustus Marcus*, ab eodem in Fragmentis *g*: aut vero, quod huic Ulpiano familiare, *Divi Fratres*, de eodem Marco & Imperii consorte L. Vero: sicut alibi *h Fratres Imperatores*, de iisdem ait Papinianus. Quum alioquin & *Imperator Antoninus* de eodem Marco subinde, & quidem ut de Pio paullo ante, sed ab ejusdem sub iis Principibus ætatis Jurisperitis dicitur, uti a Scævola *i*: *& ita Imperatores Antoninus & Verus.* & a Papirio Justo *k*: *Imperator Antoninus Avidio Cassio rescripsit.* alibi, ac sæpe ab eodem Papirio *l*: *Imperatores Antoninus & Verus.* & a Marcello *m*: *Imperator Antoninus in persona neptis ex filia rescripsit.* alibi *n*: *Sententia Imperatoris Antonini Augusti Pudente & Pollione Consulibus.* A quo etiam Marcello vocatur alio loco, ut hoc addam *o*, *Aurelius Imperator Antoninus*: ad hunc enim Principem, non vero ad Pium, ut visum est nuper viro *p* magni nominis, iis verbis respici, vel inde liquet, quod nuspiam *Aurelius* de Antonino Pio, sed de Marco dicatur in antiquis lapidum nummorumve monumentis: nempe, & quod in iis tralatitium, *Aurelius Cæsar*: ac subinde etiam apud *q* Græcos Scriptores, *M. Aurelius*, vel *M. Aurelius Antoninus.* Pius autem vel cum solo *Antonini* nomine in iis effertur; aut quandoque in libris legum, quod supra vidimus, *Titus Antoninus*; vel, ut semel in Codice Justinianeo, ac prout ibi omnino legendum, sicut aliæ præferunt editiones, *Imp. Titus Ælius Antoninus A.* vel *Aug.* non vero ut in novissima & alioquin emendatissima Batava Juris Romanorum Civilis editione *r*, neque uno ibi errore, aut qui typothetis adscribendus videatur, *Imppp. Titius Ælius Antoninus A. A. A.* Quod qua ratione, quove consilio sit factum, haud equidem possum statuere; ac ne hic juris veterisque historiæ tironibus illius postremæ editionis splendor imponat, obiter hic monendum duximus. Quis enim nescit, quod præter Auctores, e nummis & lapidibus antiquis est obvium; quod nempe tribus hisce nominibus dictus fuerit unus ac primus ex Antoninis Principibus Pius, *Titus* (non *Titius*) *Ælius Antoninus*? aut quis ferat tres *Imperatores* vel *Augustos*, quum neque duo tum simul fuerint, sed unus idem Pius: quo adhuc superstite, in Cæsarem quidem, ut vel e nummis ejus constat, adscitus, sed non primi cum eo fastigii consors, Marcus; neque is adhuc *Antoninus*, sed *Aurelius Cæsar*, ut paullo ante dictum, appellatus. Unde itidem emendanda hic venit alia inscriptio duobus locis obvia in eodem Codice *s*, ubi pro *M. Ælius Ant.* vel *Antoninus*, supplendæ in nomine *Ælius* duæ litteræ, quæ pridem librariorum culpa ibi exciderunt, & omnino legendum, *Aurelius*, seu *M. Aurelius Antoninus.* Neque enim ad Antoninum Pium, sed ad Marcum spectare easdem leges omnino arguunt, cum præpositum non *T.* seu *Titi*, quod habuit Pius, sed *M.* seu *Marci*, prænomen; & consueta eidem Marco, *M. Aurelii Antonini* nomina; tum denique adscripti priori e duabus illis legibus Consules, & & æræ Christianæ, quo eadem lex est lata, annus; nempe Claro & Cethego Coss. 171. qui incidunt in annum imperii hujus Marci undecimum, seu, juxta aliorum calculos, decimum. Plures vero in legum inscriptiones irrepsisse in Codice librariorum culpa errores, norunt eruditi; ut id cum ab aliis jam ante, tum nuper a Cl. Pagi in *t* Critica Baroniana vere monitum, & pluribus aliis documentis hic possemus evincere: uti istud ac notabile satis adferatur, quum legi unicæ de Sententiis Præfectorum Prætorio præponuntur *Impp. Diocletianus & Maximianus A A*; data autem dicitur in fine eadem constitutio, *Theodos. A. XVII. & Festo V. C. Coss.* 439: hoc est, centum triginta & quatuor annis, post abdicatum a Diocletiano & Maximiano, qui tamen legis illius auctores ibi inscribuntur, imperium. Mitto leviora, sed unde tamen confunduntur Imperatorum, qui leges illas tulerint, nomina; ut quum, sicut supra *Ælius* pro *Aurelius*; ita *Maximianus C* seu *Cæsar*, pro *Maximinus*, qui cum Severo Cæsar exstitit, a Diocletiano nuncupatus, inscribitur: sed quod jam non est hujus loci. Iis autem, quæ de Marco Principe diximus, illud addendum est, ipsum, quod negabant viri præclari, *Imperatoris Antonini* nomine ab Ulpiano quoque designari: nempe *u*, *Oratio Imperatoris Antonini & Commodi, qua quasdam nuptias in per-*

b Ibid. CLXXIV. 3. *c* ad cap. 21.
d Leg. I. D. In quib. caus. pign. Leg. LVI. Manumiss. Test.
e Leg. V. §. 1. D. ut Legator. Leg. XXXVII. §. 8. Ad Leg. Jul. de Adulter.
f Leg. 1. & 2. D. de Festis. Leg. VIII. de Transaction. Leg. X. de Pactis. Leg. I. de Collus. detegend. Leg. I. de Tutor. & Curator. Leg. I. §. 14. de Agnosc. & alend, liber. &c.
g Tit. XX. §. 10.
h Leg. XXXVIII. §. 4. D. Ad Leg. Jul. de Adult.
i Leg. XXIV. D. Ad Municipal.
k Leg. LX. D. de Pactis.
l Leg. VII. D. de Publican. Leg. XXVIII. Ad Municipal. Leg. XLIII. de Probationib. Leg. XVII. de Servitutib.
m Leg. III. D. de Coniung. &c. Liber.
n Leg. III. De his qui testam. deb.
o Leg. XLVIII. D. de Condit. & Demonstr.
p Guihel. Grotius de Vit. Jurisc. p. 119.
q Euseb. H. Eccl. l. V c. 5. *r* Leg. I. C. de Pœnis.
s Leg. I. Cod. de Petit. Hered. Leg. I. C. Quomodo judex sentent. &c.
t ad A. C. 286. *u* Leg. XVI. D. de Sponsal.

sonam Senatorum inhibuit. ac similiter in Fragmentis *x*: *Sed postea Imperatorum Antonini & Commodi Oratione in senatu recitata*, & ad quam Paulum scripsisse librum singularem non in Indice quidem Justinianeo Digestis præmisso, sed alibi tamen in *y* iis dicitur. Quomodo, ut obiter hoc dicam, missas a Principe ad Senatum Orationes, jubet Theodosius, pro *legibus generalibus* haberi *z*: nempe *leges ut generales ab omnibus in posterum observentur, quæ vel missa a nobis ad venerabilem cœtum Oratione condiantur*: ac prout alibi rursus, ut huic Marco id fuerit familiare, ab eodem Ulpiano plurima fit illius Orationis ab eo Principe de transactione alimentorum mentio *a*: *Divus Marcus Oratione in senatu recitata effecit, ne aliter alimentorum transactio* &c. & alio rursus titulo *b*: *Nihil quæritur post Orationem Divi Marci.* item alibi *c*: *Dies autem istos, quibus appellandum est, ad aliquid utile esse, Oratio D. Marci voluit*: ac prima lege D. de Tutoribus. Verum alia ac potiora adhuc adferri possunt, unde, & qua de re hic agitur, Marcus Antoninus, quod de eo aperte satis Victor videtur innuere, auctor hujus Constitutionis, qua data omnibus in orbe Romano civitas, habendus videretur; aut certe sub eo Principe constituta jam ea Romani imperii ac regiminis forma & ratio. Cujusmodi nempe sunt, quæ ab Aristide, qui sub eo Imperatore floruit, &, quod supra obiter adtigi, dicuntur in ejus oratione in Romam, quæ jam omnibus impertitum illud Romanæ civitatis beneficium haud obscure videntur innuere. Qualia nempe, & quæ aliquotenus ab iis, qui ad eam Antoninianam Constitutionem respexerunt, adtendi debuerant, ac proinde prætermittere hic non licet *d*: Πρόκειται δ' ἐν μέσῳ πᾶσι πάντα, ΞΕΝΟΣ δ' οὐδεὶς, ὅστις ἀρχῆς, ἢ πίστεως ἄξιος, *cuncta*, nempe orbis Romani incolis, *in medio cunctis patent, nec PEREGRINVS censetur quisquam, qui vel magistratu, vel fide dignus.* Idem postea Romanos dicit eximie Urbem Romam esse dimensos, atque inde admirabilem ab iis redditam, non quod eam cum nemine communicarent *e*, *sed quod COMPLEMENTVM ea dignum quæsivistis* (ad Imperatores hunc M. Antoninum & L. Verum sermo) *ut jam ROMANVM esse, non VRBIS alicujus, sed GENERIS TOTIVS, nec unius quidem e cunctis, sed quod reliquis omnibus æquaretur: nec in Græcos jam & Barbaros gentes omnes sint divisæ* &c. *Sed in eos, qui ROMANI & NON ROMANI*: ΤΟ ΠΛΗΡΩΜΑ αὐτῆς ἄξιον ἐζητήσατε, καὶ ΤΟ ΡΩΜΑΙΟΝ εἶναι, ἐποιήσατε ΟΥ ΠΟΛΕΩΣ, ἀλλὰ ΓΕΝΟΥΣ ὄνομα ΚΟΙΝΟΥ τινός. Καὶ τούτου οὐχ ἑνὸς τῶν πάντων, ἀλλ' ἀντιρρόπου πᾶσι τοῖς λοιποῖς. Οὐ γὰρ εἰς Ἕλληνας καὶ Βαρβάρους διαιρεῖται νῦν τὰ γένη. &c. ἀλλ' ΕΣ ΡΩΜΑΙΟΥΣ ΤΕ, καὶ ΟΥ ΡΩΜΑΙΟΥΣ. Adde sequenti adhuc pagina: Διά γε τὸ ΚΟΙΝΗΝ εἶναι ΤΗΝ ΠΟΛΙΤΕΙΑΝ, καὶ οἷα ΠΟΛΕΩΣ ΜΙΑΣ, ἰόντες οὐχ ὡς ἀλλοτρίων, ἀλλ' ὡς οἰκείων ἄρχοντες ἄρχουσι. *exin enim, quod COMMVNIS sit RESPVBLICA, & tanquam VNIVS CIVITATIS, suis ut domesticis, non ut alienis imperant*: & alio rursus loco, eosdem Principes adloquens, καὶ συντάξαντες ὥσπερ ἕνα οἶκον, ἅπασαν τὴν οἰκουμένην, *& Orbis totius, tanquam unius domus, administrationem constituistis.* Quomodo utique non post Antoninum Caracallam demum, latamve ab eo, juxta Dionem, uti ea de re postea, constitutionem; ac prout inde a Modestino *f* sub Alexandro Severo, & jam ante a Callistrato *g*, *Roma omnium patria* dicitur; sed jam ante ab Aristide sub hoc Imperatore Marco Antonino habita fuisset eadem Roma.

III. Quorum tamen, quæ ex hoc Smyrnæo Rhetore modo protulimus, ea demum habenda est ratio, maxime si cum aliis, quæ in eadem leguntur oratione, conferantur; ut sicut de Antonino Pio paullo ante diximus, non promiscue quidem omnes in Orbe Romano, cives Romanos, sub Marco jam effectos; sed ampliatum fuisse haud parum, ut in Pii nummo vidimus, eorum numerum: neque unius urbis aut gentis in orbe Romano finibus circumdatum; sed ad plures, qui vel magistratus in patria gessissent, in eaque præ cæteris civibus dignatione & potentia eminerent; vel inter Romanos militarent, seu in imperii finibus præsidiarii milites agerent, illius beneficii largitionem dimanasse: & quidem ita, ut nemo natalis soli conditione, civitatis Romanæ jura & honores consequi deinceps prohiberetur. Id enim in eadem Oratione in Romam haud obscure docet alibi idem Aristides; ubi quum dixisset Orbem Romanum in duas partes divisum, addit *h*: Τὸ μὲν (nempe μέρος) χαριέστερόν τε καὶ γενναιότερον καὶ δυνατώτερον πανταχοῦ, ΠΟΛΙΤΙΚΟΝ ὃν καὶ ΟΜΟΦΥΛΟΝ ΑΠΕΔΕΙΞΑΤΕ. τὸ δὲ λοιπὸν ΥΠΗΚΟΟΝ καὶ ἀρχόμενον, καὶ οὔτε θάλαττα διείργει, ΤΟ ΜΗ ΕΙΝΑΙ ΠΟΛΙΤΗΝ, οὔτε πλῆθος τῆς ἐν μέσῳ χώρας, οὐδ' Ἀσία καὶ Εὐρώπη διῄρηνται ἐνταῦθα. *Qui quidem vel gratia, vel generis potentia præstabant, utique eos CIVITATE & TRIBV veluti DONASTIS, reliquis inter SVBIECTOS relatis: ita fit, ut nec intermedia regio, CIVITATE quemquam PROHIBEAT, nec eo in re Asia ab Europa distinguatur.* Quibus addi debent, quæ tangit idem orator in sequentibus: ubi nempe prudenti Romanorum consilio provisum docet, ut delecti in Provinciis milites, quique ad tutandos imperii fines mittebantur, Romana civitate continuo sint donati; *i* iique ἐν τιμῆς αὐτοὺς μέρει λήψεσθαι ΤΗΝ ΜΕΤΟΥΣΙΑΝ ΤΗΣ ΠΟΛΙΤΕΙΑΣ, *honoris ergo in civitatis communionem admitti sese intelligerent.* Quod an alibi legatur, haud equidem memini, quum emeritos cæteroquin milites, & qui sena vicena plurave stipendia meruerant in Dalmatia, vel in classe seu prætoria Ravennate, Misenensi, aut Flavia Mœsica, a Vespasiano jam ante, Domitiano ac Hadriano civitate donati legantur in aliquot *k* inscriptionibus antiquis, & quorum facta jam est in superiore Exercitatione mentio. Quibus accedit id, quod ab Ulpiano in Fragmentis ejus adhuc residuis traditur, de Latinæ conditionis hominibus, seu Latinis, de quibus postea adhuc dicetur, libertis, qui Romæ per sex annos vigiles, jus Quiritium seu privata Romanorum jura, de quibus itidem supra a nobis actum, consequebantur *l*: *MILITIA IVS QVIRITIVM accepit Latinus, si inter vigiles sex annos militaverit ex lege Visellia. Præterea ex Senatusconsulto concessum est, ut si triennio INTER VIGILES MILITAVERIT, IVS QVIRITIVM consequatur.* Verum latius diffusa hæc, cujus Aristides locis modo indicatis meminit, Romanæ civitatis largitio, eaque data promiscue omnibus, quorum delectus fiebat in Provinciis, militibus: non quidem ut ii Romæ, sed in extimis Imperii & Barbarorum incursioni proximis oppidis constituerentur; quibus que exin jus esset, seu, ut ait dictis paullo ante verbis Aristides, μετουσία τῆς πολιτείας *Romanæ civitatis participatio.* Duo proinde hominum genera

x Fragm. Tit. XXVI. II. 6. *y* Leg. LX. D. de Ritu Nupt.
z Leg. III. C. de Legib. & Constit.
a Leg. VIII. D. de Transaction.
b Leg. LVI. D. de Re Judicata.
c Leg. I. §. 7. D. Quando Appelland.

d Orat. in Romam p. 372. T. I. *e* Ibid. p. 374.
f Leg. VI. §. II. D. de Excusation.
g Leg. ult. D. de Interd. *h* pag. 373. T. I.
i pag. 382. *k* Thes. Grut. DLXXXIII. I. DLXXIV. 5. DLXXVI. I. *l* Tit. III. §. 5.

tangit in eadem oratione Ariſtides, qui in Orbe Romano ea ætate, ſeu ſub hoc Principe M. Antonino, illius Romanæ civitatis erant aut fiebant participes: primo delectos illos in Provinciis, & in imperii limitibus præſidiarios milites conſtitutos; qui adempta eis, ut hoc ſuperiori Exercitatione, ubi de ſingulari illo Romanæ civitatis jure agebatur, jam adtigimus, naturali patria, Romana inde civitate donabantur *m*: *ὁμοῦ δέ τε πατρίδος ἀπηλλάξατε, καὶ τὴν ὑμετέραν αὐτῶν πόλιν ἀντέδοτε αὐτοῖς*, *ſimul & ſua quemque patria liberaſtis, & veſtra civitate viciſſim donaſtis*: adeo quidem, quod continuo addit, ut non auſint amplius præ pudore antiquam profiteri originem, ſed *ποιησάμενοι δὲ πολίτας, οὕτω καὶ στρατιώτας ἐποιήσατε*, *civitatem vero iis dantes, ita milites eos effeciſtis*. Quum alioquin, ut hoc addam, non id ad omnes promiſcue, qui in Romanam militiam nomina dederant, milites adtineret; & de quibus, ut alia mittam, in genere dicit infra hujus Marci tempora Hermogenianus *n*: *Miles ibi domicilium habere videtur, ubi meret, ſi nihil IN PATRIA poſſideat.* Alterum vero civium Romanorum e Provincialibus genus ex iis conſtitutum obſervat Ariſtides; qui, juxta adducta ejus ea de re verba, potentia, opibus, aut dignatione plurimum ſuis in urbibus poterant: idque callido Romanorum conſilio, quo eadem oppida in fide ac veneratione Romani nominis eo ſecurius validiuſque adſtrerentur. Quod utrumque aperte adhuc tangit his verbis Orator Smyrnæus *o*: ΠΟΛΛΟΙ *μὲν ἐν ἑκάστῃ* ΠΟΛΕΙ ΠΟΛΙΤΑΙ ΥΜΕΤΕΡΟΙ, *οὐχ ἧττον ἢ τῶν ὁμοφύλων, οὐδὲ ἰδόντες πώ τινες αὐτῶν τὴν πόλιν· φρουρῶν δὲ οὐδὲν δεῖ τὰς ἀκροπόλεις ἐχόντων, ἀλλ' οἱ ἑκασταχόθεν* ΜΕΓΙΣΤΟΙ *καὶ* ΔΥΝΑΤΩΤΑΤΟΙ *τὰς αὐτῶν πατρίδας ὑμῖν φυλάττουσι, καὶ διπλῆ τὰς πόλεις ἔχετε, ἐνθένδε τε, καὶ παρ' αὐτῶν ἑκάστας*. *Jam & MVLTI ſunt in urbibus ſingulis VESTRI CIVES, non minus quam urbis ſuæ, licet eorum aliqui nunquam civitatem ſuam viderint: nec præſidiis ad arces tuendas opus eſt, quum MAXIMI & POTENTISSIMI quique ſuam vobis patriam ſinguli cuſtodiant: & bifariam urbes occupatis, partim hinc, partim per ipſos ſingulos.* Haud aliter nempe, ac Galliæ Comatæ primoribus datam a Julio vel Auguſto civitatem, e Tacito jam ſupra vidimus; immo prout hiſce Marci temporibus, in inſcriptione Tergeſtanæ civitatis paullo ante memorata legitur *p*, *Admittendo Ad Honorum Communionem Et Vſurpationem Romanæ Civitatis ET OPTIMVM ET LOCVPLETISSIMVM QVEMQVE.* Adeo ut ex hiſce abunde, ut opinor, liqueat; tum quæ hujus M. Antonini Imperatoris ætate, Romanæ civitatis paſſim exteris dandæ ratio vel occaſio fuerit; ac unde in provinciis haud parum multiplicari Romanorum civium, qui tamen, quod ait Ariſtides, civitatem ſuam, ſeu Romam, nunquam viderant, (quomodo facti e provincialibus ſeu peregrinis, juxta Pauli *q* ea de re legem, Senatores, domicilium inde mutare, ſeu Romam adire non cogebantur) numerus debuerit: tum jus illud neutiquam commune adhuc fuiſſe, ſeu omnibus datum in Orbe Romano, qui, quod paullo ante dixerat idem Ariſtides, in duas partes adhuc, ſeu in *cives* & *ſubjectos* diſtinguerettur *r*; *πολιτικὸν ἢ ὁμόφυλον, τὸ δὲ λοιπὸν ὑπήκοόν τε καὶ ἀρχόμενον*. Quæ vel ſola ſatis utique arguunt, non debuiſſe eidem Marco eam conſtitutionem, qua omnes in orbe Romano cives Romani ſunt effecti, ſeu, quod ait Victor, *data cunctis promiſcue civitas Romana*, vel ab eo, vel ab aliis dein tribui: Immo unde adſtrui videretur, id quod *ſ* viro erudito & ad præclara ſurgenti nuper viſum eſt, ea voce *promiſcue* in Victoris verbis notari duntaxat, juxta receptum illius vocis uſum, a Marco ſublatum perſonarum vel conditionis diſcrimen; non vero omnibus & ſingulis jus illud civitatis datum. Quamquam haud fruſtra aliter eadem Victoris verba, & ob ea, quæ ſupra jam adtigi, ab eruditis hactenus accepta exiſtimem; aliud etiam velit, qui eam in rem adducitur, de eodem Marco Capitolini locus *t*: *Philoſophum infinitos ex gentibus in Romano ſolo collocaſſe*; quod ſine data civitate fieri ſolitum ſatis conſtat, niſi dein, ubi ea poſt Antonini Caracallæ tempora omnibus Romani orbis incolis fuit impertita. Accedit haud diſſimilis e nominis communione ortus ejuſdem Victoris error *u*: dum Didium Julianum Imperatorem, Edicti Perpetui auctorem tradit, quod a Salvio Juliano ſub Hadriano fuerat conditum. Quæ alioquin de Marco Principe ex Ariſtide vidimus, firmantur præterea ex iis, quæ de eodem Principe leguntur apud Dionem *x*: Ὁ Μάρκος δὲ τοὺς πρεσβευομένους τῶν ἐθνῶν ἐδέχετο, οὐκ ἐπὶ τοῖς αὐτοῖς πᾶσιν. ἀλλ' ὡς ποῦ ἕκαστοι αὐτῶν ΠΟΛΙΤΕΙΑΝ, ἢ ἀτέλειαν, ἢ ἀΐδιον, ἢ καὶ πρὸς χρόνον τινὰ ἄφεσιν τοῦ φόρου λαβεῖν, ἢ καὶ τὴν τροφὴν ἀΐδιον ἔχειν ἄξιοι ἦσαν. *Marcus legatos gentium ad ſe miſſos, non omnes iiſdem conditionibus admittebat; ſed prout quilibet eorum digni erant, ut ad CIVITATEM ROMANAM, vel immunitatem a tributis vel perpetuam aut temporariam remiſſionem vectigalium, vel annonas perennes conſequerentur.* Unde quæ ex Ariſtide paullo ante adduximus, & quibus in Orbe Romano ſublatum jam omne inter cives ac peregrinos diſcrimen videbatur, ad æquabilem demum juris inter Romani Orbis incolas conditionem reſpiciunt; ut ille alibi in eadem oratione haud ſemel tangit *y*, *ὑπὸ πάντων δὲ πανταχοῦ ἴσον ἄρχεται*, *æquali autem ubique regitur imperio*. ac prout ipſe Marcus in commentario de vita ſua ait *z*: *καὶ φαντασίαν λαβεῖν, πολιτείας ἰσονόμου, κατ' ἰσότητα καὶ ἰσηγορίαν διοικουμένης*, *& quod imaginem Reipublicæ animo conceperam æquo jure, ſeu ſecundum æqualitatem & æquabilitatem juris adminiſtratæ.* Et quam proinde, qua revera ſub hoc Principe ac filio ejus Commodo, in imperii conſortium adſcito, perfruerentur Romani orbis incolæ, (ut hæc nuper ad Julianum Imp. adtigi) *ἰσονομίαν* prædicat in Oratione ad eoſdem Principes Athenagoras: *διὸ τὸ πρᾶον ὑμῶν καὶ ἥμερον, καὶ τὸ πρὸς ἅπαντα εἰρηνικὸν, καὶ φιλάνθρωπον θαυμάζοντες, οἱ μὲν* ΚΑΘ' ΕΝΑ ΙΣΟΝΟΜΟΥΝΤΑΙ. *ideoque clementiam veſtram ac manſuetudinem, & in omnibus pacis ſtudium atque humanitatem admirantur, qui quidem ÆQVO IVRE SINGVLI REGVNTVR.* Quum cæteroquin diſcrimen adhuc in orbe Romano ſub eodem Principe, inter cives Romanos, & non cives ſeu peregrinos exſtitiſſe, vel ex aurea illa Viennenſium & Lugdunenſium apud Euſebium epiſtola omnino liqueat *a*: ubi & de Attalo, uno e martyrum, de quibus ibi agitur, numero dicitur, quod eſſet *civis Romanus*. mox autem: *καὶ ὅσοι μὲν ἐδόκουν πολιτείαν Ῥωμαίων ἐσχηκέναι, τούτων ἀπέτεμνε τὰς κεφαλάς, τοὺς δὲ λοιποὺς ἔπεμπεν εἰς θηρία*, *quicunque Romani cives reperti ſunt, capite truncati, reliqui traditi beſtiis.* Unde ſub Pio necdum datam omnibus Romanam civitatem vere colligit eruditiſſimus Sam. Petitus *b*: addo nec ſub Marco, cujus demum extremis vitæ annis, ſeu anno ejus Principatus, juxta Euſebium, decimo ſeptimo, quod alioquin

m Orat. in Romam pag. 380.
n Leg. XXIII. §. 2. Ad Municipal.
o Orat. in Romam p. 375. *p* Grut. Theſ. CCCCVIII. 1.
q Leg. XI. D. de Senatorib. *r* Orat. in Romam p. 373.

ſ Petr. Burman. de Vect. P. R. p. 220.
t in M. Antonino c. 29. *u* in Didio Juliano.
x l. LXXI. p. 809. *y* Orat. in Romam p. 38[illegible] *z* l. 1. §. 14.
a Hiſt. Eccl. l. V. c. 1. *b* Comm. ad Leg. Attic. p. 136.

septimo

septimo in ejus Chronico, sed minus accurate adscribitur, contigerit: nec ante obitum id ab eodem Marco constitutum, aliunde, ut continuo videbitur, constat.

IV. Neque vero, ubi post M. Antonini obitum solus imperio præfuit, qui patris ANTONINI itidem cognomen, ut e nummis ejus & lapidibus constat, tulit COMMODUS: aut successor ejus PERTINAX: vel, qui eum mox excepit, DIDIUS JULIANUS; datæ omnibus Romanæ civitatis auctores leguntur exstitisse; aut ea in re novum quidpiam, nec prius usitatum exogitasse. De COMMODO quidem illud facile licet opinari; sub eo non datum adeo promiscue, quam, uti sub J. Cæsare, M. Antonio & Claudio factum in superiori Exercitatione vidimus, passim & indignis jus Romanæ civitatis fuisse venundatum. de quo nempe Commodo ait in ejus vita Lampridius *c*: *Tuncque primum viginti quinque Consules in unum annum; venditæque omnes provinciæ; omnia Cleander pecunia venditabat.* & alibi *d*: *Vendidit etiam provincias & administrationes.* Id vero PESCENNIO NIGRO, qui post Juliani cædem arripuit imperium, diversa nempe seu contraria eorum locorum conditione, constitutum refert in ejus vita Spartianus *e*: *Ut nemo adsideret in sua provincia: ut nemo administraret Romæ, nisi Romanus, hoc est, oriundus Urbe.* Quorum prius, ne quis nempe in patria sua adsessoris officio fungeretur, legibus etiam, quas ad eum Spartiani locum jam indicavit ὁ πάνυ Casaubonus, & quorum mentio fit in jure *f* Justinianeo, sancitum sub aliis dein Principibus legitur: immo prout id jam ante Pescennium, & quod obiter moneri ibi merebatur, a M. Antonino prohibitum docet Dio *g*: Ἐνομοθέτησε δὲ τότε μηδένα ἐν τῷ ἔθνει, ὅθεν τὸ ἀρχαῖόν ἐστιν, ἄρχειν, *constituit, ut nemo cum imperio in ea provincia esset, unde antiquitus ortus foret.* Adeo ut ea, quæ tam *imperii* erant, quam, ut ea distinguit alicubi Paulus J.C. *h* *jurisdictionis*, seu juris dicendi in provinciis, magistratibus municipalibus, ab his Principibus Marco & Nigro interdicta inde liqueat; & prius quidem, uti id sequutis temporibus ab Anastasio cautum legitur *i*: *ut nulli patria sua administratio, sine speciali permissu Principis, permittatur.* Adde, quomodo a quibusdam etiam muneribus exclusi in patria decuriones. unde Ulpianus *k*: *Decurio etiam suæ civitatis vectigalia exercere prohibetur.* Alteram vero Pescennii, & a priori illa valde diversam, constitutionem quod attinet, nempe, *ut nemo administraret Romæ, nisi Romanus, hoc est*, ut ibi continuo additur, *oriundus urbe*, minus provide hæc inde explicat magnus Casaubonus: quod scilicet lege Antonini jam omnes facti essent cives Romani, ac discrimen ideo ibi a Nigro constitui censeat inter veteres & novos cives: ut proinde ii tantum Romæ administrarent, qui non solum in Urbe nati, sed cujus pater & majores fuissent cives Romani. Quum tamen neque lata adhuc esset, quod hactenus vidimus, lex illa, qua data omnibus Romana civitas; neque alia quærenda esset hujus Pescennianæ constitutionis ratio, nisi quam ipsa suppeditant ea de re verba, ut nemo Romæ administraret, jus nempe (ad quod ea prohibitio ibi restringi videtur, ac prout *administratio judicum* dicitur in Codice Justinianeo *l*) nisi qui non solum jure municipii, vel aliunde civis & a majoribus etiam foret, aut fixo præterea Romæ domicilio, sed in Urbe insuper esset natus; seu cui naturalis patria, non vero *communis* duntaxat, prout appellari postea meruit, foret Roma. Quomodo olim *peregrini* subinde nomen, ortis quamquam e municipiis, quique dudum jure civitatis gaudebant, civibus, ab indigenis illis Quiritibus, uti Ciceroni *m* a L. Manlio Torquato, quod supra vidimus, objectum constat, eundemque inde *inquilinum* a Catilina, quod apud Appianum *n* legitur, appellatum aut inter novos, vel Cassiano, de quo supra, fœdere, vel Julia dein lege; donatos civitate Latinos aut Italos, ac veteres Romanos cives, seu, ut Græci loquuntur, Ῥωμαίους ἀστοὺς, discrimen quæsitum. Unde etiam novi cives a parentum & agnatorum hereditatibus erant exclusi; ni singulari Principis rescripto & indulgentia id beneficium fuissent consequuti: & prout novis civibus juxta constitutum ea de re ab Augusto, & de quo supra ac mox adhuc dicetur, vectigal, hereditatum vicesima irrogata; a qua vero immunes erant, quibus integra servabantur cognationum jura, veteres cives. Hinc ea de re junior Plinius *o*: *Hæc mansuetudo legis VETERIBUS CIVIBUS servabatur: NOVI seu per Latium in civitatem, seu beneficio Principis venissent, nisi simul cognationis jura impetrassent, alienissimi habebantur, quibus conjunctissimi vixerant.* Immo, & quod propius ad Pescennii hujus constitutionem facit, juxta quam, natis tantum in Urbe civibus, ac proinde vere Romanis, patuit Romæ administratio, haud dissimile exstitit, & quod jam in superiori Exercitatione adtigimus, Atheniensium institutum: juxta quod *p* novi cives, seu aliunde in civitatem adsciti, & quamquam fixo in urbe domicilio, in curias Atheniensium forent conjecti, ab omni tamen novem Archonton, seu supremorum in urbe magistratuum, omnique præterea sacrorum administratione erant exclusi: non vero eorum liberi, qui nempe Athenis dein, & quidem e muliere cive erant suscepti. Quam autem memoratam Pescennii constitutionem non tenuisse, aut ad civilem publicamve honorum, qui Romæ gerebantur, administrationem, non spectasse, vel inde, ut alia nunc mittam, liquet; quod ipsemet Niger, non Romanus, sed Italus, ut a Dione *q* dicitur, foret. Ne jam huc adducam, id quod a Juliano Principe in Constantii laudatione dicitur *r*, quod etsi non Romani, sed *aliunde orti sint* Imperatores, *haud eo minus ad civitatem* Romanam *ac Rempublicam sint adscripti*, ὅτι κἂν ἀλλαχόθεν τυγχάνωσι, τῷ μετέχειν ἅπαντας ἤδη τοῦ πολιτεύματος.

V. In consignanda vero SEVERI, qui sublato eodem Nigro, solus imperio est potitus, vita, ea tradit ab ejus initio Spartianus; unde ambigua rursus & perplexa datæ omnibus Romanæ civitatis ratio, seu illa eodem Principe antiquior statui videtur: nempe *s*, *Severus Africa oriundus, imperium obtinuit, cui civitas Leptis, pater Geta, majores Equites Romani, ANTE CIVITATEM OMNIBUS DATAM.* Quibus autem postremis verbis, non sub hujus demum Severi filio Antonino, uti ea de re mox; sed antea dudum latam fuisse Constitutionem, qua omnes in orbe Romano, cives Romani sint effecti, aperte satis innui videtur. Unde etiam, quod obiter supra monui, Antonino Pio eam legem ad hunc Spartiani locum, tribuit ὁ πάνυ Casaubonus. Quod quum aliunde, ut jam ante vidimus, quæ necdum sub Marco, minus sub decessore ejus Pio, *datam omnibus* Romanam *civitatem* ar-

c cap. 6. *d* Ibidem c. 8. *e* cap. 8.
f Leg. III. D. de Offic. Adsessor. & Leg. unic. Cod. Lib. I. Tit. XLI.
g l. LXXI. p. 813. *h* Leg. XXVI. D. Ad Municipal.
i Leg. VII. Cod. l. I. Tit. XLI.
k Leg. VI. D. de Decurionib. *l* Leg. II. Cod. de Adsessor.
m Orat. pro Sulla c. 22. *n* Bell. Civ. l. II. p. 428.
o Panegyr. c. 36. *p* Demosthen. in Neæram p. 530. 532.
q Lib. LXXIV. p. 842. *r* Orat. I. p. 5. ult. edit.
s cap. I.

giunt, abunde refellitur: tum ex iis, quæ ea de re mox dicenda veniunt, quæque viderunt jam alii, luculenter constabit. Unde doctissimus Valesius [t], *omnibus* ibi apud Spartianum, de *Lepitanis*, qua civitate Lepti oriundus ibidem Severus dicitur, intelligendum putat; & præterea in manuscripto codice, non *omnibus*, sed *sibi*, quod sit rectius, legi, ibidem observat. Quod equidem de civitate *omnibus*, nempe *Lepitanis*, data, eo minus mirum videri continuo potest; quod præter *Uticense* memoratum e nummis antiquis in priori Exercitatione *municipium*, jam Plinii [u] ævo *oppida Civium Romanorum* XV. in Africa dicantur exstitisse: e duabus autem in eadem, quæ Leptis nomen tulerunt, urbibus, una seu minor, Colonia etiam Romana sub Tiberio in nummo Regiæ Gallorum Gazæ cum Mercurii capite, signetur, COL. VIC. JVL. LEP. *Colonia Victrix Julia Leptis:* adeo ut, quod aliis id genus oppidis contigisse supra diximus, ex eadem colonia, municipium seu oppidum civium Romanorum fieri continuo eadem Leptis potuerit. Cujus tamen rei, quum non aliunde constet ratio; ac alienum ferme illud & coactum videatur, ut *omnibus* in hisce Spartiani verbis, *ante civitatem omnibus datam*, de Lepitanis in genere intelligatur, quorum tamen facta non fuerat mentio, sed tantum de Severo dictum, quod Lepti esset natus, *cui civitas*, h. e. patria *Leptis*, *pater Geta*, *majores Equites Romani;* hinc probabilius forte, ut conjecit nuper vir eruditissimus [x], illud *omnibus*, ad majores Severi, quorum commemoratio præcesserat, referendum credidit, ac inde legendum, *ante civitate omnibus data*, iisdem nempe Severi majoribus. Quamquam, ut verum fatear, ea vel Valesii, vel alterius viri docti tradita hujus loci explicatio se mihi minus probet; illudque Spartiani ea de re verbis magis consentaneum videatur, & quod præterea recepta lectio, quæ *omnibus* hic habet, non *sibi*, plurium ac meliorum codicum auctoritate sit firmata, quamque retinuerunt etiam viri summi; ut nempe iis verbis, *ante civitatem omnibus datam*, ad sequuta, quod Auctoribus familiare, latæ illius ab Antonino Caracalla, uti mox dicetur, legis tempora respexerit Spartianus: nempe Leptitanos Severi, ac proinde ipsius Caracallæ majores, in Romanam civitatem adscitos, antequam eadem promiscue omnibus orbis Romani incolis, quod sub hoc Antonino demum contigit, esset data. Ni tamen illud, & quod mihi etiam magis arridet, sit potius statuendum: ut qui sub Diocletiano demum & Constantino etiam vixit Spartianus, Pium forte vel Marcum auctorem illius constitutionis, quæ ab *Antonino Imperatore* lata dicebatur, & qua civitas est omnibus data, ea nominis illius *Antonini* appellatione deceptus, uti id eadem ferme ætate ab Aurelio Victore, aut postea a Justiniano Imperatore factum vidimus; non vero Antoninum Caracallam, qua de re silet etiam prorsus in ejus vita, crediderit. Idque eo magis, quod tantum humano velut generi impertitum beneficium, a truculenti adeo ac sævi, uti eum Caracallam describit Spartianus, magis quam a Pii vel Marci Antoninorum moribus, quorum celebrata adeo humanitas, & qui ab eodem dicuntur in vita Severi [y], *Antonini Pius & Marcus, numina Respublica*, ac eorum intuitu, illud *Antonini nomen sanctum & venerabile*, alienum omnino censuerit. Ut minus etiam mirum videri possit, deceptum ea in re, & proclivi adeo ejus lapsus occasione, Spartianum; quem in describendis eorum Principum vitis, Juliam Severi, ejusdem Caracallæ non matrem, sed novercam [z], & cum qua post patris obitum incestas duxerit nuptias [a]: Getam vero solum ex eadem Julia genitum: eumque Cæsarem [b], aut vero Imperatorem vel Augustum, ab exercitu tantum, non vero a patre Severo, primi quoque fastigii cum Antonino fratre, etsi annis aliquot interjectis, participem nuncupatum, præter coæva aliorum Auctorum & veterum etiam nummorum vel lapidum monumenta, tradiderit.

VI. Nunc vero ad ANTONINVM, vulgo CARACALLAM, tandem devenitur: seu ad verum illius, quam in suum ad Edictum Perpetuum commentarium retulerat Ulpianus, quæque inde in jus Justinianeum est relata, legis auctorem: nempe, uti supra eadem jam memoratur [c]: *In Orbe Romano qui sunt, ex Constitutione IMPERATORIS ANTONINI, CIVES ROMANI effecti sunt.* Ita enim ibi, e venerando illo seu Hetrusco (quem non eruditis quidem, ut ait Cicero, sed avidis, immo avidissimis, olim oculis adspeximus) codice, *in orbe Romano*, non ut antes, *in urbe Romana*, primus legendum vidit, qui primus veterum eruditionem ac ingenium ad juris scientiam adtulit, Alciatus [d]: ac ut certissimum dein & indubitatum merito amplexi sunt sequuti dein juris interpretes, vel omnes, quæ ex eo fonte prodierunt dein Romanarum legum editiones. Hujus autem, de qua in memorata modo lege agitur, rei seu auctoris, quum non obscuram significationem ipsa Ulpiani præberent verba; quibus consueto ei in tot legibus ex illo, in locuplete Romani juris thesauro, prolatis more, *Antoninus Imperator* de Caracalla, non autem de aliis, qui ante eum hoc *Antonini* nomen tulerant, Principibus Pio, vel Marco, præter unum forte vel alterum, quem paullo ante adduxi, ea de re locum, dici demum solet. Mirum est utique id in versandis iisdem legibus summe exercitatis accuratique præterea judicii viris, quos supra jam enumeravi, eidem, de quo modo, Alciato, Ant. Augustino, Pancirollo, Cujacio, ut de Casaubono, Salmasio, ipsoque Hugone Grotio in libris de Belli jure & Pacis [e], etsi aliunde postea, uti dein dicetur, sit edoctus, non suboluisse: aut eosdem, vel Spartiani, de quo modo nobis sermo, vel Aur. Victoris, vel Justiniani, de quibus antea, auctoritate; aut vero Caracallæ ipsius, quam itidem jam adtigi, immanitate motos, eos nobilem hanc Constitutionem eidem Antonino abjudicasse. Nam etsi nude *Imperator noster* [f], aut *Imperator noster Antoninus* [g], in veteri Romani juris penu ab Ulpiano, qui sub eo Principe ejusque patre Severo adsessor exstitit, dici frequenter (uti & a Paulo [h] etiam, Papiniani, juxta Ulpianum, assessore) consueverit: solo tamen *Antonini Imperatoris* [i] nomine idem Princeps haud semel ab eo iisdem in libris designatur: immo non ab Ulpiano solum, sed ab aliis ejusdem ætatis jurisperitis, Paulo [k], Modestino [l], Volusio Mæ-

[t] ad Dionis Excerpt. p. 109. [u] l. v. sect. 4.
[x] Burmann. de Vectigal. P. R. p. 123.
[y] cap. 21. [z] In Caracalla c. 10.
[a] Ibidem & in Sever. c. 20. in Geta c. 7.
[b] in Severo c. 16. Caracalla c. 1.
[c] Leg. XVII. D. de Statu Hominum.
[d] Dispunct. l. 1. c. 51. [e] lib. II. c. IX. sect. II.
[f] Leg. IV. D. de Off. Procos. l. III. §. 4. de Admin. Tutor. l. IV. de Censib. l. IV. §. 10. de Extraord. Cognit. &c. Collat. leg. Mosaic. Tit. XVI.

[g] Leg. IV. D. de Off. Procon. l. III. de Donation. l. XII. de Incendio. l. IX. de Captiv. l. XXI. §. 15. de Fideicom. libert. &c.
[h] Leg. VIII. D. de Censib.
[i] Ulpianus leg. VI. §. 3 D. de Off. Procon. l. XVIII. de Minorib. l. II. §. 2. Solut. Matrimon. l. V. §. 16. Ut in Possess. &c.
[k] Leg. XXXI. §. 4. D. de Fideicomm. Libert.
[l] Leg. III. D. de Senatorib.

ciano

ciano [m], Licinio Rufino [n]. Immo quum in ipso Justinianeo Codice, quod fugere non poterat viros in eo versando & explicando etiam haud parum exercitatos vel etiam assiduos, non de alio, quam de hoc Antonino Caracalla dicatur præpositum tot Constitutionibus, quæ ibi & quidem toties in fronte titulorum [o] sunt obviæ, illud ipsum *Imp.* seu *Imperatoris Antonini*, qui eas nempe tulerit, nomen. Neque enim alteri *Antonino* tribui easdem leges posse, evincunt, quod similiter de alia Codicis lege paullo ante diximus, adscripta iisdem Consulum nomina, & additæ frequenter æræ Christianæ, quibus latæ eædem leges, anni, nempe 212. aut 213. 214 215. &c. quæ autem in secundum, tertium, quartum & quintum annum incidunt, quibus post Severi obitum imperio præfuit Caracalla, seu decimum quintum, decimum sextum, decimum septimum & decimum octavum suscepti jam ab eo cum patre Severo imperii annum. Adeo, ut quamquam eadem *Antonini Imperatoris* appellatio, Pio vel Marco, quod supra vidimus, in iisdem libris tributa subinde legatur: id a prioribus jurisperitis, quique sub iisdem Principibus, aut iis proxime defunctis, vixerunt, Gajo, Scævola, Marcello, Papirio Justo; non autem a posterioribus, Ulpiano nempe aliisque factum, qui eosdem Imperatores aliis, quas supra adtigi, appellationibus, ut *Divi Pii*, *Divi Marci*, *Divorum Fratrum*, quæ perpetua ferme est Ulpiani in iis memorandis consuetudo, nuncupant. Unum quidem vel alterum adduximus paullo ante Ulpiani locum, ubi *Imperator Antoninus*, de *Marco* ab eo dicitur: sed ubi de constitutione quadam ab eo Principe simul & a filio ejus Commodo lata, & quidem oratione, utroque eorundem Principum nomine, ea de re in Senatu recitata agebatur: nempe, ut jam vidimus [p], *Oratio Imperatorum Antonini & Commodi*, &c. aut [q] *Imperatorum Antonini & Commodi oratione in Senatu recitata, id actum est*, &c. Quod vero alias nuspiam ab Ulpiano factum putem, ubi hujus Marci tantum, aut conjuncta ejus & L. Veri, qui cum eo imperavit, mentio fuit ei facienda. Adeo ut mirari ferme subeat, quod istud, nempe Antoninum Pium & M. Aurelium, ab Ulpiano designari *Divi Pii* aut *Divi Marci* nominibus, ac erat utique obvium, se demum ab amplissimo Hieron. Bignonio edoctum profiteatur Cl. Valesius; idve tanquam ex arcana juris penu depromptum foret, ad Dionem Coccejanum [r] tradere non refugerit; ui potius id singulari viri illius, cujus alioquin excellens fuit eruditio, modestiæ adscribi unice debeat. Quod alioquin jam ante, aut eodem tempore, quo eadem Valesiana seu Constantiniana verius Dionis Excerpta ederentur, à duobus viris eruditissimis solerter observatum video: prius quidem a celebri Jurisconsulto, Matthæo Wesenbecio [s], qui ad hanc constitutionem seu juris Justinianei, ubi eadem legitur, titulum, eam non Pio, aut Marco, ut plerique alii ac nobiliores Romani juris interpretes, sed huic *Antonino Bassiano* seu Caracallæ opportune tribuit. Quod factum itidem a Samuele Petito in Commentariis ad Leges Atticas, cujus hæc sunt ea de re verba [t]: *At vero ul Antoninus, quem auctorem hujus constitutionis laudat Ulpianus, est, aut ego valde fallor, Antoninus Divi Severi filius, quo imperante scripsit Ulpianus: nam* Antoninum, *sive is sit* Pius, *sive* M. Aurelius, *non ita nominare solet Ulpianus:* ne jam alterum huc adducam, quam ibi continuo subdit Petitus, sed minus solidam aut opportunam, uti ea de re postea dicetur, ejusdem rei probationem.

VII. Quod vero a duobus viris illis præstantibus, posthabita Spartiani, Victoris, aut ipsius Justiniani, vel præcipuorum juris aut litterarum superiori aut hoc etiam ævo antistitum auctoritate, de auctore illius Antoninianæ constitutionis recte erat observatum; id mox evicit, quod eodem tempore, quo ille Petiti commentarius typis erat commissus, in lucem ab Henr. Valesio eadem in urbe, anno hujus seculi XXXIV. exiit præclarum e Dione, & aliis antiquis Historicis, Græcorum Excerptorum e Constantini Porphyrogennetæ Collectaneis opus. Ibi enim opportune a Dione Coccejano in rebus Antonini Caracallæ, facta occurrit illius, de qua hic agitur, Constitutionis Antoninianæ mentio: ita ut cum de illius auctore, tum insuper de ejusdem latæ occasione ac instituto, quod nec ibi fugit doctissimum Valesium, plene ac liquido tandem constet. Sed audienda sunt ipsa Dionis ea de re verba, quibus singula hæc enarrantur [u]: *τῶν τε τελῶν, τῶν τε ἄλλων ἃ καινὰ προσκατέδειξε, καὶ τοῦ τῆς δεκάτης, ἣν ἀντὶ τῆς εἰκοστῆς ὑπέρ τε τῶν ἀπελευθερουμένων, καὶ ὑπὲρ τῶν καταλειπομένων τισὶ κλήρων καὶ δωρεᾶς* (lege *δωρεῶν*) *ἐποίησε, πάσας τάς τε διαδοχὰς, καὶ τὰς ἀτελείας τὰς ἐπὶ τούτοις, τὰς δεδομένας τοῖς πάνυ προσήκουσι τῶν τελευτώντων καταλύσας· οὗ ἕνεκα καὶ* ΡΩΜΑΙΟΥΣ ΠΑΝΤΑΣ *τοὺς ἐν τῇ ἀρχῇ αὐτοῦ* ΛΟΓΩ ΜΕΝ ΤΙΜΩΝ, *ἔργῳ δὲ ὅπως πλείω αὐτῷ καὶ ἐκ τοῦ τοιούτου προσίῃ, διὰ τὸ τοὺς ξένους τὰ πολλὰ αὐτῶν μὴ συντελεῖν,* ΑΠΕΔΕΙΞΕΝ. Valesio interprete: *Postremo præter vectigalia, tum alia, quæ ab ipso primum reperta sunt, tum vectigal decimæ, quam pro vicesima constituit, tam eorum qui manumitterentur, quam hereditatum ac legatorum: cum succedendi jus, & immunitates omnes, quæ proximis defunctorum ac genere conjunctissimis concessa legibus erant, sustulisset. Cujus rei caussa etiam OMNIBUS, QUI IN ORBE ROMANO ERANT, CIVITATEM DEDIT: specie quidem ipse eis honorem tribuens, sed revera ut fiscum suum augeret, quippe cum peregrini pleraque horum vectigalium non penderent.* Quem præclarum Dionis locum adtigit postea in libris de [x] Modo Usurarum ὁ πάνυ Salmasius, quique eundem, in quo Excerpta illa continebantur, codicem tractaverat; ubi etiam pro *δωρεᾶς*, aut juxta Valesium, *δωρεῶν ἐποίησε πάσας τάς τε διαδοχὰς*, legendum ac distinguendum statuit, voce *δωρεᾶς* retenta, *καὶ δωρεὰς ἐποίησε πάσας. τάς τε διαδοχὰς* &c. ac ubi *δωρεὰς* de legato nuspiam, sed de *donationibus* tantum, *διαδοχὰς* vero de *successionibus ab intestato*, a Dione dici observat. unde etiam totum hunc locum ita vertendum tradit: *Et decimæ vectigal, quam pro vicesima constituit, cum eorum qui manumittebantur, tum quæ aliquibus relinquerentur hereditatum, & omnis donationis: successionibus præterea ab intestato sublatis, & immunitatibus, quæ genere propinquis defunctorum ab intestato succedentibus competebant.* Quamquam, ut verum fatear, ea verborum constructio, quam ibi constituit vir summus, *δωρεὰς ἐποίησε πάσας*, minus mihi Græca, aut cum prioribus verbis convenire videntur; aut in singulari adhibita ibi vox *δωρεᾶς*, & cum *κλήρων*, quæ præcedit, conjuncta minus probetur: quum etiam *τῶν κλήρων καὶ τῶν δωρεῶν*, in numero plurium habeat, ubi de ea Vicesima ab Augusto inducta alibi agit Dio [y]; nihilque obstet, ut servata prima distinctione, *πάσας τάς τε διαδο-*

[m] Leg. IX. D. de Leg. Rhod.

[n] Leg. XLI. D. de Donation.

[o] Leg. I. Cod. de Jur. & Facti Ignorant. L. I. C. de Advocatis Fisci. L. I. C. de Tutor. L. I. C. de Usucap. L. I C. de Re Militari. L. I. C. de Servitut. L. I. C. Si Adv. Creditor. L. I. C. de Libertis &c.

[p] Leg. XV. D. de Sponsalib. [q] Fragm. Tit. XXVI. II. 6.

[r] Not. ad Excerpt. p. 108.

[s] Paratit. ad l. XVII. D. de Statu Hom. [t] pag. 136.

[u] Excerpt. ad Dionis lib. LXXVII. p. 745.

[x] pag. 854. &c. [y] l. LV. p. 565.

χὰς &c. *omnes ab intestato successiones*, quæ prius, quod addit, genere proximis competebant, sustulisse dicatur, nempe tanquam fisco caducas, uti mox dicetur, hic Antoninus. Quod vero δωρεὰς *pro legatis* nuspiam a Græcis dici, qui non habeant nomen, quo ea exprimant, observat itidem ὁ αὐτὸς [z]; ac proinde in eo Dionis loco δωρεὰς, non *legata*, sed *donationes* debuisse ab eruditissimo Valesio verti, nescio an id quoque evicerit vir maximus. Etsi enim vox ea quamvis *donationem* in genere notet, alibi certe apud Dionem δωρεὰς de *legatis* dici video; ubi de Cæsaris testamento & heredibus ab eo institutis agens, addit [a], καὶ προσέτι καὶ ΔΩΡΕΑΣ ἄλλοις, καὶ τῷ πόλει τούς τε κήπους, τοὺς παρὰ τὸν Τίβεριν, καὶ δραχμὰς, &c. *& LEGATA insuper alia aliis, populo autem hortos ad Tiberim, ac viritim centenos vicenos*, &c. ac rursus ubi de Augusti testamento, & legatis in eo Juliæ filiæ relictis, ait [b]: τὴν θυγατέρα οὔτε κατήγαγε καίτοι καὶ ΔΩΡΕΩΝ ἀξιώσας, *filiam ab exilio non revocavit, quamvis eam LEGATIS*, ut bene ibi Leunclavius, *dignatus*; & sic alibi δωρηθέντα de *legatis*, ubi de Caligula, iisque, quæ Tiberius ac Livia testamentis legaverant, tradit [c]: Καὶ τοὺς ἰδιώτας οὐχ ὅπως τὰ παρὰ τοῦ Τιβερίου, ἀλλὰ καὶ τὰ παρὰ τῆς προτήθης ΔΩΡΗΘΕΝΤΑ διέλυσε. *privatis etiam nec a Tiberio tantum, sed a proavia quoque sua LEGATA persolvit.* Unde etiam apud Oratores Atticos, ubi de testamenti factione apud eos sermo, promiscue δοῦναι τὰ ἑαυτοῦ, vel τὰ ἑαυτοῦ διαθέσθαι, *sua dare*, seu *legare*, cujus rei obvia sunt apud eos [d] exempla, dicitur. Ut mittam, quod commodius in hoc Dionis de vicesima hereditatum, uti in altero etiam apud eundem Auctorem loco, ubi de eodem agit, quod induxerat Augustus, vectigali, κλήρων τε καὶ δωρεῶν, *hereditatum & legatorum*, quam *hereditatum & donationum* dixeris. Quum alioquin non in veteribus solum Glossis, ut notat ibi Salmasius, & ad Theophilum [e] monuerat quoque Fabrottus, dicantur καταλιμπανόμενα, aut in iisdem insuper, ut hoc addam, καταλείψεις, *legata*; sed apud hunc Dionem alibi, quod observo, τὰ καταλειφθέντα, de *legatis* similiter intelligantur, ubi is de Caligula & relictis a Tiberio legatis ait [f], πρὸς δὲ τὰ καταλειφθέντα ὑπ' αὐτοῦ πάντα, ὡς καὶ παρ' ἑαυτοῦ, &c. *caterum legata omnia Tiberii, quasi ex suo omnia persolvens*: & mox adhuc, quod idem Cajus urbanis militibus, qui in oppidis erant [g], τὰ καταλειφθέντα διέλυσε *legata persolvit.* Neque ideo tamen in iisdem Dionis, de quibus hic agimus, verbis, καταλειπομένων τε κλήρων, *legata* continuo sub iis comprehendi, licet cum eodem viro summo statuere: quæ utique verba nihil inferre possunt, nisi *relictas*, quarum persolvendæ erant vicesimæ, seu jam decimæ, *hereditates*, ad quas demum ibi illud καταλειπομένων refertur; & quomodo id verbum passim adhibent Attici aliique Græci Scriptores, ubi quis *relinquere hereditatem*, *heredes*, *bona*, *testamentum*, *liberos* &c. dicitur, καταλιμπάνειν vel καταλείπειν κλῆρον, κληρονόμους, οὐσίαν, διαθήκας, υἱούς. &c. nempe addita simul rei, quæ a testatore relinqueretur, significatione. Unde utrumque etiam conjungit in mentione hujus vicesimæ ab Augusto inductæ idem Dio [h]: Τήν τε εἰκοστὴν ΤΩΝ ΤΕ ΚΛΗΡΩΝ ΚΑΙ ΤΩΝ ΔΩΡΕΩΝ, ἃς ἂν οἱ τελευτῶντές τισι (πλὴν τῶν πάνυ συγγενῶν ἢ καὶ πενήτων) ΚΑΤΑΛΕΙΠΩΣΙ, κατεστήσατο. *Et vigesima HEREDITATUM & LEGATORUM, quæ morientes aliquibus (exceptis genere proximis & pauperibus) RELINQUEBANT, in ærarium inferatur.*

[z] de Modo Usur. p. 855. [a] l. XLIV. p. 258.
[b] l. LVI. p. 591. [c] l. LIX. p. 641.
[d] Isæus Orat. II. p. 400. & Orat. VIII. p. 532. Orat. IX. p. 425.
[e] ad Lib. II. Tit. XX. [f] l. LXIX. p. 640.

VIII. E quibus autem Dionis de tota ea re verbis, illud primo, quod ad eadem jam adnonotavit, doctissimus Valesius, & agnovit etiam, post eadem Excerpta divulgata, Salmasius [i], certo demum constitit, non alteri Antonino, quam huic Caracallæ, eam constitutionem, qua data omnibus in orbe Romano ingenuis Romana civitas, esse adscribendam; eandemque perperam illo Principe antiquiorem, uti a Spartiano, creditam; ac nominatim ad Pium, vel ad Marcum, ab Aurelio Victore, aut a Justiniano, ac dein a viris juris scientia omnique doctrinæ laude celebratissimis fuisse itidem relatam. Adeo ut, quod cæteroquin e verbis, quibus in ea constitutione commemoranda usus est Ulpianus, nempe *Imperatoris Antonini*, statui jam ea de re poterat, uti etiam a duobus viris doctis factum paullo ante diximus; aut ex iis præterea, quæ de hoc civitatis jure, necdum promiscue sub prioribus illis Antoninis impertito, supra evicimus; continuo emergebat; inde demum fit omnino comprobatum & adsertum. Quo magis mirari subit, quod vir [k] incomparabilis, ac ut in aliis disciplinis, ita in juris etiam cognitione exercitatus, & viso quidem hoc Dionis loco, haud eo minus cum Aurelio Victore, qui hanc constitutionem M. Antonino tribuit, stare Ulpianum existimet, ac de illius auctore adhuc anceps hærere videatur. Hæc enim, ne quidquam ei adfingere videamur, sunt illius ad eandem Constitutionem ab Ulpiano relatam verba [l]: *Hadriano id tribuit Chrysostomus* (quod a Casaubono pridem ad Spartianum observatum, supra vidimus) *in Actis* &c. *sed PRO ULPIANO est Aurelius Victor: is enim in M. Antonini Philosophi vita:* data cunctis promiscue civitas Romana. *AT Caracallæ id tribuit Dion Cocceianus. Fieri potest, ut modo arctius, modo laxius intellectum sit jus civitatis.* Quum tamen, quod de Ulpiano ibi dicitur, quasi is cum Aurelio Victore M. Antoninum auctorem illius constitutionis fecerit, ac ita cum Dione eidem ea in re non conveniat, iis abunde redarguitur, quæ jam ante de eodem Ulpiano adtigi, istoque insuper & luculento quidem, συγχρόνου eidem Ulpiano & Consularis auctoris, testimonio. Cui etiam rei suffragatur ipsa hujus legis, quam tangit in adducta modo narratione Dio, caussa vel institutum: illudque non, ut ex Ulpiani alioquin de eadem constitutione verbis statuere liceret, a benefica quadam Principis, qualis vel Pii vel Marci exstitit, sed lucri tantum & corrogandæ quibuscunque artibus pecuniæ studiosa mente continuo profluxisse. Adeo ut is non inde, quod speciosa illa & profusa civitatis largitio præ se ferre videbatur, instar Hadriani [m], LOCUPLETATOR ORBIS TERRARUM; vel etiam juxta Pium, in prolato supra ejus nummo, AMPLIATOR adeo CIVIUM, quam privati Principis, ut id Dionis verba innuunt, fisci, exstiterit hic Antoninus. Hanc enim unam, concessæ ab eo largitionis illius caussam & rationem aperte tradit ibi Dio; quo nempe *vicesima* hereditatum & manumissorum vectigal, quorum illud soli hactenus pendebant cives Romani, non autem provinciales seu peregrini, ab hisce quoque, post datam iis civitatem, deinceps persolveretur: immo ejus loco, ac duplicato proinde onere, inducto ab eodem Principe *decima* pro *vicesima* vectigali. Quale autem illud *vicesima* vectigal fuerit; a quo primum, aut qua occasione repertum;

[g] Ibidem p. 641. [h] l. LV. p. 563.
[i] de Modo Usur. p. 856. 857. [k] Hugo Grotius.
[l] Florum Sparsio ad jus Justin. p. 94.
[m] In antiqui Hadriani nummis.

ad

ad quos spectaverit; quive ab eo fuerint immunes; quibusque mutationibus idem obnoxium extiterit; & quomodo sublatum tandem illud fuerit, multis hic non adtingam: quod illa, maxime quæ ad Dionis percipienda ea de re verba adtinent, jam occuparit ad eadem doctissimus Valesius, ac post eum ὁ πάνυ Salmasius; aut jam ante utrumque, cum præclari subinde Romani juris interpretes, aut viri docti ad Plinii, qui de eadem agit, ac uti id in superiori Exercitatione vidimus, *vicesima*, Panegyricum; ac nuper denique in erudito de Vectigalibus Populi Romani commentario collegit ac adnotavit eximius Burmannus. Unde illud obiter, & quo datæ a Caracalla provincialibus seu peregrinis Romanæ civitatis ratio, iis etiam, qui hos, quos modo adtigi, Scriptores non consuluerunt, liquido constet, hic tangam: inductum nempe ab Augusto, ut id alibi docet Dio *n*, ad sublevandam ærarii inopiam, ac alendum militem, hoc *vicesimæ* hereditatum & donationum vectigal, quod persolvere tenerentur extranei Romani cives, qui hereditatem adibant. A quo autem onere, ex ipsius Augusti instituto, immunes erant pauperes hereditates, seu quæ non certam aliquam summam excederent: ac præterea proximi agnati *o*, ad quos, lege duodecim tabularum, hereditas ab intestato pertinebat, sui nempe heredes, & his deficientibus fratres ac sorores, aut fratres patrueles & consobrini. Reliqui autem seu novi cives, nisi cognationis jura a Principe, ut ea de re junior Plinius *p*, impetrassent, tanquam extranei, a parentum & agnatorum hereditatibus erant exclusi; & ad quas proinde, quæ a morientibus erant relictæ, adeundas, persoluta demum ejusdem hereditatis *vicesima*, illi admittebantur. Sequutis vero temporibus, a Nerva primum matribus ac earum liberis, dein a Trajano, quod super jam vidimus, patribus itidem ac liberis, fratribus ac sororibus, avis & aviis, eorumque nepotibus ac neptibus, etiamsi a Principe cognationis jura non essent consequuti, immunitas in eorum bonis concessa; seu ut eam hereditatis *vicesimam* persolvere iidem non tenerentur. Ab Antonino autem Pio abolitum hoc *vicesimæ* vectigal innouere Zonaram iis, quæ inde adduxit verbis, existimat Cl. Valesius *q*: sed quæ *amplius consideranda* vere utique ibidem observat. Neque illa id certe, sed aliud longe innuunt: *Περὶ τούτου τοῦ αὐτοκράτορος ᾄδεται, ὅτι καὶ τὸ τῆς συγκλήτου κατέκαυσε ψήφισμα, ὃ κατ' ἐπιταγὴν τοῦ Ἰουλίου γέγονε Καίσαρος, διατάζον μηδενὶ ἐφεῖσθαι διατίθεσθαι ποιεῖν, τὸ μὴ μέρος ἀφωρισμένον τῷ κοινῷ καταλεῖψαι ταμιείῳ. de hoc Imperatore* (Antonino Pio *r*) *illud etiam celebratur, quod Senatusconsultum Julii Cæsaris jussu factum cremavit, quo edicebatur, ne cui testamenti factio esset, ni certam partem ærario legaret*. Quæ utique, quam nihil attineant ad hanc hereditatum *vicesimam*, nemo, ut opinor, non videt; ut mirari proinde subeat, ea tamen potuisse de eadem *vicesima* a viro excellenti doctrina accipi: nempe Senatusconsultum Jul. Cæsaris jussu factum, quo vetabatur, & quidem sine ullo discrimine, testamenti factio, nisi certa bonorum pars communi ærario relinqueretur: & *vicesimæ* vectigal ab Augusto inductum, quod exilibus hereditatibus & agnatis exceptis, persolverent extranei, quibus bona erant a morientibus relicta. Cujus equidem prioris illius Senatusconsulti, etsi haud alibi occurrat hodie mentio, ea utique ratio haberi potest, qua testamenta, quæ nihil fisco reliquissent, ut *ingrata* rescindi jussisse vel Caligulam *s*, vel Neronem *t*, tradit in eorum vitis Tranquillus: ac prout vel populo Romano hortos circa Tiberim *publice* ab eodem Julio, aut plebi viritim *legata*, vel ab eo, vel ab Augusto *u* ac Tiberio *x* testamento relicta, ex eodem Suetonio ac Dione liquet *y*. Unde etiam, si quid a privatis legatum sit civitatibus, id utique valere, adductis etiam ejus rei exemplis, traditur aliquoties in *z* libris veterum Jurisconsultorum, & quidem juxta Ulpianum *a*, inducto ejus rei a Nerva, & confirmato ab Hadriano jure: quum alioquin, ut ea de re in Epistolis Plinius *b*, *nec heredem institui, nec præcipere posse Rempublicam constet*; & suo adhuc ævo, quod viderunt jam ad eum Plinii locum viri docti, Ulpianus *c*: *nec municipia, nec municipes heredes institui possunt*. Eum vero, vel leges, vel censualium aut fiscalium actionum instrumenta, quæ ex mera Principum indulgentia rescindi iidem vellent aut aboleri, quem Antonino Pio tribuunt adducta Zonaræ verba, cremandi morem, præter Auctores, tangunt subinde variæ Imperatorum Constitutiones *d*, quæ in utroque Codice leguntur; & videri insuper possunt, quæ ea de re ad Cod. Theod. observat præstantissimus ejus enarrator *e*. Tale quidpiam vero de illa *vicesima* hereditatum, lege ab Augusto lata, sub Antonino Pio, ac ejus jussu, contigisse, nec a Zonara, quod modo vidimus, ullatenus traditur; nec admittit etiam, id quod de Pii successore Marco, quod postremum bene alioquin animadvertit vir doctus *f*, refert Capitolinus: *leges etiam addita de vicesima hereditatum*. Unde etiam factum, ut novas quidem, sed dissimili admodum a Nervæ, Trajani, aut ipsius, ut opinari licet, Marci exemplo, de hac *vicesima* leges tulerit Caracalla: nempe, quibus primo, ut nos docet in memoratis ejus verbis Dio, illud *vicesimæ* tam hereditatum, quam manumissorum vectigal, duplicato ejus onere, in *decimam* vertit: cujusque rei fidem etiam facit Ulpianus iis verbis *g*: *Sed Imperator noster in hereditatibus, quæ ab intestato deferuntur, eas solas personas voluit admitti, quibus DECIMÆ immunitatem ipse tribuit*. Quod tamen *decimarum* pro *vicesima* vectigal, brevi abolitum, seu reductam mox *vicesimam*, tum ex aliis hujus Dionis verbis, uti jam a Valesio factum, licet colligere, quibus dicitur successor ejus Macrinus *h*, *τά περί τε τὰς κλήρους, καὶ τὰ περὶ τὰς ἐλευθερίας καταδειχθέντα ὑπὸ τοῦ Καρακάλλου παύσας, atque etiam illa, quæ Caracalla circa defunctorum hereditates, & circa liberales admiserat* (*decimam* nempe hereditatum & manumissorum pro *vicesima* constituens) *cessare juberet*: tum præterea e Pauli, qui non sub hoc Caracalla solum, sed adhuc sub Alexandro Severo inter optimos juris auctores adsedit, Sententiarum libris *i*, in quibus caput *De Vigesima*, hereditatum nempe, etiamnum legitur. Alterum vero, idque acerbum itidem & grave, a Caracalla circa hereditates innovatum a Dione dicitur: nempe sublatum jus succedendi ab intestato, quibus alioquin id proximæ agnationis jure competebat, tum adempta iis *vicesimæ* immunitas, qui illam eodem jure a prioribus Principibus obtinuerant. Quod utrumque ad suos heredes, agnatis nempe exclusis,

n l. LV. p. 565. *o* Instit. Justin. l. III. Tit. 1. & 2.
p Panegyr. c. 37. *q* in Not. ad Dion. Excerpt. p. 198.
r l. XII. p. 593. T. 1. ed. Reg. *s* cap. 38.
t cap. 32. *u* Sueton. in Aug. c. 101.
x Idem in Tiber. c. 76. *y* l. LVI. p. 590.
z Leg. LXXIII. D. de Legat. 1. Leg. CXVII. & CXXII. eodem.

a Fragm. Tit. XXIV. §. 28. *b* l. V Epist. 7.
c Fragm. Tit. XXII. §. 5.
d Leg. III. C. Th. de Jure Fisc. & Leg. VI. C. Just. eodem. Leg. II. & III. C. Th. de Indulg. Debit.
e Tom. IV. p. 195. *f* Burman. de Vectig. P. R. p. 218.
g Coll. Leg. Mosaic. Tit. XVI. in fin. *h* l. LXXVIII. p. 893.
i Recept. Sentent. l. IV. c. 6.

jus

jus succedendi ab intestato; ac immunitatem praeterea *vicesimae*, seu *decimae* verius, a Caracalla restrictam, ex Ulpiani loco, quem jam viderat Valesius [k], haud male colligit magnus Salmasius [l]. Cujus nempe Ulpiani haec sunt ea de re verba [m]: *Sed Imperator noster in hereditatibus, quae ab intestato deferuntur, eas personas solas voluit admitti, quibus decimae immunitatem ipse tribuit.* Non ergo sublata ab hoc Antonino omnis ab intestato successio, quae fisco tanquam caduca cederet, ac prout caeteroquin de eodem Principe tradit Ulpianus [n]: *Hodie ex constitutione Imperatoris Antonini, omnia caduca fisco vindicantur*; sed tamen adempta eadem, uti a Dione dicitur, *genere proximis seu agnatis mortuorum*, τοῖς πάνυ προσήκουσι τῶν τελευτώντων; ad quos tamen illa [o], veteri XII Tabularum jure, & receptis usque ad ea tempora Romanorum moribus, pertinebat. Quam autem, ut obiter hoc addam, succedendi ab intestato rationem, apud Athenienses quoque obtinuisse; eamque inde a Decemviris in XII Tabulas continuo relatam e Graecorum Oratorum Isaei [p] ac Demosthenis [q] ea de re verbis, licet omnino statuere. Tertium vero & palmarium occurrit in eo Dionis loco, quod ex eo, ut diximus, liquido tandem edoceamur, ab hoc Antonino Caracalla non latam solum esse eam constitutionem, qua, ut de eadem Ulpianus, *qui sunt in orbe Romano, cives Romani effecti sunt*; sed praeterea, quam aliunde utique haud licuisset conjicere vel opinari, additam ibidem hanc ejus constitutionis caussam & rationem. Nempe, ubi post inductum *decimae* hereditatum & manumissorum pro *vicesima* vectigal, ac succedendi ab intestato, sublatas immunitates, addit Dio [r]: Οὗ ἕνεκα καὶ ΡΩΜΑΙΟΥΣ ΠΑΝΤΑΣ τοὺς ἐν τῇ ἀρχῇ αὐτοῦ λόγῳ μὲν τιμῶν, ἔργῳ δὲ ὅπως πλείω αὐτῷ καὶ ἐκ τοῦ τοιούτου προσίῃ, διὰ τὸ τοὺς ξένους τὰ πολλὰ αὐτῶν μὴ συντελεῖν, ΑΠΕΔΕΙΞΕΝ, *cujus rei caussa etiam OMNIBUS, qui IN ORBE ROMANO ERANT, CIVITATEM DEDIT, specie quidem ipsa honorem eis tribuens, sed revera ut fiscum suum augeret: quippe cum peregrini pleraque horum vectigalium non penderent.* Ut non inde utique illud *Magni* eloquium, quod Alexandri exemplo ei subinde tribuunt illius aetatis Jurisconsulti, Paulus [s], Marcianus [t], promeruerit hic Antoninus; minus autem, Jovis instar Capitolini [u], *Optimi Maximique*, quomodo eum & patrem Severum compellat quandoque Papinianus, nominibus adsui debuerit. Haec enim e Dione modo adducta, unica & singularis quidem hujus, quam in omnes ingenuos imperio Romano subjectos, contulit hic Princeps, largitionis caussa & ratio exstitit: ut fiscum nempe suum tam immenso novorum civium numero, qui illud inductum ab eo *decimae* pro *vicesima* vectigal, in adeunda defunctorum hereditate, persolvere deinceps tenerentur, immaniter locupletaret. Soli enim, ut antea vidimus, & aperte docet in Panegyrico Plinius [x], Romani, & novi quidem inter eos cives, qui cognationis jura a Principe peculiari rescripto aut aliunde non impetraverant, pendebant hactenus eam hereditatum *vicesimam*; non vero peregrini seu provinciales, quod ad eos, ut viderunt jam viri docti, non adtinerent Quiritium seu civilia Romanorum jura, nec testamento civis Romani capere quidpiam iidem possent. Quo intuitu proinde potior videri poterat conditio peregrinorum seu provincialium, quam eorum, qui civitate Romana a Principe donabantur; & huic *vicesimae* prius, aut sub hoc Antonino, graviori adhuc *decimae* hereditatum, quae iis relinquerentur, oneri erant obnoxii. Immo prout jam olim, libera adhuc Republica, ac etiam ante inducta id genus novorum civium onera, a multis oppidis praelata leguntur, quod supra etiam adtigimus, sicut ab aliquot Hernicorum [y] populis, vel Praenestinis [z] apud Livium; aut ab Heracliensibus & Neapolitanis apud Ciceronem [a], Romanae civitati avita suarum legum, quibus eadem oppida ab antiquo fruebantur, jura, seu, ut ea de re Tullius [b]: *Cum magna pars in iis civitatibus foederis sui libertatem civitati anteferret.* Quamquam ea paullatim inciderit Romani nominis majestas, & Romanae proinde civitatis, adnexorumque eidem variorum jurium & privilegiorum dignitas ac veneratio, ut aliis omnibus rationibus posthabitis, ac similis proinde, de quo hic agitur, *vicesimae* & *decimae* oneris respectu, peregrini nomen cum *Romani civis* appellatione commutare, eximium quid ac singulare a plerisque duceretur. Quo spectat etiam illud Plinii [c], ubi de hoc ipso *vicesimae* onere agit: *Inveniebantur tamen, quibus tantus amor nostri nominis inesset, ut Romanam civitatem non modo vicesimae, verum etiam adfinitatum damno, bene compensari putarent.*

IX. Quo loco autem illud primo in his Antoninianae Constitutionis verbis, *in Orbe Romano QUI SUNT, cives Romani sunt effecti*, est omnino advertendum; quod alioqui uno verbo ibi monent interpretes, id nempe de *ingenuis* intelligi: sed quod paullo diligentius hic est a nobis declarandum. Ejus equidem rei, ut hinc ordiar, seu notationis fidem abunde facit Justinianus ea constitutione, qua hujus ipsius Antoninianae legis, sed quam ibi male, quod antea vidimus, ad Pium refert, fit ab eo mentio [d]: *Sicut enim Antoninus Pius cognominatus (ex quo etiam ad nos haec appellatio pervenit) JUS ROMANAE CIVITATIS prius ab unoquoque subjectorum petitum, & taliter ex iis, qui vocantur PEREGRINI, ad Romanam INGENUITATEM deducens, hoc ille omnibus in commune subjectis donavit.* Quomodo ibi *peregrini*, quales vulgo dicti a Romanis provinciales, ad Romanorum civium discrimen, cum alibi saepe a Romanis Scriptoribus, tum ab Ulpiano [e] aliisque sunt appellati: quosque inde post Antoninianam constitutionem, *ad Romanam ingenuitatem*, seu ad ingenuorum civium Romanorum conditionem deductos tradit Justinianus. Id equidem, & quod in priori Exercitatione, ubi de data ab Augusto civitate agebatur, jam adtigi; & caeteroquin Romani juris ac antiquorum rituum haud plane ignaris est notum; quod nempe servi olim a Romanis manumissi, inde cives Romani, ut id tradentem vidimus Dionysium [f], & id similiter a Cicerone [g] pro Balbo dicitur, continuo fierent: quodque a primis urbis Romae cunabulis obtinuisse, ut unum nempe esset libertatis genus, & uterque tam manumissus, quam manumissor civis esset Romanus, docent Justinianus [h] ac Theophilus [i]. Quae inde [k] *justa libertas* est dicta, seu ut in veteri juris Fragmento, quod edidit [l] Pithoeus [m], *civitas Romana competit manumissis, quae appellatur legitima libertas*

[k] in Notis ad Dion. Excerpt. pag. 103.
[l] de Modo Usur. pag. 857.
[m] Collat. Mosaic. Leg. Tit. XVI.
[n] Fragm. Tit. XVII. §. 3. [o] Inst. Just. l. III. Tit. V.
[p] Orat. VI. pag. 488. edit. Hanov.
[q] adv. Macartat. pag. 665. [r] Excerpt. pag. 745.
[s] Leg. XI. D. de Legation. lib. de Adulter. Coll. Leg. Mosaic.
[t] Leg. I. D. de Requir. & Damnand. Leg. XVI. §. 11. D. de Publican.

[u] Leg. XXX. D. de Excusation. [x] cap. 37.
[y] Leg. IX. c. 43. & 45. [z] l. XXIII. c. 20.
[a] Orat. pro Balbo c. 51. [b] Ibidem.
[c] Panegyr. c. 37. [d] Novell. LXXVIII.
[e] Fragm. Tit. V. c. 4. & Vet. Jur. Fragm. a Pithoeo edit.
[f] Antiq. l. IV. pag. 227. [g] cap. 24.
[h] Instit. de Libertin. §. 3. [i] Ibidem.
[k] Instit. de Libertin. §. 3. [l] post Collat. Leg. Mosaic.
[m] Leg. I. D. de Bon. Libert.

bertas

bertas. Unde, ut hoc addam, ab Ulpiano alicubi dicitur, *tam grande beneficium, quod in LIBERTOS confertur, cum ex servitute AD CIVITATEM ROMANAM perducuntur.* Quum vero ingens quotidie e servis manumissis Romanorum civium numerus jam olim multiplicaretur: ne exin vilesceret nimium ille honor, & ad dominorum lubitum in indignos passim conferretur, varia ab Augusto excogitata sunt vel constituta, quibus eadem libertas, ac ita profluens inde jus Romanæ civitatis coerceretur. Hinc latæ ab eo leges, ut de eo tradentem jam ante vidimus Suetonium *o* ac Dionem *p*, quibus *manumittendi modum*, quod ille ait, *terminavit*; tum de numero, de conditione ac differentiis eorum, qui manumittebantur, studiose cavisse ab eodem Tranquillo dicitur, ac inter alia ne vinctus quis unquam ac tortus (quique *Dedititiorum* nomine ab Ulpiano *q* appellantur) ullo libertatis genere civitatem adipisceretur: tum etiam de conditione manumittentium multa ab eo provide constituta tangit Dio *r*. Quo spectant itidem variæ, quæ in libris juris Justinianei, neque sub uno capite, leguntur ea de re veterum Jurisconsultorum *f* leges, & constitutiones Imperatorum *t*. Quam in rem inductum illud sub eodem Augusto, & notum ex Romanorum legum penu, ac veterum juris antistitum, quæ adhuc supersunt, Fragmentis *u*, inter manumissos discrimen: ut nempe qui vindicta, censu, ac testamento manumitterentur, soli inde essent, quamquam non optimo, ut alibi dicetur, jure, ab honoribus quippe exclusi, cives Romani: alii vero libertatem, sed sine civitate consequerentur, quique *Latini liberti* seu *Juniani* (quos nempe lex Junia, ut de iis jam antea vidimus, induxit, neque proinde fieri poterant, ut in iisdem Fragmentis dicitur, a peregrinis) alii vero *Dedititii x*, ex lege Ælia Sentia, sunt deinceps dicti. De quo proinde priori *manumissionis* seu *manumissorum* genere intelligi debet memorata jam ante Diocletiani constitutio, qua *y CIVES origo, MANUMISSIO, adlectio vel adoptio facere* dicuntur. Quomodo brevi dein contigit, ut inductis a Constantino, quæ in *z* utroque Codice leguntur, legibus, & quod tangit alibi adhuc Justinianus *a*, manumissio, ut olim *b* ad aras subinde ac in templis Gentilium, vel in publicis populi cœtibus, ita in Ecclesiis Christianorum fuerit recepta; & quæ, cum *justa* ac plena, seu, ut ea ibidem dicitur, *directa libertate*, civitas Romana publice itidem, ut antea vindicta ac censu, servis seu manumissis conferebatur. Ita enim Constantinus *c*: *Qui religiosa mente in Ecclesiæ gremio servulis suis meritam concesserit libertatem, eandem eodem jure donasse videtur, quo CIVITAS ROMANA, solemnitatibus decursis, DARI consuevit.* Nempe ut de iis in Ecclesia manumissis, a veteri hujus legis interprete dicitur, *noverit eos suscepta libertate CIVES esse ROMANOS.* Quod aperte etiam indicat eo loco, quo ad easdem latas a Constantino leges respicit, & qui non fugit doctissimum Theodosiani Codicis *d* enarratorem, Sozomenus. Cujus autem Auctoris ea de re verba sunt hic adponenda: quæ nempe inductum illum a Constantino manumissionum in Ecclesia, qui sua adhuc ætate obtineret, ritum, & quidem quo manumissi Romani cives continuo fierent, haud parum illustrant *e*: Ὑπὸ γὰρ ἀκριβείας νόμων, καὶ ἀκόντων τῶν κεκτημένων, πολλῆς δυσχερείας οὔσης περὶ τὴν κτῆσιν τῆς ἀμείνονος ἐλευθερίας, ἣν ΠΟΛΙΤΕΙΑΝ Ῥωμαίων καλοῦσι, τρεῖς ἔθηκε νόμους, ψηφισάμενος πάντας τοὺς ἐν ταῖς ἐκκλησίαις ἐλευθερουμένους ὑπὸ μάρτυσι τοῖς ἱερεῦσι, ΠΟΛΙΤΕΙΑΣ ΡΩΜΑΙΚΗΣ ΤΥΓΧΑΝΕΙΝ· ταύτης δὲ τῆς εὐσεβοῦς ἐφευρέσεως, εἰς ἔτι νῦν ὁ χρόνος φέρει τὸν ἔλεγχον. ἔθος κρατοῦντος τοὺς περὶ τούτου νόμους προγράφεσθαι ἐν τοῖς γραμματείοις τῶν ἐλευθεριῶν. *Nam cum ob nimiam legum severitatem, ac invitis etiam dominis, potior LIBERTAS, quam ROMANAM CIVITATEM vocant, difficile admodum acquireretur, tres tulit leges Constantinus, quibus constituit, ut quicunque in Ecclesia sub testimonio sacerdotum libertate donati essent, CIVITATEM ROMANAM consequerentur. Hujus piæ institutionis indicium ætas nostra adhuc retinet: cum moris sit, ut leges hac de re scripta præfigantur in tabulis manumissionum.* Adeo ut, quod aperte dictæ modo leges, aliaque veterum Auctorum testimonia declarant, cives Romani fierent, id genus in Ecclesiis Christianorum, sicut prius *f* vindicta, aut censu, vel testamento etiam (juxta constitutos nempe legibus ea in re modos ac fines) manumissi: non tamen, quod ex iisdem vel legibus, vel ritibus similiter colligitur, legis Antoninianæ, qua omnes in orbe Romano cives Romani sunt effecti; sed mero dominorum, a quibus eam libertatem consequebantur, beneficio, juris illius seu Romanæ civitatis sint compotes facti. Unde eosdem etiam dominos, tanquam illius beneficii auctores, pro Patronis deinceps colere, iisque præscripta legibus, quæ in jure Justinianeo etiamnum leguntur *g*, jura & obsequia præstare hi manumissi tenebantur; ne ut ingrati in servitutem denuo redigerentur, aliisve pœnis subjacerent. Ut proinde Antonini Caracallæ constitutio ad ingenuos tantum, non vero ad libertos seu manumissos; minime autem ad dictos paullo ante *Latinos libertos* vel *Dedititios*, ut de servis jam nihil dicam, respexerit: de quibus nempe Latinis libertis aut Salvianus eo loco jam antea a nobis memorato *h*, sed quem primus observavit in præclaro opere magnus Cujacius *i*: *More ergo illorum uteris, qui servos suos non bene de se meritos, quia CIVITATE ROMANA INDIGNOS judicant, jugo LATINÆ LIBERTATIS addicunt.* Unde & e Constantini præterea, de qua mox dicetur, constitutione in Codice Theodosiano constat, eandem adhuc fuisse illius Principis nempe & sequentis seculi Scriptoris Salviani temporibus, horum *Latinorum*, ut jus Romanorum civium iidem non haberent, conditionem. Adeo etiam ut in pœnam ingratis libertis, qui erant cives Romani, cederet, ut, quod ait Constantinus de liberto ejus culpæ reo *k*, *si is qui dignitate ROMANÆ CIVITATIS amissa, LATINUS fuerit effectus*: ac inde heredes filios non haberet, sed Patronum Patronique liberos. Neque enim data erat hisce *Latinis* libertis, quam habebant liberti cives Romani, testamenti factio, & de quibus dixerat ante adducta paullo ante verba Salvianus *l*: *In*

o in August. cap. 40. *p* l. LV. pag. 57.
q Fragm. Tit. §. 1. *r* l. LV. p. 557.
f vid. D. de Manumiss. Qui Et A Quib. Manum. De Libertis &c.
t C. Just. de Vind. Libert. Testim. Manum. de Libert. &c. Inst. Ex Caus. Manumitt.
u Ulpian. Tit. 1. §. 5. 6. 7. Fragm. Jur. Pith.
x Inst. de Libertin. §. 3.
y Leg. VII. Cod. Just. de Incolis.
z de Manum. in Eccles. C. Th. & Cod. Just. Lib. I. Tit. XIII.
a l. I. c. 9.
b E Servio &c. Jac. Gothof. ad C. Th. p. 355. T. I.
c Leg. Unic. C. Th. de Manum. in Eccles. Leg. II. C. Just. eodem.
d Ad Cod. Th. de Manum. in Eccles. p. 355. T. I.
e lib. I. c. 9.
f Vid. Leg. 1. C. Just. de Vindict. Leg. XVI. C. de Testam. Manum. Leg. VII. C. de Incol.
g Vid. Dig. & Cod. Just. de Operis Libert. de Bon. Libert. Si Quid in Fraud. Patron. de Obseq. Patron. Præst. &c.
h Salvian. adv Avarit. l. III. c 7. *i* Observ. l. IV. c. 3.
k Leg. I. Cod. Theod. de Hered. Petit.
l ut supra.

usu siquidem quotidiano est, ut servi, etsi non optima, certe non improba servitutis, ROMANA a dominis LIBERTATE donentur: in qua scilicet & proprietatem peculii capiunt, & JUS TESTAMENTARIUM consequuntur, ita ut & viventes cui volunt res suas tradant, & morientes donationes transcribant. De *Latinis* vero *libertis* e contrario ait, seu iis, quæ antea de iis adduximus, subdit: *quos scilicet jubens quidem sub libertorum titulo agere viventes, sed nolunt quicquam habere morientes.* Quomodo a Justiniano m postea de iisdem *Latinis* est similiter dictum: *Quia, licet ut liberi vitam suam peragebant, attamen ipso ultimo spiritu simul animam atque libertatem amittebant*, & *quasi SERVORUM* &c. Verum quam eorundem *Latinorum* conditionem abunde insuper testatam facit alia ejusdem Justiniani n constitutio, *de Latina Libertate Tollenda Et Per Certos Modos In Civitatem Romanam Transfusa*: tum repetita ejus rei in Institutionibus o commemoratio; & simul alterius constitutionis, *de Dedititia Libertate Tollenda*, quæ in ejus p Codice itidem legitur. Quibus insuper accedit memorata jam ante ejusdem Principis Novella Constitutio q, qua post factam datæ Antonini lege *omnibus in commune subjectis* civitatis mentionem: ac dein a juniore Theodosio, juris trium liberorum omnibus ingenuis impertiti: exin a se omnibus manumissis seu libertinis, Latinis proinde ac Dedititiis, Romanam civitatem dari, solemni eadem lege sanciri ac obtinere deinceps voluit. Cujus autem ea de re verba merentur huc adscribi: *Sic enim nos, hoc videlicet regenerationis & aureorum annulorum jus, unicuique petentium datum, & damni & scrupulositatis præbens occasionem, & manumissorum indigens auctoritate, OMNIBUS similiter SUBJECTIS ex hac lege damus. Restituimus enim natura, INGENUITATE dignos, non per singulos de cætero, sed OMNES deinceps, qui libertatem a dominis meruerint: ut hanc magnam quandam & generalem largitatem nostris subjectis adsociamus.* Quomodo a Theophilo r etiam dicitur, suo ævo haud alios esse *libertos*, sublatis nempe tum *Latinis* ac *Dedititiis*, quam cives Romanos: Cujacius s vero eadem Justiniani constitutione, non hosce solum Latinos Dedititios, sed omnes omnino libertos sublatos censet. Ita gradus paullatim est factus, ut Romana civitas aliquot primum in Latio municipiis, dein toti Latio, mox universæ Italiæ, aliquot postea extra Italiam, quod priori Exercitatione vidimus, vel privatis, vel oppidis, vel etiam provinciis: exin nobilissimarum in Orbe Romano urbium primoribus, aut limitaneis, quod ex Aristide paullo ante diximus, militibus: tum memorabili in primis Aotonini Imp. de qua hic agimus, constitutione, omnibus in Orbe Romano ingenuis: tandem, idque post trium circiter ab hac constitutione seculorum decursum, omnibus etiam quacunque conditione manumissis seu libertis, sit a Romanis Principibus concessa.

X. Ut vero, quæ datæ hujus, quam illustrandam suscepimus, Antoniana constitutione, civitatis vis, aut quis effectus fuerit, nunc tangam; inde id continuo, ut hinc ordiar, profluxit, ut omnes dein Romani Orbis incolæ, ingenui nempe, tanquam unius urbis cives, ac eadem matre prognati, non *peregrini* amplius, seu ἀπόλιδες, ut de deportatis ajebat, quod antea vidimus, Marcianus, haberentur; & ita Roma, *communis* inde *patria* dici vere ac prædicari meruerit. Fuerat quidem eadem appellatio huic urbi, sed restricta adhuc significatione, , jam olim tributa, uti apud Livium a Consule Terentio Varrone, post Cannensem cladem, ad Campanos t: *Itaque communem vos hanc cladem, qua accepta est, credere, Campani, oportet, COMMUNEM PATRIAM arbitrari esse.* & a Cicerone similiter, ubi de Capua ait u: *Tunc contra hanc Romam, COMMUNEM PATRIAM omnium nostrorum, illa altera Roma quæratur.* A Seneca vero latiori sensu, ac ubi de eorum, qui e toto terrarum Orbe Romam confluebant, multitudine egisset x, dictum: *Deinde ab hac urbe discedet, quæ velut COMMUMIS PATRIA dici potest.* & a Plinio y de Italia quidem, sed habito ad Romam respectu: *UNA cunctarum in toto orbe gentium PATRIA fieret.* ab Aristide denique; eo, quem supra jam adtulimus, loco z: Διὸ γὰρ τὸ ΚΟΙΝΗΝ εἶναι ΤΗΝ ΠΟΛΙΤΕΙΑΝ, καὶ οἷα ΠΟΛΕΩΣ μιᾶς. *exin enim quod COMMUNIS sit RESPUBLICA, & tanquam UNIUS CIVITATIS.* ac jam ante a: Τοῦθ' ἥδε Η ΠΟΛΙΣ τοῖς ΑΠΑΣΗΣ ΟΙΚΟΥΜΕΝΗΣ, ὥσπερ αὐτῇ χώρας ΑΣΤΥ ΚΟΙΝΟΝ ἀποδεδειγμένη. *hoc URBS ista TOTI ORBI exhibet, ut COMMUNE omnis, qua incolitur, terra, tanquam regionis OPPIDUM.* Verum ab hujus Antonini demum temporibus, non oratorie amplius, seu quod sedes imperii eadem foret, aut ex omnibus terrarum partibus advenarum confluxu frequentata; sed proprio & peculiari quodam jure, ac in legibus quidem veterum Jurisconsultorum, illa *communis patria* appellatio eidem urbi tribui deinceps meruit Ita Modestinus proximis ejusdem legis verbis, ubi Divorum (sicut Græca ibi habent, non Divi solum) Severi ac Antonini meminisset, addit b: ΚΟΙΝΗΣ οὔσης τε καὶ νομιζομένης ΠΑΤΡΙΔΟΣ τῆς βασιλευούσης. *quoniam in urbe regia quæ & habetur & est COMMUNIS PATRIA.* ac idem alio rursus Digestorum loco c: *Roma communis nostra patria est.* & Callistratus, qui a Lampridio inter juris sub Alexandro Severo, ac proinde adhuc post Antonini Caracallæ obitum, professores adnumeratur d: *Relegatus non potest Romæ morari, licet hoc sententia comprehensum non sit, quia OMNIUM EST PATRIA.* Unde etiam factum, ut juxta Pauli, ejusdem ætatis Jurisperiti, ea de re verba e, *eos, qui Romæ profitentur* (tanquam in communi patria) *perinde a muneribus in patria sua obeundis excusari, ac si in patria sua profiterentur.* Adeo ut minus id novum aut insolitum videatur, si infra eam ætatem id frequenter de eadem urbe sit dictum, sicut notis ea de re ac protritis jam locis, vel Rutilii f:

Fecisti PATRIAM diversis gentibus UNAM.

mox:

URBEM fecisti, quæ prius ORBIS erat.

vel Sidonii Apollinaris g, *in qua UNICA totius orbis CIVITATE soli Barbari & servi peregrinantur.* Quam in rem insuper præclari sunt ac notabiles, & qui proinde præteriri hic non debent, Claudiani h de eadem Roma versus:

Hæc est, in gremium victos quæ sola recepit,
Humanumque genus COMMUNI NOMINE fovit,

m Inst. de Success. Libertin. §. 4.
n Leg. unic. C. Just. l. VII. Tit. VI.
o Inst. de Libertin. §. 2. p Leg. VII. C. Just. lib. VII. T. V.
q Novell. LXXVIII. c. 5.
r Instit. de Libert. Success. lib. VII. Tit. VIII.
s Observ. l. IV. c. V. t l. XXIII. c. 5.
u Orat. IV. de Leg. Agrar. c. 83.
x Consol. ad Helv. c. 6. y l. III. Sect. 6.

z Orat. in Romam p. 375. a Ibid. p. 373.
b Leg VI. §. 11. D de Excus. Tutor.
c Leg. XXXIII. D. Ad Municipal.
d Leg ult. C. de Interd. & Releg.
e Leg. IX. D. de Vacat &c. Muner.
f Itiner. v. 63. g l. I. Epist. 6.
h in Stilich. l. III. v. 150. &c.

MATRIS

MATRIS, non domina ritu: CIVEMQVE vocavit,
Quem domuit, nexuque pio longinqua revinxit.
Hujus pacificos debemus moribus omnes,
Quod velut PATRIIS regionibus utitur hospes

& mox;

Quod cuncti GENS VNA sumus.

Quibus accedit eadem ætate, & cujus ea de re verba primus se observasse testatur haud incelebris inter Gallos Jurisconsultus *i*. D. Augustinus *k*: *Quisnam non cognoscit, gentes subjectas imperio Romano? quæ quidem erant, quando OMNES ROMANI facti sunt, & OMNES ROMANI dicuntur.* nempe prout de Probo Imperatore, post peragratum victoris orbem, ait Vopiscus *l*: *nonne omnes Barbaricas nationes subjecerat pedibus? quia TOTVM MVNDVM fecerat jam ROMANVM.* Quam in rem a Prudentio *m* itidem dictum, ubi bellorum per orbem terrarum furorem adtigisset:

Hinc frenaturus rabiem Deus, undique gentes
Inclinare caput docuit sub legibus isdem,
ROMANOSQVE omnes fieri, quos Rhenus & Ister,
Quos Tagus aurifluus, quos magnus inundat Hiberus,
Corniger Hesperidum quos interlabitur, & quos
Ganges alit, tepidique lavant septem ostia Nili.
Jus fecit commune pares, & NOMINE EODEM
Nexuit, & domitos fraterna in vincla redegit.

Unde etiam Galatas, qui olim e Barbaris gentibus, omni intra Halyn regione vastata, aditum sibi in Asiam bello patefecerant, sua ætate a nemine *Barbaros* appellari, sed *omnino Romanos*, πάνυ Ῥωμαίους, tradit alicubi Themistius *n*. Quomodo alioquin *Romanitas* itidem de Romanis institutis, quæ omnibus populis salutem tunc adferre crederentur, a Tertulliano *o*, qui Severi & Caracallæ temporibus, ut notum, vixit, dictum jam ante fuerat: *quid nunc, id est ROMANITAS omnis salus?* Unde etiam, ut hoc addam, Ῥωμανίας a Græcis, & *Romania* a Latinis Scriptoribus nomine dictum est Constantini ætate, ac infra eam, non Orientale solum, quod aliunde notum est, imperium; sed ipse Romanus orbis, seu in genere Romanum imperium, ut vere ad Lampridium *p* monuit ὁ πάνυ Casaubonus, & omnino arguit Epiphanii ea de re locus *q*, de incendio ex Ariana hæresi, ὃ κατείληφε πᾶσαν ΤΗΝ ΡΩΜΑΝΙΑΝ σχεδὸν, μάλιστα τὰ ἀνατολικὰ μέρη. *quod universam propemodum ROMANIAM seu Romanum imperium, ac præsertim Orientales illius partes corripuerit. Romania* nempe ibi non Orientalis duntaxat regio, seu Asiatica, ut sæpe apud alios Auctores *r* illius aut proximi & inferioris ævi; sed *Romanum solum* in genere, seu qua late patebat Romanum imperium. Quomodo eodem sensu præter alios *Romania* ab Orosio *s*, ut vidit jam eruditissimus Justellus *t*, dicitur, ubi de Ataulpho Gothorum rege ait, *eum imprimis ardenter inhiasse, ut oblitterato ROMANO nomine, ROMANVM OMNE SOLVM, Gothorum imperium & faceret & vocaret, essetque Gothia, quod ROMANIA fuisset.* Quum alioquin eidem totius orbis, non inter Romanos quidem & Barbaros, seu *Romaniam* & *Barbariam*, vel Romanum & Barbarum solum, usurpata a Scriptoribus Constantinianis & inferioris etiam ævi distinctioni; sed inter Romanos & non Romanos, præivisset jam olim sub Marco Aurelio Imperatore Aristides *u*, ubi ait, non in Græcos amplius & Barbaros, ridicula distinctione, debere genus humanum distingui, ἀλλ' εἰς Ῥωμαίους τε καὶ οὐ Ῥωμαίους ἀντιδιείλετε, ἐπὶ τοσοῦτον ἐξηγάγετε τὸ ΤΗΣ ΠΟΛΕΩΣ ΟΝΟΜΑ, *sed in eos, qui ROMANI & NON ROMANI essent, distribuistis, longissime producto URBIS seu ROMÆ NOMINE.* Id vero lata demum hac Antonini Caracallæ constitutione, deinceps tenuit, ut everso etiam Romano imperio, maneret tamen *Romanum* seu *Romanorum civium* non in Italia solum, sed in provinciis etiam nomen: immo diserimen illud inter *Romanos* & *Barbaros* in legibus Burgundicis fuerit adhuc consignatum *x*: *Caterum si quis posthac BARBARVS vel testari voluerit, vel donare, aut ROMANAM consuetudinem aut BARBARICAM esse servandam sciat.* Ita sub Gothorum Regum dominatione inter *Gothos* & *Romanos*, sed qui tum iisdem Regibus parebant, distinctio adhibita, prout apud Cassiodorum *y*: *Si quod etiam inter GOTHVM & ROMANVM natum fuerit forte negotium, adhibito sibi prudenti Romano certamen possit æquabili ratione distinguere. Inter duos autem ROMANOS, ROMANI audiant, quos per PROVINCIAS dirigimus, cognitores, ut unicuique sua jura serventur.* alibi *z*: *Gothis Romanisque jus apud nos esse commune.* Hinc Regis Athalarici apud eundem Rescriptum *a*: *Universis Provincialibus per Galliam constitutis.* ubi inter alia legitur: *Unde vos quoque prædicta convenit, ut GOTHI ROMANIS præbeant jusjurandum, & ROMANI GOTHIS sacramento confirment, se unanimiter regno nostro esse devotos.* Quomodo etiam obvia *Romanorum* proxima adhuc ætate, in Gallia mentio, aut in Marculphi Formulis *b*, ut ad easdem observavit Galliæ Togatæ hac ætate decus Hieron. Bignonius, & apud Gregorium Turonensem, ac in lege Salica, & in adductis paullo ante verbis e Burgundicis legibus. Adde quæ de exoso & abdicato a multis, ob Romanorum nempe illius ævi sævitiam ac injustitiam, Romano nomine tangit Salvianus *c*: *Et quod esse majus testimonium Romanæ iniquitatis potest, quod plerique & honesti & nobiles, & quibus Romanus status summo & splendori esse debuit & honori, ad hoc tamen Romanæ iniquitatis crudelitate compulsi sunt, ut NOLINT ESSE ROMANI.* Ne jam illud e Cassiodoro rursus huc advocem, ubi Afri cujusdam meminit, hereditatem hominis sine liberis ac heredibus mortui Romæ ambientis, & de quo ait inter alia *d*: *Felix illi contigit & prædicanda captivitas, ROMANA CIVITATE perfrui, & Afrorum privilegiis potuisse misceri.*

XI. Ea vero Romæ, ut *communis*, sicut modo vidimus, *patriæ*, & *Romanorum* appellatio, provincialibus, seu omnibus Romano imperio subjectis, inde etiam tributa, quod cum dato iis civitatis jure, civilium quoque seu Romanarum legum observatione iidem deinceps tenerentur. Quum enim hactenus alio quam Quiritium jure, seu vel patrio, quibus id singularis beneficii loco fuerat concessum, vel quale ipsis a Romanis Rectoribus erat præscriptum; aut dein ad Edicti, de quo mox, Provincialis formulam regerentur iidem Provinciales: post eosdem Antoniniana constitutione in civitatem receptos, eadem civium etiam reliquorum jura, cæ-

i Ant. Mornacius Obs. ad D. Leg. XVII. de Stat. Hom.
k in Psalm. LVIII. Part. I. sub fin.
l in Probo c. 20. *m* Contr. Symmach. l. IV. v. 601. &c.
n Orat XVI. p. 211. *o* de Pallio c. 17.
p ad Alex. Sev. c. 5. *q* Hæres. LXXIX p. 728.
r vid. Selden. ad Eutych. Alexand. IV. 153.
s l. VII. c. 43. *t* Can. Eccl. Uff. IV. p. 95. T. I.
u Orat. in Romam p. 374.
x In Not. Hier. Bigon. ad Marculph. l. I. c. 40.
y Varior. l. VII. c. 3. *z* Ibid. l. VIII. c. 3.
a Ibid. cap. 17. *b* ut supra ad l. I. c. 40.
c de Gubern. Dei l. V. c. 5. *d* Varior. l. XII. c. 9.

demque ante omnia leges iis traditæ: ut quæ nondum parebant Romanis legibus oppida vel regiones (nisi quibus, ut suis adhuc legibus agerent, permissum erat) iis in posterum obstringerentur. Equidem paucis post latam eandem constitutionem annis, Alexandri nempe Severi temporibus, amplum ejus rei & luculentum testimonium perhibet quodque nuper ad Julianum *d*, ubi ea de re agebatur, jam adtulimus, in Origenis Panegyrico Gregorius Thaumathurgus *e*: *Οἱ θαυμαστοὶ ἡμῶν τῶν σοφῶν* NOMOI, *οἷς* NYN *τὰ* ΠΑΝΤΩΝ ΤΩΝ *ὑπὸ Ῥωμαίων ἀρχὴν* ΑΝΘΡΩΠΩΝ *κατευθύνεται πράγματα*, *mirifica sapientum nostrorum LEGES, quibus OMNIVM NVNC, qui Romano imperio parent, HOMINVM res reguntur.* Adeo ut, quod Salvio Juliano, perpêtui sub Hadriano Edicti conditori, æquum videbatur, tunc fuerit adimpletum, nempe quod ex eo refert Justinianus *f*: *Secundum Salvii Juliani scripturam, qua indicat debere OMNES CIVITATES CONSVETVDINEM ROMAE sequi ET LEGES, quæ caput est orbis terrarum, non ipsam alias civitates.* Quo spectat itidem illud, quod, haud ita multis post Alexandrum Severum annis, a Vopisco dicitur in Aureliano *g*: *Reddita Romanis legibus Thracia.* at in Probo, ubi, commemoratis illius Principis in Illyrico, per Thracias, ac dein per Orientem expeditionibus & victoriis, addit *h*: *Populis atque urbibus Romanis legibus restitutis.* mox *i*: *Copton præterea & Ptolemaidem urbes ereptas Barbarico servitio, ROMANO addidit JURI.* dein *k*: *Ubique pax, UBIQUE ROMANÆ LEGES, ubique judices nostri.* Unde etiam, ut ibidem vidimus, factum, ut ob imperii amplitudinem, celebres alibi legum scholæ, in quibus jus civile Romanorum doceretur, fuerint erectæ, eoque nomine inclyta exstiterit in Oriente Berytus; in quam urbem, tanquam Romanarum legum *παιδευτήριον* seu *gymnasium*, se ad eas discendas missum, tradit in eodem Panegyrico Gregorius *l*. Quod etiam nobis ante oculos ponit lex a Diocletiano lata, quæ in Codice legitur *m*, qua qui studiis liberalibus operam dant, *maxime circa JVRIS professionem, consistendo in civitate BERYTIORVM provincia Phœnicia, providendo utilitati publicæ, & spei vestræ, decernimus, ut singuli usque ad vicesimum quintum annum ætatis suæ studiis non avocentur.* Immo quam in rem præter ea, quibus, ut alia mittam, a Justiniano, tanquam *n urbs legum ac nutrix*, insignitur eadem Berytus, elogia; hæc Anonymi sub Constantio a Cl. Jac. Gothofredo editi de eadem urbe verba, licet hic vel maxime advertere *o*: *Τὰ ἀκροατήρια τῶν νόμων ἔχουσα, δι' ὧν* ΠΑΝΤΑ ΤΑ ΔΙΚΑΣΤΗΡΙΑ ΤΩΝ ΡΩΜΑΙΩΝ. *Quæ etiam habet juris auditoria, per quæ OMNIA ROMANORVM TRIBVNALIA consistunt.* mox: *Ἐντεῦθεν ἄνδρες πεπαιδευμένοι* ΕΙΣ ΠΑΣΑΝ ΟΙΚΟΥΜΕΝΗΝ *παρακαθέζονται τοῖς κριταῖς, καὶ εἰδότες* ΤΟΥΣ ΝΟΜΟΥΣ, *διαφυλάττουσι τὰς ἐπαρχίας, εἰς ἃς ἀποστέλλονται* ΑΙ ΝΟΜΟΘΕΣΙΑΙ. *unde enim viri illi leges edocti, PER OMNEM ORBEM TERRARVM judicum sunt adsessores, & LEGVM PERITI provincias tuentur, ad quas leges* seu *constitutiones mitti solent.* Quum enim omnes, quod dicentem vidimus Thaumathurgum, ac haud uno loco in Historia Augusta Vopiscum, qui Romano parebant imperio, civilibus tum Romanorum legibus regerentur: nec amplius proinde specialibus ac incertis Præsidum in provinciis Edictis, aut vero Edicto illi Provinciali, de quo paullo post dicetur, iidem essent obnoxii: nata inde in tanta, quam dixi, Imperii amplitudine, ingens id genus Jurisperitorum, & qui jus in Provinciis ad Romanarum legum ac *Principalium p* (ut eadem quoque in Digestorum libris vocantur) *constitutionum q*, *rescriptorum*, aut *mandatorum r*, præscripta dicerent vel interpretarentur, seu dicentibus præsto essent ac adsiderent. Eam quippe omnium Romano imperio subjectorum, qua iidem civitate donati, & Romanis legibus obnoxii, conditionem tangit, qui Constantium excepit, Julianus Imperator. Græci quidem, & inter eos Athenienses, quos liberos adhuc & *αὐτονόμους* sub Trajano, & infra ejus tempora, exstitisse supra vidimus, eodem jure Constantii ævo jam exciderant. De *Atheniensibus* certe id aperte tradit Julianus Imperator in Oratione ad Eusebiam Augustam, superstite adhuc ejus conjuge Constantio Imperatore habita *s*: *Ἀθηναῖοι μὲν οὖν, φασὶν*, ΟΤΕ ΤΟΙΣ ΠΑΤΡΙΟΙΣ ΕΘΕΣΙΝ ΕΧΡΩΝΤΟ, *καὶ ἔζων* ΤΟΙΣ ΟΙΚΕΙΟΙΣ ΠΕΙΘΟΜΕΝΟΙ ΝΟΜΟΙΣ, *μεγάλην τε καὶ πολυάνθρωπον ᾤκουν τὴν πόλιν.* *Athenis quidem olim ferunt, cum patriis institutis viverent, ac DOMESTICIS VTERENTVR LEGIBVS, quo tempore magna illorum erat & frequentissima civitas.* Unde etiam apud Eunapium in Juliano *t* ac Proæresio Sophistis *u*, qui eadem vixerunt ætate, & quorum hic in summa apud *x* Constantem Imperatorem gratia exstitisse ab eo dicitur, Proconsulis haud semel fit mentio, qui jus Athenis e præscripto Romanarum legum diceret, & a quo inter alia in judicio proclamatum refert *y*: *Ἀλλ' εἴσεσθέ γε αὐτίκα, ὁποῖόν ἐστι καὶ οἷον τὸ παρὰ Ῥωμαίοις δίκαιον.* *moxque scietis, cujusmodi ac quam sanctum jus apud Romanos observetur.* Verum aliud exstat luculentum apud eundem Julianum Imperatorem testimonium, de omnibus Romani Orbis incolis, qui & civitate erant donati, & Romanorum etiam legibus obstricti. Quum enim de Constantii tum rerum potientis patria esset illi sermo, ac de Roma, quæ, etsi non in ea Urbe natus esset, sed in Illyrico, Constantius, eum tamen sibi honorem jure suo debitum vindicaret, continuo subdit *z*: *Οὐ γὰρ ὥσπερ τοῖς ἄλλοις ἐφ' ἅπασι τῶν αὐτοκρατόρων, δικαίως χρωμένη. λέγω δὲ ὅτι πᾶσιν ἀλλαχόθεν τυγχάνουσι*, ΤΩ ΜΕΤΕΧΕΙΝ ΑΠΑΝΤΑΣ *ἤδη* ΤΟΥ ΠΟΛΙΤΕΥΜΑΤΟΣ ΚΑΙ ΤΟΙΣ ΕΚΕΙΘΕΝ *ἡμῖν καταδειχθεῖσιν* ΕΘΕΣΙ ΚΑΙ ΝΟΜΟΙΣ *χρῆσθαι*, ΠΟΛΙΤΑΙ *γεγόνασιν.* *Non communibus illis, quæ in omnibus cæteroquin Imperatoribus usurpare solet, juribus usa; puta etsi aliunde orti sint, tamen quod OMNES JAM AD CIVITATEM sint ADSCRIPTI, quodque editis ILLINC MORIBVS AC LEGIBVS utantur, pro CIVIBVS SVIS sint habendi.* Quibus utique Augusti Scriptoris verbis, utrumque illud Romæ, ut *communis* omnium in orbe Romano *patria*, & communis præterea *legum*, quibus ii regerentur, *parentis*, tanquam suo ævo, ac jam ante receptum jus, ac singulare privilegium abunde adstruitur. Quomodo nempe, ut postea a Claudiano, dici eadem meruit *a*, *armorum legumque parens.* alibi *b*, *legum genitrix.* & rursus *c*, *legum mater.* ac a Rutilio *d*:

Dumque offers nobis proprii consortia juris.

uti hæc ea de re loca jam ad Symmachum *e* retulit

d Observ. ad Orat. I. p. 36. *e* pag. 47.
f l. 1 C. de Veter. Jur. Enucl. *g* cap. 41.
h in Probo c 16. *i* Ibid. c. 17. *k* Ibid. cap. 20.
l pag. 57. *m* L. 1. C. Qui ætate &c.
n Præf. Digest seu Constit. *Δέδωκεν* §. 9. *o* pag. 12.
p L. xv. §. 1. D. ad L. Cornel. de Fals.

q L. II. §. 2. de Jure Fisci. *r* L. xxxvi D de Pœnis &c.
s Orat. III. p. 114. ult. edit. *t* in Julian. p. 125.
u Ibid. p. 142. *x* Ibid. p. 157. *y* p. 125.
z Orat. I. p. 5. *a* Paneg. III. Stilich. v. 36.
b Consul. Olybr. v. 127. *c* Consul. Honorii VI. v. 428.
d Itiner. v. 67. *e* not. ad l. v. Epist. 94.

erudi-

eruditissimus Juretus. Quibus adde dicentem alibi de Honorio Imperatore Claudianum *f*:

Germanis responsa dabas, LEGESQVE Caucis Ardens, & flavis signabas JVRA Sicambris.

ac iu adductis supra Prudentii *g*, quibus gentes omnes in Romanorum nomen ac jura transiisse tradit, versibus:

——— undique gentes
Inclinare caput docuit SVB LEGIBVS ISDEM.

ac dein *h*:

JVS fecit COMMVNE pares.

Accedit vero hisce luculentum sub Theodosio Juniore, Theodoriti nempe testimonium *i*, ubi plurium meminit gentium, quæ Romanarum legum, antiquis eorum legibus abolitis, jugum, uti is ea de re loquitur, subierunt, *Cretensium*, *Italorum*, seu Magnæ olim Græciæ, *Siculorum*, de quibus ait: τὸ γάρ τοι τῶν Ῥωμαϊκῶν νόμων ὑπῆλθον καὶ οὗτοι ζυγὸν, *Romanarum legum hi quoque jugum subierunt.* Idem vero de Græcanicis paullo post & Barbaris nationibus *k*: Καὶ αὐτοὶ δὲ Ἀθηναῖοι, τούτους ἐῤῥῶσθαι φράσαντες, καὶ μέντοι, καὶ Λακεδαιμόνιοι, καὶ Λοκροὶ, καὶ Θηβαῖοι, καὶ ἄλλοι δὲ Ἕλληνες, ΚΑΤΑ ΤΟΥΣ ΡΩΜΑΙΩΝ ΠΟΛΙΤΕΥΟΝΤΑΙ ΝΟΜΟΥΣ. Καὶ Ῥωμαῖοι δὲ, τοὺς παρ' Ἕλλησι καὶ Βαρβάροις ξυναθροίσαντες νόμους, καὶ τὰ ἄριστα δόξαντα, παρ' ἑκάστου νομοθέτου λαβόντες, ΟΣΑΠΕΡ ΕΘΝΗ τὸν τούτων παρεισῆλθε ζυγὸν, ΔΟΥΛΕΥΕΙΝ ΤΟΙΣ ΔΕ ΤΟΙΣ ΝΟΜΟΙΣ ΗΝΑΓΚΑΣΑΝ. *Quin ipsi quoque Athenienses bis omissis* (Draconis nempe aut Solonis legibus) *& Lacedamonii, & Locrenses, & Thebani, & ceteri Graci, Romanorum legibus vivunt. Romani vero Gracorum Barbarorumque legibus in unum collectis, qua optima videbantur, a singulis legislatoribus mutuati, SVBDITAS SIBI NATIONES HIS LEGIBVS SERVIRE COEGERVNT*, a qua tamen necessitate immunes exstitisse aliquos Barbarorum, & de quo loco postea agetur, populos, mox ibidem tangit. Hinc vero e Principum ab Hadriano ad eundem Theodosium Juniorem Constitutionibus & Rescriptis Codex tum conditus, & ab eodem confirmatus; quo generalia, seu quæ ad omnes Romani orbis incolas adtinerent, jussa vel edicta proponuntur, seu, ut dicitur in fine Novellæ, qua idem Codex a Theodosio confirmatur *l*: *Edictis propositis in omnium Populorum, in omnium Provinciarum notitiam.* Immo unde factum, ut compilatis postea a Justiniano, seu ejus jussu ac auctoritate a Triboniano, veteris Romanorum juris (ut de Codice ejus, ac Novellis Legibus, vel Edictis jam nihil dicam) legibus, iisque in unum corpus redactis, eædem, quod præmissæ Digestis eam in rem illius Principis Præfationes seu Rescripta indicant, non ad Senatum solum, aut ad populum Constantinopolitanum vel Romanum *m*: *sed ad omnes populos*, vel *ad omnes orbis nostri*, seu *Romanæ civitatis* sunt conscriptæ: & quidem ut in iisdem legitur *n*: *Hæc igitur omnia scientes, Patres Conscripti, & OMNES ORBIS homines* &c. item: *& leges ponere præsenti & futuro tempori justum esse putavimus, OMNIBVS HOMINIBVS fore manifestum.* &c. tum *o*: *Magne Senatus, & OMNES Reipublicæ nostræ homines.* In quarum denique Præfationum clausula, *OMNES judices, ac OMNES Reipublicæ nostræ magistratus*, ad prædictarum legum observationem adiguntur, atque adeo, ut omnibus fieret manifestum, & quidem in quibus etiam verbis postrema desinit Præfatio *p*: *ad OMNIVM nostrorum SVBDITORVM inexcusabilem notitiam.* Ne jam eam tangam, quam ad hanc usque diem in hoc Romano, ut vocari etiamnum illud meruit, imperio, aliisve florentissimis Europæ regnis ac provinciis, vim ac auctoritatem obtinet, veteris illius ac civilis Romanorum juris observatio.

XII. Quamquam, & quod similiter ad adducta modo Juliani Imp. verba, de legibus ac moribus, quibus omnes in orbe Romano regerentur, nuper adnotavi *q*, ante Antoninianam Constitutionem dixerit ad Marcum & Verum Imperatores Aristides, eos Rempublicam, qualem antea nemo, constituisse *r*: Καὶ θεσμοὺς καὶ τάξεις ἀφύκτους ἅπασι ἐπεστήσατε. Cantero interprete, *legibus & ordine perpetuo singulis tradito*, seu, *leges & constitutiones inevitabiles omnibus præscripsistis*, prout τάξεις, ac διατάξεις, de Imperatorum *Constitutionibus*, & quomodo inscribuntur Justiniani Authenticæ; dici solent. Accedunt hisce, quæ dein ab eodem Aristide dicuntur *ſ*, non opus esse amplius, quibus utuntur singuli, leges recensere; quandoquidem Romani ΝΟΜΟΥΣ ΚΟΙΝΟΥΣ ΑΠΑΣΙ τάξαντες. mox, γάμους τε κοινοὺς συντάξαντες, ὥσπερ ἕνα οἶκον, ἅπασαν τὴν οἰκουμένην. *LEGES COMMVNES OMNIBVS constituentes; tum connubia communia facientes, totumque Orbem, tanquam unam domum, administrantes.* Quæ de *communibus nuptiis* seu *connubiis* ibi dicuntur, non jam, quod nec est hujus loci, hic tangam: quum alioquin, post Marci ac Aristidis tempora dixerit Ulpianus *t*: *Connubium habent cives Romani cum civibus Romanis, cum Latinis autem & peregrinis, ita si concessum.* ac longe adhuc infra eam ætatem Justinianus, sed pridem post civitatem constitutione Antoniniana omnibus in Orbe Romano ingenuis datam *u*: *Justas autem nuptias inter se cives Romani contrahunt.* Iis vero, & qua de re hic fermo, Aristidis verbis, *legum omnibus inevitabilium*, seu quibus omnes in Orbe Romano deinceps tenerentur, item *communium legum omnibus præscriptarum*, quum tamen necdum data fuerat omnibus in Orbe Romano, uti id supra vidimus, civitas; ad Edictum illud Provinciale, cujus fit in scriptis veterum sub Marco Jurisconsultorum mentio, respexisse omnino, qui eadem ætate vixit, Aristidem existimo. Haud enim alii præter cives seu Romana civitate donatos, ut vel ex iis constat, quæ de vicesima hereditatum paullo ante diximus, civilibus Quiritium legibus; ac ante conditum sub Hadriano Edictum Perpetuum, annuis se novis Prætorum Urbanorum Edictis Romæ utebantur: Provinciales autem specialibus Rectorum, qui Roma ad administrandam provinciam mittebantur, quocunque vel *Proconsulis*, *Pretoris*, *Legati Cæsaris*, *Præfecti Augustalis* seu generali, ut id a Marco *x* J. C. dicitur, *Præsidis* nomine, aut etiam, licet cæteroquin dispar eorum foret ratio, *Correctoris y*, ac subinde *Cæsaris Procuratoris z* appellatione, Edictis regebantur: juxta quæ a se constituta, iidem in variis provinciæ foris, vel conventibus, seu, ut Græca voce dixit haud semel Ci-

f in Eutrop. l. I. v. 379.
g contr. Symmach. l. II. v. 601.
h Ibid. v. 607. *i* Therap. Serm. IX pag. 608. T. IV.
k Ibid. p. 609. *l* Theodos. Nov. I. Tit. I.
m Præf. Secund. Digest *n* Præf. Tertia Ibidem.
o Ibid. §. 19. *p* Præf. secund. & Tert. §. 24.
q Observ. ad Orat. I. p. 37. *r* Orat. in Rom. p. 390.
ſ Ibid. p. 395. *t* Fragm. Tit. v. §. 4.
u Instit. lib. I. Tit X. *x* l. I. & XI. D. de Off. Præf.
y Leg. X. & XX. eodem.
z Leg XXIII. §. v. D. de Appellat. l. XX. Cod. de Pœnis.

cero *a*, diœcesibus, jus dicere consueverant. Alias vero leges vel constitutiones non hic tango, quæ libera adhuc Republica, redactis in ditionem populi Romani urbibus vel provinciis, missis ex Senatusconsulto extra ordinem Prætoribus ac Legatis, ab iisdem, seu ex eorundem Legatorum sententia, erant latæ: quibus nempe ordinabantur urbes vel provinciæ, constituta Reipublicæ apud easdem forma, ac inter alia judiciorum, quibus iidem oppidani vel provinciales tenerentur, ratio. Ad quas etiam leges observandas, vel præscripta iisdem judicia retinenda obstricti erant, qui dein ad illas provincias mittebantur, statis temporibus, Romani Præsides, prout de Siculis ait in Verrinis Cicero *b*: *Legem esse Rupiliam, quam Prætor Rupilius ex S. C. & decem Legatorum sententia dedisset: hoc OMNES SEMPER in Sicilia Consules, Prætoresque SERVASSE.* dein *c*: *Cum OMNES ante se PRÆTORES, Rupilias leges, & in cæteris rebus, & in JUDICIIS maxime, OBSERVASSENT, ausus es pro nihilo &c.* Quæ proinde, eaque vulgo senatusconsultis aut plebiscitis perlata ac ratihabita, non pendebant ab arbitratu Præsidum, ut hæc immutare iidem valerent aut rescindere. De iis proinde Edictis hic sermo, quæ ad civiles maxime privatorum controversias spectabant, & e quibus jus provincialibus, servato cæteroquin præscripto dudum judiciorum ordine, aut fori, cui subinde iidem privati subjacebant, privilegiis, a Præsidibus ad eas regendas missis dicebatur. Quæ etiam Edicta inde vel *Provincialia* in genere, vel ipso Provinciæ nomine, ubi illa edebantur, *Siciliense* puta, vel *Asiaticum*, sunt nuncupata: ac prout, ne longius eadem arcessantur, utriusque illius appellationis exempla suppeditabit in Verrinis *d*, ac in Epistolis *e* ad Atticum Cicero. Factum vero, ut Romæ subinde, antequam in provinciam a se regendam exirent, Edicta id genus componerent iidem præsides, ut de se Ciliciæ tum Proconsule, ad Appium eodem proconsulatu functum, testatur Cicero *f*: *ROMÆ composui EDICTUM: nihil addidi, nisi quod publicani me rogarunt, cum Samum ad me venissent, ut de TUO EDICTO totidem verba TRANSFERREM in meum. Diligentissime scriptum caput est, quod pertinet ad minuendos sumptus civitatum: quo in capite sunt QUÆDAM NOVA salutaria civitatibus, quibus ego magnopere delector.* E quibus præterea verbis liquet, provincialia Præsidum Edicta, partim *g tralatitia*, prout eo nomine a Romanis dicebantur, quæ ex anterioribus Edictis erant desumpta; partim *nova* vulgo exstitisse: ut id insuper ex iis, quæ de Siciliensi Verris, dum is Prætor ibi esset, Edicto, & de quo paullo infra, ait *h* alibi Cicero, constare potest. Quibus autem Præsidum Edictis, præter Senatusconsulta subinde, eaque sub Cæsaribus, ex eorum Orationibus in Senatu recitatis, uti supra de Marco vidimus, facta, & juxta Pauli J. C. ea de re verba *i*: *Oratione D. Marci, &c. quam & Senatusconsultum secutum est:* præter ea, inquam, accesserunt eorundem Principum Edicta, Epistolæ & Rescripta, cum ad provinciarum Præsides, a quibus ii frequenter, ubi novæ, vel perplexæ, vel graviores occurrebant quæstiones, consulebantur, tum ad ipsos quandoque provinciales, seu ad eorum Commune, vel τὸ Κοινὸν, ut illud ibidem dicitur. Quod utrumque, vel e mutuis Plinii, Bithyniæ tum ac Ponti Rectoris, ad Trajanum, ac Trajani ad Plinium Epistolis constat: in quibus inter alia, *Edictorum Divi Augusti k, Epistolarum Vespasiani, Titi, Domitiani, ad Lacedæmonios, Achæos*, aliosque fit mentio: aut ubi ipse Trajanum consulit, de jure, quod in ea provincia, pro obortis ibi novis aut controversis causis vel quæstionibus diceret. Quomodo sequentes quod attinet Principes, id quoque in libris Digestorum est obvium: in quibus rescripsisse dicitur Hadrianus ad *Calpurnium Rufum, Proconsulem Asiæ l*; aut *Salvio Caro, Proconsuli Cretæ m*; aut *Junio Rufino, Proconsuli Macedoniæ n*; aut *Vivio Varo, Legato Provinciæ Ciliciæ o*; aut *Salvio Legato Aquitaniæ p*; aut *Præsidibus Galliarum q*. vel Pius *ad Ennium Proculum, Proconsulem Africæ r*: vel Severus ac Antoninus Caracalla, *ad Ovinium Tertullum, Præsidem Provinciæ Mysiæ inferioris s*: vel iidem, *Braduæ Proconsuli Africæ t*. ac alibi sæpius, ubi describuntur sola Præsidum, non vero Provinciæ, cui tum ii præerant, nomina. Ad ipsos vero provinciales missa quoque subinde Principum Rescripta, uti ab Hadriano ad *Clazomenios u*; aut *Nicomediensibus x*; aut *Concilio Bæticæ y*; aut a Pio *z* τῷ Κοινῷ τῶν Θεσσαλῶν, *ad Commune Thessalorum*; aut *a* πρὸς τὸ Κοινὸν Θρακῶν, *ad Commune Thracum*; alibi *b Communitati Asiæ*; vel *ad Epistolam Antiochensium c*; aut a Divis Fratribus *Hierapolitanis d*: aut ab Antonino Caracalla *e*, *ad desideria Asianorum*: aut ab Alexandro Severo *f*, *ad Commune eorum, qui in Bithynia sunt Græcorum*: ut plura id genus, quæ illa prisci Romani juris penus, eaque, quæ Imperatorum constitutiones complectitur, suppeditat, nunc mittam. Eis autem constitutis itentidem Præsidum Edictis, certa demum provincia, cui iidem præerant, non vero reliquæ olim tenebantur: ac unde etiam a Plinio, de conditione & alimentis liberorum, qui expositi, ac dein in servitutem erant redacti, Trajanus consulitur: *in qua* (quæstione nempe *g*) *ego auditis constitutionibus Principum, quia nihil inveniebam AUT PROPRIUM, aut UNIVERSALE, quod ad Bithynos ferretur, consulendum te existimavi.* Cui continuo rescribit Trajanus, quod de ea quæstione *h*, *nec quidquam invenitur in commentariis eorum Principum, qui ante me fuerunt, quod AD OMNES PROVINCIAS sit constitutum*: mox de Domitiano, *sed inter eas provincias, de quibus rescripsit, non est Bithynia.* Quomodo alioquin a Modestino alicubi in Digestis traditur *Epistola Antonini Pii i, quæ descripta est Communitati Asiæ; UNIVERSO autem ORBI conveniens.* aut alibi in iisdem Jurisconsultorum libris *k*: *Præcipitur autem Edicto Divi Vespasiani OMNIBUS CIVITATIBUS, ne plures quam ternos Legatos mittant.* Quum autem sub Hadriano, seu ejus jussu ac auctoritate, conditum esset a Salvio Juliano, non vero, juxta Vi-

a l. III. Epist. 8. &c. *b* in Verrin. 4. c. 39.
c Ibid. c. 40. *d* in Verrin. 1. cap. 112.
e Lib. VI. Epist. 1. *f* l. III Epist. Fam. 8. Gellius l. III. c. 18. II c. 33.
g Cicero ad Att. l. V. Epist. 21.
h in Verrem. 1. cap. 112. in Verrem.
i Leg. XVII. D. de Ritu Nupt. *k* l. X. Epist. 71. 72.
l Leg. X. §. 1. D. de Off. Proconf.
m L. XIV. ad S. C. Turpil. *n* L. 2. D. de Abigeis.
o L. III. D. de Fide Instrum.
p L. XII. D. de Custod. Reor. *q* L. IV. D. de Publican.
r L. V. §. 1. D. de Jure Immunit.
s L. IX. D. de Captiv.
t L. IV. D. de Off. cui Mand. Jurisd.
u L. IV. §. 5. D. de Legation.
x L. V. D. de Decret. Ab Ord. Fac.
y L. 1. D. de Abigeis.
z L. V. §. 1. D. Ad L. Jul. & vi Publ.
a L. 1. §. 1. D. de Appellation.
b L. VI. §. 2. D. de Excusation.
c L. III. D. de Custod. Reor.
d L. XXVI. D. de Pœnis.
e L. IV. §. 5. D. de Off. Proconf.
f L. XXV. D. de Appellation. *g* L. X. Epist. 71.
h Ibid. Epist. 72. *i* L. VI. §. 2. de de Excusation.
k L. IV. §. 6. D. de Legationib.

ctorem

ctorem Schotti [k], & cui suffragari non debuit vir [l] maximus, a Didio Juliano Imperatore, Edictum illud Perpetuum; ex quo, non vero ad annuum amplius Prætorum arbitrium, seu juxta nova vel incerta eorum Edicta, jus civibus deinceps a Prætoribus Urbanis diceretur: ita ad illius exemplum constitutum mox Edictum Provinciale videtur, quo similiter Romani Orbis provinciæ fixo stabilique jure in posterum, ab earum Præsidibus regerentur. Illud vero an Hadriano itidem, cujus nempe jussu fuerit illud conditum, ut censuit nuper vir excellenti doctrina H. Dodwellus [m], an vero Marco debeatur, haud licet certo statuere: quum Gajus, qui XXXII. libros ad illud Edictum Provinciale scripsisse, in Justinianeo indice dicitur; & e quibus demum libris, de eo Edicto (cujus nempe fit crebra in Digestorum legibus, quæ inde sunt relatæ, mentio) nobis hodie constat, sub Pio & Marco vixerit. Ad quem vero Marcum, ac imperii cum eo participem Verum, ea dicuntur ab Aristide, quæ ad illud Edictum provinciale, ex quo deinceps, non vero ex incertis amplius ac inconditis Præsidum Edictis, jus provincialibus diceretur, omnino videntur, ut supra jam innui, respicere: nempe ubi meminit Orator Smyrnæus [n] *legum & constitutionum omnibus inevitabilium*, seu quibus, ut id jam ante diximus, omnes provinciales deinceps tenerentur: ac rursus [o], *legum omnibus communium*, quæ essent ab iisdem Principibus constitutæ. A quo cæteroquin Gajo libri decem *ad Edictum Urbicum* dicuntur scripti in præposito Digestis indice; ac prout excerptarum ex iis Gaji libris [p] *ad Edictum Urbicum* legum sit semel in iisdem Pandectis mentio, seu, & quod fugit diligentiam Ant. Augustini [q], aliorumve, qui indices veterum Jurisconsultorum concinnarunt, aliquoties [r] *ad Edictum Prætoris Urbani*; sicut alibi [s] *ad Edictum Ædilis Curulis.* Quamquam, & quod præteriri hic non debet, liberæ etiam urbis temporibus, eadem Edicta, e quibus annui illi Prætores jus in urbe dicebant, *Perpetua* legantur etiam appellata. Id quidem, & tanquam antea ignotum, ex ineditis librorum linteorum, qui penes Is. Vossium fuerant, & quæ ille e Pauli Petavii schedis descripserat, fragmentis tradidit nuper vir longe doctissimus H. Dodwellus [t]; sed qui eadem a duobus viris eruditissimis Pighio [u] ac Reinesio [x], & tanquam Acta Urbis diurna, jam vulgata, alibi dein agnoscit [*]. In quibus autem libris Pontificum linteis, seu verius diurnis Actis, id inter alia legitur:

HORA OCTAVA SENATVS COACTVS IN HOSTILIA
S. C. FACTVM [EST VTI] PRÆTORES EX SVIS
PERPETVIS EDICTIS JVS DICERENT.

nempe, ut ex iisdem Actis liquet, L. Æmilio Paullo & C. Licinio Crasso Consulibus, seu anno V.C. DLXXXVI. Quum alioquin, & quod ad vetus illud Senatusconsultum adnotari obiter a viris doctissimis meruit, eadem quoque de *Edictis Prætorum Perpetuis*, & quæ inde etiam haud parum illustrantur, lege a Cornelio Sulla Tribuno plebis lata, Cn. Pisone Consule, seu anno V.C. DCLXXXVII. constituta, retulit Asconius Pedianus [y]: *UT PRÆTORES EX EDICTIS SVIS PERPETVIS JVS DICERENT.* Quæ nempe totidem sunt illius Senatusconsulti, centum circiter ante annis facti, & proinde quod hac lege tribunitia seu Cornelia sit denuo firmatum ac renovatum, verba. Ea vero *Edicta* Prætorum *Perpetua*, inde demum iisdem Senatus vel Populi Romani decretis, dicta (quod de lege illa Cornelia monuerunt jam [z] alii) ut nempe iidem Prætores ex Edictis, ab anni seu Præturæ suæ initio proponi pro more solitis, perpetuo jus dicere tenerentur: non vero intra ejusdem anni, quo illi eo magistratu fungebantur, spatium, eadem Edicta variare vel immutare, aliave eorum loco, unde ii jura civibus darent, proponere. Quæ nobis utique clarissime ante oculos ponunt Ciceronis de Verris Prætoris Urbani actis, seu de iis; quæ ille adversus proprium Edictum, præter fas omne, & facta jam ea de re, ut modo vidimus, Senatusconsulta, decreverat verba [a]: *Et cum EDICTVM totum eorum arbitratu, quamdiu fuit designatus, componeret, qui ab isto jus ad utilitatem suam nundinarentur; hic vero in magistratu CONTRA EDICTVM illud SVVM* (uti in adducto Senatusconsulto & lege Cornelia, *E suis perpetuis Edictis*) *sine ulla religione decernat.* dein [b]: *Nam quæso, redite in memoriam, judices, qualibido istius in jure dicendo fuerit, quæ VARIETAS DECRETORVM?* mox: *Cum erat ad eum ventum, & in aurem ejus insusurratum, alias revocabat eos, inter quos jam decreverat, DECRETVMQVE MVTABAT: alias inter alios CONTRARIVM sine ulla religione decernebat, ac proximis paullo ante decreverat.* Habita autem, & quod adverti hic meretur, a Cicerone hæc Oratio, seu instituta ab eo ac peracta tota illa Verris accusatio, Crasso ac Pompejo Consulibus, hoc est, juxta accuratiores Fastos, anno V.C. DCLXXXIV. ac proinde nonaginta sex septemve annis, post illud memoratum paullo ante Senatusconsultum, quo Prætores *E SVIS Perpetuis Edictis Jus Dicere* jubebantur: tribus vero quatuorve annis, antequam eadem constitutio lege Cornelia esset renovata. Adeo ut ad illud recens adhuc Verris factum, qui paucis ante annis Prætura Urbana erat functus, & in qua ita flagitiose ac præter majorum instituta, contra *Edictum suum* toties decreverat; quodque ei hac prima, de ea hujus Prætura, Oratione vehementer erat a Cicerone objectum, ac ad alios dein Prætores ejus exemplo incitatos, datam inde huic legi Corneliæ, seu quam tulit Tribunus tum plebis L. Cornelius Sulla, ansam, referre haud incommode liceat. Ea quippe lege denuo, ut Prætores ex Edictis suis Perpetuis jus dicerent; est sancitum; & cui etiam legi, qui eam posteris prodidit Pedianus, addit [c]: *Quæ res tum gratiosis ambitiosis Prætoribus, qui VARIE JVS DICERE assueverant, sustulit.* Adeo ut vel inde abunde liqueat, vetera & urbana Prætorum Edicta, non dicta inde *Perpetua* eo sensu, quasi translaticia, ac instar Edicti Hadriani Perpetui: quod tamen a præclaro juris ac litterarum antistite Ant. Augustino [d], ad legem, de qua paullo ante, Corneliam; atque etiam a [e] viro insigni eruditione ad Senatusconsultum, ab eo e libris linteis seu diurnis Urbis Actis

[k] in Did. Julian.
[l] H. Grot. Flor. Spars. ad J. Justinian. p. 84.
[m] ad Spartian. Hadr. pag. 335.
[n] Orat. in Romam. p. 390. [o] Ibidem p. 395.
[p] L. II. D. de Action. vel Transfer. Leg.
[q] in Lib. de Nomin. Propr. Pandect. Florentin. ac Jac. Labitti index.
[r] L. XXXII. & XXXIII. D. de Hered. Instit. L. XLVIII. de V.S. & L. CXXIX. de Reg. Jur.
[s] L. III. XII. &c. D. de Edict. Ædil.
[t] ad Spartian. Hadrian. p. 333. [u] Annal. l. XI. p. 378.
[x] Inscr. Syntagm. p. 349. [*] in Append. p. 651.
[y] Præfat. ad Orat. pro Cornel. Scip. Gentil. de Jurisd. c. 10.
[z] Ant. Augustin. de Leg. Rom.
[a] in Verrem I. c. 119. [b] Ibid. c. 120.
[c] Præfat. in Orat. pro Cornel.
[d] pag. 1195 T. II. Thes. Antiq. Rom.
[e] H. Dodwell. ad Spartian. Hadrian. p. 313.

Actis, adductum traditur: sed eo sensu omnino, quo de eis Prætorum Edictis ait Pomponius *f*: *Ut scirent cives, quod jus de quaque re quisque dicturus est, seque præmuniret, EDICTA proponebant; quæ Edicta Prætorum jus Honorarium constituebant.* Qua cautione utique, vel juxta Pomponium, *præmunitione* neutiquam opus fuisset, si veteri illo Senatusconsulto, aut lege Cornelia, eadem semper & constans Edictorum, e quibus annui Prætores jus dicere tenerentur, ratio fuisset præscripta. Quomodo utique Prætoris Edictum, non *lex annua*, & *cui finem adferrent Kalendæ Januariæ* a Tollio, centum ferme annis a memorato supra Senatusconsulto, diceretur: immo cujus ea de re verba sunt omnino hic adscribenda *g*: *Qui plurimum tribuunt Edicto, Prætoris EDICTUM, LEGEM ANNUAM dicunt esse.* mox: *Si FINEM Edicto Prætoris afferunt KALEND. JANUAR. cur non initium quoque Edicti nascitur a Kalend. Januariis? an in eum annum progredi nemo poterit Edicto, quo Prætor alius futurus est: in illum, quo alius Prætor fuit, regredietur.* E quibus proinde obvia eorundem annuorum Prætoris Edictorum ratio, & quæ, sequutis adhuc ætatibus, ad Hadrianum usque tenuit, satis, ut opinor, elucescit. Neque vero, quod nonnullis aliis juris interpretibus, ac novissime *h* viro eruditione præstanti placuisse video, Edictum Hadriani Perpetuum eo sensu dictum, quo Edicta illa Prætorum annua; & ad quæ constituenda ac observanda, annui Prætores Senatusconsultis, ut modo diximus, aut lege Cornelia tenebantur. Id enim satis utique redarguit, cum diversa conditi, Hadriani jussu, a Salvio Juliano, summo ea ætate Jurisperito, cum e prioribus Prætorum Edictis, tum aliunde, singulari studio ac industria, Edicti Perpetui ratio: ad cujus normam Prætores jus deinceps in Urbe dicerent. Quorum etiam Prætorum restricta jam erat sub imperio Cæsarum, & ab horum nutu pendens jurisdictio; decursu vero temporis tota ferme, quod docent constitutiones Principum in Codice Theodosiano *i*, ac observat ibidem doctissimus ejus Enarrator, in munerum editionibus, seu Circensibus vel Scenicis ludis, sita. Accedit facta illius *Edicti Perpetui* peculiaris apud Auctores *k*, in veterum Jurisconsultorum libris *l*, & ab ipso Justiniano *m* mentio. Unde etiam ad illud Edictum, tanquam ad novam juris Romanorum civilis normam, conscripti deinde, ac post Hadriani tempora, cum a Gajo, tum a Paullo libri octoginta, & ab Ulpiano octoginta tres; e quibus & ex Ulpiano potissimum excerptæ leges, aut adducta frequenter ipsius EDICTI, vel quo illud indicatur, AIT PRÆTOR, vel EDIXIT PRÆTOR, formulæ seu jussa, utramque in Digestis paginam faciunt. Immo quomodo vetera illa & annua Prætorum Edicta, tanquam eorundem, qui illa suis annis edixerant, propria (sicut in adlatis Senatusconsulti ac legis Corneliæ verbis, *Prætores E SUIS EDICTIS perpetuis*) sunt appellata: ita istud uno & singulari quidem in libris veterum Jurisconsultorum, quod modo vidimus, EDICTI nomine, aut EDICTI PRÆTORIS, vel EDICTI URBANI, ac &, uti a Justiniano aliisque, EDICTI PERPETUI, vel etiam EDICTI HADRIANI *n*, cujus nempe auctoritate fuit constitutum, dici meruit. Prout etiam ad illud respici existimo, ea lege, quæ a Diocletiano & Collegis lata, in Codice legitur *o*: *Incolas vero (sicut & Divus HADRIANUS EDICTO SUO manifestissime declaravit) domicilium facit*: ne unde ipse Hadrianus, quasi novi inde juris auctor vel conditor habitus. Ad cujus proinde, ut diximus, *Edicti Perpetui* seu *Urbani* exemplum, & quo de certo imposterum stabilique jure, non vario vel incondito, provinciis itidem constaret, conditum illud, de quo paullo ante egimus, *Edictum Provinciale*, juxta quod Præsides jus deinceps provincialibus dicerent, licet omnino statuere. Erant quidem antiquiora Romanorum in provinciis Præsidum Edicta, ad civilia Quiritium jura, seu Urbana de iis Edicta, accommodata: maxime ubi de jure dicundo, seu de usitatis privatorum caussis vel controversiis agebatur: adeo etiam, ut ne quidem opus hæc Edicto suo provinciali complecti Cicero Ciliciæ Proconsul crediderit, sed in ejus clausula demum testari *p*: *Tertium de reliquo jure dicundo ἄγραφον reliqui: dixi me de eo genere mea decreta AD EDICTA URBANA accommodaturum.* Alia autem, quæ tanquam provincialibus propria, velut de civitatum rationibus, uti de earum sumptibus, legationibus, immunitatibus, jurisdictione, magistratu, fundis &c. aut de statis pactionibus cum publicanis, usuris inde, syngraphis, & quæ alterius adhuc generis erant, specIatim a Præsidibus edicenda, ac inde etiam *Edicti provincialis* nomine ibidem a Tullio dicta *q*: *Breve autem EDICTUM est, propter hanc meam διαίρεσιν, quod duobus generibus edicendum putavi: quorum UNUM est PROVINCIALE, in quo est de rationibus civitatum, de ære alieno, de usura, de syngraphis: in eodem omnia de Publicanis.* Hisce vero alterum Edicti illius genus addit: *Alterum quod sine Edicto satis commode transigi non potest, DE HEREDITATUM POSSESSIONIBUS, de bonis possidendis, magistris faciendis, vendendis, quæ EX EDICTO postulari & fieri solent.* Quæ autem ibi a tertio illo Edicti genere, de reliquo nempe jure dicundo, distinguit, de quo nihil in Edicto suo peculiariter constituerit; sed id tantum monuerit, quod de eo decreta sit ad Edicta Urbana, ut vidimus, accommodaturus. Idem tamen alibi, caput illud de *hereditatum possessionibus*, tanquam unum, non de secundo, ut in adductis modo ejus verbis, sed de tertio illo demum Edicti genere, quod ad Urbana Edicta accommodari, seu inde in provincialia Edicta transferri solitum, in Verrinis adtigerat *r*: *Non enim potest hoc loco dici, multa esse in provinciis edicenda, non de HEREDITATUM quidem POSSESSIONIBUS, non de mulierum hereditatibus. Nam utroque genere video, non modo CÆTEROS, sed te ipsum TOTIDEM VERBIS EDIXISSE, quot verbis EDICI ROMÆ solet.* Quod sub Cæsaribus itidem obtinuisse, ut ea Præsidum in provinciis Edicta, essent ad Urbana Prætorum Edicta, seu ad Perpetuum ab Hadriani temporibus Edictum, aliasve Romanorum leges aut Principum Constitutiones accommodata; in iis maxime capitibus, quæ de jure dicundo essent, seu in dijudicandis privatorum controversiis, cum aliunde manifestum, tum e mutuis Plinii ac Trajani Epistolis, & pluribus aliis Imperatorum Rescriptis ad Provinciarum Præsides, ipsosve Provinciales, quorum facta jam ante mentio; tum e Gaji ad Edictum Provinciale relatis in eodem Digestorum opere legibus, liceret pluribus, si id jam hic ageretur, evincere. Sed quodcunque tandem fo-

f de Origin. Jur. §. 10. *g* in Verrem. I. c. 109.
h Schubart. de Fat. Jurisp. Rom. p. 637. &c.
i Vid. L. VI. XI. XIII. XIV. &c. Lib. VI. Tit. IV. D. Præt.
k Eutrop. L. VIII. c. 17. Aur. Victor in Cæsarib. Euseb. in Chronic.
l L. II. D. de Statu Hominum, & passim sub nomine *Edicti* aut *Ait* vel *Edixit Prætor*.
m Præf. Digest. §. 10. l. 2. C. de Cond. Indeb.
n Præf. Digest. & in Cod. de Vet. Jur. Enucl. §. 18.
o Leg. VII. C. de Incolis. *p* ad Attic. l. VI. Epist. I.
q Ibidem. *r* in Verrem. I. c. 118.

ret

ret eorum *Edictorum Provincialium* seu translatitia, seu nova, aut perpetua tandem essent, genus; eorundem quoque, ac proinde Edicti illius Provincialis, inducti ad exemplum Urbani sub Hadriano Edicti Perpetui, usus est in provinciis abolitus: ubi æquata fuit omnium imperio subjectorum, data iis, nempe ingenuis, Romana civitate, conditio. Ita enim sublato omni inter cives & peregrinos discrimine, omnes Romanis deinceps legibus, seu urbano ac civili eorum jure regebantur: quod ut Romanæ urbis amplitudini debitum contendebat, uti e Jostiniano jam ante vidimus, apud Hadrianum Salvius Julianus; tanquam vere jam receptum, aperte tradunt adductis paullo ante locis, neque unius ætatis Scriptores, Gregorius Thaumaturgus, Vopiscus, Julianus Imperator, Claudianus, Rutilius, Sidonius Apollinaris, Theodoritus. Qua ratione etiam contigit, ut primo Gregorianus ac Hermogenianus, deio Theodosianus, Codices, e Principum ab Hadriano ad juniorem Theodosium Constitutionibus & Rescriptis sint compositi, seu, ut antea jam vidimus, *EDICTIS propositis in omnium populorum, in OMNIVM PROVINCIARVM notitiam.*

XIII. Quamquam id quod de Romanis legibus hactenus diximus, quod nempe post civitatem omnibus imperio subjectis datam, iisdem illi deinceps tenerentur, non eam vim habere debet, ut omnes omnino Romani Orbis incolæ, illud legum Romanarum jugum continuo subierint. Quod sicut nuper ad Juliani Imperatoris [f] ea de re verba ante jam adducta, quibus *omnes* promiscue *Romanis legibus & consuetudinibus usi* dixerat, est a nobis [g] monitum ac illustratum: ita hic deouo, nec minus opportune, & paullo etiam pleoius ac diligentius, est omnino retractandum. Ita enim quæ in tam late diffuso per orbem terrarum imperio, interque tot dissonas moribus, institutis, vitæ cultu habituque geotes eidem populo subjectas vel obnoxias, juris diversitas vel consociatio fuerit, paullo liquidius constabit. Haud una nempe earum ditionum vel urbium, quæ in potestatem & fidem populi Romaoi venerant, exstitit jam a primis Urbis temporibus conditio: dum aliæ tanquam bello victæ, leges & magistratus a victoribus acceperint: aliis vero tanquam liberis aut fœderatis suæ leges ac proprii magistratus sint relicti: aliæ denique, quæ præter eandem suarum legum libertatem Romana insuper civitate fuerint donatæ. Quæ devictarum geotium vel civitatum (ne eas jam, quæ vel stipendiariæ forent, vel immunes, & qua de re paullo post, nunc tangam) discrimina in ipsis Romanorum gestis per quiogentos annos intra Italiam bellis suot obvia; & partim etiam a nobis superiori Exercitatione delibata. Hinc Campanis, pro insigni beneficio eis a Romanis concesso, prædicabat Romanus Consul [u]: *Quod fœdus æquum dedimus: quod LEGES VESTRAS: quod ad extremum (id quod ante Cannensem certe cladem maximum fuit) civitatem nostram magnæ parti vestrum dedimus.* Quum vero, quod ait Gajus [x], *omnes homines, qui legibus ac moribus reguntur, partim SVO PROPRIO, partim communi jure utuntur;* inde etiam factum, ut, quod quisque sibi populus jus constituit, eo maxime delectetur; seo, ut ait eam io rem Diodorus [y], διὰ τὴν ἔμφυτον πᾶσιν ἐπιθυμίαν ΤΗΣ ΑΥΤΟΝΟΜΙΑΣ, *propter innatam omnibus cupiditatem SVARVM LEGVM.* Quod a Philone [z] similiter traditur, qui in tota Græcia, & inter Barbarorum gentes, nullam urbem leges habere unam cum alia communes observat: Atheniensis Lacedæmoniorum leges ac vicissim aspernari: omnes denique regiones & urbes a peregrinis legibus esse alienas. Qua ratione itidem contigit, ut *jus* illud *suarum legum* (prout a Romanis Scriptoribus, Cæsare, Cicerone, Livio, aliisque, quod a Græcis una αὐτονομίας voce dicitur) a multis etiam Latii vel aotiquis Italiæ populis vel oppidis, sit ipsi Romanæ civitatis juri, ut id obiter supra jam adtigi, haud semel antelatum. Ita apud Livium [a]: *Hernicorum tribus populis, Alatrinati, Verulano, Ferentinati, quia MALVERVNT, quam CIVITATEM, SVÆ LEGES relictæ.* ac alibi de Prænestinis [b]: *Civitate quum donarentur ob virtutem, non mutaverunt.* & alio rursus loco [c]: *Jam inde a majoribus traditum morem Romanis colendi socios, ex quibus alios in CIVITATEM atque æquum secum jus accepissent, alios in ea fortuna haberent, ut SOCII esse, quam CIVES MALLENT:* nempe ne amitterent sui juris, suarumque legum libertatem. Quod etiam de *Neapolitanis* & *Heracliensibus* tradentem vidimus Ciceronem [d]: *Cum magna pars in iis civitatibus fœderis sui,* quo nempe leges iis relictæ, *LIBERTATEM CIVITATI ANTEFERRET.* Hinc quum ea esset vetus, quam itidem jam expendimus, municipiorum conditio, ut eadem, teste Hadriano Imp. apud Gellium [e], *suis legibus moribusque uti possent*, Coloniæ vero Quiritium legibus regerentur; inde *Prænestinos*, ut ibidem additur, *maximo opere a Tiberio Imperatore petisse orasseque; ut EX COLONIA IN MVNICIPII statum redigerentur:* idque illis Tiberium, pro referenda gratia, quod sub eorum oppido e capitali morbo convaluisset, tribuisse. Adeo etiam, ut de *Italicensium* in Hispania, ac *Uticensium* in Africa municipiis ab Hadriano Imp. in Senatu dictum tradat ibidem Gellius; *mirari se, quod, quum SVIS LEGIBVS MORIBVSQVE VTI possint, in jus coloniarum mutare gestiverint.* Ubi vero Romani extra Italiam arma sua victricia extulere, eadem cum devictis populis vel oppidis lege est ab iis actum, ut aliis suas leges relinquerent; aliis easdem continuo adimerent. Quomodo de *Siculis*, quos primo adorti sunt ac in provinciæ formam redegerunt Romani, testatur in Verrinis Cicero. ubi inter alia delicta, quæ Verres in Siciliæ prætura admiserat, refert [f]: *Hoc prætore SICVLI, neque SVAS LEGES, neque nostra Senatusconsulta, neque communia jura tenuerunt:* alibi [g]: *SICVLI hoc jure sunt, ut quod civis cum cive agat, domi certet SVIS LEGIBVS.* & ad quem locum ait Asconius: *Etenim apud Veteres non Romano duntaxat jure, sed & sua cujusque civitatis legibus agebatur.* De *Thermitanis* quidem Siculis id nominatim observat Tullius, inde quod illi in amicitia fideque populi Romani manserint [h], *urbes, agros, LEGESQVE SVAS* iis redditas: sed, ut ibidem additur, ante leges Siculis dein ex S.C. & decem legatorum sententia datas, *ut cives inter se legibus suis agerent.* Haud aliter nempe ac de Græcis Asiaticis, seu tribus illis Diœcesibus, quæ proconsulari ejus in Cilicia imperio, seu ut ipse ait [i], *Provinciæ* ejus *Ciliciensi* fuerant *attributa*, dicit Cicero [k]: *Multaque sum secutus Scævolæ. in iis illud, in quo sibi LIBERTATEM censent Græci datam, ut Græci INTER SE disceptent SVIS LEGIBVS.* mox: *Græci vero exsultant, quod peregrinis judicibus,* h. e. Græcis (ut vere ibi viri docti) *utantur.* Quamquam Siculos quod adtinet, non plena iisdem, uti nec Græcis illis Asiaticis *autonomia* fuerit relicta: nisi ubi esset inter

[f] Orat. I. p. 5. [g] Observ. in Jul. Orat. I. p. 37.
[u] Liv. l. XXIII. c. 5. [x] L. IX. D. de Instit. & Jure.
[y] L. XX. p. 768. [z] de Vita Mosis l. II. p. 657.
[a] L. IX. c 43. [b] Idem l. XXIII. c. 20.

[c] L. XXVI c. 24. [d] pro Balbo c. 21. [e] l. XVI. c. 13.
[f] Proem. in Verrem. c. 13. [g] in Verrem. II. c. 32.
[h] Ibidem c. 90. [i] L. XIII. Epist. 76.
[k] ad Atticum l. VI. Epist. I.

Siculos vel Asiaticos illos unius urbis cives disceptatio: aut cum civis Romanus, quod in iisdem Verrinis additur *l*, a Siculo quid peteret. Quum cæteris in rebus a Romanorum civium judiciis, ac e Romani Prætoris Edicto, cujus sæpius in iisdem Verrinis *m*, & adductorum inde capitum, meminit Cicero, penderent iidem Siculi: non proinde, ut nec Græci illi Asiatici, de quibus in adductis verbis idem Tullius vere seu omnino, ut Græci Scriptoris loquuntur, *αὐτονομούμενοι*. Quod etiam aperte satis innuunt Ciceronis de Græcis illis Asiaticis, & apud quos forum se egisse, haud semel testatur *n*, quæ is modo jam adductis addit, verba *o*: *Nugatoribus quidem, inquies, quid refert? tamen se αὐτονομίαν adeptos putant.* Idem tamen sequenti Epistola *p*, de iisdem civitatibus ait in genere: *Omnes SVIS LEGIBVS & judiciis usæ, αὐτονομίαν adeptæ revixerunt.* datis nempe, sicut Siculis, Græcis judicibus, apud quos earum urbium cives inter se disceptarent. Ut non inde tamen vere, quod dixi *αὐτόνομοι*, aut etiam *αὐτόδικοι* forent iidem Siculi, vel Græci illi Asiatici: quomodo ii proprie a Græcis dicebantur, quibus plenum esset, non precarium aut restrictum legum suarum arbitrium; quique non acceptis aliunde, seu a Prætore Romano, judicibus, sed ipsi suos crearent judices vel magistratus, a quibus jus sibi diceretur. Plena vero exstitit & mera *autonomia*, qualis in belli Punici secundi exitu, Carthaginiensibus est a Romanis relicta *q*, *ut liberi legibus suis viverent:* & quidem vere liberi, sicut antea fuerant, nisi quod bellum injussu populi Romani suscipere, aut elephantos in posterum domare iidem vetarentur. Pace vero cum Philippo, penultimo Macedonum Rege, & Romanis facta *r*, *liberi, immunes, ac SVIS LEGIBVS Græci* ab iisdem Romanis sunt relicti: seu, juxta Polybium *s*, ex Senatusconsulto Roma adlato, Græcos tam Asiaticos quam Europæos, liberos esse pronunciatum, *καὶ νόμοις χρῆσθαι τοῖς ἰδίοις*, *atque suis utantur legibus.* Quod in celebritate ludorum Isthmiacorum a præcone proclamatum iidem Auctores docent: quomodo Syracusanos jam olim a Corinthiis in agonibus publicis, *liberos ac suis legibus declaratos*, tradit in Timoleonte Plutarchus *t*: aut alioquin de Lacedæmoniis Polybius *u*, tempore pacis ab Antalcide facta, *ἐκήρυττον ἀφιέναι τὰς πόλεις ἐλευθέρας καὶ ΑΥΤΟΝΟΜΟΥΣ. præcone significarunt, dimittere se civitates liberas & SVIS LEGIBVS.* Id nempe Polybio, ut obiter hoc tangam, aliisque Græcis Scriptoribus Thucydidi, Diodoro, Dionysio, Dioni, Appiano, aliisque familiare, ut quod frequenter una *αὐτονομίας* voce dicunt, vel *αὐτονομεῖν*, de ipsis autem urbibus aut populis, qui eo jure agerent, *αὐτόνομοι*, id subinde ab iis, ac in antiquis etiam fœderum formulis, dictum legatur, ut paullo ante, *νόμοις τοῖς ἰδίοις χρῆσθαι*, aut *πατρίοις* vel *ἀρχαίοις ἔθεσι καὶ νόμοις*, vel *πατρίῳ τρόπῳ ἄρχεσθαι*, aut *κατὰ τὰ πάτρια· κατὰ τὰ ἴδια νόμιμα· τοῖς ἰδίοις θεσμοῖς· κατὰ τοὺς τῆς πόλεως νόμους· κατὰ νόμους πολιτεύειν· ἐν αὐτονομίᾳ πολιτεύεσθαι· τοῖς οἰκείοις νόμοις πείθεσθαι· οἰκείοις νόμοις χρῆσθαι*, vel ut apud Æschylum in Supplicibus *x*, *κατὰ νόμους τοὺς οἴκοθεν*, ut apud Pausaniam alicubi *y*, *ἰδίῳ τῷ οἴκοθεν*, h. e. *propriis uti legibus;* aut *patriis* vel *antiquis consuetudinibus ac legibus;* aut *domesticis legibus obsequi;* aut *patrio more regi;* vel *juxta patria vel propria instituta; juxta urbis leges; juxta suas leges gubernare; suis legibus regi; domesticis legibus obsequi, uti,* seu *juxta leges vel consuetudines domo adlatas.* Græcos vero tam Europæos quam Asiaticos, *αὐτονόμους* seu *suis legibus*, ubi ii primum in fidem sunt accepti, a Romanis relictos, nemo mirabitur, qui in id Græcos ab omni ævo incredibili contentione incubuisse haud ignorat, ut illud suis legibus vivendi arbitrium, seu, cujus toties fit apud eorum Scriptores mentio, *αὐτονομίαν*, ab iis etiam Regibus vel populis, quorum colere majestatem cogebantur, impetrarent. Unde jam olim de Græcanicis illis Asiæ, quæ Proconsularis postea est a Romanis appellata, populis, quique hactenus erant sub ditione Persarum, post Xerxis cladem a Choro Persarum qui eam deflent, apud Æschylum dicitur *z*:

> *Τοὶ δ' ἀνὰ γᾶν ΑΣΙΑΝ δὴν,*
> *Οὐκ ἔτι ΠΕΡΣΟΝΟΜΟΥΝΤΑΙ,*
> *Οὐκ ἔτι δασμοφοροῦσι*
> *Δεσποσύνοισιν ἀνάγκαις,*
>
> *Equidem per ASIAM terram*
> *Non amplius LEGIBVS PERSARVM vivent:*
> *Non amplius tributa pendebunt*
> *Dominicis exactionibus.*

Quomodo nempe ibi *τὸ Περσονομεῖν*, *Persarum legibus uti*, & in alio ejusdem dramatis versu *a*, *Περσονόμου τιμῆς*, *Persas regentis honoris*, opponuntur vulgato illi Græcorum *τῷ αὐτονομεῖν* ac *αὐτόνομος*, *suis uti legibus:* & quibus proinde Tragici versibus, nihil aliud, nisi quod duabus vocibus, *αὐτόνομοι* deinceps ac *ἀτελεῖς* seu *αὐτοτελεῖς*, *suis legibus & immunes* futuri dicuntur iidem Asiatici. Certe Ioniam mox, devictis a Græcis Xerxe ejusque ducibus, a Persis defecisse, docet Herodotus *b*. Unde etiam iisdem ferme, seu proximis Artaxerxis Mnemonis, qui hujus Xerxis filius, temporibus, Hippocrates, in præclaro de Aere, Locis & Aquis libro *c*, notat Asiaticas gentes, quod magna earum pars, nempe illius, quæ majoris Asiæ nomen obtinuit, *μηδὲ αὐτόνομοι, ἀλλὰ δεσπόζονται*, *non utuntur suis legibus, sed regia dominationi subjacent*, esse imbelles. quicunque vero, ut mox additur, in Asia (qualis Asia maritima, & *μιγάσιν Ἕλλησι βαρβάροις θ' ὁμοῦ*, *mixtis Græcis ac Barbaris simul* habitata, ab Euripide pariter dicitur *d*) Græci ac Barbari, *μὴ δεσπόζονται, ἀλλ' αὐτόνομοί εἰσι*, *dominationi regiæ non subjacent, sed vivunt suis legibus*, esse bellicosissimos. Ab eodem certe Artaxerxe pacem cum Atheniensibus, eorumque sociis ea conditione factam tradit Diodorus *e*, ΑΥΤΟΝΟΜΟΥΣ εἶναι τὰς κατὰ τὴν Ἀσίαν Ἑλληνίδας πόλεις ἁπάσας, *ut omnes Græcanicæ per Asiam Urbes SVIS LEGIBVS agerent.* Quod iisdem Asiaticis urbibus a Tissapherne, alterius Artaxerxis, nempe Longimani, Satrapa, concessum itidem, auctor est in Agesilao Plutarchus *f*, & qui alibi ab eodem Artaxerxe *g*, Græcos etiam Europæos *αὐτονόμους* esse declaratos tradit. Ita sub sequuto post Alexandrum Seleucidarum in Asia imperio, in *Smyrnæorum* ac *Magnetum*, ejusdem Asiatici tractus urbium, cum Seleuco Callinico fœdere, quod in præclaris marmoribus *h*, ad hanc usque diem transmissis, illius Regis benevolentiam ac majestatem comiter a duabus illis urbibus cultum iri legimus: ita tamen, ut ibi

l in Verrem. II. cap. 32. 33.
m in Verrem. I. cap. 104. 106. 112. &c.
n ad Att. l. v. Epist. 21. l. VI. Ep. 2.
o ad Att. l. VI. Epist. 1. *p* ad Att. l. VI. Ep. 2.
q Liv. lib. XXX. cap. 37. & Polyb. l. XV. dag. 705.
r Liv. lib. XXXIII. cap. 32. *s* Exc. Legat. IX. p. 795.

t pag. 247. *u* lib. IV. pag. 297.
x vers. 574. *y* l. IV. p. 268. *z* Pers. v. 586. &c.
a Ibid. v. 921. *b* lib. IX. cap. 5. *c* cap. 9.
d in Bacchis v. 18. *e* lib. XII. pag. 74.
f pag. 600. *g* in Pelopida pag. 294.
h Marm. Oxon. pag. 9. P. I.

continuo

continuo additur: Πολιτεύονται δὲ μετὰ Σμυρναίων κατὰ τοὺς τῆς πόλεως νόμους ἀστασιάστως. *gubernantur autem Magnetes cum Smyrnaeis, juxta leges eorum patrias, citra ullam dissensionem.* Quæ jura etiam *suarum legum* iisdem *Græcis*, cum *Asiaticis*, tum *Europæis*; a Romanis, confectis, ut jam diximus, cum Philippo, ac dein cum Antiocho bellis, itidem sunt adserta: immo quod inter caussas illati huic Antiocho a Romanis belli *i*, ab antiquis Scriptoribus traditur. Hinc inter alia de *Phocaensibus* Asiaticis a Livio *k* post Polybium dicitur *l*: *Et ager, quem antea habuerant relictus, & ut LEGIBUS ANTIQUIS uterentur, permissum*: a Senatu vero petunt ac impetrant Rhodiorum Legati, ut Græci in Asia liberentur *m*: *Et AUTONOMIAM* (seu *SUAS LEGES*) *omnibus mortalibus jucundissimam consequuntur*, τυχεῖν ΤΗΣ ΑΥΤΟΝΟΜΙΑΣ τῆς ἅπασιν ἀνθρώποις προσφιλεστάτης. ac ubi inter alia *Smyrnæi*, de quibus modo, omnium in Asia civitatum dicuntur *n*, τῶν αὐτονομουμένων, *quæ suis legibus utuntur*, Romanis fidissimi. Unde alibi de eadem *Smyrna*, *Chio* præterea, *Erythræis*, ob fidem Romanis eo bello præstitam, magno in honore habitis, & agro donatis observat idem Polybius *o*. Quomodo etiam devicto ultimo Macedonum Rege Perseo, de *Macedonibus* similiter, quamquam jure belli subjectis, a Romanis decretum *p*: *Omnium primum liberos esse jubere Macedonas, habentes urbes easdem agrosque, UTENTES LEGIBUS SUIS, annuos creantes magistratus.* Adeo ut cum αὐτόνομοι, quomodo eosdem de decem legatorum sententia declaratos tradit etiam Plutarchus *q*, tum simul αὐτόδικοι constituerentur inde *Macedones*: quibus nempe cum legum, tum creandi magistratus, qui jus iis dicerent, libertas relinqueretur. Etsi mox imminuta videatur & precaria tantum hæc illorum αὐτονομίαν, dum de eodem Macedonum victore Paullo Æmilio ait paullo post Livius *r*: *LEGES MACEDONIÆ DEDIT, cum tanta cura, ut non hostibus victis, sed sociis bene meritis dare videretur, & quas ne usus quidem longo tempore (qui unus est LEGUM corrector) experiendo argueret.* Cui accedit de eadem Macedonia Justinus *s*: *Legesque, quibus adhuc utitur, a Paullo accepit.* Quum tamen id tantum de Paullo tradat Plutarchus *t*, ab eo in discessu admonitos Macedonas, ut memores agerent datæ sibi a Romanis libertatis, σώζοντας αὐτὴν δι' εὐνομίας καὶ ὁμονοίας. *eam legum recta administratione & concordia tuentes.* Quam tamen *libertatem*, non ad integram Macedoniam, sed ad partem ejus tantum, quæque *libera* inde sit appellata, postea restrictam, e Cæsaris ea de re verbis constare debet *u*: *Cujus Provincia* (Macedoniæ) *ab ea parte, qua LIBERA appellabatur*: & quo spectant veteres nummi, ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ ΠΡΩΤΗΣ, *Macedonum Prima*, qualem in Thesauro Brandenburgico *x* nuper vulgato videas, inscripti. *Macedonas* vero non solum, sed *Illyrios* etiam liberos seu αὐτονόμους itidem a Romanis eo tempore relictos, tradunt Livius *y*, item Diodorus *z* ac Joannes Antiochenus *a* in Excerptis Constantinianeis. *Galatis* quoque αὐτονομίαν a Romanis concessam, modo ne armati extra fines prodirent, auctor est Polybius *b*. *Thessalos* autem *liberos*, ac *suis legibus*, juxta reliquos Græcos, a Romanis, devicto Philippo, declaratos, e Polybio *c* ac Livio *d*; seu e solemni illius decreti, quo adserti in libertatem Græci, formula itidem constat, & quas cæteroquin Thessalos, antiquitus pro liberis habitos, vel ex Euripidis Alcestide liquere potest *e*:

Οὐκ οἶσθα ΘΕΣΣΑΛΟΝ με, κἀπὸ ΘΕΣΣΑΛΟΥ
Πατρὸς γεγῶτα, γνησίως ΕΛΕΥΘΕΡΟΝ;

An nescis me THESSALUM, & e THESSALO
Patre natum, vere LIBERUM?

Quamquam de iisdem, ante debellatum a Romanis Philippum, Thessalis dicat Polybius, quod *viderentur quidem illi suis legibus vivere*, ἐδόκουν μὲν κατὰ νόμους πολιτεύειν, re ipsa tamen iisdem, quibus Macedones sub eo Rege, essent obnoxii. Post donatos vero a Romanis libertate itidem Thessalos, de iis apud Romanorum Legatos questus traditur Philippus *g*, *insolenter & immodice abuti THESSALOS indulgentia populi Romani, veluti ex diutina siti avidos, meram haurientes LIBERTATEM.* Iisdem vero Thessalis, imminuta dein eorum libertate, illam denuo a Cæsare datam vel restitutam, quod, ii ab ejus partibus contra Pompejum stetissent, refert Appianus *h*. Bello vero Mithridatico *i*, *Phrygiam* αὐτόνομον a Romanis decretam; & a Sulla in Asia *k* *Ilienses*, *Chios*, *Rhodios*, *Lycios*, *Magnesios*, aliosque populos, ob præstita Romanis auxilia, aut in malorum, quæ pertulerant solatium, liberos quoque declaratos, auctor est idem Appianus. Quomodo *Thermesos* etiam Pisidas, eadem de caussa, *IMMUNES OMNIBUS SUEIS LEGIBUS* a Romanis constitutos, fidem adhuc facit solemne, quod ea de re legitur, quodque primus in lucem emisit Sigonius *l*, plebiscitum. *Græcanicis* vero in Asia *Urbibus* quæ non ad Mithridatem solum defecerant, sed a quibus ejus jussu tot civium Romanorum millia crudeliter fuerant uno puncto temporis, sicut de hac insigni clade & perfidia loquitur alicubi Tullius *m*, interempta, præter quinquennalis tributi, cujus Appianus meminit *n*, seu viginti millium, teste Plutarcho *o*, talentorum multam, eam, qua illæ hactenus populi Romani, ut antea vidimus, beneficio, gavisæ fuerant, libertatem ac αὐτονομίαν, merito quoque a Romanis tum ademptam, licet ex iis, quæ de adflictis haud uno calamitatis genere iisdem civitatibus, aliis vero, quæ in fide populi Romani manserant, recreatis, a Plutarcho in Sulla *p*, & a Memnone apud Photium dicitur *q*. Quod e Cicerone præterea liceret colligere. Is enim *libera* *r* in eadem Asia *urbis*, *Apollonidos* nempe, ac ad aliarum proinde eo in tractu, a quibus ibi agebatur, discrimen (tantum enim triginta stadiis, juxta Strabonem *s*, a Pergamo, ac totidem a Sardibus erat dissita) nominatim meminit; & cujus incolas mox vocat *t* *amantissimos populi Rom. fidelissimosque socios*, qui scilicet cum reliquis Asiaticis urbibus ad Mithridatem non defecerant, addit vero *u*: *Verum esto negotiari libet: cur non Pergami, Smyrnæ, Trallibus? ubi & multi cives Romani sunt, & JUS A NOSTRO MAGISTRATU dicitur.* *Pergamenorum* certe & *Trallianorum*, inter alias illius Asiæ urbes, uti & *Ephesiorum*, *Adramyttenorum*, *Cau-*

i Polyb. l. XVII. pag. 769. Liv. l. XXXIII. cap. 15. Appian. Syriac. pag. 111.
k l. XXXVIII. cap. 38. *l* Exc. Legat. XXXVI. p. 844.
m Polyb. Exc. Legat. XXVIII. pag. 832. *n* Ibidem.
o Exc. Legat. XXXVI. pag. 844. *p* Liv. l. XLV. cap. 29.
q in P. Æmilio pag. 270. *r* l. XLV. cap. 32.
s l. XXXIII. cap. 32. *t* in P. Æmilio pag. 270.
u Bell. Civ. l. III. cap. 34. *x* pag. 481.
y l. XLV. cap. 26. *z* Excerpt. Legat. pag. 317.
a Ibid. pag. 790. *b* Exc. Legat. cap. 11. pag. 931.

c Exc. Leg. IX. pag. 797. *d* l. XXXIII. cap. 32.
e Alcest. v. 677. *f* l. IV. pag. 338.
g Liv. l. XXXIX. c. 26. *h* Bell. Civ. l. II. pag 482.
i Idem Mithridat. pag. 208. *k* Ibidem p. 250.
l de Ant. Jur Prov. l. I. cap. 10. Grut. Thes. D.
m pro Flacc. cap. 60. *n* Mithridat. pag. 215.
o in Sulla pag. 367. *p* Ibid. & pag. 468.
q Cod. CCXXIV. cap. 37. *r* pro Flacco. cap. 70.
s l. XIII. pag. 625. *t* pro Flacco cap. 71.
u Ibidem.

nicorum, quæ fide, omnique hospitii ac humanitatis jure violatis, se nefandis illis Romanorum civium cædibus polluerunt, facta expressa in narratione hujus rei apud Appianum mentio *x*: ac prout inter alia, bello Mithridatico male acceptam fuisse a Romanis urbem *Adramyttenum* tradit Strabo *y*. *Mytilenaeorum* vero insignem in Romanos perfidiam, qui vinctos Romanorum Prætores aliosque Mithridati tradiderunt, tangunt Vellejus *z*, & Diodorus in Excerptis Valesianis *a*. Missos quidem, finito illo bello Romam ab hisce Asiaticis urbibus legatos, qui pro iisdem veniam a Senatu impetrarent, ex eodem Geographo docemur, qui de Xenocle, insigni oratore Adramytteno, ait *b*; εἰρηκὼς ὑπὲρ τῆς Ἀσίας ἐπὶ τῆς συγκλήτου, καθ' ὃν καιρὸν αἰτίαν εἶχε Μιθριδατισμοῦ. *isque pro Asia ad Senatum oravit, quo tempore ea Mithridatis partibus favisse fuit insimulata.* Μιθριδατισμὸς nempe ibi, prout apud Græcos Oratores, Μηδισμὸς, Μηδίζειν, Φιλιππίζειν, Μακεδονίζειν *Medorum* seu *Persarum*, vel *Philippi* aut *Macedonum partibus favere*. Libertatem vero seu αὐτονομίαν recuperasse tum easdem Asiæ urbes, liceret alioquin ex eodem Cicerone statuere; dum de illa Proconsulari Asia, in Epistola ad Quintum fratrem, tum ejusdem provinciæ Rectorem, ait, constare eam provinciam *c*, *primum e genere Sociorum, deinde ex eo genere civium* Romanorum, qui aut publicani, aut negotiatores forent. Quo referri etiam possunt, quæ de singulari Luculli primum, Sullæ successoris; ac dein Pompeji, cui cessit confecti belli Mithridatici gloria, in erigendis, recreandis, constituendisve iisdem illis adflictis & oppressis Asiæ urbibus studio, & quidem datis aut redditis legibus, quibus eæ deinceps uterentur, & qua de re paullo infra, a Plutarcho *d* & a Dione traditur *e*. Ita *Mytilenaeis*, olim quidem, ut ii de se apud Thucydidem prædicant *f*, αὐτονόμοις, post insignem eorum Mithridatico bello perfidiam, libertatem in unius liberti Theophanis gratiam a Pompejo denuo restitutam, tradunt Vellejus *g* & Plutarchus *h*. Ne jam eas tangam in eadem Asia urbes, quibus quod ad Mithridatem non defecerant, pristina jura libertatis vel αὐτονομίας non fuisse adempta, satis constat. Hinc *liberi* apud Ciceronem *i*, ut de iis paullo ante, *Apolloniadenses* & de *Magnetibus*, qui summa virtute, ut de iis Florus in Livii Epitome *k*, se adversus Mithridatem defenderant, a Sulla remuneratis, Tacitus *l*: *Proximo Magnetes L. Scipionis & L. SVLLÆ CONSTITVTIS nitebantur: quorum ille Antiocho, hic Mithridate pulsis, fidem atque virtutem MAGNETVM DECORAVERE.* Ita *Cyzicenos libertatem* eodem bello Mithridatico meruisse, præter Appianum *m*, Strabo *n* & Tranquillus *o* docent. *Atheniensibus* vero, quibus antea in fidem receptis, Romanos suas leges ac libertatem conservasse, observat Strabo *p*: idem beneficium, post suam ad Mithridatem defectionem, impetrata venia, a Sulla denuo adsertum, auctor ibidem Geographus: ac Plutarchus nominatim *q*, quod Sulla liberam illam urbem ac αὐτόνομον reliquerit. Quod tamen paullo aliter ab Appiano, ubi ejus rei meminit, traditur *r*: Νόμους ἔθηκεν ἅπασιν ἀγχοῦ τῶν πρόσθεν αὐτοῖς ὑπὸ Ῥωμαίων ὁρισθέντων. *legesque omnibus* Atheniensibus *dedit Sulla, easdem ferme, quæ prius a Romanis fuerant decreta.* Quibus autem Atheniensibus veniam quoque, quod pro Pompejo stetissent, a Cæsare postea concessam, auctor alibi Appianus *s*.

XIV. Ab ipso vero Pompejo, confecto tandem bello Mithridatico, ac Oriente & reliqua Asia felici victoriarum cursu peragratis, e devictis vel subactis ab eo gentibus, alias cum reliquisse liberas ac *suis legibus*, seu, ut ibi dicitur *t*, ἐᾶν αὐτονόμους: alias Regibus, Dynastis aut Tetrarchis adtribuisse: alias in provinciæ formam redegisse, idem Appianus refert. Etsi eam Romani Orbis in *urbes liberas, regna*, ac *provincias* divisionem, non inde a Pompejo, minus autem ab Augusto, in cujus rebus fit de ea apud Strabonem *u* ac Dionem *x* mentio, sed jam ante locum habuisse; cum aliunde, tum vel e Cicerone constare possit, a quo in Verrinis, ante demandatam proinde Pompejo belli Mithridatici provinciam, & dum illud adhuc a Lucullo *y*, ut ipsemet id in iis tangit, gereretur, dicitur *z*: *Jam omnes provincias, jam omnia regna, omnes liberas civitates.* ac alibi *a*: *Lugent omnes provinciæ, queruntur omnes liberi populi, regna denique jam omnia.* Qua autem *liberarum civitatum* appellatione, eas simul designari, quæ erant αὐτόνομοι seu *suis legibus*, cum vel ex adductis modo Appiani, de instituta a Pompejo devictarum ab eo gentium divisione, verbis satis liquet; tum aliunde e promiscuo illo apud Græcos & Romanos vocum ἐλευθέρας ac αὐτονόμου, seu *liberæ* & *suis legibus utentes* civitatis usu, est utique manifestum. Hæc enim *autonomia* vel præcipua pars erat *libertatis* illarum urbium, quæ cæteroquin erant in Romanorum fide, in eo quippe, ut notum, sitæ, ut eædem suis legibus agerent, & proprios crearent magistratus, a quibus jus iis, non vero a Romanis Præsidibus vel Judicibus, diceretur: & prout utrumque conjungit alicubi Polybius *b*, πολιτείαις καὶ νόμοις χρωμένους πατρίοις, *avito regimine, & legibus patriis utentes.* Unde etiam de *Massiliensium* αὐτονομίᾳ iis a Cæsare, etsi illi in adversis partibus fuerant, conservata, agens Strabo, eam explicat de immunitate a jurisdictione Romani Præsidis *c*: ΤΗΝ ΑΥΤΟΝΟΜΙΑΝ ἐφύλαξαν, ἣν εἶχεν ἡ πόλις, ὥστε μὴ ὑπακούειν τῶν εἰς τὴν ὑπαρχίαν πεμπομένων στρατηγῶν, μήτε αὐτὴν, μήτε τοὺς ὑπηκόους. *AVTONOMIAM seu libertatem pristinam conservarunt, ut neque ipsi, neque eorum subditi missis in provinciam Rectoribus parere cogerentur.* Quomodo αὐτονομουμένας vel αὐτονόμους πόλεις apud Herodotum, Thucydidem, Polybium, Josephum, Appianum, aliosque, per *liberas civitates*, etsi latius vox eadem *libera* pateat, ac immunitatem a tributis subinde complectatur, vulgo reddunt Interpretes. Apud Sophoclem certe, ut præterea observo, de Antigone in subterranea specu includenda dicitur *d*, ἀλλ' αὐτόνομος, ζῶσα, *sed libera, viva* &c. & apud Gregorium Nazianzenum *e*, αὐτονομία γλώσσης, *linguæ libertas.* Quomodo cæteroquin αὐτόνομοι urbes & ἀφορολόγητοι, seu ἀτελεῖς, *suis legibus & immunes a tributis*, distinguuntur alibi apud Polybium *f*: sicut frequenter *liberæ ac immunes civitates* apud Romanos Scriptores, & qua de re paullo infra. Inter eas autem gentes vel urbes αὐτονόμους, quas reliquisse ab Appiano dicitur Pompejus *g*, & a quo prius Syria, Phœnicia, & Palæstina ab eo devictæ, sunt primum in provinciæ formam redactæ, adnume-

x Mithridat. pag. 185. & 212. *y* l. XIII. pag. 614.
z l. II. cap. 18. *a* pag. 401.
b l. XIII. pag. 614. *c* ad Q. fratrem l. I. Epist. I.
d in Lucullo pag. 506. *e* l. XXXVII. pag. 36.
f l. III. pag. 177. *g* l. II. cap. 8.
h in Pompejo pag. 649. *i* pro Flacco c. 70.
k l. LXXXI. *l* Annal. III. cap. 62.
m Mithridat. pag. 222. *n* l. XII. pag. 576.
o in Tiberio c. 37. *p* l. IX. pag. 398.

q in Sulla pag. 478. *r* Mithridat. pag. 196.
s Bell. Civ. l. II. pag. 482. *t* Mithridat. pag. 251.
u l. XVII. pag. 830. *x* l. LIII. pag. 514
y in Verrem. IV. cap. 49. *z* in Verrem. V. cap. 167.
a Ibid. cap. 207. *b* l. IV. pag. 287. *c* l. IV. p. 187.
d Antigon. v. 832. *e* Epist. XXXI. pag. 395.
f Exc. Legat. XXXVI. pag. 844.
g Mithridat. pag. 251.

randi

randi continuo veniunt *Judæi*. Etsi captis a Pompejo Hierosolymis, stipendiariam eandem urbem ab eo redditam tradat Josephus; ac tum primum, ut addit *h*, Τήν τε γὰρ ἐλευθερίαν ἀπεβάλομεν, καὶ ὑπήκοοι Ῥωμαίων κατέστημεν. *libertatem amisimus, & subjecti Romanorum imperio sumus.* aut quod, eodem teste, mox etiam a Gabinio in quinque continuo juridicos conventus, seu diœceses, in quibus jus a Romanis diceretur, fuerit Judæa divisa *i*, *Hierosolymis*, nempe, *Gadaris*, *Amathunte*, *Jerichunte*, *Sepphoris*. Suas tamen sacrorum leges ac instituta patria iisdem Judæis a Pompejo, ac dein ab eodem Gabinio relicta, abunde vel e constanti ac perpetuo eorundem Judæorum in iis servandis, & quibus *k* gravius erat iisdem legibus, quam vita carere, studio; & ex Hyrcano ab iisdem, Pompejo & Gabinio, Pontifice constituto, licet colligere: ne ea hic tangam, quæ a Cæsare dein in eorundem Judæorum gratiam decreta idem Josephus mox refert *l*. *Liberas* vero in eadem Provincia *urbes*, *Gazam*, *Joppen*, *Dora*, *Stratonis turrim*, quæ postea ab Herode magnifice condita, *Cæsarea* nomen meruit, & præter *Gadara*, in liberti sui Demetrii Gadarensis gratiam restaurata, a Pompejo relictas, auctor ibidem Josephus *m*. Ita nonnullas vicinæ Syriæ urbes, quæ vel Macedonas habuerant conditores, vel antiquioris erant originis, *Antiochiam*, *Seleuciam*, *Philadelphiam*, aliasque, αὐτονομίᾳ seu *libertate*, *suisve legibus* ab eodem Pompejo donatas, aliunde constat. Quod de *Antiochensibus* nominatim, ut qui etiam pretio eam *autonomiam* a Pompejo redemerint, observat, ut alibi *n* pridem vidimus, Porphyrius in Excerptis *o* apud Scaligerum Eusebianis: Ὁ λαβὼν παρ' Ἀντιοχέων χρήματα, ΑΥΤΟΝΟΜΟΝ ἀφῆκε τὴν πόλιν εἶναι. *Pompejus accepta ab Antiochensibus pecunia, urbem eorum SVIS LEGIBVS reliquit:* ac de Syriæ *Seleucia*, libertate ab eodem Pompejo, quod a Tigranis partibus non stetisset, donata, Strabo *p* ac Eutropius *q*. Quamquam ipsa seu prima solemnis Edicti, quo *Antiochia* non a Pompejo quidem, sed paucis post annis, a J. Cæsare Dictatore, quod & a Chronici Alexandrini *r* seu Paschalis Auctore traditur, *libera* sit proclamata, & ubi inter alia illius urbis præcipua, ΑΥΤΟΝΟΜΟΣ eadem appellatur, verba legantur hodie in vulgato nuper Antiochensis Malalæ Chronico *ſ*, e quo adhuc inedito eadem olim descripta vulgaverat doctissimus Usserius *t*: nempe, ἐν ΑΝΤΙΟΧΕΙΑ τῇ Μητροπόλει Ἱερᾷ, καὶ Ἀσύλῳ, καὶ ΑΥΤΟΝΟΜΩ, καὶ ἀρχούσῃ, καὶ προκαθημένῃ τῆς Ἀνατολῆς, Ἰούλιος Γάϊος Καῖσαρ, καὶ τὰ λοιπά. *In ANTIOCHIA Metropoli, Sacra, Inviolabili, SVIS LEGIBVS, Principe, Orientisque Præside, Julius Cajus Cæsar* &c. Quomodo eadem *Autonomia* non solum publicis fœderum tabulis, sed nummis aliisve duraturis ad posteros monumentis, est ab iis Antiochensibus, aliisve populis vel urbibus, frequenter consignata. Quod varii quoque & insignes, non Cæsareanorum solum temporum, de quibus paullo post, sed hisce antiquiores id genus nummi, nobis adhuc ante oculos ponunt: sicut a me adducti jam olim, inscripti *u* ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΤΗΣ ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ ΚΑΙ ΑΥΤΟΝΟΜΟΥ, *Antiochensium Metropolis Et SVIS LEGIBVS*. item *x*: ΤΡΙΠΟΛΙΤΩΝ ΤΗΣ ΙΕΡΑΣ ΚΑΙ ΑΥΤΟΝΟΜΟΥ, *Tripolitarum, Sacra, Et SVIS LEGIBVS*: & quem e Museo Christinæ Reginæ itidem indicavi, cujusque inde in Critica Baroniana facta ab eruditissimo Pagi mentio, ΣΕΛΕΥΚΕΩΝ ΤΗΣ ΙΕΡΑΣ ΚΑΙ ΑΥΤΟΝΟΜΟΥ, *Seleucensium, Sacra, Et SVIS LEGIBVS*. Immo, & quod olim in eodem *y* opere neque uno loco adtigimus, ac de nonnullis illorum locorum urbibus viderat jam, ut ibi quoque moneo, magnus Scaliger, ab hac *Autonomia*, tanquam a memorabili maxime earundem urbium instauratione vel beneficio, novæ, prioribus abolitis, petitæ sunt earundem locorum æræ. Quod de *Antiochia*, ut loquuntur ea in re Græci, χρηματισμῷ speciatim tangit Euagrius, loco quem de hac hujus urbis æra notarunt jam majorum gentium Chronologi ac Eruditi, Baronius *z*, Scaliger *a*, Petavius *b*, Valesius *c*, Norisius *d*; ubi nempe de terræ motu, qui eidem urbi sub Trajano contigit, agens idem Euagrius ait *e*: Ἐκεῖνος μὲν γὰρ ἑκατοστὸν καὶ πεντηκοστὸν καὶ ἔννατον ἀγούσῃ τῇ πόλει ΕΤΟΣ ΤΗΣ ΑΥΤΟΝΟΜΙΑΣ γέγονεν. *nam illa quidem accidit anno centesimo & quinquagesimo nono, ex quo urbs fuerat SVAS LEGES adepta.* Cui accedit etiam, quod Auctor Chronici Alexandrini *f*, dum a tempore, quo eadem urbs *libera* sit a Cæsare declarata, annos Antiochensium tradit numerari: ut de Eusebiano Chronico *g*, ubi de initio hujus æræ Antiochenæ similiter agitur, nunc sileam. Idem vero evincunt etiamnum superstites illius urbis nummi: sicut alii *Seleuciæ*, *Gadarorum*, *Gazæ*, *Philadelphiæ*, &c. totidem Syriæ & Palæstinæ urbium cum adscriptis id genus epochis, a data iis a Pompejo, quod olim e nonnullis eorundem civitatum nummis *h* videram ac monueram, αὐτονομίᾳ. Cujusmodi autem plures in præclaro opere protulit haud ita dudum, ac ab eadem *autonomia* & libertate illis urbibus a Pompejo concessa, aut a Cæsare dein uni vel alteri, sicut *Antiochensibus* & *Laodicensibus* confirmata vel adserta, illustrandos suscepit, non minus ostri splendore ac dignitate, quam varia & excellenti doctrina eminentissimus Norisius. Ita idem quoque *Tyriorum i* in antiquis eorum nummis æram deducit ab ea, quam illi sub Syriorum Regibus consequuti pridem fuerant, *autonomia*; quamque iidem a Romanis, teste eodem Geographo, haud sine aliquo sumptu (quod pridem quoque *k* monueram, ac de Antiochensibus tradentem vidimus Porphyrium) sunt consequuti. adde, quod etiam Tyrios, juxta Sidonios, in libertate seu αὐτονομίᾳ a M. Antonio, neque id, ut e modo dictis arbitrari licet, gratuito, conservatos tradit Josephus *l*. Cujus etiam eorundem Tyriorum *autonomia* fidem adhuc facit antiquus lapis a Magno Scaligero *m*, eam in rem jam adductus: in quo exstat Græca Tyriorum, qui Puteolis habitabant, ad eorum metropolim Tyrum Epistola, Gallio (seu verius Gallo) & Flacco Corneliano Consulibus, ut in eadem legitur, scripta, ac proinde sub Imperatore Commodo, anno Æræ Christianæ CLXXIV. In cujus autem Epistolæ capite legitur: Τῇ πόλει ΤΥΡΙΩΝ τῆς Ἱερᾶς καὶ Ἀσύλου καὶ ΑΥΤΟΝΟΜΟΥ Μητροπόλεως Φοινίκης, *Urbis TYRIORVM, Sacra, Et Inviolabilis, ET SVIS LEGIBVS, Metropoleos Phœnices.* Cujus generis itidem insignis Regiæ Gallorum Gazæ, quem olim quoque indicavi *n*, nummus, inscriptus ΔΗΜ. ΙΕΡ.

h Antiq. l. XIV. c. 8. *i* Ibid. c. 10. & B. Jud. c. 5.
k Ibid. l. XVI. c. 4. *l* Ibid. c. 19.
m Ibid. c. 10. & 13. Jud. l. v. c. 5.
n Diss. de Præst. Num. p. 720. *o* pag. 62.
p l. XVI. p. 751. *q* l. VI. c. 14.
r edit. Reg. du Cange p. 187. *ſ* l. IX. p. 278.
t Annal. p 351. p. 11. *u* Diss. de Præst. Num. p. 789.
x Ibidem. *y* Diss. de Præst. Num. p. 789. 866. 869.
z Annal. ad A. C. 111.

a Can. Isag. p. 301. & Anim. ad Euseb. p. 156.
b de Doctr. Temp. l. X. c. 62. *c* not. ad Euagr. l. II. c. 12.
d de Epoch. Syromaced. Diss. III. c. 4 *e* l. II. c. 12.
f ed. du Cange p. 187. *g* ed. Scalig. A. MDCCCCLXIX.
h Diss. de Præst. Num. ut supra.
i de Epoch. Syromaced. Diss. V. c. 3.
k Dissert. de Præst. Num. p. 720. *l* Antiq. L. XV. c. 4.
m Canon. Isag. p 301. Grut. Thes. MCV.
n Diss. de Præst. Num. p. 777.

ΑΓΙΑ ΑΥΤΟ. ΝΑΥΑΡ. *Dora* (quæ utroque numero apud Josephum [o] effertur) *Sacra*, *Inviolabilis*, *SVIS LEGIBVS*, *Navarchidos*: quæ una nempe e quinque illis maritimis Phœniciæ vel Palæstinæ urbibus, quas *liberas* a Pompejo constitutas, tradit, ut paullo ante diximus, idem Josephus. Quibus addi insuper debet singularis omnino alterius eodem in tractu urbis, ac inter eas quoque ab eodem recutito memoratas [p], quas Judæis ademptas, ac in libertatem adsertas Syriæ adtribuit Pompejus, nempe *Arethusa*. Dum enim in Galliis nuper agerem, illatus in Cimeliarchium Regium nummus, in quo hinc caput velatum & turritum apparebat; illinc Juppiter sedens, & dextra Victoriæ signum tenens, cum inscr. ΑΡΕΘΟΥΣΑΤΩΝ ΤΗΣ ΙΕΡΑΣ ΑΥΤΟΝΟΜΟΥ, *Arethusatorum*, *Sacra*, *SVIS LEGIBVS*, & cum fugientibus aliquot litteris, quibus illius æra erat forte adscripta. Mitto tributum *Samosatis* idem ΑΥΤΟΝΟΜΟΥ, in antiquis itidem illius urbis nummis, elogium; sed quod serius adductis modo Phœniciæ aut Syriæ civitatibus, ac sub Vespasiano primum, ut id postea dicetur, huic Syriæ *Commagenes Metropoli* concessum licet statuere. Accedunt vero hisce, quæ ab eodem Pompejo, non in dictis solum Orientis vel Asiæ partibus, sed in ea quoque provincia, quæ in Proconsularis Asiæ nomen apud Romanos transiit, constituta refert Dio [q]: Τά τε πλεῖω ἔθνη τῶν ΕΝ ΤΗ ΑΣΙΑ ΤΗ ΗΠΕΙΡΩ τότε αὐτῶν ὄντων, ΝΟΜΟΙΣ ΤΕ ΙΔΙΟΙΣ καὶ πολιτείαις κατεστήσατο, καὶ διεκόσμησεν· ὥστε καὶ δεῦρο αὐτοὺς τοῖς ὑπ' ἐκείνου νομισθεῖσι χρῆσθαι. *Majorem etiamnum nationum partem, quæ tum IN CONTINENTE ASIA Romanis parebant, PROPRIIS LEGIBVS & certa Republica forma constituit ac decoravit: ita ut etiamnum hisce ab eo statutis vivant.* Nempe prout Ἀσία Ἤπειρος, *Continens Asia*, hic & alibi passim a Dione [r], ut obiter hoc notem, idque veterum Græcorum more, de illo Asiæ tractu, qui parebat Romano Proconsuli, dicitur: qui cæteroquin uno *Asiæ* nomine a Græcis Latinisque Romanarum rerum Scriptoribus, ubi hæc in provinciæ formam est redacta, vulgo solet designari. Antiquam vero hanc Ἠπείρου Ἀσίας, *Asiæ Continentis*, de eadem *Asia*, quæ a Cicerone [s] ex Phrygia, Mysia, Caria, Lydia constare dicitur, appellationem extitisse, docebit antiquus Auctor Æschylus [t]:

> λιπὼν δ' Εὐρώπης πέδον,
> ΗΠΕΙΡΟΝ ἥξεις ΑΣΙΑΔΑ.

> *Solum autem Europæ relinquens,*
> *Pervenies in CONTINENTEM ASIAM.*

alibi [u] autem solo Ἠπείρου seu *Continentis* nomine, πᾶσαν Ἠπείρου πλάκα, *totam continentis plagam* (ut de hac postremæ apud Romanos vocis *plaga* origine haud dubitare liceat) appellat, eaque similiter ab aliis Tragicis ac Auctoribus, qua de re nos nuper ad Callimachum, nec id jam hujus loci, dicitur. Eandem vero *Asiam*, quam usque ad Mithridatici belli tempora αὐτόνομον, *suis seu patriis utentem legibus*, jam sub ipso Persarum aut aliorum etiam Regum, dein sub Romanorum imperio vidimus; eodemque mox jure, sua ad Mithridatem defectione, excidisse; a Lucullo dein restituta legum æquitate recreatam; novam rursus a Pompejo legum & Reipublicæ formam, & juxta quam deinceps eadem constituta manserit, nactam, ex hoc Dionis loco licet percipere. Cujus equidem ea de re verba, νόμοις τε ἰδίοις καὶ πολιτείαις κατεστήσατο καὶ διεκόσμησεν, eandem ibi vim habere possent, quam vulgo ea in re apud Græcos, quod supra obiter diximus, obtinent, de iis urbibus vel gentibus, quæ suis uterentur legibus, solemnes illæ formulæ, τοῖς ἰδίοις νόμοις χρῆσθαι, τοῖς ἰδίοις θεσμοῖς, τὰ ἴδια νόμιμα, ac apud Polybium de Lacedæmoniis & Antigono [x], τό τε πολίτευμα τὸ πάτριον αὐτοῖς κατεστάθη, *avita illis Respubl. forma restituta*: ac in adductis supra ejusdem Auctoris verbis, quæ hisce ferme apud Dionem gemina [y], πολιτείαις καὶ νόμοις χρώμενοι τοῖς πατρίοις, *avita Respubl. forma & patriis utentes legibus*. Quomodo tamen hunc Dionis ea de re locum, ita hic licet adsequi, ut non veram adeo & pristinam, qua illi antea fruebantur, *autonomiam*, veteremque plane eorum Reipublicæ formam, omnino hisce Asiaticis a Pompejo redditam intelligamus: quam ut certo & proprio jure, stataque Reipubl. forma, iidem deinceps regerentur, eum diligenter constituisse ac providisse. Haud aliter nempe ac de *Magnetibus* dicentem paullo ante vidimus Tacitum [z], *quod ii Sullæ CONSTITVTIS nitebantur*, quibus ille ob præstitam bello Mithridatico fidem & virtutem eos *decoraverat*; & quod hic similiter de illis Asiæ urbibus vel populis dicitur, quos Pompejus propriis legibus & certa Reipubl. forma *constituit ac decoravit*, κατεστήσατο καὶ διεκόσμησε. Quum tamen hisce *Magnetibus*, aut *liberis* juxta Ciceronem [a], Strabonem [b], Suetonium [c], Appianum [d], & de quibus jam ante, *Apolloniadensibus*, *Cyzicenis*, *Chiis*, *Erythræis*, *Iliensibus*, aliisve adhuc Asiaticis, si qui tum fidem suam ac virtutem Romanis probaverant, ea quæ Sulla reliquerat, aut, quod ait ibi Tacitus, constituerat jura, non ademisse Pompejum, liceat omnino statuere: & quomodo insuper *Phocæam* in eadem provincia urbem, ac Massiliæ metropolim, cuique devicto Antiocho αὐτονομίαν, ut e Polybio ac Livio paullo ante vidimus, Romani concesserant, *liberam* ab eodem Pompejo relictam tradit Dio [e]: etsi multa iis in Asiæ partibus, quo illæ deinceps felicius vel pacatius agerent, ac in fide populi Romani certius ac validius continerentur, ab eo constituta quoque & provisa, quod ex adductis Dionis verbis discimus, fuerint. *Jonicarum* equidem urbium insignem, qua illæ sub Romanorum imperio fruebantur, *libertatem*, apud M. Agrippam extollebat, qui ibi Judæorum agebat caussam, ut apud Josephum legitur [f], Nicolaus Damascenus. Hinc liberis ejusdem Asiæ Proconsularis civitatibus, M. Antonini temporibus, præfuisse Herodem Sophistam seu Atticum, & e quarum numero fuerit *Troas*, docet, de quo infra dicetur, Philostratus [g]. Ne jam huc adferam tres horum Asiaticorum, sed qui una hactenus Goltzii fide nituntur, nummos: unum *Ephesiorum* sub Vespasiano, in quo juxta alios & solitos illius primariæ in eadem Asia urbis titulos, ΑΥΤΟΝΟΜΟΥ quoque dignitas additur: alterum sub Caligula inscriptum, ΒΑΡΓΥΛΙΗΤΩΝ ΤΗΣ ΙΕΡΑΣ ΚΑΙ ΑΥΤΟΝΟΜΟΥ, *Bargyliatarum*, *Sacra*, *ET SVIS LEGIBVS*. Eam certe maritimam Cariæ urbem, post debellatum a Romanis Philippum, *liberam* quoque declaratam, ac unde nummi fides potest adstrui, docet alicubi, qui & in Excerptis Valesianis ejus quoque meminit, Polybius [i]: Πόπλιος μὲν Λέντλος εἰς ΒΑΡΓΥΛΙΑ

[o] singulari pag. 447. & plurali pag. 241. 242. 456. &c. edit. Genev.
[p] Antiq. l. XIV. c. 8. B. Jud. l. I. c. 5.
[q] l. XXXVII. p. 38.
[r] Idem l. XLVIII. p. 371. l. 2. p. 422. 436. &c.
[s] pro Flacco c. 64. [t] Prom. v. 734. [u] Perf. v. 720.
[x] l. II. p. 154. [y] l. III. p. 295. [z] Annal. III. c. 62.

[a] pro Flacco c. 70. [b] l. XII. p. 576.
[c] in Tiberio c. 37. [d] Mithridat. p. 210.
[e] l. XLI. p. 165. [f] Antiq. l. XVI. c. 4.
[g] de Soph. l. II. g. 547. [h] pag. 86.
[i] Excerpt. Legat. p. 799.

Asiæ

πλοίῳ, ΗΛΕΥΘΕΡΩΣΕ ταύτην. *Publius quidem Lentulus nave BARGYLIA contendit, eamque urbem LIBERAM esse jussit.* Haud dubiæ vero notationis alius, quem *k* olim & nuper *l* adhuc indicavi, quique exstat in Gaza Medicea, *Halicarnassi*, Principis in eadem Caria, hujus, ut notum, Proconsularis Asiæ parte, urbis nummus, ΑΛΙΚΑΡΝΑΣΣΕΩΝ ΑΥΤΟΝΟΜΩΝ, *Halicarnassensium SVIS LEGIBVS.* Quomodo insuper duæ in eadem Caria urbes *Aphrodisias* & *Stratonica*, *libera*, & Cæsare quidem, qua de re mox, vel Augusto auctore, dicuntur a Plinio *m*. *Pompeja* alioquin *leges*, sed qua Pontus & Bithynia, quas devicto & sublato Mithridate, ante continentem Asiam, ut ibidem Dio *n*, adierat, fuerunt ab eo ordinatæ, occurrit haud semel mentio in Plinii, earundem regionum tum Rectoris, ad Trajanum Epistolis *o*. Mitto *Sinopen* & *Amisum*, Ponticas urbes, libertate itidem seu αὐτονομίᾳ, bello Mithridatico a Lucullo jam ante, juxta Appianum, donatas *p*: quamque a Pharnace urbi *Amiso* ereptam, ei dein a Cæsare restitutam, Strabo *q*, & Dio *r*, tradiderunt. Ad eos vero αὐτονόμους in in Asia sub Romanorum imperio libera adhuc urbe, populos referri itidem debent, memorati a Cicerone *s*, qui illi provinciæ præfuit, *Eleutherocilices*: quod autem nomen iis ad sua usque tempora a Myrina Amazone, a qua liberi iidem sint relicti, hæsisse tradit Diodorus *t*. Eos autem ita dictos ab ea Ciliciæ parte, quam qui incolerent, sua ætate Ἐλευθεροκίλικες sunt appellati, notat, & quod alibi pridem monui, Stephanus *u*. Haud aliter ac *Eleutherolacones*, quorum meminit etiam Strabo *x*, non de Spartæ quidem incolis, sed de nonnullis, quæ sub Spartanorum ditione erant, oppidis, & quæ eorundem Laconum legibus exemerit Augustus, dictos refert Pausanias *y*, ac prout in antiqua inscriptione legitur *z*, ΤΟ ΚΟΙΝΟΝ ΤΩΝ ΕΛΕΥΘΕΡΟΛΑΚΩΝΩΝ. *Commune Liberorum Laconum.* De ipsis vero Laconibus, ut vere & ab antiquo αὐτονόμοις, dicit alicubi Cicero *a*: *Lacedæmonii soli toto terrarum orbe septingentos annos amplius unis moribus ET NVNQVAM MVTATIS LEGIBVS vivunt.* Argivos certe nobilitate a Spartanis superatos, quod hi se αὐτονόμους conservassent, observat Strabo *b*, eosque mansisse sub Romanis liberos, nihil præter socias operas Romanis pendentes. Idem quoque de *Sardinia*, quæ ad sua usque tempora, juxta veteris oraculi fidem, inconcussam retinuerit αὐτονομίαν, auctor est Diodorus *c*. In vicina vero eidem insulæ Sicilia, *Thermitanis*, quod ante vidimus, *suas leges redditas* a Romanis tradit Cicero *d*: alibi autem, duas in eadem provincia liberas urbes & fœderatas agnoscit *e*, *Mamertinam & Tauromenitanam*: tum quinque præterea, quamquam non fœderatas, immunes tamen ac *liberas*, *Centuripinam* nempe, *Halesinam*, *Segestanam*, *Italicensem*, *Panormitanam*: etsi non plena earundem, uti & reliquarum Siciliæ urbium, sed restricta fuerit, quod supra vidimus, *autonomia*. Mitto in Illyrico *Dyrrachium*, quam *liberam urbem* vocat alibi idem Tullius *f*: aut in Africa *Leptin*, *liberam civitatem & immunem*, juxta Scriptorem belli Africani *g*: aut tot *liberas* in Hispania, quarum meminit Plinius *h*, civitates: aut in provincia Galliæ Narbonensis, *Massiliam*, cui eam, quam ab antiquo sub Romanis fruebantur, αὐτονομίαν & *libertatem*, ac unde *fortissimorum fidelissimorumque sociorum* civitas a Cicerone dicitur *i*, a Cæsare, eadem expugnata, quod obiter supra adtigi, relictam, docent Strabo *k*, ac Dio *l*, & innuere voluit Cæsar iis verbis *m*, quibus se Massilienses *magis pro nomine & vetustate, quam pro meritis in se civitatis* conservasse testatur. Immo prout in genere, & quod vel ex antedictis liquere potest, vix ulla nobilior esset populi Romani provincia, in qua non darentur aliqua aut plures etiam civitates, quæ ob singularem in populum Romanum fidem, aut antiqua earundem urbium decora, liberæ ac suis legibus viverent. Quo spectant ea Cæsaris de illo Romanorum instituto ad Ariovistum verba *n*: *Populi Rom. hanc esse consuetudinem, ut socios atque amicos, non modo SVI NIHIL DEPENDERE, sed gratia, dignitate, honore auctos esse velit.* Quomodo etiam ab eodem Cæsare idem *suarum legum* beneficium Æduis relictum, docet ipsemet *o*: *Quod legibus Æduorum, iis, qui summum magistratum obtinerent, excedere ex finibus non liceret: NE QVID DE IVRE aut LEGIBVS eorum deminuisse videretur, ipse in Æduos proficisci statuit.* ac de Atrebatis similiter *p*: *Pro quibus meritis civitatem ejus* (Atrebatensis Comii) *immunem esse jusserat, IVRA LEGESVE reddiderat.* Immo qui ab initio illius belli cum Ariovisto gesti, & facta de Avernis & Rutenis, a Q. Fabio Maximo antea domitis, mentione, addit *q*: *Si judicium Senatus servari oporteret, LIBERAM debere esse Galliam; quam bello victam SVIS LEGIBVS uti voluisset.* Quomodo etiam apud Plinium *r* plures dicuntur liberi Gallorum populi, sicut *Nervii*, *Suessiones*, *Santones*, *Treviri*, *Bituriges*, *Secusiani*, aliique: seu ii hoc beneficium a Cæsare, vel ab ejus successoribus, de quibus postea dicetur, sint consequuti. De quo Cæsare alioquin tradit Auctor belli Alexandrini, cum confecto bello Ægyptiaco, quas in provincias regionesque venisset, eas ita relinquere constitutas (nempe, ut mox addit, *Syriam*, *Ciliciam*, *Asiam*) intendisse *s*, *ut domesticis dissensionibus liberarentur, jura legesve acciperent.* In quibus tamen provinciis, ac in *Syria* quidem, ubi tum agebat Cæsar, varias urbes *liberas* in ea & αὐτονόμους ab eo relictas, vel ex iis, quæ de *Antiochia* ac *Laodicea* diximus, licet statuere: ac prout etiam *libera* utraque illa civitas, præter Pieriæ *Seleuciam*, a Plinio traditur *t*. Quo respiciunt ea, quæ mox ab eodem belli Alexandrini Scriptore, de Cæsare adhuc in Syria morante dicuntur *u*: *Commoratus fere in omnibus civitatibus, quæ majore sunt dignitate* (quales utique in ea provincia dictæ modo Antiochia, ejusque æmula Laodicea) *præmia bene meritis & viritim & publice tribuit.* Idem in *Cilicia*, ejus provinciæ civitatibus Tarsum evocatis, a Cæsare quoque constitutum, docent proxima ejusdem Auctoris ea de re verba *x*. Quibus temporibus *liberam* jam exstitisse, uti eadem a Plinio *y* ac in nummis ejus antiquis, de quibus postea, dicitur, ac αὐτόνομον illius provinciæ metropolim *Tarsum*, vel ex iis quæ de eadem, tanquam huic Cæsari, uti & Augusto, de quo mox, impense addicta refert Dio Coccejanus *z*, adeo ut Tarsenses ejus nomine Ἰουλιόπολιν *Juliopolim* urbem suam nuncuparint, licet statuere. Quod similiter de alia Ciliciæ

k Diss. de Præst. Num. p. 789.
l Observ in Julian. Orat. I. p. 37.
m l. IV. Sect. 29. *n* l. 2 p. 154.
o l. X Epist 83. 113. 115. *p* Mithridat. p. 175. 222.
q l. XII. p. 547. *r* l. XLII. p. 207
s ad Att. l. v. Epist. 20. Famil. l. XV. Ep. 4.
t l. III. p. 188. *u* Diss. de Præst. Num. p. 785.
x l. VIII. p. 366. *y* l. III. p. 203.
z Synt. Reines. p. 457. *a* pro Flacco c. 62.

b l. VIII. p. 376. *c* l. V. p. 296.
d in Verrem. II. c. 91. *e* in Verrem. III. c. 13.
f l. XIV. Epist. I. *g* cap. 7. *h* l. III. c. 3.
i pro Fontejo c. 3. *k* l. IV. p. 181. *l* l. XLI. p. 165.
m Bell. Civ. l. 10. *n* Bell. Gall. l. I. c. 3.
o Bell. Gall. l. VII. c. 33. *p* Ibid. c. 76.
q Ibid l. I. c. 45. *r* l. IV Sect. 31. *s* cap. 65.
t l. V. Sect. 18. *u* cap. 65. *x* Ibidem cap. 66.
y l. V. Sect. 22. *z* l. XLVII. p. 342.

liciæ urbe *Mopso*, itidem juxta Plinium *a*, *libera*, seu, ut a Græcis eadem vocatur, *Mopsvestia*, arguere potest vetus illius urbis inscriptio a viris doctis jam adducta *b*: quæ inde Antonino Pio dicata traditur, quod is vetera illius civitatis jura, nempe Ἱερᾶς καὶ Ἐλευθέρας καὶ Ἀσύλου καὶ ΑΥΤΟΝΟΜΟΥ, *Sacræ, Liberæ, Inviolabilis, Et SUARUM LEGUM*, eidem rata firmaque esse voluerit. De *Ægis* vero, quam *liberam* insuper in eadem Cilicia urbem agnoscit Plinius, quo auctore illa id beneficium fuerit nacta, & an id eo tempore ordinatæ a Cæsare Ciliciæ obtinuerit, jam non constat; uti de *Seleucia ad Calycadnum*, cui ΕΛΕΥΘΕΡΑΣ, *Liberæ* nomen in nummis ejus sub Cæsarum imperio cusis tribuitur: nisi quod totum illum *Ciliciæ Tracheæ*, ita a montium asperitate a Græcis dictæ, tractum, *liberum* sub Romanis usque ad Vespasianum exstitisse, & qua de re postea dicetur, e Suetonio *c* & Eusebii Chronico liqueat *d*. Quod de *Lycia* similiter statuendum, mox itidem docebitur. Idem vero, quod in *Syria* ac *Cilicia*, ut modo vidimus, ita in *Asia*, Proconsulari nempe dein dicta, ac ad Pompeji, ut hoc addam, & de quo supra, exemplum, rebus nempe itidem in Ponto post debellatum Pharnacen constitutis, fecisse Cæsarem, docet sub finem ejusdem libri Hirtius, seu quisquis ejus Auctor *e*: *Iter per Gallogræciam Bithyniamque in ASIAM facit, omniumque earum provinciarum de controversiis cognoscit & statuit: JURA in Tetrarchas, Reges, CIVITATES distribuit.* Hinc *Ephesii* (quod iis postea, qui ad Bruti & Cassii partes transierant, objicit apud Appianum M. Antonius *f*) tertia vectigalium parte a Cæsare sublevati, illisque insuper, ut ab agricolis vectigalia cogerent, permissum. Idem *Iliensibus libertatem*, præter agrum, & ab oneribus publicis immunitatem, concessisse apud Strabonem legitur *g*: in Caria vero *Aphrodisienses* & *Stratonicenses*, quos *liberos* a Plinio dici paullo ante vidimus, Dictatoris Cæsaris, ob *vetusta in partes merita*, decretum (de asyli nempe jure, quo ii nitebantur) Romam adtulisse dicuntur apud Tacitum *h*. Utrum vero Cæsaris, ut arbitratur vir eruditione ac ingenio præstans, an altero potius ac recentiori, cujus ibidem meminit Tacitus, decreto, iidem *Stratonicenses* sint libertatem consequuti, mox videbitur. Ne ea hic tangam, quæ de *Bargyliis* in eadem Caria, fide veteris nummi, αὐτονόμοις, ac jus illud dudum ante Cæsarem a Publio Lentulo jam nactis, supra monui: aut quod de *Mylasis* & *Alabanda*, ut *liberis* quoque Cariæ oppidis, notat Plinius *i*. Mitto denique *Judæos*, quibus *suas leges* ac patria instituta reliquisse Cæsarem, prolatis haud unis illius ea de re decretis vel edictis, ut id paullo ante adtigimus, abunde docebit Josephus.

XV. Eandem vero suarum legum libertatem, sub Augusti & successorum imperio, variis adhuc Orbis Romani gentibus vel civitatibus concessam primum aut restitutam, e priscis itidem Auctoribus, aliisve antiquis monumentis discimus. Cujus utique rei fidem continuo facit Dio Coccejanus, ubi de divisione Romani imperii sub Augusto instituta agens, post enumeratas provincias, quæ vel ab eo Principe, vel a Senatu Populoque Romano deinceps regerentur, addit *k*: Τῶν δὲ δὴ λοιπῶν ἐθνῶν οὐκ ἐμνημόνευσα, ὅτι τὰ μὲν ὕστερον αὐτῶν προσεκτήθη, τὰ δέ, εἰ καὶ τότε ἤδη ἐκεχείρωτο, ἀλλ' οὔτι γε καὶ ὑπὸ τῶν Ῥωμαίων ἤρχετο, ἀλλ' ἢ ΑΥΤΟΝΟΜΑ ΑΦΕΙΤΟ, ἢ καὶ βασιλείαις τισὶν ἐπετέτραπτο, *Cæteras vero non recensui, quæ vel tum temporis nondum a Romanis erant subactæ; aut subactæ quidem fuerant, SUIS tamen LEGIBUS ADHUC UTEBANTUR; vel quæ Regibus concessæ fuerant.* Unde eam Augusti vel indulgentiam, vel moderationem, qua is in concedendo aut relinquendo haud uni populo vel civitati illo *autonomiæ* & libertatis jure, sit largiter usus, inter alia illius Principis collata in genus humanum beneficia, non omisit Philo, qui de eodem ait *l*: Οὗτος ὁ τὰς πόλεις ἁπάσας εἰς ΕΛΕΥΘΕΡΙΑΝ ἐξελόμενος, *hic civitates universas LIBERTATE donavit.* Unde mox de eodem Principe addit *m*: Ἤδεσαν αὐτοῦ τὴν ἐπιμέλειαν, καὶ ὅτι τὴν αὐτὴν ποιεῖται ΤΗΣ ΒΕΒΑΙΩΣΕΩΣ ΤΩΝ ΠΑΡ ΕΚΕΙΝΟΙΣ ΠΑΤΡΙΩΝ, ὅσην καὶ τῶν Ῥωμαϊκῶν. *norant ejus adtentionem, quo non minus esset sollicitus de CONFIRMANDIS SINGULORUM LEGIBUS, quam de Romanis curam gereret.* Quod utrumque in Augusto tangit similiter gravis & Consularis Auctor, de quo modo, Dio *n*: Ὁ δὲ δὴ ΑΥΓΟΥΣΤΟΣ τὸ μὲν ὑπήκοον κατὰ τὰ τῶν Ῥωμαίων ἔθη διῴκει, τὸ δὲ ΕΝΣΠΟΝΔΟΝ ΤΩ ΠΑΤΡΙΩ ΣΦΙΣΙ ΤΡΟΠΩ ΑΕΙ ΑΡΧΕΣΘΑΙ, οὐδ' ἠξίωσεν οὔτε ἐκείνῳ τι προσθέσθαι, οὔτε ἕτερόν τι προσκτήσασθαι, ἀλλ' ἀρκεῖσθαι τοῖς ὑπάρχουσιν ἐδικαίου. *Dum hæc Romæ fiunt, Augustus interim subjectos ex Romanarum legum præscripto composuit, FOEDERATOS autem UTI PERPETUO PATRIIS SUIS INSTITUTIS permisit: neque quidquam vel illis adimere, vel bello adquirere, sed plenissime contentos esse partis statuit.* Ita duo, etsi mutata Reipublicæ, quæ plane in unius arbitrium & potestatem tum concesserat, forma, manserunt in Orbe Romano regiminis genera: unum ergo τὸ ὑπήκοον, *subjectos* nempe ac provinciales, qui ex Præsidum Romanorum Edictis, iisque ferme ad Quiritium leges, qua de re jam ante, accommodatis regebantur: alterum vero τὸ ἔνσπονδον, *fœderatorum* seu sociorum, quibus in fidem populi Romani acceptis vel deditis, adde, aut bene cæteroquin de Principe ac populo Romano meritis, suis legibus patriisque institutis, sicut jam ante, ita deinceps uti permittebatur; aut illius etiam, quo antea caruerant, juris beneficium iis tum primum concedebatur. Ut nunc sileam de fœderatis itidem seu precariis Regnis, cujusmodi, præter nonnullos adhuc regulos seu quarundam urbium tyrannos, adhuc erant ea ætate, *Judæa*, *Syria Commagene*, *Armenia*, *Cappadocia*, *Ponti pars* ac *Bosporus Cimmerius*, *Thracia*, *Hiberia*, *Albania*, *Mauritania*: quæ uti & constitutæ sub eodem Augusto in Judæa *Ethnarchia* vel *Tetrarchia* (*Galatia* enim *Tetrarchias* cum *Lycaonia o*, post Regis Amyntæ mortem, in provinciæ formam redegerat idem Princeps) etsi majestatem ac amicitiam Cæsaris & Populi Romani comiter colere ac revereri tenerentur; certa etiam, prout id meruerant, aut *erant jam ante constituta*, ἐπὶ φόροις ἤδη τεταγμένοις, ut ea de re Appianus *p*, *tributa* persolvere: a jugo tamen Romanarum legum erant similiter libera, & quorum inde, in adductis prioribus Dionis verbis *q*, cum αὐτονόμοις in Orbe Romano populis fieri mentionem cernimus. Ipsius vero Augusti, in concedendo aut relinquendo variis gentibus vel civitatibus illo αὐτονομίας jure, benignitatis aut facilitatis illustria nobis exempla suppeditat idem Dio. Ita in rebus ab hoc Principe in Gallia, Germania, & Hispania compositis *r*, τήν τε ἐλευθερίαν καὶ τὴν πολιτείαν (quod postremum in priori Exercitatione jam adtigi-

a l. v. Sect. 22. *b* Onuphr. in Fastis. Grut. Thes. CCLV. 4
c cap. XIII. *d* ad Olymp CCXCIII.
e Bell. Alexandr. c. 78. *f* Bell. Civ. l. v. p. 673.
g l. XIII. p. 595. *h* Harduin. de Num. Urb. M. p. 474.

i l. v. Act. 22. *k* l. LIII. p. 504.
l Legat. ad Cajum p. 1013. *m* Ibidem p. 1014.
n l. LIV. p. 526. *o* Dio l. LIII. p. 514. Eutrop. l. VII. c. 20.
p Bell. Civ. l v p. 674. & 725. *q* l. LIII. p. 504.
r l. LIV. p. 538.

tigimus, & hic alioquin, pro utroque illo hujus vocis πολιτείας apud Græcos Auctores usu, de *proprio magistratus jure*, seu avita Reipubl. iis in locis forma posset intelligi) *libertatem*, quæ vulgo cum *antonomia* erat, ut antea diximus, conjuncta, & *civitatem* aliis dedisse, aliis vero ademisse tradit Dio: hoc est, prius quod adtinet, constituisse Augustum in iis gentibus civitates, alias quidem *liberas*; alias vero totidem *municipia* seu *oppida civium Romanorum*, ut hæc discrimina in describendis Galliæ & Hispaniæ, aliisque Romani Orbis populis ac oppidis, a Plinio passim tangi, supra vidimus. Ad quæ proinde Augusti tempora referri possunt, sicuti de *municipiis* ab eo constitutis ibidem egimus, plerique illi vel *liberi* apud Gallos *s*, quos idem Auctor enumerat, & paullo ante diximus, populi, *Nervii*, *Suessiones*, *Ulmanetes*, *Leuci*, *Treveri*, *Secusiani*; aut in ulteriori Hispania *t*, sex septemve *donata libertate*, ut ex eodem discimus, *oppida*. Quo spectare itidem videntur, donatæ suis legibus *Pamphyliæ* civitates, prius Amyntæ Galatarum Regi adtributæ; prout ejusdem Dionis *u* ea de re verba interpretatus est Xylander, τῷ ἰδίῳ νόμῳ ἀπεδόθη, *sua sunt libertati*, seu *suis legibus*, *restituta*: verum ubi, juxta Leunclavium non νόμῳ, sed νομῷ legendum, reddendaque proinde, ut ab eo factum, eadem verba, *sunt suæ præfecturæ adtributa*: & prout alterum illud, non unius numero, ἰδίῳ νόμῳ, sed ἰδίοις νόμοις, ab hoc Dione aliisque, qua de re jam ante, dici solet. Etsi illam Xylandri interpretationem, ac proinde, ut ibi apud Dionem νόμῳ legatur, non νομῷ, tueri posset; tum quod de Ægyptiacis ferme *præfecturis* vox ea νομὸς usurpari a Græcis Scriptoribus soleat, nisi quod νομὸν Βερεκύνθιον, *præfecturam Berecynthiam*, ac in Phrygia proinde, sitam, dixerit olim, sed ut ad eundem notamus, Ægyptiorum more, Cyrenæus & Alexandriæ in Ægypto agens Callimachus *x*: tum quod necdum inter Populi vel Augusti provincias eadem Pamphylia relata legatur apud hunc Dionem *y*, ubi earum paullo ante facta est ab illo mentio; nec apud Strabonem similiter *z*, ubi eandem provinciarum institutam ab Augusto divisionem tangit. Quum tamen alteram ejusdem apud Dionem loci lectionem, νομῷ nempe, non νόμῳ, & explicationem, adstruat omnino alius, ut observo, ejusdem Auctoris locus *a*, ubi Lyciis Claudius ademisse libertatem dicitur, καὶ ἐς τὸν τῆς Παμφυλίας νομὸν ἐσήγαγεν, ut bene ibi Xylander, & *Pamphyliæ adjecit*, seu *Pamphyliæ præfecturæ adtribuit*. Adde quod L. Piso *Pamphyliæ* sub eodem Augusto præfuisse, alibi ab eodem Dione *b* traditur. *Lycia* equidem, huic Pamphyliæ, ut modo diximus, conterminæ, iisdem Augusti temporibus, eam, qua pridem sub Romanis, quamque ei bello Mithridatico a Sulla restitutam ex Appiano supra vidimus, libertatem seu αὐτονομίαν adhuc adsertam, abunde docent Strabonis de iisdem *Lyciis* verba *c*: Εὐνομουμένοις αὐτοῖς, συνέβη παρὰ Ῥωμαίοις ΕΛΕΥΘΕΡΟΙΣ διατελέσαι, ΤΑ ΠΑΤΡΙΑ ΝΕΜΟΥΣΙ. *Iis ob rectam legum administrationem, contigit, ut sub Romanis LIBERI PERPETVO agerent, ac PATRIIS INSTITVTIS & terris fruerentur.* Ut mittam, quod eosdem Lycios *immunes a tributis* a M. Antonio, dum necdum ipse & Augustus bello dissiderent, relictos tradat Appianus *d*. In *Creta* vero, quam ante eandem a Metello subactam, perpetuam retinuisse libertatem, dixerat alibi Dio *e*, *Cydoniatis* & *Lappæis* (non, ut ibi legitur, *Lampæis*) ab Augusto restitutam, apud eundem legimus *f*. Nempe ut haud frustra omnino, non quidem ΕΛΕΥΘΕΡΑΣ vel ΑΥΤΟΝΟΜΟΥ, sed quod subinde iis conjungi in antiquis id genus locorum nummis solet, ΑΣΥΛΟΥ, *Sacri* seu *Inviolati Soli*, ut hanc vocem explicat alicubi Livius *g*, eidem *Lappæ* tribuat insignis ille, quem Romæ olim a me in cimeliis Reginæ Christinæ observatum pridem alibi indicavi *h*, nummus, ΑΣΥΛ. ΛΑΠΠΑΙΩΝ. Unde etiam, uti & ex altero præclaro itidem Domitiani in Regiis Gallorum thesauris nummo, cum eodem nomine ΛΑΠΠΑΙΩΝ, & ex alio insuper Dionis loco *i*, ubi is Λάππαν eandem vocat, verum illius urbis Creticæ nomen dudum adserui *k*, ac e Theophrasto *l* insuper videram, in quo Λαπαίῳ pro Λαππαίῳ legitur, & quod postremum monuisse eruditissimum Meursium in ejus Creta *m* nunc video. Adeo ut aut idem Meursius; aut juxta Stephanum, vel, qui illud in compendium malo fato redegit, Hermolaum, doctissimus Holstenius *n*, duplicem illius nominis scripturam admittere non debuerint: quod veteres utique ac indubiæ fidei ejusdem urbis nummi, & luculenta insuper apud Gruterum *o*, in eademque civitate reperta, ut ibi legitur, inscriptio, ΛΑΠΠΑΙΩΝ Η ΠΟΛΙΣ, præter adducta Theophrasti ac Dionis loca, abunde redarguunt. Unde etiam, uti in altero Dionis loco *p*, ita apud Polybium *q*, ubi is ejusdem urbis meminit Λαππαῖοι pro Λαμπαῖοι, levi utique ac obvio librarii, qui priscos codices jam insederat, errore, legendum liqueat. Quamquam forte adstrui inde posset, ni obstarent vetera illa & authentica ejusdem loci monumenta, duplex illa ejusdem urbis, Λάμπας nempe & Λάππας scriptura: quod Æolibus, ad quorum dialectum accedebat Cretensium, ut docent superstites etiamnum Fœderum *r* apud illos tabulæ, sermo, haud insolitum esset, quod de iis notant Grammatici, π in μ commutare. Sed hoc non tanti erat, ut eruendis hisce veris id genus urbium nominibus, ubi de summis earundem juribus ac immunitatibus agitur, nunc immoremur. *Patrensibus* vero, iisque solis Achæorum, datam ab Augusto libertatem, ac simul coloniæ jura, auctor est Pausanias *s*: quod postremum, præter Strabonem *t*, arguunt etiamnum veteres ejus sub Augusto nummi, a nobis pridem *u*, ac a præstantibus antiquariis, Seguino *x* ac nuper Vaillantio *y* descripti & vulgati: ac unde factum, ut eadem urbs *Patra*, Corinthi loco, Achajæ caput deinceps evaserit. Quomodo, ut id rursus a Dione dicitur *z*, aut in Ionia *Samiis*, quod tradit etiam in Chronico Eusebius *a*, in mercedem actæ apud eos hyemis, dum nempe Asiam, ut ex eodem Dione *b* constat, ordinaret Augustus, *libertas* est ab eo data: aut eadem *Cyzicenis c*, quod illi cives Romanos necassent, sed quam dein eis restituit, adempta: aut in *Caria*, de quibus paullo ante egimus, *Aphrodisienses*, & *Stratonicenses*, quod *Parthorum*, Labieno

s l. IV. sect. 31. 32. *t* l. III. sect. 3.
u l. LIV. p. 534. *x* Hym. in Dian. v. 246.
y l. LIII. p. 503. *z* l. XVII. pag. 840.
a Dio l. LX. p. 676. *b* l. LIV. pag. 545.
c l. XIV. pag. 665. *d* Bell. Civ. l. V. p. 675.
e l. XXXVI. p. 8. *f* l. LI. p. 443. *g* l. XLV.
h Diss. de Præst. Num. pag. 342. & 901.
i l. XXXVI. p. 8. *k* Diss. de Præst. Num. ut supra.
l H. Pl. l. II. c. 8. *m* pag. 41.

n Not. in Stephan. p. 186. *o* Thes. MXCI. 9.
p l. LI. pag. 443. *q* l. IV. pag. 319.
r Thes. Grut. DV. 2. Marm. Oxon. pag. 116. P. I.
s l. VIII. p. 431. *t* l. VIII. pag. 387.
u Diss. de Præst. Num. pag. 647.
x Select. Num. pag. 14. ult. edit.
y de Colon. Imper. T. I. pag. 58.
z l. LIV. pag. 527. *a* ad Olymp. CXC. 3.
b l. LIV. pag. 525. *c* Ibid. pag. 537.

nempe

nempe duce, *irruptionem*, *nihil mutata in populum Romanum constantia*, ut de utraque illa urbe Tacitus *d*, pertulissent (etsi id solis *Stratonicensibus* imputat Dio *e*, de utrisque vero sileat, qui ejusdem Labieni in Caria expeditionis meminit, ut hoc addam, Strabo *f*) Augusti decreto, cujus ibidem meminit Tacitus, libertatem, quam iisdem tribuit Plinius *g*, consecutos licet statuere. In *Cilicia* vero metropolim ejus Tarsum, post eam a Cassio, quod illa ab Antonii & Augusti partibus stetisset, direptam; & inde ea recuperata, ab eodem Antonino, juxta Appianum *h*, *liberam* denuo ac *immunem* redditam; ab Augusto dein iisdem adhuc & majoribus beneficiis cumulatam docet in secunda, non vero priore, juxta τὸν πάνυ Grotium *i*, Tarsensi alter seu Prusæensis Dio *k*: Ὑμῖν γὰρ, ἄνδρες ΤΑΡΣΕΙΣ, συμβέβηκε μὲν πρώτοις εἶναι τοῦ ἔθνους, οὐ μόνον τῷ μεγίστην ὑπάρχειν τὴν πόλιν τῶν ἐν τῇ Κιλικίᾳ, καὶ μητρόπολιν ἐξ ἀρχῆς, ἀλλ' ὅτι καὶ ΤΟΝ ΔΕΥΤΕΡΟΝ ΚΑΙΣΑΡΑ, ὑπὲρ πάντας ἔσχετε οἰκείως ὑμῖν διακείμενον. ac dein, ubi propius collata in eas ab Augusto beneficia tangit: Τοιγαροῦν, ὅσα τις ἂν φίλοις ὄντως καὶ συμμάχοις, καὶ τηλικαύτην προθυμίαν ἐπιδεδειγμένοις, ἀπόνως ὑμῖν παρέσχε, χώραν, ΝΟΜΟΥΣ, τιμὴν, ἐξουσίαν τοῦ ποταμοῦ, τῆς θαλάττης τῆς κατ' αὐτὴν, ὅθεν ταχὺ μείζων ἐγένετο ἡ πόλις, καὶ δὴ τὸ μὴ πολύν τινα χρόνον διελθεῖν, τὸν ἀπὸ τῆς ἁλώσεως. *Vobis enim, viri TARSENSES, obtigit, ut primi sitis in hac gente, non solum quod maximam omnium in Cilicia inhabitatis civitatem, & metropolim ab initio; verum etiam, quod SECVNDVM CÆSAREM super omnes optime habuistis erga vos adfectum.* mox: *Quapropter omnia, quæ quis amicis revera & sociis, & qui tam propensam exhibuere voluntatem, præstare posset, & ille vobis præstitit; agrum, LEGES, honorem, potestatemque fluminis & maris vicini, unde cito major effecta est civitas, licet ab ejus expugnatione haud ita longo intervallo.* In quibus prioribus Dionis hujus verbis id obiter liceț observare, *Tarsum* non *metropolim* solum Ciliciæ ab antiquo, sed *primam* etiam gentis ibidem dici: juxta distinctas quandoque Πρώτης & Μητροπόλεως in eadem provincia appellationes, diversaque earum jura: prout in Bithynia *Metropoleos* nomen Nicomediæ proprium, *Primæ* vero seu Πρώτης, commune illi cum Nicæa exstitisse, observat alibi, & quod viderunt *l* eruditi nummorum interpretes, idem aurei oris Dio. Unde etiam *Nicomedienses* in antiquis nummis utrumque sibi jus tribuunt, in quibus non solum ΜΗΤΡΟΠΟΛΙϹ ΠΡΩΤΗ ΒΕΙΘΥΝΙΑϹ ΝΕΙΚΟΜ. *Metropolis Prima Bithyniæ Nicomedia* dicitur, sed etiam *m* Η ΜΗΤΡΟΠΟΛΙϹ ΝΕΩ. ΚΑΙ ΠΡΩΤΗ ΠΟΝΤΟΥ ΚΑΙ ΒΕΙΘΥΝΙΑΣ. *Metropolis Neocoros Et Prima Ponti Et Bithyniæ.* *Nicæenses* vero in præclaro Domitiani nummo apud Tristanum *n*, ac in thesauris Gallorum Regiis, ubi eum vidimus, ΝΕΙΚΑΙΕΙΣ ΠΡΩΤΟΙ ΤΗΣ ΕΠΑΡΧΙΑΣ, *Nicæenses Primi Provinciæ.* Ut mittam ortas olim graves de illo gentis *Primatu*, seu περὶ Πρωτείων, inter nobiliores Asiæ Proconsularis urbes, *Ephesum*, *Pergamum*, *Smyrnam*, dissensiones, quas tangit alio loco idem Dio *o*, data vero opera Aristides *p*: quo *Primatu* autem non intelligi, juxta viros præstantes Tristanum *q* ac Harduinum *r*, fori prærogativam, seu quod vicina oppida eo disceptare foro tenerentur; sed *Primatum* sacrarum apud eos ædium, seu in publicorum sacrorum, festorumque vel agonum communium solemnibus, quod viderunt jam eruditi marmorum Oxoniensium enarratores *s*. Quod præter alia, quæ jam mitto, docebit insuper Philostratus *t* in disceptatione, quam tangit, Asiaticarum illarum urbium, jure sacrorum coram Imperatore Marco instituta: Νεῖκος ἦν Σμύρνῃ ὑπὲρ τῶν ναῶν, καὶ τῶν ἐπ' αὐτοῖς δικαίων, ξυνδίκου πεπεμμένου τοῦ Πολέμωνος. *De templorum eorumque juribus contendebat Smyrna, Polemone patrono ab eo designato.* dein, lecta Polemonis fato tum functi, quam pro Smyrnæorum jure scripserat, oratione, Imperatorem secundum illam orationem decrevisse *u*: καὶ ἀπῆλθεν ἡ Σμύρνα, ΤΑ ΠΡΩΤΕΙΑ νικῶσα. *imo recessit Smyrna, PRIMATVM adepta.* Quæ vero sequuntur Dionis de *Tarso* verba, & quæ huc potissimum spectant, contulisse nempe eidem urbi Augustum, χώραν, ΝΟΜΟΥΣ, τιμὴν, ἐξουσίαν τοῦ ποταμοῦ καὶ τῆς θαλάσσης τῆς κατ' αὐτὴν, *agrum, LEGES, honorem, potestatem maris & fluminis vicini*; ea male utique accepit in Sacris Exercitationibus *x* vir magnus: ubi ad Tarsensis Pauli, se, qui civis Romanus esset, præter jura & leges flagellatum querentis verba, eadem adducit & explicat, ut nihil in iis, quod illibenter dicimus, viderit: χώραν nempe, *agrum liberum ac communem*; νόμους, *leges, quæ de libertate municipiis conferri solita*, ac unde, quod jam ibi adtigerat, municipium evaserit Tarsus; τιμὴν, *honorem*, hoc est, ipsum *civitatis* Romanæ *jus*. Quæ utique quantum abeant a rei veritate, seu a Tarsensium conditione, qui nec *municipes* fuerint vel *cives Romani*, in priori Exercitatione, ubi de Tarsensi Paulo, eoque cive Romano agebatur, jam vidimus: addo nunc, quæ a Dionis ea de re verbis, veterumque Auctorum, ubi de his agunt juribus, valde sunt aliena. Iis enim verbis, quibus Tarsensibus concessisse dicitur Augustus, χώραν, νόμους, τιμὴν, nihil aliud, & quod alioquin erat obvium, intelligitur, quam quod iis *agrum*, urbi nempe vicinum, *suas leges & proprios magistratus*, quibus iidem, non vero Romanis Præsidibus parerent, αὐτονομίαν proinde ac αὐτοδικίαν, seu πολιτείαν, ut loquuntur Græci, reliquerit. Quod enim hi vulgo vel ἰδίους, vel οἰκείους, vel πατρίους νόμους, ut supra vidimus, vel αὐτονομίαν passim vocant; id una etiam νόμων voce, quibus *jus suarum legum* relictum intelligitur, subinde solent, ut hic quoque Dio, designare. Ita Carthaginiensibus, confecto secundo bello Punico, in pacis cum iis initæ legibus, dicuntur apud Polybium Romani *y*, ἐλευθερίαν, καὶ ΤΟΥΣ ΝΟΜΟΥΣ. ἔτι δὲ τὴν χώραν ἅπασαν *concessisse*. hoc est, interprete, quod supra jam vidimus, Livio *z*, *ut liberi, LEGIBVS SVIS viverent, quas urbes, quosve AGROS &c. tenuissent, tenerent.* Per τιμὴν vero, id quod ea in re πολιτεία, aut τὸ πάτριον πολίτευμα, vel proprius nempe magistratus, seu pristina Reipublicæ forma, ac inde a jurisdictione Romani Præsidis immunitas, a Polybio, Diodoro, utroque Dione Prusæensi & Cocccjano, aliisque Græcis Auctoribus dici consuevit. Ut proinde id *Tarsensibus*, ob insignem eorum in suas partes fidem, & atrocem, in quam inde iidem inciderant, calamitatem, indulsisse dicatur iis verbis Augustus, χώραν nempe, νόμους, τιμὴν: quomodo victo eorum Rege Perseo, Romani liberos esse jubent

d Annal. III. cap. 62. *e* l. XLVIII. pag. 373.
f l. XIV. pag. 660. *g* l. V. sect. 29.
h Bell. Civ. lib. V. pag. 575.
i Annotat. ad Act. Apost. XXII. vers. 25.
k Orat. XXXIV. pag. 415. *l* Tristan. T. I. p. 334.
m in Cimeliarchio Regis Galliarum, & Thes. Patin. p. 185.
n T. I. pag. 334. *o* Orat. XXXIV. pag. 427.
p Orat. de Concord. pag. 302. T. II. *q* T. III. p. 28.
r de Num. Ort. M. pag. 167. & 346.
s in Not. pag. 68. *t* de Vit. Soph. l. II. pag. 538.
u Ibid. pag. 539. *x* Dan. Heinsius ad Act. XXII. v. 25.
y Excerpt. Legat. XCIII. p. 925. *z* l. XXX. c. 37.

Mace-

Macedonas, habentes urbes easdem *a agrosque, utentes legibus suis, annuos creantes magistratus*, seu χώραν, ut hic, νόμους, & τιμὰς, ac prout duo postrema quod adtinet, id *b* πολιτεύειν αὐτονόμους, vel *c* ἐν αὐτονομίᾳ πολιτεύεσθαι dicunt iidem Græci; & quomodo adhuc sub Trajano in hac Tarsica, quamque apud eosdem Tarsenses habuit Dio *d*, eorum πολιτείας, & πολιτεύεσθαι, ac τῶν πολιτευόντων apud eos, seu eorum *Respublica*, & qui eam *administrarent*, illiusque, qui per sex menses supremum apud eos *Prytanis* (de quo nos alibi) magistratum gereret; cum etiam ἐκκλησίας seu *conciones*, more liberarum & αὐτονόμων urbium, apud eos habitæ, meminit hic oris aurei Orator. Quo itidem utroque suarum legum & proprii magistratus, νόμων καὶ τιμῶν, jure, *libera* a Plinio *e* dicitur, eadem *Tarsus*: immo prout in insigni & antiquo illius urbis nummo, qui est in Regis Gallorum thesauris, nunc vero in eleganti eximii Morelli nostri *f* Specimine prostat, cum publici seu *communis* illius urbis *concilii*, tum ejusdem *libertatis* memoria est sub Antonino Caracalla consignata, & singulari quidem, nec alibi facile obvia, uti arbitror, voce, ΚΟΙΝΟΒΟΥΛΙΟΝ ΕΛΕΥΘ. ΤΑΡΣ. seu Ἐλευθέρας Ταρσοῦ, *Commune Concilii Liberæ Tarsi*. Quomodo, ut alia nunc mittam, qui eam singularem illius rarissimi nummi ὑπογραφὴν haud parum illustrat, ac inde etiam illustratur, de iisdem Tarsensibus dicit, rursus idem Dio *g*: Νὴ Δία, ἀλλὰ νῦν ὡμολογήκαμεν, καὶ ΚΟΙΝΗ ΒΟΥΛΕΥΟΜΕΘΑ, *ac per Jovem nunc consensimus, & IN COMMUNE CONSULTAMUS*: & prout cæteroquin συμβούλιον, de communibus gentis consiliis seu deliberationibus adhibet passim Polybius *h*: aut cæteroquin ΚΟΙΝΟΝ ΚΙΛΙΚΙΑΣ ΤΑΡΣΟΥ ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ, *Commune Ciliciæ Tarsi Metropoleos*, occurrit haud semel in antiquis ejusdem urbis nummis. Per *fluminis* autem & *maris viciniæ jus* seu *potestatem*, quam iisdem Tarsensibus ab Augusto insuper tributam docet in adductis antea ejus verbis Dio; dominium quoddam seu proprietatem, cum in Cydnum fluvium, qui Tarsum, ut ait Plinius *i*, secabat; ac in maris partem urbi proximam, denotari satis, ut opinor, liquet: idque cum eo jure, quo Romani Cæsares, se maris non minus, quam terræ dominos venditabant, prout alter Dio *k* seu Coccejanus, θάλασσαν τὴν Ῥωμαίων πᾶσαν, *mare omne Romanorum* dixit: tum quod *flumina* etsi *publica l*, aut *mare commune* dicantur in civili Romanorum jure, dominium tamen seu proprietas in eadem flumina, in loca quæ iisdem adluuntur, aut in proximam maris partem, usurpata jam olim a variis populis vel civitatibus, aut iis concessa leguntur; & qua de re, neque enim id jam agimus, consuli possunt præclari juris gentium aut maritimi Scriptores, ac præ aliis, quem nec hic Dionis locus ibi fugit *m*, ὁ πάνυ Grotius. Qua ratione autem, ut hoc addam, Tarsensibus, cum a *portus n*, ut ab Ulpiano dicitur, *vectigali*; quod exigebant publicani; tum ab adluvionibus, unde accrescebat *tributorum*, quod e Romanorum *o* legibus itidem constat, *præstatio*, immunitas concedebatur: immo quibus earum rerum, portorii nempe & adluvionum, propria iis vel exactio vel possessio adserebatur: tum jus piscandi in iisdem fluminis vel maris partibus; ac præterea vicinorum illis pascuorum usus, propria itidem reddebantur. Quum alioquin hic Dio Prusæensis in eadem Tarsica *p*, disceptationem tangat inter Tarsenses & vicinos iis Mallotas ortam, *de pascuis ad littus seu ad paludem*, αἱ μὲν ὑπὲρ θῖνος καὶ πρὸς τῇ λίμνῃ χωρίων, quorum usum sibi utrique vindicabant. Sed de hisce *Tarsensibus*, concessisque ab Augusto juribus vel immunitatibus ac insigni eam in rem Bithyni Oratoris loco hactenus. De *Judæis* vero id præteriri hic non debet, quod de splendida eorum ad Augustum legatione, περὶ τῆς τοῦ ἔθνους αὐτονομίας, *de jure suarum legum in ea gente* missa, tradit haud uno loco Josephus *q*; utque sub Romano Præside potius, quam sub Rege Archelao, illius αὐτονομίας jure fruerentur. Quod cæteroquin beneficium, cum Judæis Romæ degentibus, tum in Judæa, & in iis, ubi agebant, urbibus & provinciis, ab eodem Augusto constanter adsertum, pluribus tangit in legatione ad Cajum Imperatorem Philo *r*. Quomodo id jus patriarum legum & gentis rituum, eidem quoque a Tiberio conservatum tradit idem Auctor, & quidem quasi agnoscente Tiberio, Judæorum νόμιμα, ὡς ἀλεξίφορα πρὸς εὐστάθειαν, *leges velut conferentes ad tranquillitatem publicam*. A quo cæteroquin Tiberio *f Syriæ & Græciæ Principes confiscatos*; tum *t plurimis etiam civitatibus & privatis immunitates ademptas*, meminit in ejus vita Suetonius: qui & jam ante Tiberium, *Cyzicenis* in cives Romanos violentius quædam ausis, ac, ut addit Dio *u*, quod iidem inchoatum Augusti Herois; seu Divi fanum non perfecissent, ademisse denuo libertatem dixerat. Ita *Syri Commagenem*, ad *jus Prætoris*, ut ait Tacitus *x*, ab eodem Tiberio *translati*, seu ut ait illius ævi Scriptor Strabo *y*, in provinciæ formam redacta, quæ Antiocho Regi tum parebat, *Commagene*. Ab ejus autem successore *Caligula* idem *Commagenes* regnum huic Antiocho restitutum, cum a Suetonio *z*, tum a Dione *a*, in hujus Caji rebus traditur; ab hoc autem in Claudio *b*, quod eruditos ibi Tranquilli interpretes fugit, illud eidem Antiocho a Cajo denuo ademptum, a Claudio vero redditum (ut, quam varia regni illius aut Regis, sub tribus continuis Romanis Principibus, sors fuerit, inde liqueat) traditur: Τῷ δὲ Ἀντιόχῳ τὴν Κομμαγηνὴν ἀπέδωκεν· ὁ γὰρ Γάϊος, καίπερ αὐτὸς δοὺς, αὐτὴν ἀφῄρητο. *Antiocho enim Commagenen restituit: ipse enim, qui eam reddiderat, Cajus, eandem mox ademit*. Id nempe pro naturali illius Principis inæqualitate & inconstantia, qui, ut de eodem ait in sua id illum legatione Philo *c*, *si quid boni fecisset, mox irritum & infectum cuperet, majore cum damno & noxa*. ac ut addit, *vinctos solveret aliquos, mox nihil commeritos, vinciret denuo*. εἰ καί τι χρηστὸν εἰργάσατο, μετανοοῦντα ὕστερον, καὶ τρόπον τινά. εἰ δ' ἦν καὶ τοῦτο λυθῆναι ζητοῦντα; μετὰ μείζονος ζημίας καὶ βλάβης· οἷα δή τι λέγω δεσμώτας ἐλευθερώσας, ἐκ' ὑπαρχῆς προσθεὶς πάλιν δεσμόν. Etsi ab eodem Cajo data quibusdam vel nova, vel avita regna (quæ proinde a Romanorum legibus essent adhuc vel manerent libera) tradit Dio *d* nempe Soæmo, *Arabum Ituræorum* regnum; Cotyi, *Armeniam minorem*, ac nonnullas *Arabiæ* partes; Rhymetalci, Cotyos ditionem, seu *Thraciam*;

a Liv. l. XLV. c. 29. *b* Plutarch. in Alexand. p. 685.
c Pausan. l. IV. p. 287. *d* Orat. XXXIV. p. 423. 424.
e l. V. sect. 22. *f* Tabula IV.
g Orat. XXXIV. pag. 458.
h l. I. pag. 3. l. II. pag. 126. 134. &c.
i l. V. sect. 27. *k* l. XLII.
l Inst. de Rer. Divis. §. 1. 2. & l. 1. §. 2. D. de Flum. Public.
m de Jur. Bell. & Pac. l. II. cap. 131. num. 13. & in Annotat.

n L. XVII. §. 1. D. de V. S.
o l. 11. Cod. Just. de Alluvion.
p Orat. XXXIV. pag. 426.
q Antiq. l. XVII. cap. 12. B. Jud. l. II. cap. I. & 4.
r pag. 1014. 1015. *f* in Tiber. cap. 49.
t Ibid. cap. 37. *u* l. LVII. pag. 619.
x Annal. II. cap. 56. *y* l. XVI. pag. 749.
z in Caligula, cap. 16. *a* l. LIV. pag. 645.
b Dio l. LX. pag. 670. *c* pag. 1039.
d l. LV. pag. 649.

Po-

Polemoni vero Polemonis filio, paternum *Ponti*, nempe *Polemoniaci*, regnum: & cujus parentis Polemonis pulcherrimum cum Augusti effigie in altera ejus parte nummum, cum in thesauris Gallorum Regis, prout pridem *e* facta est a me ejus mentio, tum Coloniæ Agrippinæ in privato & præclaris id genus cimeliis instructo museo videre mihi contigit. A Claudio vero, eidem Polemoni filio, data ejus loco Ciliciæ parte, ademptum paternum illud Ponti regnum, quod Mithridati e magni Mithridatis posteris est ab eo impertitum, e Dione *f* rursus discimus. *Commagene* autem, ut modo vidimus, Antiocho *g* est ab eodem Claudio restituta: sicut reddita *Rhodiis*, & deprecante quidem Nerone, quam iis paullo ante ob Romanos *h* in crucem actos ademerat idem Princeps, *libertas*: uti *i Iliensibus*, pro iis orante itidem Nerone, tanquam Romanæ gentis auctoribus, ab omni onere immunitas est ab eodem Claudio concessa. Verum *Lyciis k*, etsi sub Romanorum imperio, quod supra e Strabone vidimus, hactenus *αὐτονόμοις*, eadem libertas, quod intestinis & exitialibus dissensionibus, ac ad cædem usque Romanorum, iidem conflictarentur, est a Claudio *l* adempta; iique in provinciæ formam, sublato proinde communi illo gentis, quo eadem, juxta Strabonem *m*, ac veterum Achæorum instar regebatur, concilio, redacti, & Pamphyliæ adtributi. Quam proinde ab hujus Claudii temporibus communem *Lyciæ* & *Pamphyliæ* sub uno Romano Præside administrationem, adstruunt etiamnum antiqui lapides, inscripti *n*, PORCIO PROCOS. LYCIÆ PAMPHYLIÆ, ac alia similiter *o*, sed ubi Præsidis nomen non comparet; & prout Constantini adhuc ævo, lex ab eodem & Licinio legitur in Codice Theodosiano *p ad Eusebium Præsidem Lyciæ & Pamphyliæ*. Quum alioquin apud Tacitum, *Galatiam q* (non vero *Lyciam*) *ac Pamphyliam provincias*, uni *Calpurnio Asprenati regendas Galba permisisse* dicatur; ac quod Vespasianus demum in provinciæ formam redegerit *Lyciam*, Suetonius, aliique, & qua de re mox, prodiderint. A *Nerone* autem *Rhodios* ac *Ilienses* sub Claudio *liberos* & *immunes* ab eo adsertos, modo vidimus: cujus autem beneficii fidem adhuc faciunt percussi veteres *Rhodiorum* nummi, qualem alibi e Gaza Medicea protulimus *r*; qui hinc Neronis caput sub radiati Solis, tutelaris eorum numinis, effigie; illinc Victoriam cum palma & laurea proræ navis insistentem exhibet, cum inscriptione, ΕΛΕΥΘ. ΡΟΔΙΩΝ, *Liberorum Rhodiorum*; & quo referri potest similis eorundem nummus in Cimeliarchio Gallorum Regio, cum adscripto Neronis nomine, ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ. ΝΕΡΩ. ΚΑΙΣΑΡ. *Imperator Nero Cæsar*. Verum ab eodem Nerone, beneficio adhuc latius patente, donatam libertate universam *Achajam*, quam solis in ea *Patrensibus* concesserat, ut paullo ante vidimus, Augustus, præter Suetonium *s* ac Dionem *t*, docent præterea Plinius *u*, Pausanias *x*, Philostratus *y*, & quo respexit similiter, ut hoc addam, Andromachus Medicus, in iis ad Neronem de Theriaca versibus, quos in primo de Antidotis *z* libro adtulit Galenus:

> *Καῖσαρ, ἀδειμάντου δώτωρ* ΕΛΕΥΘΕΡΙΗΣ.
> *Cæsar, securæ dator LIBERTATIS.*

e Diss. de Prost. Num. p. 830. *f* l. LX. p. 670.
g Sueton. in Claud. c. 25. *h* l. LX. p. 681.
i Sueton. in Claud. cap. 25.
k Sueton. Ibid. Tacit. Annal. XII. cap. 58.
l Dio l. LV. pag. 676. *m* l. XIV. pag. 664.
n Grut. Thes. CCCCLVIII. 6. *o* Ibid. CCCCXCI. 12.
p Leg. II. C. Th. de Censu. *q* Hist. l. II. c. 9.
r Diss. Præst. Num. p. 784. *s* in Nerone c. 24.

Unde *Achajæ* loco, quæ proconsularis tum erat populi Romani provincia, *Sardiniam*, quæ nempe a Legato Cæsaris regeretur, populo, ne quid inde ei decederet, a Nerone concessam tradit *Pausanias a*. Quam tamen *Sardiniam* in prima provinciarum ab Augusto instituta divisione, non Cæsari, sed Populo cessisse, e Strabone *b* ac Dione *c*, qui eandem memorant, liquet. Verum quam Populi & Cæsaris provinciarum, ut hic *Achajæ* loco *Sardiniæ* permutationem, sæpe pro ratione temporum, aut ad lubitum Imperatorum, & jam ab Augusto, quod ex Dione *d* discimus, cœptam, cum e priscis, qui illam subinde tangunt, Romanarum rerum Scriptoribus, tum ex antiquis lapidum ac nummorum monumentis, & qua de re nos alibi, licet percipere.

XVI. Verum haud diuturna exstitit eadem *Achæorum* libertas: dum post translatum a domus Juliæ vel natura vel adoptione Cæsaribus, ad alias Romanas gentes imperium, mox a *Vespasiano* jus illud est eisdem Achæis, uti aliis insuper populis, ademptum. Quod præter Suetonium *e*, Eusebium in Chronico *f*, Orosium *g*, tradunt, ut viderunt ad Tranquillum viri docti, Philostratus *h*, ac addita etiam sublatæ illius libertatis caussa vel *προφάσει* Pausanias *i*. Cujus etiam Pausaniæ ea de re locum, quem jam ad Suetonium opportune nuper adtulit eruditissimus Pitiscus, hic, quod inde liqueat, quibus juribus exciderint tum iidem Græci, subjicere haud erit inconsultum: *Οὐ μὴν Ἕλλησί γε ἐξεγένετο ὄνασθαι τοῦ δώρου.* ΟΥΕΣΠΑΣΙΑΝΟΥ *γὰρ μετὰ Νέρωνα ἄρξαντος, ἐς ἐμφύλιον στάσιν προήχθησαν, καὶ σφᾶς ὑποτελεῖς τε αὖθις ὁ Οὐεσπασιανὸς εἶναι φόρων, καὶ ἀκούειν ἐκέλευσεν ἡγεμόνος· ἀπομεμαθηκέναι φάσας* ΤΗΝ ΕΛΕΥΘΕΡΙΑΝ ΤΟ ΕΛΛΗΝΙΚΟΝ. *Verum equidem haud diu Græcis eo beneficio frui licuit: nam cum imperium post Neronem obtineret VESPASIANVS, is Græcos, qui in domesticam seditionem inciderant, tributa rursus persolvere, & Romano Præsidi parere jussit: quum diceret, LIBERTATE VTI GRÆCOS jam dedidicisse.* E quibus proinde verbis docemur, cum immunitatem a tributis, tum patrium, qui iis jura redderet, magistratum, ac proinde suarum legum, quibus Græci uterentur, beneficium, & in quibus data iis a Nerone libertas fuerat sita, seu ut eadem jura liberarum urbium, vel gentium dici a Græcis solent, cum *φόρων ἀτέλειαν*, tum *πολιτείας* vel *αὐτοδικίας*, ac simul *αὐτονομίας*, fuisse iisdem a Vespasiano, quod iis bonis uti amplius iidem nescirent, adempta. Quibus tamen adversatur, quod prodidit ea de re Philostratus *k*: reddita nempe Græcis a Nerone libertate, eorum civitates ad pristinos mores ac instituta (ac proinde tum denuo *αὐτονόμους*) revertentes, inde in summa egisse & floruisse concordia. Vespasianum vero, post suum in Græciam adventum, captato seditionum aliorumve obtentu, eandem libertatem immerentibus illis Græciæ populis ademisse. Qua de caussa Vespasianum, etsi ab eo arcessitus, adire noluerit Apollonius; & qui etiam tribus, quæ ibidem apud Lemnium Sophistam leguntur, ad hunc Principem litterulis, hoc illi redactæ ab eo in servitutem Græciæ factum exprobarit. Quæ libertas autem an iisdem Græcis, sicut nonnullis visum, fuerit a Domitiano restituta; & an, eadem a Vespasiano sublata, nullæ liberæ remanserint in eadem gente civitates, mox videbitur.

t l. LXIII. pag. 720. *u* l. IV. c. 6. *x* l. VII. c. 428.
y Vit. Apoll. l. V. cap. 14. *z* cap. 6.
a l. VII. pag. 428. *b* l. XVII. pag. 840.
c l. LIII. pag. 503.
d l. LIII. pag. 504. & l. LIV. pag. 521.
e in Vespas. c. 8. *f* ad Olympiad. CCXIII. 2.
g l. VII. cap. 9. *h* Vit. Apoll. l. V. cap. 14.
i l. VII. pag. 429. *k* Vit. Apoll. l. V. c. 14.

Neque

Neque vero *Graciam* solum seu *Achajam*, sed *Lyciam* præterea, *Rhodum*, *Byzantium*, *Samum*, *Tracheam* insuper (ut omnino apud Tranquillum *l* legi debet, non *Thraciam*) *Ciliciam*, *Commagenem*; quæ partim liberæ erant, partim Regiæ adhuc ditionis sicut *Commagene*, in provinciæ formam, seu quod Græci una ἐπαρχίαν voce, ubi ea de re agunt, solent efferre, ab eodem Vespasiano redactas, docent iidem memorati paullo ante Auctores, Suetonius *m*, Eusebius *n*, Orosius *o*. Etsi illius *Commagenis regni*, ut Ammianus *p* de ea loquitur, *clarissimam sedem Samosatam*, illius provinciæ *Metropolim* a Vespasiano tum constitutam, ac ΑΥΤΟΝΟΜΟΝ insuper declaratam, seu cum suarum legum libertate, & addito eidem ΦΛΑ. seu FLAVIÆ cognomine, doceant insignes illius urbis, & de quibus paullo post dicetur, nummi, qui etiamnum in præclaris Cimeliarchiis prostant: licet ii sub aliis dein Cæsaribus sint percussi, Hadriano, Pio, Marco, Severo, Caracalla, Philippo. Immo unde, & quod ibidem tangetur, nunc etiam constat, e concessa illa eidem urbi a Vespasiano αὐτονομίᾳ, æram suam, more aliarum Syriæ, Phœniciæ ac Palæstinæ, de quo jam ante, urbium, deinceps computasse *Samosatenses*. De qua autem Pauli Samosateni patria dum ait Epiphanius *q*, ἀπὸ Σαμοσάτων ὢν ἐπὶ τὰ μέρη τῆς Μεσοποταμίας, hæc ita vertit, ut se ἀγεώγραφον ibi prodat doctissimus Petavius, *Samosatis Mesopotamia ad Euphratem*: quasi nempe hæc urbs trans Euphratem ac in Mesopotamia, non vero cis hunc fluvium, & in Syria *Commagene* seu *Euphratensi* dein, vel juxta Victorem in Epitome *r*, *Augustophratensi* sua ætate dicta, foret sita: ac unde ait alicubi Ammianus *s*, *Nos disposuimus properare SAMOSATA, ut SVPERATO EXINDE FLVMINE, pontiumque apud Zeugma & Capertana junAcuris abscissis* &c. Quæ proinde Epiphanii verba vertenda tantum ad verbum fuerant, *erat Samosatis ortus, ad partes Mesopotamia*, quæ nempe solo fluvio intermedio ab ea urbe sejuncta. *Lyciam* vero quod adtinet, id jam sub Claudio contigisse, ut eadem Pamphyliæ adtributa in provinciam Romanorum cesserit, paullo ante vidimus; adeo ut vel ab ipso Claudio, uti de vicinis Lyciorum genti *Rhodiis* ab eo, aut de *Cyzicenis* ab Augusto factum diximus, vel a Nerone, in libertatem denuo adserti fuerint iidem *Lycii*; & quam iis postea ademerit Vespasianus. *Rhodum* vero vel *Samum* quod spectat, quibus libertatem itidem ab illo Principe ereptam, memorati Auctores tradunt, ac præter eos insuper de *Rhodo* Sex. Rufus *t*; id post conditum a Plinio naturalis historiæ opus, qui utramque illam insulam *u liberam* vocat, & uno verbo moneri ibi ab eruditis ejus Enarratoribus debuit, contigisse, licet statuere. Quod de *Achaja* similiter dicendum est; cui *libertatis* a Nerone datæ, non vero ab hoc Vespasiano ademptæ, idem Plinius *x* alibi meminit. Quibus autem Vespasiani actis addi debet illud, quod tangit paucis post verbis Suetonius *y*: nempe quo restitutis, quæ in Capitolii incendio conflagraverant, & quidem undique investigatis exemplaribus, tabulis, *confecit instrumentum imperii pulcherrimum ac vetustissimum, quo continebantur jura ab exordio Urbis, senatusconsulta, plebiscita, de societate & fœdere, ac privilegio cuicunque concessis*: ac proinde de iis quoque libertatis ac αὐτονομίας juribus ac privilegiis, quæ variis Romani Orbis gentibus vel civitatibus fuerint subinde, libera adhuc Urbe, aut sub priorum Cæsarum imperio, ex fœdere, aut aliunde permissa. Quomodo a Goltzio referri *Ephesiorum* nummum sub Vespasiano percussum, supra indicavimus, inscriptum ΕΦΕΣΙΩΝ ΠΡΩΤΩΝ ΑΣΙΑΣ ΤΗΣ ΙΕΡΑΣ ΚΑΙ ΑΥΤΟΝΟΜΟΥ, *Ephesiorum Primorum Asia Sacra Et Suis Legibus*. Cui geminus apud eundem & sub eodem Principe nummus legitur *Hyperesia*, urbis Achajæ, cujus ab Homero *z* jam olim, præter Geographos, Strabonem *a*, Stephanum *b*, & priscos Poetarum Græcorum interpretes *c*, facta occurrit mentio, cum simili inscriptione, ΥΠΗΡΕΣΙΕΩΝ ΤΗΣ ΙΕΡΑΣ ΚΑΙ ΑΥΤΟΝΟΜΟΥ, *Hyperesiorum Sacra Et Suis Legibus*. E quibus autem nummis, modo indubia sit illorum fides, utramque hanc urbem, inter liberas, & quæ suis legibus uterentur, Asiæ & Achajæ civitates, de quibus mox dicetur, referendam quivis videt. Ab hujus vero Vespasiani filio *Domitiano*, libertatem *Achaja*, aut immunitatem a tributis restitutam, inde colligit in eximio opere nuper edito *d* vir veterum nummorum intelligentissimus, ac de præclaris illis antiquitatis studiis insigniter meritus: quod nempe nulli hactenus occurrant cusi sub Vespasiano ac Tito *Corinthiorum* nummi, qui sub Domitiano haud pauci adhuc prostant. Quæ tamen conjectura inde statui potest invalida, quod præter Auctorum veterum, & eorum quidem infra Domitiani ævum, uti Pausaniæ & Philostrati, qui libertatis Græciæ a Vespasiano ademptæ meminerunt; de eadem autem a Domitiano restituta omnino tacent, silentium; præter id, inquam, non eadem foret horum *Corinthiorum*, uti nec *Patrensium*, quæ reliquarum Achajæ urbium, ratio. Erat enim utraque illa civitas, quod vel ex veteri earundem, & in illo luculento viri præstantis opere conspicua penu, constat, Romana colonia: quæ consuetis proinde coloniarum juribus ac immunitatibus gauderent, quacunque tandem agerent aliæ ejusdem provinciæ civitates conditione. Quamquam mox sub *Trajano*, liberas adhuc fuisse plures Achajæ urbes, idque jus iis ab antiquo, ac proinde etsi mutata subinde fuerit illius provinciæ seu reliquarum in eadem civitatum administratio, adsertum, docet junior Plinius ea epistola *e*, qua Maximum missum ad ordinandas liberas Græciæ seu Achajæ civitates, adloquitur, easdemque illi commendat: *Cogita te missum in provinciam ACHAJAM, illam veram & meram GRÆCIAM, in qua primum humanitas, littera etiam, fruges, inventa esse creduntur: missum AD ORDINANDVM STATVM LIBERARVM CIVITATVM, id est, ad homines MAXIME LIBEROS, qui jus a natura datum, virtute, meritis, AMICITIA, FOEDERE denique, & religione TENVERVNT.* mox: *Nihil ex cujusquam dignitate, nihil ex LIBERTATE, nihil etiam ex petitione decerpseris.* dein, ubi officii delatique muneris cum admonet: *Te vero etiam atque etiam (repetam enim) meminisse oportet officii tui TITVLVM, ac tibi ipsi interpretari, quale quantumque sit, ORDINARE STATVM LIBERARVM CIVITATVM. Nam quid ordinatione civilius? quid LIBERTATE pretiosius?* In quarum autem *liberarum* in Græcia *urbium* numerum *Athenienses* & *Lacedæmonios* refert ibidem Plinius: *Habe ante oculos &c. ATHENAS esse, quas adeas: LACEDÆMONEM esse, quam regas, quibus reliquam umbram & residuum LIBERTATIS NOMEN eripere, durum, ferum, barbarumque est.* E quibus utique abunde,

l in Vespasian. cap. 8. *m* in Vespas. cap. 8.
n ad Olympiad. CCXIII. 1. *o* l. VII. cap. 9.
p l. XVII. cap. 4. *q* adv. Hæres. XLV. pag. 607.
r in Reipublico. *s* l. XVIII. cap. 8.
t in Breviario. *u* l. V. sect. 36. 37.

x l. IV. sect. 10. *y* in Vespasin. cap. 8.
z Ibid. B. v. 573. *a* l. VIII. pag. 383.
b in Ὑπερησία. *c* Schol. Apoll Rhod. l. I. v. 3.
d Vaillant. de Colon. Imper. T. I. p. 199.
e l. VIII. Epist. 24.

ut opinor, liquet: Primo, non universæ *Graciæ* vel *Achaja*, seu singulis ejus civitatibus, ademptam a Vespasiano *libertatem*; sed illam, eo, qui in aliis etiam Romanis provinciis (ut vel ex iis, quæ hactenus sunt a nobis observata, de variis *Siciliæ*, *Syria*, *Asiæ Proconsularis*, *Ciliciæ*, *Galliæ*, etiam & *Hispaniæ liberis* itidem *urbibus* constare potest) obtinuit more, iis Græcanicis itidem civitatibus, quæ ea jam ab antiquo fruebantur, tum relictam. Secundo, ad easdem *liberas urbes ordinandas*, & tanquam Romani in eadem provincia Rectoris jurisdictioni exemptas, extra ordinem subinde a Romanis missos, qui illas, idque citra imminutæ libertatis jura, constituerent ac regerent. Quomodo etiam Herodes Atticus, sub Hadriano præfuisse liberæ Asiæ civitatibus, uti id jam ante obiter adtigi, & qua de re mox adhuc videbitur, a Philostrato dicitur: ac unde adductus Plinii locus de Maximo misso similiter *ad ordinandum statum liberarum* Achajæ *civitatum*, easque *regendas*, haud parum illustratur. Tertio in eo *liberarum* Achajæ *civitatum* censu, ob pristinam urbium celebritatem, quendam olim in Græcia principatum; eamque, qua illæ ab antiquo fruebantur, ut jam antea e Cicerone, Cæsare, Pausania, Appiano, vidimus, & e majore Plinio, qui *liberas* easdem vocat, præterea liquet, *libertatem* ac αὐτονομίαν, *Athenas* nempe & *Lacedæmona*, commendari potissimum ab altero Plinio, & quarum in primis rationem a Maximo ad eas regendas misso haberi velit. Quibus accedit eadem hujus Plinii ætate, & Trajani itidem familiaris, Dio Prusæensis *f*, a quo *Atheniensium* itidem & *Lacedæmoniorum*, præter *Byzantios* & *Mytilenæos*, qui libertate, seu ea, quam ait Plinius, *libertatis umbra* adhuc gauderent, fit mentio. Quum enim earundem, quas dixi civitatum, earumve in erigendis statuis studii, & sumptuum eam in rem impensorum, in Rhodiaca meminisset, quendam Rhodium se audivisse dicentem addit, οὐχ ὅμοια τὰ ἐκείνων καὶ τὰ ὑμέτερα. τοῖς μὲν γὰρ μόνον ὑπάρχειν ΤΗΝ ΕΛΕΥΘΕΡΙΑΝ, δίχα ΑΘΗΝΑΙΩΝ. καὶ τούτοις δὲ μηδὲν μέγα κεκτῆσθαι· τὴν δὲ ὑμετέραν πόλιν ἐπίφθονον εἶναι παρὰ πᾶσιν, ὡς ἄριστα πράττουσαν. *non pares esse illorum & res vestras: Illis enim solam superesse LIBERTATEM, exceptis ATHENIENSIBVS, & hos tamen nihil magni possidere; vestram autem Rhodiorum civitatem invidia laborare apud omnes, velut qua in optimo rerum suarum statu esset*, seu *opibus abundaret*. Quibus equidem verbis, cum liberas adhuc ea ætate urbes illas, de quibus ibi agit, *Athenas*, *Lacedæmona*, *Byzantium*, *Mytilenas* exstitisse, fidem facit hic Dio: tum *Athenienses*, non ea quidem libertate, ut ejus de iis verba possent forte nonnullis imponere, exutos; sed præ illis *Lacedæmoniis*, *Byzantiis*, *Mytilenæis*, aliquantum plus posse, seu viribus adhuc & facultatibus plus valere. Quarto, haud tamen ex adductis vel Plinii, vel hujus Dionis locis statuendum esse, eas tum solas, *Athenas* nempe & *Lacedæmona*, illo libertatis jure tum in Græcia seu Achaja usas. Quod vel e majori Plinio constare potest, a quo, & proinde Vespasiani *g* adhuc ætate, *libera* insuper dicuntur in eadem gente, *Thespia*, *Tanagra*, *Delphi*; ac præterea in adducto paullo ante Vespasiani nummo, inscripta ΑΥΤΟΝΟΜΟΣ *Hyperesia*. Quibus accedit sub Trajano, ac a quo id libertatis beneficium consequutum dicit Pausanias, urbs Messeniorum (prout legi apud eum debet cum eo loco, tum alibi, ubi illius meminit, & ex aliis antiquis Auctoribus constat, Strabone *h*, Harpocratione *i*, Stephano *k*, aliisque, & recte uno apud eundem Pausaniam *l* loco) *Methone* inquam, seu Μεθώνη, non Μοθώνη aut Μοθωναῖοι. Cujus autem Pausaniæ ea sunt de hac urbe verba *m*: ΜΕΘΩΝΑΙΟΙΣ δὲ βασιλεὺς μὲν ΤΡΑΙΑΝΟΣ ἔδωκεν ΕΛΕΥΘΕΡΟΥΣ ὄντας ἐν ΑΥΤΟΝΟΜΙΑ πολιτεύεσθαι. *Imperator vero TRAJANVS METHONAEIS concessit, ut cum LIBERI essent, SVIS LEGIBVS rempubl. administrarent.* Quod de *Argivis* quoque, etsi *liberis* Achajæ populis eos non adnumeret major Plinius, statuendum videretur, cum ex iis, quæ de illis tradit Pausanias *n*, ΑΡΓΕΙΟΙ δὲ ἀπὸ ἰσηγορίας καὶ ΤΟ ΑΥΤΟΝΟΜΟΝ ἀγαπῶντες ἐκ παλαιοτάτου. *ARGIVI autem, qui jam ab antiquo juris æqualitatem, & SVARVM LEGVM libertatem imprimis diligebant.* tum e Juliani Imperatoris de iisdem Argivis narratione; eos nempe a vicinorum Lacedæmoniorum imperio liberam semper suam urbem defendisse; hanc Romanis postea paruisse quidem, sed non tam victam, quam in foedus ac societatem adsumptam, ac, ut addit, καὶ, ὥσπερ οἶμαι, μετέσχε καὶ αὐτὴ, καθάπερ αἱ λοιπαὶ, ΤΗΣ ΕΛΕΥΘΕΡΙΑΣ, καὶ τῶν ἄλλων δικαίων, ὅσα νέμουσι τῇ περὶ τὴν Ἑλλάδα πόλεσιν οἱ κρατοῦντες ἀεί. *atque, ut opinor, ET LIBERTATIS, & juris omnis particeps ea itidem fuit, quo reliquæ Græciæ civitates utuntur, perpetuo concessu ac munere Imperatorum.* Sed de quo Juliani loco, Græcos in genere quod adtinet, occurret adhuc dicendi in sequentibus locus. Quamquam ne id de *Argivis*, quod etiam dubitanter de iis tradit ibi Julianus, continuo statuatur; eos nempe αὐτονομίας seu *libertatis*, juxta Athenienses & Lacedæmonios, aut alias adhuc Græcorum urbes, fuisse ab antiquo sub Romanis Imperatoribus participes, præter adductum Plinii de iisdem, tanquam *liberis*, silentium, obstat insuper Strabonis de iis locus, alia occasione jam adductus, ubi Argivos a Lacedæmoniis *p* nobilitate superatos tradit, quod hi se αὐτονόμους conservassent. *Rhodiis* autem in Asia ademptam a Vespasiano, ut vidimus, *libertatem*, iis jam sub Trajano restitutam, luculentus testis est idem memoratus paullo ante oris aurei Dio; & quidem cum alibi, tum in eadem Rhodiaca, ubi de Rhodiis ait *q* eos metuere, ne si uni cuipiam e prætereuntibus Rhodum, non erigant continuo statuam, τὴν μὲν οὖν ΕΛΕΥΘΕΡΙΑΝ ὑμεῖς ἀποβαλεῖν. ἀλλ' εἰ γε οὕτως σφόδρα ἐπισφαλής ἐστιν, ὥστε διὰ τὰς τυχούσας προφάσεις περιέρχεσθαι, ΔΟΥΛΕΥΕΙΝ ὑμῖν τῷ παντὶ βέλτιον ἤδη. *LIBERTATEM putatis vos amissuros. Verum, si quidem in tanto discrimine versatur LIBERTAS, ut vobis ex qualibet levi caussa auferatur, SERVITVS vobis melior ex omni parte jam erit.* Adde in proxima ad Alexandrinos Oratione *r*: Ἴστε ΡΟΔΙΟΥΣ ἐγγὺς οὕτως ὑμῶν ζῶντας ΕΝ ΕΛΕΥΘΕΡΙΑ, καὶ μετὰ πάσης ἀδείας. *Novistis RHODIOS ita prope vos, viventes IN LIBERTATE, & quidem cum omni securitate.* Ut ea jam mittam, quæ vel de Romanis in genere dicit in priori Oratione Dio *s*: Romanos nempe non ita esse lævos & agrestes, ὥστε μηδένα αἱρεῖσθαι ΤΩΝ ὑπ' αὐτοῖς ΕΛΕΥΘΕΡΟΝ εἶναι, *ut neminem sub se perferant LIBERVM*, sed malle, quod addit, municipiis imperare. *Amisum* vero, celebrem olim ac Græcanicam Ponti urbem, eandemque *liberam*, & Trajani beneficio *suis utentem legibus*, tradit in epistola ad eundem Principem scripta Plinius *t*: *AMISENORVM vero civitas LIBERA & fœderata, beneficio indulgentiæ tuæ LEGIBVS SVIS utitur: in hac datum mihi publice libellum* ad Eranos *pertinentem, his litteris subjeci* &c. Cui autem respondet sequenti epistola seu rescripto Trajanus, ut

f Orat. xxxi. p. 343. *g* l. iv. sect. 4. 12.
h l. viii. pag. 359. *i* in Μεθώνη.
k in Μεθώνη. *l* l. viii. pag. 435.
m Ibid. l. iv. pag. 283. *n* l. ii. pag. 118.

o Epist. xxxv. pag. 408. obt. edit.
p l. viii. pag. 375. *q* Orat. xxxi. pag. 345.
r Orat. xxxii. pag. 377. *s* Orat. xxxi. p. 344.
t lib. x. Epist. 93.

Amisenos

Amisenos, pro illo suarum legum seu *αὐτονομίας* jure, *Eranos* (de quibus consuli potest Cl. Cellarii ad eum locum nota, & alioquin e Scriptoribus Atticis, de ære collatitio ad sublevandos egenos dici constant) habere non impediat; cæteris vero, qui Romanorum legibus se provincialibus Præsidum Edictis regebantur, id vetet: *u AMISENOS, quorum libellum epistolæ tuæ junxeras, si LEGIBUS ISTORUM, quibus de officio fœderis UTUNTUR, concessum est, Eranos habere, possumus, quo minus habeant, non impedire. In cæteris civitatibus, quæ NOSTRO JURE OBSTRICTÆ sunt, res hujusmodi prohibenda est.* Quæ autem *libertas* ac *αὐτονομία*, non primum hisce *Amisenis*, ut postrema arguere videntur Plinii verba, a Trajano fuerat concessa: sed quam hæc urbs sub Romanis, a Lucullo primum, devicto Mithridate; dein a J. Cæsare, post eam a Pharnace captam ac direptam; postremo a Stratonis tyrannide liberata, post Actiacam victoriam fuerat ab Augusto, ut e Strabone *x*, Dione *y*, ac Appiano *z* discimus, consequuta; ac inde *libera* etiam a majore Plinio *a*, proinde ante Trajanum est eadem appellata. Ut mittam obvios illius urbis in præclaris Cimeliarchiis nummos, qui etsi post Trajanum, seu sub successore ejus Hadriano, aut conjuge ejus Sabina, L. Ælio Cæsare, aut Caracalla percussi, & de quibus nos jam olim *b*, cum adscripto ΑΜΙΣΟΥ ΕΛΕΥΘΕΡΑΣ, *Amisi Liberæ* elogio; ac additis insuper epochæ annis, a tempore partæ illius *libertatis*, seu statim ab expulso Stratone tyranno, atque ita ab anno V. C. DCCXXI. aut juxta alios, DCCXXIII. seu ab anno, qui excepit Actiacam victoriam, DCCXXIV. sumatur ejus initium, qua de re & duplici etiam aut triplici illius urbis æra, aliqua scripturarum inter eruditos Chronologos *c* aut nummorum Interpretes diversitas est nuper tradita, & quæ jam non est hujus loci, desumatur. *Libera* proinde, & *Trajani beneficio suis uti legibus* dicta a juniore Plinio *Amisus*: non quod id jus primum ab eo Principe sit nacta, sed quod illud a Trajano confirmatum eidem fuerit, ac proinde illius beneficio & indulgentia, eo perfruerentur Amiseni. A quo Trajano cœteroquin *obtemperare Romanis legibus compulsa* tum primum, ut de ea loquitur Ammianus Marcellinus *d*, *Arabia*; tum insuper, *Mesopotamia*, *Assyria*, *Armenia*, *Dacia*. quod præter Auctores, qui ejus rei meminerunt, vel veteres, & cum a nobis alibi, tum a præstantibus Antiquariis descripti ejusdem Trajani nummi luculenter ostendunt: in quibus, aut ARABIA AVGVST. PROVINCIA, vel ADQVISITA; aut ARMENIA ET MESOPOTAMIA IN POTESTATEM P.R. REDACTÆ; aut DACIA AVGVSTA PROVINCIA consignantur. Quæ tamen provinciæ, *Assyria*, *Mesopotamia*, *Armenia*, mox a Trajani successore Hadriano, ceu qui illius invideret gloriæ, ut ea de re Eusebius *e*, Rufus *f*, Eutropius *g*, sive, juxta Spartianum *h*, quod eas teneri non posse existimaret, mox omissæ, ac proinde suis denuo legibus seu Regibus verius fuerunt redditæ. Idem vero Hadrianus *Atheniensibus LEGES petentibus, ex Draconis & Solonis reliquorumque libris, JURA composuisse*, in Eusebiano Chronico *i* dicitur. & inde a Cassiodoro *k*, & Nicephoro Callisto *l*; ut jam ad Eusebium monuit *m* *à* *mlsw*. Quod proinde ab Hadriano factum statui debet, quo tempore, etsi forte non conveniunt ho-

u Ibid. Epist. 94. *x* l. XII. p. 547.
y l. XLII. p. 206. *z* Mithridat. p. 228. *a* l. VI. Sect. II.
b Diss. de Præst. Num. p. 783. 872. & in Epist. ad Beguin.
c Toinard. not. ad Lactant. de mort. Persec. p. 362. Pagi. Add. ad Critic. Baron. pag. 308. Vaillant de Seleuc. Num. pag. 158. P. II.

die numeri Eusebiani, est ille Atheniensium Archon *n* constitutus; aut Atheniensibus multa contulisse *o*, alibi a Spartiano dicitur. Qua ratione autem Hadrianus, novi Atheniensium juris non tam conditor, quam restitutor exstitit: hi autem necdum Romanis, sed avitis antiquissimorum suorum legislatorum legibus obstricti, ac proinde *αὐτόνομοι* etiamnum Athenienses. In *Asia* vero Proconsulari, liberas adhuc & *αὐτονόμους* sub hoc Principe civitates exstitisse, abunde docet indicatus jam ante Philostrati de Herode Attico locus, & cujus hæc sunt ea de re verba *p*: Ἦρχε μὲν γὰρ τῶν κατὰ τὴν Ἀσίαν ΕΛΕΥΘΕΡΩΝ ΠΟΛΕΩΝ ὁ Ἡρώδης. *LIBERIS enim Asiæ CIVITATIBUS Herodes præfuit.* Haud aliter ac sub Trajano, ut paullo ante vidimus, missus, juxta Plinium, Maximus, ad ordinandum statum liberarum Achajæ civitatum, seu quas, ut ibidem dicitur, regeret. Sub Hadriano autem id munus huic Herodi Attico, qui adhuc Marci ætate, ut ex eodem Philostrato *q*, & aliunde liquet, vixit, delatum; ac inter *liberas* illas Asiæ *urbes*, quibus tum præerat, *Troadem* fuisse arguit, quod ibi apud illum Auctorum sequitur, de consulto Hadriano Imperatore, ut eidem Troadi, aquæ penuriæ laboranti, subveniret, sumptusque eam in rem requisitos huic Herodi continuo suppeditaret. Præter hanc *Troada* vero, quænam aliæ tum fuerint *liberæ* in Asia, proconsulari alioquin Romanorum provincia, *urbes*, quibus præesset hic Herodes, neque tangit ibi Philostratus; neque aliunde nobis hodie constaret, nisi ex iis, quæ belli Mithridatici, aut postea Labieni in Cariam expeditionis temporibus contigisse supra notavimus: ut nempe ob singularem in populum Romanum fidem, aut quas inde pertulerant, calamitates vel injurias, haud uni vel alteri Asiaticæ urbi libertas ac *αὐτονομία* fuerit a Romanis, vel ab Augusto indulta. Quod nominatim de *Magnesia*, *Ilio*, *Chio*, *Erythræa*, *Cyzico*, *Apollonide*, bello Mithridatico, e Cicerone, Tacito; & Appiano; de *Stratonicea* autem & *Aphrodisiade* in Caria, post J. Cæsaris obitum, e Tacito rursus, Plinio, ac Dione est a nobis observatum: ut eadem hic denuo ex Auctoribus illis, aliisque antiquis monumentis retractare haud sit opus. Quod similiter de *Bargyliatis*, aut *Ephesiis*, vel *Halicarnassensibus*, Ioniæ itidem aut Cariæ urbibus, dicendum est; quos ΑΥΤΟΝΟΜΟΥΣ in priscis eorum nummis inscriptos vidimus. Adeo ut vel inde haud exiguus adeo *liberarum* proconsularis Asiæ *urbium* numerus eruatur, quibus præesse potuerit Herodes Atticus, seu ad quarum statum ordinandum fuerit ab Hadriano extra ordinem missus. Sub *Antoninis* vero Imperatoribus, *Pio* & *Marco*, civilis animi & beneficæ naturæ Principibus, haud imminuta leguntur, sed adserta potius aut renovata eadem libertatis & *autonomiæ*, quibus variæ adhuc Romani Orbis, ut hactenus vidimus, gentes vel urbes fruebantur, privilegia aut immunitates. Cujus utique rei insigne testimonium perhibent, & quæ nuper ad Julianum adduximus, prima Athenagoræ in Legatione seu Apologia ad M. Aurelium & filium Commodum Imperatores verba: Ἡμετέρα, μεγάλοι βασιλεῖς, οἰκουμένη ΑΛΛΟΣ ΑΛΛΟΙΣ ΕΘΕΣΙ ΧΡΩΝΤΑΙ ΚΑΙ ΝΟΜΟΙΣ, καὶ οὐδεὶς αὐτῶν ΝΟΜΩ καὶ φόβῳ δίκης, κἂν γελοῖα ᾖ, μὴ στέργειν ΤΑ ΠΑΤΡΙΑ εἴργεται. *Per vestrum, magni Imperatores, Terrarum Orbem ALII ALIIS CONSUETUDINI-*

d l. V. c. 8. *e* ad Olymp. CCXXIV. I. *f* in Breviar.
g l. VIII. c. 6. *h* in Hadriano c. 5.
i ad Olymp. CCXXV. 2. *k* in Chronico in Hadriano.
l Eccl. Hist. l. III. c. 24. *m* Scalig. Animadv. p. 211.
n Spartian. in Hadrian. c. 19. *o* Ibid. c. 13.
p de Vit. Soph. l. II. p. 547. *q* Ibid. p. 556. &c.

quam

BVS VTVNTVR AC LEGIBVS, nec eorum quisquam vel LEGE & pœna metu, quo minus PATRIOS RITVS, etiamsi ridiculi fuerint, colere pergat, absterretur. Hinc illud Græci in Asia Oratoris, ad M. Aurelium & L. Verum Imperatores *r*: Μόνοι γὰρ τῶν πώποτε ἐλευθέρων ἄρχετε. *Vos enim soli iis, qui unquam liberi fuerunt, imperatis.* alio autem loco de Græcis, & quidem de liberis adhuc, iisque primariis eorum urbibus, Athenienses puta, de quibus paullo ante, & Lacedæmonios: Διατελεῖτε ΤΩΝ μὲν ΕΛΛΗΝΩΝ ὥσπερ τινων τροφέων ἐπιμελόμενοι, χεῖρά τε ὑπερέχοντες, καὶ οἷα κειμένους ἀνιστάντες, τοὺς μὲν ἀρίστους καὶ πάλαι ἡγεμόνας, ΕΛΕΥΘΕΡΟΥΣ ΚΑΙ ΑΥΤΟΝΟΜΟΥΣ ἀφιέντες αὐτῶν. *Jam GRÆCORVM quidem, tanquam nutritiorum curam geritis, cum auxiliares iis manus porrigitis, & jacentes velut erigitis; eorum vero præstantissimos & olim principes, LIBEROS ET SVIS LEGIBVS VTENTES reliquistis.* alios autem, ut addit, moderata summaque cum parsimonia & providentia regitis. Ut jam mittam, quod de *Pallantio*, Græcanica Arcadiæ urbe, tradit Pausanias *s*: ei nempe libertatem ac immunitatem a tributis ab Antonino Pio concessam fuisse. Accedit bisce, in residuis & insignibus utriusque Antonini, Pii & Marci nummis, de qua jam ante dictum, Commagenes Metropolis *Samosata*, ΑΥΤΟΝΟΜΟΣ, præter alios ejus titulos, inscripta: nempe CΑΜΟC. ΙΕΡ. ΑΥΤΟΝ. ΜΗΤ. ΚΟΜ. *Samosata Sacra Suis Legibus Metropolis Commagenes:* quum in anterioribus ejus urbis sub Hadriano nummis, quales versavimus in Cimeliarchio Gallorum Regio, &c. Gaza Medicea ac Museo Canonici Parisiensis Dronii protulit in præclaro opere Eminentissimus Norisius *t*, illud ΑΥΤΟΝΟΜΟΥ elogium non compareat, sed tantum Φ. aut ΦΛΑ. CΑΜ. ΜΗΤΡΟ. ΚΟΜ. *Flavia Samosata*, aut *Flavienses Samosatenses Metropolis Commagenes.* Quanquam hanc illius urbis αὐτονομίαν ab eo anno, quo a Vespasiano ereptum est Antiocho illud Commagenes regnum, omnino petendum, præter similia, de quibus jam ante, ac in iis terrarum partibus aliarum urbium exempla, abunde arguat ejusdem urbis sub Hadriano, cum adscripta ejus æra, ut id a laudato modo Norisio erudite jam est observatum, nummus. Unde etiam alii occurrunt hujus urbis in Cimeliarchio Gallorum Regio, infra Pii aut Marci tempora, sub Severo, Antonino Caralla, & Philippo nummi; in quibus vel CΑΜΟCΑΤΑ. ΜΗΤΡΟΠΟΛ. aut ΜΗΤ. ΚΟΜ. CΑΜΟCΑΤΕΩΝ tantum, sine addito ΑΥΤΟΝΟΜΟΥ titulo, eadem urbs inscribitur. A Severo autem adempta nonnullis civitatibus, quæ Nigri partes fuerant sequutæ, aut ob veteres, quas ab iis pertulerat injurias, libertatis vel αὐτονομίας jura, ex auctoribus, qui res illius Principis adtigere, discimus. Ita Severus captam Byzantium *u*, τῆς τε ἐλευθερίας καὶ τοῦ ἀξιώματος πολιτικοῦ, *libertate & omni urbis dignitate*, aut *jure privasse* a Dione dicitur; eandemque urbem, ut mox addit, dirutis ejus mœnibus, in pagi usum redactum, Perinthiis subjecisse. Haud aliter ac *Neapolitanis* in Palæstina, quod *pro Nigro diu in armis fuerant*, ut de iis in Severo Spartianus *x*, *jus civitatis sustulit*, ut omnino ibi legi debet; & a Criticorum principibus adverti omnino ibi debuit; non, & quod contrarium ibi sensum infert, *tulit.* idem nempe, quod de Byzantiis ab eodem Severo similiter multatis dixerat Dio, ἐπιτιμίας ἀξιώματος πολιτικοῦ. Ubi obiter monendum est id a Spartiano de municipibus suis, *Neapolitanis* nempe *Italicis* seu *Campanis*, quibus jus illud civitatis ademerit Severus, dictum censuisse, insigni utique errore, celebrem Neapolitanæ Historiæ conditorem Capacium *y*. A quo tamen, etsi ignota ei aliunde fuisset Palæstinæ seu Samariæ, eaque in antiquis nummis haud semel memorata, ac Justini Martyris patria, *Neapolis*; vel totus illius loci apud Spartianum de rebus a Severo post debellatum ab eo Nigrum, in Oriente constitutis, contextus abducere omnino debuit: vel si addita etiam ibi fuisset apud Spartianum, quæ alioquin ab eo exulat, particula *&*, nempe *Neapolitanis & Palæstinensibus:* quosque *Palæstinenses* de *Prænestinis* ibi a Spartiano dici, gemino errore, haud obscure statuit idem Capacius. *Antiochensibus* vero eadem de caussa, quod a Nigri partibus steterant, & quod eum olim, haud insolito iis more, irriserant, multa Severum ademisse, tradit ibidem Spartianus. Etsi iisdem cum *Antiochensibus* & *Byzantiis jura vetera*, Caracallæ interventu, *restituisse* Severus; tum *Palæstinæ* quoque *pœnam*, quam ob Nigri caussam meruerant, *remisisse* non solum, sed *plurima* etiam *jura* iis *fundasse* ab eodem Spartiano traditur *z*. Ut mittam quod de instaurata a Severo Byzantio; & plurimis in Antiochenses, qui adversus Nigrum exeunti, elatis vocibus victoriam essent ominati, collatis beneficiis memorat Antiochensis Malala *a*. *Atheniensium* vero ob veteres, quas ab iis privatus adhuc pertulerat, injurias, imminuta a Severo Imperatore *privilegia*, refert quoque Spartianus *b*: quibus autem verbis, an sublata continuo fuerit eorundem, de qua paullo ante diximus, αὐτονομία, haud licet continuo statuere.

XVII. Neque vero post datum Antonini Caracallæ Constitutione omnibus in Orbe Romano ingenuis civitatem, adempta est prorsus illa in eodem Orbe suarum legum & aviti juris concessa olim quibusdam populis vel oppidis libertas. Id quidem inde contigisse supra vidimus, ut sublato illo civium & provincialium, seu qui τὸ ὑπήκοον, vel οἱ ἀρχόμενοι, aut etiam ὑπήκοοι, dici vulgo a Græcis Romanarum rerum Scriptoribus solent, discrimine: ac proinde abolitis provincialibus, quibus iidem subjacebant, Præsidum Romanorum edictis, civilibus dein Romanorum seu Quiritium legibus, fuerint illi in posterum obstricti. Qua ratione etiam factum, ut, quod ibidem vidimus, dicantur deinceps ab Auctoribus infra ætatem Caracallæ, *reddita Romanis legibus provincia:* aut *ubique Romana leges: omnes petitis Romanis legibus & consuetudinibus tum regi:* institutis etiam in Oriente legum Romanarum scholis, unde per omnem terrarum orbem, legum periti & juris adsessores solerent mitti. Quomodo tamen singulare illud, quod ab antiquo, aut peculiari Romanorum Imperatorum concessione, suis vivendi legibus ac institutis indultum fuerat nonnullis, ut modo ajebam, populis vel urbibus beneficium haud prorsus est abolitum. Mitto quod sub Geta, ac ideo necdum lata forte Antonini fratris Constitutione, primaria, quod antea diximus, Cariæ civitas *Halicarnassus*, in nummo Gazæ Mediceæ ΑΥΤΟΝΟΜΟΣ sit inscripta, nempe ΑΛΙΚΑΡΝΑCCΕΩΝ ΑΥΤΟΝΟΜΩΝ *Halicarnassensium Suis Legibus* utentium: aut in alio ejusdem Gazæ nummo apud Goltzium, Cappadociæ metropolis *Cæsarea*, ΚΑΙCΑΡΕΙΑC CΕΒΑCΤΗC ΜΗΤΡΟΠ. ΤΗC. ΙΕΡΑC ΚΑΙ ΑΥΤΟΝΟΜΟΥ. *Cæsarea Augusta Metropoleos Et Suis Legibus.* Sed quo referri continuo possunt, seu ad servata, post latam Antoninianam constitutionem, variis in Romani Orbis locis, ea

r Aristidis Orat. in Rom. p. 362. *s* l. VIII. p. 525.
t Epoch. Syro-maced. p. 139 & 141. ed. Lips.
u l. LXXIV. p. 848. *x* cap. 9.

y Neapol. Histor. l. 1. p. 51. *z* Ibidem.
a in Chronico. p. 354 & 388.
b in Severo. c. 3.

libertatis

libertatis & *αὐτονομίας* jura, percussi sub Gordiano Pio, ac proinde post Caracallæ obitum, nummi: sicut vel alterius metropoleos, nempe Ciliciæ *Tarsi*, quam antea jam adferre ac illustrare nobis licuit, in quo ΕΛΕΥΘΕΡΑΣ seu *Libera* nomen illi, quod ab antiquo, ut vidimus, sub Romanis fuerat concessum, adhuc adseritur: vel in eadem insuper Cilicia, *Seleucia ad Calycadnum* fluvium, qualem etiam nummum sub Philippo patre cusum alibi pridem indicavi *c*, ΣΕΛΕΥΚΕΩΝ ΤΩΝ ΠΡΟΣ ΚΑΛΥΚΑΔΝΩ ΕΛΕΥΘΕΡΑΣ. *Seleucensium Ad Calycadnum Libera.* Id enim abunde jam supra adtigimus, eam urbium in Orbe Romano libertatem, in eo vulgo sitam fuisse, ut illæ suis legibus suisque magistratibus, non vero Romanis legibus aut Romanorum Præsidum jurisdictioni ac edictis essent subjectæ. Eadem vero *Seleucia*, quæ a Philostrato *ἡ πόλις οὐκ ἀφανὴς ἐν Κιλικίᾳ*, *urbs Ciliciæ haud ignobilis* dicitur; & in qua templum ac oraculum Appollinis Sarpedonii exstitisse observat Zosimus *e*; & ad quam proinde, ut obiter hoc addam, referre licet alium & antiquiorem ejusdem urbis nummum, quem vidimus in Thesauris Gallorum Regiis, in quo hinc caput Apollinis laureatum, illinc ΣΕΛΕΥΚΕΩΝ ΤΩΝ ΠΡΟΣ ΚΑΛΥΚΑΔΝΩ, & cum adscriptis adhuc aliquot litteris, quibus an forte ΕΛΕΥΘ seu *Libera* nomen vel urbis (sicut in aliis Ciliciæ civitatum, ut *Tarsi* & *Anazarbi*, nummis haud insolitum, qui prisca hæc æra paullo diligentius versarunt, haud ignorant) quod vulgo dici solet, epocha; an vero Prætoris nomen denotetur, quod id non satis tum adtenderim, certo affimare jam non possum. Dicta autem in iisdem oummis hæc *Seleucia supra amnem Calycadnum*, solito tot aliis urbibus in earundem nummis more, ad indicandum loci ad fluvios, ad mare, ad montes, situm; & nominatim ad discrimen alterius in Syria *Seleucia Pieria* seu ΣΕΛΕΥΚΙΑΣ ΠΙΕΡΙΗΣ in ejus nummis inscriptæ. Græcos equidem, ac inter eos Athenienses & Lacedæmonios, quorum singulare ac perpetuum in conservanda *αὐτονομίᾳ* studium exstitisse aliunde liquet, Constantini tamen ævo, ac dein infra eam ætatem, non suis amplius, sed Romanis legibus usos, ex adductis supra Juliani Imperatoris, Eunapii, ac Theodoriti clarissimis ea de re testimoniis vidimus. Quando autem eo jure, quod ei ab Imperatoribus *φιλέλλησι*, fuerat itentidem adsertum, exciderint, haud certo licet hodie statuere. Severum quidem ob injurias quasdam, quas privatus ab iis pertulerat *g*, *minuisse* eorum *privilegia*, tradit in ejus vita, quod supra itidem notavimus, Spartianus: neque tamen inde certo colligi potest, omnem illam suarum legum libertatem iis inde continuo, aut liberis adhuc sub Trajano, juxta juniorem Plinium *h*, Græciæ civitatibus fuisse ademptam. Gallienus certe, qui haud paucis annis post Caracallam imperio præfuit, Athenis Archon exstitit *i*, necdum proinde imminuta, uti postea contigit, illius summi apud Athenienses magistratus auctoritate; & præterea civis adscribi, & Areopagitarum ingeri numero, ac, ut addit in ejus vita Trebellius, *contempta prope Republica*, Roma nempe, concupiisse dicitur. Quomodo etiam Festus Græciæ Proconsul, & simul *Areopagita Atheniensis* dicitur in Græca inscriptione erudito Cl. Wheleri Itinerario inserta *k*, sed jam ante in Thesauro Gruteri * obvia, quæ eidem Rufo a Senatu Areopagitico, & Trecentorum Senatu, ac simul a Populo est, ut in eadem legitur, dicata. Unde servatam adhuc ea ætate Atheniensibus veterem Reipublicæ formam, seu, ut Græci loquuntur, *πολιτείαν*, & quæ eam comitari ferme consueverat, *αὐτονομίαν*, seu suarum legum arbitrium, haud abs re licet arbitrari. Quibus tamen turbidis Gallieni temporibus, vastata a Gothis, juxta Eusebium *l* in Chronico, Græcia, & expugnata etiam ab iis, seu a Scythis, ut de iis Zozimus *m*, Athenarum urbe; sive id aliquot post annis sub Claudio demum, uti ea de re Zonaras *n* ac Cedrenus *o*, a diligentissimo Meursio *p* eam in rem jam adducti, contigerit, immutatus videtur paullatim sub iis ac sequutis mox Principibus pristinus Græciæ ac in ea Atheniensium status; sublataque illa, qua prius iidem fruebantur, suarum legum libertas. Quamquam a Constantino, cum verbis, tum factis, eximium quendam honorem Atheniensibus habitum; & adeo quidem, ut se *Στρατηγὸν* eorum dici, & in suis imaginibus inscribi, impense idem sit lætatus, testatum reliquerit, quod nuper ad eum expendimus *q*, Julianus Imperator *r*. Adde, qui in Epistola pro Argivis scripta ita loquitur, quasi vetera illa libertatis, aliaque id genus jura, Græcis intacta & illibata relinquere adhue consuessent Imperatores *s*: *Καὶ αὕτη, οἶμαι, μετεῖχε καὶ αὐτὴ, καθάπερ αἱ λοιπαὶ,* ΤΗΣ ΕΛΕΥΘΕΡΙΑΣ, *καὶ τῶν ἄλλων δικαίων, ὅσα νέμουσι* ΤΑΙΣ *περὶ* ΤΗΝ ΕΛΛΑΔΑ ΠΟΛΕΣΙΝ ΟΙ ΚΡΑΤΟΥΝΤΕΣ ΑΕΙ: *Atque, ut opinor, & LIBERTATIS, & aliorum omnium jurium particeps fuit Argos, quæ reliquis GRÆCIÆ CIVITATIBUS IMPERATORES PERPETUO LARGIUNTUR.* Verum sublatam jam iis Juliani temporibus, eam, quam Græci, & præ aliis quidem Athenienses, Imperatorum concessu ac munere, obtinuerant, *αὐτονομίαν* ac libertatem, cum ipsemet Julianus *t* aperte alibi, tum Eunapius *u*, quod jam vidimus, ut de Theodorito, sequentis demum seculi scriptore sileam, certum ac indubitatum efficiant. Ut nunc mittam quod Jonas, missa ad hunc Julianum legatione, plus petitis ab eo obtinuisse tradit alibi in genere, & qui caput erat illius legationis Eunapius *x*: ut nec inde tamen redditam iis continuo *αὐτονομίαν* statuere liceat.

XVIII. Neque ideo tamen Romanis legibus, aut proxima etiam ætate, erant jam obstricti, quicunque in Romanorum fide aut ditione agebant per orbem terrarum populi. Qua de re exstat eximius apud dictum modo Theodoritum, quem nuper ad Julianum *y* jam adtuli, sed qui accuratius expendi hic meretur, locus: ubi nempe, post adducta jam ante verba, quibus gentes omnes, quæ Romanorum jugum subierant, eorum legibus obsequi adactas tradiderat, addit continuo *z*: *Τοὺς δὲ παρ' αὐτῶν οὐ βουληθέντας ἰθύνεσθαι, ὅτι ἥττηνται, οὐκ ἠνάγκασαν* ΤΗΝ ΣΦΩΝ ΠΟΛΙΤΕΙΑΝ *ἀσπάσασθαι· πολλοὶ δὲ, καίτοι τῆς δουλείας δεξάμενοι χαλινὸν, βιοτεύειν* ΚΑΤΑ ΤΟΥΣ ΤΟΥΤΩΝ ΟΥΚ ΑΝΕΧΟΝΤΑΙ ΝΟΜΟΥΣ. *οὔτε γὰρ Αἰθίοπες, οἱ Θηβαίων τῶν Αἰγυπτίων ὁμοτέρμονες, οὔτε τὰ πάμπολλα φῦλα τοῦ Ἰσμαὴλ, οἱ Λαζοὶ, οἱ Σάννοι, οἱ Ἀβασγοὶ, οὐχ οἱ ἄλλοι* ΒΑΡΒΑΡΟΙ, *ὅσοι τὴν Ῥωμαίων ἀσπάζονται δεσποτείαν,* ΚΑΤΑ ΤΟΥΣ ΡΩΜΑΙΩΝ ΝΟΜΟΥΣ, *τὰ πρὸς ἀλλήλους ποιοῦνται ξυμβόλαια. Eos tamen, qui illos* (Ro-

c Diss. de Præst. Num. p. 768. *d* Vit. Soph. l. II. p. 568.
e l. I. c. 7. *f* l. V. Sect. 22. *g* in Severo c. 3.
h l. VIII. Epist. 24. *i* Trebellius in Gallien. c. II.
k Itiner. Anglic. p. 362. * CCCCLXIV. 7.
l ad Olympiad. CCLXX. r.
m l. I. c. 39. *n* l. XII. p. 635. ed. Neg.
o p. 259. ed. Reg. *p* de Fortun. Athen. p. 105. 106.

q Observ. in Julian. Orat. I. p. 76. *r* Orat. I. p. 8.
s Epist. XXXV. p. 408. ult. edit.
t Orat. III. p. 114. ult. edit.
u in Juliano Sophist. p. 125. & in Proæresio. p. 124. &c.
x Excerpt. de Legat. p. 17. edit. Reg.
y Observ. ad Orat. I. p. 38.
z Therapeut. Serm. I. x. p. 610. tom IV.

manorum legibus) *regi noluerunt, nec vi nec suasione adegerant, ut se eorum magistratibus ac juri submitterent. Quin & multi eorum, qui servitutis frenum acceperunt, VIVERE tamen EORUM LEGIBUS RECUSANT. Neque enim ÆTHIOPES, Ægyptiis Thebis contermini, neque ISMAELITARUM plurima gentes, non LAZI, non SANNI, non ABASGI, non CÆTERI BARBARI, qui Romanorum dominatum colunt, SECUNDUM ROMANORUM leges, conventiones mutuas inter se paciscuntur.* Unde equidem discimus: Primo, illo Theodoriti, seu junioris Theodosii ævo, ac proinde duobus, & quod excurrit, a lata Antoniniana Constitutione seculis, exstitisse adhuc populos, qui vel in fide, vel in ditione Romanorum forent, necdum tamen legibus Romanorum obstricti. Secundo, inter eos populos adnumerari primo loco *Æthiopes* Thebis Ægyptiis conterminos: quales nempe *supra Ægyptum* ab Herodoto pridem *a*, ac a Dione Coccejano *b* similiter dicti: & cujus Æthiopiæ proprie olim appellatæ, ac Ægypto vere conterminæ, regia erat decantata apud Poetas aliosque Auctores antiquos Meroe *c*; qua de re autem consuli potest diligentissimus Æthiopicarum antiquitatum investigator amplissimus ac eruditissimus Ludolfi *d*. Quibus insuper addi potest Aristidis de eadem supra Ægyptum Æthiopia, ejusque regia Meroe narratio: & quod a Claudiano *e* suo adhuc ævo, de Romanorum imperio ad Meroen usque patente dicitur:

> *Jus Latium, quod tunc Meroes, rubroque solebat Oceano cingi.*

Quamquam, ut hoc addam, ea Theodoriti, & quæ præcesserat, aut sub Justiniano sequuta est, ætate, frequentiores occurrant Romanorum rebus immixti *Æthiopes* ad plagam maris Rubri, iique *Akumitæ* dicti ab eorum metropoli. Sub Augusto quidem arma Romana, duce Petronio Ægypti tum præfecto, penetrasse in illam conterminam Ægypto Æthiopiam, & quæ Candacen haberet Reginam, tradunt Plinius *f* ac Dio *g*; & ad quem insuper Augustum legatos cum donis ab Æthiopibus missos, refert Victor in Epitome *h*. Sequutis vero temporibus, haud alia ferme, quam *Akumitarum Æthiopum*, qui ad mare Rubrum, ut dixi, e regione Homeritarum Arabum agerent, occurrit apud rerum Romanarum aut Constantinianei ævi, vel infra eam ætatem Scriptores mentio *i*. Unde liquet eosdem Akumitas Æthiopes, non solum Romanorum fuisse fœderatos; sed ex eorum insuper fœderatorum ordine, qui Imperatorum Romanorum jussis obtemperare tenerentur. Quod abunde arguit Constantii apud Athanasium ad *Akumitarum k*, ut ibi vocantur, *Tyrannos* seu Regulos Epistola, qua ubi de singulari suo egisset studio, quo ad veri numinis notitiam & ad certas de vero & justo sententias homines pervenire possint, addit: Τῆς αὐτῆς τοίνυν προνοίας ΑΞΙΟΥΝΤΕΣ ΥΜΑΣ, καὶ τῶν ἴσων Ῥωμαίοις μεταδιδόντες, ἓν τι μετ' αὐτῶν φρονεῖν δόγμα ἐν ταῖς Ἐκκλησίαις ΚΕΛΕΥΟΜΕΝ. Φρουμέντιον Ἐπίσκοπον ΕΚΠΕΜΠΕΤΕ ΤΗΝ ΤΑΧΙΣΤΗΝ εἰς Αἴγυπτον, παρὰ τὸν σεμνότατον Γεώργιον τὸν Ἐπίσκοπον. *Eadem etiam CURA eum & VOS PROSEQUI DIGNAMUR, paria vobis cum Romanis impertientes, unum cum iis in Ecclesiis dogma retinere* *IUBEMUS. Quapropter Frumentium Episcopum QUAMPRIMUM in Ægyptum DIMITTITE ad venerabilem admodum Georgium Episcopum.* tum etiam, quod ibi additur, ut Athanasium studiose perquirerent, ac in Ægyptum itidem mitterent. Accedit ab hoc Constantio lata eodem anno Constitutio, quæ exstat in Codice Theodosiano *l*; & e qua legationes subinde ad hosce Æthiopes Akumitas a Romanis Imperatoribus mitti solitas liquet; & ad quam cæteroquin legem videri potest diligens doctissimi Jac. Gothofredi de illis *Æthiopibus Akumitis*, uti & ad Philostorgium *m*, ubi is horum meminit, adnotatio. Tertio, præter Æthiopes Ægyptiis conterminos, addit alios quoque populos in adductis ante verbis Theodoritus, qui etsi Romanis parerent, eorum tamen legibus non regebantur. Cujusmodi primo loco dicuntur *plurima Ismaelitarum gentes*, hoc est, *Saraceni*: juxta notum de iis Sozomeni *n* & quem indicat quoque Theophanes *o*, locum, ubi facta Saracenorum mentione, dicitur: Τοῦτο γὰρ τὸ φῦλον ἀπὸ ΙΣΜΑΗΛ τοῦ Ἀβραὰμ παιδὸς τὴν ἀρχὴν λαβὸν, καὶ τὴν προσηγορίαν εἶχε, καὶ ΙΣΜΑΗΛΙΤΑΣ αὐτοὺς οἱ ἀρχαῖοι ἀπὸ τοῦ προπάτορος ὠνόμαζον. *Quippe hæc gens ab ISMAELE Abrahami filio originem ducens, vocabulum quoque accepit: eosque antiquo ab auctore generis ISMAELITAS nominarunt.* Unde Hierosolymitana paraphrasis in loco Geneseos XXXVII. 25. quod monuit jam doctissimus Bochartus *p*, pro *Ismaelitis* habet *Saracenos*. Haud mirum vero πάμπολλα φῦλα τοῦ Ἰσμαὴλ, *quamplurimas* eorum *Ismaelitarum* seu *Saracenorum gentes*, Theodorito hic dici, quæ ab eo Romanarum legum, etsi Romanis iidem obtemperarent, jugo forent liberæ. Neque enim inter Felicis Arabiæ fines steterunt hi *Saraceni*, dum ii de quibusvis in genere Scenitis & Nomadibus Arabibus, immo apud Ammianum Marcellinum *q*, de iis populis leguntur appellati, *quorum ex ordine initium ab Assyriis ad Nili catarractas porrigitur, & confinia Blemyarum*, qui, ut aliunde notum, Æthiopes; ac prout alibi ab eodem Ammiano *r*, Oriens dicitur læva Nili parte *Saracenis conterminans gentibus*. Etsi vero de iisdem *Saracenis* tradat ibidem Ammianus, *Saraceni tamen nec amici nobis unquam, nec hostes optandi*; plures tamen ex iis *Saracenorum* seu *Ismaelitarum* seu *Arabum* (promiscua enim hæc eorum appellatio) populis Romanorum fœderibus, & quidem inæqualibus fuisse illigatos, quique Romanum imperium colere tenerentur, aliunde etiam, quam ex adductis Theodoriti verbis constat. Hinc, & quæ loca nuper ad Julianum *s*, ubi de Arabibus Nomadibus agebatur, jam adtulimus, illud Pacati in Theodosii Panegyrico *t*, ubi *rebelles* etiam vocantur *Saraceni*, nempe, *dicam a rebellibus Saracenis pœnas polluti fœderis expetitas*: & Procopii Justiniani ævo *u*, Σαρακηνῶν τῶν Ῥωμαίων ἐνσπόνδων. *Saracenorum Romanis fœderatorum*: ac Malchi Rhetoris *x* de quodam Persa Annoneso: Ἐπιθυμεῖ Ῥωμαίοις ὑπόσπονδος γενέσθαι, καὶ φύλαρχος τῶν ὑπὸ Πετραίαν ὑπὸ Ῥωμαίοις ὄντων Σαρακηνῶν. *Cupido illum incessit esse in Romanorum fide, & Saracenorum, qui in Arabia Petræa degunt, Phylarchus.* Ita Theophylactus Simocatta *y*: Ἔθνη περὶ τὴν Ἀραβίαν ΠΟΛΛΑ τε καὶ διάφορα πέφυκε· τούτους ΣΑΡΑΚΗΝΟΥΣ ἔθος τοῖς ὄχλοις ἀποκαλεῖν. ἐκ τούτων δὲ τῶν ἐθνῶν ΕΝΙΑ ΤΙΝΑ ΤΟΙΣ ΡΩΜΑΙΟΙΣ ΣΥΜΜΑΧΑ ἦν. *In Arabia MULTÆ variæque gentes sunt, quæ vul-*

a l. VII. c. 70. *b* l. LIV. p. 524.
c in Ægyptia p. 581. T. III.
d Com. ad Hist. Æthiop. p. 51. & 92.
e Bell. Gildon. c. 454. *f* L. VI. Sect. 15.
g L. LIV. p. 524. *h* in Augusto.
i Arrian. in Periplo Maris Rubri. Vopisc. in Aurelian. c. 33. Athanas. Apol. p. 540. Philostorg. l. III. c. 4.

k Apolog. p. 540. *l* Leg. II. Cod. Th. de Legatis.
m ad l. III. c. 6. *n* l. VI. c. 38.
o Chronogr. p. 55. ed. Reg. *p* Phaleg. l. IV. c. 2.
q l. XIV. c. 4. *r* Ibidem c. 8.
s Observ. ad Orat. 1. p. 165. *t* cap. 22.
u Bell. Pers. l. II. c. 17. *x* Excerpt. Legat. p. 92. ed Reg.
y l. VIII. c. 1.

gu SARACENI appellantur. Ex his autem gentibus nonnulla erant Romanorum socia, seu, ut Photius *z* in hujus libri epitome, Σαρακηνῶν τῶν ὑπὸ Ῥωμαίοις ἐπιτελουμένων, *Saracenorum, qui Romanos sequebantur.* Quibus accedit Menander Protector *a*, a quo τῶν ὑπὸ Ῥωμαίοις Σαρακηνῶν, *Saracenorum, qui sub Romanis erant*; fit mentio: & alibi; unde ea de quibus hic agimus, Theodoriti verba haud parum illustrantur: ΤΑ ΓΑΡ ΣΑΡΑΚΗΝΙΚΑ ΦΥΛΑ ΜΥΡΙΑ μὲν ἐστι, καὶ τὸ πλεῖστον αὐτῶν ἐρημίας οἰκοῦσι καὶ ἀδέσποτα. Καὶ μὲν ὧν ΤΩΝ ΡΩΜΑΙΩΝ ΕΣΤΙΝ, ἃ δὲ τῆς Περσῶν ὑπήκοα ΠΟΛΙΤΕΙΑΣ. *GENTES enim SARACENICÆ, INFINITÆ quidem, ipsarum vero quamplurimæ deserta incolunt, & earum quadam ROMANORUM, quadam Persarum imperio PARENT.* *Lazos* autem, *Sannos*, & *Abasgos* quod adtinet, quorum meminit ibidem Theodoritus, eos in Romanorum quoque fide, etsi Romanis legibus haud obstrictos, exstitisse, aliunde etiam constat. *Lazis* certe seu *Ladis* (promiscue enim hæc dici notarunt jam ad Historiam Augustam *b* viri summi) Colchidis, ut aliunde notum, cis Phasin populis, Reges pridem a Romanis datos, ex Arriano *c* & Capitolino discimus *d*; quorum ille Malassum iis ab Hadriano Regem impositum; hic vero Pacorum ab Antonino Pio, tradidere. Quem autem morem Justiniani adhuc ævo, nisi ubi iidem subinde a Romanis deficerent; obtinuisse, observat Procopius *e*: *Lazos* nempe missis Byzantium legationibus, inde Reges petiisse. Idem vero alibi de iisdem *Lazis* ait *f*, eos Romanis quidem fuisse subjectos, a tributis tamen exstitisse immunes; neque eosdem aliud illis præstitisse obsequium, quam quod eorum Rege mortuo, principatus insignia designato successori mitteret Romanorum Imperator: ipsi vero, ne Hunni per Lazicam in Romanorum provincias irrumperent, fines suos diligenter custodire tenerentur. *Sanni* autem a Theodorito memorati, Σάννοι itidem ab Arriano dicuntur *g*, ac Colchidos finitimi, quique Romanorum essent, etsi tum tributa persolvere negligerent, tributarii. Iidem nempe, qui in Notitia imperii, & apud Agathiam *h*, Τζάννοι, *Tzanni*; a Procopio *i*, qui Σανοὶ olim dicerentur, tum τζάνοι & a Justiniano *k* itidem τζάνοι, *Tzani*; corrupte autem apud Ammianum Marcellinum *l*, quod vidit jam ibi doctissimus Valesius, *Zianni* appellantur. Neque vero iidem *Sanni*, vel *Tzanni*, aut *Tzani*, dictis modo Lazis, juxta Procopium (ut ad Ammianum tamen observat laudatus modo vir præclarus) finitimi; qui etiam id ab aliis traditum, in libris de Bello Gotthico *m* aperte redarguit; eosque *Tzanos* cum ibi, tum in Persicis, procul a littore mediam tenuisse Armeniam memorat, & ad quorum fines Boas fluvius oriatur; qui post emensos demum variarum gentium tractus, Phasidos nomen obtineat, in cujus autem utraque ripa sit Lazica. Hosce autem *Sannos*, vel *Tzanos*, ab antiquo jam fuisse in Romanorum fide, docet Agathias: Οὗτοι μὲν οἱ ΤΖΑΝΝΟΙ, πάλαι ἐκ παλαιοῦ ΥΠΟΣΠΟΝΔΟΙ τε καὶ ΚΑΤΗΚΟΟΙ γεγενημένοι τῶν Ῥωμαίων. *Iis autem TZANI, quum ab antiquo IN FIDE Romanorum essent, eorumque jussis obtemperarent*, (ubi minus accurate eruditissimus Vulcanius, *fæderati subditique Romanorum fuissent*) ex iis alios, ut addit, in fide mansisse; alios vero prædonum more vicina Romanorum loca ipsamque Armeniam infestasse. Unde misso Romanorum duce, eoque Tzano Theodoro, iis debellatis triburum tum primum a Justiniano impositum refert, atque ita ad suam usque ætatem, tributarios esse eosdem Tzanos: quo facto autem se haud parum extulerit, ejus etiam rei facta in Novellis Constitutionibus ab eo latis mentione, Justinianus. Quod postremum equidem, cum e Novella ejus de Moderatore Helenopoli constat, tum maxime ex ipsa Novellarum Præfatione: ΤΖΑΝΟΙ τε νῦν πρῶτον ΥΠΟ ΤΩΝ ΡΩΜΑΙΩΝ γενόμενοι, ΠΟΛΙΤΕΙΑΝ, ἐν ὑπηκόοις τελοῦσιν. τοῦθ' ὅπερ οὔπω καὶ νῦν πλὴν ἐπὶ τῆς ἡμετέρας βασιλείας δέδωκε Ῥωμαίοις ὁ Θεός. juxta veterem interpretem: *TZANI autem nunc primum SUB ROMANORUM facti REPUBLICA, inter subjectos habeantur: quod nondum hactenus, nisi sub imperio nostro dedit Romanis Deus.* Adeo ut qui hactenus in Romanorum tantum fide, ac *imperio*, ut cum Plauto loquar, erant *audientes*, ὑπόσπονδοι καὶ κατήκοοι, sicut de iis Agathias, fuerant *Tzani* vel *Sanni*; tunc Romanis subjecti (nempe sub eorum πολιτείαν, quod ille ait, redacti, & ἐν ὑπηκόοις) eorum jugum vere subierint. Immo qui nec tributarii solum, aut tum primum, quod tradit idem Agathias, fuerint, quos utique sub Hadriano tributum jam pendisse, aperte refert, ut antea diximus, Arrianus *n*, πάλαι μὲν καὶ φόρου ὑποτελὲς (nempe ἔθνος) Ῥωμαίοις, *olim quidem gens, Romanorum tributaria.* Qui vero postremo loco commemorantur a Theodorito *Abasgi*, iidem qui ibi quoque ab Arriano dicuntur Ἀβασκοὶ, & Apsiliis, qui Lazorum finitimi, contermini: quibus autem *Abasgis* Regem Rhesmagam ab Hadriano impositum idem docet. Unde illustratur, quod de hisce *Abasgis*, uti & de Alanis ad oram maritimam & ad Caucasi extremitates sitis tradit Procopius *o*, eos *Christianis & Romanis amicos esse ab antiquo*, Χριστιανοῖς τε καὶ Ῥωμαίοις φίλοις ἐκ παλαιοῦ ὄντες. alibi autem *p*, *Abasgos* olim sub Lazorum ditione comprehensos, sub geminis egisse popularibus Principibus; sed adversus eorum avaritiam ac sævitiam opem in Justiniano Imperatore reperisse, qui misso ad eos e palatii Eunuchis Abasgo quodam, eorum Regi edixerit, ne cui postea in ea gente virilitatem liceret exscindere, ac naturæ vim porro inferre; quod lubentibus animis acceperant Abasgi, καί τε τοῦ Ῥωμαίων βασιλέως ἐξεπίταξιν θαρροῦντες ἤδη, *fretis mandato Romani Imperatoris*, eos, id ne deinceps fieret, totis viribus obstitisse. Adeo ut, etsi Romanorum Imperatorum jussis obtemperare, & ab iis recepto pridem apud eos, ut ex Arriano vidimus, more, Reges accipere tenerentur *Abasgi*; necdum tamen post Theodoriti etiam ætatem, ac sub Justiniano, dum ii proprium adbuc haberent Regem, Romanorum legibus ac Præsidum jurisdictioni obstricti iidem forent. Quomodo etiam, & qui inde quoque illustratur, post factam Tzanorum, qui tum primum Romanis subjecti fuerant, mentionem; *Abasgi* una cum aliis populis *Apsilis*, *Scymnis*, *Suanis*, a Justiniano *q* commemorantur, qui vel Romanis subjecti itidem forent, vel eorum socii: Σουανοί τε καὶ Σκύμνοι, καὶ Ἀψίλαι, καὶ ΑΒΑΣΓΟΙ, καὶ ἕτεροι ὤν, Θεοῦ δόντος, φίλοι τε καὶ ἡμέτεροι. juxta veterem interpretem, *qua omnes* (gentes) *permittente Deo vel nostra, vel socia sunt.* Inter illos autem *reliquos*

z Biblioth. Cod. LXV.
a Excerpt. Legat. pag. 186. edit. Reg.
b ad Capitol. in Anton. Proc. cap. 9.
c in Periplo Maris Rubri. *d* in Anton. Pio cap. 9.
e Bell. Goth. l. IV. c. 9. *f* Bell. Perf. l. II. cap. 15.
g in Periplo Maris Rubri. *h* l. v. ab initio.
i Bell. Goth. l. IV. cap. 2.

k Novell. Præf & Præf. Nov. XXVIII. *l* l. XXV. c. I.
m Ὡς γέ τινες ὁμόρους Λαζῶν Σαννοὺς εἴρηκαν, οἱ νῦν Τζάνοι ἐπικαλοῦνται; ἀλλὰ Κόλχους εἶναι Λαζοὺς ἑτέρως καλέσαντες &c. καί τὰς ἐπὶ τούτων εἴδημεν. Bell. Goth. l. IV. cap. 2.
n in Periplo Maris Rubri.
o Bell. Perf. l. II. c. 29. *p* Bell. Goth. l. IV. c. 3.
q Præf. Nov. XXVIII.

Barbaros, qui, ut addit Theodoritus, Romanis itidem parent, neque tamen secundum Romanorum leges, mutuos inter se contractus paciscerentur, adnumerandi tunc erant *Armenii*. Ii enim post Armeniam primum a Lucullo, ac dein a Pompejo, expugnatam, Regesque iis per aliquot secula a Romanis (quod vel veteres sub Pio ac Vero nummi docent, REX ARMENIS DATVS) impositos, crebras autem inter Romanos ac Parthos & Persas deio, de eadem Armenia dissensiones, seu *perpetuam*, juxta Ammianum *r*, *bellorum* inter eos *caussam*, Theodoriti ævo liberi adhuc a Romanarum legum jugo agebant *Armenii*. Quo jure autem proximo seculo ac sub Justiniano quidem, excidisse eosdem Armenios, e Novella *ſ* ejusdem Principis Constitutione eam in rem lata constat: *Armeniorum* (ut veteris tantum interpretis verba adferamus) *regionem bene legibus gubernari volentes, & nihil ab nostra differre Republica &c. sanctionesque non alias esse apud eos, quam quas Romani nominant, oportere.* Quarto & postremo loco obiter adhuc notandum, quod ibidem a Theodorito de aliis *Barbaris nationibus* in genere dicitur, quod eædem non secundum Romanorum leges, τὰ πρὸς ἀλλήλους ποιοῦνται ξυμβόλαια, *contractus inter se* seu *conventiones paciscuntur*. Συμβόλαια nempe dicta vulgo apud Græcos pacta conventa, seu privatæ inter unius urbis cives, aut publicæ, ut eas distinguit Ulpianus *t*, inter urbes vel populos, de commerciis aliisve conventiones. Prioris significationis obvia sunt apud Græcos Oratores, ut aliis indicta tantum hic attingam, exempla: sicut apud Andocidem *u*, ἀλλὰ τῶν ἰδίων συμβολαίων αἱ πράξεις εἰσι, *sed ut privatorum contractuum exactiones sint*: Isæum *x*, περὶ μὲν τῶν ἄλλων συμβολαίων, *de ceteris quidem contractibus*: ac Lysiam *y*, οὐ μηδενὸς αὐτῷ συμβολαίου γεγενημένου, *qui nullo contractu inito*: ac unde συμβολαίων δίκαι ἐμπορικαὶ, *actiones contractuum mercatoriæ* vocantur apud Demosthenem *z*, qui & alibi eadem *a* συμβολαίων voce pro *contractibus* haud semel est usus: sicut passim, quod vel Græci eorum judices dicebant, Dionysius Halicarn. Diodorus aliique. Unde de *commerciis* dicta quoque συμβόλαια, ut cum alibi, tum apud Maximum Tyrium *b*, a quo fit mentio, συμβολαίων ἀγοραίων, θαλαττίων, ἠπειρωτικῶν, ξενικῶν, ἀστικῶν, ἐπιχωρίων, διαποντίων, *commerciorum forensium, marinorum, terrestrium, peregrinorum, urbanorum, vernaculorum, transmarinorum.* De publicis vero urbium aut populorum inter se conventionibus, dicta quoque a Græcis, ut modo innui, συμβόλαια. Quomodo eam vocem adhibet Polybius *c*, ubi varios populos de injuriis a Philippo Macedone illatis querentes inducit: Οἱ μὲν περὶ χώρας, οἱ δὲ περὶ σωμάτων οἱ δὲ περὶ θρεμμάτων ἐλαύνων ἀμφισβητοῦντες. ἔνιοι δὲ ὑπὲρ ΣΥΜΒΟΛΑΙΩΝ, καὶ τῶν εἰς αὐτοὺς ἀδικημάτων. τινὲς μὲν ὡς φάσκοντες, μὴ δύνασθαι τυχεῖν τῶν δικαίων ΚΑΤΑ ΤΟ ΣΥΜΒΟΛΟΝ, διὰ τὸ τὸν Φίλιππον ἐγκόπτειν τὴν δικαιοδοσίαν. Casaubono ininterprete: *Quorum alii agro multatos se querebantur, alii mancipia adempta, aut pecus abactum: quidam PACTA VIOLATA objiciebant: nonnulli dicere, jus æquum secundum pacta* (sive *secundum conventam juris exequendi formulam*) *obtineri a Philippo non posse: quia Rex, quo minus jus* (nempe *juxta eam formulam*) *redderetur, impediret.* Ad quæ proinde de commerciis, de permutationibus, aliisve id genus, de quibus inter barbaras illas nationes conventum erat, pacta seu συμβόλαια, respicit adductis ante verbis Theodoritus; & prout haud una fuit, sed varia & multiplex, pro earum nempe indole, aut situ, aut receptis ab antiquo moribus ac institutis, pactorum circa eadem ratio. Adeo etiam, ut in pacis cum hostibus initæ legibus, ea commerciorum cum iis jura vel restringerent subinde Romani, vel plane etiam negarent; ut postremum de Quadis observat Dio Cassius *d*, iis petentibus pacem quidem dedisse M. Antoninum; *non autem commerciorum ac* fori seu *mercatuum adeundorum potestatem*, οὐ μέντοι καὶ τὴν ἐπιμιξίαν καὶ ἐν ταῖς ἀγοραῖς ἔτυχον. Idem vero Marcomannis dies quosdam ac loca commerciorum concessisse, mox ab eodem Auctore dicitur *e*. Adde quod circa privatorum contractus seu συμβόλαια, haud levis esset inter Romanos sive oppida Romanorum civium, ac inter alia, quæ eo civitatis vel Quiritium jure carebant, oppida diversitas. Unde singularis beneficii loco juniori Romæ seu Constantinopoli, Valentis Imperatoris constitutione indultum, inter alia tradit Sozomenus *f*, ut eodem jure in contractibus, quo vetus Roma, uteretur, ἀλλὰ ΤΑ ΣΥΜΒΟΛΑΙΑ κατὰ τὰ νόμιμα τῶν ἐν Ἰταλίᾳ διεκρίνετο, *verum etiam CONTRACTVS civium ejus urbis, juxta leges Romanorum, quæ in Italia sunt, judicabantur.* Sicut vero συμβολαίων δίκαι, de iis privatorum contractibus, ut paullo ante vidimus, appellatæ; ita συμβολαῖαι δίκαι, actiones de conventionibus inter Athenienses & eorum socios, a Thucydide *g* dictæ eo loco, quem adduxit jam ὁ πάνυ Budæus. Neque vero, ut hoc addam, in memoratis paullo ante Polybii verbis, idem σύμβολον, quod συμβόλαιον: quorum illud non pactum adeo aut conventionem in genere notat, quam constitutam ex pacto formulam, juxta quam ortæ inter populos vel urbes controversiæ dirimerentur, ut erudite jam id ad Harpocrationem monuit doctissimus Valesius *h*, & nuper ad Julianum *i* quoque attigimus. Quomodo nempe apud Livium *k* a Romanorum legatis, in ea variorum populorum cum Philippo disceptatione, pronunciatum legitur, *de injuriis quas ultro citroque illatas queruntur, QVOMODO inter eas gentes & Macedones DISCEPTETVR, FORMVLAM JVRIS EXEQVENDI constituendam esse.* Idem utique, quod in adductis Polybii, & quæ paullo ante leguntur, verbis, ac alibi apud eundem dicitur *l*, κατὰ τὸ σύμβολον δίκαιον λαβεῖν, aut εἰς δικαιοδοσίας redigi, interprete, ut cernimus, Livio, *juxta formulam juris exequendi disceptare*, aut *judicari* ac prout ἀπὸ συμβόλων δίκας, aut δικάζειν, vel δικάζεσθαι, ea de re est a Græcis *m* olim dictum. Unde obiter explicandus Antiphontis *n*, quem, ut sæpe alibi, non adsequutus est interpres, locus: ubi nonnullos Atheniensium socios inter eorum hostes ait habitare, καὶ δίκας ἀπὸ συμβόλων ἡμῖν δικαζομένους, *& controversias nobis e formulis juris exequendi constitutis facientes*, non vero alio plane sensu, *jura ab hostibus vestris accipientes.* Adeo ut illud Polybii, κατὰ τὸ σύμβολον δίκαιον λαβεῖν, id speciatim notet, quod in genere, κατὰ τὰς ξυνθήκας δίκας δοῦναι, aut δίκη λύεσθαι, *ex fœderum pactis judicio de rebus controversis disceptare*, aut eas *dirimere*, a Thucydide haud semel dicitur. Mitto hic usurpatam a recentioribus Græcis, & in jure Justinianeo Codicis aut Novellarum, συμβολαίου pro *instrumento* seu *syngrapha* significationem, quæ non est

r l. xxx. cap. 2. *ſ* Nov. xxi. & Edict. iii. Justiniani.
t Leg. v. D. de Pactis. *u* Orat. I. p. 216. edit. Hanov.
x Orat. iii. pag. 412. Ibidem. *y* Orat. ii. pag. 34.
z Orat. adv. Phormion. pag. 590.
a adv. Zenothem. pag. 575. & adv. Phormion. p. 585.
b Orat. xxxvi. pag. 315.

c Excerpt. Legat. xlvi. pag. 860.
d l. lxxi. pag. 807. *e* Ibidem pag. 808.
f l. vii. cap. 9. *g* l. I. pag. 51.
h pag. 72. & 133. *i* Observ. in Orat. I. pag. 34.
k l. xxxi. c. 26. *l* Exc. Legat. cxxiii. pag. 956.
m Pollux l. viii. c. 6. Hesychius *n* Orat. xiv. p. 126. ed. Han.

jam

jam hujus loci. Et de hoc Theodoriti loco hactenus, unde quæ adhuc ejus ævo juris diversitas inter varias Romani Orbis gentes exstiterit, liceat continuo statuere.

XIX. Neque vero sequenti seculo sub Justiniano, sublata adhuc omnis quarumdam urbium in Orbe Romano suarum legum libertas. Id quidem de *Tzanis* & *Armeniis* sub eo contigisse, e Novellis ejusdem Constitutionibus diximus; ut tum primum Romanorum iidem jure legibusque obstricti deinceps fuerint. A quo tamen Justiniano in limine earundem Novellarum dicitur, juxta veterem earum interpretem: *Occupatis nobis circa totius Republica curas, & parvum nihil eligentibus cogitare, sed quatenus quidem Persæ conquiescant, Vandali autem cum Mauris obediant, & CARCHEDONII ANTIQUAM recipientes HABEANT LIBERTATEM:* juxta Græca autem, seu ipsa Justiniani verba, ΚΑΡΧΗΔΟΝΙΟΙ δὲ ΤΗΝ ΠΑΛΑΙΩΝ ἀπολαβόντες ΕΧΟΙΕΝ ΕΛΕΥΘΕΡΙΑΝ. Unde hactenus eadem verba, de *Carthaginiensibus*, qui Καρχηδόνιοι a Græcis dicti, quique proinde antiquam sub hoc Justiniano libertatem postliminio velut recuperarint, explicant omnes hujus Novellarum Justinianearum ingressus interpretes. A qua tamen explicatione ut continuo recedam, facit: Primo, quod nova hæc eaque Gracchi primum, dein felicioribus J. Cæsaris auspiciis condita vel instaurata fuerit in Africa Carthago: colonia nempe e Romanis civibus, quod ex Auctoribus *o* & nummis præterea antiquis constat, in eam tum deducta. Unde a Plinio dicitur, *Colonia Carthago magna in vestigiis Carthaginis*: & in Gestis Purgationis Cæciliani *q*, *splendida colonia Carthaginensium*: apud Apulejum *r* autem, *splendidissima Carthaginensium curia*, ac *splendidissimi ordinis* fit mentio. Nota autem haud plane in Romana antiquitate tyronibus, vel ex iis, quæ ea de re jam sumus commentati, diversa *coloniarum* & *liberarum urbium* in Orbe Romano conditio: quum illæ, Romanorum utpote civium, civilibus Quiritium legibus subjacerent, non vero liberæ urbes, quæ vulgo suarum legum libertate & avita Reipublicæ forma fruerentur. Unde etiam inter urbes, quæ *sub* Romanorum *legibus agunt*, & *solemnes* quibus novi Consules magistratum inibant, *dies celebrant*, juxta Constantinopolim, Antiochiam, Alexandriam, *Carthago* ab Ausonio in Gratiarum Actione pro Consulatu recensetur. Adde, quod exin perpetua sedes Proconsulis Africæ, qui ibi jus diceret, evasit, dictaque inde *Proconsularis Carthago f*: & acceptæ ibi ab Imperatoribus ad eosdem Proconsules, aut ad Vicarios Africæ, quod vel ex utroque Codice obvium, leges. Quomodo etiam constituto a Justiniano Africæ Præfecto Prætorio, additur *t*: *cujus sedem jubemus esse Carthaginem.* ac præterea, *ut Carthago, & Byzacium, ac Tripolis Rectores habeant Consulares: reliqua vero, Numidia, Mauritania, & Sardinia, a Præsidibus gubernentur.* Secundo, quod quæcunque illius novæ Carthaginis amplitudo dein ac felicitas sub Romanis Cæsaribus fuerit, seu eorundem Cæsarum in eam urbem indulgentia, quam prædicant illius urbis sub Severo & Antonino Caracalla, nummi, INDVLGENTIA AVGG. IN CARTH. *Indulgentia Augustorum In Carthaginenses*, aut alii sub sequutis Imperatoribus, FELIX CARTHAGO; & ad quam respicit ab initio libri de Pallio ipse Carthaginiensis Tertullianus, *Principes semper Africæ viri Carthaginienses, vetustate nobiles, novitate FELICES*: aut quod ab Apulejo *x*, Herodiano *y*, Ausonio *z* aliisque, inter primas non Africæ solum, sed Orbis Romani civitates adnumerari meruerit: nusquam tamen inter *liberas* vel αὐτονόμους urbes relata legitur. Neque vero quod hæc urbs ab iisdem Principibus Severo & Antonino, juxta Uticam & magnam Leptim, *juris Italici*, ut id de iis tradit *a* Paulus J. C. *facta* itidem fuerit; ideo, ut ea de re mox videbitur, dictis liberis in Orbe Romano urbibus adscripta inde Carthago: quæ & *sub* Romanorum *legibus*, ut de ea dicentem vidimus Ausonium, agebat, & in qua perpetua viguit Romani Proconsulis, aut Vicarii Africæ, vel Præfecti Prætorum Africæ jurisdictio. Unde de eadem Carthagine, & quam *in Africano Orbe quasi Romam* vocat Salvianus *b*, addit: *Illic honor proconsularis, illic quotidianus judex & rector, quantum ad nomen quidem Proconsul, sed quantum ad potentiam Consul.* Tertio, non *Carthaginem* quidem, sed e regione veteris Byzantii *Calchedonem*, eo *libertatis* jure olim usam, & inde *liberam* etiam a Plinio *c* nuncupari: *rursusque coeuntibus terris angustia pertinentes usque ad Bosphorum Thracium. In iis CALCHEDON* (ut scribi debet, non *Chalcedon*) *LIBERA.* Dicta nempe hæc urbs in omnibus antiquis ejus nummis, non ut vulgo hodie apud Auctores. ΧΑΛΚΗΔΩΝ, sed cum mutato litterarum Χ. & Κ. situ, ΚΑΛΧΗΔΩΝ, *Calchedon*, quomodo semel apud Strabonem *d* τὸ Καλχηδόνος, & bis apud Herodianum *e*, ac præterea in Actis Oecumenici Concilii Calchedonensis *f*, quæ miror non adtendisse viros eruditos, constanter Καλχηδόνος & Καλχηδονίων legitur. Unde factum, ut levi & obvio librariorum errore, eadem urbs Bithyniæ ac in Asia Καλχηδών, & Afrorum Καρχηδὼν seu *Carthago*, quod pridem me indicasse memini *g*, confusæ sæpe fuerint in veterum Auctorum, quæ ad nos transmissa sunt, monumentis. Ita ut id uno vel altero exemplo illustremus, apud Theophrastum *h* de quodam Smaragdi genere agitur, qui reperiatur ἐν τῇ νήσῳ τῇ ἐπικειμένῃ Καρχηδόνι, juxta Gazam, *in insula quæ Carthagini adjacet*: sed ubi Καλχηδόνι reponendum, præter alia docebit Plinius *i* & monuit jam ibi, ut nunc video, novissimus ac eruditus ejus editor Harduinus: *Calchedonii nescio an in totum exoleverint, postquam metalla æris ibi defecerunt.* dein: *Mons juxta Calchedonem, in quo legebatur, Smaragdites vocatus est.* Sic apud Themistium *k*, Χαλκηδόνιον, seu verius Καλχηδόνιον, Ξενοκράτην, pro Καρχηδόνιον, *Calchedonium Xenocratem*, non *Carthaginensem* legendum vidit doctissimus Petavius: qualis revera, ut vel e Laertio in ejus vita, & aliunde constat, exstitit; non prout in Stephaniana Laertii editione, quod viderunt jam viri docti, legebatur, sicut apud Themistium quoque, & moneri uno verbo ab iis potuit, Καρχηδόνιος. Unde non mirum, si pari ratione hic apud Justinianum, & obvio librariorum in hac voce errore, ac unde tamen haud levis oritur quoad urbes longo terrarum aut marium spatio divisas confusio, Καρχηδόνιοι legatur, pro Καλχηδόνιοι, & in versione veteris interpretis *Carchedonius*,

o Strabo l. XVIII. pag. 833. Vellejus l. II. cap. 15. Plutarch. in Cæsare pag. 734. Dio Cassius l. XLIII. pag. 249.
p l. VII. cap. 3. *q* cap. 4. *r* Florid.
f Leg. 1. §. 2. C. Just. de Off. Præf. Præt. Afr.
t Ibidem §. 1. *u* Ibidem §. 2.
x Florid. *y* l. VII. cap. 6. *z* de Claris Urbib.
a Leg. VIII. §. 11. D. de Censil.
b de Gubern. Dei l. VII. cap. 16.

c l. V. sect. 43. *d* l. III. pag. 741.
e l. IV. cap. 3. & l. V. cap. 4.
f vid. Concil. Labbæi T. IV. & Canon. Eccles. Univ. Justelli T. 1.
g Diss. de Præst. Num. pag. 76. & 901.
h de Lapidib. *i* l. XXXVII. §. 18.
k Orat. II. pag. 26.

Romæ ac intra centesimum ab Urbe milliare; in Italia vero, quadriennium; in ceteris provinciis triennium constituitur: ac unde similiter *Italici* adhuc & *Quiritium juris* ea ætate diversitas elucescit. Mitto quod in eadem lege Theodosii junioris, de Privilegiis Urbis Constantinopoleos, discrimen illud clare adhuc ibidem designatur: nempe ut eadem urbs seu nova Roma [f], *NON SOLUM JURIS ITALICI, SED ETIAM ipsius Romæ veteris prærogativa lætatur.* Adeo ut ea verba in hujus Theodosii constitutione, *non solum juris Italici*, a Triboniano non tantum confidenter valde ac temere, sed imperite etiam ac absurde omnino fuissent inserta; si id *jus Italicum*, & quod a Valente dicitur in Constitutione Codicis Theodosiani, *Italici juris auxilium*, nihil aliud, nisi jus fuisset ipsius veteris Romæ, seu partem ejus tantum & prærogativam, quod statuit vir doctissimus, designasset. Unde jus illud *Italicum*, quod a Valente Constantinopoli *renovatum* ibi dicitur, de immunitate, quam supra adtigi, tam capitis quam soli, & de qua ipsemet Codicis Theodosiani enarrator, *jus Italicum* coloniarum, de quo fit mentio in Digestis capite de Censibus, explicandum viderat, opportunius longe, ac ut etiam a doctissimo Valesio ad Sozomenum [g] factum observo, exponi ab eo debuerit. Ad quam autem Valentis constitutionem omnino respicere ibi Sozomenum, etsi aliter id statuere videatur Valesius, existimo, ubi Novæ seu Junioris Romæ, quibus sub Theodosio jam gaudebat, privilegia enumerans Sozomenus, ait iis verbis, quæ alia occasione supra adtulimus [h], *ἀλλὰ καὶ τὰ συμβόλαια, κατὰ νόμιμα τῶν ἐν Ἰταλίᾳ Ῥωμαίων, ἐκρίνετο, verum etiam contractus, juxta leges Romanorum, QUI IN ITALIA SUNT, judicabantur.* *Juris* enim *Italici*, præter eam quam dixi, immunitatem a tributis, partem quoque, ut antea diximus, constituebant varia circa quosdam actus aut contractus privilegia; uti in alienationibus, usucapionibus, annali exceptione, restitutione in integrum: in quibus Constantinopolis, ut olim, ita ea Valentis Constitutione, *juris Italici auxilio* eidem *renovato* deinceps frueretur. Neque vero mirabitur quispiam immunitatem a tributis, seu *ἀτέλειαν*, vel illis Romanorum coloniis, de quibus agitur in Digestorum lemmate de Censibus, a Romanis Principibus impertitam, vel Novæ Romæ seu Constantinopoli, a Valente Imperatore renovatam. Colonias enim illas quod adtinet extra Italiam deductas, eas a persolvendis soli aut capitis, quæ ab Augusto constituta in provinciis fuerant, tributis haud fuisse immunes, nisi id singulari Principis beneficio ac indulgentia fuisset iis concessum, vel ex iisdem prisci Romanorum juris antistitibus, Paulo & Ulpiano, ut mox dicetur, constat. Immo prout jam ante apud Plinium, plures in Hispania [i], Illyrico [k], & in Africa [l], vel urbes & coloniæ, vel etiam populi, sicut *Locri Ozolæ* [m], immunes dicuntur; aut in priscis quoque *Illicorum* in Hispania Tarraconensi percussis sub Augusto ac Tiberio, & a Cl. Vaillantio [n] divulgatis jam nummis, iidem, quod de illis quoque tradiderat Plinius [o], *immunes* designantur. Nempe præcipui cujusdam beneficii loco habita olim hæc immunitas: adeo ut vel sociis ac fœderatis, aut subjectis alioquin gentibus vel civitatibus, libertas potius & *αὐτονομία*, seu sui juris suarumque legum arbitrium, quam ejusmodi *ἀτέλεια* concederetur. Ita olim e sociis Atheniensium urbibus, quasdam fuisse *αὐτονόμους*, sed non *αὐτοτελεῖς*, *suis legibus utentes*, non autem *a tributis immunes*, docebit Thucydides [p]: qui ibidem utrumque Delphis [q], ab iisdem Atheniensibus & Lacedæmoniis [r]; alibi vero, Peloponnesiorum urbibus, ex fœdere Lacedæmoniorum & Argivorum, relictum tradit, ut *αὐτόνομοι* nempe & *αὐτοτελεῖς* simul essent. Eadem ratione etiam a Romanis, cum sociis aut redactis in eorum ditionem populis vel civitatibus actum est. Ita post bellum Antiochicum, *αὐτονόμους* in Asia urbes, quæ fidem eo bello servaverant, ac nominatim *Colophonios*, *Cumæos*, *Mylassenses*, *Clazomenios*, immunes in posterum a tributis seu *ἀφορολογήτους*, ut ea de re Polybius [s], ex legatorum sententia, Romani decernunt. Quomodo iidem Græcis *Elataensibus* ac *Phocensibus*, quod se Mithridati non dediderant, præter eam, qua jam gaudebant, libertatem, immunem a tributis regionem possidere, *ἀτελῆ νέμεσθαι τὴν χώραν*, teste Pausania [t], concesserunt. Ita subactis *Illyriis*, de quibusdam eorum populis, qui de Romanis eo bello bene erant meriti, decretum refert Livius [u], *NON SOLUM liberos, sed etiam IMMUNES esse Issenses, & Taulantios &c. quod incolumi Gentio ad Romanos defecissent; Daorsis quoque IMMUNITATEM dare, quod relicto Caravantio cum armis ad Romanos transissent.* Quam in rem, seu a Romanis concessæ devictis gentibus, aut sociis, juxta legum & magistratuum libertatem, immunitatis, insigne testimonium perhibet, ubi de Roma ait, M. Antonii & Cleopatræ temporibus, Seneca [x], *ut quæ Achais, Rhodiis & plerisque urbibus claris jus INTEGRUM LIBERTATEMQUE cum IMMUNITATE reddiderat, ipsa tributum Spadonibus penderet.* Adde, *Iliensibus*, quasi Romanæ gentis auctoribus, tributa in perpetuum, ut ea de re Tranquillus [y], sub Claudio remissa. Quum cæteroquin aliis devictis a se populis vel urbibus, libertas quidem ac *αὐτονομία*, non autem *immunitas* data continuo a Romanis fuerit; aut imminuta subinde, non autem sublata omnino, quæ iidem populi deinceps Romanis penderent, tributa. Quomodo ii, de quibus modo, *Illyrii*, & *Macedones* itidem, subactis & captis eorum Regibus, memorato modo Gentio ac Perseo, *liberi* quidem & suis *utentes*, quod supra de Macedonibus dictum, e Livio vidimus, *legibus, ac annuos creantes magistratus*, e legatorum sententia declarati; sed ita [z], ut *dimidium ejus, quod pependissent Regibus, pendere populo Romano*, juxta eundem Livium ac Diodorum [a] in Excerptis Valesianis, tenerentur: *αὐτόδικοι* proinde, ut Græci ea in re loquuntur, & *αὐτόνομοι*, non vero *αὐτοτελεῖς*. Qua ratione etiam Regibus, Dynastis, ac civitatibus liberis, tributa pro cujusque facultate, post Bruti & Cassii cladem, a M. Antonio imposita memorat Appianus [b]. Ut Judæos nunc mittam, quibus *αὐτονομία* quidem, seu patriis institutis utendi libertas a Romanis, ut e Philone, Josepho, ac aliunde constat, & supra jam adtigimus, est relicta; non vero *immunitas tributorum*, *φόρων ἄφεσις*, quam se non audere pro Hierosolymitanis a Caligula petere ajebat, juxta Philonem [c], Rex Agrippa; postquam nempe Hierosolymorum urbs Romanis *ὑποτελὴς* seu *tributaria*, ut ea de re Josephus [d], evaserat. Unde inter colonias illas magno numero a Romanis extra Italiam in provinciis sub Imperatoribus, vel paullo ante jam deductas, id discrimen quoque est observatum: ut ex iis aliæ singulari

f Leg. Univ. l. xi. Tit. xx. Cod. Just.
g Annot. ad l. vii. c. 9. h l. vii. c. 9.
i l. iii. Sect. 3. 4. k Ibid. Sect. 25. l l. v. Sect. 3.
m l. iv. Sect. 9. n p. 54 & 111. de Imp. Colon. T. I.
o l. iii. Sect. 4. p l. v. p. 356. q Ibidem.

r p 389. s Exc. Legat. xxxvi. p. 844.
t l. x. p. 677. u l. xlv. c. 26 x de Benef. l. v. c. 16.
y in Claud. c. 25. z Livius l. xlv. c. 26. & 29.
a pag. 317. b Bell. Civ. l. v. p. 674.
c Legat. ad Cajum p. 1032. d Antiq. l. x. c. 8.

quadam gratia, vel ob eximiam earundem in Romanos fidem, aut ob privata in Principes merita, plenariam a tributis immunitatem seu *juris Italici* beneficium sint adeptæ; aliæ autem eo jure caruerint, consueto tantum coloniæ nomine ac jure donatæ. Quod utrumque nobis adhuc ante oculos ponunt veteres Jurisconsulti in capite Digestorum de Censibus: ac prius quidem, ubi vel ab Ulpiano [e] *Berytensis* in Phœnice *colonia*, *Augusti beneficiis gratiosa*; aut in eadem provincia, *Tyriorum* [f] colonia, *ob egregiam in Rempublicam Imperiumque Romanum fidem*; aut *Heliopolitana* [g], *per belli civilis occasionem*; aut *Laodicena* [h] colonia in Syria Cœle, *ob belli civilis merita*, *jus Italicum* seu *Italica colonia Rempublicam*, vel ab Augusto, vel a Severo ac Antonino Caracalla, dicuntur habuisse: præter plures alias, quæ in Asia, Proconsulari nempe, Pisidia, Cilicia, Bithynia, Ponto, Dacia, Macedonia, Gallia, Germania, Hispania, Lusitania, & alibi adhuc idem *jus Italicum* vel ab eodem Ulpiano, aut a Gajo [i], Celso [k], Paulo [l], Imperatorum nempe concessione, dicuntur accepisse. Alterum vero coloniarum genus, quæ eo jure, ut dixi, caruerint, haud obscure tangit ibidem Ulpianus [m], a quo *Ptolemensium colonia*, *quæ inter Phœnicen & Palæstinam sita est*, *NIHIL PRÆTER NOMEN COLONIÆ habere* ab eo traditur: aut in Palæstina, duas fuisse colonias *Cæsariensem* [n] & *Capitolinam*, *sed NEUTRA JUS ITALICUM habet*: aut quomodo de Antiochensibus in Syria ait Paulus [o], *Divus Antoninus Antiochenses colonos fecit SALVIS TRIBUTIS.* Qua ratione itidem contigit, ut Novæ Romæ, seu Constantinopoli memoratum supra *Italici juris auxilium*, sit eidem a Valente Imperatore *renovatum*; cujus etiam Principis præclara in eam urbem merita, ac nominatim in minuendis exactionibus ac tributis, prædicat Themistius [p]. Adde, quod nec uno eodemque tempore, omnia Veteris Romæ *προνόμια* Novæ sint delata; aut vetera Byzantii jura & privilegia renovata eidem fuerint, vel in majus etiam aucta. Unde huic quidem Byzantio libertatem, juxta Achajam, Lyciam, Rhodum, Samum, ut de iis supra, a Vespasiano ademptam tradunt Suetonius [q] & Eusebius in Chronico [r], quam tunc eidem mox sub Trajano restitutam, e Dionis Prusæensis Rhodiaca licet colligere; sed ita ut libertate tantum, citra immunitatem a tributis, juxta Athenienses, Lacedæmonios, Mytilenæos, qui ibi memorantur, gauderent Byzantini; de quibus nempe ait ibi in genere Bithynus Orator, *τοῖς μὲν γὰρ μόνον ὑπάρχειν τὴν ἐλευθερίαν*, *iis enim tantum libertatem superesse.* Severus autem capta, quæ pro Nigro steterat, Byzantio, libertatem non solum ac jus urbis, quod supra itidem vidimus, eidem ademisse; sed eam insuper *tributariam effecisse*, *δασμοφόρον ἀποφῆναι*, ab altero Dione [t] dicitur. Huic tamen urbi eundem Severum paullo post, Antonini Caracallæ interventu, *sua jura vetera restituisse* refert Spartianus [u], eamque denuo ab eo Principe instauratam, Hesychius Milesius [x] aliique, & quæ *Antoniniana* dein nomine ejusdem Antonini Caracallæ, juxta eundem Hesychium, sit appellata. Quum tamen sub Gallieno [y], ac dein sub Claudio [z] vastata eadem Byzantium fuisset ac direpta; meliori dein fato, a Constantino & successoribus, mutato veteri nomine, non antiquis solum veteris Byzantii juribus, sed novis insuper, & quæ eam Romæ velut adæquarent, est nacta. A quo autem Constantino, ut existimat doctissimus Codicis Theodosii enarrator, an jam antea, eo *juris Italici auxilio*, seu a tributis immunitate, aliisque adjunctis eidem juri, ut antea diximus, privilegiis, fuerit ornata; quæque eidem postea, sicut in lege ab eo lata dicitur, renovaverit Valens, haud certo licet statuere. Mitto cæteroquin illius a tributis immunitates, privatis quoque proemii seu remunerationis loco, subinde a Romanis Principibus concessas: uti lege a Constantino lata [a], quæ accusatoribus eorum, qui adulterinam monetam cudunt, immunitas: ac similiter Gratiani constitutione, quæ ex parte in Codice Justinianeo, integrior in Theodosiano legitur [b], & qua sancitur, ut qui *desertorem servus prodiderit*, *libertate donetur*; *si mediocris loci ingenuus*, *IMMUNITATE potiatur*.

XXI. E quibus autem modo dictis id etiam abunde colligitur, illud *jus Italicum*, quo vel plures Romanorum coloniæ, vel ad earum exemplum, Constantinopolis, sunt a Romanis Principibus donatæ, diversum omnino fuisse a jure veteris Latii, neque istud in *Italici* nomen transiisse: quod utrumque tamen, nec uno loco, contendit, ut id in priori Exercitatione jam vidimus, vir eruditione ac ingenio præstans. De qua re autem haud est una illi sententia; dum ad Plinium [c], ut id supra jam expendimus, jus illud Latii antiquum, quod dein toti Italiæ sit impertitum, & *Italicum* exin dictum, de eo interpretatur, quo Latinis a Romanis olim est concessum, ut in bello Romanis legionibus permixti militarent, & ibi magistratus ac honores possent adipisci, non autem Romæ. Post datam vero Latinis, & populis aliquot exteris civitatem, vocatum illud fuisse *jus civium Romanorum*: alterum vero longo post tempore universæ Italiæ datum, *Italicum* inde dici coeptum. Unde quum deducerentur postea a Romanis coloniæ, aliis *jus* illud *Italicum*; aliis vero *jus civium Romanorum* fuerit datum. In Antirrhetico [d] autem Romanorum colonias duorum itidem generum fuisse docet: alias, quæ jure civium Romanorum donabantur: alias, quæ jure antiquo Latii gauderent, quod & *Italicum* postea dictum sit, cum nempe universæ Italiæ illud fuit impertitum, ubi vectigal sustulit Augustus, quod Itali, sicut reliquæ provinciæ, ante ejus principatum persolverent. Unde quibus coloniis denegata fuit immunitas, iis *jus Italicum* denegatum dicatur a Jurisconsultis, Celso, Cajo, Paulo, Ulpiano, Titulo Digest. de Censibus. Quomodo etiam natum sit, ut statuit ibidem vir eruditus, illud inter colonias discrimen: ut nempe *coloniæ Romanæ* dicerentur, seu quæ jus haberent Romanorum civium, hoc est, quarum coloniarum civibus, perinde ac Romanis ipsis, in Urbe petere ac gerere magistratus licuit; quo autem, quæ *Italico* tantum *jure* in provinciis urbes vel coloniæ donabantur, omnino caruerint, quibusque pro jure veteris Latii, licuerit duntaxat in bello cum Romanis legionibus militare, ibique honoribus & magistratibus fungi. Hujus vero inter utriusque illius generis colonias discriminis, etiamnum exstare manifesta in earum nummis, quod ille primus observarit, symbola existimat. Quæ enim coloniæ vel municipia lupam

[e] Leg. 1. §. D. de Censib. [f] Ibid. ab initio.
[g] Ibid. §. 2. [h] Ibid. §. 3. [i] Ibid. Leg. VII.
[k] Ibid. Leg. VI. [l] Ibid. Leg. VIII. [m] Leg. 1. § 3.
[n] Ibid. §. 6. [o] Leg. VII. §. 5. [p] Orat. VII. p. 92. 93.
[q] in Claud. c. 8. [r] Chron. Olimp. CCXIII.
[s] Orat. XXXI. p 343. [t] l. LXXIV. p. 847
[u] in Caracalla c. 1. [x] Rer. Constantinop. p. 20. ed. Reg

[y] Trebell. Pollio in Gallien. c. 6.
[z] Idem in Claud. c 9.
[a] Leg. II. C. Th. de Fals. Monet.
[b] Leg. IV. C. Th & Leg. II. C. Just. de Desertor.
[c] Harduin. Not. & Emend. ad Plin. l. III. p. 389. T. 1.
[d] pag. 135.

habeant

habeant cum Romulo & Romo insculptam, has esse *colonias Romanas*, seu ut eas Plinius vocat, *municipia civium Romanorum*, quæ eo, quo dixi, jure petendi & gerendi in Urbe magistratus gauderent. Quæ vero coloniæ, aut aliæ urbes, insigne illud non haberent, aut in quarum nummis legio subinde notata demum foret, aut alibi sculpta fuerit sus foeta; eas *jure Italico* tantum usas, seu Latinæ conditionis colonias debere demum intelligi. Quæ autem, quod citra ullam viri, cujus cæteroquin ingenium colimus, contumeliam; dicere nobis liceat, valde sunt aliena vel infirma, uti id obiter ad Julianum nuper adtigimus: hic autem paullo accuratius, quod argumenti, in quo nunc versamur, tractatio, id a nobis omnino exigat, est declarandum. Ac primo equidem illud est tenendum, *jus Italicum* nuspiam de *jure Latii antiquo*, a priscis Auctoribus, aut in aliis veterum monumentis intelligi: aut istud, quod utrumque tamen vir ille eruditus contendit, in *Italicum* exin dictum, vel post civitatem Latio impertitam, vel post sublatum ab Augusto Italiæ vectigal, transiisse. Constat enim post datam toti Latio, quæ jam in priori Exercitatione expendimus, civitatem, eandem brevi universæ quoque Italiæ fuisse communicatam: ut proinde *jus Italicum* de illo antiquo Latii jure dici inde neutiquam potuerit; neque istud in Italia minus, quam in Latio, si vel antea receptum in eadem fuisset, censeri abolitum. Immo post immunitatem, non a vectigalibus quidem in genere, sed a tributis in agros, aut in caput, quæ in provinciis indixerat Augustus, Italiæ concessam; ac inde, ut vere & erudite primus observavit Sigonius *e*, *juris Italici* nomine appellatam, & sub sequutis Imperatoribus, servata adhuc *juris Latii veteris* seu *Latini*, & *juris* illius *Italici* distinctio legitur; nec istud de altero unquam dictum. Quod utique certum ac indubitatum reddunt cum adlata supra ex utroque Plinio *f*, Gellio *g*, Spartiano *h*, *Latinorum veterum*, vel *Latina colonia*, Vespasiani ac infra eundem, ætate nomenclatio, ut, quod *i* *Latium multis civitatibus* dedisse Hadrianus dicitur: tum nominatim ubi utriusque *Latini* & *Italici*, tanquam diversi juris meminit Plinius. Sicut alibi in describenda Hispania *k*: *Ex colonia Accitana Gemellenses & Libisosona cognomine Foroaugustana, quibus duabus JUS ITALIÆ datum: ex colonia Salariense oppidani LATII VETERIS Castulonenses.* Item alibi de Scardonitarum in Illyrico conventu *l*: *JUS ITALICUM habent eo conventu, Alutæ, Flanates, a quibus Sinus nominatur, Lopsi, Varvarini, IMMUNESQUE Assesiates, & ex insulis Fertinates, Curictæ.* Secundo, longe etiam diversum exstitisse utriusque juris rationem: dum illius seu *veteris Latii* prærogativa in eo potissimum esset sita, quod per gestos in patria magistratus, ut id supra expendimus, daretur ad Romanam civitatem & honores in ea gerendos aditus: *jus Italicum* autem sub Romanis Principibus, & inde ab Augusto, in immunitate, ut diximus, a tributo soli & capitis præcipue versaretur, ac præterea in aliis quibusdam commemoratis paullo ante actibus. Unde eædem coloniæ *immunes* subinde a Plinio dictæ, ut paullo ante *m*, in Illyrico *immunes Assesiates*. alibi de Hispalensi in Hispania conventu *n*: *Hujus conventus sunt reliqua coloniæ IMMUNES: Tucci* nempe, seu *Augusta Gemella: Ituci, quæ Virtus Julia: Attubi, quæ Claritas Julia: Urso, quæ Genua Urbanorum & Munda.* Tertio, postquam Antonini Caracallæ constitutione, omnes, quod ait Ulpianus, in Orbe Romano cives Romani sunt effecti, sublatum continuo intelligitur jus illud Latii; quo gaudebant prius variæ gentes vel urbes; & quo militare in Romana legione, ac in ea honores adipisci poterant; tum etiam ad civitatem Romanam patebat demum, ut modo diximus, earundem incolis seu civibus via: ac unde postea desiit, quæ toties apud Plinium, quod antea vidimus, occurrit, inter *oppida Latina*, seu *Latii veteris*, vel *Latinæ conditionis*, & inter *oppida* vel *municipia civium Romanorum* distinctio. Neque enim qui *Latini* vocantur in libris juris Romanorum civilis, aut *Latinæ conditionis* alii, ut vel juris tironibus notum, & jam in priori Exercitatione vidimus, quam *liberti* exstiterunt, quorum gradus lege Junia Norbana leguntur inducti, & *Latini Juniani* inde ad discrimen *colonariorum* appellati. Unde etiam de *libertorum*, qui e civibus Romanis *Latini* facti fuerant, hereditate exstat, quod supra quoque expendimus, Constantini in Codice Theodosiano *o*; ac alia tandem in Justinianeo *p* ab eo Principe lata, de ea *Latinitate* seu *Latina Libertate Tollenda*, constitutio: in qua, & cujus priora verba sunt etiam a nobis adducta, id inter alia de eadem horum *Latinorum libertorum* appellatione, & ejusdem tollendæ caussis dicitur: *Cum enim Latini liberti, ad similitudinem ANTIQUÆ LATINITATIS, quæ in colonias missa est, videntur esse introducti, ex qua nihil aliud Respublica nisi bellum accessit civile: satis absurdum est, ipsa origine rei sublata, ejus imaginem derelinqui.* Inter quos autem *Latinos Junianos*, & *antiquos*, ut hic vocantur, *Latinitatis* colonos, seu ut ii in Ulpiani & alterius veteris Jurisconsulti Fragmentis dicuntur, *Latinos colonarios*, discrimen non denuo hic tangam; de quo itidem supra jam actum est. Quod vero illud discrimen statuit, ut paullo ante diximus *q*, vir eruditus inter Romanas colonias, seu quæ jus haberent civium Romanorum *r*, hoc est, gerendi in Urbe magistratus; & colonias; quæ tantum haberent *jus Italicum*, seu vetus Latium. hoc est, quibus in legione quidem militare; & in ea tantum honores, non vero Romæ adipisci licuit, id haud minus e veterum monumentis, iisque quæ jam ante sunt a nobis monita, abunde refellitur. Neque enim Romanæ coloniæ, quod in prima Exercitatione ostendimus, jus illud habebant, honores in Urbe capiendi. sed municipia, quæ inde *oppida civium Romanorum* a Plinio haud semel appellantur: neque *coloniæ juris Italici*, & quarum fit a veteribus Jurisconsultis in Digestis *s* mentio, eædem cum *Latinis*, seu quibus *jus Latii vetus* fuit indultum, coloniis: sed quæ immunitate a tributo soli & capitis gaudebant, ac inde *immunes* etiam a Paulo J. C. *t* sicut a Plinio non semel, ubi de variis Hispaniæ *u* aut etiam Dalmatiæ *x* agit conventibus, appellantur. Neque vero illæ *Romanæ* minus *coloniæ*, aut infra harum conditionem habitæ; immo quæ præ aliis jure Italico destitutis, eo insigni immunitatis seu *Italici juris*, quod præterea in actibus quibusdam, ut supra vidimus, erat situm, *auxilio* vel *prærogativa*, uti de eo jure dicitur in Valentis *y* ac Theodosii *z* junio-

e de Ant. Jur. Ital. l. 1. cap. 21.
f Plinius Major l. III. cap. 9. Plinius Jun. Paneg. c. 37.
g l. XIV. cap. 13. *h* in Hadriano cap. 21.
i Ibidem. *k* l. III. cap. 3. *l* l. III. cap. 21.
m Ibidem. *n* l. III. cap. 3.
o Leg. 1. C Th. de Hered. Petit.
p lib. VII. Tit. VI. Cod. Just.
q Harduin. Antirrh. pag. 1. 36.
r Fragm. Tit. XIX. §. 4.
s Leg. 1. §. 2. 3. 4. 5. 6. 8. Leg. VI. VII. VIII. §. 1. 2. &c. D. de Censib.
t Ibid. Leg. VIII. §. 7. *u* l. III. Sect. 3. 4.
x lib. III. Sect. 25.
y Leg. XIV. C. Th. de Jur. Ital. Urb. Constantinop. Leg. VII. C. Just. de Privil. Urb. Constantinop.

ris Constitutinnibus, fruebantur. Unde etiam *Berytus* tanquam *juris Italici* colonia, cum *Troade* & *Dyrrachio*, a Gajo J. C. *a* conjungitur: inter quam tamen *Berytum* ac *Troada* hoc discrimen statuit vir eruditissimus, ut hæc foret Romanorum civium colonia, ac inde lupam cum gemellis haberet in nummis insculptam; non item *Berytus*. Quamquam istud *Romanæ* seu *Romanorum civium* coloniæ symbolum quod adtinet; & quidem ut censet vir eruditus *b*, ad discrimen earum coloniarum, quæ *Italicæ* tantum forent, & quarum insigne esset sus fœta; id vel e modo dictis abunde convellitur, quæ vel jus illud adipiscendorum Romæ honorum, ante civitatem omnibus in Orbe Romano datam, prioribus adimunt; vel eas urbes aut colonias, quæ *Italicum jus* habuerint sub Romanis Principibus, & quarum fit a priscis Jurisconsultis in capite Digestorum de Censibus, aut alibi mentio, optima egisse conditione, ac prout de *Beryto* nominatim dicitur *c*, *Augusti beneficiis gratiosa*, abunde contestantur. Adeo ut sculpta in aliquot coloniarum nummis, sicut quas ille ibi tangit, *Damascena*, *Antiochensis*, *Pisidica*, *Philippensis* Macedonicæ; aut aliarum insuper, sicut *Patrensis* in Achaja, *Germenorum* Galatiæ, *Deulti* in Thracia; *Carthaginiensis* & *Hipponensis* in Africa, lupa cum gemellis Romulo & Remo Romanæ quidem seu deductæ a Romanis coloniæ symbolum vel insigne arguunt: sed ita ut nihil inde præ aliis coloniis *juris Italici*, seu quod idem vir eruditus contendit, *Latii veteris*, quæ eo carent symbolo in reliquis hodie earundem nummis, eximium quid aut præcipuum notent. Præterquam enim, quod e residuis adhuc veterum id genus coloniarum nummis, de iis qui tanto majori numero, & quorum ea pars sit utique valde, ut cum Plauto loquar, minutula, de iis qui non exstant amplius, & adhuc in terræ loculis seu visceribus delitescunt, nihil certo statuere liceat; præter id, inquam, non unum illud lupæ cum gemellis, sed alia insuper coloniarum id genus Romanarum symbola vel insignia occurrunt passim & promiscue in earum nummis; ut coloni cum jugo boum; aut pascentis bovis; aut etiam legionis seu aquilæ legionariæ inter duo signa militaria, quo militaris seu deducta a veteranis colonia designatur. Quæ vero lupa cum gemellis, ad denotandam coloniæ originem, seu ejus, ut veteres loquebantur, & prisco quidem, quem alibi illustramus, coloniarum more, metropolim; non vero ad quodpiam earum jus peculiare præ aliis Romanorum coloniis, & insignem quandam prærogativam declarandam, in earum nummis subinde est insculpta: ac prout alioquin in ipsius Romæ, cujus habitum describit Claudianus, clypeo, eadem cælata dicitur *d*: *Fingunt æra lupam*. Quomodo etiam Antiochiæ ad Orontem, seu in ea Syriæ vel Orientis metropoli, a Tiberio supra portam urbis Orientalem, & postea a Trajano supra portam mediam a se exstructam, lupa cum gemellis sculpta apud *e* Jo. Malalam legitur: idque haud alium, ut ex eodem liquet, in finem, quam ut scirent posteri, *ὅτι Ῥωμαίων ἐςὶ τὸ κτίσμα*, *quod Romanorum esset opus*. Certe eadem *Antiochia* necdum, ut ex plurimis ejusdem nummis constat, sub Tiberio, aut vero sub Trajano, colonia Romanorum evaserat: quod sub Antonino Caracalla primum contigisse docet Paulus J. C. loco ante jam adducto *f*, *Divus Antoninus Antiochenses colonos fecit*, *salvis tributis*; & comprobant veteres eorum, cujusmodi plures exstant in Thesauris Gallorum Regis ac Mediceis, Caracallæ primum ac aliorum dein aliquot Imperatorum vel Augustarum, Elagabali, Juliæ Mammææ, Alexandri Severi, & aliorum adhuc nummi, in quibus utraque ΜΗΤΡΟΠΟΛ. *Metropoleos* & *Coloniæ*, sicut in aliis subinde ejusdem Syriæ, Phœniciæ, aut Mesopotamiæ, uti *Damasci*, *Emisæ*, *Sydonis*, *Tyri*, *Carrarum*, ut de aliis nunc sileam, nummis, prærogativa eidem *Antiochiæ* tribuitur. Quo loco illud obiter monere lectorem liceat, in editis nuper meis ad Julianum Observationibus, seu in eorum Addendis *g*, ubi hujus loci e Malalæ Chronico modo adducti facta est a me mentio, perperam ibi, ubi de eadem agitur Antiochia, *nusquam inter Romanorum colonias*, pro *necdum inter Romanas colonias*, amanuensis incuria, aut typothetarum errore: cujus & quorundam adhuc mendarum ab operis commissarum addendus pro more in fine operis elenchus, bibliopolæ, ob vertentes tum Lipsienses nundinas, præpropera festinatione est omissus. Id enim a me, præter memoratum modo Pauli J. C. ea de re testimonium, de eadem urbe *Antiochia*, eaque Romanorum *Metropoli* & *Colonia*, in dictis modo ejus nummis, quos in præclaris Italiæ cimeliarchiis videram, & qualem etiam Clar. Tristanus *h* jam vulgaverat, insculpta, alibi pridem *i* a me erat observatum. Cujusmodi plures dein nummos, eosque insignes, sub Caracalla primum, ac dein sub aliis Romanis Principibus cusos, in Gaza Gallorum Regia versare haud semel mihi licuit.

XXII. Quemadmodum vero illa Antoniniana constitutione, qua omnibus in Orbe Romano ingenuis civitas est impertita, factum hactenus vidimus; ut Roma dein *communis* omnium *patria*, & *legum mater* ac *parens* evaserit; & *Romani* dein de omnibus Romano imperio subjectis dicti sint, iisque qui Romanis ferme legibus essent inde obstricti; manente tamen vel suarum adhuc legum seu *autonomiæ* apud gentes quasdam aut civitates libertate; vel *juris Italici*, quo variæ de Romano imperio aut Imperatore bene meritæ urbes vel coloniæ gauderent, beneficio: ita jus inde suffragiorum, si quæ adhuc essent, & honorum Romæ adipiscendorum, in quo præcipuum jus Romanorum civium versabatur, eadem Antonini Caracallæ constitutione cuivis in Orbe Romano concessum, licet quoque statuere. Adeo ut haud opus esset amplius per *Latinitatem* seu magistratus in patria gestos, aut jure municipii, vel singulari quopiam Imperatoris munere seu rescripto, aut in Senatum Romanum adlegi; aut ad supremos etiam in Urbe vel in provinciis Romanorum magistratuum honores, immo ad ipsum Imperatoris fastigium, tendere, vel etiam evehi. Observat id utique eo loco, quem antea adduxi, & qui nobis hujus commentationis fundus exstitit, & occasionem, quod in ejus limine adtigi, præbuit, Julianus Imperator: ubi de Roma, quæ se Constantii, etsi alibi nati, patriam venditaret, quæque ei imperium detulisset, addit *k*, eam non communibus quidem, quæ de omnibus Imperatoribus usurpari cæteroquin solet, juribus ea in re niti: quod nempe, *etsi ALIVNDE II SINT ORTI*, *tanquam CIVITATIS ac REIPVBLICÆ PARTICIPES*, *& qui editis illinc moribus ac institutis utantur*, *pro CIVIBVS sint habendi*: ὅτι ΚΑΝ ΑΛΛΑΧΟΘΕΝ ΤΥΓΧΑΝΩΣΙ, ΤΩ ΜΕΤΕΧΕΙΝ ΑΠΑΝΤΑΣ ΗΔΗ ΤΟΥ ΠΟΛΙΤΕΥΜΑΤΟΣ καὶ τοῖς ἐκεῖθεν ἡμῖν καταδεχθεῖσιν ἔθεσι καὶ νό-

a Leg. VII. D. de Censib. *b* Harduin Antirrhet. p. 136.
c Leg. I. §. I. D. de Censib.
d In Prob. & Olyb. Cons. v. 99.
e Chronogr. pag. 303. 360.

f Leg. VIII. §. 5. D. de Censib.
g pag. 310. *h* Comm. T. II. pag. 398.
i Diss. de Præst. Num. pag. 57.
k Orat. I. pag. 5.

μοις

μοις χρῆσθαι, ΠΟΛΙΤΑΙ *γεγόνασι*. Illud equidem e rerum Romanorum Scriptoribus vulgo constat, post delatam ad unius arbitrium Rempublicam, imminuta primum sub Julio *l* & Augusto *m*; dein sub Tiberio *n* adempta fuisse populo suffragiorum jura, eorumque jus omne ad Principem ac ad Senatum traductum, seu, ut ea de re Tacitus *o*: *Tunc primum e campo comitia ad Patres translata sunt.* Eadem autem populo a Cajo reddita tradit Dio *p*: Suetonius *q* vero, id ab eo tentatum: certe quod ab eo omissum, nec sub ejus successoribus valuisse, jam est a viris doctis observatum *r*. Adeo ut penes unum Principem, qui nomina magistratuum in Senatu ad lubitum ederet, nullis ea in re partibus relictis populi suffragiis, omnis ea potestas deinceps remanserit. Quod aperte etiam, & inde sublatas de ambitu candidatorum, in prensandis populi suffragiis leges, docet Modestinus *s*: *Haec lex* (de Ambitu) *in Urbe hodie cessat, quia AD CURAM PRINCIPIS MAGISTRATUUM CREATIO PERTINET, non ad populi favorem.* Adeo ut Antonini constitutione, qua omnes in Orbe Romano cives Romani sunt effecti, non reductum quidem sit jus suffragiorum, pridem in Urbe abolitum; sed datus ad ipsos honores Romae aut in Provinciis, qui ad cives tantum Romanos deferebantur, gerendos aditus. Quem tamen veterem in Urbe candidatorum morem, prensandi quibusvis artibus & suffragiis populi favorem seu suffragia, & ad quem coercendum latae sunt de Ambitu lex Julia aliaeve, tanquam adhuc suo aevo frequentatum, tangit alicubi ejusdem aetatis Scriptor Tertullianus *t*: *Sed enim illos, qui AMBITUS obeunt, CAPESSENDI MAGISTRATUS, neque pudet, neque piget incommodis animi & corporis, nec incommodis tantum, verum & contumeliis omnibus exili in caussa votorum suorum. Quas non ignobilitates vestium affectant? quae non atria nocturnis & crudis salutationibus occupant? ad omnem occursum majoris cujusque persona decrescentes; nullis conviviis, nullis comessationibus congreges, sed exules a libertatis & laetitia felicitate, idque totum propter unius anni volaticum gaudium.* Verum quibus verbis, non ad receptum adhuc ea aetate condidatorum in ambiendis populi seu plebis Romanae suffragiis, qui pridem desierat, morem respici statuendum est; sed ad similes in aliis & majoris quidem dignationis urbibus, qualis erat, ut antea vidimus, Carthago, eorum civium artes & ambitus, qui principem in iisdem civitatibus locum, seu Duumviratum aliumve quempiam magistratum sibi deferri optabant. Quomodo etiam alibi idem Carthaginiensis presbyter, non ad antiqua illa Romanorum comitia, aut ambiendi in iisdem magistratus, consuetudinem, ut ex ejus ea de re verbis continuo liceret statuere, adlusit; sed ad advocatorum seu caussidicorum, qui in foro & ad ejus canales, erant assidui, ut vere eadem verba ibi interpretatur *ὁ πάνυ*, morem *u*: *Ego*, inquit, *nihil foro, nihil CAMPO, nihil curia debeo; nullo officio advigilo, nulla rostra praeoccupo, nulla praetoria observo, canales non ordino, CANCELLOS non adoro, subsellia non contundo.* Cui caeteroquin ignota vel in Campo Martio habita de creandis magistratibus comitia? ac in iisdem cum cancellis suis septa? de quibus tamen non est hic Tertulliano sermo. *Comitiorum* quidem retentum in Urbe, post sublatum ibi creandorum magistratuum populi suffragiis morem, non nomen solum legitur; sed idem etiam de die seu actu, quo designati a Principe Consules, aut quo alii magistratus a Principe, seu id eodem, uti a Tiberio factum tradit Dio *x*, concedente, a Senatu, aut alioquin sorte electi, in campum Martium cum necessariis prodeuntes, coram populo ibidem more veteri congregato, pronuntiari a praecone consueverant. Cujus utique ritus, & qui sua adhuc aetate obtineret, auctor nobis luculentus & Consularis Dio Cocceianus: nempe qui, quum de perpetuo Tiberii in creandis Consulibus, aliisve, eo quam dixi modo, magistratibus egisset, addit: *Καὶ μετὰ τοῦτο ἔς τε τὸν δῆμον καὶ ἐς τὸ πλῆθος αὐτοὶ καὶ οἱ προσήκοντες ἑκάστῳ, τῆς ἀρχαίας ὁσίας ἕνεκα*, ΚΑΘΑΠΕΡ ΚΑΙ ΝΥΝ, *ὥστε ἐν εἰκόνι δοκεῖν γίγνεσθαι, ἐσιόντες ἀπεδείκνυντο.* *Deinde ad populum & plebem, hi suis quisque cum necessariis dicis caussa, SICUTI NUNC ETIAM, ut imago quadam prisci moris exhiberi videretur, prodeuntes renunciabantur.* Unde explicanda veniunt Suetonii & aliorum Historiae Augustae Scriptorum loca, ut in Vitellio *y*: *Comitia in X. annos ordinavit, seque perpetuum Consulem.* aut ubi nominatim de *Comitiis consularibus* fit mentio, uti ab eodem Tranquillo in Vespasiano *z*: *Comitia secundi Consulatus, ineunte Galba.* aut in Domitiano *a*, ubi Flavium Sabinum Patroclem ab eo interemptum docet, *quod eum COMITIORUM CONSULARIUM die DESTINATUM, perperam praeco non Consulem ad populum, sed Imperatorem* pronunciasset. Neque vere inde seu ob factam *comitiorum* post Tiberii tempora, a Romanis Scriptoribus mentionem perperam, seu *contra omnium historicorum sententiam* dixisse Tacitus, ut a Robortello *b* factum video, censendus est, quod sub eo Principe *primum e Campo comitia ad patres translata* tradiderit. Id enim vere a Tacito dictum liquet; quum a Tiberio sublata omnis populi suffragiorum, seu consules aliosque magistratus, solemnibus eam in rem comitiis, in campo creandi facultas, ut paullo ante diximus, fuerit. Neque ab eo recedit in adductis locis Suetonius, ubi in vitis Augustorum post Tiberium, *comitiorum* & quidem *consularium* fit ab eo, ut modo vidimus, mentio: nempe quibus designatos a Principe consules aliosve magistratus, praeco, adstanti in campo populo, ac ad imaginem veterum, ut ea de re Dio, comitiorum pronuntiabat. Ut mittam, quod ad comitia magistratuum referri non debuerit a Robortello, Capitolini de M. Antonino locus *c*, quo ille *comitiis usque ad noctem frequenter interfuisse* dicitur: ubi non de comitiis populi ad creandos magistratus in campo Martio, sed de judiciis, quae in foro aut comitio ederentur, ibi agi, e simili Dionis de hoc Principe loco, vere monuit ad ea Capitolini verba Casaubonus. Quod vero idem *ὁ πάνυ* alibi ad Lampridium *d* observat, quod creationem consulum veteres, *comitia consularia* dixerint; sublatis vero comitiis, dici coeperit, ut apud Suetonium & apud alios, *ordinatio consulum*, id caute debet intelligi: quum idem Suetonius utrumque loco paullo ante adducto de Vitellio dixerit, *comitia in decem annos ordinavit consulum*: nempe quibus tam eorum creatio, quam in populi comitiis facienda, pro more jam indicato, a praecone eorundem proclamatio seu renuntiatio designatur. Quamquam autem ante Antoninianam constitutionem, legantur in Romano-

l Sueton. in Caesar. v. 41.
m Idem in Aug. cap. 20. Dio l. LIII. pag. 512.
n Dio l. LVIII. pag. 633. 634. *o* Annal. l. I. c. 15.
p l. LIX. pag. 648. *q* in Caligula c.
r vid. Lipsii Excurs. ad Tacit. A. I. cap. 15.
s Leg. VII. D. ad Leg. Jul. de Ambitu.
t de Poenitent. cap. 11. *u* de Pallio cap. 8.
x l. VIII. pag. 934. *y* cap. 11.
z cap. V. *a* cap. 2.
b de Magistrat. Impp. p. 41. T. III. Thes. Antiq. Rom.
c in M. Antonino cap. 10.
d in Alex. Severo, cap. 28

rum Fastis alienigenæ, seu nati extra Italiam consules, sicut Herodes Atticus, & quidem Marathonius, quem inter *δισυπάτους* seu *Bis Consules* relatum tradit, ubi de eo agit Philostratus *e*. Bis equidem iis, quibus vixisse constat Herodem Atticum, temporibus, *Atticus* Consul occurrit in Anonymi Fastis, non a Cuspiniano solum antea, sed nuper iisque integrioribus, a doctrina & dignitate pariter eminente Norisio vulgatis. Primo nempe sub Hadriano, anno Æræ Christianæ CXXXV. adscriptis Consulum nominibus (& suffragantibus recentioribus ferme & melioris notæ Chronologis, Calvisio, Petavio, Bocherio, Riccolio, aliisque) *Luperco & Attico*: pro quibus tamen in Græcorum Fastis, & apud Idatium, *Pontiano II.* vel *Pontiano & Aquilino* inscribitur: apud Prosperum vero & Cassiodorum, *Pompejano & Atiliano*: quod postremum arripuit in Epistola Consulari *f*, sed ante visos a se & vulgatos, descriptos e codice Vindebonensi, Fastos, laudatus modo Norisius; ac dein, quod ipsemet ibi agnoscit, in Critica Baroniana *g* eruditissimus Pagi. Nulla tamen idonea subeit ratio, ut non potior hic habeatur eorundem, quos dixi, veterum Fastorum Consularium auctoritas; ut utrumque illud cognomen *Luperci* & *Attici* tulisse illos Consules statuamus (prout haud aliis, quam eorum cognominibus, descriptos memorant Consules iidem Fasti) præter alia eorundem nomina, quæ illis cognominibus omissis, diverse sint a dictis antea Auctoribus, ut id sæpenumero contigit, tradita, & a librariis dein adhuc subinde adulterata. Major vero est eorundem veterum Auctorum cum laudatis Fastis consensus, in adsignandis sub Antonino Pio Consulibus, anno Æræ Christianæ CXCVI. nempe *Torquato & Attico*: quique postremus *Tib. Claudius Atticus Herodes* in veteri inscriptione a Panvinio *h* primum memorata dicitur. Ad quem referri itidem debet, præter Græcam inscriptionem Athleticam ab illustri, mihique, dum viveret, amicissimo Falconerio vulgatam *i*, ubi utriusque illius *Torquati & Herodis*, quamquam hujus sine addito ibi *Attici* cognomine, alia, ut observo a diligentissimo Sponio Megaris *k* descripta ac edita, ΤΙΒ. ΚΛΑΥΔΙΟΝ ΑΤΤΙΚΟΝ ΥΠΑΤΟΝ, *Tiberium Claudium Atticum Consulem*, citra additum ibi alterum *Herodis* cognomen. Sed de quo *Herode Attico* Consule, quemque inter Marci & Veri præceptores enumerat Capitolinus *l*, eundemque liberis Asiæ urbibus sub Hadriano præfuisse tradit alio loco, de quo postea dicetur, Philostratus *m*, plus satis: ac prout cæteroquin ab eodem Philostrato, modo Aristocles Pergamenus Sophista *n*, qui Herodis ætate vixit, in Consularium numerum est relatus; modo Antiochi Cilicis Sophistæ *o* posteri ejusdem Philostrati temporibus, consulatum gerere dicuntur: quod utrumque tamen hodie e Fastis non comparet, nisi sub aliis nominibus iidem in iis lateant, aut potius inter suffectos Consules referendi veniant. Ad quos autem honores a peregrinis, quique ante omnino ab iis erant exclusi, gestos, referri itidem debet, id quod de Alexandrinis tradit Dio Coccejanus *p*, *βουλευτὰς* nempe seu *Senatores* a Severo in ea urbe, quos nempe devicta Ægypto & in provinciæ formam redacta, ei non concesserat Augustus, a Severo institutos: ab Antonino autem filio primum in Senatum Romanum, post latam nempe, ut opinari licet, de data omnibus civitate constitutionem, adscriptos. Ne jam ipsos tangam Imperatores, e quibus Trajanus & Hadrianus nati quidem Hispanis parentibus, sed quorum majores in Senatum jam fuerant adlecti, & in Africa Severus, cujus *majores equites Romanos* fuisse tradit Spartianus *q*: ut alienigenæ proinde vocari neutiquam possent, etsi de Severo tradat Eutropius *r*: *Solus omni memoria & ante & postea ex Africa Imperator fuit.* Qui vero Antoninum Caracallam, constitutionis, de qua hic agitur, auctorem e medio sustulit, & imperium obtinuit, Macrinus, humili natus loco a Capitolino *s*, a Dione autem seu Xiphilino *t*, natione præterea Maurus, *domo a Sicilia Cæsarea*, seu ut legendum ibi monuit Sylburgius, etsi non adsentiente Casaubono, *Sitifensis Cæsarea*, aut vero juxta Tristanum *u*, *ἀπὸ Κιλικίας Καισαρείας*, sed quod jam non expendimus, ordinis vero equestris cum ab eodem Dione *x*, a quo prius ignobilis valde fuerat dictus, tum ab Herodiano *y* traditur. At vero mox Elagabalus, ac dein patruelis ejus Alexander, duo *alienigenæ*, ut de postremo a Lampridio *z* dicitur, Imperatores: prior autem, qui ipso cultu habituque se vere peregrinum ostenderet. Verum quum idem Emisæ in Phœnicia esset natus, eademque non in Romanorum tantum ditione, sed præterea Romanæ coloniæ, ut ex Ulpiani *a* libro de Censibus, & e nummis insuper illius urbis constat, jure donata, ipse autem avo materno consulari ortus: unde, & post latam maxime ab Antonino constitutionem, civis Romanus censendus erat idem Elagabalus. Alexander autem Severus, etsi *alienigena*, ut modo dictum, & Syrus, Arcæ quippe in Syria Phœnicia natus, non eodem solum datæ ab Antonino Caracalla civitatis jure; sed quod patre insuper Senatore, ut de eo tradit Dio seu Xiphilinus *c*, ortus, Romanis etiam civibus merito ante imperium est quoque adscribendus. Quomodo successor ejus Maximinus, infimæ sortis & in ultima *d* Thracia *e*, *utroque parente barbaro*, juxta Capitolinum genitus, seu patre Gotho *f*, & matre Alana; tum ipse *semibarbarus*, ac *barbarus* etiam ab eodem Capitolino *g* dictus, & *e corpore militari & nondum Senator* ad imperium a militibus evectus: idem tamen prius per plures militiæ gradus a Severo & Caracalla *h* promotus; tribunus etiam legionis sub Alexandro Severo *i*, lato clavo insuper ei addito; ac proinde qui civis itidem Romanus ante imperium censendus est. Mitto Philippum Arabem, Aurelianum in Dacia Ripensi vel Mœsia, Probum in Pannonia, Carum in Illyrico, Maximianum Galerium in Dacia itidem, & matre quidem Barbara seu *Transdanubiana*, sicut ex aureo Lactantii de Mortibus Persecutorum libro discimus *k*, ut de aliis adhuc Romanis Principibus sileam, natos: sed eo civium Romanorum, quo eædem gentes tum gaudebant, quodque tangit in adductis supra verbis Julianus Imperator, jure (si Galerium forte mittas, non utroque parente cive seu provinciali, ut modo vidimus, ortum) imperio potitos. Quod de Severo & Maximino Daja vel Daza, qui *Illyrorum indigenæ Cæsares*, Constantio nempe Chloro & Galerio tum Augustis, a Victore Schotti dicuntur, statuendum est: quorum alioquin postremus seu Maximinus, *semibarbarus* a Lactantio dicitur *l*. Adde hisce alterius Constantii temporibus Magnentium

e de Vit. Soph. l. II. pag. 545. *f* pag. 83.
g ad A. Christ. 335. *h* Thes. Grut. CLXXII. 10.
i Inst. Athlet. pag. 5. *k* Miscell. pag. 323.
l in M. Antonino cap. 2 & 11. L. Vero cap. 2.
m de Vit. Soph. pag. 547. *n* Ibid. pag. 565.
o pag. 566. *p* l. 21. pag. 455. *q* in Severo cap. 1.
r l. VIII. cap. 17. *s* in Macrino cap. 2.
t Epitom. pag. 361. *u* Comm. T. II pag. 293.

x l. LXXVIII. pag. 895. *y* l. V. cap. 1.
z in Alex. Sev. cap. 65. *a* Leg. 1. §. 4. D. de Cens.
b Dio l. LXXVIII. pag. 902. *c* Epitom. pag. 363.
d Herodian. l. VI. cap. 8. *e* in Maximino cap. 1.
f Ibidem & Jornand. de Reb. Getic. cap. 15.
g Capitolin. in Maximin. cap. 23.
h Idem cap. 4. 5. Jornandes cap. 15. *i* Capitol. c. 5.
k cap. 9. *l* Ibid. cap. 48.

& Sil-

& Silvanum, ad imperium militum factione evectos: quorum illum *barbarum*, *parentibus* nempe *barbaris*, juxta Victorem *m* ac Zosimum *n*, Julianus Imperator *o*, quod nuper ad eum vidimus *p*, ac Themistius *q* appellant: hic itidem seu Silvanus, *in Gallia ortus parentibus barbaris*, a Victore Schotti dicitur. Adeo ut mirari neutiquam subeat, si Antoniniana constitutione, sublato omni gentis seu *Romans* ac *peregrins* in Orbe Romano discrimine, quacunque tandem patria, modo intra Romani imperii fines eadem foret, orti, omnium aliorum honorum ac dignitatum, palatinarum, ut eædem sunt illo ævo appellatæ, civilium aut militarium, promiscue fierent participes. Adeo quidem ut paullatim Barbari quoque, seu nati extra eosdem Romani Orbis fines, ad Romanorum magistratus ac dignitates, una cum data iis civitate, sint evecti. Id utique ante exitum adhuc sequentis post latam Antoninianam constitutionem seculi, sub Theodosio seniore contigisse docet, ac simul haud obscure redarguit in Oratione de Regno ad Arcadium ejus filium Synesius *r*. Postquam enim devictos Scythas, eosdemque coram Theodosio cum uxoribus supplices dixisset, addit: Ὁ δὲ τῷ πολέμῳ νικῶν, ἐλέῳ τὸ πλεῖστον ἡττᾶτο, καὶ ἀνίστη τ' ἱκέτας, καὶ συμμαχίας ἐποίει, καὶ ΠΟΛΙΤΕΙΑΣ ἠξίου, καὶ ΜΕΤΕΔΙΔΟΥ ΓΕΡΩΝ, *Ille vero bello victos, ob innata ei misericordia ut plurimum vincebatur: supplices itaque surgere jussos, in belli societatem accepit, ac CIVITATE dignatus est, MAGISTRATVVMQVE FECIT PARTICIPES*: quique omnes, ut de eodem Theodosii facto ait Jornandes *ſ*, *dicti sunt Fœderati*, & a Zosimo *t*, in amicitiam ac belli societatem admissi. Quod sub parente, illos quod adtinet magistratus ac præfecturas Barbaris concessas, improvide cœptum; ac sub filiis ejus Arcadio & Honorio latius adhuc & inconsideratius factitatum, infeliciter tandem utrique ac toti Romano imperio cessit: dum evecti promiscue ad Senatorias ac Palatinas dignitates, summosque honores, id genus Barbari, quales noti inter alias sub Arcadio Gaines, Trebigildus, Alaricus; sub Honorio autem socer ejus, Vandalus quippe, Stilicho, vel ut in aliquot Claudiani codicibus, Stilichon, Sarus Ravennæ *u* præfectus, aliique; ac dein sub sequentibus Principibus, eorum cæde aut Romanorum cladibus nobilitati Rhecimer, Theodoricus, pluresque alii. Quorum etiam malorum inde imminentium præsagus Synesius, Arcadium, ad quem a Cyrenæis erat missus, hortabatur *x*, ut a magistratibus primum ac a senatoriis honoribus arceret Barbaros: qui nempe Orbem tum Romanum complere jam inceperant, & utramque quidem urbem Regiam, Romam & Constantinopolim. Unde eadem Arcadii ætate, Barbari Constantinopoli prætorianum militem longe superasse dicuntur a Zosimo *y*: Roma vero *barbarorum domicilium*, βαρβάρων οἰκητήριον evasisse, ab eodem alibi traditur *z*. Adeo etiam, ut quæ inter provinciales seu Romanos ac inter Barbaros seu gentiles erant Valentiniani constitutione, de qua paullo post dicetur, vetita, frequentata dein inter utrosque fuerint connubia. Ita sub iisdem Principibus duo Barbari Consules: Fravitta, unus e Barbaris Arcadii ducibus, Consul ab eodem, ut tradit idem Zosimus *a*, & ex Idatii & Cassiodori Fastis præterea liquet, designatus; sub Honorio autem & geminato quidem Consulatu, præclaris insuper de eodem Claudiani panegyricis nobilitatus Stilicho. Ut nunc mittam celebrem Arcadii legem, quæ est in Codice Theodosiano *b*, e qua plures tum in Orbe Romano cum privatos, tum milites Barbaros, si id aliunde non liqueret, constat exstitisse: nempe cujus initium, *Quisquis cum militibus vel privatis, BARBARIS etiam, scelestam inierit factionem*, &c. quam erudita & peculiari commentatione illustravit clarissimus hac ætate juris antistes Jac. Gothofredus.

XXIII. Hujus autem instituti, quo post Antoninianam constitutionem, provinciales primum, ac dein Barbari quoque, qui soli tum *peregrini* a Romanis habebantur, civilium, palatinarum, aut militarium dignitatum, summorumque honorum promiscue facti sunt participes, illustre in primis documentum præbet immutata, quæ olim ante civitatem toti Italiæ aliisque dein provinciis aut civitatibus extra Italiam, ac tandem omnibus in Orbe Romano, obtinuit militiæ ratio. Quomodo nempe factum, ut quæ antea *legiones*, e Romanis tantum, seu urbani iidem, seu Latium vel Italiam inhabitarent, civibus constabant, e provincialibus postea ut plurimum deligerentur: quæ *auxilia* vero e sociis olim, ut notum, seu provincialibus deligebantur, ea e nationibus Barbaris, quæ vel pretio, vel sponte in eam se militiam dabant, conscriberentur. Unde etiam, quod *miles* & *militia provincialis*, de legionibus apud Hyginum dicatur *c*, observat ad Vopiscum in Probo *d* vir summus. Quod tamen ante civitatem omnibus in Orbe Romano, non ab Antonino Pio, ut ibidem ὁ πάνυ, sed ab Antonino Caracalla datam, ut ille dein alibi *e*, quod supra vidimus, agnovit, ab Hygino, qui Trajani ætate, quod ex eodem liquet, ea commentabatur, dictum liquet, idque inde, quod jam ab Augusti temporibus, legiones ferme e provincialibus militibus, quique in provinciis distribuerentur, ac unde indita iis vulgo earundem provinciarum, quæ præter antiquos Auctores, aliave veterum monumenta, in antiquis etiam M. Antonini, Hadriani aut aliorum adhuc nummis comparent, nomina, constarent: prætorianæ vero & urbanæ cohortes, ex Italicis ad Urbis custodiam, ut a viro illustri ad eundem Hyginum *f* est jam adnotatum, adsumerentur. Quamquam, ut observo, *miles* & *provinciales* ab Ammiano Marcellino *g* adhuc distinguantur: ubi de Juliani Cæsaris, cui præerat in Galliis, exercitu dicitur, *Augusti Juliani, ut provincialis, & miles, & Reip. decrevit auctoritas*: ut *miles* nempe, de Romanis, sicut alibi apud eundem Ammianum: *provinciales* vero, de Gallicanis in eodem exercitu copiis intelligantur. nisi quis malit, ut sublata illa particula *&*, legatur, ut jam olim apud Hyginum, *provincialis miles*, nempe Gallicanus; quomodo *Gallicanus miles* alibi ab eodem Ammiano appellabatur *h*, aut VIRTVS EXERCITVS GALL. seu *Gallicani* legitur in Constantini & Constantis, qui Galliæ imperabant, nummis. Id alioquin ex antiquis Auctoribus & monumentis manifestum, quod ille e provincialibus militibus, seu legionariis, in omnibus Romani Orbis provinciis, delectus, post civitatem Antoniniana constitutione iisdem impertitam, eo magis invaluerit. Immo unde paullatim, & confuso omni priscæ Romanorum militiæ instituto factum, ut Barbari, qui nec dum Romanorum jugum subierant, nec inter subjectos populos vel provinciales relati, legionibus subinde sint immixti, aut *legiones* etiam de eorum militibus dictæ: cives autem Romani seu legionarii, quod docet

m in Epitome 42. *n* l. 11. cap. 54. *o* Orat. 1. pag. 13
p Observ. pag. 119. *q* Orat. vi. pag. 80.
r pag. 25. *ſ* cap. 25. *t* l. iv. cap. 56.
u Idem l. vi. cap. 10. *x* Orat. de Regno pag. 23.
y l. v. cap. 19. *z* Idem l. iv. c. 58. *a* l. v. cap. 20.

b Leg. iii. Cod. Theod. ad Leg. Corn. de Sicar.
c de Castrametat. *d* Salmas. ad cap. 14.
e de Modo. Usur. p.
f R. Schelius in Notis pag. 13.
g l. xx. cap. 9. *h* l. xxi. cap. 10.

Vege-

Vegetius [i], addita etiam ejus rei caussa in auxiliis, quæ alioquin e Barbarorum populis iis temporibus, ut paullo ante dixi, conscribebantur, subinde militarent. Ita prius quod adtinet, *legie Zsannorum*, seu, de quibus supra, *Tzanorum* vel *Sannorum* apud eundem Ammianum Marcellinum [k] in rebus Juliani Imperatoris appellatur: quos tamen *Zsannos* vel *Tzanes*, a se *tunc primum sub Romana factos Republica*, & *ut subjectis habeantur*, dicentem vidimus, eoque nomine se efferentem Justinianum [l]. Quomodo etiam *Gruthungorum* gentis barbaræ *legie*, eaque prius Romana, sed tum Romanis infesta, apud Claudianum legitur [m]:

> *nascuntur in ipso*
> *Bella sinu, LEGIO pridem ROMANA GRUTHUNGI.*

Ne Zosimum huc advocem, a quo Gaines Barbarus, sed inter summos magni Theodosii Duces, jubetur τὰ βάρβαρα τάγματα, *legiones Barbaras*, (sicut eas voces, pro consueto apud Græcos Scriptores vocis τάγματος usu, vertit accuratus interpres) quibus ipse Gaines præerat, in hostes immittere. Cui autem confusioni & juxta quam *tirones*, seu legionarii provinciales, quorum nempe ad legionum supplementa institui solebat in provinciis delectus, auxiliis, quæ vulgo e Barbaris constabant, sint immixti, locum dedisse Probum Imperatorem tangit in ejus vita Vopiscus [o], de quo ait: *Accepit præterea sedecim millia TIRONUM, quos omnes per diversas provincias sparsit, ita ut numeris, vel limitaneis militibus quinquagenos & sexagenos intersereret: dicens, sentiendum esse, non videndum, quum AUXILIARIBUS BARBARIS Romanus juvatur:* ubi nempe *numeri*, juxta magnum Salmasium, de *legionariis* militibus (qui tamen alibi de *auxiliaribus* ab eodem Ammiano haud semel appellantur) *limitanei* vero, seu *ripenses*, de Barbarorum *auxiliis* dicantur: ac ita *tirones* ibidem, qui e Barbaris conscripti, tum legionibus, tum auxiliis a Probo sint immixti. Quomodo pro temporum ratione, & gravi urgente necessitate, factum constat; ut qui *tirones* ad legionum supplementa e provincialibus tantum, & quidem, ut 10 Magni Theodosii constitutione dicitur [p], *ex opportunis regionibus* indici & conferri, latis a Constantio & sequutis Principibus ea de re legibus, consueverant; ii etiam e Barbaris, uti hic a Probo factum, Alanis puta, Gotthis, Scythis, Armenis, Isauris, aliisve conscripti fuerint, seu ex iis qui *Gentiles* ea ætate a Romanis dicebantur, Barbari nempe, qui sponte ad Romanos transierant, aut qui *Dedititii* ab iis sunt appellati. Quam in rem notabilia sunt Juliani Imp. in Epistola ad Constantium apud Ammianum Marcellinum [q] verba: *Equos præbebo curules Hispanos, & miscendos GENTILIBUS atque SCUTARIIS adolescentes, Letos quosdam cis Rhenum editam BARBARORUM PROGENIEM; vel certe ex DEDITITIIS, qui ad nostra desciscunt.* Quorum autem e Barbaris (qui diversi proinde a *Dedititiis*, de quibus antea dictum est, Romanorum ex lege Ælia Sentia *libertis*) *Dedititiorum*, ac unde illustratur idem Ammiani locus, mentio fit in Arcadii lege seu Edicto, quod exstat in Codice Theodosiano [r]: quo urgente bello Scythico, eorum etiam *Dedititiorum* servi, militiæ nomen dare jubentur, additaque ejus rei caussa, quod ii cum dominis militare consuessent: *Præcipue sane eorum servos, quos militia armata detentat, Fœderatorum nihilominus & DEDITITIORUM, quoniam ipsos quoque una cum dominis constat bella tractare.* Sunt vero *tirones* vel *tirocinia* e provincialibus promiscue, ut jam dictum, & ad legionum supplementa, sublato omni inter cives & provinciales discrimine, vulgo conscripta: ita *auxilia* in Romanorum ea ætate exercitibus, e Barbaris ferme, uti e dictis paullo ante Scythis, Alanis, Gotthis, Mauris, Osdroenis, aliisque, constitisse docent Scriptores eorundem temporum. Unde jam ante de Maximino Capitolinus [s]: *Posthac transiit in Germaniam, cum omni exercitu, cum Mauris & Osdroenis & Parthis.* dein: *& ob hoc maxime Orientalia secum habuit AUXILIA.* De utrisque vero, *tironibus* nempe *legionariis*, & *auxiliis*, alibi Ammianus, ubi de apparatu Constantii ad expeditionem Persicam agit [t]: *Arma quoque & TIROCINIA cogens, LEGIONESQUE augens juventutis validis supplementis, quarum stataria pugna per Orientales sæpius eminuere provincias: AUXILIA super his SCYTHARUM poscebat mercede vel gratia.* Idem jam ante de Barbaris, qui in auxiliis Romanorum sub Juliano in Galliis militabant, & quos ad se mitti jusserat Constantius, dixerat [u]: *Auxiliares milites exinde protinus abstracturum, Aerulos (seu Herulos) & Batavos, cumque Petulantibus Celtas.* Quarum nempe gentium Barbaros, sub Claudio Gotthico in Romanorum ditiones irrupisse, refert in ejus vita Pollio [x]: *Celtæ etiam & Heruli prædæ cupiditate in Romanum solum & Rempubl. venerunt.* quales autem *Celtas* nemini cognitos tradunt ad eum locum harum litterarum Duumviri. Adde quæ mox Ammianus [y] adductis modo verbis subdit, de Barbaris, quos ad expeditionem in Persas exposcebat Constantius; iisque, sub quibus iidem legibus illud Romanorum militiæ nomen dederant, *tamen nec dissimulare potuit Julianus, nec silere: ut illi nullas paterentur molestias, qui relictis laribus Transrhenanis, SUB HOC VENERANT PACTO, ne ducerentur ad partes unquam Transalpinas: verendum esse affirmans, ne VOLUNTARII BARBARI MILITARES, sæpe sub ejusmodi legibus adsueti transire ad nostra hoc cognito deinceps arcerentur.* Haud aliter ac e devictis a Theodosio Scythicis nationibus, Gotthis, Hunnis, Alanis, *voluntarios* itidem *barbaros* milites a Theodosio Magno receptos, tradit in ejus Panegyrico Pacatus [z]: *Postremo populis BARBARORUM ULTRONEAM tibi OPERAM ferre voventibus, commilitonum munus indulges, ut militi AUXILIATOR accederet. Qua hoc benignitate pellectis omnes Scythicæ nationes tantis examinibus confluebant, ut quem remiseras tuis, BARBARIS videreris imperasse delectum.* Quod tangit etiam Zosimus [a], ubi a Theodosio, postquam is esset imperium consecutus, Barbaros in amicitiam ac belli societatem adscitos tradit. Id vero sub ejus filio Arcadio ita demum, auctoribus Rufino primum, dein Eutropio, invaluit, ac sub ducibus ac præfectis Barbaris jam ante memoratis, Gaine, Trebigildo, Marico, Fravitta, ut Barbaris militibus completæ essent Romanorum in Oriente provinciæ: nec dispar fuerit in Occidente sub Honorio, quod vel e Claudiano, Zosimo, aliisque eorum temporum Scriptoribus constat, ratio. Quas etiam initas Romanorum in Occidente cum Barbaris, Scirris, Alanis, aliisque nationibus Gothicis societates, in Romani militis contemptum & imperii perniciem evasisse, tangit ab initio Gotthicorum Procopius. Ita ut ea ætate penes Barbaros ferme, sicut civiles etiam & palatinæ, ut ante dictum, ita potissimum militares forent dignitates: ipsæque auxiliares Barbarorum copiæ, seu militares eorum delectus, *legiones* etiam

[i] l. II. c. 3. [k] l. XXV. c. I. [l] Novell. XXVIII.
[m] in Eutrop. l. IV. 58. [n] l. IV. c. 58. [o] cap. 14.
[p] Leg. IX. C. Th. de Tironib. [q] l. XX. c. 9.

[r] Leg. XVI. C. Th. de Tironib. [s] in Maximino c. II.
[t] l. XX. c. 8. [u] l. XX. c. 4. [x] in Claudio. c. 6.
[y] l. II. c. 4. [z] cap 32. [a] l. IV. c. 56.

etiam nomine, quod paullo ante dictum, sint appellatæ. Ne jam Notitiam Imperii huc advocem, & crebram in eadem eorum, de quibus modo dictum, aliorumve Barbarorum mentionem, qui sub Romanis Præfectis, seu Officiorum vel Militum Magistris, suam ultro aut rogati addixerant in bellis Romanorum operam. Quibus tamen temporibus *libertos*, seu, ut ibi dicuntur, *libertinæ conditionis homines*, ab omni Palatina militia cunctisque honoribus exclusos, eorum autem libertorum seu manumissorum filios, tantum ad locum usque proximum Protectoris in eadem militia admissos, lata seu renovata a Valentiniano III. Occidentis post sublatum Honorium Imperatore, quæ exstat in Codice Theodosiano [a], & cujus jam ante, ubi de libertis ageretur, facta est a me mentio, constitutione sancitum legitur.

XXIV. Iis vero, quæ civitas omnibus in Orbe Romano data secum invexit, juribus vel beneficiis adnumerari quoque debent mutua inde inter eos connubia. Notum enim eam olim connubiorum apud plerasque gentes, non apud Romanos solum, aut vero apud Judæos, rationem fuisse, ut ea tantum essent inter unius urbis cives aut alioquin populares; cum alienigenis vero ferme vetita. Ita, ut de aliis populis jam nihil dicam, connubia apud Athenienses constat inter cives demum fuisse licita: adeo ut lege primum a Pericle lata [b], dein sub Euclide prætore renovata, quod adnotarunt jam eruditi legum Atticarum [c] enarratores, soli cives Athenienses censerentur, qui utroque parente cives essent nati; ac ne civis Atheniensis fœmina peregre seu peregrino nuberet, interdictum. Quod postremum præter Plutarchi, vel Ulpiani ad Demosthenem adducta a viro eruditissimo [d] ea de re loca, indicaverat pridem Euripides [e], apud quem quum interrogata ab Ione Creusa Atheniensis & Erechthei filia, cui marito nupsisset, ac respondisset eadem:

Οὐκ ἀστὸς, ἀλλ' ἐπακτὸς ἐξ ἄλλης χθονός,

Non civis, sed advena ex aliena terra:

ab Ione ignaro cæteroquin se cum matre loqui, continuo dicitur [f]:

Καὶ πῶς ξένος σ' ὢν ἔσχεν, οὖσαν ἐγγενῆ;

Et quomodo peregrinus quum esset, te indigenam existentem duxit.

Adeo ut nec inter vicinas, etsi Græcas itidem civitates, *Athenienses* puta & *Thebanos*, nisi fœdere aut pacto aliter esset inter eas conventum, jus connubiorum fuisse, vel inde, ut præterea observo, liqueat; quod inter eosdem Athenienses ac Thebanos decreto sancitum tradat Demosthenes [g], συνθέσθαι πρὸς αὐτοὺς καὶ συμμαχίαν, καὶ ἐπιγαμίαν ποιήσασθαι, *pacisci cum iis de ineunda societate, mutuisque connubiis*, prout verti vox ἐπιγαμίας debuit: ac prout in eadem Oratione dixerat jam ante Demosthenes de Byzantiorum ac Perinthiorum decreto, Ἀθηναίοις δόμεν ἐπιγαμίας, πολιτείαν, *Atheniensibus damus connubia, civitatem*, & in quibus locis ἐπιγαμίαν per *affinitatem* voce latioris aut ambiguæ significationis, eruditus alioquin interpres. Ita in fœdere *Hierapytnensium* & *Priansiorum*, duarum in Creta urbium, & de quo facta jam ante mentio, inter alia, de quibus eædem civitates inter se paciscuntur, sancitur [i], ἦμεν παρ' ἀλλάλοις ἰσοπολιτείαν καὶ ἐπιγαμίας, *mutua esse inter eas civitates & connubiorum jura.* Unde ob eadem connubia inter finitimos populos modo concessa, modo vetita, orta subinde dissidia: quomodo inter *Selinuntios* & *Egestanos* bellum susceptum tradit Thucydides, περί τε γαμικῶν τινων, καὶ περὶ γῆς ἀμφισβητήτου, *propter connubialia quædam*, seu juxta Græcum interpretem, *nuptiales contractus, & agrum controversum.* Neque aliter cum Romanis actum: dum non solum decemvirali olim lege [l], vetita inter patritios & plebejos, quod vulgo notum, connubia, duæque inde, ut ajebat apud Livium [m] tribunus plebis Canulejus, ex una civitate fierent: sed etiam, sublata postea eadem lege, non omnibus ideo, qui civitate cæteroquin erant donati, connubia fuerint olim data, immo ea subinde inter ipsos vicinæ regionis, aut eorum, qui sub eodem etiam gentis nomine vulgo continebantur, populorum cives, ab iisdem Romanis vetita vel adempta. Hinc Livius [n]: *Cæteris Latinis populis CONNVBIA commerciaque & concilia inter se ademerunt.* & alibi de tribus Hernicorum [o] populis: *CONNVBIVMQVE inter ipsos, quod aliquamdiu Hernicorum soli habuerunt, permissum, Anagninis, quique arma Romanis intulerant, civitas sine suffragii latione data, concilia CONNVBIAQVE adempta.* Quæ inter unius etiam gentis populos connubia a Romanis itidem, victis Macedonibus, & quamquam ii liberos eosdem, & cum jure suarum legum relinquerent, prohibita docet rursus idem Livius. Postquam enim in quatuor regiones dividi a Romanis Macedoniam, e decem Legatorum sententia edixisset præco, additur [p]: *Pronuntiavit deinde, neque CONNVBIVM, neque commercium agrorum ædificiorumque inter se placere cuiquam extra fines regionis suæ esse.* Callido nempe Romanorum consilio, ne mutuis adfinitatibus & commerciis juncti inter se vel Latini, vel Macedones, eo promptius in Romanos consociati dein arma verterent. A Romanis proinde connubia, ne cum omnibus quidem civibus seu in civitatem receptis, olim, ut modo diximus, recepta; cum aliis autem, qui cives Romani non essent, prorsus interdicta. Hinc alibi de Campanis, quibus pridem ante, quod supra vidimus, civitas erat, sed sine suffragii latione, data, quique priore anno in Urbe jam fuerant censi, ait idem Livius [q]: *Petierunt, ut sibi CIVES ROMANAS ducere VXORES liceret, & si qui prius duxissent, ut habere eas, & ante eam diem nati, uti justi sibi liberi heredesque essent: utraque res impetrata.* Qua ratione itidem factum, ut nati e Romanis civibus vel alienigenis mulieribus, tanquam totidem hybridæ, *novum genus hominum*, dicantur alio apud Livium [r] loco, & de quibus quid a Senatu sit decretum, traditur: *Et alia NOVI GENERIS HOMINVM ex Hispania legatio venit: ex militibus Romanis & ex Hispanis mulieribus, CVM QVIBVS CONNVBIVM NON ESSET, natos se memorantes, supra quatuor millia hominum: orabant, ut sibi oppidum, in quo habitarent, daretur. Senatus decrevit, ut nomina sua apud L. Canulejum profiterentur:* ac, quod addit, ut ex iis colonia, eaque *libertinorum* dicta, in eadem Hispania deduceretur. Quæ proinde restricta connubiorum inter cives demum Romanos libertas exstitit;

[a] Leg. III. C. Th. de Libertis.
[b] Plutarchus in Pericle p. 172. Demosthen. adv. Eubulid. p. 538. Ælian. V. H. l. VI. c. 10.
[c] Meurs. Them. Act. l. II. c. 5. Petitus in Leg. Att. p 435.
[d] Idem Petitus p. 440. [e] in Ione v 290.
[f] Ibid. v. 294. [g] de Corona p. 340.

[h] Ibid. p. 325. [i] Marm. Oxon. p. 415.
[k] l. VI. p 415.
[l] Dionys. Hal. l. X. p. 674. Liv. l. IV. c. 4. [m] Ibid.
[n] l. VIII. c. 14. [o] l. IX. c. 43. [p] l. XLV. c. 29.
[q] l. XXXVIII. c. 36. [r] l. XLIII. c. 3.

tit; eosque proinde, qui prius municipii, dein civitatis, lege Julia toti Latio ac mox Italiæ concessæ, jure, pro civibus itidem Romanis habebantur. Quomodo ductam vel a M. Antonii patre Numitoriam Fragellanam; aut a Philippo, Aricinam; vel a C. Marcello, Aricinæ filiam memorat, ac in duobus etiam hisce commendat Cicero, de quibus nempe addit *s*, *quos certe scio dignitatis optimarum feminarum non pœnitère.* Cum provincialibus autem seu peregrinis, qui nempe eo civitatis jure needum gaudebant, haud aliter ac cum iis, qui hactenus Latinæ tantum erant conditionis, seu Latini liberti, vetita adhuc sub Cæsaribus ante Caracallam connubia; quæ erant quippe inter propria & privata Quiritium jura. Quod de *peregrinis* equidem observat noto ea de re loco Seneca *t*: *Permisi tibi filiam in matrimonium, postea PEREGRINVS apparuisti: non est mihi cum EXTERNO CONNVBIVM.* Utrisque vero tam peregrinis, quam Latinæ conditionis hominibus, interdicta ad Antonini Caracallæ ætatem cum Romanis civibus connubia, nisi ea, ut alibi loquitur *u*, *beneficio principali*, seu speciali Imperatoris concessione impetrassent, docet in Fragmentis Ulpianus *x*: *Connubium habent cives Romani cum civibus Romanis: cum Latinis autem & peregrinis, ITA SI CONCESSVM.* Quomodo certe *peregrinis*, qui plura stipendia in Romanorum exercitu meruerant, una cum civitate jus connubii a Romanis Imperatoribus subinde datum legitur. Cujus utique rei fidem idoneam præstant aliquot antiquæ tabulæ æneæ, seu quæ exstant signatæ in iisdem Inscriptiones, quarum facta est in priori Exercitatione, ubi de data emeritis id genus militibus civitate agebatur, mentio. E quibus autem unam hic proferam, quæ de reliquis fidem faciat, cujus etiam priorem partem, de data nempe iisdem veteranis aut emeritis militibus civitate, jam supra adduximus: in qua nempe Domitianus *y* militantibus quibusdam in Dalmatia, *Qui PEREGRINÆ CONDITIONIS PROBATI ERANT &c. Et Quina Et Vicena Stipendia Aut Plura Meruerant Item Dimissis Honesta Missione Emeritis Stipendiis Liberis Posterisque Eorum CIVITATEM DEDIT ET CONNVBIVM CVM VXORIBVS QVAS TVNC HABVISSENT Cum Est Civitas Iis Data Aut Si Qui Cælibes Essent Cum Iis QVAS POSTEA DVXISSENT Dumtaxat Singuli Singulas.* Quod jus *connubii* una com civitate, cum ab eodem Domitiano *z*, *Iis Qui Militant In Classe Flavia Mœsica* in Pannonia; tum ante a Vespasiano *a*, *Iis Qui Militaverunt In Classe Ravennate*, emeritis itidem; tum postea ab Hadrianus *b*, *Iis Qui Militaverunt In Classe Pretoria Misenensi*, iisdem verbis datum in tribus proximis ibidem inscriptionibus legitur. Accedit, quod M. Antonini temporibus, una cum porrecta ad præsidiarios in limitibus imperii limites, & ad primores nobilissimarum urbium & locupletes in iisdem, quod supra vidimus, Romana civitate, data quoque iis connubia, & jus illud inde latius in Orbe Romano communicatum, liceat ex adductis itidem jam ante Aristidis *c* verbis colligere: ΓΑΜΟΥΣ ΤΕ ΚΟΙΝΟΥΣ ποιήσαντες, καὶ συντάξαντες, ὥσπερ ἕνα οἶκον, πᾶσαν τὴν οἰκουμένην. *COMMVNIA etiam CONNVBIA concedentes, & universum Orbem, tanquam unam domum, constituentes.* Post recepta vero promiscua inter cives, eosque tam in Urbe vel in Italia natos, quam provinciales, tanquam totidem, post Antoninianam constitutionem, Romanos cives, connubia: & sublatum inde inter cives Romanos ac peregrinos seu provinciales discrimen vetita sunt postea horum provincialium cum Barbaris, hoc est, qui nondum in Romanorum jura transierant, vel pro Barbaris adhuc sub *Gentilium* vel *Dedititiorum*, de quibus jam ante, nominibus, a Romanis habebantur, connubia. Docet id lex unica Codicis Theodosiani *d*, quam tulit Senior Valentinianus: *Nulli PROVINCIALIVM, cujuscunque ordinis aut loci fuerit, cum BARBARA sit uxore conjugium; nec ulli GENTILIVM PROVINCIALIS femina copuletur.* constituta etiam capitis pœna iis, qui ejusmodi adfinitates contraxerint. Ad quam vero legem videri potest diligens doctissimi Jac. Gothofredi adnotatio; ac insuper vetus interpretatio eidem legi subjecta, quæ per *provinciales*, ibi *Romanos* in genere designari agnoscit: *Nullus ROMANORVM Barbaram cujuslibet gentis habere præsumat uxorem; neque Barbarorum conjugiis mulieres ROMANÆ matrimonio conjungantur.* Quibus addi præterea debet, id antea a Romanis Principibus non semper observatum: prout vulgo notum haud cum provinciali quidem, sed cum Barbara, nempe M. Antonii cum Ægyptia Cleopatra, connubium: quomodo in Epistola ad Augustum de eadem ait ipse Antonius *e*, *VXOR mea est*: quod tamen, & susceptos ex ea liberos, eosque pro legitimis ab eodem Antonio agnitos, tanquam contra Romanorum leges ac instituta vehementer ab iis culpatum, notant Plutarchus *f* ac Dio Coccejanus *g*. Quamquam postea sub Claudio Felix libertus & Judææ Procurator, Drusillam Regis Agrippæ Judæi sororem, eandemque, ut vel ex Actis *h* constat, Judæam, duxisse e sacro illo Scriptore & Josepho *i* præterea constet: nullaque tamen inde nota censoria a Romanis, qui illius Felicis meminere, Scriptoribus perstrictus legatur, nisi quod in genere *trium reginarum maritus* a Suetonio *k* dicitur. Id vero forte inde factum liceret statuere, quod Antipater ejusdem Drusillæ abavus, civitate a J. Cæsare, quod in priori Exercitatione obiter e Josepho *l* adtulimus, donatus fuerit; ac inde ejus posteri, ad quos jus illud transire solebat, eodem quoque fruerentur. Verum cui repugnare videtur Titi exemplum, qui ejusdem Drusillæ sororem Beronicem, cum qua in Judæa consueverat *m*, invitus etiam dimittere fuit coactus, & repudiare, quod populus id ægre laturus videretur, pactus alioquin cum eadem nuptias. Quibus autem addere licet Gallieni uxorem Saloninam, quam nomine *Piparam Barbaram* (aut *Barbari* vel *Barbarorum*) *regis filiam*, habuisse, tradit in ejus vita Trebellius Pollio *n*, sed quem locum cum Cl. Tristano *o* ex utroque Victore omnino emendandum puto, ut hoc non de ejus uxore Salonina, sed de *Pipara* vel *Pipa* Gallieni pellice, eaque *Barbara* seu Barbari Marcomannorum vel Germanorum Regis, juxta alterum Victorem, filia, sit dictum: quum Aurelianus postea *concubinas ingenuas habere vetuit*, ut de eo tradit in ejus vita Vopiscus *p*. Accedit, quod ab ipso Constantio, Arsaci Armeniæ regi, ac proinde Barbaro, Olympiada Ablabii Præfecti Prætorii filiam, eandemque defuncti fratris Constantis sponsam in uxorem datam, refert Ammianus Marcellinus *q*, & exagitat, ut ad eum locum doctissimus Valesius

s Philipp. III. c. 18. *t* de Benef. l. IV. c. 35.
u Tit. III. §. I. *x* Tit. V. §. 4.
y Grut. Thes. DLXXIV. 5. 6. *z* Ibid. DLXXVI. I.
a Ibid. DLXXIII. I. *b* Ibid. num. 2. 3.
c Orat. in Romam. p. 395. *d* Lib. III. Tit. XIV. C. Th.
e Sueton. in Aug. c. 69. *f* in M. Antonio. p. 942.

g l. XLIX. p. 411. *h* cap. XXIV. v 24.
i Antiq. l. XX. c. 5. *k* in Claud. c. 24.
l Antiq. l. XIV. c. 15.
m Sueton. in Tito c. 7. Dio. l. LXVI. p. 732.
n in Gallien. c. 3. *o* Com. T. III. p. 93. *p* cap. 49.
q l. XX. c. 11.

jam

jam vidit, Athanasius *r*: *τὴν δὲ μνηστὴν αὐτοῦ τὴν Ὀλυμπιάδα* ΒΑΡΒΑΡΟΙΣ *ἐξέδωκεν*, *sponsam autem ipsius Olympiadem BARBARIS dedit.* De cujus vero Arsacis cum hac Olympiade, ut hoc obiter addam, nuptiis, non intelligendus est Gregorii Theologi *s*, uti ad eum a Jac. Billio factum video, in Epistola ad Procopium locus, *γάμους εἰστιῶμεν, ἴσως ἐρεῖς, καὶ ταῦτα τῆς χρυσῆς Ὀλυμπιάδος καὶ σῆς, καὶ παρῆν ἐπισκόπων ὅμιλος*, *nuptias celebramus, forsan dixeris, idque aureæ* seu *pulcræ atque tuæ Olympiadis; ac grex Episcoporum aderat.* Neque enim huic Procopio quidquam cum illo Rege Arsace commune; nec Gentilis Armeniorum Regis cum ejusdem Ablabii filia nuptus, magnum Episcoporum coetum interfuisse facile quispiam statuet; aut vero in iisdem expetitam valde hujus Gregorii præsentiam. Hanc vero latam a Valentiniano constitutionem, qua *cujuscunque ordinis vel loci provinciali* seu *Romano* (ut easdem voces ibi pro eodem sumit, cum vetus, ut vidimus interpres; tum novus ejusdem legis enarrator Cl. Gothofredus) connubium cum Barbara; aut ulli Gentilium vel Barbarorum cum provinciali femina, sub capitali pœna interdictum, a Magno Theodosio mox neglectam, docet adductum ab eodem Gothofredo exemplum Phrabiti, seu ut a Zosimo aliisque, dicitur Fravittæ, nempe Gentilis Gothi, cui provincialem seu Romanam ab Imperatore Theodosio desponsam uxorem tradit in Excerptis Eunapius *t*. immo cui addendus est Stilicho; qui etsi, ut aliunde constat, Vandalus sub eodem Principe Serenam, Honorii *u* ipsius Theodosii fratris filiam, & ex qua duas suscepit Augustas, duxerit. Unde sub illius filiis Honorio & Arcadio, ea inter provinciales & Barbaros connubia locum habuisse ostendit, qui de iis graviter queritur, Claudianus *x*:

> *Mauris clarissima quæque*
> *Fastidita datur: media Carthagine ducta,*
> *BARBARA Sidonia subeunt CONNUBIA matres*
> *Æthiopem nobis generum, Nasamona maritum*
> *Ingerit: exterret cunabula degener infans.*

Quod tangit etiam alius ejusdem ævi Poeta *y*, & cujus jam adduxit ea de re versus idem laudatus Codicis Theodosiani interpres:

> *Distantes regione plaga, divisaque ponto*
> *Littora conveniunt nunc per vadimonia ad unum*
> *Et commune forum; nunc per commercia & artes*
> *Ad cœtum celebrem; nunc per genialia fulcra*
> *EXTERNI AD JUS CONNUBII: nam sanguine mixto*
> *Texitur alternis ex GENTIBUS una propago.*

Unde ipsam Valentiniani constitutionem velut jam abolitam, aut quod Gentiles illi Barbari Justiniani ætate non essent amplius in Imperio Romano, a Triboniano in Codice Justinianeo omissam, observat idem Gothofredus. A quo cæteroquin Triboniano in Justinianeis Institutionibus *z*, illud dici notum, *justas autem nuptias inter se cives Romani contrahunt*; sed a multis & præstantibus Juris interpretibus vulgo male acceptum. Ab his *a* enim omnino dici traditur, quod jam ab Ulpiano pridem, cum Latinis, peregrinis, servis, connubium non esse dicitur: quum tamen post civitatem omnibus in Orbe Romano ab Antonino Caracalla impertitam, longe magis diffusa exstiterit Romani civis appellatio, eaque de iis, qui peregrini seu provinciales ibi ab Ulpiano dicuntur, & inde a connubiis cum Romanis civibus erant exclusi, usurpata. Unde accuratius ab aliis *c* & opportunius ad eadem Justiniani verba, hujus Antoninianæ constitutionis fit mentio: qua nempe, ut addunt, *civium* numero habeantur omnes, qui in Orbe Romano degunt. Inter quos tamen Romani Orbis cives, quod obiter hic addendum est, restricta fuit subinde intra unum corporum ex iis genus, ea connubiorum facultas. prout aliquot legibus a Constantio, Valentiniano, & Arcadio, ac Honorio latis, quæ exstant in Codice Theodosiano *d*, cavetur, ut pistorum filiæ iis tantum nubant, qui pistorio corpori essent adnexi, aut ut illi eidem continuo deputentur: neutiquam vero alterius conditionis privatis, aut Thymelicis seu Scenicis, & Aurigis Circensibus eædem collocentur.

XXIV. Quibus autem provincialium una cum Romana civitate concessis juribus ac beneficiis, accenseri itidem debet ab iis pœnis, quæ Romanis civibus non infligebantur, seu latis ea de re Quiritium legibus erant iis remissæ, immunitas. Etsi enim, ubi de pœnarum discrimine in Juris Justinianei libris, & quidem ratione personarum agitur; illius inter liberos ac servos *e*; aut inter humiles personas & honestiores *f*, seu in aliqua dignitate positus, Senatores puta *g*, Decuriones *h*, Judices, citra ullam specialem civis Romani aut peregrini & provincialis ea in re notationem, mentio fieri soleat; id tamen aliunde constat *i*, a quibusdam pœnis, quæ provincialibus irrogari poterant, cum latis ea de re legibus, tum Romani nominis reverentia, immunes ferme exstitisse Romanos cives. Ita de flagris seu virgis, quibus cædi iidem vi legis Porciæ non poterant, res vulgo nota, & ex adducto jam antea D. Pauli ea de re exemplo ac verbis abunde comprobata. Quam in rem autem multa exstant a Cicerone in Verrinis dicta, quibus, dum exercitam ab illo Prætore in cives Romanos, præter fas omne, immanitatem ac sævitiam exagitat, propria eorundem civium jura, & debitam ab indignissimis suppliciis, ut flagris, vinculis, securi, cruce, illorum immunitatem simul tangit. Hinc ut de multis pauca, quæ ea civium Romanorum jura plenissime venditant, huc adferam, ait de eodem Verre Cicero *k*: *Agunt enim præcipitem POENÆ CIVIUM ROMANORUM, quos partim SECURI percussit, partim in VINCULIS necavit, partim in CRUCEM sustulit.* alibi *l*: *Virgis quam multos ceciderit, quid ego commemorem? Tantum brevissime dico, Judices, NULLUM fuit omnino isti Prætori IN HOC GENERE discrimen.* mox: *PLAGIS confectum dico a lictoribus tuis CIVEM ROM. ante oculos tuos concidisse, ob quam caussam? Dii immortales! tametsi injuriam factam communi caussæ & JURI CIVITATIS: quasi enim possit esse ulla caussa, CUR HOC CUIQUAM CIVI ROMANO JURE ACCIDAT.* Adde alia adhuc eam in rem *m*: *Ubicumque terrarum & gentium VIOLATUM JUS CIVIUM ROMANORUM sit, statuitis id pertinere ad communem caussam libertatis & dignitatis.* Hinc de illa, D. Pauli instar, voce & imploratione, *ci-*

r Epistol. ad Solitar. p. 856. *s* Epist. LVII.
t pag. 22. edit. Reg. *u* Zosim. l. I. c. 57. & l. v. c. 4.
x Bell. Gildon. v. 90. &c.
y Prudent. contr. Symmach. l. II. v. 612. &c.
z Instit. Lib. I. Tit. X.
a vid. Fabrott. & Vinnium ad eum locum.
b Fragm. Tit. v. §. 4 5. *c* Anton. Perez. ad Instit.
d Leg. II. XIV. & XXI. Cod. Theod. de Pistoribus.
e Leg. XVI. §. 3. XXVIII. §. 2. & 16. D. de Pœnis.
f Leg. X. eodem Leg. III. §. 5. D. Ad Leg. Cornel. de Sicar. Inst. §. 4. de Publ. Judic. Paul. Senten. v. §. 2.
g Leg. X Cod. Th. de Pœn.
h Leg. XXVII. §. 2. D. de Pœnis. Leg. III. IX. XII. Cod. Just. de Pœn.
i Leg. ult. Cod. Th. de Can. Frum. Urb. Rom.
k in Verrem. I. c. 7. *l* in Verrem. v. c. 139.
m Ibid. c. 143.

His Conss. diem functus Constantius, & postea levatus est Constantinus viii. Kal. Aug.

307. Maximiano novies & Constantino.

His Conss. quod est, post sextum Consulatum, occisus Severus Roma.

308. Item Maximiano decies & Maximiano vii.

His Conss. quod est, Maxentio & Romulo, levatus Licinius Carnunto iii. Idus Novemb.

309. Post Consulatum Decimum & Septimum.

His Conss. quod est, Maxentio ii. & Romulo ii.

310. Anno ii. post Consulatum Decimum & Septimum.

His Conss. quod est, Maxentio iii. solo, diem functus Maximianus senior.

311. Maximiano viii. Consule.

His Conss. quod est, Rufino & Volusiano, diem functus Maximianus junior.

312. z Constantino ii. & Licinio ii.

His Conss. quod est, Maxentio iv. solo, victus & occisus Maxentius Roma ad pontem Mulvium.

313. Constantino iii. & Licinio iii.
314. Volusiano ii. & Anniano.

His Conss. bellum Cibalense fuit die viii. Idus Octobr.

315. Constantino iv. & Licinio iv.
316. Sabino & Rufino.

*His Conss. diem functus Diocletianus * Sola die iii. Non. Decembr.*

317. Gallicano & Basso.

His Conss. levati tres Cæsares, Crispus, Licinius & Constantinus die Kal. Mart.

318. Licinio v. & Crispo Cæsare.

His Conss. tenebræ fuerunt inter diem hora ix.

319. Constantino v. & Licinio Cæsare.
320. Constantino vi. & Constantino Cæsare.
321. Crispo ii. & Constantino ii.
322. a Probiano & Juliano.
323. Severo & Rufino.
324. Crispo iii. & Constantino iii.

His Conss. bellum Hadrianopolitanum die v. Non. Julias, & bellum Calcedonense xiv. Kal. Octob. & levatus est b Constantius Cæsar vi. Idus Novemb.

325. Paulino & Juliano.

z cccl. * Salona. a cccli. b Constantius.

His Conss. occisus Licinius.

326. Constantino vii. & Constantio Cæsare.

His Conss. occisus est Crispus, & edidit vicennalia Constantinus Augustus Romæ.

327. Constantino & Maximo.
328. Januario & Justo.
329. Constantino viii. & Constantino iv.
330. Gallicano & Symmacho.

His Conss. dedicata est Constantinopolis die v. Idus Majas.

331. Basso & Ablabio
332. c Pacatiano & Hilariano.

His Conss. victi Gothi ab exercitu Romano in terris Sarmatarum die xii. Kal. Maji.

333. Dalmatio & Xenophilo.

His Conss. levatus est Constans die viii. Kal. Januar.

334. Optato & Paulino.

His Conss. Sarmatæ servi universa gens dominos suos in Romaniam expulerunt.

335. Constantio & Albino.

His Conss. tricennalia edidit Constantinus Aug. die viii. Kal. Aug. & levatus est Dalmatius Cæsar xiv. Kal. Octob.

336. Nepotiano & Facundo.
337. Feliciano & Titiano.

His Conss. Constantinus Aug. ad cælestia regna ablatus est xi. Kalend. Junias. & ipso anno nuncupati sunt tres Augusti, Constantinus, & Constantius, & Constans v. Idus Septemb.

338. Urso & Polemio.
339. Constantio ii. & Constante.
340. d Acyndino & Proculo.
His Conss. occisus est Constantinus junior.

341. Marcellino & Probino.

His Conss. pugna facta est cum gente Francorum a Constante Aug. in Galliis. & ipso anno terræmotus fuit ad Orientem per totum annum præter Antiochiam.

342. e Constantio iii. & Constante ii.

His Conss. victi Franci a Constante Aug. seu pacati. tractus Hermogenes.

343. Placido & Romulo.
344. Leontio & Salustio.
345. f Amentio & Albino.
346. Constantio iv. & Constante iii.
347. Rufino & Eusebio.
348. Philippo & Salia.

His Conss. bellum Persicum fuit nocturnum.

349. Limenio & Catullino.
350. Sergio & Nigriniano.

His Conss. Constans occisus est in Galliis a Magnentio. & levatus est Magnentius die xv. Kal. Februar. & Vetranio apud Sirmium Kal. Martiis eo anno. & Nepotianus Romæ iii. Non. Junias. & pugna magna fuit cum Romanis & Magnentianis.

c ccclxx. d Acindyno. e ccclxxi. f Amantio.

351. Post Conss. Sergii & Nigriniani.

His Conss. bellum Magnentii fuit Mursa die IV. *Kal. Octob. & eo anno depositus Vetranio* VIII. *Kal. Januar. & levatus est Constantius Cæsar Id. Mart. & apparuit in Oriente signum Salvatoris die* III. *Kal. Februar. Luna* XXVIII.

352. *g* Constantio V. & Constantio Cæs.
353. Constantio VI. & Constantio II.

His Conss. Magnentius se interfecit in Galliis apud Lugdunum die III. *Idus Aug. & Decentius frater Magnentii laqueo se suspendit* XV. *Kal. Septemb.*

354. Constantio VII. & Constantio III.

His Conss. occisus est Constantius Cæsar in insula Flanona.

355. Arbetione & Lolliano.

His Conss. levatus est Julianus Cæsar die VIII. *Idus Novembres.*

356. Constantio VIII. & Juliano Cæs.

His Conss. introierunt Constantinopolim reliquiæ Apostoli Timothei die Kal. Jun.

357. Constantio IX. & Juliano Cæs. II.

His Conss. introierunt Constantinopolim reliquiæ sanctorum Apostolorum Andreæ & Lucæ die V. *Non. Mart. & introivit Constantius Aug. Romam* IV. *Kal. Majas, & edidit* XXXV.

358. Datiano & *h* Cærеale.

His Conss. introierunt Constantinopolim legati Persarum die VII. *Kal. Martii. Ipso anno terræmotus factus, ita ut civitas Nicomedensium funditus versaretur die* IX. *Kal. Septemb. aliæ vero* CL. *civitates partibus vexatæ sunt.*

359. Eusebio & Hypatio.

His Conss. natus est Gratianus filius Augusti Valentiniani die XIV. *Kalend. Majas. & ipso anno primum processit Constantinopolim Præfectus urbis, nomine Honoratus, die* III. *Idus Decemb.*

360. Constantio X. & Juliano III.

His Conss. dedicatum est Constantinopoli Dominicum die XV. *Kalend. Martias.*

361. Tauro & Florentio.

His Conss. diem functus Constantius Aug. Mopsucrenas in finib. Ciliciæ Phœniceæ provinciæ III. *Non. Novem. & introivit Julianus Aug. Constantinopolim die* III. *Idus Decembres.*

362. *i* Mamertino & Nevitta.
363. Juliano Aug. IV. & Salustio.

His Conss. occisus est Julianus Aug. in bello Persico die VI. *Kal. Julias. & quia apostata a Deo factus est Christianorum etiam persecutor, occisus est, & levatus est Christianissimus Jovianus Aug.* V. *Kal. Julias.*

364. Joviano Aug. & *k* Varro.

g cccxc. *h* Cereale. *i* cccc. *k* Varroniano.

His Conss. recessit Jovianus Aug. Dadastanæ die XI. *Kal. Mart. & levatus est Valentinianus Aug. apud Nicæam die* V. *Kal. Mart. Ipso anno levatus est Valens Aug. Constantinopoli in miliario* VII. *in tribunali a fratre suo Valentiniano die* IV. *Kal. April.*

365. Valentiniano & Valente Augg.

His Conss. mare ultra terminos suos egressum est die XII. *Kal. Aug. & ipso anno latro nocturnus hostisque publicus intra urbem Constantinopolim apparuit die* IV. *Kal. Octob.*

366. Gratiano Nob. & *l* Dalaifo.

His Conss. natus est Valentinianus junior filius Augusti Valentiniani die XV. *Kal. Febr. & ipso anno idem hostis publicus & prædo intra Phrygiam salutarem, & in Nacolensium campis ab Augusto Valente oppressus atque extinctus est die* VI. *Kal. Junias. Ipso anno Augustus Valentinianus gentem Alamannicam pervicit.*

367. Lupicino & Jovino.

His Conss. in civitate Constantinopoli Deus grandinem pluit in modum petrarum die IV. *Nonas Julias. Et ipso anno levatus est Gratianus Aug. in Galliis apud Ambianos in tribunali a patre suo Augusto Valentiniano die* IX. *Kal. Sept.*

368. Valentiniano II. & Valente II.

His Conss. terræmotus factus, ita ut civitas Nicænorum terra funditus prosterneretur die V. *Idus Octob.*

369. Valentiniano *m* Nob. & Victore.

His Conss. opus magnificum cisterna Constantinopolitanæ completum est a Domitio Modesto V. C. *iterum Præfecto Urbis. quod in prima inchoaverat Præfectura. Agon post annos* XVII. *restitutus est ab Augusto Valente.*

370. Valentiniano III. & Valente III.

His Conss. magna fames fuit in partibus Phrygiæ. & dedicata est sancta Ecclesia, ubi beati Apostoli positi sunt, V. *Idus April.*

371. Gratiano Aug. II. & Probo.
372. *n* Modesto & Arintheo.
373. Valentiniano IV. & Valente IV.
374. Gratiano III. & *o* Æquitio.
375. Post Conss. Gratiani III. & Æquitii.

His Conss. thermæ Carosianæ dedicatæ sunt agente Præfecto V. C. *Vindalonio Magno. Et ipso anno diem functus Valentinianus senior* XV. *Kalend. Decemb. in castello Vergitione. & levatus est Valentinianus junior Aug. filius Aug. Valentiniani ab exercitu in tribunali die* X. *Kal. Decemb. in civitate Acinco.*

376. Valente Aug. V. & Valentiniano juniore Augusto.

His Conss. victi & expulsi sunt Gothi a gente Hunorum, & suscepti sunt in Romania pro misericordia jussione Aug. Valentis. Et ipso anno introivit corpus Augusti Valentiniani Constantinopolim, V. *Kal. Jann.*

l Dagalaifo. *m* Nobilissimo. *n* cccci. *o* Equitio.

377. Gra-

377. Gratiano IV. & Merobaude.

His Conss. gens Gothorum, qui pro misericordia suscepti sunt, rebellaverunt adversus Romanos. ad quos expugnandos sunt missi Comites cum militibus, & pugnaverunt cum Gothis.

378. p Valente VI. & Valentiniano II.

His Conss. ingressus est Valens Aug. ab Oriente Constantinopolim die III. Kal. Jun. Et ipso anno profectus est Valens Aug. ex urbe ad fossatum die III. Idus Junias. & pugna magna fuit cum Romanos & Gothis miliario XII. ab Hadrianopoli, die V. Idus Augusti. Ex ea die Valens Augustus nusquam apparuit. & toto anno per diœcesim Thraciarum, & Scythia, & Mœsia, Gothi habitaverunt simul, & eas prædaverunt. deinde usque ad portas urbis Constantinopolitana venerunt.

379. Ausonio & Olybrio.

His Conss. levatus est Theodosius Aug. ab Augusto Gratiano die XIV. Kal. Februar. in civitate Sirmio. Ipso anno multa bella Romani cum Gothis commiserunt. Deinde victoria nuntiata sunt adversus Gothos, Alanos, atque Hunos die XV. Kal. Decemb.

Ad oram codicis nostri MS. hæc habentur adscripta, quæ Sirmondus omisit: His Consulibus Theophilus Alexandriæ Episcopus subjectum Laterculum infra de Pascha observatione conscribit.

380. Gratiano Aug. V. & Theodosio Aug.

His Conss. victoria nuntiata sunt amborum Augustorum. Et ipso anno ingressus est Theodosius Aug. Constantinopolim die XVIII. Kalend. Decembr.

381. Syagrio & Eucherio.

His Conss. ingressus est Athanaricus rex Gothorum Constantinopolim die III. Idus Januar. Eodem mense diem functus idem Athanaricus VIII. Kal. Februar.

382. q Antonio & Syagrio.

His Conss. Theodosius Aug. corpus Augusti Valentiniani in sarcophago deposuit die IX. Kal. Mart. Ipso anno universa gens Gothorum cum rege suo in Romaniam se tradiderunt die V. Non. Octobr.

383. Merobaude II. & Saturnino.

His Consulibus levatus est Arcadius Aug. Constantinopoli in miliario VII. in tribunali a Theodosio Aug. patre suo die XVII. Kalend. Febr. Et ipso anno ingressum est Constantinopolim corpus Constantiæ filiæ Augusti Constantini die II. Idus Septemb.

384. Ricomere & Clearcho.

His Conss. introierunt Constantinopolim legati Persarum. Ipso anno natus est Honorius nobilissimus in purpuris die V. Idus Septembr.

385. Arcadio Aug. & Bautone.
386. Honorio nobilissimo & Evodio.

His Conss. victi atque expugnati, & in Romania captivi adducti gens Greuthyngorum a nostris Theodosio & Arcadio. deinde cum victoria & triumpho ingressi sunt Constantinopolim die IV. Idus Octobres.

387. r Valerio III. & Eutropio.

His Conss. Quinquennalia Arcadius Aug. propria cum Theodosio Aug. patre suo editionibus ludisque celebravit XVII. Kalend. Feb.

388. Theodosio Aug. II. & Cynegio.

His Conss. defunctus est Cynegius Præfectus Orientis in Consulatu suo Constantinopoli. Hic universas provincias longi temporis labe deceptas in statum pristinum revocavit. & usque ad Ægyptum penetravit, & simulacra gentium evertit. Unde cum magno fletu totius populi civitatis deductum est corpus ejus ad Apostolos die XIV. Kal. April. Et post annum transtulit eum matrona ejus Achantia ad Hispanias pedestre. Et ipso anno occiditur hostis publicus Maximus tyrannus a Theodosio Aug. in miliario III. de Aquileja die V. Kal. Aug. Sed & filius ejus Victor occiditur post paucos dies in Galliis a Comite Theodosii Augusti.

389. Timasio & Promoto.

His Conss. introivit Theodosius Aug. in urbem Romam cum Honorio filio suo die Iduum Juniarum, & dedit congiarium Romanis.

390. Valentiniano IV. & Neuterio.
391. Tatiano & Symmacho.
392. s Arcadio Aug. II. & Rufino.

His Conss. Valentinianus junior apud Viennam est interfectus. & levavit se Eugenius tyrannus. postmodum Theodosius Aug. occidit Eugenium.

393. Theodosio Aug. III. & Abundantio.
394. Arcadio Aug. III. & Honorio Aug. II.
395. Olybrio & Probino.

His Consulibus recessit apud Mediolanum Theodosius Aug.

396. Arcadio Aug. IV. & Honorio Aug. III.
397. Attico & Cæsario.
398. Honorio Aug. IV. & Eutychiano.

His Conss. Gildo occisus.

399. Manilio & Theodoro v. c.

His Conss. templa gentilium demolita sunt, Joviano & Gaudentio Comitibus.

400. Stelicone v. c. Consule.
401. Vincentio & Fravito.
402. t Arcadio V. & Honorio V.

His Conss. Solis facta defectio III. Idus Novembres.

403. Theodosio & Rumorido.
404. Honorio IV. & u Aristone.

His Conss. bellum civile fuit ex III. Kal. Septembres.

405. Stelicone II. & Anthemio.

His Conss. inter Catholicos & Donatistas unitas facta.

406. Arcadio VI. & Probo.
407. Honorio VII. & Theodosio Aug. II.
408. Basso & Philippo.
409. x Honorio VIII. & Theodosio III.

His Conss. barbari Hispanias ingressi.

410. Honorio IX. & Varari quod fuit Tertullo.
411. Theodosio Aug. IV.

His Conss. Constantini tyranni in conto caput adlatum est XIV. Kal. Octobres.

p CCCCXVI. q CCCCXX. r Valentiniano.

s CCCCXXX. t CCCCXL. u Aristæneto. x CCCCXLVII.

412. *y* Honorio IX. & Theodosio V.
413. Post Consulatum Honorii IX. & Theodosii V. Lucio Cos.

His Conss. occisi sunt Jovinus, Sebastianus, Salustius. & Heraclianus abolitus est.

414. Constantio V. C.
415. Honorio X. & Theodosio VI.

His Cons. sanctus Stephanus primus martyr revelatur sancto Presbytero Luciano die VI. feria, qua fuit tunc III. Non. Decembres in Hierosolymis sancto Joanne Episcopo præsidente. & extant ex his gestis epistola supradicti presbyteri, & sancti Aviti presbyteri Bracarensis, qui tunc in Hierosolymis degebant.

416. Theodosio VII. & Palladio.
417. Honorio XI. & Constantio II.
418. Honorio XII. & Theodosio VIII.
419. Monaxio & Plenta.

His Cons. sanctus Joannes Hierosolymorum Episcopus qui supra, epistolam dirigit per Ecclesias orbis terrarum, qua habetur, de signis terroribusque divinitus perpetratis.

420. Theodosio IX. & Constantio III.
421. Agricola & Eustatio.
422. *z* Honorio XIII. & Theodosio X.
423. Mariniano & Asclepiodoto.

His Conss. Honorius Aug. recessit Ravenna.

Hactenus editio Sirmondiana: nos quæ sequuntur, ex MS. Codice descripsimus.

424. Castino & Victore.
425. Theodosio XI. & Valentiniano Cæs.
426. Theodosio XII. & Valentiniano II. Aug.
427. *a* Pierio & Ardabure.
428. Felice & Tauro.
429. Florentio & Dionysio.
430. Theodosio XIII. & Valentiniano III.
431. Basso & Antiocho.
432. *b* Aetio & Valerio.
433. Theodosio XIV. & Maximo.
434. Aspare & Ariobindo.

y CCCCL. *z* CCCCLX. *a* Hierio. *b* CCCCLXX.
c CCCCLXXX. *d* CCCCXC. *e* Sporatio.

435. Theodosio XV. & Valentiano IV.
436. Isidoro & Senatore.
437. Aetio II. & Segisvulto.
438. Theodosio XVI. & Fausto.
439. Theodosio XVII. & Festo.
440. Valentiniano V. & Anatholio.
441. Cyro V. C.
442. *c* Dioscoro: *omisit Eudoxium.*
443. Maximo II. & Paterio.
444. Theodosio XVIII. & Albino.
445. Valentiniano VI. *omisit Nomum.*
446. Aetio III. *omisit Symmachum.*
447. Callepio & Ardabure.
448. Postumiano & Zenone.
449. Asturio & Protogene.
450. Valentiniano VII. & Avieno.
451. Adelphio & Marciano.
452. *d* Herculano & *e* Parracio.
453. Opilione: *omisit Vincomalum.*
454. Aetio IV. & Studio.
455. Valentiniano VIII. & Anthemio.
456. Avito Augusto Consule.
457. *Omissi Constantinus & Rufus.*
458. Majoriano Augusto & Ariovindo.
459. Richimero & qui de Oriente.
460. Magno & Apollonio.
461. *f* Severiano & qui de Oriente.

His Conss. Majorianus occiditur, & Severus efficitur Imperator.

462. *g* Severo & Leone Augustis.
463. Basilio & *h* Gadaifo.
464. Dn. Olybrio.

Severus Augustus obiit.

Anthemius Romæ Imperator factus est. Adversum Uvandalos grandis exercitus cum Marcellino Duce dirigitur.

468. Augusto Anthemio II. Consule.

Cætera, quæ supersunt, Consulum Paria, & Post-consulatus Basilii V. C. disces, erudite Lector, ex appendice Marii Aventicensis Episcopi ad Chronicon Prosperi, vel ex Chronicis Marcellini Comitis, ac Victoris Tunnunensis.

f Severino. *g* D. *h* Felice.

FINIS.

VIRI

VIRI CLARISSIMI

TIRONIS PROSPERI

AQVITANI

CHRONICON INTEGRVM,

AB ADAMO AD ROMAM CAPTAM

A GENSERICO WAND. REGE,

IN DVAS PARTES TRIBVTVM.

PRÆFATIO
PHILIPPI LABBÆI.

Viri Clarissimi TIRONIS PROSPERI *Aquitani Chronicon integrum, ab Adamo ad Romam captam a Genserico Vandalorum Rege, anno Christianæ æra* CCCCLV. *Urbis conditæ* MCCVIII, *in duas Partes tributum.*

Prima pars ab ortu rerum ad mortem Valentis cum Annotatione Consulum a Baptismo Christi Domini, nunc primnm edita est ex pluribus codicibus calamo exaratis atque inter se comparatis.

Auctarium de variis Hæresibus, nec non diversæ Lectiones ex quibusdam libris MSS. collectæ.

V. C. Prosperi Tironis Aquitani Chronicorum Pars altera, dicta vulgo Consularis, ab anno vitæ Christianæ CCCLXXIX. *ad* CCCCLV. auctior atque emendatior in pluribus, quam quæ antea publicata est.

Lectiones variæ in Marii Aventicensis Episcopi Chronico: sed admodum paucæ, nec valde, si unam alteramque excipias, necessariæ.

Ejusdem alteriusve PROSPERI *Chronicon, quod non per Consules, sed per annotatos in margine Imperatorum annos procedit.* Editionem Pithœanam multis in locis emendatam ex collatione MSS. codicum exhibuimus hic quoque, ut uno veluti conspectu omnia, quæ Prospero tribui solent ad rem Historicam spectantia, Lector inveniat.

De Prospero nihil modo iis addam, quæ Sirmondus noster disputavit Historiæ Prædestinatianæ capite quinto: unum tamen hic non desinam admonere, deceptos fuisse quamplurimos, etiam eruditissimos viros, qui Prosperum arbitrati sunt Hieronymiano duntaxat Chronico Appendicem adtexuisse. Certum quippe est multisque veterum testimoniis comprobatum, ab initio rerum exorsum ad sua usque tempora uno veluti filo ac tenore Chronicam Epitomen perduxisse. Testatur id Victor Aquitanus in Præfatione Canonis Paschalis ad Hilarum urbis Romæ Archidiaconum, postea Papam: Cujus Eusebii tenorem vir venerabilis Prosper secutus hiisdem Chronicis hæc eadem egregia brevitate composuit, ut eorum initium a Mundi inchoaretur exordio. *Idem asserit, ut recentiores omittam, Gennadius Massiliensis in libro de scriptoribus Ecclesiasticis cap.* 84. Prosper homo Aquitanicæ regionis, sermone Scholasticus, & assertionibus nervosus, multa composuisse dicitur: ex quibus ego Chronica illius nomine prætitulata legi, continentia a primi hominis conditione, juxta divinarum scripturarum fidem, usque ad obitum Valentiniani Augusti, & captivitatem urbis Romæ Genserico Vandalorum Rege factam. Legi, &c.

TIRO-

TIRONIS PROSPERI AQVITANI CHRONICON.

PARS PRIMA
AB ORTU RERUM AD MORTEM VALENTIS.

ADAM cum esset annorum CCXXX. genuit Seth.

Seth cum esset annorum CCV. genuit Enos.

Enos cum esset annorum CXC. genuit Cainan.

Cainan vero cum esset annorum CLXX. genuit Malaleel.

Porro Malaleel cum esset annorum CLXV. genuit Jared.

Jared autem cum esset annorum CLXII. genuit Enoch.

At Enoch cum esset annorum CLX. genuit Mathusalem.

Mathusalem vero cum esset annorum CLXXXVII. genuit Lamech.

Lamech quoque cum esset annorum CLXXXVIII. genuit Noe.

Erat autem Noe annorum D. cum genuit tres filios, Sem, Cham & Japheth.

Post annos vero centum, quando genuit Sem, factum est Diluvium, cum esset annorum DC.

Ad probandam fidem temporum hæ generationes ab initio retexuntur, quibus annorum adscriptus est numerus. Nam Caim fratricidæ posteritas non fuit digna cum Dei populo computari. Sed cum latius serpente peccato maxima pars bonorum connubiis se alienigenarum mulierum miscuisset, crimen illicitæ societatis Diluvio meruit expiari, solo Noe justo, cum uxore & tribus filiis ac totidem nuribus, ad reparationem humani generis reservato.

Fuerunt igitur ab Adam usque ad Diluvium generationes decem anni MM. CCXLII.

Post Diluvium succedunt hæ generationes:

Sem filius Noe, cum esset annorum centum, genuit Arphaxad anno post Diluvium secundo.

Arphaxad autem, cum esset annorum CXXXV. genuit Cainan.

Et Cainan, cum esset annorum CXXX. genuit Salem.

Deinde Salem, cum esset annorum CXXX. genuit Heber.

Heber quoque, cum esset annorum CXXXIV. genuit Phalec.

Hoc tempore ad perturbandam superbæ turris exstructionem divisæ sunt linguæ, & per orbem terræ facta est gentium dispersio.

Phalec autem cum esset annorum CXXX. genuit Rhagau.

Rhagau quoque cum esset annorum CXXXII. genuit Seruch.

Seruch vero cum esset annorum CXXX. genuit Nachor.

Porro Nachor cum esset annorum LXXIX. genuit Thare.

Thare autem annorum LXX. genuit Abraham: qui cum esset annorum LXXV. divino monetur alloquio, ut exeat de terra sua, & de domo patris sui, ut transeat in terram Chanaan. Quo tempore promissio ad Abraham facta est, quod futurus esset gentium pater.

Et inveniuntur ab anno LXXV. Abraham, in quo est repromissionis exordium, usque ad Moysen & egressum Hebrææ gentis ex Ægypto anni CCCCXXX.

Fiunt itaque a Diluvio usque ad primum annum promissionis MCLXVI. ab Adam vero anni MMM. CCCXXCVIII.

Abraham nonagenarius ex ancilla Agar genuerat Ismael, a quo Ismaelitæ, qui postea, Agareni, ad postremum Sarraceni dicti.

In hoc tempore Abraham fide justificatus, qui credidit in semine suo omnes gentes benedicendas, mandatum circumcisionis accepit: quæ usque ad Nativitatem D. N. JESU-CHRISTI promissionis corporeum fuit signum, quod in spirituale sacramentum veræ cordis circumcisionis transivit.

Abraham anno ætatis suæ centesimo, repromissionis autem vicesimo quinto, genuit Isaac ex libera.

Isaac cum esset annorum LX. genuit geminos: quorum prior Esau, qui & Edom, a quo Idumæi.

Hoc tempore apud Argos regnabat Inachus, cujus filia Io, quam Ægyptii Isidem vocitatam divino honore coluerunt.

Sequens Jacob, qui postea Israel, a quo Israelitæ, qui nunc Judæi.

Erat autem annus repromissionis XXCVI.

A primo vero anno Jacob, usque ad principatum Joseph in Ægypto fiunt anni CXXI.

Cujus temporis anno XV. qui est promissionis C. moritur Abraham annor. CLXXV.

In hæc tempora Niobe, ut Græci perhibent, mixtus est Jupiter, exque illo concubitu natus est Apis, quem Serapin vocant.

Igitur Abraham, Isaac & Jacob antiquiores Serapide.

Hoc tempore Messana, quæ & Mamertina, condita est.

Jacob autem agens annum LXXVIII. descendit in Mesopotamiam, & servivit apud Laban annis VII.

Jacob cum esset annorum XCII. genuerat Joseph, qui cum esset annorum XVII. venditus est a fratribus anno patris sui Jacob CIX.

Isaac vero moritur anno ætatis suæ CXXC. relinquens filium Jacob habentem annos CXX.

Hoc tempore Memphis ab Api in Ægypto condita.

Joseph Dux Ægypti annis XXC. quorum cum ageretur vigesimus sextus, Jacob obiit anno ætatis suæ CXLVII. prophetans de Christo & vocatione gentium.

Anno principatus Joseph IX. qui erat famis annus secundus, ingressus est Jacob in Ægyptum cum filiis suis.

Ipse autem Joseph moritur anno ætatis suæ CX. Hebræorum in Ægypto servitutis CLXIV.

Hujus servitutis anno XX. Atlas Astrologus insignis habebatur frater Promethei.

Hujus servitutis anno LXV. qui est repromissionis annus CCCL. Aram genuit Mosen, cum esset annorum LXX.

Hoc tempore Epidaurus condita, & templum Apollinis Delphici ab Erisichthone conditum.

Anno servitutis Hebræorum LXXVII. primus in Thessalia regnavit Hæmon.

Anno vero XXC. Phorbas Rhodum obtinuit.

Anno XXCII. Hercules Antæum luctæ certamine superat.

Anno XCVII. primus Trochilus quadrigam junxisse perhibetur.

Anno XC. Xanthus Triopas Lesbon condidit.

Anno C. Cecrops regnavit in Attica, sub quo in Arce Oliva nata est, & ex Minervæ nomine, quæ Græce Athena dicitur, Attici Athenæ vocati.

Anno CXIII. Curetes & Corybantes Cnosson condiderunt: qui modulatam & inter se convenientem in armis saltationem repperiunt.

Moyses octogesimum agens ætatis suæ annum, impletis ab initio promissionis CCCCXXX. dux itineris ab Ægypto Hebræorum gentis efficitur, legem eis in eremo tradens per annos XL.

Hoc tempore Corinthus conditur, quæ prius Ephyre dicta est.

Cujus temporis anno quinto primus apud Hebræos Pontifex constitutus frater Moysis Aaron.

Hoc tempore Apollinis Delphici templum ab Erisichthone fabricatum.

Huc usque quinque libri Moysis continent gesta annorum MMMDCC. secundum LXX. interpretes.

Mortuo Moyse Dux constituitur Josue, qui principatum tenuit annis XXVII. & terram Palæstinorum Judæis sorte distribuit.

Hoc tempore apud Hebræos Pontificatum suscepit Eleazar.

Post mortem Josue Hebræos alienigenæ annis octo subjectos habent, qui junguntur temporibus Gothoniel secundum Judæorum traditionem.

Hac ætate apud Hebræos Pontifex erat Phinees.

Supputantur itaque omnes anni Gothoniel XL. Fuit autem ipse ex tribu Juda.

Post Gothoniel Hebræi alienigenis subjecti fuere annis XVIII. qui copulantur temporibus Aod secundum Judæorum traditionem.

Supputantur itaque omnes anni Aod Judicis ex tribu Ephrem octoginta.

In fine hujus ætatis Amphion Thebis regnabat.

Debbora cum Barach annis XL. ex quibus sunt anni XXX. quibus post obitum Aod Hebræos alienigenæ habuere subjectos. Fuit autem Debbora ex tribu Ephrem: Barach vero ex tribu Nephtalim.

Hujus ætatis anno XVII. Ilium ab Ilo conditum.

Gedeon ex tribu Manasse annis XL. in quibus sunt anni VII. quibus Hebræos alienigenæ habuere subjectos juxta Hebræorum traditionem.

Hoc tempore Tyrus condita. Argonautæ his temporibus fuere. Cyzicus hoc tempore condita. Orpheus Thrax clarus habebatur.

Abimelech filius Gedeonis annis tribus.

Hæc & Herculis tempora.

Tholam annis XXVI. *vel* XXIII. *ex alio codice.*

Huic ætati adscribitur bellum Lapitharum & Centaurorum. Priamus post Laomedontem regnat. Medea Colchis; mors Androgei & Minotauri fabula hoc tempus habuerunt.

Jair ex tribu Manasse annis XXII.

Hac ætate regnabant Agamemnon Mycenis, Menelaus Lacedæmone.

Horum annorum sexto Carthaginem Tyrii condiderunt.

Hæc ætas habuit Atreum Argis regnantem, eadem Phædram & Hippolytum.

Jephte annis VI. Esbon annis VII.

Hoc tempus fuit raptus Helenæ: Bellum Trojanum.

Labdon XVIII. alias VIII. Cujus principatus anno tertio Troja capta, ejusdemque Labdon anno octavo Latinis regnat Æneas annis tribus.

Samson annis XX.

Cujus anno tertio Ascanius Æneæ filius Albam condidit.

Ascanius regnat Latinis annis XXXVII. seu XXXVIII.

Post quem Sylvius Æneæ postumus filius annis XXVII. alias XXIX. a quo Albanorum Reges Sylvii appellati.

Heli Sacerdos annis XL.

Mortuo Heli Sacerdote arca Testamenti ab alienigenis possidetur.

Samuel & Saul annis XL.

Primus Rex Hebræorum Saul ex tribu Benjamin, cujus regni anno nono Latinis regnat Æneas Sylvius annis XXXI.

Post quem regnat Latinis Sylvius annis quinquaginta.

Ab initio principatus Moysis usque ad ortum regni David anni CCCCXXXIX.

David ex tribu Juda primus regnavit annis XL. Quo tempore Abjathar Pontifex clarus habebatur: prophetabant autem Gad, Nathan & Asaph.

Salomon filius David annis XL. qui templum Hierosolymis ædificare cœpit, consummavitque annis octo. Quo tempore Sadoch Hebræorum Sacerdos clarus habebatur.

Anno regni Salomonis XL. Latinis regnare incipit sextus Albanus Sylvius annis XXXVIII.

Roboam annis XVII.

Post mortem Salomonis regnum Hebræorum seditione divisum est, vocabanturque qui in Samaria erant, Israel, quibus primus regnavit Jeroboam.

Roboam filius Salomonis regnavit in Jerusalem duabus tribubus sibi subjectis, quæ vocabantur Juda ab rege Judæorum ex stirpe Judæ.

Hoc tempore apud Latinos Ægyptus Sylvius septimus regnat annis XXIII.

Septimo autem anno regni Jeroboæ Susachin Rex Ægypti contra Judæos dimicans templum exspoliat.

Abia annis tribus. Hebræorum Pontifex Abimelech illustris habebatur: prophetabant autem

Acbias, Sameas, Jemoded, Azarias, qui & Addo, & Anani.

Asa justus annis XLI.

Josaphat justus annis XXV. Prophetabant apud Hebræos Abdias, Jenozias, Micheas.

Hujus regni anno XII. apud Latinos Capys Sylvius regnat annis septem. Deinde IX. Compartus Sylvius annis quinque.

Joram annis octo: quo tempore prophetabant Helias & Heliseus.

Osias anno uno: Jonadab filius Rechab clarus habebatur.

Gotholia mater annis septem.

Hoc tempore in Græcia Homerus Poeta clarus fuit.

Joas annis XL. His temporibus apud Hebræos Jojada insignis Pontifex erat, qui solus post Moysen vixit annis CXXX. Hoc tempore Azarias propheta occiditur: Zacharias quoque propheta a Rege Joas interficitur.

Latinis XII. Aremulus Sylvius annis XIX. post quem Aventinus Sylvius regnavit annis XXXVII. a quo mons Aventinus: post quem XIV. Procas Sylvius annis XXVI. post quem XV. Amulius Sylvius annis XLIII.

Amasias annis XXIX.

Azarias, qui & Osias, annis LII.

Hujus regni sextus agebatur annus, cum Reges Assyriorum defecerunt imperio in Medos translato.

Apud Hebræos autem prophetabant Osee, Amos, Esaias & Jonas, cum esset annus Oziæ vicesimus primus.

Quadragesimo vero & nono ejusdem anno constituitur Olympias prima, Elis agentibus quinquennale certamen, quatuor mediis annis vacantibus. Et hoc certaminis tempus Olympiadem vocaverunt auctore Iphito.

Joathan annis XVI. Prophetabant Osee, Amos, Esaias, & Johel, qui & Jobeth.

Achaz annis XVI.

Hujus regni anno quinto Romulus Roma condita regnare orsus est.

Ejusdem autem regni Achaz anno XI. decem tribus gentis Hebrææ, quæ vocabantur Israel & erant in parte Samariæ, victæ a Senacherim, qui & Salmanasar, Rege Chaldæorum, translatæque sunt in montes Medorum, cum regnatum esset in Samaria annis CCL. Senacherim autem ad custodiendam regionem Judææ adcolas misit Assyrios, qui æmulatores Judæorum legis facti, Samaritæ nuncupati sunt, quod Latina lingua exprimitur Custodes.

Ezechias annis XXIX. sub quo apud Hebræos prophetabant Esaias & Osee.

Romulus primos milites sumpsit ex populo, & nobiles centum senes, quos ob ætatem Senatores, ob curam Patres appellavit.

Eodem tempore Syracusæ & Catana in Sicilia conditæ.

Manasses annis LV.

Cujus regni initio apud Romanos regnabat Numa Pompilius annis XLI. cum post Romulum regnasset Senatus annum unum.

Ammon annis XII.

Hujus regni initio Tullus Hostilius Romæ septimumdecimum imperii sui gerebat annum, regnavitque annis XXXII.

Josias annis XXXII. quo regnante Hebræorum Pontifex maximus Chelcias insignis habebatur, & prophetabant eadem tempestate Hieremias & Sophonias & Olda mulier.

Apud Romanos autem regnabat Ancus, qui Ostiam condidit civitatem, regnavitque annis XXIII, post quem regnat Tarquinius Priscus annis XXXVII.

Josias Rex Judæorum cum Nechac Ægyptiorum rege congressus occiditur.

Thales Milesius primus Physicus Philosophus agnoscitur.

Anno XXI. regni Tarquinii Prisci Massilia condita.

Joachaz mensibus tribus.

Joachim, qui Eliachim, annis undecim.

Anno tertio Joachim Nabuchodonosor Rex Babyloniæ Judæam capit, & in ditionem suam redactis plurimis Judæorum, cum jam partem vasorum templi invasisset, & Joachim tributarium fecisset, victor ad patriam redit.

Joathan seu Joachin, qui & Jechonias, menses tres.

In Babylone, Daniel, Azarias, Misael clari habebantur.

Hunc Rex Babylonius captum secum pertrahit secundo veniens ad Judæam.

Sedecias annis XI.

Nabuchodonosor Rex Chaldæorum Hierosolymis captis templum incendit, quod ab initio ædificationis suæ permanserat annos CCCXLII. alias CCCCLII.

Captivitatis Judæorum anni LXX. qui supputantur usque in secundum annum Darii.

Apud Romanos post Tarquinium Priscum regnat Servius annis XXXIV. cui successit Tarquinius Superbus qui regnavit annis XXXV. Hujus regni anno XXV. prophetabant apud Hebræos Aggæus, & Zacharias, & Malachias, Pontifice Jesu filio Josedech.

Hoc tempore Pythagoras Philosophus clarus habebatur.

A David usque ad LXX. ann. captivitatis Judæorum supputantur anni DLV.

A septuagesimo anno captivitatis Judæorum supputantur Darii Regis Persarum anni XXXIII.

Cujus regni anno decimo apud Romanos Regii dominatus finis est factus: quæ potestas apud eos mansit annis CCXL. Hinc apud Romanos a Bruto Consules esse cœperunt, dein Tribuni-plebis ac Dictatores, & rursum Consules rempublicam obtinuerunt per annos CCCCLXIV. seu CCCCXLIV. usque ad Julium Cæsarem.

Xerxes regnat annis XX. filius Darii, quo tempore Sophocles & Euripides clari habebantur. Herodotum quoque Historiarum scriptorem eadem ætas habuit.

Post Xerxem Artabanus regnavit mensibus septem.

Artaxerxes annis XL.

Hoc regnante Esdras Sacerdos apud Hebræos insignis habebatur, cujus ætate Pontifex maximus fuit Eliachim, alias Eliasib, filius Joachin filii Jesu, filii Josedech.

Empedocles & Parmenides, Zeno & Heraclitus Philosophi claruerunt. Tunc etiam Poricides Historicus, Cratinus Comicus, Aristarchus Tragicus extiterunt.

Vicesimo regni Artaxerxis Neemias Hebræus minister Regis, concedente domino suo, de Babylone venit in Judæam, & XXXII. anno muros urbemque restituit. Si quis autem LXX. Hebdomadas a Daniele scriptas ab hoc tempore numerat, quæ faciunt annos CCCCXC. reperiet eas in regno Neronis expletas, sub quo obsideri Jerusalem cœpta, secundo postea Vespasiani anno capitur.

His temporibus Hippocrates Medicus, & Socrates Philosophus illustres fuerunt.

Xerxes menses duos. Plato nascitur.

Socdianus menses VII. In his supputatur annus unus.

Darius

Darius cognomento Nothus annis XIX. alias XVIII.

Dionysius in Sicilia tyrannidem exercet.

Romani per legatos jura ab Atheniensibus petierunt, ex quibus XII. Tabulæ conscriptæ.

Artaxerxes Mnemon Darii & Parysatidis filius annis XL.

Hujus regni anno XV. Galli Senones Romam excepto Capitolio occupaverunt.

Aristoteles XVIII. ætatis suæ anno Platonis auditor est.

Artaxerxes, qui & Ochus, annis XXVI.

Cujus regni initio Camillus Gallos qui Romanis bellum intulerant, superavit.

Eodem tempore Alexander Philippi filius nascitur.

Demosthenem quoque Oratorem eadem ætas clarum habuit.

Arses Ochi filius annis quatuor.

Hoc tempore descriptione facta Romæ inventa sunt civium CLX. millia.

Apud Judæos Jaddus Pontifex maximus clarus habebatur.

Darius Arsami filius annis sex.

Quo tempore apud Romanos Consul Manlius Torquatus filium suum, quod contra imperium in hostes pugnaverat, virgis cæsum securi percussit.

Hac tempestate Alexander Philippi filius regnare orsus, sexto imperii sui anno regnum Persarum subvertit, & in Ægypto urbem Alexandriam condidit.

Appius Claudius cæcus apud Romanos clarus habetur, qui Claudiam aquam duxit, & viam Appiam stravit.

Romani Samnitas subjugant.

ALEXANDER post finem regni Persarum regnavit annis septem, qui XXXII. ætatis suæ anno apud Babylonem moritur.

Regnum Alexandrinorum nascitur, quo potitus est Ptolemæus Lagi filius annis XL. Hic regni sui anno quarto Hierosolymis & Judæa in ditionem suam redactis, plurimos captivorum in Ægyptum transtulit. Tunc Judæorum Pontifex Onias Jaddi filius habebatur.

Maccabæorum autem Hebræa Historia hinc Græcorum supputat regnum. Verum hi libri ab Hebræis inter divinas scripturas non recipiuntur.

Romani Marsos & Hernicos & Pelignos superant.

His annis Seleucus Antiochiam, Laodiciam, Apamiam, Edessam, Berœam & Pellam urbes condidit, in quibus Judæis quos transtulerat, jus civium dedit. Seleucus Babylonem obtinuit.

XXV. anno regni Ptolemæi Judæorum Pontifex maximus Simon Oniæ filius insignis erat.

Romæ vero censu agitato inventa sunt civium millia CCLXX.

Pontificatum apud Judæos suscepit Eleazar frater Simonis, cujus filius Onias ob ætatem pueritiæ non potuerat patri succedere.

Eo tempore a Romanis Beneventum & Ariminus conditæ.

Ptolemæus qui & Philadelphus annis XXXVIII. Hic Judæos qui in Ægypto erant, liberos esse permisit, & vasa Eleazaro Pontifici Hierosolymorum votiva transmittens, divinas scripturas in Græcum sermonem ex Hebræa lingua per LXX. interpretes transferre curavit, quas in Alexandrina Bibliotheca habuit, quam sibi ex omni genere litterarum comparaverat.

Argenteus nummus primum in Urbe figuratus regni bujus anno XIII. Hujus regni anno XXIV. Romani Carthaginenses navali certamine superant, & centum Libyæ urbes capiunt.

Judæorum Pontificatum post Eleazarum avunculus ejus Manasses accepit: post quem Onias Pontifex Simonis justi filius clarus habebatur, qui consueta & Ptolemæo tributa non reddens ad iram eum commovit. Verum Josephus vir inter suos nobilis legatus a Judæis ad Ptolemæum missus, cum familiaritatem Regis ob plurima in eum meruisset obsequia, Dux Judææ & finitimarum regionum constituitur.

Parthis ab Imperio Macedonum recedentibus primo regnavit Arsaces, unde Arsacidæ dicti.

Ptolemæus Evergetes annis XXVI.

Hujus temporibus Judæorum Pontifex Simon Oniæ filius clarus habebatur: sub quo Jesus filius Sirach Sapientiæ librum composuit, quem Panareton vocavit.

Ennius Poeta Tarenti nascitur.

Rhodo terræ motu concussa Colossus ruit.

A Romanis XL. fere millia Gallorum cæsa.

Ptolemæus Philopator annis XVII. Judæi victi & XL. millia armatorum ex numero eorum cæsa.

Romani vero Capuam & Siciliam subjugant.

Antiochus Rex Syriæ victo Philopatore per Ptolemæum Judæam sibi sumit.

Ptolemæus Epiphanes annis XXIV. Hic Scopa Principe militiæ destinato Judæam capit, & plurimas Syriæ civitates. Secundus liber Machabæorum hujus temporis gesta continet.

Hac tempestate cum ab Antiocho per legatos Hannibalem Romani reposcerent, cui se victus a Scipione sociaverat, idem Hannibal ad Prusiam Regem Bithyniæ transfugit: & cum etiam ab eo per Flaminium reposceretur, tradendusque esset, venenum bibit, & apud Libyssam Bithyniæ sepultus est.

Cæcilius Poeta Comicus.

Ptolemæus Philometor annis XXV. seu XXXV. Hujus anno quarto Hyrcanus Josephi Ducis Judææ filius, quum ad Ptolemæum perrexisset, honorifice ab eo susceptus est. Verum fratres ejus seditione contra eum mota magnarum calamitatum Judææ genti causa extiterunt.

Aristobulus, natione Judæus, Peripateticus Philosophus elaruit: qui ad Philometorem Ptolemæum explanationum in Moysen commentarios scripsit.

Eodem tempore Antiochus Epiphanes, cum de regione Ptolemæorum, quam subito invaserat, territus Senatus Romani imperio recessisset, Judæam venit, ibique Jesu & Jasoni fratri Oniæ Pontificatum tradidit. Quo deinde expulso Oniam cognomento Menelaum successorem ei dedit. Itaque ob Sacerdotii dignitatem orta seditione inter Principes ingentium miseriarum semina pullulaverunt.

Samaritæ & Judæi Alexandriæ Ptolemæo judicante contendunt de honoribus ex utraque parte templo suo deferendis, & superant Judæi.

Vicesimo autem ejusdem regni anno Judæ Machabæo post Alcimi inimici ejus interitum Sacerdotium & Principatum omnium Judæorum favore decernitur. Qui dignitate suscepta Legatos Romam misit, & obtinuit decreto Senatus, ut Judæi amici & auxiliatores Romanorum haberentur. Idem Judas duces Antiochi, qui legem Judæorum multa profanitate impugnaverat, de Judæa expulit, & templum ab idolorum imaginibus emundans patrias religiones post triennium civibus suis reddidit.

Ennius Poeta moritur, sepeliturque in monimento Scipionum via Appia.

Judas Machabæus triennio Pontificatu gesto dimicans adversus Demetrii Duces occiditur.

Terentius Carthaginensis Comoediarum scriptor moritur.

Pacuvius Tragicus clarus habetur, Ennii Poetæ ex filia nepos, vixitque Romæ, quoad picturam exercuit ac fabulas venditavit, deinde Tarentum transgressus prope nonagenarius diem obiit.

Romæ descriptione facta inventa sunt civium CCCXXXII. millia, quo tempore Carthago in ditionem Romanam per Scipionem redigitur.

Ptolemæus Evergetes annis XXIX.

Jonathas Pontifex Judæorum a Tryphone occiditur, & in Sacerdotium Simon Jonathæ frater adsumitur: cui interfecto succedit filius ejus Joannes, qui contra Hyrcanos bellum gerens Hyrcani nomen accepit, & a Romanis decreto Senatus inter amicos relatus est. Idem Samariam obsidione captam solo æquavit, quam postea Herodes instaurans Sebasten in honorem Augusti vocari voluit.

Attalus moriens populum Romanum reliquit heredem.

Ptolemæus Physcon, qui & Soter, annis XXVII. alias XVII.

Hujus regni anno octavo Cicero Arpini nascitur matre Helvia, patre Equestris ordinis ex regio Volscorum genere.

Triennio post Cn. Pompejus Magnus oritur.

Septimo decimo autem hujus regni anno C. Marius V. Consul juxta Rhodanum Cimbros superat, quorum ducentis millibus cæsis LXXX. capit, & de his cum Catulo triumphat.

Jugurtha contra Romanos dimicans capitur.

In Sicilia rursus bellum servile consurgit.

Thraces a Romanis victi.

Aristobulus filius Jonathæ (Joannis) Rex pariter & Pontifex, primus apud Judæos diadematis sumpsit insigne. Post quem regnavit Jannæus, cognomento Alexander, qui Pontificatum quoque administrans crudelissime civibus præfuit.

Ptolemæus, qui & Alexander, annis VIII.

Syriæ regnabat Philippus, quem Dux Romanus Gabinius cepit, cum jam ante eum Antiochus in Parthos fugiens Pompejo se deinceps tradidisset. Ita Syria in Romanam ditionem transivit.

L. Pomponius Bononiensis Attellanarum scriptor clarus habebatur.

T. Lucretius Poeta hoc tempore extitit, qui amatorio poculo in furorem versus propria manu se interficit.

Plotius Gallus primus Romæ Latinam Rhetoricam docuit.

Ptolemæus Cleopatræ filius annis VIII.

Salustius Historiarum scriptor in Sabinis Amiterni nascitur.

Descriptione Romæ facta inventa sunt hominum CCCCLXIII. millia.

P. Terentius Varro vico Atace in Provincia Narbonensi nascitur, qui XXXV. annum agens Græcas literas didicit.

Ptolemæus Dionysus annis XXX.

Ab hujus regni anno sexto Alexandra, quæ & Selina, uxor Alexandri, Hierosolymis per novem regnavit annos: ex cujus ætate Judæos rerum confusio & variæ clades oppressere. Ac mox per Cn. Pompejum Hierosolymis captis, temploque usque ad sanctorum sancta reserato, Judæi vectigales Romanorum facti, Hyrcano apud eos Pontifice constituto, & Antipatro Herodis Ascalonitæ filio Procuratore Palæstinæ facto.

M. Porcius Cato Stoicus Philosophus agnoscitur.

Quæ de Catilina Salustius scribit, hoc gesta sunt tempore.

Decimo autem Ptolemæi regnantis anno Virgilius Maro in pago, qui Andes dicitur, juxta Mantuam nascitur, Pompejo & Crasso Consulibus.

Et post septem annos Horatius Flaccus Poeta satyricus & lyricus Libertino patre Venusii nascitur.

Crassus Consul cum filio apud Carras capitur.

Pompejus Imperator appellatus Lusitaniam, & quasdam insulas in Oceano capit.

Cleopatra annis XXII. ex quibus duo tantum supputandi, quia Romanis continua nascuntur imperia: quorum deinceps tempora numeranda sunt a C. Julio Cæsare, qui primus apud Romanos singulare obtinuit imperium, a quo Romanorum Principes appellati Cæsares.

Cæsar Rhenum transiens Germanos vastat, Gallos subigit.

Principium belli civilis inter Cæsarem & Pompejum.

Ex hoc loco continua Romanorum adnotantur imperia, & regnat apud eos primus omnium C. Julius Cæsar.

C. JULIUS CÆSAR primus annos IV. menses sex.

Pompejus victus & fugiens a spadonibus Alexandrini Regis occiditur.

Decretum Senatus & Atheniensium ad Judæos mittitur, qui per legatos amicitiam postularunt.

Cleopatra regio comitatu Urbem ingressa.

Antonius decernit Quintilem mensem Julium debere dici, quia in eo natus fuisset Julius.

Cassius Judæa capta templum spoliat.

Idibus Martiis C. Julius Cæsar in curia occiditur.

CÆSAR AUGUSTUS qui & Octavianus, annis LVI. a quo Reges Romanorum Augusti appellati.

Ovidius Naso Pelignis nascitur.

Cicero in Formiano suo ab Herennio & Popilio occiditur.

Antonius adversus Augustum bellum movet.

Taberna meritoria trans Tiberim oleum terra erupit, fluxitque toto die sine intermissione, significans Christi gratiam ex gentibus.

Antiochus superatus ab Augusto in amicitiam ejus interveniente Senatu redit.

Herodes Antipatri Ascalonitæ & matris Cypridis Arabicæ filius a Romanis Judæorum accipit principatum. Cujus tempore Christi nativitate vicina regnum & sacerdotium Judææ, quod prius per successiones minorum tenebatur, destructum est, completa prophetia, quæ per Moysen ita loquitur: Non deficiet Princeps ex Juda, neque Rex de femoribus ejus, donec veniat semen, cui repositum est, & ipse erit expectatio gentium. In hoc etiam loco Christus, quem Daniel scribit, accepit finem. Nam usque ad Herodem Christi, id est, Sacerdotes erant Reges Judæorum qui imperare cœperunt a LXV. Olympiade, & ab instauratione templi sub Dario usque ad Hyrcanum, & ad CLXXXVI. Olympiadem annis CCCCLXXXIV. in medio transactis, quos Daniel quoque significavit dicens: Et scies & intelliges ab initio sermonis respondendi & ædificandi Jerusalem, usque ad Christi principatum hebdomades septem, & hebdomades LXII. quæ hebdomades LXIX. in quibus Christi, id est, sacerdotes per unctionem consecrati regnaverunt, fiunt annos CCCCLXXXIV. usque ad Hyrcanum: quo extremo omnium a Parthus capto Herodes Antipatri filius nihil ad se pertinentem Judæam ab Augusto & Senatu accepit, filiique ejus post eum regnaverunt usque ad novissimam Hierosolymorum captivitatem, nequaquam ex successione sacerdotalis generis Pontificibus constitutis, neque perpetuitate vitæ secundum legem Moysis servientibus Deo.

Deo. Ignobiles vero quidam, & alio tempore alii, & nonnulli unius anni, sive modico amplius, a Romanis Imperatoribus sacerdotium emebant. Quæ omnia etiam Propheta Daniel vaticinatur ita dicens: Et post hebdomadas septem & sexaginta duas interibit chrisma, & judicium non erit in eo, & templum & sanctum corrumpet populus Duce veniente; & cædentur in cataclysmo belli. & in consequentibus: Super templum, inquit, abominatio desolationum, ejusque ad consummationem temporis consummatio dabitur super desolationem.

Salustius diem obiit quadriennio ante bellum Actiacum.

Vinium Maximum Quæstorem designatum agnovit dominus suus & abduxit.

Lunæ secundum Romanos cursus invenitur.

Cleopatra & Antonius semet interficiunt, & Ægyptus fit Romana provincia.

Cæsar Augustus appellatur, a quo Sextilis mensis Augusti nomen accepit.

Augustus cum monarchia offerretur, recusavit.

Augustus Calabriam (Cantabriam) & Gallos (Gallæcos) vectigales facit.

Tiberius ab Augusto missus occupavit Armeniam.

Cantabri res novas molientes opprimuntur.

Augustus Cajum & Agrippam adoptat in filium.

Tiberius Vindelicos & confines Rhætiarum Romanas provincias facit.

XVII. anno imperii Augusti censu Romæ agitato inventa sunt Civium Romanorum XLI centena & septuaginta quatuor millia.

XXIV. Augusti imperii anno Tiberius de captis Pannoniis triumphavit.

Ejusdem imperii anno XXV. Virgilius Brundusii moritur, & Neapoli secundo a civitate miliario sepelitur.

Herodes Samariam olim jam in cineribus sedentem a fundamentis suscitans in honorem Augusti Augustam, id est, Sebasten, appellavit, & in Paneade id, quod Panion vocatur, exstruxit. Idem Cæsaream in nomine Cæsaris condidit, quæ prius Turris Stratonis vocabatur. Idem Hyrcanum, qui olim sacerdos Judæorum fuerat, de captivitate Parthica regressum, & filium ejus, qui sacerdotio patris successerat, interficit: sororemque ejus, uxorem suam, cum duobus filiis propriis, jam adolescentulis, & matrem uxoris occisæ socrum suam crudelissime necat. Virum etiam sororis suæ Salomæ interficit; & cum eam alii tradidisset uxorem, etiam ipsum perimit. Scribas quoque & Interpretes divinæ legis simili scelere occidit.

Augustus Juliam filiam suam in adulterio deprehensam damnat exilio: Tiberium & Agrippam in filios adoptavit.

Judas Galilæus ad rebellandum Judæos cohortatur.

XLIV. imperii Augusti anno Quirinus ex consilio Senatus ad Judæam missus, census hominum possessionesque describit.

Eodem anno JESUS-CHRISTUS filius Dei in Bethleem Judæ nascitur.

Colliguntur autem omnes anni ab Abraham exordio usque ad nativitatem Christi ex Maria duo millia XVIII. seu XV.

Herodes cum Christi nativitatem Magorum indicio cognovisset, universos in Bethleem parvulos jussit interfici: ipse autem biennio post morbo intercutis aquæ, & scatentibus toto corpore vermibus misere, sed digne moritur.

In Herodis loco Archelaus ab Augusto constituitur, & Tetrarchæ fiunt quatuor fratres ejus, Herodes, Antipater, Lysias, Philippus annis IX.

Tiberius Cæsar Dalmatas Sarmatasque redigit in Romanam potestatem.

Athenienses res novas contra Romanos molientes opprimuntur.

Augustus cum Tiberio filio suo LIII. imperii sui anno censum Romæ agitans invenit hominum nonagies & ter centena & LXX. millia.

Messala Corvinus Orator ante biennium quam moreretur, ita memoriam perdidit, ut vix pauca verba conjungeret.

Archelaus in Viennam urbem Galliæ relegatur, anno regni sui IX. post quem Herodes Tetarches fuit annis XXIV.

Tiberius Drusum consortem regni facit.

TIBERIUS III. annis XXIII. Cujus imperii anno V. tredecim urbes terræ motu corruerunt.

Ejusdem imperii anno XIV. Pilatus Procurator Judææ mittitur.

Herodes Tiberiadem & Liviadem condidit.

Tiberius multos Reges ad se per blanditias revocatos numquam remisit, regnaque eorum in provincias vertit.

Joannes filius Zachariæ in deserto juxta Jordanem fluvium prædicans Judæis, Christum Filium Dei in medio eorum adesse testatur.

Ipse quoque Dominus JESUS CHRISTUS hinc in populos salutarem viam adnuntiat, signis atque virtutibus vera comprobans esse quæ diceret.

Drusus Cæsar veneno perit.

Josephus circa hæc tempora die Pentecostes Sacerdotes Judæorum primum commotiones locorum templi & quosdam sonitus sensisse testatur: deinde ex adyto erupisse vocem dicentium: Transmigremus ex his sedibus.

Scribit idem Josephus, quod eodem anno Pilatus Præses secreto noctis imagines Cæsaris in templo statuerit.

Computantur itaque in annum XV. Tiberii Cæsaris, ab instauratione Templi quæ facta est sub altero anno Darii Regis Persarum, anni DXLVIII. a Salomone autem & prima ædificatione templi anni computati sunt MLX. a Moyse & egressu Israelis ex Ægypto anni MDXVI. (alias XXXVIII.) ab anno repromissionis primo anni MDLXXII. ab anno quo natus est Abraham anni MMXLVII. a Diluvio autem usque ad primum annum Abrahæ, anni nongenti XLII. Eusebius vir disertissimus adnumeravit. Ab Adam vero usque ad Diluvium anni duo millia CCXLII. Sunt ergo omnes anni ab Adam usque in annum XV. Tiberii Cæsaris anni MMMMM CCCLX. aut CCXXVIII. Anni vero secundum Geneseos scripturam & Africani Historici supputationem amplius inveniuntur CXXIX.

Quidam putant Dominum nostrum JESUM CHRISTUM XV. anno regni Tiberii Cæsaris, id est, duobus Geminis Consulibus crucifixum, quo anno secundum indubitabilem Lucæ Evangelistæ auctoritatem baptizatum eum esse manifestum est, & Evangelium regni cælorum prædicare cœpisse. Secundum vero Joannis Evangelium festivitati Paschæ Judæorum ter Dominum interfuisse cognoscimus; ut appareat tertium fuisse illud Pascha, quod verus Agnus suo sanguine consecravit.

Proinde Consules quidem a Manifestatione Domini, id est, a RUFINO GEMINO & RUBELLIO GEMINO Consulibus inchoamus, sed tertios ab iis Consules Dominicæ Passioni adscribimus, sequentes quod auctoritas tradidit & ratio.

INCIPIT ADNOTATIO CONSULUM CUM HISTORIA.

RUFINO GEMINO ET RUBELLIO GEMINO Coss.

VINICIO ET LONGINO.

SULPICIO ET SULLA.

Ecclesiæ Hierosolymorum primus Episcopus ordinatus est Jacobus, qui habitus est frater Domini.

PRISCO ET VITELLIO.
GALLO ET NONIANO.
GALLIENO EM PLAVTIANO.

Pilatus sacrum thesaurum quem Corban Judæi vocant, in aquæductum Hierosolymorum expendens secundæ seditionis præbuit semina. Ab hoc tempore inoumeræ calamitates Judæorum gentem oppresserunt.

PROCVLO ET NIGRINO.
IVLIANO ET ASPRENATE.
PVBLICOLA ET NERVA.

Pilato de Christianorum dogmate ad Tiberium referente, Tiberius retulit ad Senatum, ut inter cætera sacra reciperetur; verum cum ex consulto Patrum Christianos eliminari Urbe placuisset, Tiberius per edictum accusatoribus comminatus est mortem.

CÆSARE ET IVLIANO.

Tiberius in Campania moritur.
CAIVS CÆSAR Caligula IV. regnavit annis tribus mensibus decem.

CÆSARE II. ET SATVRNINO.
SATVRNINO II. ET VENVSTO.
TIBERIO ET GALLO.

Hoc tempore Pontius Pilatus in multas incidens calamitates propria se manu interfecit.
Caligula cum se in Deos retulisset, Petrooio Præfecto Syriæ præcepit, ut Hierosolymis statuam suam sub nomine Jovis Optimi Maximi poneret: sed etiam per totum orbem Romani Imperii in Judæorum Synagogis statuæ & imagines & aræ C. Cæsaris consecrabantur.

CRISPINO ET TAVRO.

Plurimi nobilium a Cajo interfecti.
Cajus a protectoribus suis in palatio occiditur.
CLAVDIVS V. regnavit annis XIII. mensibus VIII. diebus XXVIII. Ipse est Claudius patruus Drusi, qui apud Moguntiacum monimentum habet.

VINICIO ET CORNELIO.
ASIATICO ET SILANO.

PETRVS Apostolus cum primum Antiochenam Ecclesiam fundasset, Romam proficiscitur, ubi Evangelium prædicans XXV. annis ejusdem urbis Episcopus perseverat.

TIBERIO II ET VITELLIO.

Marcus Evangelista interpres Petri Ægypto Alexandriæ Christum annuntiat.
Initium Cycli primi.

VITELLIO II. ET PVBLICOLA.

Primus Antiochiæ Episcopus ordinatur Evodius.

VERINO ET GALLO.
VETERE ET NERVILIANO.

Censu Romæ acto inventa sunt civium LXVIII. centena & LXIV. seu XLIV. millia.
Paschalis Cycli ratio ab his Consulibus incipit, per annos XXCIV. & ad eandem legem revertens.

CLAVDIO ET ORPHITO.

Sub Procuratore Judææ Cumano in diebus Azymorum tanta est Hierosolymis orta seditio, ut in portarum exitu populo corruente XXXIV. millia Judæorum perierint.
Prophetia Agabi, qui in Actis Apostolorum famem in toto orbe futuram dixerat, sub Claudio expletur.
Thracia huc usque regnata in Provinciam redigitur.

SILANO ET SILIO.
TIBERIO II. ET ANTONINO.
SILANO ET OTHONE.

Paulus Apostolus apud Felicem Procuratorem Judææ in defensionem sui perorat.

SILANO II. ET ANTONINO.
MARCELLINO ET AVIOLA.

Sub Felice Procuratore Judææ extiterunt multi, qui populum sua persuasione deciperent. Inter quos & Ægyptius quidam Pseudo-propheta fuit, qui plurimos sibi adsocians io ipso magnarum rerum conatu per exercitum Felicis opprimitur, secundum quod in Actibus Apostolorum Paulo dicitur: Nonne tu es Ægyptius, qui ante hos dies concitasti & eduxisti in desertum quatuor millia virorum?

NERONE ET VETERE.
NERONE II. ET PISONE.

Claudius moritur in Palatio anno ætatis suæ LXIV.
NERO VI. regnat annis XIII. mensibus VII. & diebus XXVIII. aut XXX. Hujus avunculus fuit C. Caligula.

NERONE III. ET MESSALA.
NERONE IV. ET CORNELIO.

Festus succedit Felici, apud quem præsente Agrippa Rege, Paulus Apostolus religionis suæ rationem redditurus vinctus Romam mittitur.
Nero tantæ luxuriæ fuit, ut frigidis & calidis lavaret unguentis, retibusque aureis piscaretur, quæ purpureis funibus extrahebantur.

PIO ET TVRPILIANO.
MARINO ET GALLO.
CRASSO ET BASSO.
SILVANO ET PAVLINO.

Nero Agrippinam matrem suam & sororem patris interfecit.
Jacobus frater Domini, quem omnes Justum appellabant, a Judæis lapidibus opprimitur. In cujus thronum Simeon secundus adsumitur.
Nero omnes cithara contendens superat.

CELSINO ET APVLEIO.

Ante mensam Neronis fulmen cecidit.
Post Marcum Evangelistam primus Alexandrinæ Ecclesiæ ordinatur Episcopus Anianus.

CAPITONE ET RVFO.
SILIO ITALICO ET TVRPILIANO.
SILVANO ET OTHONE.
VESPASIANO ET TITO.
VESPASIANO II. ET TITO.
VESPASIANO III. ET NERVA.

Nero in Olympiaco agone coronatur, ceryces, citharistas, tragœdos, aurigas vario certamine superans.

Nero

Nero ut similitudinem Trojæ ardentis videret, plurimam partem Romanæ urbis incendit.

Musonius & Plutarchus Philosophi insignes habentur.

PRIMA PERSECUTIO. Primus Nero super omnia scelera sua etiam persecutionem in Christianos facit, in qua Petrus & Paulus Apostoli gloriose Romæ occubuerunt.

Post Petrum primus Romanam Ecclesiam tenuit LINUS, annis XII. sive XIII.

Vespasianus Magister militiæ ad debellandos Judæos a Nerone mittitur.

VESPASIANO IIII. ET TITO III.

Vespasianus duobus præliis superatos Judæos ad muros compellit.

Antiochiæ secundus Episcopus ordinatur Ignatius.

Nero cum a Senatu quæreretur ad pœnam, de Palatio fugiens ad quartum Urbis milliarium semet interfecit.

VESPASIANUS VII. regnavit annis IX. mensibus IX. & diebus XXII. seu XXIX.

VESPASIANO V. ET TITO IV.

Post Neronem Galba in Iberia, Vitellius in Germania, Otho Romæ imperium arripuerunt: sed Galba septimo mense Romæ capite truncatur. Otho apud Bebriacum propria manu occubuit. Vitellius a Vespasiani ducibus occisus in Tiberim projicitur.

Vespasianus apud Judæam ab exercitu Imperator appellatus, bellum Tito filio commendans, Romam per Alexandriam proficiscitur.

VESPASIANO VI. ET TITO V.

Titus Judæa capta & Hierosolymis subversis sexcentena millia virorum interficit. Josephus scribit undecies centena millia fame & gladio periisse, & alia centum millia captivorum publice venundata. Ut autem tanta multitudo Hierosolymis reperiretur, causam Azymorum festum fuisse, ob quod ex omni gente Judæi ad templum confluentes, urbe quasi carcere sunt reclusi; oportuit enim in his diebus eos interfici, in quibus Salvatorem crucifixerant.

Colligitur itaque omne tempus in secundum annum Vespasiani & novissimam Hierosolymorum eversionem a quintodecimo anno Tiberii Cæsaris & ab exordio Evangelicæ prædicationis anni XLII. a captivitate autem, quam ab Antiocho perpessi sunt, anni CCXXIX. Porro a Darii secundo anno sub quo rursum templum ædificatum est, anni DLXXII. aut XC. A prima autem ædificatione templi sub Salomone usque ad novissimam ejus ruinam quæ sub Vespasiano facta est, anni MCIII.

VESPASIANO VII. ET TITO VI.
COMMODO ET RUFO.

Achaja, Lycia, Rhodus, Byzantium, Samos, Cilicia, Comagene, quæ ante liberæ sub Regibus & amicis erant, in provincias redactæ.

VESPASIANO VIII. ET TITO VII.
VESPASIANO IX. ET TITO VIII.
SILVANO ET VERO.
DOMITIANO ET MESSALINO.
DOMITIANO II. ET RUFO II.

Vespasianus circa Sabinos in villa propria moritur, anno ætatis LXIX.

TITUS VIII. regnavit annis tribus, mensibus duobus.

Titus Vespasiani filius, in utraque lingua disertissimus fuit & tantæ bonitatis, ut cum quadam die recordatus fuisset in cœna, se nihil in illa die cuiquam præstitisse, dixerit, Amici hodie diem perdidi.

DOMITIANO III. ET SABINO.
DOMITIANO IV. ET RUFO III.

Titus Amphitheatrum Romæ ædificavit, & in dedicatione ejus quinque millia ferarum occidit.

DOMITIANO V. ET DOLABELLA.

Romanæ Ecclesiæ II. constituitur Episcopus CLETUS annis XII.

Titus morbo periit in ea villa in qua pater, anno ætatis XLII.

DOMITIANUS IX. frater Titi junior regnavit annis XV. mensibus quinque.

DOMITIANO VII. ET RUFO IV.

Domitiani uxor Augusta appellata.

Domitianus Eunuchos fieri prohibet: Mathematicos, Philosophos Romana urbe pellit.

FLAVIO ET TRAIANO.

Domitianus plurimos Senatorum in exilium mittit: de Dacis & Germanis triumphavit.

DOMITIANO VII. ET NERVA.

Duo menses aliter appellati: September, Germanicus; & October, Domitianus.

Primus Domitianus Dominum se & Deum appellari jussit.

Secundus Alexandriæ ordinatur Episcopus Abilius.

TRAIANO II. ET GLABRIONE.

Quintilianus Rhetor Calaguritanus Romæ clarus habetur.

DOMITIANO VIII. ET SATURNINO.
SILANO ET PRISCO.

Domitianus prohibuit vites in urbibus seri.

ASPRENATE ET CLEMENTE.

Apollonius Thyaneus & Eufrates Philosophi insignes habentur.

Multa opera Romæ facta, in quibus Capitolium, Forum transitorium, Divorum porticus, Iseum, Serapium, Stadium, Horrea piperata, Vespasiani templum, Minerva Calchedonica, Odium, Forum Trajani, Thermæ Trajanæ & Titianæ, Senatus, Ludus matutinus, Mica aurea, Meta sudans, & Pantheum.

Domitianus tantæ superbiæ fuit, ut aureas & argenteas statuas sibi in Capitolio poni jusserit.

DOMITIANO IX. ET CLEMENTE.

Multi nobilium necati, plures in exilium acti.

FULVIO ET VETERE.
NERVA II. ET RUFO.
SABINO ET ANTONINO.
NERVA III. ET TRAIANO III.

Romæ III. Ecclesiæ præfuit Episcopus CLEMENS annis IX.

SENECIONE ET PALMA.
TRAIANO IV. ET FRONTONE.

SECUNDA PERSECUTIO. Secundus post Neronem Domitianus Christianos persequitur: & sub eo

eo Apostolus Joannes in Pathmum insulam relegatus Apocalypsin vidit, quam Irenæus interpretatur.

Domitianus eos qui de genere David erant, interfici præcepit, ut nullus Judæorum regni reliquus foret.

TRAIANO V. ET ORPHITO.

Scribit Brutius plurimos Christianorum sub Domitiano fecisse Martyrium, inter quos & Flaviam Domitillam Flavii Clementis Consulis ex sorore neptem in insulam Pontiam relegatam, quia se Christianam esse testata sit.

SENECIONE II. EX SVRA.

Domitianus occisus in palatio anno ætatis suæ XXXV.

NERVA X. regnavit annum unum & menses quatuor.

TRAIANO VI. ET MAXIMO.

Justus a Tiberiade Judæorum scriptor agnoscitur.

Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopus ordinatur tertius Cerdo.

Ajunt Apostolum Joannem hoc tempore exilio solutum Ephesum recessisse, cum Senatus decrevisset, ut & omnia quæ Domitianus statuerat, in irritum deducerentur.

Nerva morbo perit in hortis Sallustianis anno ætatis suæ LXXII. alias XXCII. cum jam Trajanum adoptasset in filium.

TRAIANVS XI. regnavit annis XVIII. & mensibus septem. Trajanus Agrippinæ in Galliis Imperator factus natus Italicæ in Hispania.

SENECIONE III. ET SVRA II.

Terræ motu Asiæ quatuor & duæ Græciæ Urbes subversæ.

Trajanus de Dacis & Scythis triumphavit.

VRBANO ET MARCELLO.
CANDIDO ET QVADRATO.
COMMODO ET CEREALE.

Decreto Senatus, Nerva in Deos relatus.

Romanæ Ecclesiæ IV. Episcopus præest Euaristus annis IX.

Joannem Apostolum usque ad Trajani tempora Irenæus Episcopus permansisse scribit. Post quem Papias Hierapolitanus Episcopus, Polycarpus Smyrnæus, & Ignatius Antiochenus.

SENECIONE IV. ET SVRA III.
GALLO ET BRADVA.
AFRICANO ET CRISPINO.
CRISPINO II. ET BOLENO.
PISONE ET RVSTICO.

Alexandrinæ Ecclesiæ IV. Episcopus ordinatur nomine Primus.

TRAIANO VII. ET AFRICANO.

TERTIA PERSECVTIO. Trajano adversus Christianos persecutionem movente, Simon filius Cleophæ qui in Hierosolymis Episcopatum tenebat, crucifigitur, cui succedit Justus.

Ignatius quoque Antiochenæ Ecclesiæ Episcopus Romam perductus bestiis traditur. Post quem tertius constituitur Episcopus Eron.

CELSO ET CRISPINO.
ASTA ET PISONE.

Plinius secundus cum quandam provinciam regeret, & in magistratu suo plurimos Christianorum

A interfecisset, multitudine eorum perterritus quæsivit de Trajano, quid facto opus esset, nuntians ei præter obstinationem non sacrificandi & antelucanos cœtus ad canendum cuidam Christo ut Deo, nihil apud eos reperiri. Præterea ad conferendam disciplinam vetari ab his homicidia, furta, adulteria, latrocinia, & his similia. Ad quæ commotus Trajanus rescripsit, hoc genus quidem hominum inquirendos non esse, oblatos vero puniri oportere.

MESSALA ET PEDONE.

B Quintus Romanæ Ecclesiæ præest Alexander annis X.

ÆMILIANO ET VETERE.
NIGRINO ET APRONIANO.

Plinius secundus Novocomensis insignis Orator dum invisit apud Vesuvium, periit: & tres Galatiæ civitates terræ motu excisæ.

Post Justum IV. Hierosolymitanæ Ecclesiæ Episcopatum suscipit Zachæus, post quem quintus Tobias, cui succedit sextus Benjamin, ac deinde septimus Joannes, octavus Matthias, in cujus lo-
C cum nonus constituitur Philippus.

CLARO ET ALEXANDRO.
HADRIANO ET SALINATORE.
HADRIANO II. ET RVSTICO.
SERVILIANO ET FVLVIO.

Hoc tempore Judæi qui in Libya erant & qui in Ægypto, quique apud Cyrenem & Thebaidem adversus cohabitatores suos magnas seditiones movent.

Judæis Alexandriæ rebellantibus Trajanus Imperator Lysiæ Quieto præcepit, ut eos e provincia exterminaret: adversus quos Quietus aciem instruens
D infinita eorum millia interfecit, & ob hoc Procurator Judææ ab Imperatore decernitur.

Salaminam urbem Cypri subvertere Judæi.

Trajanus in Selinunte, sive ut alii ferunt, apud Seleuciam Isauriæ civitatem moritur anno ætatis LXIV. ossa ejus in urnam auream conlata, & in foro sub columna posita, solusque omnium intra urbem sepultus est.

HADRIANVS XII. regnavit annis XXI. Hic Italicæ in Hispania natus, consobrinæ Trajani filius fuit.

VERO ET AVGVRINO.
E AVIOLA ET PANSA.

Senatus Trajanum in Deos refert, & Hadrianus reliqua tributorum urbibus relaxat, chartis publice incensis, plurimosque ipsis tributis liberos facit.

Hadrianus Judæos capit secundo adversus Romanos rebellantes.

PATERNO ET TORQVATO.
GLABRIONE ET APRONIANO.

Bellum gestum contra Sarmatas.

Romanæ Ecclesiæ VI. Episcopatum suscipit Xy-
F stus annis IX.

Alexandriæ V. Episcopus ordinatur Justus.

ASIATICO ET QVINTILLO.

Cephissus fluvius Eleusinam inundavit, quem Hadrianus ponte conjungens Athenis hyemem exegit.

VERO ET AMBIGVO.
GALLICANO ET TITIANO.

Hiero-

Hierosolymis post Philippum constituitur X. Episcopus Seneca; post quem XI. Justus, cui succedit XII. Levi, post quem XIII. Ephres, XIV. Joseph, XV. Judas. Hi omnes usque ad eversionem quam per Hadrianum Jerusalem passa est, ex circuocisione Episcopi præfuerant.

Terræ-motu Nicomedia ruit & Niceæ urbis plurima: ad quarum instaurationem Hadrianus de publico est largitus impensas.

TORQUATO ET LIBONE.
CELSO ET MARCELLINO.
CATULINO. ET AFRO.
PONTIANO ET RUFINO.

Finis cycli primi & sequentis exordium.

Quadratus discipulus Apostolorum & Aristides noster Philosophus libros pro Christiana religione compositos edidere.

Serenus Granius vir apprime nobilis litteras ad Imperatorem misit, iniquum esse dicens clamoribus vulgi innocentium hominum sanguinem concedi & sine ullo crimine nominis tantum & sectæ reos fieri. Quibus commotus Hadrianus Minucio Fundano Proconsuli Asiæ scribit sine objectu criminum Christianos non condemnandos. Cujus epistolæ usque ad nostram memoriam durat exemplum.

AUGURINO ET SERGIANO.
TICERIO ET SILANO.

Romæ VII. Episcopus ordinatur Telesphorus annis XI.

Antiochenæ Ecclesiæ IV. præficitur Cornelius.

SERICANO II. ET VERO.
POMPEIANO ET ATILIANO.

Alexandrinæ Ecclesiæ VI. præest Eumenes.

POMPILIANO II. ET COMMODO.
LÆLIO ET ALBINO.

Judæi in arma versi Palæstinam depopulati sunt, tenente provinciam Tænio Rufo: cui ad opprimendos rebelles Hadrianus misit exercitum.

CAMERINO ET NIGRO.

Basilides Hæresiarches in Alexandria commoratur, a quo Gnostici. Hoc autem Basilides distabat a Simonis dogmate, quod CCCLXV. cælos esse credebat, quo numero dierum annus includitur. Unde etiam quasi sanctum nomen commendabat, quod est ABRAXAS, quia hujus nominis literæ secundum supputationem Græcam eundem numerum complent. Gnostici autem a præsumptione excellentioris scientiæ nominati fuot, quos quidam Borboritas vocant, quasi cœnosos, propter nimiam turpitudinem, quam in suis mysteriis exercere dicuntur. Tradunt autem fabulosissimis dogmata plena figmentis. Animarum substantiam dicunt Dei esse naturam, Deum quoque bonum & Deum malum in sua perhibentur habere doctrina.

Barcochebus dux Judæorum nolentes sibi adversus Romanum militem ferre subsidium, omnimodis cruciatibus necat. Bellum Judaicum, quod in Palæstina gerebatur, finem rebus Judæorum posuit penitus oppressis. Ex quo tempore etiam introeundi eis Hierosolymam licentia ablata est; primum Dei nutu, sicut Prophetæ vaticinati sunt, deinde Romanorum interdictionibus.

ANTONINO ET PRÆSENTE.

Hierosolymis primus ex gentibus constituitur Episcopus Marcus, cessantibus his qui fuerant ex Judæis.

ANTONINO II. ET PRÆSENTE II.
SEVERO ET SILVANO.

Ælia ab Ælio Hadriano condita est, & in fronte ejus portæ, qua Bethleem egredimur, sus sculptus in marmore significans Romanæ potestati subjacere Judæos.

Hadrianus apud Bajas moritur major LX. annorum.

ANTONINUS TITUS cognomento Pius XIII. cum filiis Aurelio & Lucio regnavit annis XXII. & mensibus III.

RUFINO ET TORQUATO.

Romæ VIII. Episcopus ordinatur Hyginus annis IV.

TORQUATO II. ET HERODE.
AVIOLA ET MAXIMO.

Antooinus pater patriæ appellatur.

Valentinus Hæresiarches & Cerdo magister Marcionis Romam venerunt. Valentinus de natura rerum multa fabulosa confinxit, adserens XXX. æonas, id est, sæcula, extitisse, quorum sit principium Profundum & Silentium, quod Profundum etiam Patrem appellat. Cerdonianus vero duo principia sibi adversantia dogmatizat, dominumque legis ac prophetarum non esse Patrem Christi, nec bonum esse Deum, sed justum, patrem vero Christi. Ex quibus duorum velut ex conjugio processisse perhibet intellectum & veritatem & protulisse æonas octo. De intellectu & voluntate processisse Verbum & protulisse æonas decem. Porro de Verbo & Vita processisse hominem, & Ecclesiam protulisse æonas duodecim. Itaque VIII. & X. & XII. fieri tricies æonas habentes principium de Profundo & de Silentio. Christum autem a Patre missum, id est, a Profundo, spiritale vel cœleste corpus secum attulisse, nihil assumpsisse de Virgine Maria: sed per illam tanquam per rivum aut per fistulam sine ulla de eadem sumpta carne transisse. Negat etiam resurrectionem carnis, solum per Christum spiritum vel animam salutem accipere adfirmans. Bonum Christum qui ipsum neque natum ex fœmina, neque habuisse carnem, nec vero mortuum vel quicquam passum, sed simul adisse passionem. Quidam eos in duobus principiis suis ita duos perhibent Deos dicere, ut unus eorum sit bonus, alter autem malus. Resurrectionem mortuorum negant, spernentes novum Testamentum.

Marcioo quoque, a quo Marcionitæ appellati, Cerdonis dogma sectatus est, hoc adjiciens, ut non duo tantum, sed tria adsereret esse principia, unum scilicet bonum, alterum justum, tertium pravum; quamvis tertii principii auctorem quidam Sirenum quendam potius quam Marcionem fuisse existiment.

ANTONINO III. ET AURELIO.
GEATO ET SELEUCO.

Romæ IX. Episcopus ordinatur Pius annis XV.

Hoc tempore Justinus Philosophus librum pro nostra religione conscriptum Antonino Imperatori tradidit.

Antiochiæ V. Episcopus constituitur Heros.

ANTONINO IV. ET AURELIO II.
LARGO ET MESSALINO.
TORQUATO III. ET JULIANO.

Alexandriæ VII. Episcopatum suscipit Marcus. Orphi-

ORPHITO ET PRISCO.
GLABRIONE ET VETERE.
GORDIANO ET MAXIMO. CX.
GLABRIONE II. ET ROMVLO.
PRÆSENTE ET RVFINO.
COMMODO ET LATERANO.
VERO ET SABINO.
SILVANO ET AVGVRINO.
BARBARO ET REGVLO.

Alexandrinæ Ecclesiæ VIII. præfuit Celadion.

TERTVLLO ET SACERDOTE.

Crescens Cynicus in nostri dogmatis Philosophum Justinum, a quo ob nimiam gulam prævaricator Philosophiæ arguebatur, persecutionem suscitavit, in qua ille gloriose pro Christo sanguinem fudit.

QVINTILLO ET PRISCO.
VERO II. ET BRADVA.

Romanæ Ecclesiæ Episcopatum X. suscipit Anicetus annis x. sub quo Polycarpus Romam veniens multos ab Hæretico errore correxit.

ANTONINO III. ET AVRELIO III.
P. C. ANTONINI III. ET AVRELII III.

Hierosolymæ Episcopatum post Marcum XVII. suscepit Cassianus: XVIII. Publius: Maximus XIX. deinde XX. Julianus: sic XXI. Grajaous: XXII. Symmachus: tum XXIII. Cajus. XXIV. Julianus: atque inde XXV. Capito.

Antoninus Pius apud Lorium in villa sua XII ab Urbe milliario moritur, anno vitæ suæ LXXII. alias LXXVII.

M. ANTONINVS, qui & VERVS & L. AVRELIVS COMMODVS, XIV. regnavit annis XIX. & mense uno.

DVOBVS AVGVSTIS.

Hi primitus æquo jure imperium simul administraverunt, cum usque ad hoc tempus singuli Augusti fuerint.

RVSTICO ET AQVILO.
LÆLIANO ET PASTORE.
MACRINO ET CELSO.
ORPHITO ET PVDENTE.
PVDENTE II. ET POLLIONE.

Alexanrinæ IX. præfuit Agrippinus.

QVARTA PERSECVTIO. Persecutione orta in Asia Polycarpus & Pæonius fecere martyrium, quorum scriptæ quoque feruntur passiones.

In Gallia quoque plurimi ob nomen Dei interfecti, quorum usque in præsentem diem condita libris certamina perseverant.

VERO IV. ET QVADRATO.
APRONIANO ET PAVLO.

Romanæ Ecclesiæ Episcopus XI. suscipit Soter annis VIII.

APRONIANO ET PAVLO.

Antiochæ VI. Episcopus ordinatur Theophilus, cujus plurima ingenii opera extant.

PRISCO ET APOLLINARE.
CETHEGO ET CLARO.

Lucius Imperator anno regni sui IX. sive, ut quidam putant, X. inter Concordiam & Altinum apoplexia extinctus est.

Antonino Imperatori Melito Asianus Episcopus Apologeticum pro Christianis tradidit.

Apollinaris Asianus Hierapolitanus Episcopus insignis habetur.

Eodem tempore Dionysius Episcopus Corinthiorum clarus fuit, & Pinytus Cretensis vir eloquentissimus.

Hac tempestate pseudoprophetia, quæ Cataphrygas nominatur, accepit exordium, Montano auctore, Prisca, Maximillaque insanis vatibus: nomen errori provincia Phrygia dedit, quia inventores ejus illic primitus extiterunt, ibique vixerunt, & nunc etiam in eisdem partibus populos habent. Adventum Spiritus Sancti a Domino promissum in se potius quam in Apostolos fuisse asserunt: secundas nuptias pro fornicationibus habent, & ideo dicunt eas permisisse Apostolum Paulum, quia ex parte sciebat & ex parte prophetabat: nondum enim venerat, quod perfectum est. Hoc autem perfectum in Montanum & in ejus Prophetissas venisse delirant, sacrificia perhibentur habere funesta. Nam de infantis anniculi sanguine, quem de toto ejus corpore minutis punctorum vulneribus extorquent, quasi Eucharistiam suam conficere perhibentur, miscentes eum farinæ, panemque inde facientes. Qui puer, si mortuus fuerit, pro martyre; si autem vixerit, pro maximo Sacerdote.

SEVERO ET HERENNIANO.

Tatianus Hæreticus, a quo appellati Encratitæ, quorum dogma est non admittere ad communionem suam nisi continentes, & eos qui sæculo ita renunciaverint, ut propria nulla possideant.

Bardesanes quoque alterius auctor erroris eodem tempore innotuit in Valentini hæresim ex parte prolapsus.

ORPHITO ET MAXIMO.
SEVERO ET POMPEIANO.

In regione Quadorum exercitu Antonini Imperatoris siti oppresso, pluvia divinitus missa est; cum e contrario Germanos & Sarmatas fulmina persequerentur, & plurimos eorum interficerent. Extant litteræ Marci Aurelii gravissimi Imperatoris, quibus illam Germanicam sitim Christianorum militum precationi imbre concesso discussam contestatur.

GALLO ET FLACCO.
PISONE ET IVLIANO.
POLLIONE ET APRO.
COMMODO ET QVINTILLO.

Antoninus Commodum filium suum consortem regni facit.

ORPHITO ET RVFO.

Antoninus cum filio de hostibus triumphavit, quos per triennium apud Carnuntum habens stativa castra vastaverat.

COMMODO II. ET VERO II.

Alexandriæ X. ordinatur Episcopus Julianus.
Antoninus in Pannonia morbo periit.
COMMODVS XV. regnavit annos XIII.

PRÆSENTE ET BVRRO.

Irenæus Lugdunensis Episcopus insignis habetur.

Commodus Septembrem mensem nomine suo appellavit.

MAMERTINO ET RVFO.

Thermæ Commodianæ Romæ factæ.

COMMODO IV. ET VICTORINO.

Hieroso-

Hierosolymis XXV. ordinatur Episcopus Mormius, post quem XXVII. Antoninus, XXVIII. Valens, XXIX. Drachianus, XXX. Narcissus, XXXI. Dius, XXXII. Germanio, XXXIV. alius Narcissus.

MARULLO ET HELIANO.
MATERNO ET BRADUA.
COMMODO V. ET GLABRIONE.
CRISPINO ET HELIANO.
FUSCIANO ET SILANO.

Alexandriæ constituitur Episcopus Demetrianus, annis XLIII.

Commodus Colossi capite sublato suæ imaginis caput jussit imponi.

Serapion Antiochiæ Episcopus VIII. ordinatur.

DUOBUS SILANIS.
COMMODO VI. ET SEPTIMIANO.
APRONIANO ET BRADUA.

Commodus multos nobilium interficit.

COMMODO VII. ER PERTINACE.

Commodus strangulatur in domo Vestiliani.

HELVIUS PERTINAX XVI. regnavit menses sex, qui cum major septuagenario Præfecturam Urbis ageret, ex Senatusconsulto imperare jussus est.

Romæ Episcopatum suscepit XIII. Victor annis XII. cujus non mediocria de religione extant volumina.

Pertinax obsecrante Senatu, ut uxorem suam Augustam & filium suum Cæsarem faceret, contradixit, sufficere testatus, quod ipse regnaret invitus.

Pertinax occiditur in Palatio scelere Juliani Jurisperiti, quem postea Severus ad Pontem Milvium interfecit.

SEVERUS XVII. regnavit annis XVIII. Qui ortus provinciæ Tripolitanæ oppido Lepti solus ex Africa usque in præsentem diem ex Romanis Imperatoribus fuit: & in honorem Pertinacis Pertinacem se cognominari jussit.

FALCONE ET CLARO.
SEVERO ET ALBINO.
TERTULLO ET CLEMENTE.
DEXTRO ET PRISCO.

Clemens Alexandrinæ Ecclesiæ Presbyter & Pantænus Stoicus Philosophus in disputatione dogmatis nostri disertissimi habentur.

LATERANO ET RUFINO.

Narcissus Hierosolymorum Episcopus & Theophilus Cæsariensis; Polycarpus quoque & Bachilus Asianæ provinciæ Episcopus hæc tempora illustraverunt.

SATURNINO ET GALLO.
ANULINO ET FRONTONE.
SEVERO II. ET VICTORINO.
FABIANO ET MUCIANO.
SEVERO III. ET ANTONINO.

Hoc tempore bellum Judaicum & Samariticum: & Severus de nominibus gentium subactarum Parthicus, Arabicus, Adiabenicus appellatus est.

Quæstione orta in Asia inter Episcopos an secundum legem Moysis decimaquarta mensis primi Pascha observandum esset, Victor Romanæ urbis Episcopus & Narcissus Hierosolymorum, Polycrates quoque & Irenæus, & Bachilus, plurimique Ecclesiarum pastores, quid eis probabile visum fuerit, literis ediderunt, quorum memoria ad nos usque perdurat.

GETA ET PLAUTIANO.
CHILONE ET LIBONE.

Romæ XIV. Episcopus fit Zephyrinus annis XIV.

QUINTA PERSECUTIO. Persecutione Christianis facta Leonides Origenis pater gloriosa martyrii morte translatus est.

Alexander quoque ob confessionem Dominici nominis clarus extitit.

Qua tempestate Perpetua & Felicitas pro Christo passæ sunt, Nonis Martii apud Carthaginem Africæ in castris bestiis deputatæ.

ANTONINO II. ET GETA.
ALBINO ET ÆLIANO.

Clemens multa conscribit.

ANTONINO III. ET GETA III.

Clodio Albino, qui se in Gallia Cæsarem fecerat, interfecto Lugduni, Severus ad Britannos transfretavit, ubi, ut receptas provincias ab incursione barbarica faceret tutiores, fossam & aggerem per CXXXII. millia passuum a mari ad mare deduxit, & non multo post intra Britannias Eboraci moritur.

POMPEIANO ET AVITO.
FAUSTINO ET RUFINO.

ANTONINUS cognomento Caracalla Severi filius XVIII. regnavit annis sex.

GENTIANO ET BASSO.
DUOBUS ASPRIS.

Antiochiæ IX. Episcopus constituitur Asclepiades: Hierosolymis vero XXXV. Alexander adhuc vivente Narcisso, & cum eo pariter Ecclesiam regit.

ANTONINO IV. ET BALBINO.
MESSALA ET SABINO.

Finis cycli secundi & initium tertii.

LÆTO ET CEREALE.
SABINO II. ET VENUSTO.

Antoninus interficitur inter Edessam & Charras anno ætatis suæ XLIII.

MACRINUS XIX. regnat anno uno.

PRÆSENTE ET EXTRICATO.

Antiochiæ X. Episcopus ordinatur Philetus.

M. AURELIUS ANTONINUS XX. regnavit annis tribus.

ANTONINO ET ADVENTO.

Romæ Episcopatum suscepit XX. Callistus annis sex.

Macrinus occiditur in Archelaide.

Antoninus Romæ Thermas sui nominis ædificavit.

ANTONINO II. ET SACERDOTE.
ANTONINO III. ET COMAZONTE.
GRATO ET SELEUCO.

Antoninus Romæ tumultu militari occiditur.

ALEXANDER Mammææ filius XXI. regnavit annos XIII. sumpto nomine ab Imperatore Alexandro.

Alexander Xerxem Regem Persarum gloriose vincit.

MAXIMO ET ÆLIANO.
JULIANO ET CRISPINO.

Romæ XVI. Episcopus creatur Urbanus annis IX.
Ulpianus Jurisconsultus insignis habetur.

FVSCO ET DEXTRO.

Thermæ Alexandrinæ Romæ ædificatæ.

ALEXANDRO II. ET MARCELLO.
ANIANO ET MAXIMO.
ALBINO ET MAXIMO.

Geminus Presbyter Antiochenus & Hippolytus & Beryllus Episcopus Atrabiæ Bostrenus clari scriptores habentur.
Antiochiæ XI. Episcopus fit Zebenus.

MODESTO ET PROBO.

Alexandrinæ Ecclesiæ XII. præest Episcopus Heraclas.
Hoc tempore Origenes Alexandriæ clarus videbatur.

ALEXANDRO III. ET DIONE.
GRATO ET SELEVCO.
POMPEIANO ET FELICIANO.
LVPO ET MAXIMO.

Romæ XVII. Episcopatum suscepit Pontianus annis quinque.
Alexander apud Mogontiacum tumultu militari occiditur.

MAXIMO ET PATERNO.

MAXIMINVS XXII. regnat annis tribus.

MAXIMO II. ET VRBANO.
SEVERO ET QVINTIANO.
MAXIMINO ET AFRICANO.

SEXTA PERSECVTIO. Maximinus adversus Ecclesiarum Sacerdotes persecutionem movet.
Maximinus Aquilegiæ a Pupieno occiditur.
GORDIANVS XXIII. regnavit annis sex.

PERPETVO ET CORNELIANO.

Romæ XVIII. fit Episcopus Anterus: post cujus unum mensem XIX. constituitur Fabianus, annis XIII.

PIO ET PROCVLO.
GORDIANO ET AVIOLA.
SABINO ET VENVSTO.
GORDIANO II. ET POMPEIANO.
ATTICO ET PRÆTEXTATO.

Gordianus cum Parthorum natione superata victor revertitur ad patriam, fraude Philippi Præfecti Prætorio haud longe a Romano solo interfectus est.
PHILIPPVS XXIV. regnavit annis septem.

ARIANO ET PAPPO.

Philippus Philippum filium suum consortem regni facit: primus omnium ex Romanis Imperatoribus Christianus fuit.

PEREGRINO ET ÆMILIANO.
PRÆSENTE ET ALBINO.
PHILIPPO II. ET PHILIPPO.

Regnantibus Philippis millesimus Romanæ urbis annus expletur.
Philippus urbem sui nominis in Achaja condidit.

PHILIPPO III. ET PHILIPPO II.
ÆMILIANO ET AQVILINO.

Alexandriæ XIII. ordinatur Episcopus Dionysius.

Philippus Senior Veronæ, Romæ junior occiditur.
DECIVS XXV. regnat anno uno & mensibus tribus.

DECIO ET GRATO.
DECIO II. ET RVSTICO.

SEPTIMA PERSECVTIO. Decius cum Philippos patrem & filium interfecisset, ob odium eorum persecutionem in Christianos movet.
Antonius Monachus nascitur.
Alexandro Hierosolymorum Episcopo ob martyrium interfecto apud Cæsaream Palæstinæ, & Antiochiæ Babyla eadem gloria occiso, Mazabanus & Fabius Episcopi constituuntur.
Decius cum filio in Abritto, quæ est civitas Mysiæ, occiditur.
GALLVS & VOLVSIANVS Galli filius XXVI. regnavit annis tribus & mensibus quatuor.
Romanæ Ecclesiæ Episcopatum post Fabiani gloriosam mortem XX. suscipit Cornelius annis duobus, qui post biennium eodem martyrio coronatur.

GALLO ET VOLVSIANO.
VOLVSIANO II. ET MAXIMO.

Novatus Presbyter Cypriani Romam veniens, Novatianum & ceteros Confessores sibi sociat, eo quod Cornelius pœnitentes apostatas recepisset. Ab hoc hæresis Novatianorum sumpsit exordium, qui se propter munditiem, quam sibi superbissime arrogant, Catharos appellari volunt, secundas nuptias denegantes, ad pœnitentiam non admittentes.
Antiochiæ XIV. constituitur Episcopus Demetrianus.
Romanæ Ecclesiæ Episcopatum tenet XXI. Lucius mensibus octo. Postquam XXII. Stephanus annis tribus. Extant ad utrumque Cypriani Epistolæ.
Gallus & Volusianus adversus Æmilianum res novas in Mœsia molientem Roma profecti Interamnæ occisi sunt.
Æmilianus tertio mense occupatæ tyrannidis extinctus est.
VALERIANVS & GALLIENVS XXVI. regnavit annis XV.

VALERIANO ET GALLIENO.

Cyprianus primum Rhetor, deinde Presbyter, ad extremum Carthaginensis Episcopus martyrio coronatur.

MAXIMO ET GLABRIONE.

Romæ XXIII. constituitur Episcopus Xystus annis septem.
OCTAVA PERSECVTIO. Valerianus in Christianos persecutionem movet.

VALERIANO III. ET GALLIENO II.

Valerianus a Rege Persarum Sapore capitur, ibique servitute misera consenescit.

TVSCO ET BASSO.

Valeriano in Persas ducto, Gallienus nostris pacem reddidit.
Antiochiæ XV. ordinatur Episcopus Paulus Samosatenus.

ÆMILIANO ET BASSO.
SÆCVLARE ET DONATO.
GALLIENO IV. ET GENTIANO.

Gallieno in omnem lasciviam dissoluto, Germani Ravennam usque venerunt. Alamanni vastatis Galliis

Galliis in Italiam transiere. Græcia, Macedonia, Pontus & Asia per Gothos depopulatæ sunt. Quadi & Sarmatæ Pannonias occupaverunt. Germanis Hispanias obtinentibus Tarraco expugnata est. Parthi Mesopotamiam tenentes Syriam incursaverunt.

GALLIENO V. ET VICTORINO.
ALBINO ET MAXIMO.

Alexandriæ XIV. Episcopus ordinatur Maximus. Romæ XXIV. præficitur Episcopus Dionysius, annis XI.

GALLIENO VI. ET SATVRNINO.
VALERIANO ET LVCILLO.

Hierosolymorum Episcopatum tenet XXXVII. Hymenæus.

GALLIENO VII. ET SABINILLO.

Paulus Samosatenus a cunctorum prædicatione desciscit, Artemonis hæresim suscitans, quæ adserit Christum non semper fuisse, sed initium ejus, ex quo de Maria natus est, prædicat, nec eum aliquid amplius quam hominem putat. Hujus erroris etiam Photinus adsertor fuit, qui vehementiore studio, ut sectatores impietatis hujus Photiniani potius quam Pauliani dicerentur, obtinuit.

Antiochiæ in locum Pauli XVI. ordinatur Episcopus Domnus.

PATERNO ET ARCHESILAO.
PATERNO II. ET MARIO.

CLAVDIVS XXVIII. regnat anno uno, mensibus novem.

CLAVDIO ET PATERNO.

Claudius Gothos Illyricum & Macedoniam vastantes superat: ob quæ illi in curia clypeus aureus & in Capitolio statua aurea collocatur.

ANTIOCHIANO ET ORPHITO.

Claudius Sirmii moritur, cujus frater Quintillus. Claudius a Senatu Augustus appellatus septimodecimo die imperii sui Aquilegiæ occiditur.

AVRELIANVS XXIX. regnat annos quinque, menses sex.

VALERIANO ET BASSO.

Antiochiæ XVII. ordinatur Episcopus Timæus. Aurelianus Tetrico apud Catalaunos prodente exercitum suum Gallias recepit.

QVIETO ET VOLDVMIANO.

Zenobia apud Immas haud longe ab Antiochia vincitur, quæ occiso Odoacro marito Orientis tenebat imperium. In qua pugna strenuissime adversus eam dimicavit Pompejanus Dux cognomento Francus.

TACITO ET PLACIDIANO.

Eusebius Laodicenus Episcopus insignis habetur. Aurelianum Romæ triumphantem Tetricus & Zenobia præcesserunt. Ex quibus Tetricus Corrector postea Lucaniæ fuit, & Zenobia in Urbe summo honore consenuit, a qua hodieque Romæ Zenobia familia nuncupatur.

AVRELIANO ET CAPITOLINO.

Romæ XXV. Episcopatum suscepit FELIX annis quinque.

AVRELIANO II. ET MARCELLO.

Aurelianus cum adversus nos persecutionem movisset, fulmeo juxta eum comitesque ejus ruit: ac non multo post inter Constantinopolim & Heracleam in Cœnophrurio viæ veteris occiditur.

TACITVS XXX. regnat mensibus sex, quo apud Pontum occiso FLORIANVS XXXI. obtinuit imperium regnavitque diebus LXXXVIII.

Floriano apud Tarsum interfecto PROBVS XXXII. regnat annis sex, mensibus octo, alias quatuor.

PROBO ET PAVLINO.

Anatolius Laodicenus Episcopus Philosophorum disciplinis eruditus plurimo sermone celebratur.

Insana Manichæorum hæresis exorta, Persa quodam, qui Manes vocabatur, auctore. Quorum impietates & sacrilegia ac turpitudines explicare in hoc opere nimis longum est. Sufficit enim sciri, quod duo adversa sibi & coæterna principia & duas boni scilicet & mali adserunt esse naturas. De Christo nihil secundum veritatem sentiunt. Cujus nativitatem ex Maria secundum carnem & passionem & resurrectionem simulationes dicunt fuisse, nec ita, ut prædicantur, effecta. Vetus Testamentum & Prophetas refutant, Scripturarumque illarum non Deum bonum, sed malæ naturæ Principem auctorem opinantur. De novo Testamento ea accipiunt, quæ putant apocryphis consonare. Resurrectionem carnis negant, nuptias damnant, adulterinos concubitus pro licitis habent, baptismum regenerationis nihil conferre existimant. Sacra eorum tam nefanda quam mores.

PROBO II. ET PATERNO II.
PROBO III. ET PATERNO III.
MESSALA ET GRATO.

Antiochiæ XVIII. constituitur Episcopus Cyrillus.

Romæ XXVI. ordinatur Episcopus Eutychianus, mensibus octo, post quem Cajus XXVII. creatur annis XV.

PROBO IV. ET TIBERIANO.
PROBO V. ET VICTORINO.

Alexandriæ XV. Episcopus præfuit Theonas. Probus tumultu militari apud Sirmium in Turri, quæ Ferrata vocabatur, occiditur.

CARVS cum filiis Carino & Numeriano XXXII. regnavit, annis duobus.

CARO ET CARINO.
CARO II. ET NVMERIANO.

Carus Narbonensis cum omni Parthorum regione vastata Cochen & Ctesiphontem nobilissimas hostium cepisset urbes, super Tigrin castra ponens, fulmine ictus interiit. Numerianus autem cum ob oculorum dolorem lecticula veheretur, insidiis Apri soceri sui occisus est. Porro Carinus prælio apud Margum victus occubuit.

DIOCLETIANVS XXXIV. regnavit annis XX.

DIOCLETIANO ET ARISTOBVLO.
MAXIMO ET AQVILINO.

Diocletianus in consortium regni HERCVLIVM MAXIMIANVM adsumit. Qui rusticorum multitudine oppressa, quæ seditioni suæ Bacaudarum nomen indiderat, pacem Gallis reddidit.

Carausius sumpta purpura Britannias occupavit.

DIOCLETIANO II. ET MAXIMIANO.
MAXIMIANO II. ET JANVARIO.

Constantius & Galerius Maximianus adsumuntur in regnum. Quos Diocletianus ut etiam affinitate conjungeret, Constantio privignam Herculii

Theodoram uxorem dedit, Galerio autem filiam suam Valeriam tradidit, utque hæc conjugia firmaret, ambos repudiare uxores suas, quas prius habebant, coegit.

BASSO ET QVINTIANO.

DIOCLETIANO III. ET MAXIMIANO II.

TIBERIANO ET DIONE.

HANIBALIANO ET ASCLEPIODOTO.

DIOCLETIANO IV. ET MAXIMIANO III.

Primus Diocletianus adorari se ut Deum jussit, & gemmas vestibus calceamentisque inseri, cum ante eum omnes Imperatores in modum judicum sollicitarentur, & chlamyde tantum purpurea a privato habitu discernerentur.

CONSTANTIO ET MAXIMO.
TVSCO ET ANVLINO.

Romæ XXVIII. Episcopatum suscepit Marcellinus annis II.

DIOCLETIANO V. ET CONSTANTIO II.

Hierosolymis XXVII. Zabdas Episcopus ordinatur.

MAXIMIANO IV. ET MAXIMINIANO II.
FAVSTO ET GALLO.

Veturius Magister militiæ Christianos persequitur.
Finis Cycli tertii, quartique principium.

DIOCLETIANO VI. ET MAXIMIANO V.
CONSTANTIO III. ET MAXIMIANO III.

Thermæ Diocletianæ Romæ & Carthagine Maximianæ ædificatæ.
Hierosolymis XXXVIII. Episcopus præfuit Hermon.
Antiochiæ XIX. constituitur Episcopus Tyrannus.
Alexandrinæ Ecclesiæ XII. post Theonam ordinatur Episcopus Petrus, qui postea persecutionis anno nono gloriose martyrium perpetravit.

TITIANO ET NEPOTIANO.
CONSTANTIO IV. ET MAXIMIANO IV.

Diocletianus & Maximianus Augusti ingenti pompa Romæ triumpharunt antecedentibus currum eorum Narsei conjuge, sororibus, liberis, & omni præda, qua Parthos spoliaverant.

DIOCLETIANO VII. ET MAXIMIANO VI.

NONA PERSECVTIO. Decimonono anno Diocletiani, mense Martii in diebus Paschæ Ecclesiæ subversæ sunt.

DIOCLETIANO VIII. ET MAXIMIANO VII.

Secundo anno persecutionis Diocletianus Nicomedeæ, Maximianus Mediolani purpuram deposuerunt.
GALERIVS XXXV. biennio solus imperium tenuit, mox cum alio annis sex.

CONSTANTIO V. ET MAXIMIANO V.

Romæ XXIX. Episcopus constituitur Eusebius: post cujus septimum mensem XXX. Ecclesiam tenet Melchiades annis tribus.

CONSTANTIO VI. ET MAXIMIANO VI.

His Consulibus Timotheus Romæ pro Christo passus est x. Kal. Julias. Maximinus & Severus a Galerio Maximiano Cæsares facti.
Constantius XVI. Imperii sui anno diem obiit in Britannia Eboraci. Post quem filius ejus CONSTANTINVS ex concubina Helena procreatus regnum invadit. Cujus regni initio quartus jam persecutionis annus agebatur.
CONSTANTIVS XXXVI. regnavit annis XXX. mensibus decem.

DIOCLETIANO IX. ET CONSTANTINO.

Maxentius Herculii & Maximiani filius a Prætorianis militibus Romæ Augustus appellatur.
Severus Cæsar a Galerio Maximiano contra Maxentium missus Ravennam secundo imperii sui anno interficitur.

DIOCLETIANO X. ET MAXIMIANO VII.

LICINIVS a Galerio Carnunti Imperator factus.
Herculius Maximianus a filia Fausta detectus, quod dolum Constantino pararet, viro ejus, Massiliæ fugiens occiditur.

POST CONSVLATVM X. ET VIII.

Quirinus Episcopus Sciscianus cum sociis gloriose pro Christo interficitur.

ITEM ANN. II. POST X. ET VIII. COSS.

Galerius Maximianus moritur XXI. Imperii sui anno, quod partim Cæsar, partim Augustus exegit.
Romæ XXXI. ordinatur Episcopus Silvester annis XXII.

MAXIMIANO VIII. ET LICINIO.

Maximinus persecutione in Christianos facta, cum jam a Licinio puniendus esset, apud Tarsum moritur anno imperii sui sexto.

CONSTANTINO II. ET LICINIO II.
CONSTANTINO III. ET LICINIO III.

Alexandriæ XVII. ordinatur Episcopus Achillas.
Maxentius juxta pontem Milvium a Constantino superatus, occiditur.

VOLVSIANO ET ANIANO.

Hierosolymæ XXXIX. constituitur Episcopus Macarius.

CONSTANTINO IV. ET LICINIO IV.

Pax nostris a Constantino reddita.
Diocletianus haud procul a Salonis in villa sua Spalato moritur.

SABINO ET RVFINO.

Crispus & Constantinus filii Constantini, & Licinius adolescens Licinii Augusti filius ex sorore Constantini, Cæsares appellantur. Quorum Crispum Lactantius erudivit vir omnium suo tempore eloquentissimus: sed adeo in hac vita pauper, ut plerumque etiam necessariis indiguerit.

GALLICANO ET BASSO.
LICINIO V. ET CRISPO.
CONSTANTINO V. ET LICINIO CÆS.

Licinius Christianos de palatio suo pellit.
CONSTANTTINO IV. ET CONSTANTINO CÆS.
Basileus

Basileus Amasiæ Ponti Episcopus sub Licinio martyrio coronatur.

Alexandriæ XVIII. ordinatur Episcopus Alexander.

CRISPO II. ET CONSTANTIO II.

Arius Presbyter, ab Alexandro Episcopo de Alexandrina Ecclesia ejectus, multos suæ impietati sociat, prædicans Patrem & Filium & Spiritum Sanctum non esse unius ejusdemque naturæ, aut, ut expressius dicitur, essentiæ, utpote creaturam; Spiritum vero sanctum creaturam creaturæ, id est, ab ipso Filio creatum. Ad quam perfidiam corrguendam Synodus trecentorum decem & octo Episcoporum in Nicæam urbem Bithyniæ congregata omnes hæreticorum machinas Homousii oppositione dejecit.

PROBIANO ET JULIANO.
SEVERO ET RUFINO.

Constantius Constantini filius Cæsar factus.

CRISPO III. ET CONSTANTINO III.

Licinius Thessalonicæ occiditur.

PAULINO ET JULIANO.

Crispus filius Constantini & Licinius junior Constantiæ Constantini sororis & Licinii superioris filius interfecti.

CONSTANTINO VII. ET CONSTANTIO.

Vicennalia Constantini Nicomediæ acta & sequenti anno Romæ edita.

CONSTANTINO II. ET MAXIMO.

Hucusque Historiam perduxit Eusebius, Pamphili Martyris contubernalis. Post hæc Hieronymi Presbyteri succedit auctoritas.

Drepanam Bithyniæ civitatem in honorem Luciani Martyris ibi conditi Constantinus instaurans, ex vocabulo matris suæ Helenopolin nuncupavit.

JANUARIO ET JUSTO.

Donatus agnoscitur, a quo per Africam Donatistæ, qui primum propter ordinatum contra voluntatem suam Cæcilianum Ecclesiæ Carthaginensis Episcopum schisma fecerant, objicientes ei crimina non probata, & maxime, quod a Traditoribus divinarum Scripturarum fuerat ordinatus. Sed post causam convictam atque finitam pertinaci discordia in hæresim transierunt definientes propter Cæciliani crimina, seu vera, seu quod magis apparuit, falsa, Ecclesiam Christi in toto orbe terrarum contagione communionis extinctam in sola Donati parte superesse. Audent etiam rebaptizare Catholicos, cum Ecclesiæ Catholicæ placuerit, nec in ipsis hæreticis, baptisma commune rescindere.

Antiochiæ post Tyrannum XX. ordinatur Episcopus Vitalis: post quem XXI. Philogonus: cui successit XXII. Paulinus: post quem XXIII. fuit Eustathius. Quo in exilium ob fidem truso usque in præsentem diem Ecclesiam Ariani obtinuerunt.

CONSTANTINO VIII. ET CONSTANTINO CÆS. IV.
CONSTANTIO III. ET SYMMACHO.

Alexandriæ XIX. ordinatur Episcopus Athanasius.

BASSO ET ABLABIO.

Hieronymus nascitur.

PACATINO ET HILARIANO.

Romæ XXXII. ordinatur Episcopus Marcus, mensibus octo. Post quem XXXIII. ordinatus est Julius annis XVI. mensibus quatuor.

Edicto Constantini Gentilium templa subversa sunt.

Romani Gothos in Sarmatarum regione vicerunt.

Constans filius Constantini provehitur ad regnum.

DALMATIO ET XENOPHILO.
OPTATO ET PAULINO.
CONSTANTIO ET ALBINO.

Constantinus cum liberis suis honorifice ad Antonium Monachum literas mittit.

NEPOTIANO ET FACUNDO.

Tricennalibus Constantini Dalmatius Cæsar appellatur.

Nazarii Rhetoris filia Eunomia Christiana Virgo in eloquentia patri coæquatur.

Eustachius Constantinopolitanus Presbyter innotescit, cujus industria Hierosolymis martyrium constructum est.

Constantinus extremo vitæ suæ tempore ab Eusebio Nicomediensi Episcopo baptizatus in Arianum dogma declinavit.

FELICIANO ET TITIANO.

Constantinus cum bellum pararet in Persas, in Ancyrone villa publica juxta Nicomediam moritur, anno ætatis suæ LXVI. post quem tres liberi ejus ex Cæsaribus Augusti appellantur.

CONSTANTINUS CONSTANTIUS & CONSTANS XXXVIII. regnat annis XXIV. mensibus quinque, diebus duodecim.

VASO ET POLEMIO.

Dalmatius Cæsar, quem patruus Constantinus consortem regni cum filiis reliquerat, factione Constantii patruelis occiditur.

Jacobus Nisibenus agnoscitur, ad cujus preces sæpe urbs discrimine liberata est, cum oppugnaretur a Sapore Rege Persarum.

CONSTANTIO II. ET CONSTANTE.

Ex hoc tempore impietas Ariana Constantini Imperatoris fulta præsidio, exiliis, carceribus, & variis afflictionum modis primum Athanasium, deinde omnes non suæ partis Episcopos persecuta est.

ACYNDINO ET PROCULO.

Constantinus bellum fratri inferens juxta Aquilegiam Alsæ occiditur anno imperii sui XXIII.

MARCELLINO ET PROBINO.

Audæus in Syria agnoscitur, a quo Hæresis Audæana.

CONSTANTIO III. ET CONSTANTE II.

Hermogenes Magister militiæ Constantinopolim tractus a populo ob Episcopum Paulum, quem Regis imperio & Arianorum factione pellebat.

Macedonius artis plumariæ in locum Pauli ab Arianis Episcopus subrogatur, a quo hæresis Macedoniana, cujus dogma est, Patrem quidem & Filium unius divinitatis ejusdemque substantiæ confiteri, sed Spiritum Sanctum dicens creaturam.

Paulus crudelitate Præfecti Philippi, nam fautor Macedonii partium erat, & Arianorum insidiis strangulatur.

PLACIDO ET ROMULO.

Maximinus Treverorum Episcopus clarus habebatur, a quo Athanasius Alexandrinus Episcopus, cum a Constantio quæreretur ad poenam, honorifice susceptus est.

LEON-

LEONTIO ET SALVSTIO.

Sapor Persarum Rex Christianos persequitur.

CONSTANTIO IV. ET CONSTANTE III.

Athanasius ad Constantis literas Alexandriam regreditur.

AMANTIO ET ALBINO.
POST CONS. AMANTII ET ALBINI.
RVFINO ET EVSEBIO.

Quadragesimus Maximus post Macarium Hierosolymorum Episcopus moritur, post quem Ariani Ecclesiam invadunt.

PHILIPPO ET SALIA.

Romanæ Ecclesiæ XXXIV. Episcopus ordinatur Liberius, quo in exilium nono Episcopatus sui anno ob fidem truso, omnes Clerici juraverunt, quod nullum alium susciperent. Verum cum Felix ab Arianis fuisset in Sacerdotio substitutus, plurimi perjuraverunt: & post annum reverso in Urbem Liberio, cum Felice ejecti sunt.

LIMENIO ET CATVLINO.

Magnentio apud Augustodunum arripiente imperium, Constans haud longe ab Hispania in castro, cui Helena nomen est, interficitur, ob quam rem turbata republica, Vetranio Mursæ, Nepotianus Romæ Imperatores facti.

SERGIO ET NIGRIANO.

Nepotiani caput pilo per Urbem circumlatum.
Vetranioni apud Naissum a Constantio Regium insigne detractum, & Magnentius Mursæ magna Reipublicæ clade superatus est.

POST CONS. SERGII ET NIGRIANI.

Gallus, qui & Constantius, Constantii patruelis, Cæsar factus.

CONSTANTIO V. ET CONSTANTIO CÆS.
CONSTANTIO VI. ET CONSTANTIO CÆS. II.
CONSTANTIO VII. ET CONSTANTIO CÆS. III.

Magnentius Lugduni in palatio propria manu seipsum interficit, & Decentius frater ejus, quem ad tenendas Gallias Cæsarem miserat, apud Senonas laqueo vitam finiit.

Gallus Cæsar sollicitatus a Constantio patruele, cui in suspicionem ob regiam indolem venerat, in Istria occiditur.

Paulinus & Rhodanus Galliarum Episcopi in exilium ob fidem trusi.

Eusebius quoque Vercellensis Episcopus & Lucifer Calaritanæ Ecclesiæ, & Mediolanensis Ecclesiæ Dionysius Episcopus, Pancratiusque Romanus Presbyter, & Hilarius Diaconus distantibus inter se ab Arianis & Constantio damnantur exiliis.

ARBETIANO ET LOLLIANO.

Julianus frater Galli Mediolani Cæsar appellatur.

CONSTANTIO VIII. ET JVLIANO CÆS.

Antonius Monachus centesimo anno ætatis suæ in eremo moritur, solitus multis ad se venientibus de Paulo quodam Thebæo miræ beatitudinis viro plurima memorare.

Hilarius Pictaviensis Episcopus factione Saturnini Arelatensis Episcopi, reliquorumque qui cum illo erant Arianorum, in Phrygiam pulsus libros de nostra religione composuit.

Reliquiæ Timothei Apostoli Constantinopolim invectæ.

Sarmata, Amathas, & Macarius discipuli Antonii insignes habentur.

Liberius Episcopus Romanus in exilium mittitur.

CONSTANTIO XI. ET JVLIANO CÆS. II.

Ossa Andreæ Apostoli & Evangelistæ Lucæ Constantinopolim inlata.

Paulinus Treverorum Episcopus in Phrygia exulans moritur.

DATIANO ET CEREALE.

Synodus apud Ariminum & Seleuciam Isauriæ facta, in qua antiqua Patrum fides decem primum Legatorum, dehinc omnium proditione damnata est.

EVSEBIO ET HYPATIO.

Gratianus, qui postea Imperator factus est, nascitur.

Hilarius Episcopus, cum apud Constantinopolim librum pro se Constantio porrexisset, ad Gallias rediit.

Omnes pæne Ecclesiæ toto orbe sub nomine pacis & Regis, Arianorum consortio polluuntur.

Gallia per Hilarium Ariminensis perfidiæ dolos damnat.

CONSTANTIO X. ET JVLIANO III.

Constantius Mopsocrenis inter Ciliciam Cappadociamque moritur.

JVLIANVS XXXVIII. regnat annis duobus & mensibus octo.

Juliano ad idolorum cultum converso blanda persecutio fuit, illiciens magis quam impellens ad sacrificandum. in qua multi ex nostris voluntate propria corruerunt.

TAVRO ET FLORENTIO.

Georgio per seditionem populi incenso, qui in loco Athanasii ab Arianis fuerat ordinatus, Athanasius rediit.

Eusebius & Lucifer Episcopi de exilio revertuntur: e quibus Lucifer, adscitis aliis duobus Confessoribus, Paulinum Eustathii Episcopi Presbyterum, qui se nunquam hæreticorum communione polluerat, in parte Catholica Antiochiæ Episcopum facit.

Prohæresius Sophista Atheniensis lege data, ne Christiani liberalium disciplinarum doctores essent, cum sibi specialiter Julianus concederet, ut Christianos doceret, Scholam sponte deseruit.

MAMERTINO ET NEVITTA.

Æmilianus ob ararum subversionem Dorostori a Vicario inceditur.

JVLIANO III. ET SALVSTIO.

Ecclesia Antiochiæ clausa: & gravissima imminentis persecutionis procella Dei voluntate sopita est. Nam Julianus in Persas profectus, nostrum Diis suis post victoriam sanguinem voverat, ubi a quodam simulato perfuga ad deserta perductus, cum fame & siti magnam partem exercitus perdidisset, occisus est.

JOVIANVS XXXIX. regnavit menses VI. alias VIII.

JOVIANO ET VARRONIANO.

Synodus a Meletio & suis Antiochiæ facta: in qua Homousio Anomæoque rejecto medium inter hæc Homoiousion Macedonianum dogma vindicaverunt.

Jovianus cruditate sive odore prunarum moritur.

Post

Post quem VALENTINIANVS Tribunus Scutariorum apud Nicæam Augustus appellatus, fratrem Valentem Constantinopoli in communionem regni adsumit.

VALENTINIANVS & VALENS XL. regnaverunt annis XIV. mensibus quinque.

VALENTINIANO ET VALENTE.
GRATIANO ET DAGALAIPHO.

Apollinaris Laodicenus Episcopus multimoda religionis nostræ scripta componit. Qui postmodum a fide Catholica deviavit, condens hæresim, quæ ipsius nomine nuncupatur: & cujus hic error est, ut asserat JESVM solum carnem sine anima suscepisse, vel animam vitalem tantum, non etiam rationalem, quoniam ipsum Verbum vim mentis impleverat. Ipsam autem carnem non de Maria adsumptam, sed Verbi aliquid in carnem fuisse conversum.

Procopius, qui * aliud Constantinopolim tyrannidem invaserat, apud Phrygiam Salutarem extinctus est, multis partium ejus cæsis atque proscriptis.

Romanæ Ecclesiæ XXXV. ordinatur Episcopus Damasus, annis XVIII.

Hoc tempore fuit secundum schisma, Ursicino Antipapa, quod eo per collectam Romæ Synodum ejecto duravit mensibus sex, anno Domini CCCLXIX. *Hæc ex libri margine.*

Valens ab Eudoxio Arianorum Episcopo baptizatus nostros persequitur.

LVPICINO ET JOVINO.

GRATIANVS Valentiniani filius Ambianis Imperator factus.

Hilarius Episcopus Pictavensis moritur.

VALENTINIANO II. ET VALENTE II.
VALENTINIANO N. P. ET VICTORE.
VALENTINIANO III. ET VALENTE III.

Athanaricus Rex Gothorum in Christianos persecutione commota plurimos interficit, & de propriis sedibus in Romanum solum expulit.

Eusebius Vercellensis Episcopus moritur.

Constantinopoli Apostolorum martyrium dedicatur.

Lucifer Calaritanus Episcopus moritur, qui cum Gregorio Episcopo Hispaniarum & Philone Libyæ, numquam se Arianæ miscuit pravitati. Sed dum vigorem justitiæ erga correctionem eorum, qui cesserant, non relaxat, ipse a suorum communicatione descivit.

GRATIANO ET PROBO.
MODESTO ET ALINTHEO.

Didymus Alexandrinus multa de nostro dogmate per notarios commentatur, qui post quintum nativitatis suæ annum luminibus orbatus, elementorum quoque ignarus fuit.

VALENTINIANO IV. ET VALENTE IV.

Eunomius discipulus Aetii Constantinopoli agnoscitur, a quo hæresis Eunomiana, quæ Filium Patri non consubstantialem dicit esse, sed similem. Cujus error est dissimilem adserere Patri Filium & Filio Spiritum Sanctum.

GRATIANO III. ET EQVITIO.
POST CONS. GRATIANI ET EQVITII.

Quia superiore anno Sarmatæ Pannonias vastaverunt, iidem Consules permansere.

Post Auxentii seram mortem Mediolani Ambrosio Episcopo constituto omnis ad fidem rectam Italia convertitur.

* apud.

Aquilegienses Clerici quasi chorus beatorum habentur.

Valentinianus subita sanguinis eruptione, quæ Græce apoplexia vocatur, Brigitione moritur.

Post quem GRATIANVS adsumpto in imperium VALENTINIANO fratre cum patruo Valente regnat.

Valens legem dedit, ut Monachi militarent, nolentes fustibus necarentur.

VALENTE V. ET VALENTINIANO.

Photinus in Galatia moritur, a quo Photinianum dogma inductum, Paulo Samosateno & Artemone, de quibus supradictum est, conceptum auctoribus.

GRATIANO IV. ET MEROBAVDE.

Alamannorum multa millia apud Argentariam oppidum Galliarum ab exercitu Gratiani cæsa.

Gens Hunnorum Gothos vastat, qui a Romanis sine armorum depositione suscepti rebellant.

VALENTE VI. ET VALENTINIANO II.

Superatis Romanis Gothi funduntur in Thracia.

Valens de Antiochia exire compulsus sera pœnitentia nostros de exilio revocat.

Lacrymabile bellum in Thracia, in quo deserente Equitum præsidio Romanæ legiones usque ad internecionem a Gothis cæsæ sunt. Ipse autem Valens, cum sagitta saucius fugeret, & ad dolorem nimium sæpe equo laberetur, ad cujusdam villæ casam deportatus est. Qua persequentibus barbaris incensa cum eodem domo, sepultura quoque caruit.

AVCTARIVM
DE
VARIIS HÆRESIBVS,
NEC NON
Diversæ Lectiones ex aliis Codicibus Mss. collectæ.

PAG. 284. E. Quidam ferunt anno XVIII. Tiberii JESVM-CHRISTVM passum, & argumentum huic rei ex Evangelio assumunt Joannis, in quo post quintumdecimum annum Tiberii Cæsaris triennio Dominum prædicasse intelligitur. Sed quia usitatior traditio habet Dominum nostrum XV. anno Tiberii Cæsaris duobus GEMINIS Consulibus crucifixum, nos sine præjudicio alterius opinionis successiones sequentium Consulum a suis consulatibus ordiemur, manente adnotatione temporum, quæ cujusque imperium habuit.

Incipit Adnotatio Consulum a Passione D. N. J. C. cum historia.

SVFIGIO GEMINO ET RVBELLIO GEMINO.

Pag. 285. C. C. Cæsar Caligula IV. regnavit annis tribus, & mensibus decem, Cæsare II. & Saturnino. Saturnino II. & Venusto. Tiberio & Gallo. Hoc tempore Pontius Pilatus in multas incidens calamitates propria se manu interficit. C. Caligula, cum se in Deos, &c.

Pag. 292. B. Valentinus Hæresiarches & Cerdo Magister Marcionis Romam venerunt. Valentinus rerum naturæ duo dixit esse principia, Profundum scilicet & Silentium, a quibus XXX. orta sunt sæcula. Profundum autem Patrem esse Christi, qui

ſpiritale vel cœleſte corpus habuerit, nihilque de natura Matris Virginis adſumpſerit, ſed per ipſam tanquam rivus ſine carnis humanæ veritate tranſierit. Reſurrectionem quoque carnis negant, ſpiritui tantum vel animæ promittunt ſalutem. Cerdo quoque duorum principiorum, id eſt, unius boni & alterius mali adſertor fuit, & Patrem Chriſti Deum eſſe legis ac Prophetarum negavit. Chriſtum ipſum neque natum ex fœmina, neque habuiſſe carnem, nec vere paſſum, nec vere mortuum dixit. Reſurrectionem etiam carnis refutans & Teſtamentum vetus ſpernendum eſſe decernens.

Pag. 294. A. Cathaphryges a Provincia Phrygia nominati ſunt, quia illic primitus extiterunt, ibique vixerunt, a quibus prædicabatur Spiritus Paracletus promiſſus a Domino in ipſos potius quam in Apoſtolos adveniſſe. Secundas nuptias pro fornicatione condemnant, quas ideo dicunt Apoſtolum permiſiſſe, quia ex parte prophetabat: nec adhuc erat doctrina perfecta, quam per Montanum & Priſcam ac Maximillam Spiritus Sanctus revelavit. Hi perhibentur ſacramenta habere funeſta de anniculi infantis ſanguine, quem crebris compunctionibus de toto corpore ejus extrahunt & farina vinoque miſcuerint.

Pag. eadem. C. Tatianus hæreticus agnoſcitur, a quo appellati Encratitæ nuptias damnant, pareſque eas fornicationi & omni turpitudini eſſe definiunt, nec recipiunt in conſortium, vel marem, vel fœminam conjugio utentem. Prolationes quaſdam ſæculorum de fabulis Valentini ſequuntur. Saluti primi Hominis contradicunt. Bardeſanes alterius hæreſeos Princeps innoteſcit; qui Bardeſanes cum aliquandiu in fide fuiſſet inſignis, poſtea in Valentini tranſivit errores, quamvis non omnia ipſius ſecutus ſit.

Pag. 297. A. Romæ XVI. Epiſcopus creatur URBANVS annis IX. His temporibus Sabellius fuiſſe perhibetur. Cujus error eſt, ut in Trinitate Divina, quem nominat Patrem, eundem Filium, eundem adſerat Spiritum Sanctum. Unde impietatis iſtius impoſtores merito etiam Patropaſſiani vocantur, qui hoc ſentientes paſſionem D. N. J. C. quam pro humani generis ſalute pertulit, Patri convincantur adſerere. Ulpianus, &c.

Pag. eadem. B. Hoc tempore Origenes Alexandriæ clarus videbatur. Hic qui per multam eloquii facultatem perverſa quædam eſt conatus adſtruere condens libros quorum eſt titulus περὶ ἀρχῶν, in quibus præter multa ſacræ doctrinæ adverſa etiam de commutatione hoc totius rationalis creaturæ adſerit, quod non ſolum impiorum hominum animæ, ſed ipſe quoque Diabolus longa purificatione revocandus ſit in ſuæ originis dignitatem, ſuccedentibus ſibi ſemper revolutionibus de bonis ad mala & de malis ad bona. Quia hæc alternatio non poſſit non eſſe perpetua & viciſſim ut de miſeris beati & de beatis miſeri.

Pag. 298. C. Novatum ſectantes Novatiani appellantur. Ipſi autem ſe *Catharos* vocari volunt propter munditiam, quam ſibi ſuperbiſſime arrogant. Secundas nuptias non admittunt. Reconciliationem pœnitentibus negant.

Pag. 299. B. Hæc hæreſis prius Artemonis fuit, ſed efficaciore verſutia Paulus in ea obtinuit principatum: accedente poſtea prævaricatore Photino factum eſt, ut diſcipuli eorum Photiniani quam Pauliani celebrius nuncupentur. Hos baptizari in Eccleſia Catholica Synodus Nicæna conſtituit. Unde credendum eſt eos regulam baptiſmi non habere.

Pag. 300. B. Inſana Manichæorum hæreſis exorta. Manichæus Manes quidam auctor dementiſſimi dogmatis fuit, apud quos duo principia prædicantur, boni ſcilicet & mali: quorum naturæ adverſæ ſibi & coæternæ ſemper extiterunt, de quorum compugnantia prodigioſas fabulas & mendacia vana commenti ſunt, promittentes diſcipulis ſuis purgationem per ſacrilega ſacramenta, in quibus nihil eſt niſi execrabilis turpitudo confœderationis obſcœnæ. Teſtamentum vetus non recipiunt, corrumpentes per omnia Evangelicam veritatem.

Pag. 303. A. Arius Patrem & Filium & Spiritum Sanctum negans unius eſſe naturæ, vel, ut expreſſius dicamus, eſſentiæ, ita ut Filius Patre minor, Spiritus autem Sanctus Filio etiam habeatur inferior. Ad cujus perfidiam coarguendam Synodus CCCXVIII. Epiſcoporum in Nicæa urbe Bithyniæ congregata omnes hæreticorum machinas Homouſii oppoſitione dejecit.

Pag. eadem. D. Donatus agnoſcitur, a quo per Africam Donatiſtæ ſunt: qui propter Cæcilianum Carthaginis Epiſcopum, quia ipſis renitentibus ordinatus eſt, in ſchiſma diviſi ſunt, principe & auctore Donato, objicientes Cæciliano quædam crimina, quorum nullum probarunt. Unde pervicacia ſua etiam hæretici facti ſunt, baptizatos in Catholica rebaptizantes, & in Trinitate Deitatis unam quidem ſubſtantiam confitentes, ſed Filium non æqualem Patri & Spiritum Sanctum minorem Filio ſentientes. In quam impietatem illos alius Donatus, qui ab illo tertius fuit, impuliſſe dicitur, Antiochiæ, &c.

Pag. 304. E. Audæani ſunt ab Audæo quodam cognominati, quos & Anthropomorphitas vocant, quia Deum humanæ imagini credunt eſſe conformem: in quibus etiam illud arguitur, quod Paſcha Chriſtianum Judaica perhibentur obſervantia celebrare.

Pag. eadem. E. Macedonianis Macedonius fuit auctor erroris, quos Græci *Pneumatomachos*, eo quod Spiritui Sancto Deo confitendo repugnent. Nam de Patre & Filio recte ſentiunt, quod unius ſunt ejuſdemque ſubſtantiæ, ſed hoc de Spiritu Sancto nolunt credere, creaturam eum eſſe dicentes. Quidam hos Semi-Arianos vocant, quod in hac quæſtione ex parte cum illis ſint, ex parte nobiſcum

Pag. 307. A. Apollinaris perverſitas hoc primum deviavit errore, ut Dominum JESVM CHRISTVM diceret humanam carnem ſine anima ſuſcepiſſe, quia vitam & regimen corpori Deitas ipſa præbuerit. Ex hoc refutatus confeſſus eſt illi carni animam non defuiſſe, ſed mentis officia Verbi virtute completa. Ad ultimum ipſam Chriſti carnem partem quandam Verbi dixit fuiſſe, quæ naturam Divinam habuerit, non maternam.

Pag. 278. A. Hunc tertio anno regni ejus Babylonius Nabuchodonoſor ſuperat, & cum Judæa terra in ditionem redigit ac tributarium facit. Quo tempore Daniel, Ananias, Azarias, Miſael in Babylone clari habebantur regnante Romæ Tarquinio Priſco, qui regnavit annis XXXVII. Joachim, qui & Jechonias, menſibus tribus, &c.

V. C. PROSPERI TYRONIS AQVITANI CHRONICORVM

PARS ALTERA

Ab anno Æræ Christianæ CCCLXXIX. ad CCCCLV.

Auctior atque emendatior in pluribus quam quæ antea vulgata est.

HVCUSQUE Hieronymus Presbyter ordinem præcedentium digessit annorum. Nos quæ consecuta sunt, adjicere curavimus.

Igitur Valente a Gothis in Thracia concremato GRATIANVS cum fratre VALENTINIANO XLI. regnat annos sex.

AVSONIO ET OLYBRIO.

Gratianus post mortem patrui Theodosium Theodosii filium in consortium assumit Imperii, eique regnum tradit Orientis.

Ea tempestate Priscillianus Episcopus de Gallæcia ex Manichæorum & Gnosticorum dogmate hæresim nominis sui condidit.

GRATIANO V. ET THEODOSIO.

Ambrosius Episcopus pro Catholica fide multa sublimiter scribit.

SYAGRIO ET EVCHERIO.

Martinus Episcopus Turonorum Galliæ civitatis multis miraculis clarus habetur.

ANTONIO ET SYAGRIO.

Finis Cycli quarti & exordium quinti.

Athanaricus Rex Gothorum apud Constantinopolim quintodecimo die quam fuerat susceptus, occiditur.

MEROBAVDE II. ET SATVRNINO.

Arcadius Theodosii Imperatoris filius Augustus appellatur.

RICIMERE ET CLEARCHO.

Honorius Theodosii filius nascitur.

Romanæ Ecclesiæ XXXVI. post Damasum SIRICIVS præfuit Episcopus annis XIV.

In Britannia per seditionem militum Maximus Imperator est factus: quo mox ad Gallias transfretante, Gratianus Parisiis Merobaudis Magistri militum proditione superatus, & fugiens, Lugduni captus atque occisus est.

Maximus Victorem filium suum consortem regni facit.

VALENTINIANVS XLII. regnat cum Theodosio annis VII.

ARCADIO ET BAVTONE.

Hoc tempore Hieronymus Presbyter in Bethleem toto jam mundo clarus habitat, egregio ingenio & studio universæ Ecclesiæ serviens.

Priscillianus in Synodo Burdigalensi damnandum se intelligens, ad Imperatorem Maximum provocavit, auditusque Treviris, ab Evodio Præfecto Prætorio, gladio addictus est, cum Eucrocia Delphidii Rhetoris conjuge & Latroniano aliisque erroris consortibus.

Burdigalæ quædam Priscilliani discipula, nomine Urbica, ob impietatis pertinaciam per seditionem vulgi lapidibus extincta est.

HONORIO N. P. ET EVODIO.
CCCLX. VALENTINIANO III ET EVTROPIO.
THEODOSIO II. ET CYNEGIO.

Maximus tyrannus a Valentiniano & Theodosio Imperatoribus in tertio ab Aquileja lapide spoliatus indumentis Regiis, sistitur, & capite damnatur: cujus filius Victor eodem anno ab Arbogaste Comite est interfectus in Galliis.

TIMASIO ET PROMOTO.

Ithacius & Ursacius Episcopi ob necem Priscilliani, cujus accusatores fuerant, Ecclesiæ communione privantur.

VALENTINIANO IV. ET NEOTERIO.
TATIANO ET SYMMACHO.
ARCADIO II. ET RVFINO.

Valentinianus ad vitæ fastidium nimia Arbogastis Magistri militum austeritate perductus, laqueo apud Viennam periit.

Arbogastes Magister exercitus, mortuo Valentiniano,

tiniano, cujus exitu gravabatur, Eugenium in Galliis Imperatorem facit.

THEODOSIVS XLIII. cum jam per XIV. regnaret annos, regnat cum Arcadio & Honorio filiis annos tres.

THEODOSIO III. ET ABVNDANTIO.

Honorium pater suus Theodosius in eodem loco, ubi quoque fratrem ejus Arcadium Cæsarem fecerat, Principem constituit XVII. (seu potius VII. tantum) ab Urbe milliario, cum hora tertia tenebræ sunt factæ.

ARCADIO III. ET HONORIO II.

Joannes Monachus, Anachoreta clarus habebatur, qui ornatus prophetiæ gratia Theodosium consulentem de eventu belli, quod adversus Eugenium movebat, victorem futurum prædixit.

OLYBRIO ET PROBINO.

Theodosius Eugenium tyrannum vincit & perimit.

Augustinus Beati Ambrosii discipulus multa facundia doctrinaque excellens, Hippone regio in Africa Episcopus ordinatur.

Hoc tempore Claudianus Poeta insignis habetur.

Theodosius Imperator Mediolani moritur.

ARCADIVS XLIV. cum jam regnasset annos XII. regnat cum HONORIO fratre annos XIII.

ARCADIO IV. ET HONORIO III.

CCCLXX. CÆSARIO ET ATTICO.

HONORIO IV. ET EVTYCHIANO.

Romanæ Ecclesiæ XXXVII. Episcopatum tenet ANASTASIVS annis IV.

MALLIO THEODORO V. C. COS.

Cum hoc Consulatum inierat Eutropius Eunuchus, qui mox honore ablato damnatus & vita exutus est.

STILICONE ET AVRELIANO.

Gothi Italiam, Alarico & Radagaiso ducibus ingressi.

VINCENTIO ET FRAVITO.

Joannes Constantinopolitanus, & Theophilus Alexandrinus Episcopi clari habebantur: sed utrumque obscuravit discordia, quæ eo usque processit, ut Joannes a Theophilo oppressus Pontum in exilium pergere cogeretur; cum tamen communionem ejus maxima pars Episcoporum, Romani Pontificis exemplum secuta, servaverit.

ARCADIO V. ET HONORIO V.

Pollentiæ adversum Gothos vehementer utriusque partis clade pugnatum est.

Romanæ Ecclesiæ XXXVIII. præest Episcopus INNOCENTIVS annis XIV.

THEODOSIO AVGVSTO ET RVMORIDO.

HONORIO VI. ET ARISTÆNETO.

STILICONE II. ET ANTHEMIO.

Radagaisus in Tuscia, multis Gothorum millibus cæsis, ducente exercitum Stilicone, superatus & captus est.

ARCADIO VI. ET PROBO.

Vandali & Alani Gallias, trajecto Rheno, pridie Kalendas Januarias ingressi.

CCCLXXX. HONORIO VII. ET THEODOSIO II.

Constantinus in Britannia tyrannus exoritur & ad Gallias transit.

BASSO ET PHILIPPO.

Arcadius Imperator Constantinopoli moritur.

HONORIVS XLV. cum THEODOSIO fratris filio regnavit annis XV.

HONORIO VIII. ET THEODOSIO III.

Vandali Hispanias occupaverunt.

Attalus Romæ Imperator factus, qui mox privatus regno Gothis cohæsit.

FLAVIO VARANE V. C. COS.

Roma a Gothis Alarico duce capta: & ob hoc solus fuit Orientalium partium Consul, quod & sequenti anno observatum est.

THEODOSIO AVGVSTO IV. COS.

Constantinus per Honorii duces, Constantium & Ulphilam, apud Arelatense oppidum victus & captus est: cujus filium Constantem in Hispania regnare orsum, Gerontius Comes, in Maximum quendam tyrannidem transferens, interemerat.

HONORIO IX. ET THEODOSIO V.

Maximo in Hispania regno ablato vita concessa, eo quod modestia humilitasque hominis, affectati Imperii invidiam non merebatur.

Gothi Rege Athaulfo Gallias ingressi.

Eodem tempore Heros vir sanctus & Beati Martini discipulus, cum Arelatensi oppido Episcopus præsideret, a populo ejusdem civitatis, insons, & nulli insimulationi obnoxius, pulsus est, inque ejus locum Patroclus ordinatus, amicus & familiaris Constantii Magistri militum, cujus per ipsum gratia quærebatur: quæ res inter Episcopos regionis illius magnarum discordiarum materia fuit.

LVCIO V. C. COS.

Hujus collega in consulatu Heraclianus fuit, qui novarum in Africa rerum reus, & honorem amisit & vitam.

Burgundiones partem Galliæ propinquam Rheno obtinuerunt.

Jovinus & Sebastianus fratres in Galliis regno accepto perempti sunt.

Hac tempestate Pelagius Britto dogma nominis sui contra gratiam Christi, Cœlestio & Juliano adjutoribus exerit, multosque in suum errorem trahit; prædicans, unumquemque ad justitiam voluntate propria regi, tantumque accipere gratiæ, quantum meruerit, quod peccatum Adæ ipsum solum læserit, non etiam posteros ejus obstrinxerit, unde & volentibus possibile sit omni carere peccato: omnesque parvulos tam insontes nasci, quam primus homo ante prævaricationem fuit; nec ideo baptizandos, ut peccato exuantur, sed ut Sacramento adoptionis honorentur.

CONSTANTIO V. C. COS.

Attalus Gothorum consilio & præsidio tyrannidem resumit in Galliis.

HONORIO X. ET THEODOSIO VI.

Attalus a Gothis ad Hispanias migrantibus neglectus, & præsidio carens, capitur, & Constantio Patricio vivus offertur.

Athaulfus a quodam suorum vulneratus interiit, regnumque ejus Wallia, peremptis, qui idem cupere intelligebantur, invasit.

THEODOSIO VII. ET PALLADIO.

Placi-

Placidiam Theodosii Imperatoris filiam, quam Romæ Gothi ceperant, quamque Athaulfus conjugem habuerat, Wallia pacem Honorii expetens reddit; ejusque nuptias Constantius promeretur.

Romanæ Ecclesiæ XXXIX. Episcopatum suscipit ZOSIMUS, annis tribus: quo tempore Pelagianis jam a Papa Innocentio prædamnatis, Afrorum vigore, ac maxime Augustini Episcopi industria & scientia resistebatur.

CCCXC. HONORIO XI. ET CONSTANTIO II.

Honorius Romam cum triumpho ingreditur, præeunte currum ejus Attalo, quem Liparæ vivere jussit exulem.

HONORIO XII. ET THEODOSIO VIII.

Hoc tempore Constantius servus Christi ex Vicario Romæ habitans, & pro gratia Dei devotissime Pelagianis resistens, factione eorundem multa pertulit, quæ illum sanctis Confessoribus sociaverunt.

Concilio apud Carthaginem habito, CCXIV. & amplius Episcoporum ad Papam Zosimum Synodi decreta perlata sunt, quibus probatis per totum mundum hæresis Pelagiana damnata est.

Valentinianus Constantii & Placidiæ filius nascitur sexto Nonas Julias.

MONAXIO ET PLINTA.

Romanæ Ecclesiæ XL. Episcopatum agit BONIFACIVS annis IV.

Hoc tempore fuit tertium schisma, Eulalio Antipapa per Honorium Cæsarem ejecto, quod duravit annis duobus.

Constantius Patricius pacem firmat cum Wallia, data eidem ad inhabitandum secunda Aquitania, & quibusdam civitatibus confinium Provinciarum.

THEODOSIO IX. ET CONSTANTIO III.

Constantius ab Honorio in consortium regni assumitur.

Hieronymus Presbyter moritur anno ætatis suæ XCI. pridie Kalendas Octobris.

AGRICOLA ET EVSTATHIO,

Constantius Imperator moritur.

HONORIO XIII. ET THEODOSIO X.

Hoc tempore exercitus ad Hispanias contra Vandalos missus est, cui Castinus dux fuit, qui Bonifacium virum bellicis artibus præclarum, inepto & injurioso imperio ab expeditionis suæ societate avertit. Nam ille periculosum sibi, atque indignum ratus, eum sequi, quem discordem superbientemque expertus esset, celeriter se ad portum Urbis, atque inde in Africam proripuit: idque Reipublicæ multorum laborum, & malorum sequentium initium fuit.

MARINIANO ET ASCLEPIODOTO.

Placidia Augusta a fratre Honorio pulsa, ad Orientem cum Honoria & Valentiniano filiis proficiscitur.

Romanæ Ecclesiæ XLI. præsidet Episcopus CÆLESTINVS annis IX.

Honorius moritur, & regnum ejus Joannes occupat, connivente, ut putabatur, Castino, qui exercitui Magister militum præerat.

THEODOSIVS XLVI. Romanorum Imperium tenet annis XXVII.

CASTINO ET VICTORE.

Hoc tempore Exuperantius Pictavus, Præfectus Prætorii Galliarum, in civitate Arelatensi militum seditione occisus est; idque apud Joannem inultum fuit.

Theodosius Valentinianum amitæ suæ filium Cæsarem facit, & cum Augusta matre ad recipiendum Occidentale mittit Imperium: quo tempore Joannes, dum Africam, quam Bonifacius obtinebat, bello reposcit, ad defensionem sui infirmior factus est.

THEODOSIO XI. ET VALENTINIANO CÆSARE.

Placidia Augusta & Valentinianus Cæsar mira felicitate Joannem Tyrannum opprimunt, & regnum victores recipiunt; data venia Aetio, eo quod Chuni, quos per ipsum Joannes acciverat, ejusdem studio ad propria reversi sunt. Castinus autem in exilium actus est, quia videbatur, Joannem sine conniventia ipsius regnum non potuisse præsumere.

Valentinianus decreto Theodosii Augustus appellatur.

Arelas nobile oppidum Galliarum a Gothis multa vi oppugnatum est, donec imminente Aetio non impuniti abscederent.

THEODOSIO XII. ET VALENTINIANO AVGVSTO II.

Patroclus Arelatensis Episcopus a Tribuno quodam barbaro multis vulneribus laniatus occiditur: quod facinus ad occultam jussionem Felicis Magistri militum referebatur, cujus impulsu creditus est etiam Titus Diaconus, vir sanctus, Romæ pecunias pauperibus distribuens interemptus.

CCCC. HIERIO ET ARDABVRE.

Bonifacio, cujus intra Africam potentia gloriaque augebatur, bellum ad arbitrium Felicis (quia ad Italiam venire abnuerat) publico nomine illatum est ducibus Mavortio & Gallione & Sinoce, cujus proditione Mavortius & Gallio, dum Bonifacium obsiderent, interempti sunt, moxque ipse a Bonifacio doli detectus, occisus est.

Exinde gentibus, quæ uti navibus nesciebant, dum a concertantibus in auxilium vocantur, mare pervium factum est, bellique contra Bonifacium cœpti in Sigisvultum Comitem cura translata est.

Gens Vandalorum ab Hispania ad Africam transit.

FELICE ET TAVRO.

Nestorius Constantinopolitanus Episcopus novum Ecclesiis molitur errorem inducere, prædicans, Christum ex Maria hominem tantum, non etiam Deum natum, eique divinitatem collatam esse pro merito: cujus impietati præcipua Cyrilli Alexandrini Episcopi industria & Papæ Cœlestini repugnat auctoritas.

Pars Galliarum propinqua Rheno, quam Franci possidendam occupaverant, Aetii Comitis armis recepta.

FLORENTIO ET DIONYSIO.

Felice ad Patriciam dignitatem provecto; Aetius Magister militum factus est.

Agricola Pelagianus, Severiani Episcopi Pelagiani filius, Ecclesias Britanniæ dogmatis sui insinuatione corrupit. Sed actione Palladii Diaconi Papa Cœlestinus Germanum Autisiodorensem Episcopum vice sua mittit, & deturbatis hæreticis, Britannos ad Catholicam fidem dirigit.

THEODOSIO XIII. ET VALENTINIANO III.

Aetius Felicem cum uxore Padusia & Grunitum Diaconum, cum eos insidiari sibi præsensisset, interimit.

Augustinus Episcopus per omnia excellentissimus moritur v. Kalendas Septembris, libris Juliani inter impetus obsidentium Vandalorum in ipso dierum suorum fine respondens, & gloriose in defensione Christianæ gratiæ perseverans.

BASSO ET ANTIOCHO.

Congregata apud Ephesum plus ducentorum Synodo Sacerdotum Nestorius cum hæresi nominis sui, & cum multis Pelagianis, qui cognatum errori suo juvabant dogma, damnatur.

Ad Scotos in Christum credentes ordinatus a Papa Cœlestino Palladius primus Episcopus mittitur.

AETIO ET VALERIO.

Romanæ Ecclesiæ XLII. præficitur Episcopus XYSTUS annis VIII. totius Urbis pace & consensione mirabili.

Bonifacius ab Africa ad Italiam per Urbem venit, accepta Magistri militum dignitate: qui cum resistentem sibi Aetium prælio superasset, paucos post dies morbo extinctus est.

Aetius vero cum deposita potestate in agro suo degeret, ibique eum quidam inimici ejus repentino incursu opprimere tentassent, profugus ad Urbem atque illinc ad Dalmatiam, deinde per Paononias ad Chunos pervenit; quorum amicitia auxilioque usus, pacem Principum & jus interpolatæ potestatis obtinuit.

THEODOSIO XIV. ET MAXIMO.

Colliguntur omnes anni usque ad Consulatum Theodosii XIV. & Maximi.

A XV. Tiberii anno & Passione Domini, anni CCCCVI.

Ab instauratione Templi sub Dario, anni DCCCCLIV.

Ab Olympiade prima & Isaia Propheta, anni CCX.

A Salomone & prima ædificatione templi, anni MCCCCLXVI.

A Moyse & Cecrope Rege Atticæ, anni MDCCCCXC.

Ab Abraham & regno Nini & Semiramidis, anni MMCCCCL.

A Diluvio autem usque ad Abraham, anni MLXXI.

Ab Adam vero usque ad Diluvium, anni MMCCXLII.

Sunt itaque ab Adam usque ad tempus suprascriptorum Consulum quinquies mille DCCLXIII.

ASPARE ET AREOBINDA.

THEODOSIO XV. ET VALENTINIANO IV.

Pax facta cum Vandalis, data eis ad inhabitandum, per Trigetium, Africæ portione, Hippone, III. Idus Februarii.

Eodem tempore Gundicarium Burgundionum Regem intra Gallias habitantem Aetius bello obtinuit, pacemque ei supplicanti dedit; qua non diu potitus est, si quidem illum Chuni cum populo suo ac stirpe deleverunt.

ISIDORO ET SENATORE.

Gothi pacis placita perturbant & pleraque municipia vicina sedibus suis occupant, Narbonensi oppido maxime infesti. Quod cum diu obsidione & fame laboraret, per Litorium Comitem ab utroque periculo liberatum est. Siquidem per singulos equites binis tritici modiis advectis, strenuissime & hostes in fugam verterit, & civitatem annona impleverit.

AETIO II. ET SIGISVULTO.

Bellum adversus Gothos Chunis auxiliantibus geritur.

In Africa Gensericus Rex Vandalorum intra habitationis suæ limites volens Catholicam fidem Ariana impietate subvertere, quosdam nostrorum Episcopos (quorum Possidius & Novatus ac Severianus clariores erant) eatenus persecutus est, ut eos privatos jure Basilicarum suarum, etiam civitatibus pelleret, cum ipsorum constantia nullis superbissimi Regis terroribus cederet.

Valentinianus Augustus ad Theodosium Principem Constantinopolim proficiscitur, filiamque ejus in matrimonium accipit.

Per idem tempus quatuor Hispani viri, Arcadius, Probus, Paschasius, & Eutychianus, dudum apud Gensericum merito sapientiæ ac fidelis obsequii, cari clarique habebantur: quos Rex ut copulatiores sibi faceret, in Arianam perfidiam transire præcepit. Sed illi hoc facinus constantissime respuentes, excitato in rabidissimam iram Barbaro, primum proscripti, deinde in exilium acti, tum atrocissimis suppliciis excruciati, ad postremum diversis mortibus interempti, illustri martyrio mirabiliter occubuerunt.

Puer autem Paulillus nomine frater Eutychiani & Paschasii pro elegantia formæ atque ingenii admodum Regi acceptus, cum a professione atque amore Catholicæ fidei nullis minis deturbari posset, fustibus diu cæsus, & ad infimam servitutem damnatus est; ideo, ut apparet, non interfectus, ne de superata sævitia impii Regis etiam ætas illa gloriaretur.

Eodem anno piraticam Barbari fœderatorum desertores exercuerunt.

THEODOSIO XVI. ET FAUSTO.

Hoc quoque anno iidem piratæ multas Insulas; sed præcipue Siciliam vastavere.

Adversum Gothos in Gallia quædam prospere gesta.

THEODOSIO XVII. ET FESTO.

Litorius, qui secunda ab Aetio Patricio potestate Chunis auxiliaribus præerat, dum Aetii gloriam superare appetit, dumque aruspicum responsis, & dæmonum significationibus fidit, pugnam cum Gothis imprudenter conseruit; fecitque intelligi, quantum illa, quæ cum eodem periit, manus prodesse potuerit, si potioribus consiliis, quam sua temeritate uti maluisset; quando tantam ipse hostibus cladem intulit, ut nisi inconsideranter prælians in captivitatem incidisset, dubitandum foret, cui potius parti victoria adscriberetur.

Hac tempestate Julianus Eclanensis, jactantissimus Pelagiani erroris assertor, quem dudum amissi Episcopatus intemperans cupido exagitabat, multimoda arte fallendi, correctionis speciem præferens, molitus est in communionem Ecclesiæ irrepere. Sed his insidiis Xystus Papa Diaconi Leonis hortatu vigilanter occurrens, nullum aditum pestiferis conatibus patere permisit; & ita omnes Catholicos de rejectione fallacis bestiæ gaudere fecit, quasi tunc primum superbissimam hæresim Apostolicus gladius detruncavisset.

Per idem tempus Intricus reipublicæ nostræ fidelis & multis documentis bellicis habebatur.

Pax cum Gothis facta, cum eam post ancipitis pugnæ lacrymabile experimentum, humilius, quam unquam antea poposcissent.

Aetio rebus, quæ in Gallia componebantur, intento, Gensericus, de cujus amicitia nihil metuebatur, XIV. Kalendas Novembris Carthaginem dolo

dolo pacis invadit, omnesque opes ejus, excruciatis diverso tormentorum genere civibus, in jus suum vertit; nec ab Ecclesiarum despoliatione abstinens, quas & sacris vasis exinanitas & Sacerdotum administratione privatas, non jam divini cultus loca, sed suorum jussit esse habitacula; in universum captivi populi ordinem sævus, sed præcipue nobilitati & religioni infensus; ut non discerneretur, hominibus magis, an Deo bellum intulisset. Hanc autem captivitatem Carthago subiit anno postquam Romana esse cœperat, DLXXXV.

VALENTINIANO AUGUSTO V. ET ANATOLIO.

Defuncto Xysto Episcopo, quadraginta amplius diebus Romana Ecclesia sine Antistite fuit, mirabili pace atque patientia, præsentiam Diaconi Leonis expectans, quem tunc inter Aetium & Albinum amicitias redintegrantem Galliæ detinebant; quasi ideo longe esset abductus, ut & electi meritum, & eligentium judicium probaretur. Igitur LEO Diaconus legatione publica accitus, & gaudenti patriæ præsentatus XLIII. Romanæ Ecclesiæ Episcopus ordinatur.

Gensericus Siciliam graviter affligens, accepto nuntio de Sebastiani ab Hispania ad Africam transitu, celeriter Carthaginem redit; ratus periculosum sibi ac suis fore, si vir bellandi peritus recipiendæ Carthagini incubuisset. Verum ille amicum se magis, quam hostem videri volens, diversa omnia apud Barbari animum, quam præsumpserat, reperit; eaque spes causa illi maximæ calamitatis, & infelicissimæ mortis fuit.

CYRO V. C. CONSULE.

Theodosius Imperator bellum contra Vandalos movet, Ariobinda, & Anaxilla, atque Germano ducibus cum magna clade directis; qui longis cunctationibus negotium differentes, Siciliæ magis oneri, quam Africæ præsidio fuere.

DIOSCORO V. C. ET EUDOXIO.

Chunis Thraciam & Illyricum sæva populatione vastantibus, exercitus, qui in Sicilia morabatur, ad defensionem Orientalium Provinciarum revertitur.

Cum Genserico autem a Valentiniano Augusto pax confirmata, & certis spatiis Africa inter utrumque divisa est.

In Gensericum de successu rerum etiam apud suos superbientem quidam optimates ipsius conspiraverunt, sed molitione detecta, multis ab eo suppliciis excruciati atque extincti sunt: cumque idem audendum etiam ab aliis videretur, tam multis Regis suspicio exitio fuit, ut hac sui cura plus virium perderet, quam si bello superaretur.

MAXIMO II. ET PATERIO.

Hoc tempore plurimos Manichæos intra Urbem latere diligentia Papæ Leonis innotuit: qui eos de secretis suis erutos, & oculis totius Ecclesiæ publicatos, omnes dogmatis sui turpitudinem damnare fecit & prodere; incensis eorum codicibus, quorum magnæ moles fuerant interceptæ. Quæ cura viro sancto divinitus, ut apparuit, inspirata, non solum Romanæ urbi, sed etiam universo Orbi plurimum profuit. Siquidem confessionibus in Urbe captorum, qui Doctores eorum, qui Episcopi, quive Presbyteri, in quibus Provinciis, vel civitatibus degerent, patefactum sit; multique Orientalium partium Sacerdotes industriam Apostolici Rectoris imitati sunt.

THEODOSIO XVIII. ET ALBINO.

Hoc anno Pascha Domini IX. Kalendas Maji celebratum est; nec erratum est, quia inde XI. Kalendarum Majarum dies Passionis fuit, ob cujus reverentiam Natalis Urbis Romæ, sine Circensibus transiit.

Attila Rex Hunnorum Bledam fratrem & consortem in regno suum perimit, ejusque populos sibi parere compellit.

VALENTINIANO VI. ET NONIO.
AETIO III. ET SYMMACHO.
CALLEPIO ET ARDABURE.
POSTHUMIANO ET ZENONE.
ASTURIO ET PROTOGENE.

Hoc tempore Eutychiana hæresis exorta est auctore Eutyche quodam Presbytero, qui apud Constantinopolim Monasterio celeberrimo præsidebat, prædicans JESUM CHRISTUM Dominum nostrum, Beatæ MARIÆ Virginis filium, nihil maternæ habuisse substantiæ, sed sub specie hominis solam in eo Verbi Dei fuisse naturam. Ob quam impietatem a Flaviano ejusdem Urbis Episcopo, quia corrigi noluit, condemnatus est. Sed fidens amicitia reg[illegible] Aulicorum favore, ab universali Synodo se p[illegible]oscit audiri, annuente Imperatore Theodosio, qui ob hujus causæ retractationem omnes Episcopos jussit Ephesum convenire.

In quo Concilio Dioscorus Alexandrinus Episcopus primatum sibi vindicans, absoluto Eutyche in Flavianum Episcopum Constantinopolitanum damnationis sententiam tulit: reclamante Hilaro Diacono Ecclesiæ Romanæ, qui vice sancti Leonis Papæ cum Julio Episcopo Puteolano a sede Apostolica fuerat destinatus. Nam cum omnes Episcopi in Concilio constituti, vi & metu Comitum, vel militum, quos Dioscoro Alexandrinæ Urbis Episcopo attribuerat Imperator, compellerentur huic hæresi accommodare consensum, memoratus Diaconus inter tot vitæ pericula constitutus, voce contradictionis emissa, cum in ejus propter hoc perniciem sæviretur, relictis illic omnibus suis; latenter abscessit, ut præfato Papæ, vel ceteris Italiæ Sacerdotibus, qualiter ibi Catholica Fides fuerat violata, sua delatione promeret.

Sanctus vero Flavianus, inter manus eorum, a quibus in exilium ducebatur, glorioso ad Christum fine transivit.

VALENTINIANO VIII. ET AVIENO.

Theodosio Imperatore diem functo & Chrysaphio præposito, qui amicitia Principis male usus fuerat, interempto, MARCIANUS consensione totius exercitus suscepit regnum; vir gravissimus, & non solum reipublicæ, sed etiam Ecclesiæ pernecessarius.

Hujus edictis Apostolicæ sedis auctoritatem secutis, Synodus Ephesina damnatur, & apud Calchedonem celebrari Concilium Episcopale decernitur, ut correctis venia mederetur, & pertinaces cum hæresi depellerentur.

Placidia defuncta est quinto Kalendas Decembris.

MARCIANO AUGUSTO ET FLAVIO ADELFIO

Attila post necem fratris, auctus opibus interempti, multa vicinarum sibi gentium millia cogit in bellum, quod Gothis tantum se inferre, tanquam custos Romanæ amicitiæ denunciabat. Sed cum transito Rheno sævissimos ejus impetus multæ Gallicanæ urbes experirentur, cito & nostris & Gothis placuit, ut furori superborum hostium consociatis

ſociatis exercitibus repugnaretur. Tantaque Aetii Patricii providentia fuit, ut raptim congregatis undique bellatoribus viris, adverſæ multitudini non impar occurreret. In quo conflictu qoamvis neutris cedentibus inæſtimabiles ſtrages commorientium factæ ſint; Chunos tamen eo conſtat victos fuiſſe, quod amiſſa præliandi fiducia, qui ſuperfuerant, ad propria reverterunt.

HERCVLANO ET SPORATIO.

Attila redintegratis viribus, quas in Gallia amiſerat, Italiam ingredi per Pannonias intendit, nihil duce noſtro Aetio ſecundum prioris belli opera proſpiciente; ita ut ne cluſuris quidem Alpium, quibus hoſtes probiberi poterant, uteretur, hoc ſolum ſpei ſuis ſupereſſe exiſtimans, ſi ab omni Italia cum Imperatore diſcederet. Sed cum hoc plenum dedecoris & periculi videretur, continuit verecundia metum, & tot nobiliom Provinciarum latiſſima everſione credita eſt ſævitia & cupiditas hoſtilis expleta: nihilqne inter omnia conſilia Principis ac Senatus, Populique Romani ſalubrius viſum eſt, quam ut per legatos pax truculentiſſimi Regis expeteretur.

Suſcepit hoc negotium c[illegible] viro Conſulari Avieno, & viro Præfectorio Trigetio, beatiſſimus Papa Leo, auxilio Dei fretus, quem ſciret nunquam piorum laboribus defuiſſe. Nec aliud ſecutum eſt quam præſumpſerat fides. Nam tota legatione dignanter acceptæ, ita ſummi Sacerdotis præſentia Rex gaviſus eſt, ut & bello abſtineri præciperet, & ultra Danubium promiſſa pace diſcederet.

OPILIONE V. C. CONSVLE.

Synodus Calchedonenſis peracta, Eutyche Dioſcoroque damnatis: omnes autem qui ſe ab eis retraxerunt, in communionem recepti, confirmata univerſaliter fide, quæ de Incarnatione Verbi ſecundum Euangelicam & Apoſtolicam doctrinam per ſanctum Papam Leonem prædicabatur.

Attila in ſedibus ſuis mortuo, magna primum inter filios ipſius certamina de obtinendo regno exorta ſunt; deinde aliquot gentium quæ Chunis parebant, defectus ſecuti, cauſas & occaſiones bellis dederunt, quibus ferociſſimi populi mutuis incurſibus contererentur.

Apud Gothos intra Gallias conſiſtentes, inter filios Theodorici Regis, quorum Thoriſmodus maximus natu patri ſucceſſerat, orta diſſenſio eſt: & cum Rex ea moliretur, quæ & Romanæ paci, & Gothicæ adverſarentur quieti, a germanis ſuis, quia noxiis diſpoſitionibus irrevocabiliter inſtaret, occiſus eſt.

AETIO ET STVDIO.

Inter Valentinianum Auguſtum & Aetium Patricium, poſt promiſſæ invicem fidei ſacramenta, poſt pactum de conjunctione filiorum, diræ inimicitiæ convaluerunt; & unde fuit gratia caritatis augenda, inde exarſit fomes odiorum, incentore (ut creditum eſt) Heraclio Spadone, qui ita ſibi Imperatoris animum inſincero famulatu adſtrinxerat, ut eum facile in quæ vellet impelleret.

Cum ergo Heraclius ſiniſtra omnia Imperatori de Aetio perſuaderet, hoc unum creditum eſt ſaluti Principis profuturum, ſi inimici molitiones ſuo opere præoccupaſſet. Unde Aetius, dum placita inſtantius repetit, & cauſam filii commotius agit, Imperatoris manu & circumſtantium gladiis crudeliter confectus eſt, Boethio Præfecto Prætorio ſimul perempto, qui eidem multa amicitia copulabatur.

VALENTINIANO VIII. ET ANTHEMIO.

Mortem Aetii mors Valentiniani non longo poſt tempore conſecuta eſt, tam imprudenter non declinata, ut interfector Aetii amicos armigeroſque ejus ſubimet conſociaret; qui concepti facinoris opportunitatem diſſimulanter aucupantes egreſſum extra Urbem principem, & ludo geſtationis intentum inopinatis ictibus confoderunt, Heraclio ſimul, ut erat proximus, interempto, & nullo ex multitudine Regia ad ultionem tanti ſceleris accenſo.

Ut autem hoc parricidium perpetratum eſt, MAXIMVS, vir gemini Conſulatus, & Patriciæ dignitatis, ſumpſit Imperium: qui cum periclitanti Reipublicæ per omnia profuturus crederetur, non ſero documento quid animi haberet probavit; ſi quidem interfectores Valentiniani non ſolum non plecterit, ſed etiam in amicitiam receperit, uxoremque ejus Auguſtam, amiſſionem viri lugere prohibitam, intra pauciſſimos dies in conjugium ſuum tranſire coegerit.

Sed hac innocentia non diu potitus eſt: nam poſt alterum menſem nunciato ex Africa Genſerici Regis adventu, multiſque nobilibus, ac popularibus ex Urbe fugientibus, cum ipſe quoque, data cunctis abeundi licentia, trepide vellet abſcedere, ſeptuageſimo ſeptimo adepti Imperii die a famulis Regiis dilaniatus eſt, & membratim dejectus in Tiberim ſepultura quoque caruit.

Poſt hunc Maximi exitum confeſtim ſecuta eſt multis digna lacrymis Romana captivitas, & Urbem omni præſidio vacuam Genſericus obtinuit, occurrente ſibi extra portas ſancto Leone Epiſcopo; cujus ſupplicatio ita eum Deo agente lenivit, ut cum omnia poteſtatis ipſius eſſent, tradita ſibi civitate, ab igne tamen & cæde atque ſuppliciis abſtineretur.

Per quatuordecim igitur dies ſecura & libera ſcrutatione omnibus opibus ſuis Roma vacuata eſt, multaque millia captivorum, prout quique, aut ætate, aut arte placuerunt, cum Regina & filiabus ejus Carthaginem abducta ſunt.

Eodem anno Paſcha Dominicum die VIII. Kalendas Maji celebratum eſt, pertinaci intentione Alexandrini Epiſcopi, cui omnes Orientales conſentiendum putaverunt, quamvis ſanctus Papa Leo XV. Kalendas Maji potius obſervandum proteſtaretur. Extant ejuſdem Papæ epiſtolæ ad clementiſſimum Principem Marcianum datæ, quibus ratio veritatis ſollicitatæ evidenter patefacta eſt, & quibus Eccleſia Catholica inſtrui poteſt, quod hæc perſuaſio ſtudio unitatis & pacis tolerata ſit potius quam probata, nunquam deinceps imitanda, ut, quæ exitialem attulit offenſionem, omnem in perpetuum perdat auctoritatem.

In Codice quo uſus ſum, nonnulla etiam hac in parte occurrerunt diverſæ Lectiones: ſed non tanti viſa ſunt momenti, ut nos vel tantillum hic remorari debeant. Pluſcula ex collatione Auguſtani Proſperi ab Henrico Caniſio editi ſedulis Lectoribus poterant exhiberi. Verum quæ in eo codice Conſulatum Valentiniani VI. ac Nonii ſequuntur, & ſtylo ipſo diſcrepant a Proſpero, & Urbem captam a Genſerico Vandalorum Rege excedunt, quæ tamen finis Proſperi Aquitani Chronico auctoribus Gennadio Maſſilienſi & Victore Tunnonenſi præſcribi debet. Ipſa certo Chronici illius concluſio ex Auguſtana Bibliotheca membranis publicata, non pertinet ad Urbem captam a Genſerico, quam re[illegible]t Gennadius, ſed ad regni Vandalici excidium, quod multo poſt Gennadium accidit.

Collecta ergo omnis ſumma annorum ab Adam uſque

usque ad Vandalorum perditionem fiunt anni quinquies mille septingenti triginta tres.

At de Prospero consulant eruditi aureolum opusculum R. P. Jacobi Sirmondi τῦ μακαρίτυ de Historia Prædestinatiana capite 5.

De Mario vero, Lausanensi, sive Aventicensi, ut creditur, Episcopo, Chronici seu Appendicis ad Prosperi Chronicon adjecta auctore, qua R. P. Petrus Franciscus Chiffletius præfatur pag. 210. tomi primi scriptorum Franciæ ab Andrea Duchesnio editorum. Nos Marianum illud Chronicon ejusque Auctarium cum MS. codice diligenter contulimus & pauca hæc duntaxat observavimus. Pag. 211. & levatus est Severus Imperator Ravennæ: & linea ultima, in Laureto. Pag. 212. extrema, Symmachus Patricius Ravennæ. Pag. 213. Belisarius Sacrosancta loca, Justiniano Augusto præsentavit. Pag. 214. Narsete & Cholothacarius semper. Pag. 215. Magnacharius, Alboenus, Longobardi. Pag. 216. Cabillonno & in Auctario eadem pagina: Gothi Recaredo Rege intendente ad Fidem Catholicam revertuntur. Phocas nobilium multos interemit. Pag. 217. cum avia sua Brunechilde, deinde camelo inposita, multis fui spectaculum præbuit, &c.

EIUSDEM ALTERIUSVE

PROSPERI CHRONICON.

Editio Pithœana emendata multis in locis, ex collatione Codicum MSS.

IGITUR Valente a Gothis in Thracia concremato, Gratianus cum fratre Valentiniano regnat annos sex. Hic parvulum fratrem habens regni consortem, probatæ ætatis virum Theodosium in societatem regni ascifcit. Hic Gratianus valde religioni favens & Ecclesiis per omnia promptus fuit *a*.

Martinus Turonensium Episcopus Apostolicis virtutibus insignis habetur.

Theodosius in Orientis partibus lassam Rempublicam reparavit *b*.

Maximus Tyrannus in Britannia a militibus Imperator constituitur *c*.

Incursantes Pictos & Scotos Maximus strenue superavit *d*.

Priamus quidam regnat in Francia, quantum altius colligere potuimus.

Ambrosius libros contra Arrianorum perfidiam luculentissimos ad Gratianum Augustum scribit *e*.

Maximus in Gallias transfretavit, & conflictu contra Gratianum habito, eundem fugitantem Lugduni interfecit *f*.

Theodosius annis XI. *g*.

Maximus timens Orientalis Imperii Principem Theodosium, cum Valentiniano foedus iniit.

Apud Treveros Manichæi deprehensi, summo Maximi studio exterminati.

Justina mater Valentiniani Arrianis favens in Ambrosium, & omnem Mediolanensem Ecclesiam diversa injuriarum genera congerit *h*.

Reliquiæ Gervasii & Protasii Martyrum ab Ambrosio primum Mediolani repertæ.

Hymni Ambrosii compositi, qui nunquam ante in Ecclesiis Latinis, modulis canebantur.

Maximus indignum ducens contra Ecclesiæ statum agi, locum irrumpendi quod cum Valentiniano junxerat foedus, invenit. Valentinianus veritus imminentem jam cervicibus suis Tyrannum, ad Theodosium confugit *i*.

k Honorius & Arcadius XXXII. CCCC.

Theodosius & Johannes. XXV. & XXIII.

Valentinianus & Martianus. III. CCCC. XXV.

Augustinus Mediolani Rhetoricam adprime docens, omissis scholis ad fidem rectam convertitur, cum ante Manichæus fuisset.

Theodosius cum exercitu ad Italiam transgrediens, Maximum interfecit, & Valentinianum proprio regno reddidit *l*.

Justina, quæ Ecclesias vexaverat, ne regnum cum filio reciperet, morte præventa est.

Immane Thessalonicæ gestum facinus extincti populi, egregio poenitentiæ exemplo Imperator religiosus eluit.

Hæresis Apollinaristarum ab Apollinare coepta *m*.

Arriani qui totum poene Orientem atque Occidentem commaculaverant, edicto gloriosi Principis Ecclesiis spoliantur, quæ Catholicis deputatæ sunt.

Joannes Ægyptius Monachus, qui ob vitæ puritatem prophetiæ gratiam a Domino meruit, insignis habetur *n*.

Post Damasum Romanæ Ecclesiæ regimen XXXVI. Syricius suscepit.

Apud Alexandriam defuncto Petro Timotheus, & post hunc Theophilus Episcopi constituuntur.

Jerosolymis post Cyrillum Joannes Ecclesiam recipit.

Apud Antiochiam defuncto Meletio substituitur Flavianus.

Ingens inter nostros contentio oborta, quod scilicet Episcopi, qui ab hæreticis depulsi fuerant, nollent

a Gratianus I. *b* II. *c* III. *d* IV. *e* V. *f* VI.
g Theodosius I. *h* II. *i* III.

k Hæc putantur translata ex margine.
l IV. *m* V. *n* VI.

X

nollent his ab Imperatore dejectis, alios, quam se, substitui sacerdotes.

Terribile in cœlo signum, columnæ per omnia simile apparuit.

Apud Alexandriam templa destructa, in quibus Serapis antiquissimum & notissimum templum, quod quasi quædam columna ruentem sustinebat idololatriam *o*.

Valentinianus Viennæ ab Arbogaste Comite suo extinguitur: in cujus locum tyrannidem Eugenius invadit *p*.

Ad vindicandam Eugenii tyrannidem Theodosius in Italiam transgreditur, aperto Dei favore conspirantibus in idipsum elementis *q*.

Eugenio superato, Theodosius XI. regni sui anno diem obit.

Arcadius & Honorius XXXII. annis *r*.

Constantinopolis eminentem iram Dei, igne super nubem terribiliter fulgente formidans, toto ad pœnitentiam animo conversa subterfugit.

Rufinus Bosphoritanus, cum ad summam militiæ pervenisset, præferri sibi Stiliconem non ferens, ab eodem interficitur, Hunnorum, quo fulciebatur, *ſ* præsidio superato.

Claudianus Poeta admiratione dignus habetur.

Gildo Africa in rebellione commota, consueta Romanis stipendia subtraxit *t*.

Prudentius Lyricus Poeta noster, Hispanus genere, illustre ingenii sui robur exercet.

Stilico Magister militiæ Gildonem Mauritaniæ interfecit, Africa ad pristinum jus redacta. *u*.

Romanæ Ecclesiæ cathedram XXXVII. Innocentius tenet.

Toto orbe Romano antiquæ superstitionis templa destructa *x*.

Paulinus, Nolanus postmodum Episcopus, admirabili exemplo venditis omnibus, cum esset Dominus innumerabilium prædiorum, religionem expeditus elegit.

Joannes Constantinopolites Episcopus dictis factisque clarescit *y*.

Martinus post egregie actam vitam corpore exuitur.

Pelagius vesanus doctrina execrabili Ecclesias commaculare conatur *z*.

Contentio ex doctrina Origenis synodum apud Alexandriam movit, cujus exutit sententia, ut extra Ecclesiam fieret quicunque supradicti viri opera probavisset *a*.

Solis facta defectio *b*.

Augustinus plurima libris innumerabilibus disserit.

Severus ex disciplina sancti Martini ejus vitam tribus explicat libris *c*.

Sæva Italiæ barbarici motus tempestas incubuit. Siquidem Radagajus Rex Gothorum Italiæ limitem vastaturus transgreditur. Ex quo Arriani, qui Romano procul fuerant orbe fugati, barbararum nationum, ad quas se contulere, præsidio erigi cœpere *d*.

Multis ante vastatis urbibus,. Radagajus occubuit: cujus in tres partes per diversos Principes divisus exercitus, aliquam repugnandi Romanis aperuit facultatem. Insigni triumpho exercitum tertiæ partis hostium, circumactis Hunnorum auxiliaribus, Stilico usque ad internecionem delevit *e*.

Arcadius Orientis Imperium gubernans vitam explet, parvum admodum Theodosium filium Imperii successorem relinquens *f*.

Cœlestinus XXXVIII. Romanam Ecclesiam gubernavit.

Diversarum gentium rabies Gallias dilacerare exorsa, immissu quam maxime Stiliconis indigne ferentis filio suo regnum negatum *g*.

Uticæ in foro Trajani terra diebus septem mugitum dedit *h*.

Inter alia multum reipublicæ Stiliconis morte consultum est, qui saluti Imperatoris tendebat insidias.

Nestorius Constantinopolites Episcopus ad hæresim quæ in Christo Deum ab homine separat, vertitur.

Joannes Comes Africæ occisus est a populo *i*.

Proculus Massiliensis Episcopus clarus habetur, quo annuente, magna de suspecto adulterio Remedii Episcopi quæstio agitatur.

Hac tempestate præ *k* valitudine Romanorum vires funditus attenuatæ Brittanniæ.

Saxonum incursione devastatam Galliarum partem Wandali atque Alani vastavere: quod reliquum fuerat, Constantinus tyrannus obsidebat *l*.

Hispaniarum partem maximam Suevi occupavere.

Ipsa denique orbis caput Roma deprædationi Gothorum fœdissime patuit.

Constantinus tyrannus occiditur *m*.

Rursum alia prædatio Galliarum, Gothis, qui Alarico duce Romam ceperant, Alpes transgredientibus *n*.

Jovinus tyrannidem post Constantinum invadit *o*.

Industria viri strenui, qui solus tyranno non cessit, *p* Dardani, Atauulfus, qui post Alaricum Gothis imperabat, a societate Jovini avertitur.

Salusthus quoque & Sebastianus occisi.

Valentia nobilissima Galliarum civitas a Gothis effringitur, ad quam se fugiens Jovinus contulerat.

Ingens in Galliis fames *q*.

Aquitania Gothis tradita.

Patroclus Arelatensis Episcopus infami mercatu sacerdotia venditare ausus.

Heraclianus Comes Africæ, qui in Romanæ urbis reparationem strenuum exhibuerat ministerium, nova quædam molitus interimitur.

in ſingulis quibuſque Kalendis Januariis per annos DCCCLXIII. deſignat, poſtremis tantum annis, quibus Auctor vivebat, cum mediis Lunæ motibus concordat, a quibus tamen quo magis in anteriora ſæcula aſcendit, eo magis etiam atque etiam exorbitat, ob defectum Cycli, quo ea ætate Latini Patres & ipſa etiam Romana Eccleſia utebatur, ad Neomenias Paſchales perpetua methodo indicandas. Hoc, quod in hiſce Faſtis præcipuum ac ſingulare eſt, diligentius exponam, cum Anonymi methodum ad Lunationes illas, tot ſæculorum ſpatio deſignandas, viri eruditi neutiquam aſſecuti fuerint. Nam Cuſpinianus, qui Faſtos illos ſuis in pluteis habuit, ſcribit ad A. V. 248. in öſdem recitari *nomina Planetarum cum quibuſdam numeris, quos neque intelligere potui, nec hactenus qui intellexiſſet, reperi.* Verum quod illi numeri ſingulis quibuſque annis per undecim ſuccreſcunt, idem Cuſpinianus ad A. V. 786. ait: *Auctor ignotus, ubi ſola nomina Conſulum cum diebus & Epactis ſcribuntur, alium ordinem continet.* Ita eos numeros eſſe Epactas tandem intellexit. Scaliger lib. 5. de emend. Temp. pag. 370. vocat illos Faſtos *Paſchale magnum*, ac plura de eodem comminiſcitur, uti etiam lib. 3. can. Iſagog. pag. 276. ſcribens eas Epactas juxta regulas Cycli Dionyſiani collectas; quæ tamen in priori pagina erratorum expungens, cenſet *numeros illos pertinere ad Cyclum Lunarem Julii Caſaris, & Epactas ejus eſſe.* Petavius lib. 10. doctr. Temp. cum integro capite 20. Scaligeri commenta erudite exploſiſſet, ſcite monuit ex paucis illis laterculis a Cuſpiniano recitatis nihil certi colligi poſſe, remque in medio reliquit. Et hi quidem Scriptores Cuſpiniani editionem ſecuti, ita initium Faſtorum recitant:

Bruto & Collatino	*Lun. XXIX.*
Publicola II. & Tricipitino.	*Mar. X.*

Verum ſive Cuſpiniani ſive Typographi errore, prior Epactarum numerus in medio cubat; ſiquidem in autographo legitur: *Lun. XXIIX.* & anno proximo: *Mar. X.* ubi Epactæ duodeno numero augeotur, quod annus ille erat Cycli XXXVI, in quo ob ſaltum Lunæ unius diei exæreſis fiebat; unde cum Neomeniæ uno die anticiparentur, proximis Kalendis Januariis Lunæ ætas uno die auctior evadebat, ut mox oſtendo. Ægidius Bucherius cum a pag. 247. laudati operis prolixum eorundem Faſtorum fragmentum, per annos centum ac quinquaginta digeſtum, recitaſſet, ingenue fatetur, ſignatas ibidem Epactas ſibi ignotas eſſe: *neque enim*, inquit, *earum mihi methodus ratione perſpecta.* At illæ collectæ ſunt juxta methodum Cycli annorum LXXXIV. quem idem Bucherius plurim veterum Patrum teſtimoniis illuſtrat, ut plane mirer viro erudito ex tot Lunationibus ibidem deſcriptis, id quod erat, neutiquam ſuboluiſſe.

In præcipuo Chriſtianæ religionis feſto Paſchali rite celebrando tria obſervanda eſſe notat S. Epiphanius ad Hæreſim LXX. Audianorum, nempe ut perageretur die Dominica, quæ poſt vernum Æquinoctium primum Plenilunium ſive Lunam XIV. ſubſequebatur. Itaque duobus Cyclis opus erat, quorum unus diem Dominicam, quæ Solis antea dicebatur, proderet; alter vero primam Lunam XIV. poſt vernum Æquinoctium indicaret. Alexandrinorum Eccleſia vel ante imperium Diocletiani, uti colligimus ex Euſebio lib. 7. cap. 32. Enneadecaeteride, id eſt, Cyclo annorum XIX. utebatur, quem a Metone inſigni Aſtronomo anno IV. Olympiadis LXXVI. Urbis Romæ 281. publice propoſitum, Calippus poſtea, ac iterum rectius Hipparchus reformaverant. Hoc Cyclo poſt undeviginti annos, putabant Solis Lunæque motus in concordiam redire, ac paria facere. Nam anni Solares XIX. ſunt dies 6939. & horæ 18. Lunares vero itidem XIX. quos inter ſeptem erant Embolimi, ſunt dies 6939. horæ 16. 32'. 27". 18"'. ut deſit ad Solares periodos aſſequendas hora cum minutis 27. 32". 42"'. Quæ levior in eo annorum ſpatio differentia aut neglecta, aut non obſervata, facit, ut poſt annos 304. Lunationes horis 23. anticipent. Verum quamvis in eo Cyclo poſt annos XIX. intra 300. annos Solis Lunæque motus ſecum invicem politice ac civiliter convenirent, non tamen idem Feriarum ordo ab eodem capite in ſingulis quibuſque Cyclis inſtaurabatur. Hinc Latini Patres Græcorum Enneadecaeteride omiſſâ, aliud annorum ſyſtema induxerunt, quo non modo Solis Lunæque curſus ad idem caput, unde deducti fuerant, rurſus redirent; verum etiam Feriarum ſive dierum hebdomadis apocataſtaſis perpetua lege inſtauraretur. Enimvero Cyclum annorum LXXXIV. adhibentes, Solis Lunæque epilogiſmos, ac Feriarum parem ſemper ordinem in orbem redire exiſtimarunt. Et quidem quod ad Feriarum apocataſtaſim attinet, rem plane conſecuti ſunt; ſiquidem cum Periodus annorum 84. tres Solis cyclos contineat, iiſdem abſolutis, idem dierum hebdomadis ſive Feriarum ordo inviolata lege repetitur; unde in Faſtis Anonymi primus cujuſque novi Cycli annus a die *Saturni* exorditur, ut ſuſpicari poſſumus eundem ab Hebræis primum conſtructum; cum præſertim S. Epiphanius Hæreſim LI. Alogorum Judæos Cycli annorum 84. auctores faciat, idemque Latinis exprobret, S. Cyrillus in ſuo prologo Paſchali. Præterea eundem etiam Lunationum ordinem ejus pariter Cycli methodo reſtitui, ex Anonymi Faſtis intelligitur, in quibus *Luna prima* initio cujuslibet novi Cycli prænotatur, pariſque ætatis ſingulæ quæque Lunæ Kalendarum Januarii in omnibus Cyclis ſeſe invariato prorſus ordine perpetuo conſequuntur. Hinc, quæ maxima ejuſdem Cycli utilitas cenſebatur, Paſcha iiſdem omnino diebus in omnibus illius Periodi repetitionibus recurrere credebatur. Proſper in integro Chronico a Labbeo publicato tom. 1. Biblioth. MSS. pag. 26. ſcribit: *Tiberio II. & Vitellio. Initium Cycli primi.* Et quarto ab illis Conſulibus anno ait: *Vetere & Nerviliano. Paſchalis Cycli ratio ab his Conſulibus incipit per annos XXCIV, & ad eandem legem revertens.* Priores Conſules fuere A. V. 800. Chriſti 47. poſteriores A. V. 803. Chriſti 50. Quod initium ejuſdem Cycli ob luxata Conſulum collegia non ab omnibus ab eodem conſulatu deducebatur, ideo bis illius exordium in eo Chronico recenſetur, & quidem perperam utrobique. Recte vero in Faſtis noſtri Anonymi A. V. 799. Chriſti 46. initium Cycli recenſetur: *Aſiatico II. & Silano, Sat. I.* Rurſus pag. 30. Proſper ait: *Pontiano & Rufino. Finis Cycli primi & ſequentis exordium;* videlicet A. V. 884. Chriſti 131. Jam vero a Tiberio Claudio IV, ac Vitellio III. Coſſ. in Chronico Proſperi ad Pontiani ac Rufini conſulatum excluſive anni 80. numerantur, qui a Vetere & Nerviliano collecti, ſunt ſolummodo unus & octoginta. Ita ejus Chronici anachroniſmus apparet. At Anonymus in Faſtis A. V. 883. ſcribit: *Catulino & Apro, Sat. I.* ubi optime ſervato Cycli numero, novam Periodum exorditur. Præterea Proſper pag. 31. ait: *Meſſala & Sabino. Finis Cycli ſecundi, & initium tertii.* Anonymus A. V. 267. Chriſti 214. ſcribit: *Meſſala & Sabino. Sat. I.* Ubi die Saturni a Luna prima novum Cyclum inchoat. In Proſperi Chronico ab initio Cycli, quem *ſecundum* vocat, ad ejuſdem

dem exitum paria Consulum 86. numerantur. Nam ibidem pag. 32. hosce Consules recenset:

Vere II. & Bradua.
Antonino III. & Aurelio III.
P. C. Antonini III. & Aurelii III.
Duobus Augustis.

Ubi binos consulatus fictitios infarcit, cum ab Anonymo optime A. V. 913. scribatur:

B *Bradua & Varo,* *Lun. III.*
Duobus Augustis, *Mer. XIIII.*

Eosdem erratos Consulum latereulos suo Canoni Paschali Victorius Aquitanus inseruit, quippe qui Chronici Prosperiani Consules exscripsit; Victorii vero depravata Consulum collegia Cassiodorus suum in Chronicon deportavit. Rursus Prosper pag. 39. scribit: *Fausto & Gallo. Finis Cycli tertii, quartique principium.* His etiam Consulibus Anonymus novum Cyclum exorditur, cujus anno 57. Fastis finem imposuit. Idem vero ex celebri id temporis, ut ex Prospero ostendi, Paschali Latinorum Cyclo, quo Lunam XIV. Paschalem designabant, ætatem quoque Lunæ Kalendis Januariis, quibus novi Consules annum aperiebant, continuata serie suismet Fastis inseruit, & unus laudati Cycli methodum posteris conservavit, cum quaotitas Lunæ in Kalendis Januariis ceteras totius anni syzygias Lunares certissime indicet. Petavius in notis Epiphanianis ad Hæresim Alogorum pag. 166. typum proponit Judaici Cycli annorum 84. Bucherius etiam pag. 427. alterius, ut a Latina Ecclesia frequentati, formam in tabulis expansis exhibet, cujus annum primum Embolimum, tertium simplicem obtrudit, diesque abundantes pro arbitrio inserit, cum ex Fastis Anonymi primus annus Periodi sit communis, tertius Embolimus, quorum plane ordo alius fuit ab eo, quo Bucherius tabulas illas concinnavit.

In Cyclis Lunisolaribus dies annorum Bissextiles neutiquam numerabantur, quamvis eorundem ratio alias haberetur. Id factum, ne Aurei numeri in Cyclis adsignata semel iisdem sede dimoverentur, & intercurrente Bissexto, in superiorem locum retrocederent. Hinc in veterum Cyclis iidem Aurei numeri eodem die in mensibus Januario ac Martio Novilunia, invariato prorsus ordine, semper designant, ut plane pateat, dies Bissextiles in methodicis Cyclis in numerum non venisse, ut cum ceteris docet Clavius cap. 8. Calendarii Gregor. num. 8. quod postea ex Cyclo Anonymi ostendam, quem modo expono. Anni solares Juliani LXXXIV. sunt dies 30681. quo temporis spatio dies Bissextiles unus ac viginti iotercurrunt, qui si dato numero detrahantur, remanent dies 30660. in annis Julianis octoginta quatuor. Auctor est S. Cyrillus in prologo Paschali, quem Latinum tantum habemus, conditores Ogdoecontatessaracteridos sive Cycli annorum 84. eundem *per sex quatuordecennitates*, ita Interpres Tessaradecaeteridas Latine vertit, collegisse, nempe per sex minores Cyclos, singulos annorum XIV. siquidem quatuordecim sexies ducta, fiunt octoginta quatuor. Hinc integro Cyclo dierum Solarium 30660 in sex pares minores Cyclos partito, remanent in singulis hisce Cyclis dies 5110. Jam vero quatuordecim anni Lunares ita disponebantur, ut essent in iisdem anni IX. simplices, quorum singuli continebant dies 354. ita ut junctim darent dies 3186. Præterea in eo minori Cyclo quinque menses erant Embolimi, singuli ex diebus 384. quorum collectim dies erant 1920. ut totius

A Lunaris Cycli annorum XIV. dies fierent 5106. Porro singuli Cycli reliquas in exitu habebant Epactas quinque, quæ collectæ in fine sextæ Tessaradecaeteridos, sextum in eadem Embolimum mensem constituebant. At dies, qui numerabantur in singulis sex Cyclis minoribus 5106. sexies ducti, erant 30636. qui addito mense sexto Embolimo dierum 30. ex quinque Epactis, quas dixi, collecto, evadebant 30666. ita ut sex diebus Solarem periodum excederent. Huic excessui obviam iverunt, statuta in singulis sex minoribus Cyclis unius diei exæresi, unde sex diebus expunctis, quælibet B Tessaradecaeteris remanebat conflata ex diebus 5105. cum Epactis V. atque ea ratione totius Lunaris Cycli dies erant 30660. parique numero cum diebus Cycli Solaris, demptis Bissextilibus, decurrebant. Cicero in Verrina IV. ait: *Est consuetudo Siculorum ceterorumque Græcorum, quod suos dies mensesque congruere volunt cum Solis Lunaque ratione, ut nonnunquam, si quid discrepent, eximant unum aliquem diem aut summum biduum ex mense, quos illi ἐξαιρεσίμους dies nominant.* Alexandrina Ecclesia in celebri Enneadecaeteride, sive Cyclo annorum XIX. unum quoque diem per exæresim dissimulabat. Nam anni Juliani XIX. sine bissextilibus sunt dies 6935. Anni totidem Lunares sine fragmentis horarum 8. ac C minutorum, nempe politici ac civiles, quorum duodecim erant simplices, ac septem Embolimi, dabant dies 6936. Hinc in Cyclo decemnovennali unius diei exæresi facta, id est, uno mense alias pleno, in cavum demutato, Solis Lunæque rationes in eo Cyclo pares evadebant. Hanc diei in anno Lunari dissimulationem *Saltum Lunæ* vulgo appellarunt. Quod Alexandrini semel in Cyclo decemnovennali faciebant, hoc Auctores Cycli annorum 84. sexies in eodem, videlicet in qualibet dodecaeteride, sive duodecimo quoque anno, præstabant, uti indicavi in primo Cyclo integro in Fastis Anonymi pag. 338. & 339. illis vocibus *Saltus Lunæ*, vel compendiariis notis *S. L.* Itaque in Cyclo Ano- D nymi fit unius diei exæresis annis 12. 24. 36. 48. 60. ac 72. quod patet ex ætate Lunæ in proximis primis insequentis anni Kalendis, quæ epactas non undeno, uti alias, sed duodeno numero auctas trahit. In Fastis Anonymi annus XII. Cycli prodit Kal. Januariis Lunam II. unde abjecto, ut Computistæ veteres loquuntur, regulari Kalendarum, annus ille Lunaris cœpit die 31. Decembris; exiit die 18. alterius Decembris; cum annus XIII. Cycli habeat Epactas 13. quæ cum regulari dant Lunam XIV. in Kalendis Januarii. Cum vero a die 31. Decembris ad 18. alterius Decembris inclusive colligantur dies 353. patet eum annum unius diei exæ- E resim subire, seu in eodem saltum Lunæ factum. Hac methodo ceteri anni sive simplices sive Embolimi una die mutulati facile cognoscuntur. Beda in Ephemeridum libello pone diem 25. Novembris scribit: *Saltus Lunæ secundum aliquos.* Eo saltu Lunæ seu diei dissimulatione, mensis qui juxta alternatum plenorum ac cavorum ordinem plenus erat, cavus evadebat, ita ut junctim tres Lunares menses cavi decurrerent. Postremus anni mensis semper erat cavus; ac proinde in penultimo a quibusdam, teste Beda, fiebat saltus Lunæ, *ut si verbo tenus*, ut ait S. Cyrillus in prologo laudato, *fuerit Luna quinta, alia die non dicatur sexta, sed septima;* F quæ ipsa exæresis *Legitimus Saltus* eidem dicitur, quod Luna unum diem transiliens, a quinta saltat ad septimam. Hinc neomenia mensis primi Lunaris in superiorem diem ascendens, in Kalendis Januariis Epactas duodeno numero auctas refert; uti patet in Cyclo Anonymi in Kalendis, quæ annos XII. XXIV. XXXVI. &c. consequuntur. Huncce sal-

ce saltum Lunæ irrident Astronomi Stœfflerus propos. 34. litt. RR. Paulus Episcopus Forosempronienss lib. 9. Paulinæ, aliique, quem tamen a vetustissimis Græcorum adhibitum Cicero laudato loco testatur. Victorius Aquitanus in prolego sui Canonis Paschalis ait: *Tum deinde ii qui Cyclum annorum LXXXIV. ediderunt, duodecim peractis annis, Lunam unam, quam per idem tempus certis annuæ revolutione minutiis asserunt calculandi lege succrescere, adjiciendam legitimo cursui esse praecipiunt.* Bucherius in tract. de Judæorum Cyclo cap. 2. ex illis Victorii verbis putat, colligi diem abundantem in annis 12. ex minutiis horarum resultantem. At alius est illius Auctoris sensus. Nam eo loci statim addit alios ea incrementa lunaria ponere anno XV. alios denique *post X. & IX. annos Ægyptiorum more continuato ordine hoc augmentum Lunare subjicere.* Ad quæ verba idemmet Bucherius pag. 4. in margine scribit: *Videtur saltum Lunæ intelligere.* Ita plane: siquidem ibi narrat, quo anno Luna per saltum incrementa apud varios susciperet; scribens apud Auctores Cycli annorum 84. *duodecim peractis annis, Lunam unam adjici legitimo cursui;* quia anno Cycli XIII. Kalendis Januariis signatur *Luna XIIII.* quæ alias debebat numerari XIII. Anno Cycli XXV. notatur Luna XXVII. quæ XXVI. numeranda videbatur; quod ipsum patet in quolibet anno Cycli dodecaeteridem sequente; cum tamen Ægyptii post annos XIX. illum saltum in Cyclo servarent, uti diserte Cyrillus in prologi laudati fine testatur.

Uti vero constat ex methodo hujus Cycli annos Lunares 84. sexies Lunæ saltu interposito, nempe semel in qualibet sex Tessaradecaeteridum, totidem annis Solaribus simplicibus, id est, subtractis diebus 21. Bissextilibus, æquari; ita etiam certum est dies Bissextiles in numerum dierum Cycli non venire. Nam annus III. Cycli est Bissextilis Cyclo Solis I. litt. GF. simulque Embolimus, cujus Luna Kal. Januariis notatur XXIII. quare abjecto regulari, Epactæ XXII. indicant annum illum Lunarem inchoatum die 10. Decembris, qui desinit die 28. insequentis alterius Decembris, cum reliquas habeat Epactas III. quæ cum regulari Kalendarum Januarii produnt anno IV. Cycli Lunam IV. At a die 10. Decembris ad 28. alterius Decembris inclusive, numerantur dies 384. quot sunt in quolibet anno Embolimo. Rursus annus VIII. Cycli est Bissextilis, Cyclo Solis V. litt. BA. idemque inchoatur die 26. Decembris, & desinit die 14. alterius Decembris; ac proinde continet dies 354. Hinc inquirenda ratio videtur, qua Solaris Juliana periodus annorum 84. id est, dierum 30681. cum Lunari totidem annorum systemate conciliaretur, cum hujus dies tantum 30660. in laudato Cyclo colligerentur. Anni Juliani XIV. tres habent Bissextiles, ut Cycli hujus dies sint 5113. & horæ 12. Proxima totidem annorum periodus continet quatuor Bissextiles, ejusque dies evadunt 5114. Uno verbo: Tessaradecaeterides Julianæ impares habent tres Bissextiles, qui quatuor in paribus colliguntur; omnesque collectim in majori Cyclo annorum 84. evadunt XXI. Auctores Cycli singulis annis præter dies solidos 354. vel 384. si erant Embolimi, horas sex addebant, quæ quater & octogies multiplicatæ, sunt 504. qui numerus per 24. divisus, facit dies XXI. totidem Bissextilibus annorum Solarium 84. correspondentes. Tessaradecaeteris Lunaris impar, præter dies solidos, habebat horas 84. quarum 72. dabant dies tres, tribus ejusdem Cycli annnorum XIIII. Bissextilibus respondentes. Reliquæ horæ 12. cum horis 84. paris Tessaradecaeterides dies 3. constituebant, qui totidem solaribus Bissextilibus æquabantur. Beda cap. 39. de Temporum ratione scribit: *Palam namque apparet quadrantem, de quo sermo est, non ad Solis tantummodo, sed ad Lunæ cursum æque pertinere, quia si Lunæ quoque quadrantem accommodare negaveris, sed bissextili anno ejusdem quantitatis mensem Lunarem Februario, cui & antea solebas, aptaveris, fit profecto, ut & quartadecima Luna Paschalis ejusdem anni pridie, quam debuerat, adveniat &c.* Quadrans Lunæ Solari quadranti similis, & ex quo multiplicato, dies intercalaris succrescit, ex sex tantum horis componitur. Addit tamen Lunæ ætatem Kalendis Martiis ejusdem quantitatis statuendam esse, ac si uno die ob Bissextilem non crevisset. Petavius in Cyclo Judaico horas octo & aliquot minuta, quæ juxta Judæos residua erant ultra dies 354. anni ipsorum Lunaris, varie per annos 84. partitur, quod & in pari Cyclo, quem Prosperianum vocat, Bucherius facit. Et ille quidem recte, quod Judæi nunquam saltus Lunæ adhibuerunt ad Solis Lunæque epilogismos secum invicem conciliandos. At cum Latini Patres in suo illo totidem annorum Cyclo saltu Lunæ sex dierum exæresim facerent, illos dies abundantes, quos Græci *ἐπεμβολίμους* vocabant, in ea periodo non habebant. Quoties enim dies abundans anno Lunari inseritur, tres junctim menses pleni fiunt, idemque annus evadit dierum 355. vel 385. si ponatur Embolimos. Et sane cum juxta methodum ejus Cycli, superius mihi expositam, anni Lunares LXXXIV. dent dies 30660. quos totidem continent anni 84. Solares Juliani, demptis bissextilibus, ut ea Lunaris dierum collectio ad numerum etiam bissextilium unius ac viginti succrescat, indiget tantum horarum 504. incremento, quæ si super hunc numerum augerentur, ultra Solaris periodi annorum 84. limites excurrerent. Hinc Auctores memorati Cycli mensi Lunari assignasse videntur dies 29. horas 12. ac minuta 30. nempe ultra dies integros, dimidium diei ac pariter semihoram. Quamvis autem anno simplici cœlestis Lunæ motus detrahebant horas duas, minuta 48. ac secunda 38. quæ in novem annis unius Tessaradecaeteridos sunt horæ 15. 17′. 42″. cum annos Embolimos putarent esse dies 384. qui reapse sunt 383. hor. 21. 32′. 41″. in quinque Embolimis addebant horas 12. 21′. 35″. ut in minori Cyclo annorum XIV. ea ratione deficerent a mediis Lunæ motibus horis 12. 56. 7″. Sed ejus Cycli defectum mox ostendam. Epiphanius ad hæresim LI. Alogorum tradit Judæos in Cyclo annorum pariter 84. construendo, anno simplici addidisse horas quatuor, nempe duplicatas, cum illæ ter multiplicatæ diem facerent. At Latini Patres Judaicum tantum numerum in suo Cyclo retinuerunt, ac sexies Lunæ saltibus iteratis, Lunæ Solisque motus in concordiam redigebant; cum Judæi nullis saltibus Lunaribus uterentur, sed dies abundantes variis Cycli annis insererent. Horæ octo in minori Cyclo annorum XIV. sunt 112. nempe dies IV. & horæ 16. ita ut omnes Cycli dies sint 5109. cum horis 16. & additis Epactis reliquis V. cujuslibet Cycli, fiunt dies 5114. horæ 16. Cum vero Cyclus Solaris annorum XIV. habeat dies 5113. & horas 12. uno die per saltum Lunæ dissimulato, ac horis 12. pro integrando quarto Bissextili, in proximam Tessaradecaeteridem dimissis, remanerent in quolibet minori Cyclo horæ IV. quæ in fine Cycli diem integrum conflarent. At hic dies in Cyclo juxta methodum Anonymi non apparet. Sed de his alio in Opere diligentius disputabo.

Idem S. Epiphanius loco laudato scribit Judæos suo Cyclo annos Embolimos XXXI. inseruisse, quod Latini Patres in pari annorum periodo fecerunt, qui in singulis Cyclis minoribus annorum

XIV.

XIV. annnos V. Embolimos novem annis simplicibus addiderunt. Embolimorum situm unus nobis prodit Anonymus noster in Fastis, ut pag. II. & seq. ad oram adnotavi, eorumque dies ex Epactis quas trahunt, quasve reliquas in proximum annum dimittunt, facile intelliguntur. Menses Embolimi in pleno Cyclo annorum 84. sunt triginta. Additur unus insuper extra ordinem, quo universa periodus illa concluditur; ille vero ex quinque Epactis cujuslibet Tessaradecaeterides componitur; siquidem annus Cycli XIV. habet Epactas V. totidemque post se relinquit annus ejusdem Cycli XXVIII. cujus sunt Epactæ X. quæ XV. post annum XLII. habentur. Annus LVI. residuas habet Epactas XX. quæ post annum LXX. colliguntur XXV. quæ cum diebus anni postremi totius periodi eandem uno insuper sexto Embolimo anno augent. Etenim annus ille ultimus in Kalendis Januariis habet Lunam XX. ac proinde cœpit die 13. Decembris, & cum desinat die 31. alterius insequentis Decembris, constat ex diebus 384. Bucherus pag. 430. annum postremum Cycli annorum 84. simplicem constituens, primum vero Embolimum, situm ceterorum quoque annorum Embolimorum sursum deorsum turbavit; quem tamen ex Anonymi Lunationibus optime intelligimus. In Cyclis annorum XIV. sunt menses Lunares 173. quorum V. sunt Embolimi; unde illi menses sexies multiplicati, fiunt in integro Cyclo LXXXIV. annorum 1038. cui numero addendus est sextus mensis extra ordinem Embolimus ex illis post annos XIV. Epactis quinario semper numero auctis, resultans, ut sint menses in universum 1039. Simplices 1008. Embolimi vero 31. Anni simplices sunt dierum 354 præter annos XII. XXIV. XLVIII. & LXXII. qui ob saltum Lunæ remanent dierum 353. Anni Embolimi continent dies 384. exceptis annis Cycli XXXVI. LX. qui unius diei exæresim passi, habent dies 383. Inde fit, ut in toto Lunari Cyclo annorum 84. numerentur dies 30660. quot continent anni Solares Juliani 84. demptis diebus Bissextilibus XXI. qui in Cyclis in numerum non veniunt.

Vetus opinio invaluit, qua vulgo credidere Romanam Ecclesiam ad solemnem Paschatis diem indicendum, ante receptam Alexandrinorum Enneadecaeteridem, Cyclo pariter decemnovennali usam, cujus Aurei numeri ternario infra Alexandrinos essent; qui proinde Cyclus Latinorum passim vocaretur. Ejus tabulas expansas dederunt vetustiores Computistæ, ac postea Paulus Episcopus Forosemproniensis lib. 5. Paulinæ, Stoefflerus proposit. 34. litt. Rr, a quibus exscriptas libro 6. doctr. Temp. Petavius inseruit. Ipse tamen cum Buchero censeo, Romanam Ecclesiam tertio ac quarto etiam Christi seculo ad Paschale festum prodendum, non alium quam octoginta quatuor annorum Cyclum adhibuisse. Etenim Anatolius Laodicensis in Syria Episcopus initio Canonis Paschalis ait: *Nonnulli LXXXIV. annorum Circulum computantes, nunquam ad veram Pascha computandi rationem pervenerunt.* At eum Cyclum non a Græcis, sed a Latinis adhibitum prodit noster Anonymus, qui suos Fastos cum Lunationibus juxta methodum ejusdem Cycli, Constantio imperante, pertexuit; & laudatus etiam Prosper qui altero seculo vixit, dum Cyclum ab anno Christi 298. Fausto & Gallo Consulibus, iterum inchoatum testatur, quod ex avorum libris accepit; quamvis ipse minus recte ab imperio Tiberii primitus inductum affirmet. Sanctus Innocentius Papa in epist. 14. ad Aurelium Primatem Carthaginensem hæc scribit: *Nam cum ante undecimum Kalendarum Aprilium pene Luna XVI. colligatur, (nam quippiam minus est) itemque cum ante diem quartum Kalendarum earundem veniat vigesima tertia, existimavi XI. Kalendarum memoratarum die festa Paschalia celebranda; quoniam in vigesima tertia Luna nullum Pascha ante hoc factum esse cognovimus.* Paulus Episcopus Forosemproniensis lib. 5. Paulinæ, Stoefflerus initio proposit. 35. Scaliger lib. 2. de emend. Temp. pag. 158. Petavius lib. 2. cap. 64. Petitus lib. 3. Eclog. Chronol. cap. 3. aliique putarunt designari eo loco Pascha anni Christi 403. Cyclo Solis XX. lit. D. At plane errant. Nam eo anno Novilunium Paschale secundum medium motum contigit juxta tabulas Astronomicas, die 9. Martii, hor. 10. 30′. post mediam noctem. Luna vero XIV. fuit XI. Kal. Aprilis, sive die 22. Martii, Dominica. Unde Innocentius Pascha in die termini celebrandum indixisset, ac bidui errore Lunam XVI. appellasset, quæ reapse erat XIV. & quamvis Cycli sæpe biduo Neomenias morarentur, nunquam biduo, modo recte constructi essent, easdem prævertebant, in Paschalis mensis initio indicendo. Hinc dicendus est Innocentius designasse Pascha anni Christi 414. Cyclo Solis III. lit. D. quo anno Novilunium Paschale fuit Martii die 7. hor. 2. 21′. post meridiem. Quare Luna XVI. cœpit labente die 22. Martii. Dominica. Cum vero Paschalis solemnitas in Romana Ecclesia inchoaretur a media nocte diem Sabbati Sancti subsequente, eo anno cœpit aliquot horis ante initium Lunæ XVI. quam sane anticipationem Innocentius indicat illa inserta clausula: *nam quippiam minus est*: quæ verba laudati Scriptores dissimularunt: quibus tamen Pontifex notabat aliquot horas deesse, priusquam Luna XVI. accenderetur, itaut consultis ea de re, qui Romæ erant, Astronomis, illa ad Africanos scripsisse videatur. Neque enim illis verbis *quippiam minus est*, significabat diem accendendæ Lunæ XVI. deesse, alias Pascha Luna XV. celebrasset, quod in Alexandrino Cyclo Latini Patres tantopere abhorrebant, eo quod Christus Luna XV. mortuus fuerit, & sepultus; ac proinde perperam ea Luna Festum Resurrectionis Dominicæ celebraretur. Prosper Tyro, qui eodem, quo Innocentius Papa, seculo vixit, apud Labbeum pag. 47. scribit: *Antonino & Syagrio. Finis Cycli quarti, & exordium quinti.* Erant Cycli annorum 84. uti superius ex integro Prosperi Chronico ostendi. Illi Consules signant in Fastis annum Christi 382. quo cœpit ille Cyclus, cujus annus XXXIII. decurrebat anno Christi 414. de cujus Paschate S. Innocentius scribit ad Africanos. In Fastis Anonymi anno 33. Cycli signatur Kalendis Januariis; *Jov. XXV.* nempe easdem incidere in diem Jovis, ac Lunam XXV. Ita anno 414. dies Jovis sive Feria V. fuit Kalendis Januariis. Rursus Luna eo die XXV. signat proximum Novilunium die 7. Januarii, & pariter, uti diximus, Martii septimo, & hoc fuit Novilunium Paschale. Hinc Luna XVI. cœpit die 22. Martii, Dominica, ac Luna XXIII. fuit die 29. pariter Dominica, uti Innocentius testatur, quæ erat extra terminum Paschalem, qui apud Latinos cum esset tardissimus, Luna XXII. claudebatur. Anno illo Christi 414. erat apud Alexandrinos Aureus numerus XVI. apud Latinos vero, juxta vulgarem opinionem, ternario minor, Aureus numerus XIII. apud utrosque diei VIII. Martii affixi. Luna XIV. Paschalis apud eosdem fuit die 21. Martii; unde Alexandrini die sequenti 22. quæ fuit Dominica, Luna XV. Pascha celebrarunt: quod juxta Latinos eam solemnitatem ante Lunam XVI. nunquam ea ætate instituentes, in proximam Dominicam diei 29. Martii prorogandum fuisset, Luna XXII. At Innocentius die 22.

Martii Lunam XVI. die vero 29. Lunam XXIII. numeravit, quales plane Cyclus annorum 84. prodit. In Cyclo Alexandrinorum, uti & in altero Latinorum, quem laudati Scriptores describunt, dies VII. Martii vacua erat, nullo Aureo numero notata, quod nunquam eo die Neomenia juxta methodum utriusque Cycli contingebat. Hinc palam fit Iunocentium Papam in memorato Paschate indicando, annorum 84. Cyclum adhibuisse. Post triennium, anno Christi 417. in Romana Ecclesia Pascha peractum fuit die 25. Martii; ab Alexandrinis vero die 22. Aprilis, uti scribit Paschasinus, Episcopus Lilybitanus in Sicilia, ad Sanctum Leonem Papam: *Tunc enim*, inquit, *cum declinatur, ne X. Kalendas Maji die Pascha teneretur, celebratum est VIII. die Kalendas Aprilis*, jubente Zosimo Papa, ut idem ibidem præmonet. Erat annus Cycli XXXVI. qui cum in Kalendis Januariis prodat Lunam XXVIII. dat proximam Neomeniam die 4. Januarii, & ab hac tertiam die 4. Martii, qui dies tunc erat extra limites mensis Paschalis, cum a Latina Ecclesia citimus a die quinto Martii sciscceretur. At si proximum mensem pro Paschali accepissent, cum ejus initium esset die 2. Aprilis, qui Latinis erat extremus limes ineundi mensis Paschalis, Luna XIV. fuisset die 15. Aprilis, Dominica; unde ne Pascha in die termini celebraretur, differendum erat in Dominicam diem 22. Aprilis, Cyclo Solis VI. lit. G. Verum in Romana Ecclesia Paschalis festi, ut ait S. Leo epist. 64. *ab undecimo Kalendarum Aprilium, in undecimum Kalendarum Majarum legitimum spatium erat præfinitum*, nempe a die 22. Martii ad 21. Aprilis inclusive. Hinc Zosimus Papa, ne festum Paschale ultra terminum promoveret, satius duxit, uno die initium mensis Paschalis prævertere, ejusdem Neomenia a die quarta Martii ex ipsamet methodo Cycli annorum 84. deducta. Et sane eo anno 417. Novilunium contigit secundum medium motum, die 4. Martii hora 6. post mediam noctem. Addit ibidem Paschasinus, quod a Zosimo ac Romana Ecclesia *pro Embolismo communis est annotatus, & error gravissimus ortus*. Erat Cyclus Aleaandrinorum XIX. cujus annus est Embolimus. Hinc cum scribat eum annum communem, non autem Embolimum in Romana Ecclesia fuisse, hæc videtur non usa Cyclo annorum 84. cujuss annus 36. cum anno Christi 417. decurrens, erat Embolimus. Verum diversus erat situs mensis Embolimi in Cyclo Alexandrinorum ac Cyclo annorum 84. Nam illi mensem Embolimum numerabant in Cyclo Paschali decimum tertium, quo semper annus Lunaris Embolimus claudebatur; quod ab Hebræis didicerunt, qui mensem Veadar Embolimum ante Nisan primum anni mensem collocarunt. At Latini menses Embolimos inter varios anni menses disponebant, uti tradit Beda in lib. de Temp. ratione cap. 43 Alexandrini citimam Neomeniam Paschalem sciscebant a die 12. Phamenoth, quæ erat Martii octava apud Latinos. Cum vero anno Christi 417. Neomenia in Cyclo Alexandrinorum Aureo numero XIX. contingeret die 5. Martii, non erat Paschalis, sed mensem Embolimum inchoabat; ac a proximo Novilunio mensem Paschalem ineuntes, Pascha uno post Romanos mense instaurarunt.

Extat etiam aliud præclarissimum usurpati a Romana Ecclesia Cycli annorum 84. testimonium in laudatis literis Paschasini Episcopi & Apostolicæ Sedis in magna Synodo Chalcedonensi Legati. Hæc ibi ait: *Nam cum Romana supputatio, qua CYCLO concluditur, cujus ipso, de quo agitur*, (videlicet annus Christi 444.) *erit annus LXIII. qui cœpit a consulatu Antonii & Syagrii, nobis dubietatem afferret &c.* Petavius lib. 6. cap. 20. scribit Paschasinum nomine *Romanæ supputationis* designare Lunarem Cyclum decemnovennalem Romanorum, cujus numeri erant, ternario minores numeris Cycli Alexandrinorum. Est sinistra prorsus interpretatio. Paschasinus scribit de dubio Paschate anni Christi 444. quo decurrebat Aureus numerus Alexandrinorum VIII. qui erat Lunaris Cycli, a Dionysio Exiguo in epistola ad Bonifacium & Bonum postea descripti, quintus, quive prolepticus cœperat anno Christi 440. una cum IV. anno Cycli Alexandrini. Qua ergo ratione Paschasinus Romanorum Cyclum altius repetiisset ab anno Christi 382. cum ab hoc anno ad annum 444. tres Lunares Romanorum, ut illi putant, Cycli evoluti essent? Scite Bucherius in comm. ad Paschalem Canonem Victorii cap. 6. docet, Paschasinum nomine *Romada supputationis* significare Cyclum annorum 84. qui instauratus, uti superius a Prospero audivimus, anno Christi 382. annum sexagesimum tertium cum anno Christi 444. concurrentem prodebat, quem Paschasinus diserte vocat *Romanæ supputationis, quæ CYCLO concluditur, annum sexagesimum tertium*. Porro annus Cycli LXIII. apud Anonymum in Fastis signat Kalendis Januariis Lunam XXVIII, unde Novilunia indicat die 4. Januarii, & 4. Martii. Ortum erat idem de Paschate dubium, quod ante annos 27. sub Zosimo Papa inciderat. Latini veteri ritu, uti scribit in prologo qui tum temporis vivebat, Victorius Aquitanus, initium mensis Paschalis *a tertio Nonas Martii usque in tertium Nonas Aprilis, diebus scilicet 29. observandum* censebant; nempe a die 5. Martii inclusive, ad diem 3. Aprilis exclusive. Zosimus, uti notabam, ne ultra diem 21. Aprilis, qui erat longissimus terminus Paschatis, festum Resurrectionis Dominicæ promoveret, initium mensis Paschalis uno die anticipavit. At Leo Magnus opposito modo dubium illud Paschæ definiens, omisso Novilunio diei quartæ Martii, proximum Nuvilunium, quod juxta Cyclum annorum 84. contigebat die 2. Aprilis, pro Paschali habendum esse decrevit. In Fastis nostri Anonymi annus LXIII. semper est Bissextilis, concurrens cum Cyclo Solis V. lit. BA. qui Characteres congruunt anno Christi 444. quo cum Neomenia Paschalis decreto Leonis a die 2. Aprilis, ut mox expono, colligeretur, Luna XV. cadebat in diem 16. ejusdem mensis, Dominicam; quæ quidem Luna cum apud Latinos esset citra limitem Paschalis festi, in proximam Dominicam diem 23. Aprilis Paschalia solemnia distulerunt; nec se statutum a majoribus terminum prætergressos putabant, quod Pascha Dominicæ passionis die 21. Aprilis peragebant; licet Pascha Resurrectionis biduo præter vetustum Latinorum morem promoverent. Hanc celebrati Paschatis post XI. Kal. Maji rationem adsignat S. Leo epist. 64. ac qui tunc florebat, Prosper in Chronico apud Labbeum tom. 1. pag. 53. Ita mensis Embolimus in Latina etiam Ecclesia inseri cœpit proxime ante primum mensem anni sacri. Nam anno superiori 443. qui est Cycli Anonymi LXII. habens in Kalendis Januariis Lunam XVII. indicantur Novilunia die 15. Januarii, ac pariter 15. Martii, & Pascha die IV. Aprilis, Luna XXI. Jam vero a die 15. Martii anni Christi 443. ad Kalend. Aprilis anni insequentis Bissextilis 444. inclusis terminis, colliguntur dies 384. ac proinde ante mensem Paschalem insertus fuit mensis Embolimus, qui sub Zosimo Papa neutiquam eum situm in anno apud Romanam Ecclesiam habebat. Quod vero mensis Embolimus erat tricenarius, exiit die 1. Aprilis, qui antea sub Zosimo cavus fuerat mensis Paschalis

juxta

juxta Cyclum annorum 84. qui a Leone Magno coeptus fuit reformari.

Idem Leo Magnus plures de Paſchate anni Chriſti 455. rite inſtaurando literas ſcripſit. Et quidem in Epiſtola 64. ad Marcianum Auguſtum queritur, a Theophilo Patriarcha Alexandrino in centenario laterculo, anno memorato diem Paſchatis prodi *octavum Kalendarum Majarum*, id eſt, diem 24. Aprilis, *qui*, inquit, *anni limitem antiquitus conſtitutum, excedit; cum alii quintumdecimum Kalendarum Majarum huic feſtivitati deputaverint diem.* Proſper tunc ſuperſtes in fine Chronicorum apud Labbeum tom. 1. Bibl. cit. pag. 55. plenus ſtomachi ac querelarum, narrat illud Paſcha celebratum fuiſſe die 24 Aprilis, *cum S. Papa Leo decimoquinto Kal. Maji potius obſervandum proteſtaretur.* Anno Chriſti 455. Cyclo Solis XVI. lit. B. decurrebat annus XIX. Cycli Alexandrinorum, cujus Aureus numerus adfixus diei quarto Aprilis, dabat initium menſi Paſchali, cujus Luna XIV. cum accenderetur die 17. Aprilis, Dominica, in proximam Dominicam diem 24. Aprilis Paſcha protrahendum erat, uti diſerte S. Proterius tum Patriarcha Alexandrinus ac poſtea Martyr in epiſtola ad Leonem Magnum ejus Lunationis Paſchalis dies deſcripſit. In Cyclo, quem Latinis id temporis vulgo adſcribunt, erat Aureus numerus XVI. ad diem 5. Martii ac 3. Aprilis adpoſitus. Prior non dabat Neomeniam Paſchalem, quia Luna XVI. fuiſſet die 20. Martii, Dominica, ante Æquinoctium; altera vero Dominica die 27. Martii fuiſſet Luna XXIII. ultra terminum. Hinc in eo Cyclo Neomenia Paſchalis ineunda eſt a die 3. Aprilis, quæ tamen vetuſtis Latinis erat ultra limitem Neomeniæ Paſchalis. Præterea Luna XV. fuiſſet die 17. Aprilis, Dominica; & cum in Latina Eccleſia id temporis a Luna tantum XVI. citimum Paſcha celebrarent, ac Lunam XV. Paſchalem Alexandrinorum unanimi ſententia damnarent, Paſcha in eo Cyclo differendum erat in diem 24. Aprilis, Luna XXII. Hoc quidem invicto S. Leonis teſtimonio patet Romanam Eccleſiam eo ſæculo nondum adhibuiſſe Cyclum illum decemnovennalem Latinis paſſim adſcriptum; ſiquidem Pontifex ille ſanctiſſimus feſtum Paſchatis die 17. Aprilis agendum eſſe proteſtabatur, Luna XVI. ita ut Neomenia Paſchalis a die 2. Aprilis juxta Leonem neceſſario colligenda videatur. Annus Chriſti 455. erat Cycli annorum LXXXIV. ſeptuageſimus quartus, qui in Faſtis Anonymi Kalendis Januariis notatur: *Sat. XXX.* Et reapſe dies Saturni annum illum inchoavit. Luna XXX. dat Neomeniam die 2. Januarii, ac itidem 2. Martii. Idem annus apud Anonymum eſt Embolimus, qui tamen erronee a Bucherio pag. 428. ſimplex ſeu communis deſcribitur. At menſis Embolimus decreto S. Leonis, uti prænotavi, menſi Paſchali præponebatur, idemque juxta Cyclum Anonymi initus die 2. Martii, una cum eodem menſe exitum habuiſſet, ac Kalendis Aprilis Neomenia Paſchalis coepiſſet; feſtum vero Reſurrectionis incidiſſet in diem 17. Aprilis, Luna XVII. Ceterum evidenti ſupputatione oſtendam Leonem Papam Neomeniam Paſchalem a die ſecunda Aprilis collegiſſe. Annus ſuperior Chriſti 454. eſt Cycli toties memorati LXXIII, ac ſignatur ab Anonymo: *Ven. XIX.* Recte Feria VI. ineunte anno ponitur, Cyclo Solis XV. lit. C. Cum anno Cycli 72. ab Anonymo ſaltus Lunæ inſeratur, Luna in proximis Kalendis Januariis non undeno, ut alias, ſed duodeno numero aucta, ſignatur XIX. unde indicat Neomenias die 13. Januarii, ac pariter 13. Martii, & hujus alterius Luna XIV. incidit eo anno in diem 26. Martii, Feria VI. Paſcha in diem 28. Luna XVI. Hæc neceſſario conſequuntur Lunam XIX. in Kalendis Januariis. At S. Leo in epiſtola 65. ad Eudociam Auguſtam ait *Opilione Conſule*, nempe anno Chriſti 453. Paſcha celebratum fuiſſe *pridie Idus Aprilis*, additque: *Unde ſequenti anno pridie Nonas Aprilis, eadem feſtivitas rationabiliter conſequitur.* Eadem ſcribit epiſt. 64. ad Marcianum. Ex his colligo illum Cyclum annorum 84. quem Paſchaſinus per antonomaſiam in literis ad eundem Leonem, *Romanam ſupputationem* appellat, aliqua ratione coeptum fuiſſe reformari, quod tum ſui vitio, tum ob nimios Lunæ ſaltus Lunationes jam manifeſto prævertebat. Et ſane remoto ſaltu Lunari ab anno 72. Luna XVIII. Kalendas Januarii anno Chriſti 454. aperuit. Inde ſuccedit Neomenia die 14 Januarii, uti poſtea etiam 14. Martii, die Dominica. Luna XIV. fuit die 27. Martii, Sabbato; ac cum Luna XV. a Latinis Paſcha non ageretur, dilatum fuit in diem pridie Nonas Aprilis, Luna XXII, qui tardiſſimus erat terminus Paſchalis Latinorum. Quo die 4. Aprilis cum Leo Pontifex Paſcha ejus anni indicat, conſequens fit, ut Neomeniam Paſchalem die 14. Martii inierit, ac ſaltus illos Lunæ ſexies in veteri illo Cyclo occurrentes aliqua ratione repreſſerit. Hæc cum certo conſtent, ſi a die 14. Martii, qua contigit juxta Leonem Neomenia Paſchalis anni Chriſti 454. colligamus annum Embolimum, id eſt, dies 384. horum poſtremus exit Kalendis Aprilis, anno Chriſti 455. Itaque S. Leo die 2. Aprilis menſem Paſchalem inchoans, ſolemnia Dominicæ Reſurrectionis die 17. Aprilis, Luna XVI. celebranda proteſtabatur. Quare hoc altero egregio teſtimonio demonſtratur, in Romana Eccleſia, Leone Magno Pontifice, menſem Embolimum proxime anteceſſiſſe menſem Paſchalem ſive initium anni Eccleſiaſtici. Extant plures Sermones ejuſdem S. Leonis de *jejunio Septimi menſis*, ac *menſis Decimi*; & Gelaſius qui quartus ab eodem Leone pontificatum geſſit, in epiſt. 9. cap. 11. ordinationes ſacras *Quarti menſis jejunio, Septimi, ac Decimi*, habendas decernit. Sunt quatuor Temporum jejunia, quæ Catholica ſervat Eccleſia. Illi vero menſes numerum ducunt a primo menſe Paſchali; unde & menſis Embolimus etiam ſub Leone I. annum ſacrum claudebat.

Et ſane hoc decretum S. Leonis Papæ ab ejuſdem proximo ſucceſſore Hilaro Pontifice comprobatum fuiſſe, demonſtrat eruta Romæ Inſcriptio, quæ unica Paſchalis feſti characteribus inſignitur, ac Eccleſiaſticos Annales, rudi licet ſtylo exarata, mirifice illuſtrat.

NATV. SEVERI NOMINE PASCASIVS
DIES PASCALES PRID. NON. APRIL
DIE IOBIS CONSTANTINO
ET RVFO VV. CC. CONSS. QVI VIXIT
ANNORVM VI. PERCEPIT
XI. KAL. MAIAS. ET ALBAS SVAS
OCTABAS PASCAE AD SEPVLCRVM
DEPOSVIT D. IIII. KAL. MAI. FL. BASILIO
V. C. CO.

Hocce epitaphium in patrium Muſeum, quod innumeris Inſcriptionibus refertum in avitis ædibus dedicavit, tranſmiſit Illuſtriſſimus ac Reverendiſſimus D. Raphael Fabrettus Vrbinas, quem ALEXANDER VIII. nuper PONT. MAX. jam olim OPTIMVS, a frequentiſſimo Purpuratorum Patrum Senatu, totius Catholici Orbis applauſu,

bono publico, creatus, libellorum ſupplicum Magiſtrum, ſeu ut literatorum lapidum, quam vir doctiſſimus libentius audit, phraſe utar, A LIBELLIS ADJUTOREM adſcivit. In eo epitaphio puer Paſcaſius dicitur natus *diebus Paſchalibus, pridie Nonas Aprilis, die Jovis, Conſtantino & Rufo Coſſ.* qui in Faſtis prænotantur anno urbis Romæ 1210. Chriſti 457. quo Cyclo Solis XVIII. lit. F. Paſcha contigit die 31. Martii; & dies Jovis Natalis Paſcaſii, fuit *pridie Nonas Aprilis.* Valentinianus II. Imperator *L. 2. de feriis.* Cod. Theod. jubet feriatos eſſe *ſanctos quoque Paſcha dies, qui ſepteno vel precedunt numero, vel ſequuntur.* Puer ille natus erat quarto die illorum, qui ſepteni Paſchale feſtum ſubſequebantur, iidemque in epitaphio laudantur. Hic annus Æræ Chriſti 457. erat LXXVI. Cycli noſtri Anonymi, ac in Kalendis Januariis ſignatur: *Mar. XXII.* nempe ait eaſdem Kalendas incidiſſe in diem Martis ac Lunam viceſimam ſecundam. Character Feriæ indicat diem Jovis pridie Nonas Aprilis, uti legitur in epitaphio. Luna vero XXII. prodit proximam Neomeniam die 10. Januarii, & ab hac tertiam Paſchalem die pariter 10. Martii; Lunam XIV. die 23 ejuſdem menſis, Sabbato; & cum apud Latinos, uti dixi, vetitum eſſet Luna XV. Paſcha celebrare, feſtum in proximam diem Dominicam Martii 31. dilatum fuit. Hoc ipſo anno Chriſti 457. Victorius Aquitanus Cyclum Paſchalem annorum 532. ingenioſe pertexuit. Cum enim Latini Cyclum annorum 84. eo præcipue Alexandrinorum Enneadecaeteridi præponerent, quod ille ad caput rediens, non modo eaſdem Lunationes, verum etiam eundem dierum hebdomadis ordinem in orbem perpetuo ducebat, quam dierum apocataſtaſim Cyclus decemnovennalis Alexandrinorum non præſtabat, Victorius Cyclum Luniſolarem ita conſtruxit, ut decemnovennalem Alexandrinorum per Solares Cyclos 28. ducens, idem annos 532. contineret; ſimulque cyclos Solares 28. per novemdecim Enneadecaeteridas colligens, eundem annorum 532. numerum in novo Cyclo expreſſit; atque ea ratione multiplicato Cyclo Alexandrinorum, Feriarum quoque apocataſtaſim, quam malebant, Latinis exhibuit. Hoc Victorii Cyclo a Dionyſio Exiguo poſtea anno Chriſti 525. reformato, uſa eſt Romana Eccleſia uſque ad Gregorianam Kalendarii emendationem. Porro Victorio Aquitano in præfatione, anno memorato Chriſti 457. *Kalendas Januarias tertia Feria, Luna XX. & VIII. Kal. Aprilis, Feria ſecunda, Luna XIV. Conſtantino & Rufo Coſſ. proveniſſe*, dicuntur. Lunæ ætas in Kalendis ejus anni incuntis bidui differentia in Cyclo veteri noſtri Anonymi ac novo Victorii deſignatur; huic enim Luna XX. ſtatuitur, quæ illi XXII. numeratur. Hinc Victorio in tabulis Paſcha eo anno indicatur *pridie Kalendas Aprilis, Luna XX.* At Cyclus Anonymi utpote contractior, jam cœperat Novilunia prævertere, uti in novem antea Cyclis Faſtorum eadem morabatur. Aſtronomicæ tabulæ anno Chriſti 457. dant Novilunium Martii die 11. hora 9. poſt meridiem, Lunam vero XX. die 31. Martii, Dominica Paſchali, uti recte Victorius ſupputavit; neque enim potuit ignorare Lunationes ejus anni, quo eaſdem in literas miſit. In laudato epitaphio dicitur puer Paſchaſius annos natus ſex *percepiſſe* baptiſmum, quæ vox ibidem ſubintelligitur, *undecimo Kalendas Majas;* cum vero inſequenti hebdomade de more Eccleſiæ albas veſtes ferret, acerbo fato raptus, eaſdem *in octava Paſcha ad ſepulcrum depoſuit, die IV. Kal. Maji, Flavio V. C. Conſule*, qui in Faſtis ſignat annum Chriſti 463. Epiſtola IX. Hilari Papæ ad Leontium Arelatenſem dicitur: *Data VI. Idus Octobris, Baſilio V. C. Conſule.* Annus Chriſti 463. erat Cycli, quo Anonymus utitur, LXXXII. idemque Embolimus, ac notatur Kalendis Januariis; *Mar. XXVIII.* & reapſe annus ille iniit die Martis ſive Feria III. Cyclo Solis XXIV. lit. F. ac proinde in eo marmore dies 21. & 28. Aprilis Dominicæ deſignantur. Luna, ineunte Januario, XXVIII. prodit Neomenias die 4. Januarii, & itidem 4. Martii. Hæc autem nupero decreto Leonis Magni, qui ante biennium ad ſuperos tranſiverat, deſierat eſſe Paſchalis; unde 4. Martii cœpit menſis Embolimus ejuſdem Pontificis juſſu inſertus ante menſem Paſchalem. Quare Neomenia Paſchalis fuit die 3. Aprilis, Luna XIV. contigit die ejuſdem menſis decimoſexto, Feria III. Paſchale denique feſtum die 21. Aprilis, Luna XIX. quæ Alexandrinis erat XVII. ob Aureum numerum VIII. eo anno decurrentem, dici quinto Aprilis ab ipſis adpoſitum. Inſignes Aſtronomi, qui de reformando Kalendario ante Gregorianam emendationem ſcripſerunt, Paulus de Middelburgo lib. 5. Paulinæ, & Joannes Stoefflerus propoſit. 35. lit. F. tradunt Latinorum Eccleſiam *anno Diocletiani* 179. *Chriſti autem Domini* 463. ab Alexandrinis in celebrando Paſchate integro fere menſe diſcordaſſe. Nam cum Græci eidem ſolemnitati peragendæ diem 21. Aprilis deſtinaſſent, *Latini* inquiunt, *pro anno Græcorum Emboliſmico communem facientes, die quarta & vigeſima Martii peragendum dixerunt.* Bucherius his ſimiliter in tabulis expanſis Cycli annorum 84. pag. 430. annum Chriſti 463. quem recte 82. ejus Cycli numerat, ſimplicem ſtatuit, quo & Paſcha deſignat juxta Latinos die 24. Martii, Luna XX. At horum ſcriptorum opinio tum ex Faſtis Anonymi, tum etiam ex inſigni illo epitaphio refellitur. Nam in Faſtis annus Cycli 82. Kalendis Junariis præfert Lunam XXVIII. ac proinde init die quinto Decembris; cumque reliquas habeat Epactas VIII. quæ addito regulari Januarii dant anno 83. Cycli in Kalendis Januariis Lunam IX. exitum habet die 23 alterius Decembris. Igitur continet dies 384. quot habet annus Embolimus. Sed memoratum epitaphium aperte prodit Romanam Eccleſiam cum Alexandrina anno Chriſti 463. in die Paſchatis decernendo, conveniſſe. Ibi enim legitur: PERCEPIT. XI. KAL. MAIAS, videlicet *baptiſma*, quæ vox in marmore non quidem detrita eſt, ſed omiſſa; quod cum illud eſſet primum Chriſtiani dogmatis myſterium, religioni ducebant, illud vel nomine tenus prodere. Sanctus Auguſtinus lib. de un. baptiſmo cap. 1. ait: *Prima illic invidia eſt, quod ventilatur in publico res ſecreta.* Petilianus enim Donatiſta Auguſtinum arguebat, qui de baptiſmate libros ſcripſiſſet, atque ita ſecretum Chriſtianæ religionis myſterium enuntiaſſet. Videſis S. Ambroſium cap. 1. de initiandis, alioſque Patres apud V. C. Lupum in notis ad cap. 41. Tertulliani de Præſcriptionibus. Cum vero in veteri Eccleſia baptiſma in ſolemni tantum feſto Paſchatis ac Pentecoſtes ab Epiſcopo conferri poſſet, *excepto dumtaxat graviſſimi languoris incurſu*, uti loquitur S. Gelaſius Papa epiſt. 9. cap. 10. Paſcaſius anno 463. XI. Kal. Majas, Paſchali feſto, a S. Hilaro Papa baptizatus, atque albis veſtibus indutus, eaſdem, intra hebdomadem Paſchalem extinctus, in octava Paſchatis ad ſepulcrum depoſuit die 28. Aprilis. Anno ſuperiori 462. Paſcha apud Romanos ac Græcos peractum fuit Kalendis Aprilis, Aureo numero Alexandrinorum VII. fixo in die 17. Martii, anno Cycli apud Anonymum LXXXII. qui in Kalendis Januariis ſignatur: *Lun. XVII.* Quare Neomeniæ fuerunt die 15. Januarii, ac 15. Martii, Cyclo Solis XXIII. lit. G. Luna XIV. fuit

die

die 28. Martii, Feria IV. Pascha Kal. Aprilis, Luna XIIX. in Alexandrinorum Cyclo XVI. Cum autem anno Christi 462. mensis Paschalis inierit die 15. Martii, & ab hac Neomenia ad alteram exclusive, quæ anno proximo 463. die 3. Aprilis mensem Paschalem inchoavit, colligantur dies 384. evidenter inde colligimus, eo anno 463. mensem Embolimum initium mensis Paschalis in Latina uti & in Græca Ecclesia præcessisse, secus ac memorati Scriptores existimarunt.

Anonymus Cyclo illo Paschali annorum LXXXIV. in Latina Ecclesia frequentato, usus est ad Consulares tabulas illustrandas. Nam quo annos quorumcunque Consulum indicaret, singulas quasque Januarias Kalendas in forma anni Juliani partim usurpata, & partim etiam proleptica, Feriæ sive diei hebdomadis, ac pariter quotæ Lunæ iisdem Kalendis incensæ notis, veluti certissimis temporum characteribus designavit. At vitio Cycli factum est, ut, quo longius ad superiora tempora Lunationes deduxit, eo longius a cœlestibus Lunæ motibus aberraverit. Nam, ut de totidem annorum Cyclo Judaico, a S. Epiphanio descripto, Keplerus ac Petavius prænotarunt, Lunares syzygiæ spatio annorum 84. Solarem totidem annorum periodum uno die ac horis fere septem excedunt. Hoc ut demonstrem, statuo annum Lunarem simplicem dierum 354. hor. 8. 48. 38‴. 10‴. uti tradit Keplerus; ac quamvis de minutis secundis ac de tertiis alii aliter sentiant, id parvi interest, cum ad horam conflandam secunda 3600. ac tertia 216000. requirantur. Annum Embolimum pono dierum 383. hor. 21. 32′. 41″. 20‴. Diviso Cyclo annorum 84. in sex minores annorum XIV. in quolibet eorundem sunt anni 9. simplices, qui sunt dies 3189. horæ 7. 17′ 43. 30‴. ac quinque anni Embolimi, quorum dies numerantur 1919. hor. 11. 43′. 26″. 40‴. omnes simul continent dies 5108. hor. 19. 1′. 10″. 10‴. qui numerus sexies ductus, dat in annis 84. Lunaribus dies 30652. hor. 18. 7′. 1″. 0″. Quod vero sexta Tessaradecacteris, sive postremus Cyclus annorum XIV. sextum mensem Embolimum continet, addito collectæ summæ mense dierum 29. hor. 12. 44′. 3″. 10‴. Lunaris annorum 84. periodus continet dies 30682. hor. 6. 51′. 4″. 10‴. Ita fiunt Lunares syzygiæ 1039. At anni Solares Juliani 84. habent dies 30681. ac proinde Lunaris totidem annorum periodus Solarem excedit die solido, hor. 6. 51′. 4″. 10″. Hoc rursus ex Calippica periodo annorum LXXVI. ac Octaeteride eidem addita apparet. Enneadecaeteris Alexandrinorum Cyclus celeberrimus, ex annis 19. conflatus, habet dies 6939. hor. 16. 32′. 27″. 18. In minutis secundis ac tertiis sequor calculos Petavii lib. 6. cap. 4. ac Riccioli lib. 4. Almagesti cap. 19. num. 5. Periodus Calippi quatuor continet Cyclos annorum 19. ac proinde anni 76. habent dies 27758. hor. 18. 9′. 49″. 12‴. Octaeteris Lunaris, in qua quinque simplices, ac tres Embolimi anni numerantur, continet dies 2923. hor. 12. 41′. 14″. 50‴. ita ut ex hac & periodo Calippi fiant dies 30682. hor. 6. 51′. 4″. &c. idemque patet excessus diei solidi, hor. 6. 51′. 4″. &c. Hoc vitio laborabat Cyclus Anonymi annorum 84: quolibet enim absoluto, Lunares syzygiæ inferius prolabebantur uno die, hor. 6. 51′. 4″. &c. cum tamen in Fastis Anonymi, quolibet Cyclo revoluto, Novilunia ad Kalendas Januarias perpetua lege reversa describantur.

Hic autem defectus Lunationum ab Anonymo juxta methodum Cycli annorum 84. suis Fastis additarum, ex eclipsibus aperte intelligitur; & ex plurimis, quæ adduci possent, unius tantum, methodi gratia, exemplo utar. Hæc ille A. V. Romæ 799. Christi Domini 46. novum Cyclum instaurans, scribit: *Asiatico II. & Silano, Sat. I.* Recte notat diem Calendarum Januarii eo anno fuisse Saturni sive, uti Christiani loquimur, Sabbatum; fuit enim Cyclus Solis XXVII. lit. B. At perperam primo illius anni die ponit Novilunium seu Lunam I. Nam Dio lib. 60. M. Vinicio & Statilio Corvino Coss. A. V. 798. Christi 45. narrat Claudium Imperatorem, *quia Natali suo defectus Solis futurus erat*, ne adversa inde Principi auguria vulgus captaret, edicto proposito, eclipsis causas ordinemque publice exposuisse. Claudius natus erat *Kalendis Augusti*, ex Suetonio cap. 2. de vita ejusdem, ac veteri Kalendario Gruteri pag. 134. Itaque Kalendis Augusti fuit Novilunium, in quo tantum Solares eclipses contingunt. Illud vero eclipticum Novilunium ex calculis Petavii lib. 8. doct. Temp. pag. 823. juxta medios motus, fuit Augusti die primo, hor. 3. 13′. 34″. post meridiem. Enimvero ab hoc Novilunio colligito menses Lunares quinque, qui dant dies 147. hor. 15. 40′. 16″. habebis sextum Novilunium die 27. Decembris, hor. 6. 53′. 50″. post mediam noctem. Quare cum Sol proximas Januarii Kalendas A. V. a Parilibus 799. Christi 46. illustravit, erat paulo ante accensa Luna VI. quæ tamen ab Anonymo *prima* erronee appellatur. Cum inter primas quasque Lunationes novos Cyclos inchoantes, ac syzygiam primam proximi Cycli evoluti, intersit differentia unius diei, & horarum fere septem, in superioribus novem Cyclis integris, quorum prior init ab A. V. 295. ante Christum 459. Luna I. falso charactere notatur, ac proinde annis quibusque sequentibus, ætas Lunæ in Kalendis Januariis erronea obtruditur, quousque in postremo Cyclo, qui cœpit A. V. 1051. Christi 298. legitimam Lunæ ætatem idemmet Scriptor prope assequitur, dum ait: *Fausto & Gallo, Sat. I.* Cum anno Christi 45. Novilunium fuerit, uti dicebam, die 27. Decembris hor. 6. 53′. 50″. a media nocte: ac tres Cycli dent annos 252. post quos Novilunia descendunt diebus 3. hor. 20. 33′. 12. anno Christi 297. Novilunium secundum medium motum, fuit Decembris, die 31. hor. 3. 27′. 2″. post mediam noctem, ac proinde Luna prima duravit ad horam 4. diei inchoati a media nocte Kalendarum Januarii, anno Christi 298. a quo anni hujus Cycli ultimi quo magis inferius descendunt, eo magis etiam ad veram ætatem Lunæ in Kalendis ineuntium annorum accedunt, ac characteres Lunares in Fastis notati, cum mediis Lunæ motibus optime congruunt, quod ex Astronomicis tabulis, & ex Stoefflero proposit. 34. in Kalend. Rom. ac Petavio lib. 5. doctr. Tempor. cap. 1. plura Novilunia ab anno Christi 323. describentibus, quivis facile intelliget. Hoc ipsum patet ex eclipsibus, quæ postremis ultimi Cycli annis contigerunt. Julius Firmicus libro 1. cap. 2. narrat Solem defecisse Optato & Paulino Consulibus; quam eclipsim Petavius lib. 8. pag. 833. ac Licciolius lib. 5. Almagesti scribunt fuisse die 17. Julii, anno Christi 334. cui illi Consules prænotantur. Quare sextum ab ecliptico Novilunium fuit die 12. Decembris, ac Kalendis Januariis recte ab Anonymo anno Christi 335. scribitur: *Constantio & Albino, Mer. XXI.* nempe Luna XXI. Cassiodorus in Chronico anno Christi 348. Philippo & Sallea Coss. ait: *His Consulibus facta Solis defectio.* Theophanes in Chronico ait contigisse *die 9. Octobris, Dominica.* Hinc dato modo duorum mensium Lunarium, tertium ab hoc ecliptico Novilunium fuit die 7. Decembris, ac proximis Kalendis Januarii numerabatur Luna XXVI. Anonymus cœ-

lestibus Lunæ motibus similiter scribit anno Christi 349. *Limenio & Catulino, Sol. XXVI.* Idacius in Fastis anno post consulatum Sergii & Nigriniani, nempe Christi 351. ait: *Et apparuit in Oriente signum Salvatoris, die III. Kalend. Februarias, Luna XXVIII.* Petavius lib. 11. cap. 4 Idacii prochronismum notat. Nam anno illo Christi 351. primum Novilunium fuit die 14. Januarii, hor. 4 15'. 18". a media nocte. Hinc Kalendis Januariis erat præcedentis syzygiæ Luna XVIII. qualem tabulæ Anonymi produnt. At anno proximo Christi 352. Novilunium fuit die 3. Januarii, hor. 13. 3'. 56". post medinoctium. Ita accuratis calculis scribit Anonymus: *Constantio V. & Constantio juniore, Mer. XXIX.* Kalendis Januariis; & die 30. ejusdem mensis apparuit prodigium Idacio notatum Luna XXVIII. Annus ille præferens prima sui die Lunam XXIX. cœpit die 4. Decembris, qui cum sit Cycli LV. est Embolimus, ac desiit die 22. alterius Decembris. Annus proxima die in Cyclo initus prodit Kal. Januariis Lunam X. exitque die 11. Decembris, ita ut anno Christi 354 quo Fastos suos Anonymus clausit, recte signetur ibidem in Kalendis Januariis Luna XXI. Cum ergo Lunationes juxta methodum Cycli annorum LXXXIV. postrema illa laudatæ periodi repetitione, cœlestibus Lunæ motibus examussim conformentur, non obscure colligimus horum Fastorum conditorem imperante Constantio Constantini Magni filio vixisse, cum Lunaribus illius ætatis syzygiis, quas ignorare non poterat, pares calculos posuerit juxta normam Cycli, quo Latina Ecclesia ad Neomenias Paschales prodendas utebatur, quod est mihi proxime demonstratum. Interim ejus Cycli cœlestes Lunæ motus proximo statim sæculo anticipantis defectum, uno tantum exemplo ostendam, quo designatum in recitato superius Epitaphio, Pascha anni Christi 463. iterum illustrabitur. Idacius in Chronico ait Lunam defecisse *anno Æra 500. sexto Nonas Martii, Feria VI.* Fuit annus Christi 462. quo dies Non. Martii incidit in Feriam VI. Cyclo Solis XXIII. lit. G. Tabulæ Astronomicæ produnt eo anno Plenilunium, quo tantum Lunares Eclipses contingunt, VI. Nonas, sive die 2. Martii, hor. 0. 6. 56'. post mediam noctem. Hanc Eclipsim fuse describit Petavius lib. 8. pag. 847. Ita proximum Novilunium Paschale juxta meridianum Urbis, fuit secundum medium motum, Martii die 16. hor. 6. 28'. 57'. post meridiem. Erat Cycli, quo utitur Anonymus, annus LXXXI. prodens in Kalendis Januariis Lunam XVII. ac proximam Neomeniam die 15. Januarii, & ab hac tertiam die pariter 15. Martii. Ita ille Cyclus jam uno die cœlestes Lunæ motus antevertebat. At annus Paschalis initus die 16. Martii &c. cum fuerit intercalaris, anno Christi 463. novum annum Paschalem excepit die 4. Aprilis, hor. 4. 1'. 38". post meridiem. Victorius Aquitanus in Canone Paschali, ante septennium abs se edito, statuit Pascha anno Christi 463. die 21. Aprilis, Luna XIX. ac proinde die 3. Aprilis iniit juxta eundem mensis Paschalis, qui Aureo numero VIII. ab Alexandrinis cœptus est die 5. Aprilis. Cum vero esset Aureus numerus V. Latinorum, uti vulgo putant, idemque adposinis diei 6. Martii apud ipsos Paschalis fuerit, festum Resurrectionis incidisset die 24. Martii, Luna XIX. At ex memorato Epitaphio, Pascha a S. Hilaro Papa Romæ instauratum fuit die 21. Aprilis, veteri illa Latinorum sententia jam antiquata. Victorius anno Christi 462. recitat Pascha *Kalendis Aprilis, Luna XVII.* Quare annus Ecclesiasticus cum mense Paschali juxta eundem iniit die 16. Martii; & cum eidem exierit die 2. Aprilis anno Christi 463. fuit annus Embolimus dierum tantum 383. quod mensis decimus tertius est ibi apud Victorium dierum 29. uti contra eundem disputans Beda cap. 49. de ratione Tempor. observat. Victorius suum Canonem Paschalem rogante Hilaro Romanæ Ecclesiæ tunc Archidiacono contexuit, quem eidem etiam Hilaro nuncupavit. Hinc probabiliter idem Hilarus S. Leoni Papæ subrogatus, juxta Victorii Canonem Pascha anni Christi 463. celebravit.

F I N I S.

ANONYMVS

DE

PRAEFECTIS VRBI

EX

TEMPORIBVS GALLIENI.

VT ET

FRAGMENTVM FASTORVM

ab anno Christi 205. ad 354. ex editione

ÆGIDII BVCHERII.

ANONYMVS
DE
PRAEFECTIS VRBI

Anni Christi

254. *VAleriano* II. *& Gallieno. Lollianus Praefectus Urbi.*
255. *Valeriano* III. *& Gallieno* II. *Valerius Maximus P. V.*
256. *Maximo & Glabrione. Nummius Albinus P. V.*
257. *Valeriano* IV. *& Gallieno* III. *Junius Donatus P. V.*
258. *Tusco & Basso. Cornelius Saecularis P. V.*
259. *Aemiliano & Basso. Cornelius Saecularis P. V.*
260. *Saeculari* II. *& Donato. Cornelius Saecularis P. V.*
261. *Gallieno* IV. *& Volusiano. Nummius Albinus P. V.*
262. *Gallieno* V. *& Faustino. Nummius Albinus P. V.*
263. *Albino* II. *& Dextro. Nummius Albinus P. V.*
264. *Gallieno* VI. *& Saturnino. Paternus P. V.*
265. *Valeriano* II. *& Lucillo. Paternus P. V.*
266. *Gallieno* VII. *& Sabinillo. Paternus P. V.*
267. *Paterno & Harcesilao. Petronius Volusianus P. V.*
268. *Paterno* II. *& Mariniano. Petronius Volusianus P. V.*
269. *Claudio & Paterno. Flavius Antiochianus P. V.*
270. *Antiochiano & Orfito. Flavius Antiochianus P. V.*
271. *Aureliano & Basso. Postumius Varus P. V.*
272. *Quieto & Voldumiano. Flavius Antiochianus P. V.*
273. *Tacito & Placidiano. Virius Orfitus P. V.*
274. *Aureliano* II. *& Capitolino. Virius Orfitus P. V.*
275. *Aureliano* III. *& Marcellino. Postumius Syagrius P. V.*
276. *Tacito* II. *& Aemiliano. Ovinius Pacatianus P. V.*
277. *Probo & Paulino. Ovinius Pacatianus P. V.*
278. *Probo* II. *& Lupo. Virius Lupus P. V.*
279. *Probo* III. *& Paterno. Virius Lupus P. V.*
280. *Messala & Grato. Virius Lupus P. V.*
281. *Probo* IV. *& Tiberiano. Ovinius Paternus P. V.*
282. *Probo* V. *& Victorino. Pomponius Victorianus P. V.*
283. *Caro & Carino. Tuntius* [a] *Roburrus P. V.*
284. *Carino* II. *& Numeriano. Cejonius Varus P. V.*
285. *Diocletiano* II. *& Aristobolo. Cejonius Varus P. V.*
286. *Maximo* II. *& Aquilino. Junius Maximus. P. V.*
287. *Diocletiano* III. *& Maximiano. Junius Maximus P. V.*
288. *Maximiano* II. *& Januario.* III. *Kalendas Martii, Pomponius Januarius P. V.*
289. *Basso* II. *& Quintiano. Pomponius Januarius P. V.*
290. *Diocletiano* IV. *& Maximiano* III. *Turranius Gratianus P. V.*
291. *Tiberiano* II. *& Dione.* XII. *Kalendas Martis, Junius Tiberianus P. V.*
292. *Annibaliano & Asclepiodoto.* III. *Nonas Augusti, Claudius Marcellus P. V.*
293. *Diocletiano* V. *& Maximiano* IV. III. *Idus Martis, Septimius Acyndinus P. V.*
294. *Constantio & Maximiano. Septimius Acyndinus P. V.*
295. *Tusco & Anulino.* III. *Idus Januarii, Aristobolus P. V.*
296. *Diocletiano* VI. *& Constantio* II. XII. *Kalendas Martis, Cassius Dion P. V.*
297. *Maximiano* V. *& Maximiano* II. [b] *Aeranius Annibalianus P. V.*
298. *Fausto* II. *& Gallo. Artorius Maximus P. V.*
299. *Diocletiano* VII. *& Maximiano* VI. *Anicius Faustus P. V.*
300. *Constantio* III. *& Maximiano* III. *Kalendis Martii, Pompejus Faustinus P. V.*
301. *Titiano* II. *& Nepotiano. Aelius Dionysius P. V.*

[a] Cusp. & Onuph. *Robustus*. [b] In M. S. at Cusp. & Onuph. *Afranius*.

302. *Constantio* IV. *& Maximiano* IV. XI. *Kalendas Martii, Nummius Tuscus P. V.*
303. *Diocletiano* VIII. *& Maximiano* VII. *Pridie Idus Septembris, Junius Tiberianus P. V.*
304. *Diocletiano* IX. *& Maximiano* VIII. *Pridie Nonas Januarii, Aradius* c *Rufinus P. V.*
305. *Constantio* V. *& Maximiano* V. *Pridie Idus Februarii, Postumius Titianus P. V.*
306. *Constantio* VI. *& Maximiano* VI. XIV. *Kalendas Aprilis, Annius Anulinus P. V.*
307. *Maximiano* VII. *& Maximiano. ex Mense Aprili, factus est sextus Consulatus, quod est, Novies* d *& Constantino* VI. *Kalendas Septembris, Justejus Tertullus P. V.*
308. *Consules quos jusserint DD. NN. Augusti. ex* XII. *Kalendas Maji factum est, Maxentio & Romulo: quod est, Decies & Maximiano.* VII. *Idus Aprilis, Statius Rufinus P. V.*
309. *Maxentio* II. *& Romulo* II. III. *Kalendas Novembris, Aurelius Hermogenes P. V.*
310. *Maxentio* III. *Consule* V. *Kalendas Novembris, Rufius Volusianus P. V.*
311. *Consules quos jusserint DD. NN. Augusti. ex Mense Septembri, factum est, Rufino & Eusebio.* V. *Kalendas Novembris, Junius Flavianus P. V.*
312. *Maxentio* IV. *Consule, qui sunt Constantino* II. *& Licinio* II. V. *Idus Februarii, Aradius Rufinus P. V.* VI. *Kalendas Novembris, Annius Anulinus dies* XXXXIV. *P. V.* III. *Kalendas Decembris, Aradius Rufinus iterum P. V.*
313. *Constantino III. & Licinio* III. VI. *Idus Decembris, Rufius Volusianus P. V.*
314. *Volusiano & Anniano. Rufius Volusianus P. V.*
315. *Constantino* IV. *& Licinio* IV. XIII. *Kalendas Septembris, Vettius Rufinus P. V.*
316. *Sabino & Rufino. Pridie Nonas Augusti, Ovinius Gallicanus P. V.*
317. *Consules quos jusserint DD. NN. Augusti, ex die* XIII. *Kalendas Martii, Gallicano & Basso. Idibus Maji, Septimius Bassus P. V.*
318. *Licinio V. & Crispo Cæsare. ex die* III. *Idus Julii in Idus Augusti, vice illius cognovit Julius Cassius, eo quod ad Augustum profectus est. Septimius Bassus regressus P. V.*
319. *Constantino* V. *& Licinio Cæsare. Kalendas Septembris, Valerius Maximus Basilius P. V.*
320. *Constantino* VI. *& Constantino Cæsare. Valerius Maximus P. V.*
321. *Crispo* II. *& Constantio* II. *Valerius Maximus P. V.*
322. *Probiano & Juliano. Valerius Maximus P. V.*
323. *Severo & Rufino. Idibus Septembris, Lucer. Verinus P. V.*
324. *Crispo* III. *& Constantio* III. *Lucer. Verinus P. V.*
325. *Paulino & Juliano. Pridie Nonas Januarii, Acilius Severus P. V.*
326. *Constantino* VII. *& Constantio Cæsare. Idibus Novembris, Anicius Julianus P. V.*
327. *Constantio & Maximo. Anicius Julianus P. V.*
328. *Januarino & Justo. Anicius Julianus P. V.*
329. *Constantino* VIII. *& Constantino* IV. VII. *Idus Septembris, Publilius Optatianus P. V. dies* XXI. *Item* VIII. *Idus Octobris, Petronius Probianus P. V.*
330. *Gallicano & Symmacho. Petronius Probianus P. V.*
331. *Basso & Ablavio. Pridie Idus Aprilis, Anicius Paulinus P. V.*
332. *Pacatiano & Hilariano. Anicius Paulinus P. V.*
333. *Dalmatio & Zenofilo. Septimo Idus Aprilis, Publilius Optatianus P. V. Item in dies* XXXII. *Item sexto Idus Majas, Cejonius Julianus Kamenius P. V.*
334. *Optato & Paulino.* V. *Kalendas Maji, Anicius Paulinus P. V.*
335. *Constantio & Paulino.* III. *Kalendas Januarii, Rufius Albinus P. V.*
336. *Nepotiano & Facundo. Rufius Albinus P. V.*
337. *Feliciano & Titiano.* VII. *Idus Martii, Valerius Proculus P. V.*
338. *Urso & Polemio. Idibus Januarii, Mecilinius Hilarianus P. V.*
339. *Constantio* II. *& Constante. Pridie Idus Julias, Turgius Apronianus, Menses* III. *P. V. Item* VIII. *Kalendas Novembris, Fabius Titianus P. V.*
340. *Acyndino & Proculo. ex die* III. *Nonas Maji, in* VII. *Idus Junii, Junius Tertullus Vicarius cognovit, eo quod ad Augustum profectus est. postea reversus Fabius Titianus P. V.*
341. *Marcellino & Probino.* V. *Kalendas Martii, Aurelius Celsinus P. V.*
342. *Constantio* III. *& Constante* II. *Kalendas Aprilis, Filolianus Mavortius Menses* III. *dies* VI. *P. V. Item Pridie Nonas Julias, Aco Catulinus Philomatius P. V.*
343. *Placido & Romulo. Aco Catulinus P. V.*
344. *Leontio & Salustio. Aco Catulinus P. V. sed* III. *Idus Aprilis, Quintus Rusticus P. V.*
345. *Amantio & Albino. Quintus Rusticus P. V.* III. *Nonas Julias, Probinus P. V.*
346. *Post Consulatum Amantii & Albini, Probinus P. V.* VII. *Kalendas Januarii, Placidus P. V.*
347. *Rufino & Eusebio. Placidus P. V. Pridie Idus Junias, Limenius Præfectus Prætorio & Urbi.*
348. *Philippo & Salia. Ulpius Limenius Præfectus Prætorio & Urbi.*
349. *Limenio & Catulino. Limenius Præfectus Prætorio & Urbi. Cessaverunt Præfectura dies* XLI. *a die* VI. *Idus Aprilis usque in* XV. *Kalendas Junii.* XIV. *Kalendas Junii, Hermogenes Præfectus Prætorio & Urbi.*
350. *Sergio & Nigriniano. Hermogenes Præfectus Prætorio & Urbi.* III. *Kalendas Martii, Fabius Titianus P. V.*
351. *Magnentio & Gaisono. Fabius Titianus P. V. Iterum Kalendas Martii, Aurelius Celsinus P. V. Iterum* IV. *Idus Maji, Celius Probatus P. V.* VII. *Idus Junii, Clodius Adelfius P. V.* XV. *Kalendas Januarias, Valerius Proculus P. V.*
352. *Decentio & Paulo. Valerius Proculus P. V. Iterum* V. *Idus Septembris, Septimius Mnasea P. V.* VI. *Kalendas Octobris, Neratius Cerealis P. V.*
353. *Constantio* VI. *& Constantio* II. *Neratius Cerealis P. V.* VI. *Idus Decembris, Vitrasius Orfitus P. V.*
354. *Constantio* VII. *& Constantio* III. *Vitrasius Orfitus Præfectus Urbis.*

Libelli

c Eraclius Cusp. & Onuph. d Cusp. & Onuph. addunt hic, Diocletiano.

Libelli hujus fidem periclitari, & firmare consilium est.

a Anno Christi 277. *Probum & Paulinum Consules* exhibet. recte. etiam ad Epiphanii mentem, qui Hæresi 66. §. 20. *ab Ascensione Christi, ad Manem hereticum, & Aurelianum ac Probum Imperatores* (alterum scilicet excedentem, alterum ineuntem) *annos subducit* ait 246. *aut secundum alios* (ab Nativitate scilicet, non ut ibidem habetur, ab Ascensione Christi) 267. plane ad amussim Dionysianam, qua Nativitatis Christi Epocha, Christi Passionem annis tantum 30. ex veterum Patrum sententia, præcurrit. Igitur primum Probi Consulatum, collega Paulino, cum sequentis anni Christi 277. Kalendis Januarii, recte comparat Libellus iste; ex prisco more scilicet, quo primo, ab inito Imperio, Januarii Kalendis, consulatum inire solebant novi Imperatores. Sanctus Leo Serm. 2. de Pentecoste, *ab Resurrectione Domini ad Probum Paulinumque Consules, annos* ait *impletos* 260. Qui numerus melius ex Epiphanio legeretur 246. quod ante nos Baronius etiam ex parte advertit. qui licet Epocham Christi vulgarem biennio huc usque pæne prævertat; &, ut in eam cum certa Diocletiani Æra relabatur, Fastos per hæc tempora commisceat; hunc Probi tamen ac Paulini Consulatum cum anno Christi 277. bene componit.

b Rursum nihil in Chronologia certius, quam Diocletiani, seu Martyrum Æram Ægyptiacam inire ab Toth, seu 30. Augusti, anni Christi 284. Quod & Chronicon Alexandrinum innuit, & confirmat, cum *Diocletianum Chalcedone renuntiatum Imperatorem* XV. *Kalendas Octobris, Nicomediam* XV. *Kalendas easdem purpuratum intrasse, & Kalendas Januarias* (anni scilicet proximi 285. ex novorum Imperatorum more jam dicto) *Consulem prodiisse* scribit. *c* Libellus hic aptissime anno eo Christi 285. Diocletianum & Aristobulum adscribit. Jam ejusdem Diocletiani IX. & Maximiani VIII. Consulatum anno Christi 304. ut & Constantini Liciniique III. anno Christi 313. omnino conjungendos superius ostendi. Hoc Libellus hic ad amussim præstat.

d Nicænam Synodum initam Æra Augusti Hispanica 363. XIII. Kalendas Julias, Paulino & Juliano Consulibus, docet Actio 2. Concilii Chalcedonensis: anno Alexandreo, seu Edessenorum 636. ut Socrates lib. 1. cap. 9. Est omnino is annus Christi vulgatus 325. cum quo optime Paulinum & Julianum Consules pariat hic Libellus.

e Excessisse Constantinum Imperatorem *Titiano & Feliciano Consulibus*, scribit Socrates lib. 1. c. ult. Addit Eusebius libro Vitæ ejus 4. cap. 64. id factum XI. *Kalendas Junias*, seu 22. Maji, *ipsa die Pentecostes.* qui character annum Christi vulgarem 337. prorsus evincit. Recte igitur Libellus hic Titianum & Felicianum Consules cum eo anno colligat.

f Denique, queritur Aurelius Victor in Philippo, annum, quo Sallea & Philippus Consules fuerunt, nullis Sæcularibus Ludis *frequentatum*; licet annus Urbis conditæ, ut ait, *post mille centesimus excessisset*. erat Christi 348. Victorianæ Periodi 321. Id etiam Libello huic per omnia consonat. ut & Victorio nostro, qui ab anno 346. ut jam dixi, in gratiam cum vera Consulum serie rediit.

Hæc paulo accuratius annotare consilium fuit, ut Fastos ab Victorio nostro, Cassiodoro, aliisque per priores trecentenos Christi annos mire confusos, & ab Onuphrio uno, duobus a Baronio annis, ut in Epocham Christi communem relaberentur, succisos, pristino nitori restituerem.

a Certi Consules anni Christi 277.
b Initium Diocletiani, seu Aeræ Martyrum.

c Item anni 285. *d* 325. *e* 337. *f* 348.

FINIS.

FRAGMENTVM FASTORVM

ab anno Christi 205. ad 354, ex editione

ÆGIDII BVCHERII.

Annus	Litt.	Consules		Dies
205	F	*Antonino* II. *&* *Geta.*		*Mar.* XXII.
206	E	*Albino & Æmiliano.*		*Mer.* III.
207	D	*Caro & Maximo.*		*Jov.* XIV.
208	C B	*Antonino* III. *& Geta* II.	B	*Ven.* XXV.
209	A	*Pompejano & Avito.*		*Sol.* VI.
210	G	*Faustino & Rufino.*		*Lun.* XVII.
211	F	*Gentiano & Basso.*		*Mar.* XXVIII.
212	E D	*Duobus Aspris.*	B	*Mer.* IX.
213	C	*Antonino* IV. *& Balbino.*		*Ven.* XX.
214	B	*Messala & Sabino.*		*Sat.* I.
215	A	*Lato & Cereale.*		*Sol.* XII.
216	G F	*Sabino & Anulino.*	B	*Lun.* XXIII.
217	E	*Præsente & Extricato.*		*Mer.* IV.
218	D	*Antonino & Advento.*		*Jov.* XV.
219	C	*Antonino* II. *& Sacerdote.*		*Ven.* XXVI.
220	B A	*Antonino* III. *& Comazonte.*	B	*Sat.* VII.
221	G	*Grato & Seleuco.*		*Lun.* XVIII.
222	F	*Antonino* IV. *& Alexandro.*		*Mar.* XXIX.
223	E	*Maximo & Heliano.*		*Mer.* X.
224	C D	*Juliano & Crispino.*	B	*Jov.* XXI.
225	B	*Fusco & Dextro.*		*Sat.* II.
226	A	*Alexandro* II. *& Marcello.*		*Sol.* XIV.
227	G	*Sabino & Maximo.*		*Lun.* XXV.
228	F E	*Modesto & Probo.*	B	*Mar.* VI.
229	D	*Alexandro* III. *& Dione.*		*Jov.* XVII.
230	C	*Agricola & Clementino.*		*Ven.* XXIIX.
231	B	*Pompejano & Pelignano.*		*Sat.* IX.
232	A G	*Lupo & Maximo.*	B	*Sol.* XX.
233	F	*Maximo & Paterno.*		*Mar.* I.
234	E	*Maximo* II. *& Urbano.*		*Mer.* XII.
235	D	*Severo & Quintiano.*		*Jov.* XXIII.
236	C B	*Maximino & Africano.*	B	*Ven.* IV.
237	A	*Perpetuo & Cornelano.*		*Sol.* XV.
238	G	*Pio* (al. Ulpio) *& Pontiano.*		*Lun.* XXVII.
239	F	*Gordiano & Aviola.*		*Mar.* VIII.
240	E D	*Sabino & Venusto.*	B	*Mer.* XIX.
241	C	*Gordiano & Pompejano.*		*Ven.* XXX.
242	B	*Attico & Prætextato.*		*Sat.* XI.
243	A	*Arriano & Papo.*		*Sol.* XXII.
244	G F	*Peregrino & Æmiliano.*	B	*Lun.* III.
245	E	*Philippo & Titiano.*		*Mer.* XIV.
246	D	*Præsente & Albino.*		*Jov.* XXV.
247	C	*Philippo* II. *& Philippo.*		*Ven.* VI.
248	B A	*Philippo* III. *& Philippo* II.	B	*Sat.* XVII.
249	G	*Æmiliano & Aquilino.*		*Lun.* XXVIII.
250	F	*Decio* II. *& Grato.*		*Mar.* IX.
251	E	*Decio* III. *& Decio Cæsare.*		*Mer.* XXI.
252	D C	*Gallo* II. *& Volusiano.*	B	*Jov.* II.
253	B	*Volusiano* II. *& Maximo.*		*Sat.* XIII.
254	A	*Valeriano* II. *& Gallieno.*		*Sol.* XXIV.
255	G	*Valeriano* III. *& Gallieno* II.		*Lun.* V.
256	F E	*Maximo & Glabrione.*	B	*Mar.* XVI.
257	D	*Valeriano.* IV. *& Gallieno* III.		*Jov.* XXVII.
258	C	*Tusco & Basso.*		*Ven.* VIII.
259	B	*Æmiliano & Basso.*		*Sat.* XIX.
260	A G	*Seculare & Donato.*	B	*Sol.* XXX.
261	F	*Gallieno* IV. *& Volusiano.*		*Mar.* XI.
262	E	*Gallieno* V. *& Faustino.*		*Mer.* XXIII.
263	D	*Albino & Dextro.*		*Jov.* IV.
264	C B	*Gallieno* VI. *& Saturnino.*	B	*Ven.* XV.
265	A	*Valeriano* II. *& Lucillo.*		*Sol.* XXVI.
266	G	*Gallieno* VII. *& Sabinillo.*		*Lun.* VII.
267	F	*Paterno & Arcesilao.*		*Mar.* XVIII.

268	ED	*Paterno* ii. & *Martiniano.*	B	*Mer.* xxix.	
269	C	*Claudio & Paterno.*		*Ven.* x.	
270	B	*Antiochiano & Orfito.*		*Sat.* xxi.	
271	A	*Aureliano & Basso.*		*Sol.* ii.	
272	GF	*Quieto & Voldumiano.*	B	*Lun.* xiii.	
273	E	*Tacito & Placidiano.*		*Mer.* xxiv.	
274	D	*Aureliano* ii. & *Capitolino.*		*Jov.* vi.	
275	C	*Aureliano* iii. & *Marcellino.*		*Ven.* xvii.	
276	BA	*Tacito* ii. & *Æmiliano.*	B	*Sat.* xxviii.	
277	G	*Probo & Paulino.*		*Lun.* viiii.	
278	F	*Probo* ii. & *Lupo.*		*Mar.* xx.	
279	E	*Probo* iii. & *Paterno.*		*Mer.* i.	
280	DC	*Messala & Grato.*	B	*Jov.* xii.	
281	B	*Probo* iv. & *Tiberiano.*		*Sat.* xxiii.	
282	A	*Probo* v. & *Victorino.*		*Sol.* iv.	
283	G	*Caro & Carino.*		*Lun.* xv.	
284	FE	*Carino* ii. & *Numeriano.*	B	*Mar.* xxv.*	* lege xxvi.
285	D	*Diocletiano* ii. & *Aristobulo.*		*Jov.* vii.	
286	C	*Maximo* ii. & *Aquilino.*		*Ven.* xviii.	
287	B	*Diocletiano* iii. & *Maximiano.*		*Sat.* xxx.	
288	AG	*Maximiano* ii. & *Januario.*	B	*Sol.* xi.	
289	F	*Basso* ii. & *Quintiano.*		*Mar.* xxii.	
290	E	*Diocletiano* iv. & *Maximiano* iii.		*Mer.* iii.	
291	D	*Tiberiano & Dione.*		*Jov.* xiv.	
292	CB	*Annibaliano & Asclepiodoto.*	B	*Ven.* xxv.	
293	A	*Diocletiano* v. & *Maximiano* iv.		*Sol.* vi.	
294	G	*Constantio & Maximiano.*		*Lun.* xvii.	
295	F	*Tusco & Anullino.*		*Mar.* xxviii.	
296	ED	*Diocletiano* vi. & *Constantio* ii.	B	*Mer.* viiii.	
297	C	*Maximiano* v. & *Maximiano* ii.		*Ven.* xx.	
298	B	*Fausto* ii. & *Gallo.*		*Sat.* i.	
299	A	*Diocletiano* vii. & *Maximiano* vi.		*Sol.* xii.	
300	GF	*Constantio* iii. & *Maximiano* iii.	B	*Lun.* xxiii.	
301	E	*Titiano & Nepotiano.*		*Mer.* iv.	
302	D	*Constantio* iv. & *Maximiano* iv.		*Jov.* xv.	
303	C	*Diocletiano* viii. & *Maximiano* vii.		*Ven.* xxvi.	
304	BA	*Diocletiano* ix. & *Maximiano* viii.	B	*Sat.* vii.	
305	G	*Constantio* v. & *Maximiano* v.		*Lun.* xviii.	
306	F	*Constantio* vi. & *Maximiano* vi.		*Mar.* xxix.	
307	E	*Novies & Constantino.*		*Mer.* x.	
308	DC	*Decies & Maximiano* vii.	B	*Jov.* xxi.	
309	B	*Post Consul.* x. & vii.		*Sat.* ii.	
310	A	*Anno* ii. *post Consul.* x. & vii.		*Sol.* xiii.	
311	G	*Maximiano* viii. *Solo.*		*Lun.* xxv.	
312	FE	*Constantino* ii. & *Licinio* ii.	B	*Mar.* vi.	
313	D	*Constantino* iii. & *Licinio* iii.		*Jov.* xvii.	
314	C	*Volusiano & Anniano.*		*Ven.* xviii.*	* puto legendum xxviii.
315	B	*Constantino* iv. & *Licinio* iv.		*Sat.* ix.	
316	AG	*Sabino & Rufino.*	B	*Sol.* xx.	
317	F	*Gallicano & Basso.*		*Mar.* i.	
318	E	*Licinio* v. & *Crispo.*		*Mer.* xii.	
319	D	*Constantino* v. & *Licinio.*		*Jov.* xxiii.	
320	CB	*Constantino* vi. & *Constantino.*	B	*Ven.* iv.	
321	A	*Crispo* ii. & *Constantino* ii.		*Sol.* xv.	
322	G	*Probiano & Juliano.*		*Lun.* xxvii.	
323	F	*Severo & Rufino.*		*Mar.* viii.	
324	ED	*Crispo* iii. & *Constantino* iii.	B	*Mer.* xix.	
325	C	*Paulino & Juliano.*		*Ven.* xxx.	
326	B	*Constantino* vii. & *Constantio.*		*Sat.* xi.	
327	A	*Constantio & Maximo.*		*Sol.* xxii.	
328	GF	*Januarino & Justo.*	B	*Lun.* iii.	
329	E	*Constantino* viii. & *Constantino* iv.		*Mer.* xiv.	
330	D	*Gallicano & Symmacho.*		*Jov.* xxv.	
331	C	*Basso & Ablavio.*		*Ven.* vi.	
332	BA	*Pacatiano & Hilariano.*	B	*Sat.* xvii.	
333	G	*Dalmatio & Zenofilo.*		*Lun.* xxviii.	
334	F	*Optato & Paulino.*		*Mar.* x.	
335	E	*Constantio & Albino.*		*Mer.* xxi.	
336	DC	*Nepotiano & Facundo.*	B	*Jov.* ii.	
337	B	*Feliciano & Titiano.*		*Sat.* xiii.	
338	A	*Urso & Polemio.*		*Sol.* xxiv.	
339	G	*Constantio* ii. & *Constante.*		*Lun.* v.	
340	FE	*Aquindino & Proculo.*	B	*Mar.* xvi.	

341	D	*Marcellino & Probino.*		*Jov.*	XXVII.
342	C	*Constantio* III. *& Constante* II.		*Ven.*	VIII.
343	B	*Placido & Romulo.*		*Sat.*	XIX.
344	A G	*Leontio & Sallustio.*	B	*Sol.*	XXX.
345	F	*Amantio & Albino.*		*Mar.*	XI.
346	E	*Post Amantio & Albino.*		*Mer.*	XXIII.
347	D	*Rufino & Eusebio.*		*Jov.*	IV.
348	C B	*Philippo & Salia.*	B	*Ven.*	XV.
349	A	*Limenio & Catullino.*		*Sol.*	XXVI.
350	G	*Sergio & Nigriniano.*		*Lun.*	VII.
351	F	*Post Sergio & Nigriniano.*		*Mar.*	XVIII.
352	E D	*Constantio* V. *& Constantio Cæs.*	B	*Mer.*	XXIX.
353	C	*Constantio* VI. *& Constantio* II.		*Ven.*	X.
354	B	*Constantio* VII. *& Constantio* III.		*Sat.*	XXII.

Fragmenti certitudo.

Hucusque in vetustissima membrana Consulum Fasti, sane bene, & multo melius quam a Victorio Prosperoque digesti; totque insuper Feriarum Epactarumque in Kalendis Januariis characteribus tam apte confirmati, ut iis antiquiores juxta ac meliores hactenus videre non contigerit. Feriæ quidem certæ sunt, ac probè constant. In Epactas nullusne error irrepserit, æque asserere non ausim. Nec enim earum mihi methodus ratione perspecta: neque semper per undecim, sed subinde etiam per duodecim succrescunt; idque varia & incerta annorum quantitate. Denique illæ, quæ ab anno Christi 312. ad 354. per annos 43. decurrunt, diebus sequentis Laterculi Paschalibus non semper convenire videntur. de quo magis cogitandum existimo. Ceterum non parvi faciendum hoc qualecumque Fastorum fragmentum; quando Prosperi, Victorii, Cassiodorique Consules non parum turbatos in debitum ordinem revocare potest; & præterea tot Feriarum characteribus id saltem præstat, ut certa sit annorum istorum quantitas, cui nullus alius facile inculcari, nullus detrahi possit. Mirum, si Prosper Victoriusque non viderint. Nam Victorius quidem Consules suos similibus Feriarum Epactarumque characteribus, ad hujus plane imitationem, distinxisse videtur. Contra, majoris admirationis est, quomodo, si viderit, tam perversam Consulum seriem huic multo verius digestæ prætulerit. Rem omnem Lectori discutiendam relinquo. Qui mecum hic interim advertere poterit, Fastos hosce optime cum Libello de Præfectis Urbis supra exscripto consentire: demptis solis bellorum civilium annis, primo Constantini Magni contra Maxentium, deinde filii ejus Constantii contra Magnentium: quibus Libellus de Præfectis Consules, qui Romæ sub Tyrannis fuere, consignat: hi vero Fasti illis expunctis Cæsares victores plerumque substituunt. Quod percommode fit: sic enim partis utriusque Consules habemus. idque forte Auctor, si idem est, intendit. Fastos tamen hosce nostros imitantur Idatiani, a Sirmundo nostro editi.

Post illam Consulum enumerationem sequebatur in membrana veteri, Paschalis centum annorum Laterculus, sine ullo tamen titulo: unde nec Cuspinianus, nec Rosweydus noster, quid sibi vellet, umquam assecuti videntur. Neque vero nos forte magis assecuti fuissemus, si Victorii Canonem, Prosperianum 84. annorum Cyclum, Paschalesque Latinorum Regulas, longo jam usu non trivissemus. Dum ista mente manuque assidue versamus, facile in similium cognitionem penetravimus. Sane Canonem suum Victorius, ad hujus Laterculi ideam pæne effinxit: ut non dubitem, eum ex isto Laterculo in sua Periodo concinnanda non mediocriter adjutum. Latinorum quorumdam fuisse existimo, ut infra ostendam. Nunc illum primo fideliter, ut in manuscripto jacebat, repræsentemus, etiam cum mendis, & invecta in eum non parva Consulum Paschatumque perturbatione, a manu seu negligenti, seu temeraria, seu maligna: nec enim id a tam docto Auctore manare potest. Incipit (a) ab anno Christi vulgari 312. & ad 411. pertexitur, in hunc modum:

(a) PASCHALIS centum annorum Laterculus, ab anno Christi 312. ad 411.

* Lege Idibus. ex litera Dominicali E.	B.	*Constantino* II. *& Licinio* II.	*	III.	*Idus*	*April.*
		Constantino III. *& Licinio* III.	†	III.	*Kal.*	*April.*
		Valeriano & Anniano.		XIV.	*Kal.*	*Maji.*
		Constantino IV. *& Licinio* IV.	*	III.	*Idus*	*April.*
† Lege IV. * Lege IV.	B.	*Sabino & Rufino.*		VIII.	*Kal.*	*April.*
		Gallicano & Basso.		XVIII.	*Kal.*	*Maji.*
		Licinio V. *& Crispo.*		VIII.	*Idus*	*April.*
		Constantino V. *& Licinio.*		IV.	*Kal.*	*April.*
* Lege IV.	B.	*Constantino* VI. *& Constantino.*	*	III.	*Idus*	*April.*
		Crispo II. *& Constantino* II.		IV.	*Non.*	*April.*
		Probiano & Juliano.		VIII.	*Kal.*	*April.*
		Severo & Rufo.		VII.	*Idus*	*April.*
	B.	*Crispo* III. *& Constantino* III.		IV.	*Kal.*	*April.*
		Paulino & Juliano.		XIV.	*Kal.*	*Maji.*
* lege IV.		*Constantino* VII. *& Constantio.*	*	III.	*Idus*	*April.*
		Constantio & Maximo.		VII.	*Kal.*	*April.*
* lege XVIII.	B.	*Januarino & Justo.*	*	XVIIII.	*Kal.*	*Maji.*
		Constantino VIII. *& Constantino* IV.		VIII.	*Idus*	*April.*
* repone XIII.		*Gallicano & Symmacho.*	*	III.	*Kal.*	*Maji.*
		Basso & Ablavio.		III.	*Idus*	*April.*
	B.	*Pacatiano & Hilariano.*		IV.	*Non.*	*April.*
		Dalmatio & Zenofilo.		XVII.	*Kal.*	*Maji.*
		Optato & Paulino.		VII.	*Idus*	*April.*
		Constantio & Albino.		III.	*Kal.*	*April.*
	B.	*Nepotiano & Facundo.*		XIV.	*Kal.*	*Maji.*

Feliciano

	Felitiano & Titiano.	III.	*Non.*	*April.*	
	Urso & Polemio.	* VIII.	*Kal.*	*April.*	* lege VII.
	Constantio II. *& Constante.*	XVII.	*Kal.*	*Maji.*	
B.	*Acyndino & Proculo.*	III.	*Kal.*	*April.*	
	Marcellino & Probino.	XIII.	*Kal.*	*Maji.*	
	Constantio III. *& Constante* II.	III.	*Idus*	*April.*	
	Placido & Romulo.	III.	*Non.*	*April.*	
B.	*Leontio & Sallustio.*	XVII.	*Kal.*	*Maji.*	
	Amantio & Albino.	VII.	*Idus*	*April.*	
	Post Amantio & Albino.	III.	*Kal.*	*April.*	
	Rufino & Eusebio.	*Prid.*	*Idus*	*April.*	
B.	*Philippo & Salia.*	III.	*Non.*	*April.*	
	Limenio & Catulino.	* VI.	*Kal.*	*April.*	* lege VII.
	Sergio & Nigriniano.	XVII.	*Kal.*	*Maji.*	
	Post Sergio & Nigriniano.	*Prid.*	*Kal.*	*April.*	
B.	*Constantio* V. *& Constantio Jun.*	* XI.	*Kal.*	*Maji.*	* lege XIII.
	Constantio VI. *& Constantio* II.	III.	*Idus*	*April.*	
	Constantio VII. *& Constantio* III.	VI.	*Kal.*	*April.*	
	Arbitione & Lolliano.	XVI.	*Kal.*	*Maji.*	
B.	*Constantio* VIII. *& Juliano* I.	VII.	*Idus*	*April.*	
	Constantio IX. *& Juliano* II.	III.	*Kal.*	*April.*	* Desunt hic novem paria Consulum. Hinc magna deinceps perturbatio.
	* *Datiano & Cereale.*	*Prid.*	*Idus*	*April.*	
	Valentiniano II. *& Valente* II.	*Prid.*	*Non.*	*April.*	
B.	*Valentiniano Nobiliss. & Victore.*	XVI.	*Kal.*	*Maji.*	
	Valentiano III. *& Valente* III.	VI.	*Idus*	*April.*	
	Gratiano II. *& Probo.*	VI.	*Idus*	*April.*	† Hæc octo Paschata sunt eadem cum totidem præcedentibus, & hic vitiose repetuntur. Hinc major confusio.
	Modesto & Arintheo.	XVI.	*Kal.*	*Maji.*	
B.	*Valentiniano* IV. *& Valente* IV.	VII.	*Idus*	*April.*	
	Gratiano III. *& Equitio.*	† III.	*Kal.*	*April.*	
	P. C. Gratiani. III. *& Equitii.*	*Prid.*	*Idus*	*April.*	
	Valente V. *& Valentiano Cæs. Jun.*	*Prid.*	*Non.*	*April.*	
B.	*Gratiano & Merobaude.*	XVI.	*Kal.*	*Maji.*	
	P. C. Gratiani & Merobaudis.	VI.	*Idus*	*April.*	
	Valente VI. *& Valentiniano Jun.*	*Prid.*	*Kal.*	*April.*	
	Olybrio & Ausonio.	XII.	*Kal.*	*Maji.*	
B.	*Gratiano* V. *& Theodosio.*	*Prid.*	*Non.*	*April.*	
	Syagrio & Eucherio.	VI.	*Kal.*	*April.*	
	Antonio & Evagrio.	XVI.	*Kal.*	*Maji.*	
	Saturno & Syagrio.		*Kal.*	*April.*	
B.	*Ricomede & Clearcho.*	XII.	*Kal.*	*Maji.*	
	Arcadio & Bautone.	*Prid.*	*Idus*	*April.*	
	Honorio & Evodio.	V.	*Kal.*	*April.*	
	Valentiniano III. *& Eutropio.*	XV.	*Kal.*	*Maji.*	
B.	*Theodosio* II. *& Cynegio.*	VI.	*Kal.*	*April.*	
	Timasio & Promoto.	* VIII.	*Kal.*	*April.*	* lege IX.
	Valentiniano IV. *& Neoterio.*		*Idib.*	*April.*	seu VIIII.
	Tatiano & Symmacho.		*Non.*	*April.*	
B.	*Arcadio Aug.* II. *& Rufino.*	VI.	*Kal.*	*April.*	
	Theodosio Aug. III. *& Abundantio.*	XVI.	*Kal.*	*Maji.*	
	Arcadio Aug. III. *& Honorio* II.		*Kal.*	*April.*	
	Olybrio & Probino.	XI.	*Kal.*	*Maji.*	
B.	*Arcadio Aug.* IV. *& Honorio Aug.* III.	*Prid.*	*Idus*	*April.*	
	Cæsario & Attico.	* VI.	*Kal.*	*April.*	* repone V.
	Honorio Aug. IV. *& Eutychiano.*	† XVI.	*Kal.*	*Maji.*	† lege XV.
	Eutropio & Theodoro.	V.	*Idus*	*April.*	
B.	*Stilicone & Aureliano.*	* VIII.	*Kal.*	*April.*	* VIIII.
	Vincentio & Stravito.		*Idib.*	*April.*	seu IX.
	Arcadio Aug. V. *& Honorio Aug.* V.		*Non.*	*April.*	
	Theodosio Aug. & Rumoredo.	XIV.	*Kal.*	*Maji.*	
B.	*Honorio* VI. *& Aristeneto.*	V.	*Idus*	*April.*	
	Stilicone II. *& Anthemio.*		*Kal.*	*April.*	
	Arcadio VI. *& Probo.*	XI.	*Kal.*	*Maji.*	
	Theodosio II. *& Honorio* VI.	VIII.	*Idus*	*April.*	
B.	*Basso & Philippo.*	V.	*Kal.*	*April.*	
	Theodosio III. *& Honorio* VII.	XV.	*Kal.*	*Maji.*	
	Varrano &	IV.	*Non.*	*April.*	
		* VII.	*Kal.*	*April.*	* repone
			Idib.	*April.*	VIII.
			Non.	*April.*	
		† XIII.	*Kal.*	*Maji.*	† lege XIV.
		* III.	*Idus*	*April.*	* lege IV.
			Kal.	*April.*	
		† XVII.	*Kal.*	*Maji.*	† lege XVIII.

III. *Kal.*

	III.	*Kal.*	*April.*
* Deest hic unius anni Pascha	*		
	IV.	*Idus*	*April.*
	IV.	*Non.*	*April.*
† lege VIII.	† VII.	*Kal.*	*April.*
	XVIII.	*Kal.*	*Maji.*
* lege Kal.	IV.	*No**.	*April.*
	XIV.	*Kal.*	*Maji.*
	IV.	*Idus*	*April.*
	VII.	*Kal.*	*April.*

ANNO CENTESIMO.

Ita Laterculus Paschalis *a*, cum pluribus quidem & gravibus, quæ in Codice manuscripto inerant, mendis, sed bona fide descriptus. Quæ priusquam detegamus & corrigamus, sciendum est, Laterculum hunc non nisi centum annorum esse; tametsi octo præterea accesserint: quando unius, qui a fine octavus est, lacunam etiam Codex exhibet. Id ternis maxime argumentis efficitur: tum quia Laterculus ipse clare, ANNO CENTESIMO concludi dicitur: tum quia tam Paschatum quam literarum Dominicalium characteres infallibiles ita determinant: tum denique, quia menda sublata id quoque necessario convincunt. Menda præcipua & graviora sunt: Primum *b*, post *Datianum & Cerealem* certos anni Christi 358. Consules, novem aliorum Consulum paria omittuntur; ut patet ex nostra ad Victorii Tabulas Appendice. econtra annus Christi 378. notatur hic *P. C. Gratiani* III. *& Merobaudis;* qui Consulatus aut numquam fuit, aut cum *Valente sexto & Valentiniani secundo* coincidit. & tamen aut excludendus non est, aut alius ei sufficiendus, ut centum Consulum collegia expleantur. Nos alium sufficere maluimus, ut correctio, quæ hic necessario adhibenda, integra esset, & veram Consulum seriem exhiberet. Nemo enim nescit, Ausonii Olybriique fasces in annum Christi vulgarem 379. & Varranis in 410. incidere. quos tamen, ut & intermedios, unius anni metachronismo devolvere cogimur, si male inculcatus iste Consulatus non extruditur. eo extruso, & alio ad annum Laterculi postremum sive centesimum substituto, suis omnes sedibus apte restituuntur, &, ut membrana monet, ANNO CENTESIMO concluduntur. Ac ego quidem ab ipso hujusque Laterculi auctore, aut exscriptore (nam Laterculi & aliorum Opusculorum diversi auctores esse possunt) quem doctum animadverto, Consules ultra *Constantium* VII. *& Constantium Juniorem* III. id est, annum Christi 354. primum appositos non existimo; quo Laterculum, ut & cetera membranæ hujus Opuscula, in lucem emisisse, aut saltem exscripsisse videtur, ut jam monui. Potuit tamen ad aliquot inde annos supervixisse, & succrescentes aliquot Consules prioribus adjunxisse; forte usque ad *Datianum*, aut, ut alii, *Tatianum & Cerealem.* Nam eos lacuna illa novem parium Consularium statim excipit, & quasi adjectam recentioris cujuspiam & indocti manum significat.

Alterum *c*, idque gravius, mendum superflua & supina octo Paschatum repetitione commissum est. Cum enim (quantum conjectura consequi possum) quidpiam circa medios Laterculi annos omissum Librarius bene animadverteret; omissionis labem non Consulibus (ut vera tamen erat) sed Paschatibus, licet probe digestis, affusam, nescio qua mentis evagatione, existimavit. Annorum igitur octo Paschata supine repetiit. & novem Consulum Collegiis male omissis substituit; errorem errore cumulans. Sic enim factum, primo, ut Paschalis iste Laterculus ANNO CENTESIMO (quod tamen expresse monet Codex manuscriptus) non expleatur: tum ut posteriorum 17. annorum Paschata sine Consulibus ullis adscribantur. totidem enim annorum lacunam omissa novem Consulum paria, & octo superflue repetita Paschata producere necessum est. Vitiosam tamen hanc omissionem antiquissimam esse oportet, quando illam non nostra modo, sed & Cuspiniani Membrana vetustissima præferebat. Sic enim Cuspinianus ad suum Urbis conditæ annum 1122. seu Christi, ut putat, 372. *Auctor*, inquit, *ignotus; qui sola Consulum nomina scripsit cum diebus, hoc loco ita scribit: Valentiniano Nobiliss. & Victore*, XVI. *Idus Aprilis.* Repone, ut rectius in nostra Membrana habetur, XVI. *Kalendas Maji.* Quid est enim XVI. Idus? VIII. Idus, ut summum, dicunt Romani. sed Cuspinianus binos Paschales sibi contiguos dies in unum confudit, ut in superiore Laterculo videre potes. Ceterum *Valentiniano N. P. & Victore Coss.* seu anno Christi vulgari 369. Pascha pridie Idus Aprilis celebratum est. Quod autem XVI. Kalendas Maji notare cum Membrana vult Cuspinianus, est anni 360. toto novennio anterius, ex pari Consulum omissione: de qua nihil ille.

d Tertii quoque generis menda, sed leviora, isto Laterculo continentur, in Romanis dierum Paschalium numeris. ut cum III. pro XIII. Kalendas legimus. III. pro IV. XVIIII. pro XVIII. &c. nos hæc & similia ex Dominicali Paschæ litera facile correximus, & in margine annotavimus.

His ita decretis atque firmatis, Laterculum suo jam nitori restitutum exhibeamus. Ternos ille dumtaxat versus ab Auctore suo nactus erat. Primus erat annorum Bissextilium, qui singulis quadriennis litera B. designabantur. Secundus Consulum, quorum novem paria omissa jam monuimus. Nec nos tamen lacunam illam explevimus: ut magis in oculos incurrat. Tertius erat dierum Paschalium, quos mendis ex litera Dominicali expurgatos hic damus. Præter hos versus, quaternos alios addere visum: Primum, annorum Christi communium: Secundum, Cycli Solis & literarum Dominicalium: Tertium, centum annorum Laterculi: Quartum, ex priorum Consulum Fastis, annuarum in Kalendis Januariis Feriarum. Epactas eorumdem Fastorum omisimus: quia Paschalibus Laterculi diebus non æque convenire videntur. Quæ res etiam diversos Fastorum Consularium & Laterculi Paschalis auctores fortassis insinuat, præsertim cum Fasti nonnisi sub Constantio conditi; Laterculus ad Nicænæ Synodi tempora propius accedere videatur. Quis scit, an non etiam paulo post Concilium Arelatense primum, anno Christi communi 314. habitum, contextus sit? cujus Canon primus ita Pontificem Romanum Silvestrum alloquitur: *Primo loco de observatione Pascha Dominici, ut uno die & uno tempore per omnem orbem a nobis observetur; & juxta consuetudinem literas ad omnes tu dirigas.* Ego in tanta caligine nihil temere definio. Laterculus emaculatus eccisto:

a *Menda Laterculi plusculo corriguntur.* b *Primum.* c *Tertii generis menda varia.* d *Secundum mendum.*

PASCHALIS CENTVM ANNORVM LATERCVLVS.

Anni Christi.	Cyclus Solis & lit. Domin.	Centum Anni Laterculi.	CONSVLES ROMANI Auctoris ignoti.	Anni Bissextilis.	FERIÆ Kalendarum Januarum.	DIES PASCHÆ.
312	13 FE	1	Constantino II. & Licinio II.	B	Mar.	Idibus Aprilis.
313	14 D	2	Constantino III. & Licinio III.		Jov.	IV. Kalendas Aprilis.
314	15 C	3	Volusiano & Aoniano.		Ven.	XIV. Kalendas Aprilis.
315	16 B	4	Constantino IV. & Licinio IV.		Sat.	IV. Idus Aprilis.
316	17 AG	5	Sabino & Rufino.	B	Sol.	VIII. Kalend. Aprilis.
317	18 F	6	Gallicano & Basso.		Mar.	XVIII. Kalendas Maji.
318	19 E	7	Licinio V. & Crispo.		Mer.	VIII. Idus Aprilis.
319	20 D	8	Constantino V. & Licinio.		Jov.	IV. Kalendas Aprilis. †
320	21 CB	9	Constantino VI. & Constantino.	B	Ven.	IV. Idus Aprilis.
321	22 A	10	Crispo II. & Constantino II.		Sol.	IV. Nonas Aprilis.
322	23 G	11	Probiano & Juliano.		Lun.	VIII. Kalend. Aprilis. *
323	24 F	12	Severo & Rufo.		Mar.	VII. Idus Aprilis.
324	25 ED	13	Crispo III. & Constantino III.	B	Mer.	IV. Kalendas Aprilis.
325	26 C	14	Paulino & Juliano.		Ven.	XIV. Kalendas Maji.
326	27 B	15	Constantino VII. & Constantio.		Sat.	IV. Idus Aprilis. †
327	28 A	16	Constantio & Maximo.		Sol.	VII. Kalendas Aprilis.
328	1 GF	17	Januarino & Justo.	B	Lun.	XVIII. Kalendas Maji.
329	2 E	18	Constantino VIII. & Constantino IV.		Mer.	VIII. Idus Aprilis.
330	3 D	19	Gallicano & Symmacho.		Jov.	XIII. Kalendas Maji.
331	4 C	20	Basso & Ablavio.		Ven.	III. Idus Aprilis.

LATERCULI hujus Epocha est annus insignis victoriæ, quam Constantinus de Maxentio virtute Crucis retulit.

† Victorio & Alexandr. XI. Kalendas Aprilis.

* Cum Latinis; cum Victorio & Alexand. est X. Kal. Maji.

SYNODVS NICAENA.

† Ità & Victorio, sed Alexandrinus est III. Non April.

PASCHALIS CENTUM ANNORUM LATERCULUS.

Anni Christi.	Cyclus Solis & lit. Domin.	Centum Anni Laterculi.	CONSULES ROMANI Auctoris ignoti.	Anni Biffextiles.	FERIÆ Kalendarum Januariarum.	DIES PASCHÆ.
332	5 BA	21	Pacatiano & Hilariano.	B	Sat.	iv. Nonas Aprilis.
333	6 G	22	Dalmatio & Zenofilo.		Lun.	xvii. Kalendas Maji. *
334	7 F	23	Optato & Paulino.		Mar.	vii. Idus Aprilis.
335	8 E	24	Conftantio & Albino.		Mer.	iii. Kalendas Aprilis.
336	9 DC	25	Nepotiano & Facundo.	B	Jov.	xiv. Kalendas Maji.
337	10 B	26	Feliciano & Titiano.		Sat.	iii. Nonas Aprilis.
338	11 A	27	Urfo & Polemio.		Sol.	vii. Kalend. Aprilis.
339	12 G	28	Conftantio ii. & Conftante.		Lun.	xvii. Kalendas Maji.
340	13 FE	29	Acyndino & Proculo.	B	Mar.	iii. Kalendas Aprilis.
341	14 D	30	Marcellino & Probino.		Jov.	xiii. Kalendas Maji.
342	15 C	31	Conftantio iii. & Conftante ii.		Ven.	iii. Idus Aprilis.
343	16 B	32	Placido & Romulo.		Sat.	iii. Nonas Aprilis. †
344	17 AG	33	Leontio & Salluftio.	B	Sol.	xvii. Kalendas Maji.
345	18 F	34	Amantio & Albino.		Mar.	vii. Idus Aprilis.
346	19 E	35	P. C. Amantii & Albini.		Mer.	iii. Kalendas Aprilis. *
347	20 D	36	Rufino & Eufebio.		Jov.	Pridie Idus Aprilis.
348	21 CB	37	Philippo & Salia.	B	Ven.	iii. Nonas Aprilis.
349	22 A	38	Limenio & Catullino.		Sol.	vii. Kalendas Aprilis †
350	23 G	39	Sergio & Nigriniano.		Lun.	xvii. Kalendas Maji. *
351	24 F	40	P. C. Sergii & Nigriniani		Mar.	Pridie Kalendas Aprilis.

* *Victorio & Alexandr.* x. Kalend. Maji.

† *Victorio & Alexandr.* vi. Kalend. Aprilis.

* *Ita & Victorius, sed Alexandr.* x. Kalend. Aprilis.

† *Ita & Latermi; at Victorius & Alexand.* ix. Kalend. Maji.

* *Victorio & Alexandr.* vi. Idus April.

PASCHALIS CENTVM ANNORVM LATERCVLVS.

Anni Christi.	Cyclus Solis & lit. Domin.	Centum Anni Laterculi.	CONSVLES ROMANI Auctoris ignoti.	Anni Bissextilis.	FERIÆ Kalendarum Januariarum.	DIES PASCHÆ.
352	25 ED	41	Constantio v. & Constantio Jun.	B	Mer.	XIII. Kalendas Maji.
353	26 C	42	Constantio VI. & Constantio II.		Ven.	III. Idus Aprilis.
354	27 B	43	Constantio VII. & Constantio III.		Sat.	VI. Kalendas Aprilis.
355	28 A	44	Arbetione & Lolliano.			XVI. Kalend. Maji.
356	1 GF	45	Constantio VIII. & Juliano I.	B	—	VII. Idus Aprilis.
357	2 E	46	Constantio IX. & Juliano II.		—	III. Kalend. Aprilis. †
358	3 D	47	Datiano & Cereale.		—	Pridie Idus Aprilis.
359	4 C	48	*Desunt in manuscripto novem annorum Consules, ut supra monui.*		*Desinebat hic Membrana.*	Pridie Nonas Aprilis.
360	5 BA	49	—	B	—	XVI. Kalendas Maji. *
361	6 G	50	—		—	VI. Idus Aprilis.
362	7 F	51	—		—	Pridie Kalend. Aprilis.
363	8 E	52	—		—	XII. Kalendas Maji.
364	9 DC	53	—	B	—	Pridie Nonas Aprilis.
365	10 B	54	—		—	VI. Kalendas Aprilis.
366	11 A	55	—		—	XVI. Kalendas Maji.
367	12 G	56	—		—	Kalendas Aprilis.
368	13 FE	57	Valentiniano II. & Valente II.	B		XII. Kalendis Maji.
369	14 D	58	Valentiniano Nobil. & Victore.			Pridie Idus Aprilis.
370	15 C	59	Valentiniano III. & Valente III.			V. Kalendas Aprilis.
371	16 B	60	Gratiano II. & Probo.			XV. Kalendas Maji.

† *Victorio & Alexandr.* X. Kalend. Aprilis.

* *Victorio & Alexand.* IX. Kalend. Maji.

PASCHALIS CENTVM ANNORVM LATERCVLVS.

Anni Christi.	Cyclus Solis & lit. Domin.	Centum Anni Laterculi.	CONSVLES ROMANI Auctoris ignoti.	Anni Bissextiles.	FERIÆ Kalendarum Januariarum.	DIES PASCHÆ.
372	17 AG	61	Modesto & Arintheo.	B		VI. Idus Aprilis.
373	18 F	62	Valentiniano IV. & Valente IV.			IX. Kalendas Aprilis. *
374	19 E	63	Gratiano III. & Equitio.			Idibus Aprilis.
375	20 D	64	P. C. Gratiani & Equitii.			Nonis Aprilis.
376	21 CB	65	Valente V. & Valentiniano Cæs. Jun.	B		VI. Kalendas Aprilis.
377	22 A	66	Gratiano IV. & Merobaude.			XVI. Kalendas Maji.
378	23 G	67	* Valente VI. & Valentiniano Jun.			Kalendis Aprilis.
379	24 F	68	Olybrio & Ausonio.			XI. Kalendas Maji.
380	25 ED	69	Gratiano V. & Theodosio.	B		Pridie Idus Aprilis.
381	26 C	70	Syagrio & Eucherio.			V. Kalendas Aprilis.
382	27 B	71	Antonio & Evagrio. *al.* Syagrio.			XV. Kalendas Maji.
383	28 A	72	Saturnino & Syagrio. *al.* Merobaude.			V. Idus Aprilis.
384	1 GF	73	Ricomede & Clearcho.	B		IX. Kalendas Aprilis.
385	2 E	74	Arcadio & Bautone.			Idibus Aprilis.
386	3 D	75	Honorio & Evodio.			Nonis Aprilis.
387	4 C	76	Valentiniano III. & Eutropio.			XIV. Kalendas Maji. †
388	5 BA	77	Theodosio II. & Cynegio.	B		V. Idus Aprilis. *
389	6 G	78	Timasio & Promoto.			Kalendas Aprilis.
390	7 F	79	Valentiniano IV. & Neoterio.			XI. Kalendis Maji.
391	E	80	Tatiano & Symmacho.			VIII. Idus Aprilis.

* *Victorius & Alexandrinus*, Pridie Kalend. April.

* *Manuscriptus habet*, P. C. Gratiani & Merobaudis.

† *Ita & Victorius, sed Alexandr.* VII. Kalend. Maji.

PA.

PASCHALIS CENTUM ANNORUM LATERCULUS.

Anni Christi.	Cyclus Solis & lit. Domin.	Centum Anni Latercuib.	CONSULES ROMANI Auctoris ignoti.	Anni Bissextiles.	FERIÆ Kalendarum Januariarum.	DIES PASCHÆ.
392	9 DC	81	Arcadio Aug. II. & Rufino.	B		v. Kalendas Aprilis.
393	10 B	82	Theodosio Aug. III. & Abundantio.			xv. Kalendas Maji.
394	11 A	83	Arcadio Aug. III. & Honorio Aug. II.			IV. Nonas Aprilis.
395	12 G	84	Olybrio & Probino.			VIII. Kalendas Aprilis.
396	13 FE	85	Arcadio Aug. IV. & Honorio Aug. III.	B		Idibus Aprilis.
397	14 D	86	Cæsario & Attico.			Nonis Aprilis.
398	15 C	87	Honorio Aug. IV. & Eutychiano.			XIV. Kalendas Maji.
399	16 B	88	Eutropio & Theodoro.			IV. Idus Aprilis.
400	17 AG	89	Stilicone & Aureliano.	B		Kalendis Aprilis.
401	18 F	90	Vincentio & Stravita.			XVIII. Kalendas Maji. *
402	19 E	91	Arcadio Aug. V. & Honorio Aug. V.			III. Kalendas Aprilis. †
403	20 D	92	Theodosio Aug. & Rumorido.			IV. Kalendas Aprilis. *
404	21 CB	93	Honorio VI. & Aristeneto.	B		IV. Idus Aprilis. †
405	22 A	94	Stilicone II. & Anthemio.			IV. Nonas Aprilis.
406	23 G	95	Arcadio VI. & Probo.			VIII. Kalendas Aprilis. *
407	24 F	96	Theodosio II. & Honorio VII.			XVIII. Kalendas Maji.
408	25 ED	97	Basso & Honorio VIII.	B		IV. Kalendas Aprilis.
409	26 C	98	Theodosio III. & Philippo.			XIV. Kalendas Maji.
410	27 B	99	Varrane &			IV. Idus Aprilis.
411	28 A	100	*Theodosio Aug.* IV.			VII. Kalendas Aprilis.

ANNO CENTESIMO.

** Ita & Alexandrum. At Victorius, XI. Kal. Maji.*

† Victorius & Alexandr. VIII. Id. Apr.

** Deerat in M.S. nos supplevimus.*

† Victor. & Alexandr. XV. Kalend. Maji.

** Cum Latinus. At Victor. & Alexandr. X. Kal. Maji.*

Hic

Hic est Paschalis ille centum annorum Laterculus, quo vetustiorem, Latinorum quidem, nondum videre contigit; nobilissimum (meo quidem sensu) venerandæ antiquitatis Ecclesiasticæ monimentum. & est illius Epocha sane perillustris; *(a)* nempe a Maxentio Crucis virtute per Constantinum debellato, assertaque tum primum Ecclesiæ, saltem in Occidente, libertate; annis ante Nicænam Synodum omnino tredecim. Qui ejus meminerit, neminem veterum adhuc invenimus: vetustissimæ tantum Membranæ beneficio ad nos usque pervenit. Cuspiniano quoque in manus obvenisse, ex ejus Fastis intelligimus, ut supra monui. *(b)* Porro Latinorum potius, quam aliorum fuisse, docet nos ipsa Paschatum series. nam cum iis solis ter Pascha planissime decernit, toto Mense quam Victorius & Alexandrini maturius. semel anno Christi 322. iterum 349. denique 406. & limes ipse Patrum Cæsariensium Paschalis, qui numquam hic violatur, numquam jam inde ab Synodo Nicæna ab Alexandrinis, sed Latinorum dumtaxat nonnullis admissus, his potius quam illis adstruit.

Limes Cæsariensis ab xi. Kalendas Aprilis, ad xi. Kalendas Maji, diebus 31. (extremis inclusis) diffunditur. *(c)* FINEM igitur limitis, seu xi. Kalendas Majas, Laterculus hic duobus Christi annis 378. & 390. attingit; numquam transgreditur.

(a) *Laterculi initium illustre, a Maxentio devicto.* (b) *Laterculus Latinorum potius quam aliorum videtur.*
(c) *Cæsariensis limitis finem numquam excedit.*

F I N I S.

EPISTOLA CONSVLARIS,

IN QVA

Collegia LXX. Consulum ab anno Christianæ Epochæ XXIX. imperii Tiberii Augusti decimoquinto usque ad annum CCXXIX. imperii Alexandri Severi octavum, in vulgatis Fastis hactenus perperam descripta, corriguntur, supplentur, & illustrantur,

AVCTORE

F. HENRICO NORIS

VERONENSI AVGVSTINIANO,

Serenissimi Magni Etruriæ Ducis COSMI III. Theologo & in Academia Pisana Ecclesiasticæ Historiæ Professore.

Doctissimo ac Eruditissimo

VIRO

P. ANTONIO PAGI

Ordinis Min. Convent. Theologo.

CVM ante sexennium Romam pergens, Pisis me convenisses, insignemque tuam cum in profana, tum maxime in sacra Historia eruditionem iteratis colloquiis aperuisses, non semel questus sum te nullis in Reipublicæ literariæ usum editis voluminibus, tibi tantum ac Musis intra siparium canere. Verum ubi nuper Antonius Magliabechius literarum æque ac literatorum studiosissimus, Dissertationem de Consulibus Cæsareis abs te vulgatam, tuo mihi nomine exhibuit, animadverti te diutius umbraticum hominem egisse, ut res hactenus viris eruditus aut penitus ignoratas, aut tenuiter cognitas, veteri tandem discussa caligine, in bono lumine collocares, ac maximam Romanis fastis atque historiæ Augustæ lucem inferres. Equidem nemini hactenus in mentem venerat, cur Imperatores Romani plures Consulatus inverint, quos quidam eorum præ ambitione sæpius sibimet usurpasse, alii vero præ modestia rarius gessisse credebantur. At unus tu hoc Imperii arcanum indagare, hanc intactam ceteris Spartam aggredi ausus, ingentem hocce priori volumine evulgato, tibimet famam circumdedisti, dum tanta eruditione veterum Principum Consulatus, ac vota Decennalia & Vicennalia eisdem solemni pompa nuncupata, illustrasti, ut postremam eidem argumento manum imposuisse videaris. Quod vero in fine eruditissimæ præfationis scribis meum judicium magni apud te esse ponderis, videsis, ne dum, non dicam nullius (neque enim me stultum fateri velim) sed tenuissimi judicii hominem laudas, non magni apud alios ponderis tute ipse habearis. Haud potis sum præclarissimos canones, quos omnium primus de Consulatubus Cæsareis statuisti, in examen adducere, ea tamen amice indicabo, quæ ab importunis quibusdam censoribus, quos forte tui voluminis splendor perstringit, tuis illis regulis opponuntur, simulque adjiciam quæ eisdem interim duxerim reponenda, ut plane intelligas me non quidem judicis, sed amicas tantum advocati, imo potius delatoris partes agere, cum hoc in campo malim tibi plaudere triumphanti, quam mei, si quo apud te fruor, nominis periculo novum certamen ingerere. Quod vero idem doctissimus tuique amantissimus Magliabechius mihi significavit te in Annales Ecclesiasticos notas adornasse, brevi in lucem evulgandas, meum esse putavi quædam tibi indicare, quæ eo in opere alicui forte usui tibi esse possint; præsertim cum ex laudata tua Dissertatione deprehenderim Joannem Leunclavium tibi quamvis accuratissimo atque oculatissimo, fucum fecisse. Nam indicem Consularem, quem ille ab imperio Neronis ad octavum usque annum principatus Alexandri Severi, Dionis libris præfixit, adeo secure ipsimet Dioni adscribis, ut ejusdem testimonio semel, iterum, ac tertio contra me disputes; cum tamen totus ille catalogus ex Onuphrii Panvinii fastis exscriptus, ipsimet Dioni perperam deputetur. Haud sane operæ precium ducerem rem vel sola Panvinii fastorum lectione satis superque manifestam, tibi pluribus demonstrare, nisi animadverterem plurima Consulum collegia tum a laudato scriptore, tum ab exscriptore Leunclavio depravate recitata, abs te una cum ceteris, in Rationario fastorum recenseri. Hinc veritus ne eosdem Consules fictis iterum characteribus, tuis in sacros Annales notis inseras, quæ in vulgaribus fastis corrigenda sunt, paucis exponam. Hoc autem quod gravioris momenti est, prius exequar, deinde ad ea descendam quæ statutis abs te Regulis a quibusdam opponuntur. Et quidem Panvinius vir ad Romanas antiquitates e tenebris eruendas natus, ex Romanæ historiæ scriptoribus, ex tabulis Capitolinis, aliisque inscriptis lapidibus, ac Imperatorum nummis, Romanos fastos ab Urbe condita ad exitum usque Neronis pari labore ac laude concinnavit. Verum cum deinceps nuda Consulum cognomina in fastis Cassiodori, & Anonymi apud Cuspinianum, itemque in codice Justiniani, aliisque vetustis monumentis legerentur, vir magnus summa diligentia eorundem collegia ex inscriptis antiquitus lapidibus, ac probatis illorum temporum Scriptoribus integre exposuit: ita tamen, ut sæpius omni prorsus præsidio destitutus, ac conjecturis indulgere coactus, non paucorum Consulum prænomina ac familias falsis characteribus descripserit; quæ tamen dum in literas mittebat, iis subinde phrasibus interloquutus, *ut reor*, *ut puto*, *&c.* ea se nomina divinare palam professus est. Hanc quamvis eo in campo copiosissimam ille messem tulerit, plurimas tamen quas posteri colligerent spicas, fecit reliquas. Ego sane non exiguum earundem manipulum ad te mittere destinavi, non modo ut tuas in magnos Ecclesiæ Annales notas qualicumque opera promoverem, verum etiam ut intelligeres Consulum collegia libro Dionis 58. ac ceteris usque ad lib. 80. inserta, non erudita Dionis manu descripta, sed illuc ex puris putis Panvinii fastis a Leunclavio deportata. Invito tamen genio huic correctioni manum admovi, quod sciebam me potius decere consulares nostri Panvinii tabulas quacumque ratione defendere, quam easdem invidiosæ forte censuræ subjicere. Nam idem omnium eruditorum judicio, Lipsio elogium concipiente, *Fastorum pater*, honoris gratia, nuncupatur; imo jure patriæ, in

in qua natus sum, ac professione religiosi Ordinis, in quem cooptatus fui, Panvinius Veronensis idemque Augustinianus mihi potius defendendus, quam quolibet vel justo alias titulo, reprehendendus videbatur. Ceterum cum animadverterem post centum ac quindecim annos ab ejusdem obitu Romanæ historiæ nimium acerbo, singulos quosque qui urbium annales, vetera Cæsarum numismata, ac vetustioris etiam Ecclesiæ gesta scriptis complexi sunt, Panvinianos tantum fastos exscribere, neminem vero eorundem errores expungere, meum esse putavi in hanc quam ceteri abjiciunt, curam incumbere, ut Romanorum Cæsarum fasti in eadem patria ac familia, in qua magni Panvinii manu obstetricante, in lucem editi sunt, novum iterum splendorem acciperent. Itaque nos nostra corrigimus, ne quis extraneus in hanc reparatorum victoris gentium Populi fastorum, non quidem gloriæ, quæ unum Panvinium manet, sed curæ partem succedat, quam mihimet ejusdem conterraneo ac, ut ita dixerim, syncellitæ integram feci. Qua quidem in re nihil ingenio, quidpiam fortassis industriæ, omnia certe temporum felicitati danda existimo, quod ea ætate vivamus, in qua tot inscripti e tellure lapides effossi sunt, qui Panvinio latuere, in quos si superiori sæculo incidisset, nec unam mihi literam suos in fastos referendam, reliquisset. Hæc non quidem apud te, sed apud morosos quosdam Criticos declinandæ invidiæ causa præfatus, ad rem aggredior.

Initium mihi operis erunt duo Gemini Consules qui anno Urbis Varroniano 782. vulgaris vero Christianæ epochæ 29. fastis prænotantur; Non solum quod Dio ad exitum vitæ Augusti, ac prima Tiberii imperantis tempora optime consularem indicem descripsit, cui postea Leunclavius Panvinianos fastos alluit, verum etiam quia hic consulatus in veterum Patrum libris memoratur. Hæc doctissimus Annalium Ecclesiasticorum conditor Baronius scribit ad annum 31. Christi Domini: *Proximus sequitur annus XV. Imperii Tiberii Cæsaris, Evangelica attestatione celeberrimus, quo gesserunt Consulatum Rubellius atque Fusius ambo Gemini. Annus quippe idem qui ab Isaia placabilis per antonomasiam dictus est, & acceptabilis &c.* Hinc ab hoc anno Prosper Aquitanus Chronicon, Victorius vero Canonem Paschalem inchoarunt. Quibus tu quoque addis pag. 199. Dissertationis hypaticæ: *Notandus porro hi & sequentes Consulatus, quia in eorum aliquem passio Christi incidit, eamque ob rem frequens de his mentio.* Equidem, uti jubes, adnotabo hunc consulatum ac quinque proxime sequentes, & eorumdem etiam, quod non jubes, errores emendabo. Tacitus librum v. Annalium ita exorditur: *Rubellio & Fusio Consulibus, quorum utrique Geminus cognomentum erat.* Tertullianus in lib. contra Judæos cap. 8. scribit Christum Dominum passum *sub Tiberio Cæsare Consulibus Rubellio Gemino & Rufio Gemino.* Idacius in fastis ait: *Rufo & Rubellione.* Prosper vero: *Rufino Gemino, & Rubellio Gemino.* In magno Thesauro veterum Inscriptionum pag. 535. 2. Q. Cætronius Passer miles veteranus dicitur honesta missione

MISSVS. DVOBVS. GEMINIS. COS

S. Augustinus lib. 18. de Civit. Dei cap. 54. ait: *Mortuus est ergo Christus duobus Geminis Consulibus.* Eosdem penes tantum cognomen ante centum, & quod excurrit, annos laudaverat ante Augustinum Lactantius lib. 4. Instit. cap. 10. Cassiodorus, omisso cognomine, scribit: *C. Rubellius & C. Fusius* At S. Epiphanius lib. 2. contra Hæreses ad Hæres. LI. ait: *Alius Consulatus fuit duorum Geminorum appellatus, deinde alius Rufi, & Rubellionis.* Ita ex cognomine unum: ex nomine vero Consulum alterum consulatum formavit. In Collectaneis Archinti hæc lacera Inscriptio recitatur:

P. TVTILIVS. P. F. O. . . .
VETERANVS. SIGINduno
AQVILIFER. LEG. V. . . :
CVRATOR. VET. . . .
ACCEPIT. AB. IMPE. . .
PRAEMIA. DVPL.
NATVS. EST. A. HIRTIO. :
VIBIO. PANSA. COS. DIem obit
C. FVFIO. GEMINO. L. RVbellio
GEMINO. COS. SIBI. . . .
PATECINGI. F. . . . . . .
DEMINCAE. . .
ANDOBLATONI. P. F
GNATAE P. F
T. F

Ex hac Inscriptione communis error emendatur; siquidem Rubellius Geminus cum *Cai* prænomine scribitur, qui *Lucius* dicendus est. Præterea corriguntur Baronius, Clavisius, Ricciolius, quos tu quoque sequeris, qui post Cassiodorum ac Severum Sulpicium, priorem consulem FVSIVM vocant, qui FVFIVS vocabatur. Imo non possum non mirari Glandorpium qui in Romanis familiis vitam vixit, Fusiam gentem ignorasse, pro qua FVSIAM perperam obtrusit, in qua reponit Q. Fusium Calenum Consulem A. V. 706. & C. Fusium Geminum; cum tamen in fastis Capitolinis, qui Romæ in tabulis marmoreis descripti sunt, legatur Consul Q. FVFIVS. Q. F. Q. N. CALENVS, qui Dioni etiam initio lib. 46. ubi illius orationem recitat, recte scribitur Φούφιος. Idem vero Dio lib. 49. ad A. V. 719. ait: *Ibi Cæsar cum exercitus parte Fufio Gemino relicto, Romam redit.* Græce legimus Φουφίον Γέμινον, quem C. Fufii Gemini Consulis A. V. 783. avum puto. Præterea in eisdem fastis Capitolinis dicuntur ludi Sæculares quinti ab Augusto celebrati, præside cum aliis e collegio XV. virum M. FVFIO M. F. STRIGONE. Ita Fufia gens divisa erat in familias Calenorum, Strigonum, ac Geminorum. Fufius Geminus ob acerbiores facetias, quibus vivente Livia Augusta, Tiberium impune perstringere videbatur, eadem mortua, jussu Tiberii occisus fuit. Addit Tacitus paullo post initium lib. 6. Annal. *Necataque est anus Vitia Fufii Gemini mater, quod necem filii flevisset.* Quamvis de ordinariis tantum Consulibus sermonem institui, quædam de suffectis etiam tum hoc ipsomet anno, tum quatuor sequentibus inferam, quod in fastis Panvinii, Pighii, & aliorum suffecti consules pro arbitrio fingantur. Enimvero hoc anno Kalendis Juliis C. Fufio ac L. Rubellio sufficiuntur Consules Q. Pomponius Secundus, ac Sanquinius Maximus. In opere Gruteriano pag. 1087. recitatur insigne fragmentum fastorum Municipalium, cui inserti leguntur Consules quatuor insequentium proxime annorum. Desunt ibidem duo Gemini Consules; at suffecti memorantur alii a fictis a Panvinio:

SVF. A. PLAVTIVS. L. NONIVS

Vtrumque autem Kal. Juliis iniisse magistratum didici ex tessera gladiatoria, cujus mihi inscriptionem misit

misit Raphael Fabretus selectæ eruditionis Scriptor ac veterum Romani Popnli monumentorum scientissimus.

CELER
CLODI
SP. ID. IVL.
L. ASPR. A. PLAVT

Hoc spectaculum, in quo Celer gladiator Clodii pugnavit, dicitur habitum L. Nonio Asprenate & A. Plautio Consulibus die XV. Julii. Tacito lib. 1. Annal. Lucius Asprenas dicitur Africæ proconsul, cujus hic alter L. Asprenas filius fuit. Extat Romana Inscriptio pag. 307. 4. in qua nominatur L. NONIVS ASPRENAS *Septemvir Epulonum*. Aulus Plautius decimo quarto abhinc anno Britanniam administravit, teste Dione lib. 60. cui dicitur *A. Plautius Senator, vir clarissimus*. Ibi vero ait: πλαύτιος στρατηγέτας, Interpretes *Plautius prætor* perperam vertunt, cum *Plautius dux belli* dicendus sit: non enim prætor erat, sed proprætor legatus Claudii Augusti. Recte Tacitus in lib. de vita Agricolæ recitans catalogum Præsidum Britanniæ, ait: *Consularium primus Aulus Plautius præpositus.* Itaque erat non prætor, sed consularis, ejusque consulatus tum ex laudata Inscriptione lapidis Nolani, tum ex recitata tessera, quo anno gestus sit, intelligitur.

Anni V. 783. Christi 30. Consules in mutilo libro V. Taciti, & in lib. 58. Dionis desiderantur. Hi ab Idacio dicuntur *Vinicius & Longinus Cassius*; a Prospero *Vinicius & Longinus*; a Cassiodoro *M. Vinicius & L. Cassius*. Panvinius cum legisset a Pomponio *D. de regulis juris*, commendari C. Cassium Longinum, ac ibidem de illo scribi: *Hic consul fuit cum Quartino temporibus Tiberii*, hocce collegium Consulum integre ita descripsit: *M. Vinicius Quartinus & C. Cassius Longinus Juris Consultus.* Utrumque ad verbum Leunclavius exscripsit, ac indici ad librum 58. Dionis infarsit. Baronius cognomine tantum retento ait: *Quartino & Longino Coss.* ad A. 32. At Petavius, Bucherius, Calvisius, Goltzius, Occo, Ricciolius, quibus nuper tu quoque accessisti, Panvinii Consules reddunt. Lipsius tamen in notis ad cap. 15. lib. 6. An. Taciti ait laudari a Suetonio in Caligula L. Cassium Longinum consularem maritum Drusillæ neptis Tiberii Augusti, ac sororis Caji Cæsaris, qui sibi videtur hujus anni consul cum M. Vinicio. Cujacius in notis ad locum laudatum *D. de regulis juris*, rem ita componit, ut C. Cassius Longinus J. C. consul ordinarius fuerit cum M. Vinicio; Lucius vero Cassius consulatum suffectum gesserit. Idem tradit Josias Mercerus in notis ad Tacitum citatum lib. 6. Ceterum horum errores ostendit idem fragmentum fastorum municipalium Gruteri pag. 1087. ubi leguntur

L. CASSIVS. LONGINVS. M. VINICIVS. COS
SVF. C. CASSIVS LONGINVS
L. NAEVIVS SVRDINVS

Ex his patet perperam C. Cassium Longinum J.C. poni a Panvinio ac ceteris Consulem ordinarium, qui suffectus fuit. Præterea errasse vel Pomponium, vel exscriptorem, qui ejus textum corrupit, ubi C. Cassii collega dicitur *Quartinus*, qui *Surdinus* dicendus erat. Enimvero in nullis fastis aut vetustis Scriptoribus M. Vinicio *Quartini* cognomen tribuitur, quod primum a Panvinio ex falso Pomponii textu desumptum, omnium fastorum laterculos ad hunc annum occupavit, & iterum anno V. 798. quo idem consul II. imperante Claudio processit. Vellejus Paterculus libros historiarum huic M. Vinicio nuncupavit, nec *Quartinum* uspiam eundem appellat; uti neque Tacitus lib. 6. ubi semel & iterum illum nominat. Extant nummi in quibus pater hujus Marci dicitur P. VINICIVS M. F. III. VIR A. A. A. F. F. S. C. Idem in fastis A. V. 755. *P. Vinicius M. F.* appellatur. Eradendum igitur illud fictitium *Quartini* cognomen. In Pomponio si pro *Quartino*, *Surdino* reponatur, lectio optime restituitur. Extant nummi cum epigraphe L. NAEVIVS SVRDINVS, qui imperante Augusto fuit Triumvir monetalis. De L. Cassio, ac C. Cassio Longinis plura dixi dissert. 2. de Cenotaphiis Pisanis §. 13. ubi tamen Pomponii verba reddidi, neque emendavi. Tacitus lib. 6. ad A. V. 786. utriusque Consulis L. Cassii ac M. Vinicii genus ac mores exponit, addens Cassio Drusillam, Vinicio Juliam Germanico genitas, a Tiberio Augusto uxores datas.

Annum insequentem V. C. 784. Christianæ epochæ 31. *Tiberius Aug. & L. Ælius Sejanus* suo nomine, hic vero sua quoque nece, signarunt. Recte hoc collegium describitur. Sed in fastis tum eorundem abdicatio, tum suffectorum Consulum numerus, necnon mensis initi magistratus perperam statuuntur. Suetonius in Tiberio cap. 26. scribit eundem Imperatorem tres consulatus duobus, quos olim privatus gesserat, addidisse; de quinto autem qui tertius imperantis fuit, hæc ait: *Tertium absens usque in Idus Majas gessit.* Quod vero Tacitus lib. 5. eodem hoc anno, quo occisus fuit Sejanus, consules nominat *Memmium Regulum* ac *Fulcinium Trionem*, Panvinius docet C. Memmium ac Fulcinium, cujus prænomen ignoravit, Idibus Maji suffectum consulatum inisse. Idem tradunt Pighius, Goltzius, aliique Panvinianorum fastorum exscriptores. Verum Suetonii, ac qui eum sequuntur, errorem refellit idem lapis Nolanus, in quo hæc leguntur:

TI. CAESAR AVG. V.
SVF. VII. ID. MAI. FAVSTVS. CORNELIVS. SVLLA
SEXTEIDIVS. CATVLL. COS
SVF. K. IVL. L. FVLCINIVS TRIO. COS
SVF. K. OCT. P. MEMMIVS. REGVLVS. COS

Hæc fastorum tabula post Sejanum damnatum, sculpta est; quare ejusdem nomen omittitur. Ex eadem apparet error Suetonii qui ad Idus Majas Tiberio consulatum prorogavit, cum VII. Idus ejusdem mensis illo se abdicaverit cum Sejano collega, suffecto cum Fausto Sylla, Sextidio Catullino; cujus familiam quamvis consularem, Glandorpius aliique omiserunt. Nec eodem mense L. Fulcinius, ac Publius (Cajum male appellabant) Memmius Regulus magistratum inierunt, sed ille semestrem, hic trimestrem consulatum gessit. Etenim Tiberius cum Sejano necem inferre destinasset, Fulcinio Trioni quem Sejani studiosum sciebat, P. Memmium collegam addidit; qui Kal. Octobris magistratum auspicatus, die 18. ejusdem mensis literis Tiberii contra Sejanum recitatis, eundem in carcerem traxit, ac decreto Senatus eadem quoque die capite mulctavit. Tacitus in fine lib. 5. utriusque Consulis Trionis, ac Reguli inimicitias recitat, iisque finem voluminis imposuit: *Mansere tamen hi ac*

 munitan-

monitantes, donec magistratu abirent. Scribit de eisdem iterum lib. 6.

Anno proximo V. 785. Christi 32. ordinarii Consules laudantur Tacito initio lib. 6. Ann. ac Dioni lib. 58. *Cn. Domitius Ahenobarbus, ac Furius Camillus Scribonianus.* Prosper, ejusque exscriptor Cassiodorus hujus anni consules omittunt. Idacius, ac Anonymus Cuspiniani *Arruntium & Ahenobarbum* Consules scribunt. His favet Suetonius qui cap. 2. in Othone ait: *Otho Imperator IV. Kal. Maji natus est, Camillo Arruntio, Domitio Ahenobarbo Consulibus.* At Panvinius ex cap. 2. ejusdem Suetonii in Vitellio aliud Consulum collegium efformat. Hæc ille scribit de Aulo Vitellio Vitellii Imperatoris patruo: *Aulus in consulatu obiit, quem cum Domitio Neronis Cæsaris patre inierat.* Hinc Panvinio ordinarii hujus anni consules dicuntur *Cn. Domitius Ahenobarbus & A. Vitellius*, qui cum in magistratu diem obierit, M. Furium Camillum Scribonianum, Tacito ac Dioni memoratum, eidem suffectum putat. Porro tantum valuit Panvinii auctoritas, ut Pighius, Calvisius, Goltzius, Petavius, Bucherus, Occo, Ricciolius, aliique passim A. Vitellium ordinarium Consulem scripserint. Tu quoque omisso Furio Camillo, quem in indice consulari, uti putabas, Dioneo legebas, ad Panvinii sententiam in Prologom. num. 19. accessisti. Hunc tamen vestrum errorem jamdiu fastos depravantem, confutat eadem Nolana tabula, in qua P. Memmio superioris anni Consuli hi statim subjiciuntur:

CN. DOMITIVS. AHENOBARBVS. COS
SVF. KAL. IVL. A. VITELLIVS. COS

Habes hic, vir doctissime, A. Vitellium a Kal. Juliis consulem suffectum in locum M. Furii Camilli Scriboniani, cujus nomen in laudato lapide non legitur, quod imperante Claudio, cum præses Dalmatiam regeret, imperium sibi somniavit; quinto enim principatus sive tyrannidis die ab eodem milite, a quo purpuram, necem etiam accepit. Hinc S. C. hostis publicus denuntiatus, ejusque memoria abolita, ac proinde in eodem marmore, uti proxime Sejanus, omissus fuit: in aliis, in quibus scalptum fuerat, ejusdem nomen detritum est. Extat vetus Inscriptio Gruteri pag. 113. dicata Providentiæ Tiberii Cæsaris *sublato hoste perniciosissimo populi Romani*, nempe Sejano, ubi legitur:

GENIO. MVNICIPI. ANNO POST
INTERAMNAM. CONDITAM.
DCCIIII. AD. CN. DOMITIVM
AHENOBARBVM..................
.......................; COS

Ibi M. Furii Camilli Scriboniani collegæ Cn. Domitii, nomen deletum est, quod tamen Panvinius eandem Inscriptionem recitans, præter fidem, integrum posuit, ac si ibidem detritum non fuisset. Et sane Dio lib. 58. cum scripsisset: *Sequenti anno Cn. Domitio & Camillo Scriboniano Coss. res apprime ridicula accidit.* narrat Senatores viritim *Kalendis Januariis* in acta Tiberii jurasse, cum antea unus tantum Senator pro universis idem juramentum conciperet; ex quibus patet Cn. Domitium ac M. Furium Camillum consules Kal. Januariis magistratum inisse. Tacitus nunquam annos suffectorum consulum nomine designavit, sed ordinarios singulis quibusque annis assignans, librum 6. exorditur: *Cn. Domitius, & Camillus Scribonianus consulatum inierant &c.* Nec ex Suetonio, uti censuit Panvinius, A. Vitellius consul ordinarius dicendus est, siquidem Dio scribit: *Ex Consulibus alter Domitius toto anno gessit magistratum.* quare cum in locum Camilli Scriboniani Kal. Julii A. Vitellius consulatum accepit, dicitur a Suetonio eundem *cum Cn. Domitio iniisse*, hoc est, collegam habens Domitium, non quod ipse etiam Domitius ac Vitellius una simul magistratum eadem die auspicati fuerint. Idem tamen Suetonius erravit, cum cap. 2. scripsit Othonem Cæsarem natum Camillo Arruntio, Domitio Ahenobarbo Consulibus. dicendum enim erat, *Camillo Furio*; nam Camillus Scribonianus non erat ex gente Arruntia, sed ex Furia. Gruteri pag. 295. in fastis Capitolinis anno quo Augustus erat Tribuniciæ potestatis XXX. ponitur Consul M. FVRIVS P. F. P. N. CAMILL. Inter Triumviros monetales idem in nummis obsignatur: M. FVRIVS P. F. CAMILLVS. Erat is pater Camilli Scriboniani, qui collega Cn. Domitio hoc anno ordinarium consulatum gessit. Suetonius sane in Claudio cap. 13. ait: *Bellum civile movit Furius Camillus Scribonianus Dalmatiæ legatus.* Itaque idem perperam *Arruntius* nominatur. Præterea non tantum in consulatu ordinario A. Vitellii erratis, verum etiam dum idem vobis nuncupatur *A. Vitellius Nepos.* Hocce fictitium *Nepotis* cognomen mox tu quoque mecum ridebis; est enim mehercle ridicularium, imo ridiculosissimum. Has voces ex Plauti comœdiis accepi.

Anno V. 786. Christi 33. a Tacito lib. 6. laudantur Consules *Ser. Galba L. Sulla*; a Dione lib. 58. *Servius Galba is qui deinde Imperator factus est, & L. Cornelius Sylla.* Qui iidem Consules Leunclavio in indice consulari lib. 58. Glandorpio, Ricciolio, ac tibi etiam integre describuntur *Sergius Sulpicius Galba & L. Cornelius Sylla*, sive *Sulla*. Error est in prænomine. Nam *Servius*, non *Sergius* dicebatur Sulpicius Galba Imperator. Dioni recte loco citato scribitur Γάλβας ὁ Σερούϊος, *Servius Galba*, quod prænomen Leunclavius Interpres post Xylandrum, perperam *Sergium* Latine scripsit. Idem tamen optime hæc ex Dione recitat lib. 63. *Vindex quum principatum sibi parare minime studeret, Servio Sulpicio Galbæ &c. Imperium detulit.* Sulpicii tum patricii, tum plebeji Servii dicebantur. De plebejis scribit Cornelius Nepos in vita Attici: *Ipse adolescentulus propter affinitatem P. Sulpicii, qui tribunus plebis interfectus est, non expers fuit illius periculi: namque Anicia Pomponii consobrina, nupserat M. Servio fratri Sulpicii.* Audin' P. Sulpicium ac M. Servium fratres fuisse? Galbæ etiam Sulpicii patriciæ gentis Servii itidem dicebantur. Cicero in Bruto ait Lusitanos *a Servio Galba prætore* contra datam fidem interfectos. Is fuit Servius Sulpicius Galba consul A. V. 610. idemque sua ætate Romanorum eloquentissimus, quem ibidem eximie Cicero commendans, ait: *De Servio autem & tu probe dicis.* de quo Brutus proxime loquutus, *Tum*, inquit, *de te, & de Servio Sulpicio cogitans esse quandam vobis cum illis similitudinem judico.* Hinc Imperator Otho mortem sibi illaturus, nepotem hisce apud Tacitum lib. 2. Hist. solabatur: *Satis sibi nominis, satis posteris suis nobilitatis quæsitum, post Julios, Claudios, Servios, se primum in familiam novam imperium intulisse.* Ita Galbam Serviæ gentis dicit. Plutarchus in vita Galbæ scribit eundem *amplissima Serviorum domo natum.* Igitur *Servius* gentilitium nomen Sulpicii Galbæ fuit, loco tamen prænominis usurpatum, ac proinde *Sergius* perperam dicitur. Suetonius cap. 4. de vita ejusdem ait: *Adoptatus a noverca sua, Liviæ nomen & Ocellæ cognomen assumpsit, mutato prænomine. Nam & Lucium mox pro Servio usque ad tempus imperii usurpavit.*

vit. Et fane Galbam hoc anno quo confulatum geffit, non Servii, fed *Lucii* prænomen habuiffe, patet ex teffera gladiatoria, cujus exemplum ab eruditiffimo Fabreto accepi. Eandem vel fimilem fe habuiffe teftatur Fulvius Urfinus in notis ad lib. 6. Taciti, quam tamen, laudatum Suetonii teftimonium non obfervans, haud recte exponit.

MYRTYLVS
ATTIAE
SP. III. NON. IVN
L: SVLL. L. SVLP

Ex hac teffera femeftris confulatus Galbæ Suetonio cap. 6. memoratus, intelligitur: fimulque *Lucii* prænomen, quod pro *Servio* poft adoptionem ufque ad acceptum imperium, tulit. Tacitus ac Dio pofterius prænomen pofuere, uti etiam legitur in Nolano poft ejufdem obitum infcripto lapide Gruteri pag. 1087.

SER. SVLPICIVS. GALBA
L. SVLLA. FELIX. COS

Ego mallem in confulatu *Lucium* vocare, quod illud prænomen tunc ferebat, eodemque in publicis monumentis ejus anni obfignabatur. Hac occafione Plutarchus mihi corrigendus eft, dum de eodem in vita illius fcribit: *Erat etiam Liviæ uxori Cæfaris Galba genere conjunctus; itaque opera Liviæ ex palatio Conful proceffit.* At Livia Augufti uxor ac Tiberii mater, ante quadriennium quam Galba confulatum gereret, e vita decefferat; quare non ejus opera Conful defignatus fuit. Quod Galba eximie Liviam coluerat, fcribit Suetonius cap. 5. *Et vivæ gratia plurimum valuit, & mortuæ teftamento pæne ditatus eft. Nam H. S. quingenties illi legavit, herede Tiberio legatum ad quingenta revocante, ne hæc quidem accepit.* Fortaffis pro pecunia Confulatum tulit. Ea fumma legati valebat Romanæ monetæ millionem, uti vocant, ducenta ac quinquaginta millia fcutatorum.

Annus fequens Urbis 787. Chrifti 34. Confules habet apud Tacitum *Paullum Fabium*, *L. Vitellium*: apud Dionem, *L. Vitellium & Fabium Prifcum*. Profper, & exfcriptor Caffiodorus ponunt penes folum cognomen *Prifcum* cum *Vitellio*. Idacius fcribit: *Perfico & Vitellio Pulo.* Baronius Confules nominat *Paulum Fabium Perficum & L. Vitellium Nepotem*. Ita etiam loquitur Ricciolius. Petavius, ac V. C. Pagius quo nullus mortalium tibi intimior vivit, fcribunt: *Paulus Fabius Prifcus, & L. Vitellius Nepos.* Sola hic Confulum cognomina in dubium vocantur, Panvinius recte *Perficum* priorem Confulem appellat. Frontinus lib. 2. de Aquæduct. ait: *Huic fucceffit Fabio Perfico, L. Vitellio Coff. Cajus Octavius Lenas.* Ita eundem nominat vetus Auctor vitæ Perfii. In fragmento facrificii fratrum Arvalium apud Fulvium Urfinum in notis ad Varronem, ac Gruterum pag. 116. & 117. cum L. Vitellio ac Cn. Domitio, quorum ille collega, hic vero Perfici fucceffor fuit in confulatu, nominatur PAVLLVS FABIVS PERSICVS. Accedit Seneca lib. 4. de Benef. cap. 30. ubi ait: *Quid nuper Fabium Perficum, cujus ofculum etiam impuri vitabant, Sacerdotem non in uno collegio fecit, nifi Verrucofi & Allobrogici, & illi trecenti, qui hoftium incurfioni pro Republica unam domum objecerant?* At Perficum Imperator Claudius publice in Senatu anno abhinc decimo quarto laudavit, cum in oratione de civitate Gallis danda, Gruteri pag. 502. dixit: *PERSICVM nobiliffimum virum, amicum meum, inter imagines majorum fuorum Allobrogici nomen legere.* Ita ærea tabula, quæ librariorum erratis non deturpatur, *Perficum* nobis exhibet. Juvenalis Sat. 3. verfu 220.

> *—— meliora & plura reponit*
> *Perficus orborum lautiffimus, & merito jam*
> *Sufpectus, tanquam ipfe fuas incenderit ædes.*

De eodem Fabio Perfico Seneca fcripferat lib. 2. de Benef. cap. 30. Hinc tranfeo ad cognomen *Nepotis*, quod tot eruditi viri L. Vitellio datis. Jam prædixeram te hocce cognomentum rifurum. Et fane fi ejufdem cognominis origine intellecta, rifum comprimes, eris mihi alter Agelaftus, Verrius Flaccus, five ignotus, ut Pighius contendit, Auctor qui tabulas Capitolinas digeffit, ibidem prænomina, nomina, ac cognomina Confulum accuratiffime recitavit; & ne nominum fimilitudo in familiis numerofis confufionem gigneret, prænomina patris atque avi cujufcumque Confulis in eifdem faftis fignavit. Cognomina autem Confulum in poftrema parte verfus locavit. Si vero Confules nullum cognomen tuliffent, aut illud fortaffe ignotum fuiffet eidem Auctori, loco cognominis defignabat, cujus Conful nepos extitiffet, non quidem unicam literam N exarando, ut in aliis quorum cognomina adnotabat; fed integram vocem NEPOS reponendo in ea extrema parte verfus, in qua aliorum cognomina legebantur. En tibi quofdam Confulatus ex iifdem tabulis Capitolinis exfcriptos, juxta annos Urbis Capitolinos:

Confules		Ann. Urbis
Cn. Servilius Cn. F. Cn. N.	*CAEPIO.*	551.
Cn. Servilius Cn. F. Cn.	*NEPOS.*	
M. Æmilius M. F. M. N.	*LEPIDVS.*	567.
C. Flaminius C. F. C.	*NEPOS.*	
L. Cornelius P. F. L. N.	*SCIPIO.*	590.
C. Laelius C. F. C.	*NEPOS*	
Q. Opimius Q. F. Q.	*NEPOS.*	600.
L. Pofthumius SP. F. L. N.	*ALBINVS.*	

In hifce quatuor Confulum collegiis vides poftremum vocabulum NEPOS non exprimere quodpiam proprium eorundem cognomen, fed cujus Avi, puta *Caji*, *Cnei*, *Quinti*, iidem Nepotes fuerint. Adeamus Faftos Clavifii, aut Ricciolii. Ibidem legimus:

Cn. Servilius Cæpio, & C. Servilius Nepos.
M. Æmilius Lepidus, & C. Flaminius Nepos.
L. Cornelius Scipio Afiaticus, & C. Lælius Nepos.
Q. Opimius Nepos, & L. Pofthumius Albinus.

Videfne, uti ridicule vox illa NEPOS, quæ in faftis Capitolinis originem Confulum ab avis indicabat, per fupinam hallucinationem in fictitium cognomen *Nepotis* tranfierit? Hunc Nepotinum errorem facile forbuiftis, quod reapfe *Nepos* plurium cognomen feu agnomen fuit. Nominatur in faftis A. V. 656. *Q. Cæcilius Metellus Nepos*; ejufque etiam filius A. V. 697. qui epiftolam 3. lib. 5. fam. ad Ciceronem infcribit: *Q. Metellus Nepos.* Celebris inter Scriptores Cornelius Nepos recenfetur. Licinii

Nepotis prætoris meminit Plinius lib. 6. epist. 5. Spartianus laudat Senatores Pletorium Nepotem cap. 4. in Hadriano, & in Severo Septimio cap. 13. Herennium Nepotem. Onuphrius Panvinius in continuandis Fastis, horum Auctorem imitatus, quoties cognomina Consulum deficiebant, loco cognominum, vocabulum NEPOS substituit. En tibi quinque collegia ex Fastis Panvinii.

		Anno Christi
P. Vinucius M. F. P.	*NEPOS.*	2.
P. Alfinius P. F.	*VARVS.*	
M. Æmilius L. F.	*LEPIDVS.*	6.
L. Arruntius L. F. L.	*NEPOS.*	
Sex. Pompejus Sex. F. Sex.	*NEPOS.*	16.
Sex Appulejus Sex. F. Sex.	*NEPOS.*	
Cn. Domitius L. F. Cn. N.	*AHENOBARBVS.*	32.
A. Vitellius P. F. Q.	*NEPOS.*	
Paullus Fabius Paulli F. Q. N.	*PERSICVS.*	34.
L. Vitellius P. F. Q.	*NEPOS.*	

Non pauci Panvinii characterem seu methodum in fastis describendis, minus observantes, vocem NEPOS, quæ originem Consulum ab avis ibidem indicabat, pro eorundem Consulum cognominibus acceperunt. Baronius magnus Annalium Ecclesiæ conditor, ad Annum Christi IV. ait: *Vinucius Nepos, & Alfinius Varus consulatum gessere.* Rursus anno VIII. *M. Æmilio Lepido & L. Arruntio Nepote &c.* Postea inferius: *Anno Christi decimo sexto, duobus Sextis, iisdemque Nepotibus, Pompejo & Appulejo Consulibus.* Item ad Annum XXXIV. ait: *Cn. Domitio Ahenobarbo & Vitellio Nepote Coss.* Denique scribit Anno XXXVI. *Paulo Fabio Persico & L. Vitellio Nepote Consulibus.* Hos omnes Nepotes repetunt Altfordius, Ricciolius, aliique inferioris notæ Chronologi. Petavius etiam in Chronologia princeps, scribit: *L. Vitellius Nepos.* In tuis quoque fastis leguntur *A. Vitellius Nepos & L. Vitellius Nepos.* Sane Tacitus lib. 6. Ann. gesta L. Vitellio proprætori Syriæ fusius describit, item Dio lib. 59. Josephus lib. 18. cap. 5. & 6. Philo de legatione ad Cajum, Suetonius cap. 2. in Vitellio, nec usquam *Nepotis* cognomen legitur. In veteri Inscriptione Gruteri pag. 116. nominantur *C. Cæcina Largus*, L. VITELLIVS, *Paullus Fabius Persicus*, *C. Piso &c.* & pag. 118. recitantur A. VITELLIVS, *M. Aponius Saturninus*, *L. Salvius Otho Titianus*, *Sulpicius Camerinus*, *C. Vipstanus Apronianus*, *P. Memmius Regulus*, *C. Piso.* Videsne, ut singulorum cognomina exprimantur, Lucius vero Vitellius hujus anni consul, ejusque filius A. Vitellius sine cognomine efferantur? Nullum illi cognomen habebant, uti nec Pompejorum ac Antoniorum plerique. Ridens igitur, Amice jucundissime, tot *Nepotum* cognomina addita in fastis, Consulibus ipsis, eorumque patribus, filiis, uxoribus, ac servis eadem ignorantibus.

Anno V. 788. Christi 35. legitur apud Tacitum lib. 6. *C. Cestio M. Servilio Coss.* In Dionis lib. 58. *Secuti Consules C. Gallus, M. Servilius.* Ita integre prior consul describitur *C. Cestius Gallus.* Plinius lib. 10. cap. 43. recitat exequias publice a Populo Romano corvo celebratas *V. Kal. Aprilis M. Servilio, C. Cestio Consulibus.* Hinc ridendus Calvisius, cui hoc anno somniantur consules *C. Sestius Camerinus ac M. Servilius.* Plinius lib. 37. cap. 6. nominat Nonium Strumam, qui dicitur *avus Servilii Noniani, quem*, inquit, *Consulem vidimus.* Ita *M. Servilius Nonianus* alter consul fuit. Sive hic, sive pater e familia Nonia adoptatus, dictus fuit Servilius Nonianus. In Idacio, Prospero, ac Cassiodoro solo cognomine in fastis signatur hic consulatus, nempe: *Gallo & Noniano.* Panvinio ita describuntur: *C. Cestius Gallus, M. Servilius Rufus Nonianus.* Addit alterum cognomen *Rufi* Servilio, quod Plinius lib. 6. cap. 5. nominat Servilium Rufum Consulem. Nec verbum eo capite de Servilio, vel de Rufo legitur. Idem Panvinius ad A. V. 803. ait: *M. Suillius forte is est, de quo Plinius lib. 6. cap. 5. Suillius Rufus & Corbulo fratres, ambo Consules.* Ex libro ac capite iisdem utrobique laudatis, ejusdem errorem deprehendi. At scribendum est *lib. 7. cap. 5.* ubi Plinius de Vestilia trium maritorum uxore ait: *Sempronium septimo mense genuit, Suillium Rufum undecimo, Corbulonem septimo, utrumque Consulem.* Ex his patet Panvinium priori loco pro *Suillio* Rufo in suis schedis scripsisse *Servilium* Rufum, unde fictitium postea *Rufi* cognomen M. Servilio Noniano superaddidit. Marcus Suillius Rufus consul fuit imperante Claudio A. V. 802. uti vulgo eum Consulem nuncupant, ut ad annum V. 803. inferius ostendo.

Anno V. 789. Christi 36. Tacito lib. 6. Plinio lib. 10. cap. 2. Solino cap. 36. Dioni lib. 58. *Sextus Papinius ac Q. Plautius* Consules adscribuntur. Nullus eorundem indicavit Consulum cognomina, quæ sola in Idacii ac Prosperi fastis leguntur. Idacius ait: *Æmiliano & Plautio;* Prosper vero: *Galliено & Plautiano.* Cassiodorus qui Prosperi fastos exscripsit, eidem similiter loquitur. Anonymus apud Cuspinianum scribit: *B. Gallieno & Plautio Sol. XI.* Ibi litera B, annum hunc Bissextilem indicat; *Sol.* significat Kalendas Januarias eodem anno in diem Solis, vulgo Dominicam, incidisse. Utrumque recte; hic enim annus vulgaris epochæ Christianæ 36. fuit Bissextilis, ac prima dies Januarii in Dominicam incidit, Cyclo Solis XVII. Lunæ XVIII. litt. Dominical. AG. Numerus XI. exponit epactas, quas Bucherius in comment. ad canonem Paschalem Victorii Aquitani examinat. Panvinius ita utrumque Consulem describit: *Sex. Papinius Q. F. Gallienus, Q. Plautius Plautianus.* Enimvero cognomen prioris Consulis confirmat ex inscriptione Patavina, in qua legitur: SEX. PAPINIO Q. F. GALLIENO &c. COS. XV. VIR. SACR. FAC. Hanc Inscriptionem antea produxerant Appianus, ac Scardeonius, eandemque ex Verderianis paginis in hæc verba scalptam repetit Gruterus pag. 447. 9.

SEX. PAPINIO. Q F.
ALLENIO
TR. MIL. Q. LEG
TI. CAESARIS. AVG
TR. PL. PR. LEG.
TI. CAESARIS. AVG.
PRO. PR. COS. XVVIR.
SACR. FAC
D. D.

Hæc Inscriptio brevior recitatur a Scardeonio lib. 1. hist. Patavinæ, nec illius ætate in Monasterio celeberrimo S. Justinæ, ubi antea erat, visebatur. Idem tamen ac ceteri ALLENIO scripserunt. Panvinius ex fastis Cassiodori ac Anonymi GALLIENO reposuit, cum ex lapidis characteribus certissimis falsæ potius fastorum literæ corrigendæ essent. Idem tamen Panvinius eandem correctionem non tantum Pighio, verum etiam eruditissimo amico olim meo Equiti ac Comiti Sertorio Orsato persuasit, quorum prior in tomo 3. Ann. ad A. V. Capitolinum

tolinum 788. alter vero lib. 1. Hist. Patavinæ *Galliena* scripsere. Alterum autem cognomen *Plautiani* quod Q. Plautio datur, unum Prosperum habet auctorem, cujus fasti omnium sunt corruptissimi. Cognomen Plautiani illi dabatur, qui ex Plautia gente in aliam per adoptionem transibat. Hinc Q. Plautio id cognominis dari non potuit, alias ex Plautia in Plutiam gentem adoptatus fuisset. Cum apud omnes Scriptores ac vetustiores fastos Q. Plautius consul dicatur, Prosper, sive ejusdem exscriptor per errorem *Plautianum* pro *Plautio* scripsit; unde illud cognomen Panvinius minus recte efformavit. Glandorpio in Onomastico dicitur *Q. Plautius Sylvanus*, quo cognomine Ti. Plautius, ac M. Plautius efferuntur in vetustis Inscriptionibus pag. 452. 6. & 457. Plauti Silvani Prætoris necem recitat Tacitus lib. 4. Annalium. Interim corrigendus error Leunclavii, qui in indiculo consulari lib. 58. scribit: *Sex. Papirius & Q. Plautius*; & pag. 635. pro Sex. Papinio notat in margine reponendum *Papirio*. Nam Dio Græce scribit Σέξτε Παπινίε, *Sexti Papinii*, ut eundem ante Dionem Plinius, Solinus, ac Tacitus nuncupaverant, atque etiam in laudata Patavina Inscriptione mihi superius recitata, appellatur. Denique Seneca lib. 3. de Ira cap. 18. ait: *Cajus Cæsar Sex. Papinium, cui pater erat consularis &c. uno die flagellis cecidit, torsit, non quæstionis, sed animi causa.* Vides filium patri Consuli cognominem. Plinius lib. 15. cap. 14. ait; *Sex. Papinius quem Consulem vidimus, &c.* Sequuntur Consules A. V. 790. Cn. Acerronius Proculus, ac C. Pontius Nigrinus, qui recte nominantur Dioni ac Tacito superius laudatis, itemque Suetonio qui integre eosdem recitat in Tiberio cap. 73. licet ibidem *Pontio Nigro* pro Nigrino scribat, secus ac Dio & veteres fasti ac antiqua Inscriptio produnt. Hæc extat apud Panvinium ac Gruterum pag. 18. ubi legitur: *Cn. Acerronio & Pontio* NIGRINO COS. In decem MSS. Suetonii Mediceis *Nigro* legitur.

Jusseras, vir eruditissime, adnotari consulatum duorum Geminorum ac proxime insequentes. Hinc tua jussa executus, in eosdem consulatus curam intendi, ita ut plures eorum hactenus in omnium Scriptorum recentium fastis depravatos, ex vetustis Inscriptionibus emendaverim, alios autem ex antiquis itidem monumentis illustraverim, & ni mea me fallit opinio, spero fore, ut positæ correctiones tibi harum rerum curiosissimo æque ac scientissimo, etiam atque etiam probentur. Jam ceteros consulatus saltuatim percurram, cum præsertim undeviginti paria Consulum in Taciti Annalibus, continuata annorum serie, exacte recitentur. Tiberius proxime memoratis Consulibus die 16. Martii mortalitatem explevit, succedente Cajo Caligula Germanici filio, qui Kal. Juliis collega Claudio patruo consul processit, ac dein pridie Idus Septembris eo se magistratu abdicavit. Scribit Dio lib. 59. *Anno insequenti Consules ex his qui dudum designati fuerant, facti sunt M. Aquilius Julianus, & P. Nonius Asprenas.* Prosper, Idacius, Cassiodorus Dioni similiter in fastis scribunt: *Juliano & Asprenate.* Anonymus apud Cuspinianum ait: *Juliano, Asprenate MER.* nempe Mercurii die contigisse iisdem Coss. Kalendas Januarii, uti reapse accidit hoc anno V. 791. a Parilibus, Christi 38. Cyclo Solis XIX. Lunæ I. lit. E. At Panvinius hoc anno Consules ponit *Cajum Augustum II. & L. Apronium Cæsianum*, additque: *Dio hoc anno profitetur Consules C. Cæsarem Germanicum II. & L. Apronium L. F. Cæsianum.* Quod sane falsum est: nam Dio Julianum & Asprenatem consules primis Kal. Januariis anno primo imperii Caji Cæsaris statuit. Ex errore Suetonii Panvinius errandi ansam accepit. Ille enim cap. 17. recensitis quatuor consulatibus Caji, addit: *Ex omnibus duos novissimos conjunxit.* Ex quibus infert Panvinius inter secundum ac tertium consulatum Caji inserendum esse consulatum M. Aquilii, & Nonii Asprenatis. Et quidem in decem MSS. codicibus Suetonii in Bibliotheca Medicea constanter eadem Suetonii verba leguntur. Ubi vero in quibusdam eorundem legitur: *Consulatus quatuor gessit: primum ex Kal. Januarii per duos menses*, uti etiam dicitur in antiquis editionibus, Romana anni 1470. & Mediolanensi A. 1475. ibidem in duobus codicibus legi: *primum ex Kal. Julii*, quæ vera ac germana lectio est. Ceterum legendum esse in Suetonio: *ex omnibus tres ordinarios conjunxit*, recte ostendis in Prolegomen. num. 15. ubi etiam recitas hæc Frontini lib. 1. de Aquæductibus: *Cajus Cæsar altero imperii sui anno, M. Aquilio Juliano & P. Nonio Asprenate Coss. anno V. C. 790. duos ductus inchoavit*; ubi diversam epocham annorum Urbis illum secutum dicis. Sed facilior responsio est, alterum annum Caji Cæsaris initium sumere A. V. 790. Christi 38. die 16. Martii, quo ineunte Aquæductus illos inchoavit, Juliano & Asprenate Coss. & quidem anno Urbis DCCXC. qui die 21 Aprilis exibat, succedente anno 791. & quamvis Frontinus diversam a Varroniana epocham forte usurpaverit, id non colligitur ex laudato testimonio, quod perperam pro opinione Onuphrii adducitur, cum veræ sententiæ apertissime suffragetur; neque enim anni Urbis mense Decembri, sed Aprili complebantur.

A. V. 792. Christi 39. Consules nominantur a Dione in indice lib 59. *Cajus Cæsar Germanicus II. & L. Apronius L. F. Celsianus, sive Cæstianus.* Ita legitur in Græco codice Mediceo. Leunclavius tamen legit *Apronius.* Prosperi ac Cassiodori fasti hic corruptissimi sunt; nam hoc anno ac sequentibus, fictos Consules exhibent, quos bonus Panvinius plerumque suffectos maluit appellare, quam falsos. Idacius ait: *Cæsare II. & Cæsiano.* Anonymus Cuspiniani: *Cæsare II. Cæsiano Jov.* id est, diem Kal. Januarii die Jovis iisdem Consulibus contigisse. Alter consul fuit L. Apronius Cæsianus, qui anno abhinc undevicesimo sub L. Apronio patre Africæ proconsule inita pugna, Numidas fugavit. Tacitus lib. 3. ait: *Missusque patris Apronius Cæsianus cum equite & cohortibus auxiliariis, quis velocissimos legionum addiderat, prosperam adversus Numidas pugnam facit, pellitque in deserta.* Extat in gaza Reginarum Maximæ CHRISTINAE AVG. P. F. nummus Drusi cum epigraphe in aversa parte: PERMISSV L. APRONI PROCOS III. Idem L. Apronius Cæsiani Consulis pater Legatus Proprætor inferioris Germaniæ anno post proconsulatum octavo, V. C. 780. infeliciter contra Frisios pugnavit, ex eodem Tacito lib. 4. Annal. Interim constat hujus Consulis cognomina perperam in Dionis codice describi. Idem vero Dio scribit de Cajo Cæsare: *Gestoque per triginta dies magistratu, ac sex mensibus L. Apronio collega concessis, abiit consulatu, succesore Sabinio Maximo, tum præfecto Urbis.* Panvinius recte legit *Sanquinio Maximo*, uti etiam Lipsius in notis ad cap. 4. lib. 6. Taciti, cui nominatur *Sanquinius Maximus e consularibus.* Errat vero uterque, dum primum consulatum Sanquinii statuunt a Kal. Juliis A. V. 782. duobus Geminis Consulibus; siquidem ex lapide Nolano ac tessera gladiatoria alios Consules suffectos eo anno, superius ostendi. Incerto autem anno prioris consulatus Sanquinii, alter ejusdem consulatus pridie Kal. Februarii hoc anno initus apparet; unde non possum non mirari Panvinium in tabulis Consularibus scribere: *ex Kal. Februariis Cn. Domitius Corbulo. Ex Kal. Juliis Sanquinius Maximus II.* cum Dio diserte testetur Sanquinium

quinium Maximum in loco Caji abdicantis, consulatum iusse. Inter nummos Triumvirum Monetalium, imperante Augusto, percussos, reperiuntur inscripti: M. SANQUINIUS. Q. F. ex quo hujus Sanquinii Consulis II. ac prioris filii prænomen formari potest. Tacitus lib. 11. Aonal. A. V. 800. ait: *Per idem tempus Chauci nulla dissensione domi, & morte Sanquinii alacres, dum Corbulo adventat, inferiorem Germaniam incursavere, duce Gannasco.* Itaque Sanquinius Maximus Proprætor Germaniæ inferioris obiit, succedente Cn. Domitio Corbulone, quem itidem consulatus secundi hoc anno successorem habuerat, ex Dione loco laudato. Hæc inserui, quod Glandorpius vix unum & alterum versum hac de familia recitat, ubi etiam Sanquinium semel tantum Consulem nominat, ac ejusdem Germaniæ præfecturam, ejusque patrem omittit.

Anno V. 794. Christianæ epochæ 41. nono Kal. Februarii Cajo Caligula occiso, Tiberius Claudius imperium accepit, eoque rem Romanam administrante, tredecim collegia Consulum ejusdem imperii annos aperuere. In Cajo Cæsare, Vir sapientissime, index consularis Dionis libris præfixus terminatur, quamvis etiam Consules præpositi libro 58. in Dionis volumine desiderentur, ut patet in editione Xylandri, & veteri eoque optimo Græco codice Mediceo. Sunt autem duodecim collegia, quæ Leunclavius, partim ex eodem libro Dionis, partim ex Panvinii fastis concinnavit. Id facile poteras intelligere, si Dionis in describendis initio cujusque libri consulibus, methodum observasses. Nam semper ante cognomen cujuscumque Consulis, indicat prænomen patris ejusdem Consulis. Hoc charactere neutiquam describuntur Consules libri 58. uti neque libri 60. ac ceterorum ad postremum usque octogesimum. His omnibus libris Leunclavius Consules præposuit, quorum tamen patres prænomine tenus non designavit, quod eorum prænomina plane ignorabat. Hinc in laterculis consularibus ante eundem librum 58., leguntur *M. Vinicius Quartinus*, *C. Rubellius*, *C. Cassius Longinus*, *Sex. Papirius*, *Sergius Sulpicius Galba*, in quibus aut prænomina, aut nomina, aut denique cognomina falsa demonstravi, quod ipsum in sequentibus consulatibus frequentissime apparebit. Primum collegium Consulum imperatore Claudio in Dione ita designatur: *Claudius Augustus II. & C. Largus.* Eosdem laudat Idacius. At Labbeus in margine pro *Largo* notat scribendum *Longo*, uti legitur apud Anonymum Cuspiniani. Pedianus in Scaurianam designat locum, in quo fuerat domus M. Scauri, ac statim ait: *Possidet eam nunc Longus Cæcina, qui Consul fuit cum Claudio.* Tibi vero post Petavium, Ricciolium, atque alios, dicitur *L. Licinius Largus.* Recte tamen *Caji* prænomen ac *Largi* cognomen legi in Dionis libro 60. patet ex insigni Inscriptione fratrum Arvalium, quam produxit Fulvius Ursinus in notis ad Varronem; ibi enim dicitur sacrificio facto pro salute Claudii Augusti, inter alios adfuisse C. CAECINA LARGVS. Tacitus lib. 11. ait: *Ac ne dum in urbem* Claudius *vehitur, ad pænitentiam a L. Vitellio, P. Largo Cæcina mutaretur, in eodem gestamine sedem posuit.* Erat forte Publius Caji Consulis frater. Ex his *Largi* cognomen confirmatur. Fulvius Ursinus in notis ad lib. 1. Hist. Taciti scribit vocem *Cæcina* signare familiam, non vero cognomen laudati Consulis, ut & in reliquis, qui Cæcinæ vocabantur. At Panvinius *Cæcina* putat cognomen tantum Liciniorum. Hinc A. Cæcina Vitellii Dux ac Consul suffectus A. V. 822. dicitur eidem *A. Licinius Cæcina.* Uterque insignis Scriptor aberrat. Tacitus lib. 1. Hist. ait: *Legati legionum Allienus Cæcina & Fabius Valens.* Dio etiam lib. 65. scribit: *Vitellius Allienum cum paucis bello præficit*; ibique *Allienum* semper penes familiam appellat, quem Tacitus passim *Cæcinæ* cognomine nuncupat. Hic habemus A. Allienum Cæcinam, ac proinde falsus est Panvinius, qui illum in Liciniam gentem adoptat, & itidem Ursinus, qui Cæcinam ejusdem cognomen negabat. Tacitus lib. 2. Hist. ait: *Notabile jurgium inde fuit, quo Licinius Cæcina Marcellum Eprium, ut ambigua disserentem, invasit.* Hic quoque Cæcina cognomen est. Interim collega Claudii dicatur *C. Cæcina Largus*, ac *Cæcina* familiam significet, uti & in altero Consule suffecto Gruteri pag. 239. 3. *C. Cæcina Pæto.* Corrigendus est Goltzius, qui in fastis scribit C. Cæcinam Largum in magistratu obiisse, cum Pediano laudato, post gestum magistratum, superstes memoretur.

Anno V. 797. Christi 44. exhibentur a Dione lib. 60. Consules *C. Crispus II. & T. Statilius.* Hos tu quoque exscripsisti. In Idacio legitur: *Crispo II. & Tauro*; in Prosperi autem fastis: *Crispino & Tauro.* Pighius tom. 3. Annal. ac Goltzius in fastis scribunt: *C. Vibius Crispus II. T. Statilius Taurus.* Addit ille a Frontino laudari Vibium Crispum Curatorem aquarum Urbis. Addere poterat Tacitum qui lib. 14. Annal. & lib. 4. Hist. Vibii Crispi Senatoris mentionem facit. Hi tamen Consules dicuntur Panvinio *C. Quinctius Crispinus II. & T. Statilius Taurus.* Ceterum omnes in hoc collegio describendo errorem admisisse, constat ex epitaphio Gruteri pag. 1041. 10. quod dicitur positum

III. NON. IANVARI
L. QVINCTIO. CRISPINO. II
M. STATILIO. TAVRO. COS

Vides hosce Consules ordinarios ineunte anno, in lapide obsignatos. Anno V. 745. *T. Quinctius Crispinus* legitur Consul collega Druso Nerone. Et in nummis Triumvirum monetalium sub Augusto percussis, obsignatur T. QVINCTIVS CRISPINVS, cujus nepos hic L. Quinctius in consulari familia natus. Falsa sunt prænomina horum Consulum apud Dionem & Panvinium.

Anno sequenti V. 798. Christi 45. Dioni dicuntur Consules *M. Vinicius II. & Statilius Corvinus.* Utrique *Marci* prænomen addit Panvinius, quem Petavius, Calvisius, Goltzius, cæterique tecum sequuntur. Bucherius, Goltzius, Ricciolius, Vinucio *Quartini* etiam cognomen donant. In primis fictitium esse hoc cognomen *Quartini* jam tibi præmonstravi in emendato collegio A. V. 783 quo idem Vinicius primum consulatum gessit. Hactenus prænomen Statilii Corvini ignoratum, ac perperam in fastis scriptum, ex insigni Inscriptione fratrum Arvalium apud Fulvium Ursinum superius laudato loco, corrigendum est. Ibidem Idibus Januariis: *Quod Tiberius Claudius Cæsar Augustus appellatus est Pater Patriæ*, sacrificium peregerunt *C. Cæcina Largus*, *L. Vitellius*, *Paullus Fabius Persicus*, *TAVRVS STATILIVS CORVINVS*, *C. Piso &c.* Itaque Statilius Corvinus *Tauri* prænomen tulit. Enimvero non semel familiarum cognomina in prænomina postea mutata sunt. Inter Tribunos militares in tabulis Capitolinis nominatur *P. Cornelius Cossus*; at postea cum gens Cornelia alterum Lentulorum cognomen admisisset, ejus familiæ viri cognomen vetustum *Cossi* loco prænominis posuerunt. Hinc imperante Augusto, A. V. 753. *Cossus Cornelius Lentulus*; anno 778. alter *Cossus Cornelius Lentulus* in fastis Consules laudantur. Tacitus lib. 14. Ann. ait: *Nerone IV. Cornelio*

Cosso

Cosso Consulibus. In veteri tamen Inscriptione Gruteri pag 8. legitur: *Nerone Cæsare Aug. IV.* COSSO LENTVLO COSSI F. COS. patres autem Consulum, ac aliorum penes tantum prænomen obsignabantur. Ipse Cossi collega Nero Augustus dicebatur in nummis NERO CLAVDIVS CAESAR; ita etiam nominatur in vetustis Inscriptionibus Gruteri pag. 236. Nero cognomen Claudiæ gentis loco prænominis ab eodem usurpatum, postquam per adoptionem in familiam Claudiam transierat. Porro cognomen *Tauri* proprium erat familiæ Statiliæ, uti *Corvinus* Valeriæ Messallarum. At cum Consul hujus anni Statilius *Corvini* cognomen tulisset, antiquum familiæ cognomen *Tauri* loco prænominis usurpavit. Id genus prænominum passim occurrit in Romana historia, ac plura exempla proponit Panvinius in fine opusculi de nominibus Romanorum. Si quis vero eundem Consulem appellare vellet *Titum Statilium Taurum Corvinum*, haberet tum prænominis, tum cognominum auctorem Phlegontem Trallianum, qui cap. 6. de mirabilibus narrat quandam virginem tredecim annos natam, in virum mutatam fuisse: *Roma Marco Vinicio & Tito Statilio Tauro, cui Corvilio cognomentum fuit, Consulibus.* Ibi tamen legito *Corvino.* Quo altero testimonio patet eundem perperam *Marcum* in fastis appellari, qui *Titus*, aut *Taurus* dicebatur.

Anno V. 799. Christi 46. *Cajus Valerius Asiaticus II. M. Valerius Messalla Consules*, inquit Panvinius, *memorantur a Dione lib.* 58. Eosdem e lib. 60. producit Baronius A. Christi apud ipsum 48. etenim biennio vulgarem epocham anticipat. Illos hoc anno produnt Calvisius, Petavius, Bucherius, Altfordius, Occo, Ricciolius, ac ceteri recentiores, quibuscum scribis pag. 201. *C. Valerius Asiaticus & M. Messala.* Unus Panvinius vos omnes in errorem induxit. Summus ille vir, qui jure ac merito librorum helluo, teste doctissimo Manutio, dici potuit, tot voluminum lectione fatigatus, in iisdem quandoque dormitavit. Equidem Dio hæc libro 60. ad A. V. 799. scribit: *Circumacto hoc anno, Valerius Asiaticus II. M. Silanus consulatum acceperunt. Silanus tempus magistratus sui præscriptum exegit.* At Panvinius pro M. Silano ex Dione obtrudit M. Messallam e gente Valeria, atque hunc ipsum Consulem falsum licet ac uni Panvinio somniatum, ceteri suos in fastos retulerunt. Idacius tamen in Fastis recte ait: *Asiatico & Silano.* Ita quoque in fastis Græcis, atque Anonymo apud Cuspianum legimus. Non ipse primus hujus correctionis auctor venio, quam olim Lipsius in notis ad initium lib. 11. Annal. Taciti pluribus exposuit, Onuphrium *insignis erroris* merito incusans, sed frustra; siquidem M. Valerius Messalla collega Asiatici non desiit deinceps fastos occupare. Verus tamen collega Asiatici consulis II. fuit *M. Junius Silanus* filius Appii Junii Silani ac Æmiliæ Lepidæ proneptis Augusti. Plinius lib. 7. cap. 14 ait: *Divus Augustus in reliqua exemplorum raritate, neptis suæ nepotem vidit genitum quo excessit anno, Marcum Silanum, qui cum Asiam obtineret post consulatum, Neronis Principis successione, veneno ejus sublatus est.* Natus est M. Junius Silanus A. V. 767. ex Æmilia Lepida filia Æmilii Paulli consulis A. V. 754. ac Juliæ filiæ M. Agrippæ ex Julia Augusti filia. Claudius Imperator Octaviam filiam *L. Junio Silano* Marci fratri desponsavit, ex Dione lib. 60. ac Suetonio cap. 27. Hunc postea generum interfecit. Tragicus in Octavia:

Mactata soceri concidit thalamis gener
Victima, tua ne fieret hymenæis potens.
Proh facinus ingens! fœmina est munus datus
Silanus, & cruore fœdavit suo
Patrios penates.

Seneca in ludo de morte Claudii scribit: *Quandoquidem Divus Claudius occidit socerum suum Appium Silanum, generos duos, Pompejum Magnum & L. Silanum.* Eadem scribit Suetonius in Claudio cap. 28. & 29. M. Junius Silanus L. Junii Silani Octaviæ mariti, frater cum hoc anno consulatum gessisset ex Dione & Plinio laudatis, ac anno abhinc nono V. C. 807. Asiam proconsul regeret, Agrippinæ Neronis Augusti matris insidiis sublatus est. Hæc Tacitus scribit initio lib. 13. Annalium: *Prima novo principatu mors Junii Silani proconsulis Asiæ, ignaro Nerone* (secus ac Plinius scripsit) *per dolum Agrippinæ paratur.* cujus impii facinoris caussam prodit: *Agrippina fratri ejus L. Silano necem molita, ultorem metuebat.* Ubi eidem dicitur *Silanus Divi Augusti abnepos.* Itaque e fastis eraso M. Valerio Messalla a Panvinio primum consule conficto, & a ceteris insigni errore recepto, ejus loco *M. Junius Silanus* reponatur, de cujus nobilitate quædam adnotavi, ut promptius in consulares tabulas reciperetur. Ejus collega Valerius Asiaticus cum prænomine *Caji* a Panvinio effertur, Glandorpius in suo Onomastico *Publium* vocat. Valerii Asiatici Consulis meminerunt Josephus lib. 19. cap. 1. & 3. Tacitus initio lib. 11. qui superest, Seneca lib. 2. de tranquillitate animi cap. 18. Dio in fine lib. 59. & lib. 60. Valerium Asiaticum ejusdem filium Belgicæ provinciæ Legatum ac Vitellii Imperatoris generum laudat Tacitus lib. 1. Hist. & lib. 4. idem Valerius Asiaticus dicitur Consul designatus. Neutrius prænomen alicubi recitatur; quare illud in medio relinquo. Ceterum tuis in fastis deest Asiatico nota iterati consulatus. Illum enim tempore necis Caji Caligulæ Consularem vocant Josephus ac Dio laudati. Eundem iterum Consulem appellant Tacitus lib. 11. ac Seneca lib. 2. Natur. quæst. 17.

Annus V. 800. Christi 47. Consules habuit Claudium Augustum IV. ac L. Vitellium III. qui Consules memorantur Censorino cap. 17. de die Natali, Suetonio cap. 2. in Vitellio. Dein sequuntur in Taciti libris ab undecimo ad decimum sextum undeviginti collegia Consulum. Hinc rarius in eisdem erratum. Anno V. 803. Christianæ epochæ 50. nominantur a Tacito Consules *C. Antistius & M. Suilius.* Deerant cognomina. Panvinius priorem vocat *Veterem*, & recte, fastis omnibus consentientibus: id enim cognominis Antistiis passim adponitur. De altero Consule scribit: *Marcus Suilius forte is est, de quo Plinius lib. 6. cap.* 6. (legito lib. 7. cap. 5.) *Suilius Rufus & Corbulo fratres, ambo Consules.* Quod vero in depravato quopiam Cassiodori Chronici legit, vel se legisse putavit statui hoc anno Consules *Veterem & Servilianum*, idem collega Antistii eidem integre in tabulis describitur *M. Suilius Rufus Servilianus.* Dicam equidem quod res est. Legit in Cassiodoro, ac apud Cuspinianum, quem ubique appellat, *Nervilianum* cognomen Suillio attributum; at quod nusquam in Romanis familiis idem occurrebat, unius prioris literæ variatione in Servilianum mutavit, quod cognomen ex adoptione derivatum putabat. At Scriptoribus prius cognomen Rufi magis arrisit. Leunclavius in indiculo præfixo lib. 60. Dionis ait: *C. Antistius & M. Rufus.* Ex sane imprudenter; siquidem nomen *Suilii*, quod ex Tacito erat certum, omittit; addit vero *Rufi* cognomen, quod Panvinius *forte* huic Consuli attribuendum dixerat. At M. Suillius Rufus receptus fuit a Goltzio, Petavio, Pighio, Bucherio, imo & amico meo dicitur *M. Servilius Rufus*

fus Servilianus. Hunc tamen errorem confuto ex lib. 3. Institut. cap. 9. ubi memoratur S. C. *quod Claudianis temporibus factum est, Suillio Rufo & Hostorio Scapula Consulibus.* Ex his constat Suillium Rufum Corbulonis fratrem gessisse, imperante Claudio, consulatum suffectum, ac perperam fingi consulem ordinarium A. V. 803. collega C. Antistio Vetere, cum collegam habuerit P. Ostorium Scapulam. Cum vero Ostorius Scapula dicatur Tacito lib. 12. hoc ipso anno Proprætor Britanniæ, in qua provincia hoc pariter anno bellum, eidem Historico descriptum, feliciter gessit, ante hunc annum cum Suillio Rufo suffecto consulatu perfunctus est. Idem Tacitus in libro de vita Agricolæ recensens præsides Britanniæ, ait: *Consularium primus A. Plautius præpositus, ac subinde Ostorius Scapula, uterque bello egregius.* Consulares enim exercitibus regendis imponebantur. Itaque alius est M. Suillius hujus anni Consul a Suillio Rufo, quem Plinius Corbulonis fratrem ex Vestilia matre appellat. In fastis Idacii, Anonymi apud Cuspinianum, Prosperi, ac Cassiodori, in quibus nuda Consulum cognomina ut plurimum recitantur, hujus anni Consules dicuntur *Vetus & Nervilianus.* Equidem Cuspinianus ad hoc cognomen hæsitavit, quod Tacitus lib. 13. recitata Suillii damnatione, narrat accusatores etiam *filium ejus Nerulinum* aggressos; quare dubitat, num Suillius *Nervilianus*, ut in fastis, potius dicendus sit, quam *Nerulinus*, ut ejusdem filius vocabatur. Et sane Goltzius qui Panvinii fastos passim exscribit, Suillium *Nerulinum* appellat. At lapsus est Cuspinianus duos Suillios in unum confundens; etenim hujus anni Consul appellatur a Tacito Marcus Suillius, de Nerulini vero patre ait: *Is fuit Publius Suillius imperitante Claudio terribilis & venalis.* Gloriatur ibidem Suillius se fuisse Quæstorem Germanici, nempe ante annos quadraginta, quod munus cum avare exercuisset, scripserat antea idem Tacitus lib. 4. Annalium *Publium Suillium Quæstorem quondam Germanici* a Tiberio ob judicia vendita in insulam deportatum, quem, inquit, *regressum, vidit sequens ætas Claudii principis amicitia semper prospere, nunquam tamen bene usum.* Itaque ex diverso prænomine P. Suillius alius fuit a M. Suillio Consule hujus anni. Publius quoque consul incerto anno suffectus fuerat; Tacitus enim ejusdem damnationem describens lib. 13. ait: *Repertique accusatores, direptos socios, cum Suillius provinciam Asiam regeret.* Asiæ autem Proconsules erant Consulares, qui eam provinciam decimo ut plurimum anno post consulatum sortiti, obtinebant, quod ex doctissimi Pighii Annalibus patet. Is sub Cæsaribus mos servabatur. Hinc cum Tacitus narrasset Agricolam post consulatum, in Britanniam Proprætorem missum, ac octavo postea anno Romam reversum, ait: *Aderat jam annus quo proconsulatum Asiæ & Africæ sortiretur.* Utramque vero provinciam annuo tantum imperio tenebant. Hæc laudato Pighio continuis fere exemplis demonstrata, indicasse satis.

Anno V. 807. Christi 54. Tacito lib. 12. dicuntur fuisse Consules *M. Asinius & M. Acilius*; Suetonio in Claudio cap. 45. & Senecæ in libello ludicro de morte Claudii vocantur *Asinius Marcellus, Acilius Aviola.* Panvinius ex lapide, in quo legebatur *Q. Asinius M. F. Marcellus Coss.* eundem non *Marcum* cum Tacito, sed *Quintum* maluit appellare. Leunclavius a Panvinio prænomen accepit, cui tu quoque adhæsisti. Glandorpius Tacito similiter scribit. Acilii etiam alterius Consulis prænomen litera M. in Taciti libro expressum, num Marcum, an Manium designet, incertum. Plurimi *Marcum*, Leunclavius *Manium* scripsitante lib. 60. Dionis, quod prænomen proprium Aciliorum. Nam A. V. 563. Manius Acilius Glabrio legitur Consul in tabulis Capitolinis. Dio lib. 35. ait: *Manio Acilio & C. Pisone Coss.* A. V. 687. Imperante Hadriano Manius Acilius Glabrio, ac Manius Acilius Aviola Consules laudantur in fastis ac vetustis Inscriptionibus. His autem Consulibus Claudius Augustus III. Idus Octobris e vita decessit, Nerone Claudio privigno successore, cujus imperii annos quatuordecim collegia Consulum aperuerunt, quorum duodecim in Taciti libris leguntur; unde in eosdem rari errores irrepserunt.

Anno V. 812. Christi 59. *C. Vipsanius ac L. Fontejus* Consules initio lib. 14. Taciti memorantur. Eosdem nominant Plinius ac Solinus a Panvinio ac Pighio laudati. In fastis Idacii & Anonymi apud Cuspinianum solo cognomine efferuntur: *Apronianus & Capito.* Panvinio integre designantur: *C. Vipsanius Apronianus ac L. Fontejus Capito.* Ita etiam Bucherius, quos exscribis. At Tacitus non *Caji*, sed *Lucii* prænomen Fontejo attribuit. Utriusque etiam cognomina in Tacito leguntur. Nam lib. 1. Hist. A. V. 822. quo occisus est Galba, meminit Vipsanii Aproniani Proconsulis Africæ. Vides hic eundem anno decimo post consulatum Africam provinciam sortitum, uti proxime interfatus sum. Ibidem etiam recitat necem Fonteji Capitonis jussu Galbæ peractam. Panvinius scribit priorem Consulem fuisse C. Vipsanium Poplicolam, qui a quopiam familiæ Aproniæ adoptatus, Aproniani cognomen accepit. Hinc Petavius & ejusdem exscriptor Ricciolius suis in fastis scribunt *C. Vipsanius Publicola*, Aproniani cognomine, quo solo in antiquis fastis designatur, perperam omisso. Verum id Panvinius ac cum eo ceteri errarunt, quod Vipsaniam Poplicolarum a Vipstana Apronianorum familia non distinxerunt: quod omnium primus fecit Fulvius Ursinus tum in notis ad initium 14. Taciti, tum etiam in notis ad Varronem, ubi Taciti ac Plinii codices recte emendavit ex veteri Inscriptione fratrum Arvalium, in qua sacrificio ob natalem Neronis Augusti dicuntur interfuisse *Sulpicius Camerinus Magister, M. Aponius Saturninus*, C. VIPSTANVS APRONIANVS. Aliam Inscriptionem producit V. C. Sponius abs se Romæ exscriptam, sect. 1. Miscellan. art. 2. in qua alteri Arvalium sacrificio pro salute Vespasiani Consulis VIII. leguntur adfuisse *L. Veratius Quadratus*, & post alios, C. VIPSTANVS APRONIANVS. Hinc patet priorem hujus anni Consulem non C. Vipsanium, sed *C. Vipstanum Apronianum* appellandum. Alterum Consulem L. Vipstanum Messallam inferius ad A. V. 868. Trajano imperante, producam. Igitur Vipstanorum gens Romæ erat consularis.

Anno V. 814. Christi 61. *Cæsonius Pætus ac Petronius Turpilianus* Consules a Tacito lib. 14. recitantur. Utrique *Caji* prænomen Panvinius attribuit, ceteris consentientibus, quos inter est Leunclavius in indiculo ante lib. 62. Dionis. Glandorpius in Onomastico ubi Cæsenniorum catalogum concinnat, ait: *Cæsennius Pætus Consul ordinarius sub Nerone, &c.* Et sane apud Phlegontem cap. 20. de mirabilibus, Cæsennius Pætus appellatur: ibi enim narrat infantem quadricipitem Neroni allatum, *Athenis præfecto Thrasyllo, Romæ Consulibus* Πουπλίου Πετρωνίου τοῦ Σπαλιανοῦ καὶ Κεσεννίου Παίτου: *Publio Petronio Spaliano & Cæsennio Pæto.* Scripserat Phlegon σπαλιανοῦ, quod cognomen exscriptor in duas voces perperam distinxit, priori syllaba in articulum mutata. At Cæsennium Pætum sive ipsi Phlegonti, sive librario perperam scriptum colligo ex duabus Inscriptionibus, in quarum una collega

P. Pe-

P. Petronii Turpiliani non Cæsennius, sed Cæsonius dicitur; in altera vero L. Cæsennius Pætus consul suffectus indicatur. Prior ex Panvinio extat Gruteri pag. 62. 7. ubi dicitur P. Varguntejus Ædem Silvano dicasse:

III. IDVS. AVGVST
PETRONIO. TVRPILIANO
ET. CAESONIO. PAETO. COS

In duobus antiquis MSS. codicibus Taciti in Bibliotheca Medicea *Cæsonio Pæto* legitur; postea in lib. 15. *Cæsennius Pætus* Armeniæ præfectus, uti in impressis voluminibus. Apud eundem Gruterum p. 64. 9. C. Cosutius aram Silvano posuisse dicitur, quam

DEDICAVIT KAL. MARTIS
P. CALVISIO. RVSONE.
L. CAESENNIO. PAETO. COS

Itaque L. Cæsennius Pætus consulatum suffectum gessit. Hinc restituendus Dionis textus lib. 62. inter excerpta Theodosio, ubi de Nerone loquens, ait: *Lucium vero Senium Pætum, ne quid apud Armeniq; novi motus existeret, misit.* Ibi enim non *Senium*, sed *Cæsennium* legendum est. Tacitus lib. 15. de Corbulone scribens, ait: *Nam, ut retuli, pro prium ducem tuendæ Armeniæ poposcerat, & adventare Cæsennius Pætus audiebatur.* Hujus prænomen, quod in Tacito desideratur, ac Glandorpius, Pighius, aliique ignorarunt, ex eadem Inscriptione ac verbis Dionis apparet. Cum Pætus Euphratem ponte transmisisset, hoc insecuti infortunii omen datum idem Tacitus narrat: *Turbatus equus, qui consularia insignia gestabat, retro evasit.* Igitur Cæsennius Pætus erat id temporis Consularis, incerto tamen anno quo suffectum consulatum gessit, quem nec in Panvinii tabulis quærendi ullam mihi curam posui. De collega vero Cæsonii Pæti idem Panvinius scribens, narrat se vidisse nummum cum epigraphe: SABINVS TVRPILIANVS IIIVIR. Hinc hujus anni consul eidem dicitur *C. Petronius C. F. Sabinus Turpilianus.* Leunclavius in indice Consulum præfixo lib. 62. Dionis scribit: *C. Cæsonius Pætus & C. Petronius Sabinus.* Ita pariter Petavius, Ricciolius, aliique, quos tu quoque imitaris. Imo notas hæc ipsa num. 17. Prolegom. *Ubi obiter observabis C. Petronium Sabinum, ut a Dione vocatur, dictum etiam fuisse Sabinum Turpilianum, ut Onuphrius ostendit.* Imo tu ipse observes velim, non a Dione, sed ab uno Panvinio cognomen *Sabini* Turpiliano superadditum, idemque a Leunclavio in indiculo Consulum ante librum 62. Dionis collocatum, quod sane nec Dio scripsit, nec somniavit. Tacitus in fine lib. 15. ait datum a Nerone *triumphale decus Petronio Turpiliano Consulari.* Et antea lib. 14. jussum Suetonium Paullinum tradere exercitum *Petronio Turpiliano, qui jam consulatu abierat.* In libello de vita Agricolæ inter Legatos Proprætores Britanniæ laudatur eidem *Petronius Turpilianus.* Otho Imperator objecit Galbæ necem *Turpiliani in Urbe*, apud Tacitum lib. 1. Hist. Nusquam *Sabinus* appellatur, quemadmodum nec in laudata Inscriptione, nec in fastis Idacii, Anonymi, aliorumque veterum. Plutarchus etiam in Galba ait occisum *Petronium Tertullianum*, ubi legendum *Turpilianum*. Sed nec nummus a Panvinio productus illud cognomen *Sabini* probat. Nam quædam Romanorum familiæ suam a Sabinis originem antiquitus deductam, in nummis designabant. Has inter fuere

Tituria, Vettia, Petronia. Extant nummi Tituriæ familiæ, in quibus Sabinarum raptus, vel T. Tatii Sabinorum regis effigies visitur. Petronii, quo a Sabinis genus vetustum indicarent, in nummis Feroniæ Sabinorum Deæ, vel Sabini filii Sabi, quem Sabini colebant, teste Dionysio Halicarnassensi, in nummis obsignarunt. Prostant apud Antiquarios nummi inscripti: CAESER AVGVSTVS, & in postica: TVRPILIANVS IIIVIR. FERON. ubi Feroniæ Deæ caput sculptum apparet. In illo Panvinii: TVRPILIANVS IIIVIR. SABINVS, ejusdem Sabini Sabi F. imago visitur. Porro sicuti ridicule Turpilianus ex illo vocabulo FERON. cognomen *Feronii* acciperet, idem de *Sabini* quoque cognomine dictum sit. Habes fictitiam cognominis *Sabini* Turpiliano superadditi originem. Plura hac de re pete ab Ursino in libro de familiis Romanorum, ac Spanhemio dissert. 6. de præst. & usu Numismatum. Visuntur nummi cum effigie Augusti, & in postica Pegasi, vel Sirenis, vel capitis Feroniæ, aut viri stantis cum patera ac flagro, cum epigraphe: P. PETRON. TVRPILIANVS IIIVIR. in quorum nullo *Sabini* cognomen legitur. Ita ex falso cognomine avi patet idem perperam ejus nepoti attribui, qui fictum etiam *Caji* prænomen in fastis tulit, cum *Publius Petronius*, uti antea ejusdem avus, diceretur, quod Phlegon laudatus testatur, idem prænomen more Græcorum integre describens, non quemadmodum Latinis familiare erat, priori tantum P. litera idem designans; unde fit, ut prænomina non tam facile a Græcis exscriptoribus, seu librariis varientur.

Anno V. 816, Christi 63. Consules leguntur in lib. 15. Taciti *Memmius Regulus ac Verginius Rufus* Eosdem nominat Frontinus lib. 2. de Aquæductibus, ac Seneca initio lib. 6. Natur. quæst. Nusquam eorundem prænomina legebantur; Panvinius eadem finxit; priorem *Lucium*, posteriorem *Publium* vocavit. Leunclavius prius prænomen exscripsit, alterum omisit. Calvisius, Goltzius, Petavius, Bucherius, ac ceteri utrumque prænomen admiserunt. At vulgarem errorem confutat vetus Inscriptio Gruteri pag. 8. 3. in qua legimus:

VOTVM. SOLVERVNT. L. M
L. VERGINIO. RVFO
C. MEMMIO. REGVLO. COS

C. Memmius Regulus filius fortassis fuit C. Memmii Reguli, cui *consulari exercitus regenti*, ut ait Suetonius cap. 25. Caligula Lolliam Paulinam uxorem abduxit. At L. Verginius Rufus ille ipse est, qui Legatus Proprætor Germaniæ exortum auctore Vindice tumultum compressit, ut patriæ, non autem sibi imperium assereret. Tres ille consulatus gessit; priorem hoc anno ordinarium, alterum anno Christianæ Epochæ 69. eumque suffectum, tertium denique Imperatore Nerva collega, anno abhinc quarto ac tricesimo. Panvinii ac Leunclavii, imo omnium, uno dempto Meursio, in ejusdem consulatibus exponendis, errores ostendam, cum de tertio ejusdem consulatu sermo redibit. Panvinius omnium primus, eidem Verginio fictum *Titi* prænomen attribuit.

Anno V. 817. Christi 64. *Cajus Lecanius & M. Licinius Consules* scribuntur Tacito lib. 15. In omnium antiquissimo Taciti codice Mediceo legitur *C. Lexanius*: in altero vero haud æque antiquo, *Lecanius*. Plinius lib. 26. cap. 1. scribens de carbunculo morbo pestifero, ait: *quo duo Consulares obiere; condentibus hæc nobis, eodem anno, Julius Rufus & Q. Lecanius Bassus.* Itaque in Lecanii prænomine Plinius a Tacito dissentit, vel Amanuensium errore

 eorun-

eorundem dissensus factus. Ex iisdem Plinii verbis Panvinius supplet Consulem, qui collega Capitonis A. V. 820. solo cognomine *Rufi* in fastis legitur, ut fuerit *C. Julius Rufus*, alter vero *L. Fontejus Capito*. Neuter ob deperditam posteriorem partem lib. 16. Taciti, atque ob Dionis libros ab Epitomista Xiphilino detonsos, in eisdem legitur. Utrique tamen praenomen ac familiam Panvinius assignavit. Eosdem arripiens Leunclavius scribit in indice libri 63. *L. Fontejus Capito & C. Julius Rufus.* Quae sane hic infero non eo consilio, ut alios Consules utriusque loco reponam, sed ut intelligas non Dionis, sed Leunclavii manu ex Panvinii fastis illuc eosdem Consules deportatos. *Attejus Capito* vir Consularis Tiberio imperitante decessit, ex Tacito in fine lib. 3. Annalium. Eidem lib. 13. memoratur *Cossutius Capito* vir Praetorius ac Rector Bithyniae, a Nerone repetundarum damnatus, ac postea eidem gratissimus, ex fine lib. 16. *Oppius Capito* memoratur Plinio lib. 7. cap. 15. *Titinius Capito* laudatur Plinio nepoti lib. 1. epist. 17. & in vetusta Inscriptione apud Gruterum pag. 61. 4. *Valerium Capitonem* post Agrippinae matris necem ab exilio revocatum a Nerone idem Tacitus scribit lib. 14. Hinc cum cognomen *Capitonis* tot familiae usurparent, ex illo nude in fastis signato, familiam Fontejam alteri hujus anni Consuli assignare, fallax ac lubrica conjectura est. Scio Fontejum Capitonem Germaniae Propraetorem anno sequenti a Galba interfectum. At is fuit L. Fontejus Capito, qui ante octo annos consulatum gesserat. Illum vero A. V. 820. quo ignotae familiae Capito Consul fuit, Germaniam inferiorem rexisse patet ex Tacito, qui scribit A. Vitellium A. V. 821. in provinciam advenientem *sordem & avaritiam* Fonteji Capitonis integre mutavisse. Et sane Fontejus erat Propraetor, cum Julius Vindex rebellavit, quando teste Tacito lib. 1. Hist. vulgatum est eundem *cogitationes rerum novarum abstinuisse*, fide erga Neronem servata, aut certe dissimulata, quod utrumque illi exitio fuit. Idem dicendum de C. Julio Rufo, hoc enim cognomen pluribus familiis usurpabatur, nempe Minuciae, Sulpiciae, Egnatiae, Cluviae, Pomponiae, Petiliae, aliisque; & quamvis ex Plinio colligatur Julius Rufus vir consularis Nerone imperante, quispiam eundem inter suffectos rejiciet. Quod Plinius loco laudato, Lecanii Bassi ac Julii Rufi Consularium mortem quae eodem morbo atque anno contigit, uno eodemque pariter versu narrat, ipse etiam de utroque verba conjunxi. Redeo tamen ad ordinem Consulum.

Anno Urbis 818. Christi 65. Consules in libro 15. Taciti designantur: *Ineunt*, inquit, *deinde consulatum Silius Nerva & Atticus Vestinus.* Panvinio eidem integra describuntur: *P. Silius Nerva & C. Julius Atticus Vestinus.* Leunclavius utrumque exscribit, omisso tamen in secundo Consule *Vestini* nomine, quod tu quoque facis, putans temet Dionis verba reddere, quae unitis erant mutilatae a Leunclavio Panvinii voces. Lipsius in notis ad laudatum textum Taciti ait: *Ex fastis & lapidibus Silanus;* ut prior Consul in Tacito legendus sit *P. Silanus Nerva.* Equidem Panvinius memorat Inscriptionem, quam ex eodem Gruterus pag. 80. 3. in haec verba conceptam refert:

SANCTISSIMAE
NEMESI
L. AVINIVS. L. F. SER
VITALIVS
ET. AVINIA. FELICITAS
SVA. PEC D. D.
DEDIC. XV. KAL. . .
SILIANO. ET. ATTICO. COS

Ex hac Inscriptione, ex Vellejo Paterculo, ac ex Phlegonte Tralliano Hadriani Augusti liberto, prior Consul mihi describetur. Nam in cap. 23. de mirabilibus Phlegon scribit: Ὑπατευόντων ἐν Ῥώμῃ Αὔλου Λικιννίου Νέρουα Σιλιανοῦ καὶ Μάρκου Οὐεστίνου Ἀττικοῦ: *Consulibus Romae Aulo Licinnio Nerva Silaniano & Marco Vestino Attico.* Ubi legendum est: *Licinnio*, seu, ut Latini scribebant, *Licinio*, & *Siliano*, uti recte scalptum est in recitato epigrammate. Vellejo lib. 2. eximie laudatur *Aulus Licinius Nerva Silianus, P. Silii filius;* ex quibus verbis optime, ni mea me fallit opinio, prior ille Consul exponitur. Aulus Licinius Nerva Publii Silii filium adoptavit, qui post adoptionem dictus fuit *A. Licinius Nerva Silianus.* Etenim qui in alienam familiam transibant, cognomen gentis in qua nati erant, retinebant, sed paululum immutatum, cetera adoptantis nomina recipientes. Auctor vitarum Virorum Illustrium ait: *P. Scipio Aemilianus, Paulli Macedonici filius, a Scipione Africano adoptatus &c.* Ille ante adoptionem dicebatur L. Aemilius Paullus; post adoptionem, P. Cornelius Scipio Aemilianus. Augustus vocabatur C. Octavius Thurinus; post adoptationem dictus est C. Julius Caesar Octavianus. Ita filius P. Silii ab A. Licinio Nerva adoptatus, nuncupabatur *A. Licinius Nerva Silianus.* quod postremum cognomen diserte ponitur a Vellejo, ac proinde legendum in indice consulum Dionis ante librum 55. ubi A. V. 760. erronee dicitur *Silanus*, quod erat cognomentum Juniae gentis, non autem ex Silia gente adoptati: hoc enim *Silianum* erat, ut in Vellejo ac veteri Inscriptione recte legitur. Et sane cum ex hac Inscriptione certum sit hunc Consulem *Silianum* vocatum, idem nequit dici P. Silius, cum Siliani cognomen indicet eundem ex Silia gente in aliam transcriptum. Hujus anni Consul omnia nomina tulit, quibus ejusdem avus Consul A. V. 760. a Vellejo ac Dione nuncupatur, ac proinde in Tacito ex laudata Inscriptione *Siliano Nerva* reponendum est, non autem *Silano*, uti Lipsius dicebat. Alter Consul a Phlegonte *Marcus Vestinus Atticus* appellatur. Panvinius ait, in vetustis Inscriptionibus, *quae nunc ad manum non sunt, C. Julii Attici Vestini consulis mentionem fieri inveni.* Visne, libere loquar? Suspicor hanc illam esse Inscriptionem, ex qua idem Panvinius sub Imperatore Hadriano, ut postea intelliges, Julium Atticum alterum Consulem perperam efformavit; ibi enim laudat itidem Inscriptionem sibi lectam, quam tamen praeter morem non recitat. Ipse quidem arbitror hunc Consulem intelligi posse ex oratione, quam Claudius Augustus in Senatu habuit de Gallis Comatis civitate donandis. Extat Gruteri pag. 502. ubi ait: *Ornatissima ecce colonia valentissimaque Viennensium, quam longo jam tempore Senatores huic Curiae confert, ex qua colonia inter paucos equestris Ordinis ornamentum, L. VESTINVM familiarissime diligo, & hodieque in rebus meis detineo, cujus liberi fruantur quaeso primo Sacerdotiorum gradu, postmodo cum annis promoturi dignitatis suae incrementa.* Ex sane promovit Marcus Vestinus Lucii F. Atticus, qui a Claudio Imperatore Sacerdotio ornatus, ab ejusdem successore Nerone consulatum accepit. Ita patriam ac patrem M. Vestini Consulis mihi videor invenisse. Ex his autem Consules hujus anni dicendi sunt: *A. Licinius Nerva Silianus & M. Vestinus Atticus.* Observo tamen *Vestinum* non esse cognomen, sed familiam. Nam Quintiliano lib. 6. cap. 4. dicitur *M. Vestinus*, ubi ejusdem apophtegma recitat. Ita consul anni Christi 115. L. Vipstanius, vel Vipstanus vocabatur, ut inferius ostendo.

Anno V. 821. Christi 68. Nerone die 9 Junii

sua

sua se manu interficiente, Galba, qui jam in Hispaniis Imperium invaserat, Imperator a Senatu dictus est. Anno insequenti *Servius Sulpicius Galba Augustus II. ac T. Vinius Rufinus* annum in fastis signarunt. Petavius eos Consules ita designat: *C. Sulpicius Galba, T. Vicinius Crispinianus.* Tu vero scribis: *Sergius Sulpicius Galba Aug. II. & T. Vinius.* Erratum in prænomine Galbæ, non enim *Cajus*, aut *Sergius*, sed *Servius* dicebatur, ut in priori ejusdem consulatu A. V. 786. præmonstratum est. Porro collega Galbæ non uno modo apud Scriptores invenitur. Panvinio in tabulis fastorum vocatur *T. Junius Crispinus*; Anonymo apud Cuspinianum *T. Junius*; in fastis Græcis ac Idacianis *T. Rufinus*; in prioribus editionibus Taciti ac Plutarchi *T. Junius*. Ejus tamen nomen, seu familia ex Inscriptione effossa, cum idem Panvinius eruditissimos fastorum commentarios elucubraret, innotuit. Hæc in eadem legebantur:

SER. GALBA. II. T. VINIO. COS

Integrum epigramma recitat Gruterus pag. 189. 4. Quare ibidem Panvinius T. Vitium Crispinum appellandum tradit, quo eum nomine scribit nuncupatum ab Anonymo Cuspiniani. At hoc falsum esse apparet ex ejusdem Cuspiniani commentariis, ubi semel & iterum hunc Consulem *T. Junium* vocari testatur ab ignoto Auctore, Plutarchus in Galba ait Othonem collega Ovinio, designatum fuisse Consulem; ubi pro *Vinio* in Græcis exemplaribus legitur *Ovinius*. At M. Otho anno superiori gesserat consulatum suffectum, ut ex ejusdem nummis Panvinius ostendit; nec Vinius habuit collegam Othonem, sed Galbam Augustum. Jam de T. Vinii cognomine agendum. In fastis Græcis *T. Rufinus* appellatur; at Panvinius ait nusquam hoc cognomine T. Vinium nuncupatum. Hinc scribit dicendum *potius* Crispinum; *filiam enim Crispinam habuisse a Tacito scribitur, quæ nomen ex patris cognomine, ut tum consuetudo erat, traxit.* Habes Auctorem cognominis *Crispini* T. Vinio adtributi. Id autem adeo Leunclavio placuit, ut omisso nomine, in consulatu præfixo lib. 64. Dionis scripserit: *Galba Cæs. Aug. II & T. Crispinus.* Hosce Consules Dionis manu descriptos arbitrabaris; sed eorundem auctorem jam tibi monstravi, ac toto hoc opere ostendam. Verum plerique illud cognomen exile nimis judicarunt, ac proinde illud ipsum auxere magno, ut ait Ovidius, ore sonandum, nempe *Crispinianum* scribentes. Ita Calvisius, Petavius, Bucherius, Ricciolius, aliique exscriptores, quibus hic Consul dicitur *T. Vinius Crispinianus*, qui antea erat *Crispinus*, nomenclatore Panvinio. Ceterum ratio cognominis a nomine filiæ deducta, dubia plane & incerta est, ac perperam ejus ætatis consuetudinem Panvinius appellat. Non ibo inficias mulieres quandoque patrum cognomina retinuisse. Lollia Paullina uxor Caligulæ, filia fuit M. Lollii Paullini; Poppæa Sabina materni avi Poppæi Sabini nomen ac cognomen tulit, ex Tacito lib. 13. At plerumque cognomen majorum diminutive inflexum ferebant. Ita Drusilla ab avo Druso; Plautia Urgulanilla uxor Claudii Augusti a M. Plautio Urgulanio, cujus elogium recitatur Gruteri pag. 452. 6. Messallina altera ejusdem Claudii uxor a patre Valerio Messalla Barbato cognomina sumpsere. Hinc T. Vinius a filia Crispina *Crispus*, non *Crispinus* dicendus esset. Plerumque etiam cognomina, seu nomina habuere, quibus nihil cum cognomine patrum commune erat. Domitia Calvilla filia fuit Calvisii Tulli bis Consulis, ex Capitolino cap. 1. de vita M. Aurelii; Julia Fadilla nata erat ex Julio Lupo, ex eodem cap. 1. de vita Antonini Pii. Crispina Imperatoris Commodi uxor, filia erat Brutti Præsentis. Et sane ex nomine Crispinæ ridicule quis patrem Bruttium Crispinum nuncuparet. Hæc innumeris exemplis patent in vetustis Inscriptionibus magni Thesauri a pag. 668. ad pag. 748. Hinc fit, ut nulla sit consuetudo a Panvinio conficta, ac incertum fundamentum, cui *Crispini* cognomen innititur. At *Crispiniani* cognomen nuper sine teste concinnatum, risu potius excipiendum, quam vel uno verbo confutandum videtur. Longe probabilius hic Consul eruditissimo Baronio nuncupatur *T. Vinius Rufinus*, quod hoc cognomine scribitur in fastis Græcis, quibus addere possumus omnium optimos Idacianos, quos evulgavit Philippus Labbeus. ibi enim legitur: *Galba II. & T. Rufino.* Hic annus quatuor Imperatores habuit: Galbam, qui M. Salvii Othonis insidiis die 15. Januarii interemptus est: Othonem, qui pugna Bedriacensi victus, semet tertium imperii mensem emensus interfecit: Vespasianum, qui Kal. Julii Imperator ab exercitu salutatus fuit: ac denique Vitellium, qui exeunte anno necatus, principatum uni Vespasiano reliquit. Hic imperavit annos decem, quorum octo, Tito filio septies collega, suis consulatibus in fastis signavit, teste Suetonio in Vespasiano cap. 8. & cap. 6. de vita Titi. Porro eosdem consulatus in Cassiodoro aliisque turbatos ac confusos Panvinius, Anonymo apud Cuspinianum lampadem præferente, omnium primus accuratissime digessit, ac nummorum lapidumque Inscriptionibus solidissime confirmavit. Anno tamen V. C. 831. Christianæ vulgaris epochæ 78. *Commodus ac Priscus* privati Consules in fastis leguntur, qui Panvinio dicuntur *L. Cejonius Commodus & C. Cornelius Priscus.* Consulares aliorum tabulas non moror, sed deinceps indiculos tantum Consulum, libris Dionis præfixos, appellabo, quos ex Panvinianis fastis exscriptos ostendam. Itaque Leunclavius in indice libri 66. Dionis idem collegium ita describit: *L. Commodus Verus & C. Cornelius Priscus.* Secundum Consulem ex Panvinio desumpsit. In priori omittit familiam Cejoniam Panvinio optime positam; addit de suo alterum cognomen *Veri*, & quidem perperam. Nam L. Cejonius *Commodi* tantum cognomen tulit, ut ex vetustis Inscriptionibus colligo. Leunclavius, quod legit L. Cejonium Commodum ab Imperatore Hadriano adoptatum *Veri* cognomen tulisse, idem cognomen ejusdem avo hujus anni Consuli attribuit. At certum est L. Cejonium, antequam ab Hadriano adoptaretur, cognomen *Veri* non tulisse. Cum idem anno V. 889. Christi 136. consulatum iniisset, in tribus Inscriptionibus Gruteri pag. 99. 250. & 874. dicitur L. CEJONIVS COMMODVS, nusquam altero *Veri* cognomine addito. Error Spartiani cap. 2. de vita Ælii Cæsaris, ubi eundem Ælium Verum appellat, corrigendus est ex Capitolino, qui de ejusdem Ælii Cæsaris filio ac Imperatore L. Vero cap. 1. ait: *Igitur L. Cejonius Ælius Commodus Verus Antoninus, qui ex Hadriani voluntate Ælius appellatus est, ex Antonini conjunctione Verus & Antoninus.* Itaque cognomen *Veri* tum primum L. Cejonio datum est post mortem Ælii Cæsaris, cui hactenus auctore Spartiano Veri cognomen passim detulerunt. Ipse etiam Capitolinus non sibi constat; nam & Ælium Cæsarem Verum nuncupat, & postea cap. 7. de vita M. Aurelii ait: *& quasi pater L. Commodi esset, Verum eum appellavit, addito Antonini nomine.* Et in Vero cap. 3. de eodem M. Aurelio scribit illum imperium cum L. Commodo communicasse, additque: *Verum vocari præcepit, suum in eum transferens nomen, quum ante*

Commodus

Commodus vocaretur. Hæc plane vera sententia. Nam Aurelius Antoninus Pius adoptatus ab Ælio Hadriano, in familiam Æliam transiit, qui jussus L. Cejonium Commodum ac M. Annium Verum sibi adoptare, hic M. Ælius Aurelius Verus, ille vero L. Ælius Aurelius Commodus dictus fuit. Hoc egregie confirmant duæ Inscriptiones quas inferius producam, ubi de Consulibus imperante Antonino Pio, verba faciam. At ubi M. Aurelius L. Cejonium Commodum in imperii consortium admisit, eundem nuncupavit *Verum*, quod Anniæ familiæ cognomen erat, non Æliæ Hadriani, neque Aureliæ Antonini Pii. Itaque nullus Cejoniorum ante L. Verum Augustum, *Veri* cognomen tulit. Hæsit ad hoc cognomen Casaubonus in notis ad cap. 7. vitæ M. Aurelii, scribens: *Video, nec video, quo recte ista capiam.* Salmasius plura quidem adnotavit, sed nec ipse rem assequutus. Fons & origo vulgaris erroris, quod L. Aurelius Augustus Marci Aurelii Augusti collega, *Veri* cognomen habuit, quo etiam solo plerumque in nummis obsignatur: hinc idem cognomen L. Ælio Cæsari ejusdem patri vulgo datum, quod tamen neque in nummis, aut lapidibus eidem attributum legitur, in quibus ante adoptionem L. Cejonius Commodus, post adoptionem L. Ælius Cæsar tantum inscribitur. Extat Inscriptio Gruteri pag. 250. quæ hoc collegio Consulum obsignatur: *L. Cejonio Commodo, Sex. Vetuleno Civica Pompejano Cos.* Et p. 874. 5. legitur: *Cejonio Commodo, & Civica Pompejano Cos.* In quibus Inscriptionibus collega L. Cejonii duplici cognomine effertur, ille vero unico tantum *Commodi* exprimitur. Interim corrigendus tibi est titulus hujus posterioris Inscriptionis, quem pag. 27. ita descripsisti ex Kirchmanno: *Ælius Cæsar duobus lib. Sannari Quintiliani salutem;* ubi notas eam esse *Ælii Cæsaris epistolam.* Non est, Amice, Ælii Cæsaris, sed liberti cujusdam rescriptum, cujus titulus recte ex Smetio habetur apud Gruterum pag. laudata 874. 5. C. JVLIVS CAEDVS LIB. SEMIARIS QVINTIANVS SALVTEM. Vides, quam erronee huncce titulum ille recitavit, ut postremam tantum vocem recte posuerit? Hactenus de cognomine *Veri* L. Cejonio Commodo Consuli A. V. 831. a Leunclavio perperam superaddito, quod Cejoniorum primus L. Verus Augustus ejusdem pronepos, accepit a M. Aurelio, ut in eo suæ ipsius familiæ Anniæ cognomen renovaret, illud in collegam transferendo, quod ipse tum privatus, tum Cæsar ad mortem usque Antonini Pii tulerat, nec postea Augustus usurpavit. Ceterum alter Consul *C. Cornelius Priscus* fictititius est; siquidem e vetusta Inscriptione fratrum Arvalium, quæ Romæ in villa Sabellorum, vulgo Montalto, legitur, verus L. Commodi collega innotescit. Hæc initio ejusdem leguntur:

L. CEIONIO. COMMODO
D. NOVIO. PRISCO.
III. NON. IAN

Integram Inscriptionem leges apud Jacobum Sponium veterum monumentorum diligentissimum collectorem, sect. 1. Miscellan. art. 2. In illa vero tabula recitantur vota nuncupata de more tertio Nonas Januarias pro salute *Imp. Vespasiani Cæsaris Aug. Trib. Pot. COS. VIII. & T. Cæsaris Aug. F. Vespasiani COS. VI.* Anno superiori V. C. 830. Vespasianus Aug. VIII. Titus Cæsar VI. Consules fuerant. Et quidem Sponius putabat Cornelium Priscum fuisse Consulem ordinarium, Novium vero Priscum suffectum, aut erratum esse in fastis Capitolinis. At D. Novius Priscus fuit Consul ordinarius, cum ineunte anno magistratum inierit; nec erratum est in fastis Capitolinis, sed in fastis Panvinianis. Addit hujus D. Novii Prisci mentionem fieri in Gruteriana Inscriptione pag. 104. 6. Verum ille Novius Priscus non est vir Consularis, sed quidam de plebe inter collegas Curatores Tribus Succusanæ numeratus. Tacitus in fine lib. 15. Ann. meminit *Novii Prisci* a Nerone ob cultam eidem cum Seneca amicitiam in exilium missi, quem uxor Antonia Fadilla comitata est. Hic post excessum Neronis, Romam regressus, satis probabiliter hujus anni Consul videri possit.

Anno V. 832. Christi 79. die 24 Junii senex Vespasianus vita defunctus, Titum Cæsarem Imperii hæredem reliquit, quem antea in Tribunicia potestate ac Censura collegam habuerat. Duo tantum collegia imperitante Tito, annum aperuere. Anno altero eodemque postremo imperii ejusdem V. C. 834. Christi 81. signantur in fastis Consules *Silvanus & Pollio.* Panvinius, quod M. Plautius Silvanus collega legitur Augusti Consulis XIII. itemque in veteri Inscriptione Tiberius Plautius Silvanus imperante Vespasiano Consul II. ac præfectus Urbis dicitur, ex eadem familia hujus anni Consulem appellavit *M. Plautium Silvanum;* collegam vero dixit *M. Annium Pollionem.* Utrumque mutuatus a Panvinio Leunclavius scribit in indice ante lib. 66. Dionis: *M. Plautius & M. Annius Pollio.* At hucusque erratum in fastis. Extat Gruteri pag. 1040. 1. Inscriptio Aræ a T. Canulejo dicatæ:

KAL. NOVEMBRIS
SEX. ANNIO. SILVANO
ET. T. ANNIO. VERO. POL
LIONE. COS

Uterque Consul fuit e gente Annia; utriusque prænomen falso in fastis descriptum, ac prioris etiam Consulis familia Plautia. Hoc anno Titus Imperator Orbi Romano ostensus potius, quam datus Imperator, Idibus Septembris, in eadem, qua pater, villa decessit, successore Domitiano fratre, quo imperante quindecim paria Consulum totidem annos principatus ejusdem in fastis signarunt. Hic oro te, Vir doctissime & amicissime, atque obsecro, ut meam mihi causam bona cum venia apud te judicem paucis liceat defendere; siquidem ex Dionis fastis mihi dicam dicis, quod suffectos Domitiani consulatus cum ordinariis semper connumeratos asserui. Ipsa hic tua verba ex pag. 64. recito. *Sed*, inquis, *vir doctissimus* (hunc tibi, quem unice mereris, titulum habeto) *non observarat non solum apud Dionem, quo nullus ex Antiquis in Consulibus recensendis exactior, eorum omnium mentionem non haberi, sed neque etiam in aliquibus Domitiani nummis eosdem memorari.* Et statim sequenti pag. 65. unicialibus, ut quidam dixit, characteribus posito titulo: SERIES CONSVLATVVM DOMITIANI EX DIONE, eandem recitas:

Titus Aug. VIII. Domitianus Cæsar III.
M. Plautius, M. Annius Pollio.
Domitianus Aug. IV. T. Flavius Sabinus.
Domitianus Aug. V. Eutropius Rufus II.
Domitianus Aug. VI. Junius Sabinus. &c.

Profecto si hanc seriem consulatuum Dio descripsisset, nemo Dione pejus fastos digessisset, cum inter hæc tantum quinque collegia Consulum, tria

sunt

ſunt plane ſpuria ac fictitia, & ante Panvinium Faſtis ignorata. Jam ſecundum collegium falſis characteribus deſignatum obſervaſti, pro Sexto Annio, Marco Plautio in faſtos relato. Proxime videbis pro Eutropio Ruſo *Q. Petilium Rufum* in ſcriptis ac ſcalptis antiquitus monumentis obſignatum; denique non Junium Sabinum, ſed *Oppium Sabinum* in faſtis reponendum intelliges. Leunclavius hic tibi belliſſime impoſuit. Nam ubi hactenus mei Panvinii faſtos exſcripſerat, in Domitiani conſulatibus recitandis, manum de Panvinii tabulis tollens, ordinarios tantum illius Principis conſulatus numeravit; id tamen peccans, quod priorem conſulatum ſuffectum una cum duodecim ordinariis computavit, cum vel omnes ſuffecti recenſendi fuiſſent, vel omnes, nullo excepto, omittendi. Nec tu quidem recte calculos ponis, cum pag. 64. ſcribis: *in qua ſerie eidem Imperatori Conſulatus tantum XIII. tribuuntur, & ex ſuffectis duo recenſentur, quatuor omittuntur.* Erras. In illa ſerie duodecim ordinarii Domitiano conſulatus tribuuntur, & ex ſuffectis unus recenſetur, quatuor omittuntur. Dixi te erraſſe? Corrigo memet errantem, cum olim ſcripſi Domitianum *ſexies* conſulatum geſſiſſe; ſcribendum erat *quinquies*, ac proinde unus ego erroris tui auctor venio, qui, ut ingenue fatear, illum numerum ex Riccioli faſtis exſcripſi. In vetuſtis lapidum Inſcriptionibus ſuffecti Domitiani conſulatus una ſimul cum ordinariis ſemper connumerantur. Leges illos in magno Theſauro pag. 5. 68. 244. 300. 574. 575. Smyrnenſem nondum editam, proxime exhibebo. Nec ſecus in nummis eoſdem conſulatus ſcalptos vidi. Illum vero Scaligero recitatum, in quo Domitianus dicitur *Auguſtus P. M. Coſ. VI.* perperam exſcripſerunt; in illo enim dubio procul ſcalptum fuerat COS. VII. detrita tamen injuria temporum, ſeu alio caſu poſtrema nota numerali, quæ Scaligero ubique ſupplenda erat ex innumeris, quos vidi, ejuſdem nummis, in quibus dicitur COS. VII. & in poſtica: PRINCEPS JVVENTVTIS. Ne quid tamen diſſimulem, dabo unum & alterum teſtem, qui Domitiano imperante, vixere, quorum teſtimonio mecum poteras ſolidius diſputare, quam ex ficta Leunclavio, & Dioni abs te afficta ſerie conſulatuum Domitiani. Prior eſt Suetonius, qui cap. 3. de Domitiano ſcribit: *Deinde uxorem Domitiam, ex qua in ſecundo ſuo conſulatu filium tulerat, alteroque anno conſalutaverat ut Auguſtam &c.* Cum Domitianus niſi Auguſtus uxorem itidem Auguſtam dixerit, patet Suetonium ſecundum Domitiani conſulatum accepiſſe pro altero, quem ordinarium Imperator geſſit. Alter vero eſt Statius qui in carmine de XVII. conſulatu Domitiani ait:

> —— *ſubiere novi Palatia faſces:*
> *Et requiem bis ſextus honos, precibuſque receptis*
> *Curia Cæſareum gaudet viciſſe pudorem.*

Ita bis ſextum honorem faſcium, nempe duodecimum conſulatum ordinarium Domitiano delatum laudat, qui tamen quinque ſuffectis adnumeratis, erat decimus ſeptimus. Ceterum annus, quo Domitianus primum conſulatum ſuffectum geſſit, in Panvinii & aliorum faſtis, quos ipſe pag. 103. ſequeris, corrigendus eſt. Ille enim non fuit Conſul ſuffectus anno vulgaris epochæ 70. quo Veſpaſianus Aug. II. ac Titus ordinarii Conſules in faſtis ſignantur, ſed anno ſequenti 71. Tacitus lib. 4. Hiſt. de Veſpaſiano ſcribit: *Ipſi conſulatus cum Tito filio, prætura Domitiano & conſulare imperium decernuntur.* Hoc S. C. factum eſt poſt necem Vitellii, exeunte anno 69. Itaque anno 70. Veſpaſianus II. collega Tito conſul fuit; Domitianus vero Prætor. Extat Veſpaſiani nummus Bononiæ apud P. Minium cum epigraphe in poſtica: CAESAR AVG. F. COS. CAESAR AVG. F. PR. Vides hic Titum Cæſarem *Conſulem*, Domitianum autem *Prætorem*. Julius Frontinus ante Domitianum Prætor deſignatus, quod Conſules aberant, Kalendis Januariis Senatum coegit; addit Tacitus loco laudato: *Et mox, ejurante Frontino, Cæſar Domitianus præturam cepit.* Idem confirmat Suetonius cap. 1. in Domitiano. In Theſauro Gruteriano pag. 573. 1. legitur decretum, quo quidam veterani civitate donantur ab Imperatore Veſpaſiano TR. POT. II. COS. III. DES. IIII. nempe anno Chriſti 71. idem vero decretum dicitur ſcriptum NON. APRIL. CAESARE. AVG. F. DOMITIANO. CN. PEDIO. CASTO. COS. Itaque anno 71. Domitianus in locum Veſpaſiani Auguſti ſuffectus, gerebat menſe Aprili conſulatum. Panvinius putavit eundem Kal. Juliis conſulatum iniſſe. In magno Theſauro Numiſmatum Mediceo tres nummos primæ magnitudinis in antica parte inſcriptos vidi: IMP. CAES. VESPASIAN. AVG. P. M. TR. P. COS. III. & in poſtica: IMP. AVG. F. COS. DES. IT. CAES. AVG. F. DES. S. C. Hi nummi percuſſi ſunt anno 71. ante Martium, cum id temporis Titus *Imperator Auguſti filius Conſul deſignatus iterum* eſſet in annum ſequentem 72. & Domitianus *Cæſar Auguſti filius deſignatus* eſſet Conſul ad proximas Kal. Martias. Itaque annus, quo Domitianus primum conſulatum geſſit, ex lapidis ac nummorum Inſcriptionibus evidenter demonſtratur.

Anno V. 836. Chriſti Domini 83. leguntur in faſtis Conſules *Domitianus IX. & Rufus.* Panvinio hic collega Domitiani dicitur *L. Virginius Rufus II,* qui anno 69. poſt necem Galbæ ab Imperatore Othone deſignatus fuit Conſul ſuffectus a Kal. Maji, ad Kal. Julias, ex Tacito lib. 1. Hiſtor. En tibi Leunclavium totum hunc collegam Domitiani ex tabulis Panvinii in indicem conſularem lib. 67. Dionis deportantem. ibi enim ait: *T. Virginius Rufus II.* Tu quidem in ſerie Conſulatuum Domitiani, huic ipſi Conſuli collegam addis *Eutropium Rufum II.* Ubinam, quæſo te, huncce Eutropium Rufum conſulem inveniſti? Scito tamen neque Virginium Rufum, neque tuum illum Eutropium Rufum, ſed Q. Petilium Rufum fuiſſe verum ac legitimum collegam Domitiani Conſulis IX. Phlegon Imperatoris Hadriani libertus, & inſignis Chronologus cap. 24. de mirabilibus, ſcribit mulierem Tridenti perperiſſe angues globi inſtar involutos, *ὑπατευόντων ἐν Ῥώμῃ Δομετιανοῦ Καίσαρος τὸ ἔνατον, καὶ Πετιλίου Ῥούφου τὸ δεύτερον: Conſulibus Romæ Domitiano Cæſare IX. & Petilio Rufo II.* Hoc ipſum collegium Conſulum prodit inſignis Inſcriptio lapidis ſub monte Sipylo prope Smyrnam anno 1679. effoſſi. Illius exemplar Daniel Coſſonus Latinis Græciſque literis apprime eruditus, miſit ad Antonium Magliabechium, ut eruditiſſimi ac ubique non barbararum gentium laudatiſſimi viri Bibliotheca, collectis non ex Europa tantum voluminibus, verum etiam ex ipſa Aſia præclaro monumento accepto, diteſceret. Eſt prolixum ſatis epigramma, cujus hic tibi fragmentum recito.

ΣΟΤΑΠΙΚΙΟΣ. ΦΙΡΜΟΣ

ΑΡΤΕΜΙΔΩΡΟΣ. ΑΡΤΕΜΑΣ. ΠΑΤΡΟΜΥΣΤΙΣ

ΑΠΟΛΛΩΝΙΟΣ. ΕΥΔΗΜΟΣ. ΠΑΤΡΟΜΥΣΤΙΣ

ΤΡΟΦΙΜΟΣ. ΑΣΚΛΗΠΙΑΔΟΥ

ΤΥΡΑΝΝΟΣ. ΠΑΠΙΟΥ. ΤΟΥ. ΜΕΝΑΝΔΡΟΥ

ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΙ. ΚΑΙΣΑΡΙ . . . . ΙΞ.

. . . ΣΕΒΑΣΤΩ. ΤΟ. Θ. ΚΟΙΝΤΩ
ΠΕΤΤΙΛΙΩ. ΡΟΥΦΩ. ΤΟ. Β. ΥΠΑΤΟΙΣ
ΕΠΙ. ΣΑΕΦΑΝΗΦΟΡΟΥ. ΚΟΣΚΩΝΙΑΣ
ΜΥΡΤΟΥ. ΑΓΩΝΟΘΕΤΗΣ-ΛΟ-ΚΑΙ
ΚΙΛΙΟΣ. ΦΡΟΝΤΩΝ-ΝΕ-ΞΥΣΤΑΡΧΗΣ
ΔΙΟΝΥΣΙΟΣ. ΚΙΚΙΝΟΣ-ΝΕ.

Vides bic decreto Senatus erasum, post ejusdem necem, nomen Domitiani *Imperatoris Cæsaris Augusti IX.* Consulis, cujus collega dicitur *Quintus Pettilius Rufus II.* quo quidem charactere Phlegontis testimonium, imo fasti ipsi mirifice illustrantur. Legi in Inscriptionibus Reinesii nuper publicatis, pag. 221. quoddam epigramma a Pyrrho Ligorio exscriptum, quod dicitur dicatum T. FL. DOMITIAN. AVG. IX. T. VIRGINIO. RVFO. COS. At norunt eruditi Ligorium Latini sermonis ignarum, uti ejusdem æqualis Antonius Augustinus in Dialogis testatur, laboriosissimum quidem, sed plerumque fallacem Scriptorem fuisse. Hinc non semel vapulat a Spanhemio, Scheffero, aliisque viris eruditissimis, quibus fucum facere non potuit. Illi autem Inscriptioni addidit consules, quod non semel ab eo peccatum. Imo in illa ipsa pag. 221. ex eodem Ligorio recitatur Inscriptio posita Kal. Aprilis IMP. VESPASIANO. III. & T. CAESARE. COS. cum tamen certum sit Vespasianum secundum consulatum Tito Cæsare collega gessisse ex nummis ac Tacito scribente lib. 4. Hist. *Interea Vespasianus iterum, ac Titus consulatum absentes inierunt.* Idem vero Vespasianus anno sequenti V.C. 824. tertium consulatum non cum Tito, sed cum Coccejo Nerva administravit. Extat vetus Inscriptio Gruteri pag. 300. Idem Ligorius apud Gruterum pag. 314. 3. fingit in lapide hunc consulatum: IMP. CAES. FLAVIO. DOMITIANO. VIII. ET. C. VALERIO. MESSALINO COS. Quod collegium verum quidem est, sed in Domitiano fingitur titulus Imperatoris ac notæ consulatus VIII. cum Consul II. collegam habuerit M. Valerium Messalinum. Idem vero Imperator ac COS. VIII. collegam habuit T. Flavium Sabinum ex veteri Inscriptione pag. 68. 1. Et sane Verginius Rufus non *Titi*, sed *Lucii* prænomen tulit; unde plurium errorum convincitur fictus ille Ligorio consulatus. Aliam similem ejusdem fraudem ad A.V. 900. notabo.

Anno V. 837. Christi 84. signantur in fastis Consules *Domitianus Aug. X. & Sabinus.* Panvinio collega Domitiani dicitur fuisse *Appius Junius Sabinus,* quem Suetonius in Domitiano vocat virum Consularem, bello Dacico interfectum. Hunc quoque Leunclavius arripiens, inserit indici lib. 67. Dionis scribens: *Ap. Junius Sabinus.* At memoria Panvinium defecit. Nam Suetonius cap. 6. scribit Domitianum duas contra Dacos expeditiones suscepisse: *primam Oppio Sabino Consulari oppresso.* Panvinius pro Oppia familia, Appium prænomen sibi fingens, eundem in Juniam familiam perperam transcripsit. Gruteri pag. 446. 4. laudatur Hadriano imperante C. OPPIVS SABINVS, idemque COS. sed suffectus, qui hujus Oppii Sabini a Dacis interfecti filius videri possit. Hinc satis probabiliter *C. Oppius Sabinus* Domitiano Cos. X. collega dari potest.

Anno V. 845. Christi 92. Consules in fastis dicuntur *Domitianus Aug. XVI. & Saturninus.* Panvinius cum alterum Saturninum ante quintum annum, collegam Domitiani Cos. XIII. Aulum Volusium nuncupasset, eundem iterum hoc anno Consulem statuit. Illum ipsum integre exscribit Leunclavius, cui dicitur: *A. Volusius Saturninus II.* Errant in prænomine ac iterato consulatu. Gruteri pag. 300. legitur in veteri Inscriptione Titienus Serenus in collegium cooptatus eo anno, quo consulatum gessere:

IMP. CAES....... AVG. GER. XVI. COS
Q. VOLVSIVS. SATVRNINVS
P. R. C. AN. DCCCXLIIII.

Annus Urbis 844. numerabatur usque ad diem 21. Aprilis anno æræ vulgaris Christianæ 92. Senatus tanto odio occiso Domitianum persecutus est, ut teste Suetonio cap. 23. *novissime eradendos ubique titulos, abolendamque omnem memoriam decerneret.* Quod patet in posita Inscriptione, & in aliis pag. V. 2. XII. 2. LXVIII. 1. CCXLV. 2. CDXI. 1. & in Smyrnensi superius recitata. Anno secundo Neronis Q. Volusius Saturninus consul in fastis, ac Gruteri pag. IX. 4. legitur, qui hujus Quinti Saturnini pater fuit. Hinc recte in fastis Idacii, Prosperi, ac Cassiodori hic Saturninus non legitur Consul II.

Domitiano A. V. 849. Christi 96. die 18. Septembris interfecto, M. Coccejus Nerva imperium accepit, cujus brevissimi principatus annos duo collegia Consulum aperuere. Anno V. 850. Christi 97 Nerva Augustus III. ac Rufus III. fastis prænotantur. Prosper, & ejus exscriptores Cassiodorus in Chronico, ac Victorius Aquitanus in canone Paschali hoc collegium omiserunt. Idacius recte scribit: *Nerva III. & Rufo III.* Frontinus lib. 2. de Aquæduct. scribit se designatum Curatorem Aquarum Urbis *Imperatore Nerva III. & Verginio Rufo III. Consulibus.* Panvinio vocatur *Titus Verginius Rufus III.* quo pariter prænomine illum Leunclavius inserit indici lib. 68. Addit Panvinius eundem in consulatu mortuum, ex Plinii epistolis. Glandorpius in Onomastico non Titum, sed Publium Virginium scribit, cujus priorem consulatum ponit anno nostræ epochæ 63. collega Memmio Regulo. At Panvinius eundem anno 69. quo occisus est Galba, consulem suffectum statuit ex Kal. Maji ad Kal. Julias collega Poppæo Vopisco, ex Tacito lib. 1. Hist. iterum vero Consulem anno V. 836. cum Domitiano Aug. IX. ac tandem Consulem III. hoc anno cum Nerva Augusto. At certum mihi est Panvinium errasse in priori Nervæ consulatu statuendo. Nam ut prænotavi, primum consulatum gessit A. V. 816. collega C. Memmio Regulo, Nerone imperante. In veteri Inscriptione Gruteri pag. 8. 3. dicitur votum solutum a quibusdam libertis,

L. VERGINIO. RVFO
C. MEMMIO. REGVLO. COS

Frontinus lib. 2. de Aquæduct. scribit: *Verginio Rufo & Memmio Regulo Coss.* At Tacitus lib. 15. & Seneca lib. 6. Nat. quæst. inquiunt: *Memmio Regulo & Verginio Rufo Coss.* Verginium secundo loco nominantes. Ita optimi Scriptores ordinem nominationis Consulum minus sibi servandum duxerunt. In duabus etiam tesseris gladiatoriis superius mihi in Consulibus sub Tiberio laudatis, ac totidem Inscriptionibus lapidum, & in aliis inferius imperante M. Aurelio recitandis, idem ordo variatur; quamvis major prius nominati Consulis honor censeretur, uti ex Cicerone tradit Consul Ausonius in panegyri ad Gratianum. Ceterum Panvinii sententia de primo consulatu Verginii ab Imperatore Othone accepto, refellitur, quod Verginius sub necem Neronis Germaniæ Legatus ac Proprætor erat. Dio lib. 63. ait: *Rufus qui Germaniam obtinebat, inde profectus est, ut Vindici bellum inferret.* Tacitus etiam lib. 1. Hist. *Nec statim,* inquit,

quit, *pro Galba Verginius; an imperare voluisset, dubium; delatum ei a milite imperium conveniebat.* Et statim: *Dux deerat*, nempe in Germania, *abducto Verginio per simulationem amicitiæ.* Illum enim Galba novus Imperator Romam ex Germania vocaverat. At certum est viros tantum consulares Legatos ac Proprætores Germanicis exercitibus impositos fuisse. Itaque L. Verginius sub Nerone gesserat consulatum. Iterum consul designatus fuit ab Othone collega Poppæo Vopisco, ex Tacito lib. 1. Hist. Panvinius secundum consulatum Verginii statuit collega Imperatore Domitiano IX. quam sententiam ex Smyrnensi Inscriptione ac Phlegonte confutavi; siquidem Q. Petilius Rufus cum Domitiano Consule IX. magistratum gessit. Denique Verginius anno ab hoc secundo consulatu vigesimo octavo, imperante Nerva, tertio consulatu perfunctus, eodem anno obiit, publico funere elatus, uti fusius recitat Plinius lib. 2. epist. 1. Glandorpius fingit Verginium designatum fuisse Consulem IV. a Trajano Augusto; etenim post obitum Verginii, Trajanus imperium accepit, & quidem eodem anno circa initium Novembris in consortium principatus a Nerva adscitus, qui tertio postea mense post Trajani adoptionem, teste Aurelio Victore, decessit die 28. Januarii A. V. 851. a Parilibus.

Trajano imperante, undeviginti collegia Consulum signantur in fastis, qui circa ea tempora satis turbati ac confusi apparent ex tabulis Idacii, Prosperi, Chronici Alexandrini, & Anonymi apud Cuspinianum, si secum invicem conferantur. Anno V. 853. Christi 100. apud Anonymum Cuspiniani dicuntur Consules *Trajanus III. & Frontinus.* Idacius scribit: *Trajano III & Pontino;* Prosper vero: *Trajano IV. & Frontone.* Panvinius recte ex Plinio in panegyri probat Trajanum, ejusque collegam consules III. scribendos; Plinius enim Imperatorem commendat, quod consul tertium duos itidem collegas consules III. designavit: *Laudandus quidem*, inquit, *& ille, qui tertium consulatum meruit, sed magis sub quo meruit; magnus memorandusque, qui tantum præmium cepit.* At illius nulla memoria apud posteros manet. De illo tamen scribit Panvinius: *Hic est M. Cornelius Fronto Orator nobilissimus, de quo in vita Marci Imperatoris Julius Capitolinus, Macrobius, & Plinius in epistolis sæpe meminerunt.* Leunclavius pedibus, imo manibus in Panvinii sententiam ivit, scribens in indiculo lib. 68. Dionis: *Nerva Trajanus Aug. III. & M. Cornelius Fronto III.* Capitolinus cap. 2. scribit M. Aurelium pluribus magistris usum fuisse juxta varias, quas juvenis didicit, disciplinas: *Oratoribus*, inquit, *usus est Græcis Annio Marco, Caninio Celere, & Herode Attico: Latino, Frontone Cornelio. Sed multum ex his Frontoni detulit, cui & statuam in Senatu petiit.* Idem Capitolinus in Vero Augusto cap. 2. hujus in Rhetorica præceptorem laudat *Cornelium Frontonem.* Extat vetus Inscriptio apud Panvinium ad A. V. 850. Gruterum pag 469. 2.

M. AVFIDIO. FRONTONI
PRONEPOTI
M. CORNELI FRONTONIS
ORATORIS. COS
MAGISTRI. IMPERATORVM
LVCI. ET. ANTONINI
NEPOTI. AVFIDI. VICTORINI
PRAEFECTI. VRBIS. II. COS
FRONTO. COS
FILIO. DVLCISSIMO

At M. Cornelius Fronto Orator nobilissimus atque M. Aurelii Antonini Magister, fuit semel tantum Consul & quidem suffectus. Audiatur Consul Ausonius in panegyri: *Unica mihi*, inquit, *amplectenda est Frontonis imitatio, quem tamen Augusti magistrum sic consulatus ornavit, ut præfectura non cingeret. Sed consulatus ille cujusmodi? Ordinario suffectus, bimestri spatio interpositus, in sexta anni parte consumptus, quærendum ut reliquerit tantus Orator, quibus Consulibus gesserit consulatum.* Et statim: *Non ego me contendo Frontoni, sed Antonino præfero Gratianum.* Hinc in posita Inscriptione M. Cornelius Fronto dicitur tantum Consul sine ulla iterati consulatus nota. Ex his patet Panvinii error, dum M. Cornelium Frontonem Oratorem ac Magistrum M. Antonini fingit consulem III. anno secundo imperii Augustei Trajani, cum ille unicum bimestrem eumque suffectum consulatum anno incerto gesserit. Quis igitur Consul III. collega Trajani assignabitur? Fasti veteres illius tantum cognomen habent, sed in eodem discordant. Prosper, ejusque exscriptor Cassiodorus *Frontonem* illum appellant, quibus suffragari videtur Dio, qui Frontonem consulem laudat Nerva imperante; Plinius vero de collegis Trajani scribit: *Uterque nuper consulatum alterum gesserat a patre tuo, id est, quanto minus quam a te, datum:* ex quibus verbis Panvinius Frontonem consulem II. sub Nerva, & tertium cum Trajano itidem III. asseruit. In vetustis Inscriptionibus Gruteri pag. 199. 1. inter IIIIViros viarum curandarum a Trajano Imperatore constitutos, nominatur priori loco L. Licinius Sura, qui pariter fuit Consul III. & secundo loco M. IVLIVS M. F. FRONTO, quem forte laudat Martialis lib. 1. epig. 56.

Vota tui breviter si vis cognoscere Marci,
Clarum militiæ, Fronto, togæque decus.

Quod vero in fastis Prosperi, qui omnium sunt vitiosissimi, collega Trajani dicitur *Fronto*, cum apud Anonymum Cuspiniani *Frontinus* appelletur, ac constet hujus ignoti Scriptoris tabulas consulares omnium optimas esse, satis probabiliter dici posset *Sex. Julius Frontinus*, qui de Aquæductibus scripsit, Trajani tertium Consulis collega. Et quidem Panvinius id etiam peccavit, quod scripsit: *Liber Cuspiniani Trajanum III. & Frontonem edit*, cum diserte scribat Cuspinianus: *Ignotus Auctor habet hoc loco: Trajanus III. & Frontinus;* & idem in Dione *Frontinum* legendum putet. Enimvero Frontinus post suffectum consulatum, a Vespasiano Imperatore Proprætor in Britanniam missus fuit, inter cujus provinciæ Præsides consulares post Petilium Cerealem laudatur Tacito in lib. de vita Agricolæ *Julius Frontinus vir magnus.* Idem alterum consulatum gessit, teste Martiale lib. 10. epig. 48. in quo tenue ac paupere poeta dignum convivium describens, vinum recenset non veteri aliquo Consule in amphora signatum, sed

De Nomentana vinum sine fæce lagena,
Quæ bis Frontino Consule plena fuit,

Quod nuper lagena plena fuerat vino, hinc eandem *sine fæce* dixit; quare Frontino nuper iterum Consule impletam dicit. Idem vero superius epigr. 6. & 7. exponit se cupere reditum Trajani ex Germania, ubi anno 97. & sequenti substitit. Hinc Frontinus alterum consulatum sub Nerva gessit, a quo etiam anno 97. Curator aquarum Urbis designatus fuit, ut initio sui operis & lib. 2. idemmet Frontinus testatur. Tertium vero consulatum forte accepit a Trajano in Kalendas Januarias anni Christi 100.

sti 100. Plinius utrumque collegam Trajani tum ordinarium Consulem, tum alterum Kal. Martii suffectum, laudat in panegyrico; ubi ait delatum ab Imperatore tertium consulatum *viris singularibus*, non bene ac fortiter sub ipsu, aut cum ipso in bellicis expeditionibus, *sed in toga meritis*. & paulo inferius: *Nempe hi sunt, quos Senatus quum publicis sumptibus minuendis optimum quemque praeficeret, elegit quidem primos.* Item: *Tertio Consules fecit quos vos elegeratis, & fecit hoc ordine, quo electi a vobis erant.* Horum alter statuendus est Consul ordinarius, cujus mihi nomen hactenus incompertum, quamvis de utroque Julio Frontone ac Frontino quædam divinare conatus, neutrum tibi forte Consulem fuisse persuaserim. At Trajani consulatum III. pluribus laudat Plinius in panegyri. Illum gessit usque ad Kal. Majas, duobus collegis bimestri magistratu concesso, dicente Oratore: *Hanc tibi præcipuam causam fuisse extendendi consulatus tui, ut duorum consulatus complecteretur.* Addit: *Itaque & abiturus consulatu, jurasti te nihil contra leges fecisse.* Dein Senatus eundem Imperatorem Consulem IV. designavit. *Quo justius*, inquit, *Senatus, ut susciperes quartum consulatum, & rogavit & jussit.* Huoc tamen quartum consulatum, cum Plinius panegyricum recitavit, nondum admiserat. *Fortasse*, inquit, *sufficiat tibi tertius consulatus: sed nobis tanto minus sufficit. Ille nos instituit, & induxit, ut te iterum iterumque Consulem habere cupiamus. Remissius istud contenderemus, si adhuc non sciremus, qualis esses futurus.* At Imperator hanc designationem nondum ratam habuerat, cum ibidem Orator dicat: *Pietati Senatus cum modestia Principis felix speciosumque certamen, seu fuerit victa, seu vicerit.* Hanc orationem Plinius recitavit, cum ineunte Septembri consulatum auspicatus est, ex lib. 3. epist. 13. & 18. quod Verginii Rufi Consulis exemplo confirmatur ex lib. 2. epist. 1. Hic mihi in mentem veniunt, quæ nuper de hoc quarto Trajani consulatu scribis pag. 207. ad annum Christi 101. videlicet: *Sumptus hic Consulatus ob Quinquennalia Imperii proconsularis, ac triumphum de Dacis, quem hoc anno consignat Eusebius in Chronico.* Hæc mihi sane difficilia visa sunt. Nam Trajanus quartum sibi delatum consulatum recusavit, ac vix tandem Senatus precibus exoratus ac victus, admisit. Ille ergo Regulas de Quinquennalibus in consulari prætexta celebrandis, ignoravit. Sed nec eundem consulatum ob triumphum Dacicum accepit. Etenim anno Christi 100. cum Romæ degebat, designatus fuit Consul IV. uti proxime Plinius exposuit. at eo anno nondum Dacicum bellum eruperat, cum ibidem Plinius dicat: *Nam ut ipse nolis pugnare, moderatio: fortitudo tua præstat, ut neque hostes tui velint.* Et statim: *Quod si quis barbarus Rex eo insolentiæ furorisque processerit, ut iram tuam indignationemque mereatur &c.* Nundum ergo motum erat in Dacos bellum, ac toto anno Trajanus Romæ substitit, ubi etiam quartum consulatum capessivit, cum tertium consulatum in Germania inire recusaverit, *quod enim absens gerere non poterat*, teste ibidem Plinio, qui de quarto consulatu ait: *Dabiturne rursus videre Consulem illum? &c. præsidebit lætitiæ publicæ auctor ejus & causa?* Extant quidem apud Occonem nummi inscripti: DIVO NERVAE TRAIANO AVG. P. M. TR. P. COS III. P. P. & in postica: PROFECTIO AVG. GERMANIAE S. C. At titulus ille *Divi*, eos mihi nummos suspectos reddit, dicente Plinio: *At tu etiam nomen patris patriæ recusabas.* Etiamsi tamen admittantur uti legitimi, ita ut ante exitum anni 100 profectio in Germaniam in annum sequentem indicta fuerit, quartus consulatus nequit dici sumptus ob triumphum Dacicum, nisi dicamus Senatum non modo ante victoriam, verum etiam ante bellum inchoatum, triumphum cecinisse.

Haud animum induxi exactiorem utriusque belli Dacici chronologiam hic concinnare, quod eam brevi intelligemus ex eruditissimis commentariis quos modo de Columna Trajani Raphael Fabretus typis excudit. Quædam tamen hic inseram, cum ut consulatuom Trajani, quos Imperator Augustus omnes Romæ iniit, ratio ac tempus intelligatur, tum etiam, ut pateat, quo primum anno idem in Asiam profectus, persecutionem contra Christianos exercuit; video enim ceteros quoque Scriptores, atque eos inter qui de epistolis S. Ignatii nostra ætate acerrimis secum invicem scriptis depugnarunt, in prochronismos delapsos, qui tibi in notis ad magnos Annales evitandi sunt. Itaque meam de tempore utriusque belli Dacici, ac de profectione Trajani in Orientem, simulque de quinto ac sexto ejusdem consulatu Romæ initu, sententiam tibi proponam, quam ipse postea ad limam revoces, vel ad incudem. Panvinius lib. 2. Fastorum ad A. V. 854. recitat e veteri lapide elogium Trajani, in quo legitur: DACICVS TRIB. POT. IIII. COS. IV. VICTO DECEBALO. Ex hac Inscriptione Baronius, qui eandem ex Panvinio recitat, ac alii passim crediderunt a Trajano quartum Consule bello Dacico priori victum Decebalum, cum tamen spuria sit illa Inscriptio, utpote ab eodem Panvinio conficta. Lazius lib. 12. cap. 7. idem epigramma laceratum ac detritum recitarat, testatus extare in oppido Gumperdoff primo a Vienna milliario, ex fragmentis male compactis, ubi legebatur NERV... ACICV.. VS. AVG. Item VICT. D.. D.. V. ADIA.. T.. R. P. IIII. COS. V. Gruterus pag. cxc. 1. idem elogium e Lazio repetit, at non fideliter, cum ibi scribat: VICTO DECE... ubi & DACICVS, & alia verba minus detonsa. Panvinius tamen integre illud concinnavit, & COS. IIII. reposuit, cum optime intelligeret consolatum quintum Trajani non posse cum quarta ejusdem Tribunicia potestate componi. Hoc ergo fallaci præjudicio, quod fons & origo communis erroris fuit, repudiato, epocham prioris belli Dacici expono. Spartianus cap. 3. de vita Hadriani ait: *Quæsturam gessit Trajano IV. & Articulejo Coss. A. C.* 101. *Post Quæsturam, acta Senatus curavit, atque ad bellum Dacicum Trajanum familiarius prosequutus est.* Quæstura adhuc sub Trajano erat annuus magistratus. Plinio lib. 8. epist 23. laudatur Junius Avitus *Quæstor Consulibus suis (& plures habuit) non minus jucundus, &c.* Plores Consules nominantur, nempe etiam toto anno suffecti, sub quibus Avitus annuus quæstor fuit. Et sane si Hadrianus post quæsturam acta Senatus curavit, antequam ad bellum Dacicum Trajanum prosequeretur, bellum Dacicum anno V. 855. Christianæ epochæ 102. a Trajano susceptum est. Extat duplex Inscriptio apud Gruterum, Vetusina pag. CLXXVII. 2. & Puteolana pag. cxc. 3. in quibus Trajanus dicitur tantum GERMANICVS TRIB. POT. VI. IMP. II. COS. IIII. Tribunicia potestas VI. eidem Principi inchoabatur sub initium Novembris anni 102. Rursus vidi in Museo Mediceo nummum inscriptum: IMP. CAES. NERVA TRAIAN. AVG. GERM. P. M. TR. P. VI. & in postica: IMP. IIII. COS. IIII. DES. V. S. C. Visitur ibidem mulier sedens dextra ramum, sinistra scipionem tenens. Alia numismata eadem Inscriptione obsignata recitantur in locupletissimo Auctario Occonis nuper edito a Comite Mediobarbo Romanæ historiæ æque ac veterum Numismatum peritissimo. Ex his vero nummis patet Trajanum ob victo-

victoriam de Dacis reportatam anno VI. Tribuniciæ poteſtatis, nempe anno 103. Imperatoris titulum multiplicaſſe. Enimvero obſervandum eſt neque in lapidum, neque in nummorum laudatis inſcriptionibus Trajanum vocari *Dacicum*, ſed tantum *Germanicum*, quod Dio ſcribit: *Trajanus de Dacis triumphavit, & Dacicus cognominatus eſt.* Itaque cum Romam triumphaturus advenisset, Dacici agnomen a Senatu tulit. Extat in eadem Gaza Medicea nummus argenteus cum epigraphe: IMP. CAES. NERVA TRAIAN. AVG. GERM. & in averſa parte: DACICVS COS. IIII. Viſitur Hercules ibidem dextra clavam, ſiniſtra ſpolium leonis tenens, uti etiam apparet in Inſcriptione Romana Gruteri pag. 247. 1. Hæſi, fateor, ad laudatas Inſcriptiones. Nam cum inita Tribunicia poteſtate VI. Trajanus nondum diceretur *Dacicus*, aut *Imp. IIII.* neque exeunte anno 102. per hiemem contra Dacos pugnaſſe eundem arbitrarer, ſed anno 103. videbam his obſtare nummum æreum primæ magnitudinis, atque alterum argenteum, quos in Mediceo Theſauro legitimos obſervaram; ibi enim Trajanus dicitur DACICVS COS. IIII. & in æreo DES. V. cum vero omnes vetuſtiores faſti Idacii, Proſperi, Caſſiodori, ac omnium recentium Chronologorum ſtatuant Trajanum Conſulem V. anno Urbis 856. Chriſti 103. ad annum ſuperiorem 102. victoria Dacica retrahenda videbatur. Hoc poſtea dubium, ſimulque faſtorum errorem alia numiſmata ſuſtulerunt. Extant Bononiæ duo ſimilia Trajani numiſmata, unum quidem in Muſæo Marchionis Ferdinandi Coſpii, alterum in ſcriniis ditiſſimis Joſephi Magnavaccæ cum epigraphe: IMP. CAES. NERVA TRAIAN. AVG. DACICVS P. M. & retrorſus: TR. P. VII. IMP. IIII. COS. IIII. DES. V. P. P. S. C. Ibi viſitur Victoria dextra lauream, ſiniſtra tropæum tenens, ac dextero pede globum premens. Raphael Fabretus quod vulgarium faſtorum religione tenebatur, nummum Coſpianum ad ſe Romam deferendum curavit, qui poſtea mihi per literas ſignificavit eandem poſticam Inſcriptionem in altero quoque numiſmate ſemet Romæ obſervaſſe, ac putare ſe faſtos emendandos eſſe. Illi autem reſcripſi nuper ex iiſdem nummis faſtos correctos a laudato Comite Mediobarbo pag. 152. ubi ex Vaillantio aliud numiſma recitat inſcriptum: TR. P. VII. IMP. IIII. COS. IIII. DES. V. S. C. ubi viſitur Trajanus paludatus inſidens tropæo &c. laudatum etiam Magnavaccam eruditæ rei nummariæ peritiſſimum recitati numiſmatis ectypum ad me miſiſſe, illudque legitimum ſi quod aliud, conteſtari. Itaque ſi tot nummi antiquitatis teſtes fidiſſimi atque incorrupti ſecum invicem conferantur, aperte intelligimus victoriam Dacicam in anno 103. collocandam, conſulatum vero Trajani quintum in ſequentem annum 104 protrahendum; etenim Trajanus circa Novembrem anni 103. auſpicatus eſt Tribuniciam Pot. VII. qua inita, in nummis dicitur COS. IIII. DES. V. Extat in Theſauro Mediceo rariſſimus ſimulque pulcherrimus Trajani nummus inſcriptus: TR. P. VII. IMP. IIII. COS. V. P. P. S. C. Imperator in quadrigis triumphans dextra laurum, ſiniſtra ſceptrum tenet. Itaque

Anno V. 857. Chriſti 104. Trajanus Romæ iniit quintum conſulatum collega Maximo II. ut in faſtis Anonymi apud Cuſpinianum legitur. Panvinius hunc vocat *L. Appium Maximum*, qui in veteri Inſcriptione dicitur *Bis Conſul Confector belli Germanici*. Is, Domitiano imperante, Bithyniæ Proconſul fuerat, ex lib. 10. Plinii epiſtola ante 67. Ob victum & occiſum Antonium qui Proprætor Germaniæ rebellaverat, cum titulum tulit. Num hic poſtea collega Trajani fuerit, incertum. Sane Maximus priori bello Dacico oppido munitiſſimo cum ſorore Regis Decebali capto, eundem ad petendam pacem adegit, teſte Dione lib. 68. Hunc vero Maximum ignotæ familiæ collegam Trajani puto. Alterius etiam belli Dacici annus ex Spartiano indagandus eſt. Hæc ille in Hadriano cap. 3. ſcribit de eodem: *Tribunus plebis factus eſt Candido & Quadrato iterum Coſſ.* Et ſtatim: *Secunda expeditione Dacica, Trajanus eum primæ legioni Minerviæ præpoſuit, ſecumque duxit.* Illud collegium Conſulum ſignatur in faſtis anno 105. Quo anno cum Hadrianus Romæ Tribunus plebis fuerit, altero anno 106. legatus legionis ad bellum ſecundum Dacicum a Trajano ductus fuit. Caſaubonus ait perperam a Spartiano alterum bellum Dacicum poſt Tribunatum plebis Hadriani recitari. Errat. Nam longe dignior erat legatio legionis, quam tribunatus plebis, ac proinde hic ante illam deferebatur. Ita Agricola ex Tacito in lib. de vita ejuſdem, Septimius Severus ex Spartiano cap. 1. Veſpaſianus ex Suetonio cap. 2. & 4. Pertinax ex Capitolino cap. 1. vel poſt Tribunatum plebis, vel etiam poſt præturam legionum legati facti ſunt. Hoc ipſum patet in vetuſtis Inſcriptionibus Gruteri pag. 407. 430. 5. 436. 7. 457. 2. 6. 493. 1. 1097. 7. Laudantur plures Trajani nummi in Auctario Occoniano pag. 154. in quibus idem dicitur: TR. P. VIII. IMP. IIII. COS. V. P. P. Rurſus in Romana Inſcriptione Gruteri pag. 247. Trajanus vocatur TRIB. POT. VIIII. IMP. IIII. COS. V. At pag. 162. 1. in inſigni elogio dicitur TRIB. POTEST. VIIII. IMP. V. COS. V. P. P. Anno Chriſti 106. Trajanus uſque ad Novembrem erat Tribuniciæ Pot. VIIII. qua labente cum titulum Imperatoris multiplicaverit, eodem quoque anno altera eaque poſtrema ejuſdem victoria Dacica ſtatuenda eſt. Trajanus Daciæ in provinciam redigendæ immoratus, anno 107. Romam rediit. De ejuſdem in Orientem profectione dicturus, redeo ad Spartianum, cui Hadrianus ob geſta eodem bello Dacico dicitur adamante a Trajano donatus, additque eodem cap. 3. *Prætor factus eſt, Sura bis, Serviano iterum Conſulibus.* Cum ille Anno Chriſti 106. in Dacia militaverit, ejuſdem prætura contingit anno 107. Tum Spartianus: *Legatus poſtea prætorius in Pannoniam inferiorem miſſus, Sarmatas compreſſit.* Ante annum 108. legatum provinciæ non egit; quo munere num ultra annum perfunctus fuerit, incertum. Denique ſcribit Spartianus eodem cap. 4 egregie provinciam ab Hadriano adminiſtratam: *Ob hoc Conſul eſt factus. In quo magiſtratu, ut a Sura comperit adoptandum ſe a Trajano eſſe, ab amicis Trajani contemni deſiit, ac negligi. Et defuncto quidem Sura, Trajani ei familiaritas crevit.* Panvinius ad A. V. 862. Chriſti 109. ſuffectum Hadriani conſulatum recitat; nec ſane celerius ſtatui poſſe geſti eidem ante conſulatum magiſtratus evincunt. At Dio lib. 68. narrat Trajanum e Dacia Romam reverſum, Pontinas paludes lapidibus ſtraviſſe, vias muniviſſe, pontes extruxiſſe, ac defunctum Licinium Suram publicis exequiis decoraſſe, addito etiam ſtatuæ honore. His vero ac quibuſdam aliis narratis, ait: *Poſt hæc bellum intulit Armeniis Parthiſque &c.* Ex his colligo Trajanum poſt Suræ mortem adhuc in Italia fuiſſe; illius vero obitum contigiſſe poſt conſulatum Hadriani, ac proinde Trajanum anno Chriſti 110. nondum in Aſiam tranſmiſiſſe.

Cum Plinius junior Bithyniæ Proprætor Chriſtianos edictis ac ſuppliciis perſequutus fuerit, Tra-

jano etiam tum Romæ degente, libeat hujusce persecutionis tempus designare, quod sibi incompertum fatetur Scaliger in notis Eusebianis num. 2124. Baronius scribit de Plinii præfectura Bithynica: *Post functionem superioris anni Consulatus, more majorum, provinciam suscepit administrandam.* Is quidem mos stante Republica, sed sub Cæsaribus, Africam & Asiam decimo anno a gesto consulatu sortiebantur, quæ tamen decennii intermedii præscriptio in aliis provinciis non servabatur. Et sane mihi compertum est Plinium non perrexisse statim a gesto consulatu in Bithyniam. Rem altius, paucis licet, repetam. Tullius Justus anno Christi 97. Bithyniam regebat, ad quem extat Imperatoris Nervæ epistula ante epist. 67. Plinii lib. 10. Justus Proconsul successorem habuit Julium Bassum, qui in exilium a Domitiano missus, inquit Plinius lib. 4. epist. 9. *revocatus a Nerva, sortitusque Bithyniam, rediit reus.* Idem lib. 6. epist. 29. narrans Quadrato ordinatim causas ab se agitatas, ait: *Accusavi Marium Priscum.* deinde: *tuitus sum Julium Bassum.* Accusavit Marium Priscum coram Trajano tertium Consule anno 100. ex lib. 2. epist. 11. mense Januario, cum esset consul designatus in Kal. Septembris, ex lib. 10. epist. 20. Idem lib. 4. epist. 8. narrat se post consulatum accepisse a Trajano auguratum; epistula vero sequenti acta in causa Bassi describit. Itaque anno 101. Julii Bassi causa cognita fuit. At lib. 10. epist. 64. ex Bithynia scribit Trajano, quemdam *in perpetuum relegatum a Julio Basso proconsule;* quod vero sciebat acta Bassi a Senatu rescissa, dato jure damnatis ab eodem, *ex integro*, inquit, *agendi dumtaxat per biennium, interrogavi hunc, quem relegaverat, an adiisset, docuissetque proconsulem. negavit*, cum idem captus coram Plinio stetisset. Cui Trajanus respondit eum qui existimans se injuria relegatum, *cum per biennium agendi facultatem habuerit*, nec adierit Proconsulem, vinctum dimittendum ad Præfectos Prætorio. Itaque anno 103. hoc est, biennio post rescissa acta Julii Bassi, alius ante Plinium Proconsul Bithyniæ præerat. Idem lib. 5. epist. 20. Urso scribit: *Iterum Bithyni post breve tempus a Julio Basso, etiam Rufum Varenum proconsulem detulerunt.* Hæc autem Vareni causa in aliquot annos protracta est, testibus ex Bithynia advocatis a Vareno, Bithynis legatos modo contra eundem, modo mutata sententia, pro eodem ad Trajanum tum in Daciam, tum Romam destinantibus, Plinio Varenum defendente, quæ quidem constant ex variis ejusdem epistolis lib. 6 epist. 5. 13. & 29. & lib. 7. epist. 6. & 10. Idem lib. 10. epist. 113. scribit Trajano Anicium Maximum proconsulem Bithyniæ largitionem pecuniæ, quam, super numerum in decuriones Trajani indulgentia allecti, faciebant, in quibusdam civitatibus ad eos quoque extendisse, qui a Censoribus legebantur. Itaque Anicius Maximus alius fuit ante Plinium sub Trajano proconsul Bithyniæ. Denique lib. 10. epist. 64. significat Trajano quemdam sibi denuntiasse *adversarios suos a Servilio Calvo clarissimo viro in triennium relegatos*, in provincia morari, illis e contra affirmantibus a Calvo proconsule semet restitutos Respondit Trajanus epist. 65 se proxime rescripturum de iis, *qui a P. Servilio Calvo proconsule in triennium relegati* dicebantur, ubi primum rem ab ipso Calvo didicisset. At certum est nondum elapsum triennium, ex quo illi relegati fuerant, cum ea Plinius Principi scripsit, alias nullus fuisset accusationi locus. Igitur & Servilius Calvus fuit proximus decessor Plinii in præfectura, seu proconsulatu Bithyniæ; unde apparet post aliquot annos a gesto consulatu, eundem in Bithyniam missum, cum plures suos decessores, Trajano imperante, laudet, & aliquot etiam, præter eidem memoratos, Bithyniam fortassis administrarint. Et quidem nullus dubito, quin Plinius novem libros epistolarum ad privatos scripserit, antequam in provinciam legatus proficisceretur. Nusquam enim in aliqua earundem quidpiam legitur, quod Bithynicam ejusdem legationem attineat. At lib. 6. epist. 10. scribit Albino vidisse se sepulcrum Verginii Rufi imperfectum, ac *post decimum mortis annum reliquias neglectumque cinerem.* Cum vero obierit Verginius anno 97. Christianæ epochæ, ut superius adnotavi, ea Plinius scribebat anno 107. aut etiam sequenti 108. Item lib. 8. epist. 4. laudat Geminum, qui destinasset bellum utrumque Dacicum scribere, ac carmine narrare *pulsum regia, pulsum etiam vita Regem nihil desperantem. Super hæc actos bis triumphos, quorum alter ex invicta gente primus, alter novissimus fuit.* Porro ex hucusque narratis legatio Bithynica Plinii videtur mihi statuenda circa Septembrem anni 109. aut sequentis. Ille vero non Proconsul, ut alii, sed Legatus Augusti, ac Proprætor consulari potestate in provinciam missus fuit, ex vetusto elogio ejusdem, Gruteri pag. 454. 3. & quidem Trajano adhuc Romæ degente, quod ex lib. 10. epist. 13. 14. 15. 49. & 82. aperte colligitur. Plinius autem ultra annum Bithyniæ jus dixit, quia natalem Trajani die 18. Septembris semel in provincia celebravit ex lib. 10. epist. 28. & iterum anno sequenti, epist. 89. Idem die natali imperii Trajani vota nuncupavit, epist. 60. eadem vero anno sequenti solvit, epist. 103. & 104. Hæc prolixius inserui, non ut annum institutæ a Plinio contra Christianos in Bithynia persecutionis certis characteribus designarem, sed cum ut ejusdem in magnis Annalibus prochronismum, tum etiam ut annum profectionis Trajani in Orientem ostenderem, cujus uti & fastorum correctionis interpolatum sermonem resumo.

Anno V. 865. Christi 112. scribuntur in fastis Consules *Trajanus Aug. VI. & Africanus.* Panvinius de Trajani collega ait: *Hic est C. Julius Africanus, de quo sæpe Plinius in epistolis.* Leunclavius in indice consulari lib. 68. Dionis eundem exscribens ait: *Nerva Trajanus Aug. VI. & C. Julius Africanus.* Scribit Plinius lib. 7. epist. 6. jussu Trajani agitatam coram Serviano causam matris veneficii incusatæ: *Aderat*, inquit, *matri Julius Africanus, nepos Julii Oratoris.* Ita, ille ex advocato hujus anni Consul a Panvinio fingitur, cui Baronius, Calvisius, Petavius, Bucherius, Ricciolius, ac Pagius V. C. crediderunt. Imo cum anno Christi 236. signentur in fastis Consules *Maximinus Augustus & Africanus;* hic itidem vobis ex Panvinio dicitur *C. Julius Africanus.* At verum collegæ Trajani nomen prodit, qui eidem æqualis fuit, Phlegon Hadriani Augusti libertus cap. 25. de mirabilibus, scribens mulierem Romæ edidisse masculum bicipitem, qui monitu postea haruspicum in Tiberim projectus fuit: *Athenis Archonte Hadriano, qui Imperator factus est,* ὑπατευόντων ἐν Ῥώμῃ αὐτοκράτορος Τραιανοῦ τὸ ἕκτον, καὶ Τίτου Σεξτίου Ἀφρικανοῦ: *Consulibus Romæ Imperatore Trajano VI. & Tito Sextio Africano.* Hujus familiam nobilem testatur Tacitus lib. 13. anno primo Neronis scribens: *Sextium Africanum nobilem juvenem a nuptiis Silana deterruerat Agrippina.* Lipsius in notis ait: *Scribe Sex. Africanum, ut prænomen sit.* Addit ejus nobilitatem deductam a Julo Antonio Marcellæ marito, *cui*, inquit, *cognomen Africano*, cujus ex L. Antonio filio, Africanum hujus anni Consulem nepotem dicit. Quot errores hic errat Lipsius! In primis non *Sextum*, ut sit prænomen, sed *Sextium*, ut gentem seu familiam designet, scribendum esse patet ex duobus Taciti codicibus MSS.

Mediceis,

Mediceis, in quibus diserte *Sextium* legimus. Nec ille prænomen *Sexti*, sed *Titi* ferebat, quod prodit insignis Inscriptio fratrum Arvalium apud Fulvium Ursinum in notis ad Varronem, ac Gruterum pag. 119. 2. ubi cum aliis e Collegio *ob Natalem Neronis Augusti Germanici* dicitur vota nuncupasse T. SEXTIVS AFRICANVS, quem Lipsius in familiam Antoniam perperam transcripsit. Nec Julus Antonius *Africani* cognomentum tulit. Dio in suo indice consulari lib. 54. ait A. V. 744. *Julus Antonius M. F. Q. Fabius Q. F. Africanus.* Lipsius memoria semet deficiente, cognomen *Africani*, quod Fabius Consul ferebat, ejusdem collegæ Julo Antonio attribuit. In vulgatis Taciti codicibus lib. 14. legitur: *Census per Gallias a Q. Volusio & Sex. Africano, Trebellioque Maximo acti sunt, æmulis inter se per nobilitatem Volusio atque Africano.* At ibi legendum *Sextium Africanum*, non *Sextum* prænomen, ex dictis colligitur. Lipsius ex hoc depravato textu, Taciti veros prioris textus characteres emendandos putavit. Hic autem T. Sextius Africanus avus fuit collegæ Trajani, qui omnia avi nomina prætulit. In veteri Inscriptione Gruteri pag. 1029. 6. T. SEXTIVS laudatur AFRICANI CON.... FILIVS.

Hoc anno Urbis 865. Christi 112. Trajanus cum consulatum abdicasset, expeditione in Parthos suscepta, Roma profectus, Athenas adpulit. Julianus Imperator in libello de Cæsaribus fingit Trajanum Jove coram aliisque Diis hæc dixisse: *Parthos autem, priusquam ab his injuria affectus essem, armis violandos non existimavi: ut vero injuriam intulerunt, non me ætas ingravescens, etiam tum legibus mihi militiæ vacationem concedentibus, ab iis invadendis revocavit.* Itaque Trajanus non statim post debellatam Daciam in Parthos movit, sed ubi illi primum pacem violarant. Injuriam, quam Trajanus sibi a Parthis illatam prætexebat, exponit Dio lib. 68. *Post hæc bellum intulit Armeniis, Parthisque, propterea quod, ut ipse dicebat, rex Armeniorum non ab ipso, sed a rege Parthorum diadema accepisset.* Extat in Gaza Medicea insigne numisma cum epigraphe: IMP. CAES. NERVAE TRAIANO AVG. GER. DAC. P. M. TR. P. COS. VI. P. P. & in postica: PROFECTIO AVG. S. C. Ibidem visitur Imperator Eques milite scutato præeunte, tribus aliis hastatis subsequentibus. Huic fere similem nummum recitat Vaillantius. Probe noris id genus nummos solitos scalpi, cum Augusti in provincias Roma proficiscebantur. Hinc ante sextum consulatum, qui in nummis obsignatur, Trajanus in Orientem non transmisit. Interea cum Athenas adpulisset, legati Parthorum regis eundem illic cum muneribus convenerunt, teste Dione in excerptis Theodosii, rogantes, ut delatum Parthamasiri Armeniæ regnum ratum haberet. Trajanus, repudiatis muneribus, respondit, se, quum primum in Syriam advenisset, facturum omnia quæ fieri par esset. Athenienses quo præsentis Imperatoris gratiam magis emererentur, Hadrianum ejusdem consobrinum, Archontem crearunt, ex Phlegonte cap. 25. de mirabilibus, cujus magistratus hoc anno illi delati nulla ratio assignari potest, nisi ejusdem cum Trajano adventus Athenas. Hinc Trajanus in Asiam transmisit, ejusque provinciis lustratis, in Syriam descendit. Auctor est Dio Trajanum, *cum esset Antiochiæ*, legatos ac munera ab Abgaro rege Osrhoenorum accepisse. Ignatium quoque martyrem Antiochiæ ab Imperatore auditum, ac damnatum acta ejusdem passionis testantur; qui cum Romæ Kal. Februarii passus dicatur, ejusdem damnatio contigit exeunte autumno anni 112. Recte in fastis Idacii: *Trajano VI. & Africano. His Coss. persecutio Christianorum.* Trajanus anno Christianæ epochæ 113. Antiochia profectus, Samosatas cum Commagene, bello tantum ostentato, occupavit. Inde in Armeniam movens, ejecto Parthamasire, eandem Romanam provinciam fecit. In Mesopotamiam ingressus, splendide ab Abgaro exceptus, regnum eidem ratum habuit. Dein expugnatis Nisibi ac Batnis inter Tigrim & Euphratem urbibus, quas Rex Parthorum imposito præsidio tenebat, ab exercitu *Parthicus* appellatus fuit. Lusius dux Mauritani equitatus, qui bello Dacico egregiam operam navaverat, Singara aliaque oppida occupavit. Hæc intra biennium a Trajano in Oriente gesta. Extant in Thesauro Mediceo, aliisque nummi, in quibus Trajanus COS. VI. obsignatur, cum epigraphe in postica: ARMENIAE ET MESOPOTAMIA IN POTESTATEM P. R. REDACTAE. In aliis legi: ARMENIA. Item in aliis: ADIAB. S. P. Q. R. OPTIMO PRINCIPI. In quibusdam etiam legitur: ARABIA CAPTA, vel ADQVIS. S. C. Ex his omnibus nummis posita chronologia satis evidenter demonstratur, nempe Armeniam ac Mesopotamiam post annum 112. ac sextum Trajani Augusti consulatum, Romano imperio adjectas. Nam si anno V. 860. epochæ Christianæ 107. ut vulgo hactenus credidere, Trajanus in Syriam venit, ac Armeniam ejecto sine prælio, uti Dio testatur, Rege a Parthis imposito, aliasque provincias occupavit, cur in nummis pleno quinquennio ejusdem Trajani consulatu quinto obsignatis, nulla captæ Armeniæ, aut Mesopotamiæ, aut Adiabenes literula apparet? Scin extare numismata quinto Trajani consulatu signata cum epigraphe: *Arab. Adq. S. P. Q. R. &c.* sed illis indicatur Arabia Petræa, quam Cornelius Palma, nondum finito altero bello Dacico, teste Dione, devicerat. Cum hiems bellicam expeditionem anni 114. clausisset, Trajanus Antiochiam in hiberna secessit. Hinc gradum facimus ad alterum collegium Consulum corrigendum.

Annus V. 868. Christi 115. consules in fastis habet *Messallam & Pedonem*. Auctor est Dio lib. 68. Trajano Antiochiæ demorante, eandem urbem horrendo terræ motu concussam, ædificiorum ruinis plurimos oppressos, ipsum Trajanum vix periculum evasisse. *In eorum*, inquit, *numero fuit Pedo Consul, qui statim mortuus est.* Panvinio illud collegium consulare ita describitur: *M. Valerius Messalla & C. Popilius Pedo.* Passim enim occurrunt Valerii Messallæ; in Tiburtino vero lapide eidem Panvinio legebatur: *C. Popilio C. F. Quir. Caro Pedoni COS. &c.* Utrumque Consulem Leunclavius suum in indicem exactissime deportavit. Magnos Ecclesiasticorum Annalium conditor falsa Evagrii supputatione deceptus, terræ motum Antiochenum ac utrumque Consulem ad annum Christi 111. retraxit, quem Ricciolius sequutus est pag. 1. Chronologiæ lib. 4. cap. 4. eos affigens anno 109. quod Baronius biennio vulgarem epocham prævertit. Sed hic debuerat non errantem, sed semet corrigentem Baronium audire, qui postea in appendice tom. XI. ex Romana Inscriptione, quæ integra Gruteri pag. 300. recitatur, veros Consules, atque annum terræ motus memorati optime exposuit. Hæc ibidem leguntur:

D. IVNIVS. CARVS. COOPT
VIPSTANO. MESSALLA. M. PEDONE
VERGILIANO. COS
P. R. C. ANN. DCCCLXVII

Annus V. 867. usque ad 21. Aprilis correspondet anno Christi 115. Ibidem vero apparent vera nomina

mina utriusque Consulis, qui in aliis etiam lapidibus leguntur pag. 74. 1066. & 1070. & hæc postrema Inscriptio dicitur dicata *V. Kal. Februarias.*

L. VIPSTANIO MESSALLA. M. VERGILIANO PEDONE. COS

Unde patet ordinarios Consules fuisse primi nundini ad Kal. Martias. Inscriptio Pedoni dicata apud Panvinium mutila est, quam integram habes apud Gruterum pag. 457. 6. ubi de Popilio additur: *Divi Hadriani Aug. in omnibus honoribus candidato.* Ex his constat diversum esse a Pedone Consule sub Trajano; siquidem Popilius Pedo, si a Trajano accepisset consulatum, qui summus erat magistratus, perperam dictus fuisset Hadriani Augusti in omnibus honoribus candidatus, cum quæsturam, præturam, ac denique consulatum a Trajano obtinuisset. Id fateor dici potuisse, si idem Hadriani opera honores a Trajano impetrasset. Interim ex hac altera Inscriptione prænomen prioris Consulis in priori a Baronio adducta detritum, intelligimus. Dio co terræ motu recitato, ait: *Ineunte vere, Trajanus in hostilem terram ingreditur. Quumque ea regio quæ ad Tigrim fluvium spectabat, materiam ad ædificandas naves non ferret, ea navigia quæ in sylvis apud Nisibin fecerat, planstris in flumen convehi jussit.* Tum narrat Romanos superato Tigri, in Assyriam irrupisse, eodemque victoriæ impetu Babylonem pervenisse. Huc usque Parthicam Trajani expeditionem stylo prosequutus sum, ut expenderes, an statuta mihi ejusdem chronologia exactior illa tua sit, cum scribis pag. 208. Anno 111. *L. Calpurnius Piso & M. Vettius Bolanus. Quindecennalia Imperii proconsularis Trajani. quo pertinet illud Eusebii in Chronico: Trajanus Armeniam, Assyriam, Mesopotamiam fecit provincias.* Interim corrigito prænomen primi Consulis, quod cum Panvinio ac exscriptore Leunclavio *Lucium* vocas. In Viennensi lapide pag. 163. 7. & altero pag. 128. operis Gruteriani legitur: *C. Calpurnio Pisone, M. Vettio Bolano Coss.* Si Trajanus anno, uti scribis, Christi 107. in Asiam venit, cum statim Armeniam utramque, & Mesopotamiam in potestatem, teste Dione, redegerit, integro septennio otio indulsisset apud Daphnen, priusquam ipsum Parthorum regnum, Tigri superato, aggrederetur; nam Assyriam anno demum 115. invasit.

Quædam alia collegia Consulum imperante Trajano, dubia sunt, & ex solis conjecturis eorundem familiæ ac prænomina a Panvinio, & exscriptore Leunclavio efformata. Anno V. 869. Christi 116. signantur Consules in fastis *Ælianus & Veter*, qui Panvinio dicuntur *Æmilius Ælianus & L. Antistius Veter.* At Phlegon qui id temporis vivebat, scribit cap. 9. de mirabilibus, se vidisse Romæ virum in feminam versum, *Roma consulatum gerentibus L. Lamia & Æliano Vetere.* Prior Consul integre diceretur *L. Ælius Lamia*, filius fortasse vel certe affinis L. Lamiæ occisi a Domitiano, cui *Lamiarum cæde madenti* insultat Juvenalis Satyra 4. Item alius L. Ælius Lamia ponitur Consul A. V. 755. Alter Consul duplici cognomine a Phlegonte effertur, uti & Vergilianus Pedo, Civica Pompejanus, aliique eorundem familiis omissis. In fastis ex secundo Consule duo perperam finguntur. Anno V. 859. Christi 106. statuuntur Consules *Commodus & Cerealis*, qui Panvinio sunt *L. Cejonius Commodus & L. Tutius Cerealis.* Hunc alterum ita nominat, quod Plinius in epistolis laudat Tutium Cerealem virum Consularem. Consulto epistolam siluit. Est undecima lib. 2. in qua scribit: *Itaque Tutius Cerealis consularis jure Senatorio postulavit &c.* Ibidem ait de Trajano: *Princeps præsidebat, erat enim Consul.* & inferius: *Cornutus Tertullus Consul designatus &c.* Exponit acta in causa Marii Prisci discussa mense Januario A. 100. quo Trajanus erat Consul III. Hinc patet Tutium Cerealem ante annum 106. fuisse Consulem, quippe qui anno 100. dicebatur consularis; cum vero Cerealis Consul A. 106. non dicatur iterum Consul, diversus ab eo est, quem ea in epistola Plinius laudat. Martialis lib. 11. epigr. 53. Julium Cerealem scriptorem carminum secum ad cœnam invitat. Petilius Cerealis vir consularis Britanniæ Proprætor, ac bello civili insignis Vespasiani dux, laudatur Tacito tum in lib. Hist. ac de vita Agricolæ, tum etiam Josepho lib. 7. de bello Jud. cap. 27. Anicius Cerealis vir consularis memoratur Tacito lib. 16. Velio Cereali scribit Plinius epist. 21. libri 4. Quare cum cognomen *Cerealis* pluribus familiis circa ea tempora commune fuerit, non ausim collegæ Cejonii Commodi familiam divinare. Leunclavius A. V. 858. statuit Consules *Julium Candidum ac Julium Quadratum*, omittens iteratum utriusque consulatum, quem tamen recte Panvinius expresserat. Quadratus A. V. 866. priorem consulatum suffectum gesserat a Kal. Julii ex vetusta Inscriptione Gruteri pag. 574. 6. quam antea Panvinius quoque recitaverat, ubi dicitur *C. Antius Julius Quadratus.* Vir diligentissimus Sponius par. 1. Itinerarii pag 413. recitat insigne elogium a Pergamenis eidem dicatum, cujus initium: *Cajum Antium Aulum Julium Auli F. Quadratum, iterum Consulem* (& variis provinciarum præfecturis recitatis) *Legatum Proprætorem Trajani Cæsaris Augusti, Germanici, Dacici, provinciæ Syriæ.*

Trajanus A. V. 870. Christi 117. die 10. Augusti Selinunte in Cilicia obiit, *Quinctio Nigro & Vipsanio Aproniano Coss.* Panvinius utrique familiam assignavit, nec eos sine teste in alias adoptabo. Alterius tamen familia perperam dicitur Vipsania; nam Gruteri pag. 119. non semel laudatur C. VIPSTANVS APRONIANVS. Apud Sponium sect. 1. Miscell. art. 2. in veteri epigrammate legitur *C. Vipstanus Apronianus.* Hadrianus opera Plotinæ defuncti Trajani uxoris, imperium accepit, eoque rem Romanam tenente, collegia Consulum XXI. fastis nomen dederunt, quorum XIII. ex vetustis lapidibus Panvinius optime suas in tabulas descriptos, retulit. Eosdem fideli echo reddidit Leunclavius. Ubi vero aut erravit, aut defecit Panvinius, erroris se quoque socium eidem addidit, malens cum illo errare, quam proprio Marte vel quidpiam melius sapere. Anno V. 879. Christi Domini 126. Anonymus apud Cuspinianum nominat Consules *Verum III. & Ambibulum, seu Ambigolum*; Cassiodorus *Verum & Ambiguum.* Capitolinus cap. ult. in Pertinace scribit: *Vero & Bibulo Coss.* Quid in tanta fastorum diversitate Panvinius sentiet? *Ego*, inquit, *alterum Vespronium Candidum Verum II. consulem esse existimavi, de quo Tertullianus ad Scapulam, & Spartianus in Didio Juliano mentionem faciunt; alterum vero ex his formavi Ambiguum Bibulum.* En tibi iidem consules a Leunclavio exscripti: *Vespronius Candidus Verus & Ambiguus Bibulus*, in indice consulari lib. Dionis 69. Sed perperam hic ab accuratissimo alias Scriptore consul fingitur Vespronius Candidus Verus II. Nam cum post annum tertium ac quinquagesimum, nostræ epochæ 179. dicantur in fastis Consules *Commodus Augustus II. & Verus*, hæc ibidem Panvinius repetit: *Vespronii Candidi Veri viri consularis meminit Tertullianus ad Scapulam, & in Juliani vita Spartianus.* Hæc lib. 2. fast. ad A. V. 932. In tabulis vero fastorum collega Commodi II. dicitur *Vespronius Candidus Verus.* Errat primum, dum eundem

Vespronium

Vespronium Candidum post annos 53. iterum consulem fingit, nempe anno Christi 126. & iterum anno 179. qui cum postea anno 193. teste Spartiano cap. 7. in Juliano, legatione functus ad praetorianos dicatur, centenario major munia publica obiisset. Deinde errat, quod cum Vespronium anno 126. consulem II. statuat, anno 179 consul III. dicendus fuisset. Denique errat, quod contra testes quos laudat, Tertullianum ac Spartianum, cognomen *Veri* Vespronio affingit, ut inferius ostendam; ubi etiam ex veteri Inscriptione, quae Panvinio latuit, constabit Vespronium Candidum consulatum non ordinarium, sed semel suffectum tantum gessisse. Alter etiam consul cum depravate a Cassiodoro vocetur *Ambiguus*, ac corrupte etiam *Bibulus* apud Capitolinum legatur, geminato errore Panvinio dicitur *Ambiguus Bibulus*. Dionysius Petavius in chronologia princeps, quamvis eo in campo Scaligerum saepe devicerit, Panvinii tamen fastos maluit exscribere, semel ac iterum tantum eisdem correctis. At in collegio hujus anni 126. Panvinianos consules omittens, alios obtrusit, qui eidem dicuntur *M. Lollius Padius Verus ac Q. Junius Lepidus Bibulus*, quos dubio procul huc deportavit ex veteri epitaphio, quod Gruteri pag. 1031. 4. P. Minacio Albino Veterano dicitur

DD. XIIII. KAL. NOVEMBRI
M. LOLLIO. PAEDIO. VERO. ET
Q. IVNIO. LEPIDO. COS

Quos consules ut anno 126. assignaret, cognomen *Bibuli* Junio Lepido bellissime affinxit. At Ricciolus secus scribendum ducens, tum scalptum in lapide, tum etiam fictum a Petavio, cognomen omittens, ita signat annum 126. *M. Lollius Padius, Q. Junius Lepidus*; cum tamen in vetustis fastis Anonymi, Idacii, Prosperi, Victorii, ac Cassiodori, *Verus & Ambibulus*, sive *Ambigulus*, vel *Ambiguus*, solo cognomine descripti consules recitentur. Raphael Fabretus ob eximiam eruditionem ac singularem Antiquitatum Romanarum peritiam, non Urbi tantum quam incolit, verum etiam Orbi literario, quem editis summa cum laude voluminibus pervagatur, notissimus, via Lavicana in vinea vulgo *del Castratino*, ad arcus aquae Claudiae, hocce fragmentum vetusti epigrammatis exscripsit, mihique indicavit:

...VM. ET. POPVLI. EIVSDEM. COLLEGI
....R. ARGAEVS. LIB. EIVS. CVR. SVA
...HETIR. CAES. N. SERVI. VILICI
...THECA. IMPENSA. SVA. FECIT. DEDICA
...V. K. OCT. VERO. III. ET. AMBIBVLO. COS

Ex hoc, quod consules attinet, insigni monumento patet recte Anonymum Cuspiniani scripsisse *Vero III. & Ambibulo*; uti etiam Idacium: *Vero III. & Ambigulo*, unius tantum literae variatione. Utriusque consulis cognomine certis characteribus designato, ad praenomina ac familias explicandas gradum facio. Dio in Hadriano scribit de M. Aurelio: *Erat porro Marcus hic Antoninus, qui Catilius ante appellabatur, nepos Annii Veri, qui tertium consul ac tribunus militum fuerat.* Blanco ac Xylandro Dionis interpretibus *filius* Annii Veri perperam dicitur, cum Dioni ἔγγονος, id est, *nepos* scribatur. Hinc prior hujus anni consul est *M. Annius Verus III.* Marci Aurelii Imperatoris avus. Hic ante quinque annos Consul II. fuerat. Leunclavius A. V. 874. scribit: *M. Annius Verus & Augur*; tu vero anno Christi 121. *M. Annius Verus & L. Augur.* At scribendum fuisse *Verus II.* docet Capitolinus, qui in cap. 1. de vita M. Aurelii ait eundem natum VI. Kal. Majas *avo suo iterum & Augure Consulibus.* Idacius in fastis: *Vero II. & Augure.* Spartianus cap. 8. de Hadriano ait: *Tertio consules, quum ipse ter fuisset, plurimos fecit.* Hos inter habemus M. Annium Verum, quem ostendamus Casaubono quaerenti consules tertium sub Hadriano; proxime alterum dabimus Servianum, reliquos inter suffectos indicare, divinare sit ac operam ludere. In Thesauro Gruteriano pag. 637. 1. recitatur prolixa simul ac faceta Inscriptio, quam Ursus Togatus lusor pilae sibi posuit, ubi Annius Verus consul III. laudatur:

Nunc vera versu verba dicamus senes;
Sum victus ipse fateor a TER CONSVLE
VERO patrono, nec semel, sed saepius,
Cujus libenter dicor Exordiarius.

Transeo ad Annii Veri collegam Ambibulum, cujus praenomen ac familiam colligo ex una & altera Inscriptione, quae in nuper edito Thomae Reinesii opere posthumo recitantur. Prior legitur pag. 620.

D. M
OLO. PLVTIO. SVCCESSO
PRISCVS
L. VARI. AMBIBOLI
AVIARIVS. ALTILIARIVS

Altera pag. 878.

L. VARIVS. AMBIBVLVS
ARTIACO. LIB

Qui in familia libertos ac altores avium numerabat, *L. Varius Ambibulus* memoratur, nihil tamen de ejusdem consulatu legitur, quod nondum illum gesserat. Equidem cognomen *Ambibuli* Variae familiae consulari proprium ex utroque epigrammate intelligimus, ac proinde laterculus consulum anni 126. hactenus adeo in omnium fastis vel depravatus, vel mutilus, integre restituitur, idemque reponendus in indice lib. 69. Dionis, ubi ad A. V. 879. leguntur consules a Leunclavio ex fastis nostri Panvinii exscripti, *Vespronius Candidus Verus & Ambiguus Bibulus*, quos sane Dio nunquam somniavit, quamvis tu vigilans eosdem illi adscripsisti.

Anno V. 887. Christi Domini 134. in fastis Prosperi ac Cassiodori ponuntur consules *Sergianus II. & Verus*; in tabulis Anonymi apud Cuspinianum: *Servianus & Varro*; in Idacianis: *Severus III. & Varus.* At Panvinius veros consules se nactum putavit in veteri Inscriptione, quae dicitur

DED. XIIII. KAL. MART
SER. SERVIANO. III. ET
C. IVVENTIO. VERO. COS

Haec Inscriptio die 16. Februarii dicata consules ordinarios prodit. Cum vero idem Panvinius in altero epigrammate Beneventano, quod integrum recitatur Gruteri pag. 431. 9. legisset C. Lucejum Sabinum missum honesta missione ab Imperatore Hadriano Augusto,

SERVIANO III. ET VIBIO. VARO. COS

retento altero nomine secundi consulis, VARI cognomen in VERVM mutavit, ita ut Consules in-

 tegre

tegre eo anno fuerint *C. Julius Servilius Servianus III. & C. Vibius Juventius Verus.* Leunclavius eosdem a Panvinio mutatus, ait: *Servilius Servianus & C. Vibius Juventius Verus*, cui tu plane similiter scribis; quo in laterculo ille negligenter exscribens tabulas Panvinii, notam tertii consulatus Serviani omisit. In vetusto latere inter cimelia eruditissimi Fabreti legitur:

SERVIANO. III. ET. VARO. COS

Hinc patet in priori Inscriptione cognomen *Veri* perperam exscriptum, cum *Varus* dicendus sit, uti vetusta monumenta, quæ nostris oculis vidimus, id evincunt. Plures nummos cum epigraphe VIBIVS VARVS producit cum Fulvio Ursino Eques Carolus Patinus eruditæ nummorum doctrinæ consultissimus, ac de stelographia supra ceteros benemeritus. Quare cum alter consul e Vibia gente fuerit, non *Veri*, sed *Vari* cognomen tulit, uti reapse in fastis Idacianis nuncupatur. Anno 160. imperante Antonino Pio, T. Vibius Varus consul in fastis legitur. Tertii vero consulatus Serviani testis etiam venit Spartianus in Hadriano cap. 8. *Serviano*, inquit, *tertium consulatum, nec secum tamen, quum ille bis ante Hadrianum fuisset, ne esset secunda sententia, non petenti, ac sine precatione concessit.* In Gruteri etiam pag. 108. 7. legitur: SERVIANO III. COS. ut supine hallucinatus sit Leunclavius, qui Servianum sine tertii consulatus nota suo indici infarserit.

Anno 888. Christi 135. in fastis Græcis legitur: *Pontiano II. & Aquilino*; in Idacianis: *Pontiano & Aquilino Rufo*; in Prosperi ac Cassiodori Chronicis: *Pompejano & Atiliano*; at apud Anonymum Cuspiniani: *Luperco & Attico.* Panvinius in tanta cognominum discrepantia, scribit: *Videndum num sint* Serg. Octavius Pontianus II. & Q. Vettius Aquilinus; *an, quod magis credo*, Pompejanus Lupercus & L. Julius Atticus Acilianus *consul, de quo Romæ in domo Matthæjorum vetus adhuc extat epigramma.* Itaque in tabulis fastorum consules hujus anni eidem nuncupantur *Pompejanus Lupercus & L. Julius Atticus Acilianus.* Hos statim consules descripsit Leunclavius, ac in indiculo libri 69. Dionis ad verbum, adamussim, exacte, fideliter recitavit. Eosdem repetunt Petavius, Bucherius, Calvisius, Goltzius, Ricciolius, aliique vulgo Chronologi, quorum nuper agmen clausisti, iisdem vocibus Panvinianos Consules reddens. Raphael Fabretus hanc vetusti lateris Inscriptionem typis ad prototypum efformatam, mihi misit:

PONTIANO. ET. ATILIANO. COS
EX. PR. ANN. VER. EX. OF. ANAOS

Ex hoc sigillo lateris apparet Idacium priorem consulem recte *Pontianum* appellasse, Prosperum vero optime secundum consulem *Atilianum* dixisse, utrumque vero ab Anonymo Cuspiniani falsis cognominibus expressum, quæ secutus Panvinius fictitios consules fastis inseruit, ac tot scriptoribus insigniter imposuit. Epigramma in quo testatur laudari L. Julium Atticum Acilianum consulem, quamvis illud non recitet, extat inter veteres Inscriptiones pag. 421. 1. cujus priores versus exhibeo:

L. IVLIO. TROM. ACILIANO
PRAEF. FAB. CONS. TAB. MIL.
PROC. AVG. PATRON. COLON. &c.

Panvinius *Attici* cognomen inseruit, ut Anonymi Atticus Consul ibidem locum haberet. Verum in eo elogio *L. Julius* e tribu *TROMentina, Acilianus* dicitur *Præfectus Fabrum*, ac *Conservator Tabularii Militaris, Procurator Augusti, Patronus Coloniæ &c.* Illa enim syllaba CONS. non *consulem*, uti ille putabat, sed *conservatorem* significat, uti demonstrant cetera ejusdem munia, quæ Senatores, nedum Consules dedecebant. Procuratores Augusti equestris tantum ordinis erant. Gruteri pag. 184. nominatur Hermes A TABVLARIO CASTR. Castra enim, Urbes, Domus Augusta suos habebant Tabularios, qui in vetustis Inscriptionibus passim occurrunt. Haud tamen facile est divinare familias Pontiani & Atiliani. Anno quarto ante hoc collegium Consulum, Serg. Octavius Pontianus consul fuit, quem Panvinius suspicabatur hoc iterum anno V. 888. consulatum gessisse; sed in laudati lateris Inscriptione nulla iterati consulatus nota legitur. Idem scribit in epistolis Plinii *Julii Attici* mentionem fieri; epistolam tamen non indicat. Ea autem est duodecima lib. 1. in qua describens mortem Corellii Rufi sub initium imperii Nervæ ait: *Perveneram in proximum, quum mihi ab eadem Hispulla Julius Atticus nuntiat &c.* At hunc amicum uxoris Corellii post annos triginta octo Consulem obtrudere nimium supina hallucinatio est. In vetustis Inscriptionibus pag. 75. 11. laudatur *C. Aurelius Atilianus* procurator Augusti; pag. 394. *C. Cominius Atilianus* Eques Romanus; pag. 485. 2. *L. Verginius Atilianus.* Vides hoc cognomen pluribus familiis usurpatum. Ceterum Leunclavius non modo in recensendis Consulibus sub Hadriano, recitatos cum Panvinio errores admisit, verum alios etiam addidit, Panvinianos fastos negligentius exscribens. Nam in eodem indiculo lib. 69. Dionis A. V. 884. ait, *Octavius Pontianus & M. Antonius Rufus*; cum Panvinius ex duplici Inscriptione non *Rufum*, sed *Rufinum* scribendum ostenderit. Præterea iteratos plurium Consulum magistratus omisit, nempe A. 874. *Annii Veri*: A. 878. *Scipionis Asiatici*: A. 881. *Nonii Asprenatis*: A. 882. *Juventii Celsi*: Anno denique 890. *Ælii Cæsaris*, secus ac illi ex vetustis elogiis Panvinius præmonstraverat. Rursus ubi Panvinius nuda, uti erant in fastis, Consulum cognomenta reliquerat anno 874. *Auguris*: A. 880. *Gallicani*: A. 886. *Hiberi*, Leunclavius nec gru, nec gry ultra Panvinii voces loquitur, ut satis aperte idem tibi unius mei Panvinii amanuensis appareat, quem Dionem esse arbitrabare.

Anno V. 891. Christi 138. die 10. Julii Hadrianum vita & imperio defunctum, Antoninus Pius successor excepit, quem eodem anno in filium adoptaverat die V. Kal. Martias, Imperatoris titulo, tribunicia potestate, ac imperio proconsulari eadem die cum ipso communicatis, teste Capitolino cap. 4. de vita Pii, ac nummis. Olim quidem ex duplici Inscriptione Gruteri pag. 251. quibus addere poteram tertiam pag. 256. 4. in quibus Tribunicia potestas XXII. Hadriani legebatur, ejusdem mortem in annum sequentem protraxeram, quam opinionem postea exui visis nummis Mediceis, in quibus legitur: ANTONINVS PIVS AVG. itemque COS. DES. II. cum vero anno 139. Consul II. fuerit, anno 138. mortuo Hadriano, Augusti titulum accepit una cum Maximo Pontificatu, qui pariter titulus in nummis laudatis apparet, quem nondum Augusti cum collegis Imperatoribus communicabant. Et sane in Inscriptione pag. 256. dicitur *Imperator Ælius Cæsar Antoninus Imperatoris Trajani Hadriani Aug. Pont. Max. TRIB. POT. XXII. filius &c. Tribunicia potestatis, Consul.* Eademque inscriptio retrorsus legitur dedicata *Idibus Maji Nigro & Camerino Coss.* qui magistratum gessere anno V. 891.

V. 891. cum mense Majo Hadrianns esset TR. P. XXI. qui proinde numerus perperam ab exscriptore XXII. exaratus est. Verum annum obitus Hadriani cap. 4. prioris par. Dissert. Hypaticæ erudite ac solide demonstrasti. Imperante Antonino Pio tria ac viginti collegia Consulum fastis prænotantur, qui Kalendis Januariis processerunt, quorum duodecim ex vetustis Inscriptinnibus Panvinius exposuit. Octavius Falconerius eximiæ eruditionis Præsul ac meus quondam amicus, in notis ad Inscriptiones Athleticas pag. 6. contendit fastos prioribus imperii Antonini annis corruptos esse, gravemque Panvinio litem intendit, quod suffectos Consules pro Ordinariis obtrudens, Consulares tabulas depravaverit. Fnns & nrigo hujus npinionis est Inscriptio Athletica quæ Romæ legitur in ædibus Farnesianis, in qua Antoninus Pius Augustus dicitur ΔΗΜΑΡΧΙΚΗC. ΕΞΟΥCΙΑC. ΤΟ. Γ. ΥΠΑΤΟC. ΤΟ. Γ. videlicet: *Tribunicia Potestatis III. Consul III.* eadem vero in fine designatur scripta ΠΡΟ. ΙΖ. ΚΑΛ ΙΟΥΝ. ΑΠΟ. ΡωΜΗC. ΤΟΡΚΟΥΑΤω. ΚΑΙ. ΗΡωΔΗ ΥΠΑΤ. *Ante diem XVII. Kal. Jun. Roma Torquato & Herode Consulibus.* Cum vero primus annus imperii Antonini Consules habeat Antoninum II. & Bruttium, tertius autem Tnrquatum & Herodem ex posita Inscriptione, in qua iidem Consules leguntur anno tertio Tribuniciæ Potestatis Antonini Pii, consequens fit, ut inter duo memorata Consulum paria unum tantum par Consulum locum habere possit, quo secundus annus Antonini obsignetur. Hinc infert *Scriptores omnino omnes errasse*, qui consulatum Torquati & Herodis statuerunt anno sexto imperii Antonini. Hæc ille. Verum ille plane erravit, dum omnes Scriptores fastorum erroris incusat potius quam exscriptorem memoratæ Inscriptionis, sive ejusdem scalptorem, de quo postea dicam. Vir alias eruditus in eam præposteram censuram descendit, quod initium Tribuuiciæ potestatis Antonini sumpsit ab obitu Hadriani, existimans annos imperii Augustei Antonini, atque annos Tribuniciæ potestatis ejusdem una eademque die 10. Julii anno 138. inchoatos, cum demortuo Hadriano successit. At Antoninus die 25. Februarii ejusdem anni 138. ab Hadriano adoptatus, Tribuniciam potestatem ac imperium proconsulare cum titulis Imperatoris ac Cæsaris simul acceperat, teste Capitolino cap. 4. cui dicitur Antoninus Pius *factus patri & in Imperio proconsulari & in Tribunicia potestate collega.* Idipsum ostendit laudata Inscriptio Gruteri pag. 256. 4. ubi Antoninus, vivente Hadriano, appellatur Cæsar, Tribuniciæ potestatis, ac Consul. Prostant Nummi inscripti: T. AELIVS CAESAR ANTONINVS, & in postica: TRIB. POT. COS. PIETAS. in aliis: CONCORDIA. S. C. in quibus non inscribitur AVG. nec P. M. nec denique P. P. quia unus tantum tum superstes Hadrianus eos titulos ferebat, quamvis Antoninus Tribuniciæ potestatis particeps ibidem appelletur. Anno sequenti 139. Consules in fastis signantur Antoninus Aug. II. & C. Bruttius Præsens, quo anno die 25. Februarii Antoninus auspicatus est annum secundum Tribuniciæ potestatis. Extant nummi: ANTONINVS AVG. PIVS TR. P. II. COS. II. & in aversa parte: IMPERATOR II. LIBERT. S. C. Lapides antiquitus inscripti eosdem titulos præferunt pag. 253. 6. 7. 8. ubi num. 7. & antea pag. 163. 9. Antoninus dicitur TRIB. POT. II. COS. II. DES. III. Hoc anno erat Consul designatus III. in annum sequentem, collega M. Aurelio Cæsare filio per adoptionem. Extant nummi: IMP. ANTONINVS PIVS. AVG. & retrorsus: AVRELIVS CAES. AVG. PII. F. COS. DES. Itaque recte in fastis anno 140. ponuntur Consules Antoninus Augustus III. & Aurelius Cæsar. In postica nummi Pii legitur: TR. P. III. COS. III. ITALIA S. C. In exteriori muro Basilicæ Primatialis Pisanæ prope sepulcrum Beatricis matris Heroidis Mathildis, visitur fragmentum Inscriptionis Pii TRIB. POT. III. COS. III. qui pariter numeri leguntur in marmore Farnesiano, ex quo Falconerius fastorum errorem inferebat. Hæc uti certa sunt, ita etiam certissime constat Antoninum Pium anno 140. cum esset Consul III. die 25. Februarii inisse Tribuniciam Pot. III. quæ eidem decurrebat XVII. Kal. Junias, qua die in laudato marmore Farnesiano dicitur datum rescriptum Antonini Augusti ad Athletas. Verum cum hocce rescriptum obsignetur consulatu Torquati & Herodis, inde aperte colligitur falsum esse numerum annorum Tribuniciæ potestatis, nempe Trib. Pot. III. ibidem apud Gruterum ac Falconerium nbsignatæ, cum die 16. Maji, qua Antoninus dicebatur Tribuniciæ potestatis III. ipsemet Antoninus III. & Aurelius Cæsar Consules in publicis monumentis signarentur, non vero Torquatus & Herodes, qui neutiquam eo anno Consules processerunt. Porro Inscriptio illa Athletica tantum abest a vulgatis fastis emendandis, ut eosdem potius nptime digestos ostendat. Etenim cum per literas rogassem Raphaelem Fabretum harum rerum consulussimum, ut laudatam Inscriptionem in porticu areæ Romani Farnesiorum palatii perlustraret, notaretque si quæ ibidem diversitas appareret inter notas numerales Tribuniciæ potestatis, ac tertii consulatus Antonini Pii, idem mihi rescripsit insignem inter utramque differentiam sibi adnotatam. Nam nota multiplicatæ Tribuniciæ potestatis, non est purum Γ, uti perperam apud Gruterum, Fabrum, ac Falconerium legitur, sed est gamma longiori tractu inferius sinuatum; ubi nota tertii consulatus vulgari majori Γ ibidem exprimitur. Utramque notam numeralem heic in margine adpositam vides. Hinc patet priorem notam æquivalere minori ϛ, ac designare sextum Tribuniciæ potestatis annum, qui die 16. Maji Torquato & Herode Consulibus, Antonino Pio agebatur, uti reapse recte legitur in Panvinii fastis, quos Falconerius ex Gruteri potius volumine, quam ex præsenti sibi Romæ Farnesiano lapide, notam Tribuniciæ potestatis perperam exscribens, emendandos putabat.





Anno V. 900. Christi 147. quo Antoninus, ut postea ostendam, Ludos sæculares celebravit, Consules in fastis afferuntur *Largus & Messalinus*, quos cum Marci prænomine e gente Valeria Panvinius obtrudit testes laudans Capitolinum ac Dionem, qui tamen in historiis horum temporum, nempe in libris de vita Antonini Pii, aut M. Aurelii, uti neque idem Dio, aut Spartianus de vita Hadriani, nec semel eosdem nominant. Illa quidem cognomina priori ætate erant gentis Valeriæ; sed incertum est, an postea ab aliis familiis usurpata fuerint. Non possum hac occasione omittere insignem Ligorii imposturam. Extat in Thesauro Gruteriano pag. 261. Inscriptio ab eodem Ligorio collecta cum titulo SABINAE AVGVSTAE, in cujus fine legitur:

D D. KAL. IANVAR
C. MANLIO. TORQVATO. ET
CORNELIO. MESSALLINO. COS

Hoc collegium Consulum exhibetur ipsis Kalendis Januariis, ut Consules ordinarii dicendi sint. At Messallinus non e Valeria, sed e Cornelia gente producitur, ejusque collega non Largus, uti in omnibus fastis legitur, sed Manlius Torquatus inscribitur. Est insignis Ligorii impostura, cui familiare fuit non quidem fictas Inscriptiones concinnare,

nare, quod Latinam linguam ignorabat, sed e fastis nomina Consulum exscribere, eaque vetustis Inscriptionibus adponere. Tria persimilis fraudis exempla hominis inscitia ac vafricie conficta, in Consulibus Domitiani Imperatoris prænotavi. Anno V. 900. signantur in fastis Consules *Largus & Messallinus*; anno sequenti *Torquatus & Julianus*. Homo imperitus Messallinum ex priori laterculo, ex posteriori Torquatum exscripsit, novumque collegium Consulum ordinariorum concinnavit, ac fraudi fraudem assuens, Torquatum e Manliis, Messallinum e Corneliis obtrusit, cum Manlii Torquati ousquam hoc sæculo nominentur; *Messallini* vero cognomen oulli unquam Corneliorum tulerint. Recte autem in fastis Messallini collegam Largum poni patet ex rescripto Antonini Pii, quod legitur *L. 1. Si adversus creditorem. lib. 2. Cod.* quæ dicitur: *Dat. XI. Kal. Aug. Largo & Messallino Coss.* Hæc adnotata volui, ne quis Ligoriani doli ignarus ex fictitio illo Consulum collegio, fastos emendandos putaret, cum Sabina Augusta uxore Pii, aut hujus filia Sabina M. Aurelii superstitibus, commentitius ille consulatus in fastis appareat.

Anno V. 902. Christi 149. leguntur in tabulis Consularibus *Orfitus & Priscus.* In vetustis Inscriptionibus Panvinio laudatis, quæ etiam in Thesauro Gruteri pag. 32. 9. & 48, 1. recitantur, ita iidem Consules describuntur: . SER. SCIPIONE. ORFITO. ET. Q. NONIO. PRISCO. COS. Desideratur familia prioris Consulis. Panvinius e Corneliis eundem pronuntiavit, scribens ad A. V. 918. *Cornelium Scipionem Orfiti nomen & cognomen esse manifestum est.* Casaubonus in notis ad cap. 8. de vita Antonini Pii, ait: *Videtur esse L. Cornelius Scipio Orfitus, qui sub Pio Consul fuit.* Errat in prænomine; nam ex laudatis Inscriptionibus *Sergii*, non *Lucii* prænomen tulit. Leunclavius cum Panvinio scribit in indice lib. 70. *Cornelius Scipio Orfitus*, quem tu quoque cum ceteris imitaris. Verum, ut inferius ex Tacito ostendo in Consulibus Commodo imperante, Reguli insidiis ac Neronis sævitia Corneliorum Scipionum Orfitorum *domus subversa* fuerat, & Orfitus qui Imperatore M. Aurelio consulatum gessit, e Gavia gente fuit, non vero ex Cornelia, uti putabat Panvinius. Orfitum tamen hujus anni Consulem e Vettia gente ortum puto. Extat Gruteri pag. 302. fragmentum lapidis cum titulo *Ordo sacer domus Aug. Palat.* in quo initio sub titulo CLARISS. VIRI, quidam Senatores recitantur, quos inter legitur: VETTIVS SCIPIO ORFITVS, post Vettium Aquilinum ac Vitrasium Pollionem, viros consulares. Quod vero qui decem primi vocantur, aliique postea subnotati, major pars *Aurelii* dicuntur, patet eosdem fuisse in familia Aurelii Antonini Pii, ac proinde Vettium Scipionem Orfitum, inter assessores Palatinos ibidem numeratum, hujus anni Consulem fuisse, ut plane appareat falsa opinio Panvinii omnes Consules, *Orfiti* cognomine in fastis signatos, in Corneliam Scipionum gentem adoptantis. Hac de re ad Consules A. V. 918. iterum sermo redibit. Itaque prior hujus anni Consul mihi putatur *Serg. Vettius Scipio Orfitus.* Qui si tibi displiceat, eundem iterum Corneliis adscribito.

Anno V. 905. Christi 152. prænotantur fastis *Glabrio & Omollus*, qui Panvinio sunt *Sex. Acilius Glabrio & C. Valerius Omollus*, quos integre iisdem characteribus una cum reliquis exscribis. Leunclavius fortuito utriusque prænomen omisit, quod ipse consulto tamen facerem. Hæreo veluti ad aquas ad illa prænomina. Nam ex Sirmondo viro eruditissimo æque ac accuratissimo, Gruteri p. 1077. recitatur index Corporatorum Ostiensium cum titulo:

MV. ACILIO. GLABRIONE
M. VALERIO. HOMVLO. COS

Rursus pag. 478. 10.

M. VALERIO
HOMVLLO
COS. PATRON
COL. D. D

Pag. 344. 4.

ACILIAE. M'. F
MANILIOLAE. C. F
M'. ACILI. GLABRION
SEN. COS. PRONEPTI
M'. ACILI. GLABRIONIS
COS. II. NEPTI
M'. ACILI. FAVSTINI
COS. F

Manius Acilius Faustinus pater Aciliæ, fuit Consul anno Christi 210. Man. Acilius Glabrio fuit Consul II. anno 186. ut ostendam; Acilios *Senior* appellatus, gessit consulatum Antonino Pio imperante, M. Valerio Homullo collega. Panvinius qui Inscriptionem Sirmondi non viderat, hunc seniorem Acilium Consulem putavit Imperatore Hadriano A. V. 877. Præterea extat epitaphium Gemellæ Torquatæ Reinesii pag. 575.

DEDIC. K. IVNIAS
SEX. GLABRIONE. ET. C. OMOL
LO. VERIANO. COS

Habemus hic duo paria Consulum solis prænominibus diversa. Rursus Inscriptionum Reinesii pag. 230. recensetur epigramma, quod dicitur

DEDIC. KAL. FEBR
IVNIOR. GLABRIONE. ET. HOMOLLO
COS

At in vita eruditissimi Præsulis Angeli Celotii, qui omnium primus superiori sæculo erudita victoris gentium P. R. cimelia collegit, eadem Inscriptio recitatur; sed ibi IVNIO GLABRIONE legitur. Verum in altera Reinesii pag. 532. mentio fit Aviti militis Beneficiarii

IVN. OMVLLI. CONSVLAR

Harum prior cum dicatur dedicata Kal. Februariis, si prænomina præferret, ordinarios Consules nobis indicaret. Posterior dicitur extare Nemausi. Si tanti putas hujus collegii veritatem scire, poteris Nemausum scribere, ut certior fias, num ibidem IVNI OMVLLI legatur; siquidem Reinesius vetustas Inscriptiones perinde ac amanuensium scripta pro arbitrio mutare solet. Nam, ut datis ea de re ad me literis notabat V. C. Abbas Fabretus, quoties epitheton IVNIOR in vetustis elogiis legitur, nomen proprium semper subsequitur, numquam præcedit. Ipse interim in fastis Consules sine prænominibus signabo. Ex allatis monumentis constat unum collegium fuisse ordinarium, aliud vero suffectum.

Annus V. 906. Christi 153. Consules habet in fastis

fastis *Præsentem & Rufinum*. Panvinius priorem appellat *Bruttium Præsentem II.* eundem putans qui ante annos XIV. cum Antonino II. gesserat consulatum. De Rufino vero scribit: *Alter, ut credo, Antonius Rufinus.* Utrumque statim rapit Leunclavius scribens in indiculo lib. 70. *Bruttius Præsens II. & Antonius Rufinus.* Hic tamen consulatus emendandus est ex insigni Inscriptione Romana Gruteri pag. 300. ubi legitur Plotius Gallus cooptatus

.. BRVTTIO. PRAESENTE. A. IVNIO. RVFINO. COS

P. R. C. ANN. DCCCCVI

Ex laudata Inscriptione colligitur prænomen ac familia secundi Consulis, itemque prior consulatus Bruttii Præsentis, qui sine nota geminati magistratus scribendus est, ac diversus dicendus a collega Pii Augusti. Detritum est in lapide ejus prænomen; sed restitui potest ex elogio ejusdem filio dicato, qui Gruteri pag. 1095. dicitur *L. Fulvius C. F. Pom. Bruttius Præsens COS. II.* ut consules integre describantur: *C. Bruttius Præsens & A. Junius Rufinus.* Panvinius, quod imperante Hadriano A. V. 884. M. Antonius Rufinus Consul fuerat, ex simili cognomine hunc quoque alterum Consulem Antoniis adscripsit; quem sane continuum errorem errat idem in Fastis; quem quidem Panvinii errorem notas in Prolegom. num. 27. sed perpetuo eundem sequeris in Consulibus nominandis, quod non Panvinii, uti reapse sunt, sed Dionis te voces reddere opinabere.

Anno V. 907. Christi 154. sunt in fastis Consules *Commodus & Lateranus.* Panvinius cum legisset Capitolinum cap. 3. de vita L. Veri Augusti, scribentem: *Post quæsturam statim Consul est factus cum Sextilio Laterano*, ita eos Consules descripsit: *L. Aurelius Cæsar & Sextilius Lateranus.* Leunclavius more solito utrumque ad unum apicem suum in indicem retulit, ac tibi sub imagine Dionis insigniter illusit. Nam scribis pag. 213. *Qui consulatus in annum 154. incidit, hisque verbis a Dione lib. 70. in indice Consulari refertur: L. Aurelius Cæsar & Sextilius Lateranus.* Hinc quod Dionem illa putabas scripsisse, colligis L. Verum anno 152. titulo Cæsaris decoratum; *id quidem*, inquiens, *veterum, imo & recentiorum nullus, quem legerim, scripsit.* At spero fore, ut ne tu quoque id in posterum scribas. Capitolinus cap. 3. laudato, narrat vivente Antonino Pio, nullum *honorificentiæ adnomen* L. Vero tributum, *quam quod Augusti filius est appellatus*; & cap. 7. scribit eundem post obitum Pii, a M. Aurelio & Cæsarem & Augustum creatum. At contendis vel Capitolinum, vel amanuenses errasse, quod Dio anno 154. eundem appellat Cæsarem, quo item titulo in nummis apud Goltzium sine Augusti cognomento, inscribitur. Desine talibus, Vir eruditissime, ac me præmonstrante, inscriptos lapides legito. In priori Græcis quidem literis, Romæ tamen scalpto, apparebit Gruteri pag. 1021. consulatus

ΛΟΥ. ΑΥΡΗΛΙΟΥ. ΚΟΜΜΟΔΟΥ

ΚΑΙ. ΤΙΤΟΥ. ϹΕΞΤΙΟΥ. ΛΑΤΕΡΑΝΟΥ

Vides hic Consules *L. Aurelium Commodum & T. Sextium Lateranum*, ex quo epigrammate prænomen collegæ Commodi hactenus ignoratum, intelligitur, uti ejusdem familia *Sextia*, non *Sextilia*, uti in Capitolino legitur. Sextii Laterani vetustas inter Romanarum gentium familias recensentur; siquidem L. Sextius Lateranus ad plures consulatus promotus legitur in Livio lib. 6. ac 7. In eadem quoque Inscriptione L. Aurelius non dicitur Cæsar, quod ipsum monstrat altera etiam Inscriptio cap. 3. de votis Decennalibus, olim mihi ex pag. 300. Gruteri laudata, in qua legimus:

M. AELIO. AVRELIO. VERO. CAESARE. III

L. AELIO. AVRELIO. COMMODO. II. COS

Incidit hic consulatus in annum Christi 161. eumque postremum imperii Antonini Pii. Hanc Inscriptionem, quam tibi indicaveram, altera statim pagina tu quoque grandioribus characteribus exhibes, ut plane mirer te supposititio Dionis indici fidem præstitisse. Nam M. Aurelius diserte CAESAR ibidem inscribitur, qui titulus cum in L. Aurelio collega non legatur, optime discere poteras eundem nondum illo fuisse insignitum. Extat quoque sigillum lateris apud eruditissimum Fabretum: COMMODO. ET. LATERANO. COS. Nusquam Commodus Cæsar inscribitur, ut plane Capitolinus recte scripserit eundem tribus ac viginti annis privatum in domo Augusta vixisse, quem postea M. Aurelius Augustus, inito statim imperio *Cæsaremque & Augustum dixit.* Nummus quem apud Goltzium laudabas, est L. Aurelii Commodi filii M. Aurelii Imperatoris, non vero L. Aurelii Commodi ejusdem M. Aurelii per adoptionem fratris. Scribis pag. 27. L. Ælium ineunte anno 136. non fuisse Cæsarem, *ut colligitur*, inquis, *ex Dione in indice Consulari, & ex duabus Inscriptionibus quæ extant apud Onuphrium lib. 2. fastorum, quæ eodem anno dedicatæ sunt, in quibus, sicut apud Dionem, Ælius dicitur tantum Consul, non vero Cæsar.* Si pro Dione Leunclavium Panvinii amanuensem reponas, omnia acute, erudite, vere. Exhibui heic tres Inscriptiones, ac locupletissimum Capitolini testimonium, ut probarem L. Aurelium Commodum ineunte anno 154. non fuisse Cæsarem. Utere tua Regula.

Anno 908. Christi 155. in fastis Prosperi & Cassiodori leguntur Consules *Verus & Sabinus.* in Idacio & Anonymo Cuspiniani: *Severus & Sabinianus.* Panvinius ex Inscriptione, in qua legebatur:

SVBSCRIPSI. III. NON. NOEMB. ANTIO POLLIONE. ET. OPIMIANO. KOS. ORDINARIS. SEVERO. ET. SABINIANO. COS

Item:

C. IVLIO. SEVERO.
M. RVFINO. SABINIANO. COS.

Consules hujus anni recte appellavit *C. Julium Severum* ac *M. Rufinum Sabinianum.* Utrumque fideliter Leunclavius exscripsit. At Falconerius pag. 8. & seq. de Inscriptionibus Athleticis arguit Panvinium qui Pollionem & Opimianum ordinarios Consules non posuerit, *quos*, inquit, *Consules ordinarios fuisse diserte testatur hic lapis.* Dein reprehendit Panvinium quod ex inscriptis lapidibus Consules ordinarios sæpe obtruserit, qui tantum erant suffecti, nempe hos inter Consules A. V. 914. & 915. Errat. Nam cum in nullis fastis hoc anno legantur Consules Pollio & Opimianus, eos posuit Panvinius, qui in fastis melioribus ac lapidibus notatos vidit. Vox illa ORDINARIS perperam a Falconerio jungitur cum antecedenti collegio, quam cum Panvinio cum sequenti collegio Severi & Sabiniani copulandam Idacii & Anonymi fasti omnium optimi convincunt. Extat lib. 2. Cod. Lex 1. *de edendo*, ab Antonino Pio publicata, quæ dicitur

P P. IV. Kal. Octobris Sabino II. & Severo Coss. Quamvis perperam iterati consulatus nota appareat, patet eos fuisse Consules ordinarios, qui, imperante Antonino ac successoribus, soli legibus adponebantur. Nec Panvinius quoscumque sibi lectos in vetustis epigrammatis, Consules in fastos retulit, sed eos tantum quorum cognomina in iisdem fastis legebat, uti reapse fuere Consules A. V. 914. & 915. quos Falconerius suffectos putabat, existimans Torquatum & Herodem anno tertio imperii Pii consulatum gessisse, quam erroneam ejusdem opinionem superius confutavi.

Anno V. 909. Christi 156. notantur in fastis Consules *Silvanus & Augurinus.* Panvinius scribit: *Plautium Silvanorum & Sentium Augurinorum nomina fuisse superius demonstravi.* En tibi Leunclavium ex Panvinio scribentem in indice lib. 70. *Plautius Silvanus & Sentius Augurinus.* Et quidem Panvinius cum legisset A. V. 752. Consules Augustum XIII. & M. Plautium Silvanum, alium Silvanum qui imperante Tito A. V. 834. fastis praenotatur, *M. Plautium* itidem appellavit, qui tamen T. Annius Silvanus dicebatur, ut ostendi. At hic tertius Silvanus Consul nec ex Plautiis, neque ex Anniis fuit, sed ex Cejoniis. Extat Inscriptio apud Manutium in lib. de Orthographia, ac Gruterum pag. 128. 5. in qua aedicula sacra aedificata A. V. 864. imperante Trajano, C. Calpurnio Pisone & M. Vettio Bolano Coss. dicitur postea reparata & ornata a Tib. Claudio Messallino centurione Cohortis V. Vigilum:

M. CEIONIO. SILVANO
C. SERIO. AVGVRINO. COS

Cejonia gens ad summum nobilitatis fastigium evecta fuerat L. Cejonio in Caesarem ac filium ab Hadriano adsumpto, cujus postea filius L. Cejonius Aurelius Commodus collega M. Aurelii imperavit. Quaedam Cejoniorum familia Silvani cognomentum tulit, in qua prior hujus anni Consul natus est: Ejus collegam Panvinius *Sentium* dixit, quod Plinius lib. 4. epist. 27. laudat *Sentium Augurinum.* Sed aliter scribendam familiam docet laudata Inscriptio. Idem error corrigatur in altero Augurino Consule A. V. 885.

Annus V. 910. Christi 157. consules habet in Chronico Prosperi, ejusque exscriptoris Cassiodori *Barbarum & Regulum.* Panvinius *Barbari* cognomen in Romana gente barbarum putans, priorem Consulem Barbatum vocat, nudaque, uti erant, utriusque cognomina in fastis relinquens, ait: *De eis praeterea nihil compertum habeo.* Leunclavio ex Panvinio similiter penes sola cognomina statuuntur Consules *Barbatus & Regulus.* At *Barbarum* priorem Consulem appellandum docet Romae inscriptus lapis in hortis Justinianeis, qui a C. Julio Africano dicitur

DEDICATVS X. K. AVG.
BARBARO. ET. REGVLO. COS

Integram Inscriptionem producunt Sponius sect. 1. Miscell. art. 5. ac Reinesius in grandiori tomo Inscript. pag. 8. Qui vero fuerit consul Barbarus, exponit ejusdem amicus Galenus in lib. de praecognit. cap. 2. *Similiter*, inquit, *& Barbarus avunculus Imperatoris Lucii, qui in Mesopotamiam expeditionem susceperat, dissectiones & ipse videre affectabat, quemadmodum & Paulus; postremo quoque Severus, qui tum Consul erat, & Aristotelica disciplina operam dederat.* Itaque Barbarus, quod erat L. Aurelii Commodi Imperatoris Antonini per adoptionem filii avunculus, ab eodem Antonino consulatu insignitus fuit. Hujus familiam non falsa fortassis conjectura assequor. Capitolinus cap. 6. de vita M. Aurelii laudat *Creccam patruum Veri* Augusti. Ille in vetustis epigrammatis dicebatur *Sex. Vetulenus Civica Pompejanus* qui cum L. Cejonio Commodo patre L. Veri Augusti anno Christi 136. Consul fuit. Capitolinum vero patruum pro avunculo scribere inde constat, quod L. Verus filius fuit Cejonii Commodi; quare frater patris dicendus itidem fuisset Cejonius, qui cum Vetulenus Civica dicatur, frater fuit matris L. Veri. Antiquus Auctor lib. de progenie Augusti scribit: *Sed demum Consules regnum obtinuere; quorum fasces adusque Julii Caesaris patris patruique ejus principatum defluxere &c.* Hic patruus pro avunculo accipitur. Ita Vetulenus Civica, quod esset frater uxoris L. Cejonii Commodi qui postea Ælius Caesar post adoptionem dictus fuit, una cum cognato Consul factus fuit ab Hadriano. Alter illius frater Vetulenus Barbarus L. Aurelii Commodi postea Veri Augusti patruus, sive avunculus ab Antonino Pio consulatum accepit.

Anno V. 911. Christi 158. memorantur in fastis Consules *Tertullus & Sacerdos.* Panvinius ait: *Q. Flavii Tertulli mentio est in antiquo lapide, cujus exemplum paulo post afferam.* Illud refert post quadriennium A. V. 915. ubi legitur:

DED. K. IVL
Q. IVNIO. RVSTICO
Q. FLAVIO. TERTVLLO. COS

Quem quidem Tertullum eo anno Urbis 915. Consulem suffectum tradit. At cum ibidem neutiquam inscribatur nota iterati consulatus, patet non eundem Tertullum esse qui A. V. 911. Consul legitur. Praeterea Junius Rusticus ac Flavius Tertullus, qui eo in lapide leguntur, anno prorsus incerto consulatum gessere. Itaque Tertullus, Consul A. V. 911. satis dubie *Q. Flavius* appellatur. Rursus collegae Sacerdotis familia incerta est; quamvis Panvinius scribat mentionem esse Licinii Sacerdotis in Capitolino & Dione. quod plane falsum est; nusquam enim Licinii Sacerdotis mentio apud eosdem occurrit. Cicero quidem in Cluentiana meminit Licinii Sacerdotis; & alter C. Licinius Sacerdos Praetor Siciliae eidem memoratur in Verrinis, ac in oratione pro Plancio, quem in consulatu competitorem habuit, teste Asconio in argumento Orationis de toga candida. In veteri elogio dicato A. V. 853. in quo Trajanus Augustus COS. III. inscribitur, uti postea ostendo inferius A. V. 976. bimestres Consules ita leguntur:

L. ROSCIO. AELIANO
TI. CLAVDIO. SACERDOTAE. COS

Porro nullus ignorat sub Imperatoribus secundi saeculi, vetustis Romanorum familiis partim extinctis, partim in ordinem redactis, novos homines in Romanis magistratibus successisse, quod vel ipsa consularium Fastorum lectio manifestat. Hinc Sacerdotem sub Antonino Consulem *Claudium* potius quam *Licinium* nominandum existimo, qui filius, aut nepos fuerit Tiberii Claudii Sacerdotis sub Trajano Consulis. Ceterum in Leunclavii indice ad lib. 70. Panviniani consules reponuntur: *Q. Flavius Tertullus & Licinius Sacerdos*, qui aliorum quoque Scriptorum Fastos implent.

Annus insequens V. C. 912. Christi 159. praefert Consules *Quintillum & Priscum.* Priorem *Plautium*, posteriorem *Statium* e veteri epigrammate recte Panvinius appellavit. Omisit praenomina, quae

quæ in sibi visa Inscriptione non legebantur. Utrumque sine prænomine Leunclavius pariter recitavit. Alterum tamen *Marcum* appellatum colligo ex Inscriptione Gruteri pag. XL. 13.

DIANAE
AVG
PRO. SAL. IMP
CAES
TITI. AEL. HADRIANI
ANTONINI. AVG. PII
P. P
M. STATIVS. PRISCVS
LEG. AVG. PR. PR
V. S. L. M

Anno V. 915. a Parilibus, Christi 161. Imperator Antoninus Pius die septima Martii diem obiit, cui successit M. Aurelius Antonius cognomento Philosophus, qui statim L. Ælium Aurelium Commodum non modo Cæsarem, verum etiam Augustum novo exemplo, designavit, omnibus Imperatorum titulis, uno tantum excepto P. M. cum eodem communicatis. Imperante autem M. Aurelio undeviginti collegia Consulum fastis prænotantur, quorum magna pars erronee descripta est, ut etiamsi ceteri Consules veris characteribus exarati legerentur, ex hisce tantum appareret, eosdem aliena plane manu libro 71. Dionis præfixos fuisse. Anno primo imperii Marci V. C. 916. Christi 162. in fastis Anonymi ac Cassiodori statuuntur Consules *Rusticus & Aquilinus*. Prosper scribit: *Rustico & Aquilo*. Idacius vero: *Rufino & Aquilino*. In lib. 5. Cod. *L.* 3. *de alendis liberis*, recitatur rescriptum M. Aurelii ac L. Veri Augustorum, quod dicitur: *P P. XIII. Kal. Martias Roma Rustico & Aquilino Coss.* Hinc cognomina Consulum intelliguntur. Priorem Panvinius vocat Q. Junium Rusticum, quem iterum consulem ab Imperatore creatum testatur Capitolinus in Marco cap. 3. In vetustis ponderibus idem, uti reor, Prætor Urbanus obsignatur; plura enim Gruteri pag. 221. recitantur inscripta: Q. IVN. RVSTICI. PR. VRB. & rursus pag. 222. Ulpianus D. 49. *L.* 1. *de appellat.* laudat rescriptum eorundem Imperatorum *ad Junium Rusticum præfectum Urbi*. Ejus collegam *Vettium Aquilinum* Panvinius nuncupat, cujus prænomen sibi ignotum, punctis in Tabulis notat. Leunclavius utrumque sine prænomine digessit. Tu cum reliquis Panvinii fastos exscribis. In veteri Inscriptione pag. 90. superius indicata, in qua Assessores Palatini, ac familia Antonini Pii, sive ut probabilius arbitror, M. Aurelii recitatur, inter viros clarissimos, quorum duo Consules ordinarii fuerunt, nominatur C. VETTIVS AQVILINVS, quem ipsum hujus anni Consulem judico, ac cum *Caji* prænomine scribendum.

Anno V. 917. Christi 164. fasti habent Consules *Macrinum & Celsum*. Panvinius ad A. V. 917. recitat hanc Inscriptionem: *C. Julio Macrino quondam veterano militi & BIS CONSVLI Secunda Servata sibi & Juliis Alpino & Alpina filiis B. M. F. C.* Ex hoc epitaphio prior hujus anni Consul eidem fingitur *C. Julius Macrinus*, quem statim arripuit Leunclavius, suoque indici inseruit. At imperitus exscriptor magno Panvinio fucum fecit, ac ceteros in errorem traxit. Extat illud epitaphium Augustæ Vindelicorum, ac num. 34. ab eruditissimo Velsero recitatur inter suæ patriæ monumenta, & veteri characterum qua sculptum est, forma expressum, ponitur etiam a Grutero pag. 546. 3.

D. M
IVL. MACRIANO. QVONDAM
VETERANO. MILITI. M. H. M. EX. BF. COS
CONIVGI. CARISSIMO
SECVNDA. SERVATA. ET
SIBI. ET. IVLIIS
ALPINO. ET. ALPINAE. FILIIS
BENEVALENTIBVS. F. C.

Exscriptor, quem scalprum potius quam calamus decuisset, pro *Macriano* scripsit *Macrinum*; tum omissis literis M. H. M. nempe: *Missio honesta missione*, pro BF. COS. videlicet: *beneficiario Consulis*, reposuit: BIS CONSVLI. Ita Macrinus purus putus veteranus miles imperiti hominis inscitia ac Panvinii auctoritate, consulari prætexta decoratus, Romanos fastos hactenus occupavit. Gruteri pag. 441. 10. laudatur: *M. Nonius M. F. Macrinus* COS. XV. VIR SAC. FAC. PR. LEG. AVG. &c. In Græco elogio Gruteri pag. 1078. 2. laudatur *M. Macrinus* Marci Aurelii *Legatus consularis ac Proprætor*. Visne hunc Macrinum verum Consulem hoc anno substituamus in locum erasi e fastis Macriani militis? Ceterum alter etiam Consul pari errore eidem Panvinio concionatur *L. Cornelius Celsus* ex hac Inscriptione, loco, unde eam acceperit, non designato:

L. CORNELIO. C. F
GAL. CELSO
II. VIRO. PRAEF. ORAE
MARITIMAE
COHORT. I. ET. II
COS
Q. LICINIVS. SILVANVS
GRANIANVS

Ex illis literis COS Panvinius L. Cornelium Celsum *Consulem* scripsit, cum legendum sit POS. idest, *Posuit*. Hic tamen Cornelius Celsus erat decurio coloniæ Tarraconensis, in qua gesserat Duumviratum; idem fuit Præfectus oræ maritimæ, & Cohortis Primæ ac Secundæ. Extat Tarracone elogium eidem ab uxore inscriptum Gruteri pag. 395. 10.

L. CORNELIO
C. F. GAL. CELSO
II. VIR. PRAEFECTO
ORAE. MARITVMAE
COH. I. ET. II
POMPEIA. DONACE
VXOR

Ex hac altera Inscriptione apparet priori perperam COS. insertum fuisse, quasi ille Consul fuerit. Ita exscriptor in hoc etiam Consule Panvinium decepit. In aliis vetustis inscriptionibus, quæ Tarracone dicuntur extare, alii etiam nominantur, qui eodem quo Cornelius Celsus, munere perfuncti sunt. Etenim Gruteri pag. 358. 3. laudatur *L. Antonius Silo Præfectus Cohortis IIII. TARRAC. &c. Præfectus ora Maritima Conventus Tarraconensis* Pag. 430. 5. *P. Licinius Lævinus* dicitur *Duumvir*, *Præfectus Cohortis nova Tironum ora Maritima*. Imo ibidem num. 4. hoc epigramma recitatur:

Q. LICINIO. SIL
VANO. GRANIA
NO. FLAM. AVG
PROV. HISP. CITER
PRAEFECTO. ORAE
MARITIMAE. LALE
TANAE. PROCVRA
TORI. AVGVSTI
C. TERENTIVS. PHILE
TVS. DOMO. ROMA

Hic Q. Licinius Silvanus Granianus, qui elogium L. Cornelio Celso conterraneo suo POSuit, eadem præfectura oræ maritimæ Conventus Tarraconensis perfunctus est, quam antea Cornelius Celsus obiverat. Ex his patet Panvinium eundem Cornelium ex Duumviro Tarraconensi, ac Præfecto cohortis I. & II. pro tuenda ora maritima, Consulem anni V. 917. efformasse. Ille tamen, uti ejusdem collega, a Leunclavio inferitur indici lib. 71. Dionis adposito, in quo leguntur Consules *C. Julius Macrinus & L. Cornelius Celsus*; quorum prior miles tantum, alter vero Duumvir coloniæ ac Præfectus Cohortis fuerunt. Utroque autem e fastis, quos hactenus perperam occuparunt, expuncto, sola Macrini ac Celsi cognomina retinenda sunt, quousque eorundem familiæ e vetustis monumentis apparebunt.

Anno V. 918. Christi 165. fasti habent Consules *Pudentem & Orfitum*. Panvinius ait Servilii Pudentis mentionem fieri a Plinio in epistolis ad Trajanum. Est epistola 10. lib. 10. Itaque ex illius familia *Servilius Pudens* Panvinio nominatur. Addit Cornelios Scipiones cognomen *Orfiti* tulisse; hinc *L. Cornelius Scipio Orfitus*, altero loco consul obtruditur. Hos quoque nominat in indice Leunclavius. Veros tamen hujus anni Consules exponit Inscriptio Gruteri pag. 1032. 6. dicata:

A. D. XII. K. MART
M. GAVIO ORFITO
L. ARRIO PVDENTE. COS

Anno V. 919. Christi 166. statuuntur in fastis Consules *Pudens & Pollio*, quos cognomine tenus recitat etiam Lampridius in Commodo cap. 13. Panvinio dicuntur: *Servilius Pudens II. & T. Vitrasius Pollio*. Leunclavius omissa Pollionis familia, cetera exscribit, quem falsa Dionis imagine ductus, imitaris. At observaras n. 13. in Proleg. numquam duos consulatus ordinarios conjunctim datos nisi Principibus re aut destinatione; unde num. 27. quereris te a Panvinio in errorem tractum, qui anno 381. & 382. bis Syagrium cum eodem ordinarium Consulem dixerit. At hic quoque te Onuphrius decepit, cum Servilio Pudenti duos conjunctim ordinarios consulatus tribuisti. Quæso te, Amice, cum imperante Gallieno anno Christi 258. ponis Consulem Pomponium Bassum, & eundem iterum Consulem anno 259. producis; & rursus cum Ovinium Paternum anno 267. & iterum anno 268. Consulem statuis, putasne temet tam frequenter a Panvinio in errorem inductum? At memorati anni V. 919. Consules restituuntur ex Inscriptione aræ dicatæ pro salute Impp. Marci Aurelii ac L. Veri, quam Gruteri pag. 1009. 12. Fortunatus

CONSECRAVIT. X. K. SEPT
..SERVILIO. PVDENTE. L. FVFIDIO. POLLIONE. COS

Ita in indice erratorum restituitur, cum ibi erronee sit: VLLO RVDENTE. Ibi nulla iterati consulatus nota signatur; nam Pudens proximi anni Consul, erat e familia Arria, hic vero gentis Serviliæ. Alter etiam Consul falso Vitrasius nominatur, qui e Fufidiis fuit.

Anno V. 922. Christi 169. sunt in fastis Consules *Priscus & Apollinaris*. Utriusque familiam e veteri lapide recte Panvinius extulit. At quod ibidem sine prænomine legebantur, uni Apollinari prænomen *Quinti* donavit. Leunclavius omnia fideliter a Panvinio accipiens, priorem pariter consulem sine prænomine posuit. At prænomen *Quinti* primo Consuli adponendum erat. En tibi integre hoc collegium ex pag. 300. veterum Inscriptionum, in qua C. Licinius Licinianus dicitur cooptatus,

Q. IOSIO. PRISCO. P. COELIO. APOLLINARE. COS
P. R. C. A.. DCCCCXXII.

Habes non modo utrumque Consulem integre descriptum, verum etiam rectum fastorum ordinem annis Urbis exactissime congruentem. Nec negligenda est in Romanis familiis recta prænominum notitia, quia viri quarundam solo prænomine distinguebantur, quod in Antoniis, Pompejis, Vitelliis, aliisque patet. Legisti Suetonium cap. 2. in Vitellio.

Anno V. 923. Christi 170. nomen fastis dedere *Cethegus & Clarus*. Panvinio ex plumbea fistula inscripta: L. IVNIO. CLARO. ET. AVR. SEVERO. COS. hujus anni Consules dicuntur *M. Aurelius Cethegus & L. Junius Clarus*. Leunclavius prioris tantum familiam brevitatis causa omittit, quod tu pariter facis. Hunc quoque errorem emendat Inscriptio Foroliviensis in Æmilia, quam Eques Sigismundus Marchesius lib. 1. Historiæ ejusdem urbis inseruit:

I. O. M.
M. VARENVS
POLYBIVS. PRO. SE
ET. SVOS
V. S. L. M
M. CORNELIO. CETHEGO. C. ERVCIO
CLARO. COS

In Inscriptione Gruteri pag. 126. legitur: CLARO ET CETHEGO; uti etiam L. 1. lib. 3. Cod. *de petit. hereditat.* dicitur: *PP. VI. Kal. Febr. Claro & Cethego Coss.* utrobique Erucio Claro priori loco nominato. Porro Consules in illa plumbea fistula inscripti, fuere suffecti anno mihi ignoto, quos Panvinius, ut ordinarios hujus anni venditaret, cognomen *Severi*, quod in fistula legebatur, in *Cethegum* pro arbitrio commutavit. Eques Sertorius Orsatus meus quondam amicus, laudatam Inscriptionem prolixiori epistola exposuit, ubi plura de voce SVOS ex vetustis monumentis producit. Et sane Aurelii Cethegi in Romana historia nusquam occurrunt, sed passim Cornelii Cethegi, quorum plerique in fastis Consules recitantur. Erucius Clarus imperante Pio A. V. 899. consul nominatur, cujus hic alter Erucius fortassis filius fuit.

Anno sequenti V. 924. Christi 171. scribuntur in fastis Consules *Severus II. & Herennianus*. Priorem ex Capitolino cap. 1. in Severo, vocat Panvinius

vinius *L. Septimium Severum.* De collega nec verbum addit. Ita pariter Leunclavius, ac ceteri. Hujus tamen prænomen ac familia legitur, uti quidem reor, Gruteri pag. 1095. 6.

IVLIAE. Q. F
CALVINIANAE
L. ALFIDI. HERENNIANI.
CONSVLIS
FABRATENI
NOVANI
D. D

Anno V. 926. Christi 173. nominantur in fastis Consules *Severus II. & Pompejanus.* Panvinius scribit Capitolinum in M. Aurelio mentionem facere tum Claudii Severi ejusdem Marci præceptoris, Peripateticæ doctrinæ philosophi, tum etiam Claudii Pompejani M. Aurelii generi. Hinc consules eidem dicuntur: *Cn. Claudius Severus II. & M. Claudius Pompejanus.* Leunclavius omissis prænominibus, utrumque Consulem cum Panvinio e familiis Claudiorum facit. Errorem autem illorum pandit epitaphium via Appia Anicio Faltoni inscriptum, Gruteri pag. 1025. 6.

K. OCTOB. M. AVRELIO. SEVERO. II
ET. T. CLAVDIO. POMPEIANO. COS

Itaque erratum est in familia prioris Consulis, ac prænominibus utriusque. Claudius Severus Peripateticus, M. Aurelii præceptor, fuit consul suffectus, cum L. Verus Augustus bellum in Oriente gereret, teste Galeno, cujus verba recitavi ad A. V. 910. ubi de Barbaro consule ejusdem testimonium laudavi. Præterea idem Panvinius erravit in altero etiam consule designando, scribens fuisse M. Claudium Pompejanum Marci Aurelii generum. Nam Vulcatius in vita Avidii Cassii cap. 12. recitat fragmentum epistolæ M. Aurelii ad Senatum post intellectam necem Avidii, in qua scribit: *Habetis igitur P. C. pro gratulatione victoriæ generum meum Consulem, Pompejanum dico: cujus ætas olim remuneranda fuerat consulatu, nisi viri fortes intervenissent, quibus reddi debuit quod a Republica debebatur.* Et ibidem in epistola ad Faustinam Augustam: *Pompejanum nostrum in annum sequentem consulem dixi.* Avidius Cassius occisus fuit anno Christianæ epochæ 175. quo anno post Julium mensem Marcus Imperator eas literas scripsit, uti inferius evidenter ostendam. Igitur Claudius Pompejanus ejusdem Marci gener, non fuit consul ordinarius anno 173. sed post triennium suffectus anno 176. Hinc notes velim consules non semper designari solitos paulo post initium anni in annum insequentem, uti non semel scripsisti, quod pluribus aliis exemplis possem demonstrare. Casaubonus in notis ad cap. 20. de vita M. Aurelii, ubi Pompejanus gener dicitur *bis Consul* factus a socero, ait hunc Pompejanum cum Severo II. consulem legi in fastis, additque: *alterum consulatum adhuc quæro.* Sed facile invenire poterat in laudatis literis ad Faustinam & Senatum. nec Pompejanus collega Severi II. fuit gener Marci, cum hic anno 176. consulatum primum acceperit: alterum incerto anno suffectum gesserit.

Anno V. 932. Christi 179. leguntur Consules *Commodus Augustus II. & Verus.* Panvinius scribit a Tertulliano in libro ad Scapulam nominari Vespronium Candidum Verum, quem pariter laudat Spartianus in Juliano. Hinc collega Imperatoris Commodi dicitur eidem *Vespronius Candidus Verus.* Leunclavius omisso altero cognomine, scribit: *Vespronius Verus.* Hic quoque erratum est. Tertulliani verba sunt cap. 4. ejus libri: *Ut Vespronius Candidus, qui Christianum quasi tumultuosum civibus suis satisfacere dimisit.* Spartianus vero cap. 6. in Juliano ait: *Inter ceteros legatus est Vespronius Candidus vetus Consularis.* Videsne fictum a Panvinio alterum cognomen *Veri*, ut Vespronium hujus anni Consulem efformaret? Tanti tamen valuit magni Panvinii auctoritas, ut Casaubonus in notis ad Spartianum scripserit legendum fortasse in eo capite 6. *Vespronius Candidus Verus, vetus consularis;* addens: *Veri cognomen eruditissimus quoque Onuphrius agnoscit.* Imo fingit Onuphrius. Extat vetus Inscriptio pag. 66. 7. laudati toties Thesauri, aræ dedicatæ pro salute *Imperatoris M. Aurelii Commodi Antonini Augusti Pii P. P.* SVB VESPRONIO CANDIDO COS. Neque hic *Veri* cognomen legitur. Imo hinc colligimus Vespronium Candidum fuisse Consulem suffectum post mortem M. Aurelii, quia in illa Inscriptione Commodus cum prænomine *Marci* signatur, quod post obitum patris assumpsit, cum illo vivente *Lucius* diceretur, quod ex nummis apparet, & ex vetustis lapidum Inscriptionibus pag. 261. 7. ubi legimus: *L. Ælio Aurelio Aug. F. Commodo Cos.* Item num. 8. & 9. & pag. 262. 1. dicitur *L. Ælius Aurelius Commodus Consul designatus.* Quare Vespronius Candidus non fuit collega Imp. Commodi Consulis, quia tunc is *Lucius*, non autem *Marcus* vocabatur. Sed quid his diutius immoror? En tibi verus collega Commodi *T. Annius Aurelius Verus II.* ex duabus vetustis Inscriptionibus Gruteri pag. 65. 9.

D. D
NON. IANVAR
IMP. COMMODO. II
T. ANNIO. VERO. II. COS

Rursus pag. 77. 3.

DEDICATVM. IV. IDVS. AVG
IMP. COMMODO. II
ET. AVRELIO. VERO
II. COS

Ex utroque epigrammate alter Panvinii, Leunclavii, ac ceterorum error corrigendus est, dum *Verum* sine nota iterati consulatus describunt. Recte Prosper ac Cassiodorus scribunt: *Commodo II. & Vero II.* Hic alter consulatus Commodi una cum tribus collegiis consularibus proxime antecedentibus memoratur in veteri Inscriptione una cum nominibus militum, qui eisdem Consulibus honesta missione missi sunt. Ejusdem exemplum accepi ab eruditissimo Raphaele Fabreto.

EQV C. VITRASIVS. C. F. PVB. PRIMVS. CALIB
ETRIB C. NOVELLIVS. C. F. PAP. VERINVS. TICIN

APRO. II. ET. POLLIONE. II. COS

SP L. PASSENNIVS. L. F. OUF. FELIX. MEVI
C. ENASTELLO. C. F. FAB. EXORATVS. LVCA

COMMODO. ET. QVINTILLO. COS

COR C. MEMORIVS. C. F. FLA. MESSOR. SEGVS
M. AELIVS. M. F. MEC. MESTRIANVS. PEL
C. IVLIVS. C. F. FAB. SABINVS. HERAC
M. VITILIVS. M. F. POM. PVDENS. ARRET

EQV C. LAETILIVS. C. F. MEN. SPLVS. PRAEN
EQV M. CANIVS. M. F. VOT. RESTITVTVS. PLAC

ORFITO. ET. IVLIANO. COS

L. CASINIVS. L. F. POM. LEGITIMVS. VOLS
Q. VICCIVS. Q. F. POM. PVDENS. VOLSI
TI. CLAVDIVS. TI. F. OXF. VICTORIN. LVCA
M. VETTIVS. M. F. VAL. AVFIDIVS. PIR. PIC
LIB.PR C. VACELLIVS. C. F. ANN. IVSTINIAN. ARIM
M. AELIVS. M. F. POM. IVSTVS. ARRET
M. PARRAX. M. F. STE. SATVRNIN. FORVI
M. AEBVTIVS. M. F. POL. VERVS. PARMA
T. FLAVIVS. T. F. CAM. LICINIANVS. RAVX
M. POMPONIVS. M. F. NIC. STORIANVS. CONS
C. SATRIVS. C. F. LEM. MAXIMVS. BON
M. RADVSIVS. M. F. PAL. MARCIANVS. SAS

COMMODO. II. COS

EQ. C. CRISPIVS C. F. ANI. SECVNDINVS. VEL
L. METELLIVS. L. F. POL. VALERIANVS. LETR EG
Q. VIBIVS. Q. F. CLA. NEOPTOLEMVS. ORVM
C. VXTVRIVS. C. F. POL. PROFVTVRVS. PARM
Q. LOLLIVS. Q. F. MEC. CAESIANVS. BRVN
Q. LVCILIVS. Q. F. CAM. PRESENS. RAVE
C. VALXRIVS. C. F. CLA. MASCVLIN. CAX
L. MAGIACVS. L. F. ANI. SEVERIN. VERC

Est fragmentum prolixioris Inscriptionis, ex qua patet Aprum & Pollionem iterum Consules scribendos, cum secus in fastis Idacii, Prosperi, & Cassiodori, atque tuis etiam legantur. Leunclavius Pollionem tantum bis Consulem ex Panvinio exscripsit, qui tamen utrumque iterum Consulem ex veteri elogio recte posuerat. Nec Lampridio cap. 12. in Commodo alter Apri consulatus memoratur. Praeterea ibidem scribit: *Orfito & Rufo Coss.* uti etiam Idacius, Prosper, hujusque exscriptor Cassiodorus, cum tamen in laudato lapide *Orfito & Juliano Coss.* legatur. Quod vero Lampridius ex actis Urbis plura ibi paria Consulum recitat, dicendus est collega Orfiti *Julianus Rufus*, duplici cognomine. Hic vero a Panvinio ad A. V. 931. dicitur *Vettius Rufus* ex Lampridio in Commodo. At perperam; siquidem scribit Lampridius cap. 4. *Interfecta & Vitrasia Faustina, & Velius Rufus, & Egnatius Capito Consulares.* Itaque Rufus *Velia* gentis, non *Vettia* fuit. Tacito lib. 5. Annal. memoratur *Velius Gallus* inter amicos Sejani; Plinius lib. 4. scribit epistolam 21. *Velio Cereali*; Vopisco cap. 3. de vita Imperatoris Taciti laudatur *Velius Cornificius Consul.* Quare cum in omnibus MSS. *Velius Rufus* apud Lampridium legatur, teste Casaubono, falso dicitur e Vettiis fuisse. Hunc quoque errorem sorbuit Leunclavius, tibique Dionis nomine, uti putabas, callide propinavit. Hic tamen non sollicito familiam quoque Orfiti, quem vos cum Panvinio e gente Cornelia Scipionum putatis, quod ille scribat: *Cornelius Scipioque nota sunt Orfiti nomina*; & superius ad A. V. 918. *Cornelium Scipionem Orfiti nomen & cognomen esse manifestum est.* Cum tamen hic fuerit Gavius Orfitus, ut ex veteri elogio ostendi. Et sane Tacito lib. 4. Hist. dicitur imperante Nerone Reguli insidiis *subversa Crassorum & Orfiti domus.* Hic erat e Cornelia gente Scipionum. Gavia postea familia Orfitorum sub Antoninis floruit, uti & Vettia, & Gruteri pag. 302. inter *viros clarissimos* nominatur *Vettius Scipio Orfitus.* Salvidieni etiam Orfiti cognomen tulere. Salvidienus Orfitus a Nerone damnatus dicitur Suetonio cap. 37. Salvidienus Orfitus consularis a Domitiano relegatus cap. 10. de vita Domitiani. Imperante Gallieno Furii Orfiti floruere, ex quibus Furius Orfitus Consul fuit cum Aureliano Imperatore. Ego Orfitum sub Commodo Consulem M. Gavium Orfitum existimo, Gavii Orfiti ante septennium Consulis consanguineum.

Anno 933 Christi 180. in fastis Cassiodori leguntur Consules *Præsens & Gordianus.* In Idacio, & Anonymo Cuspimani: *Præsens & Condianus.* Panvinio autem dicuntur in tabulis fastorum *Arrius Præsens & Ælius Gordianus.* At lib. 2. comment. priorem Consulem modo *Bruttium*, modo post quatuor statim versus, *Arrium* vocat; ejus vero collegam *Sex Quintilium Condianum* dicit. Leunclavius scribit: *Bruttius Præsens & Quintilius Gordianus*, quo passim cognomine appellatur. In primis Bruttius Præsens cum iterati consulatus nota scribendus est ex Lampridio in Commodo cap. 12. ubi ait: *XI. Kal. Romanas Præsente iterum Consule.* Ibi vero secus ac proxime fecerat, collegam Præsentis non nominat, quia, uti recte prænotavit Casaubonus, Condiani memoria e fastis erasa fuerat. Fuit is Sex. Quintilius Condianus Quintilii Maximi filius, quem Commodus neci tradidit, uti fusius recitat Dio lib. 72. quare minus recte *Gordianus* pro *Condiano* nuncupatur. Extat Gruteri pag. 1095. 1. vetus Inscriptio, in qua laudatur *L. Fulvius C. F. Bruttius Præsens COS. II* ubi dicitur *Agrippina AVG. socer, M. Antonini Comes expeditionis Sarmaticæ &c.* Illa sane Inscriptio aut erronee exscripta, aut suppleta est. Scribit Capitolinus cap. 27. de M. Aurelio: *Filio suo Bruttii Præsentis filiam junxit.* Itaque Bruttius Præsens pater Crispinæ uxoris Commodi, erat ejusdem Commodi socer, & ob id altero consulatu a M. Aurelio decoratus. Ex illo tamen quamvis depravato epigrammate, intelligitur prænomen Bruttii, quod hactenus Scriptores Fastorum latuit. Hoc anno die 17. Martii M. Aurelius Imperator in Germania vita defunctus, Commodum filium imperii, at non virtutum hæredem reliquit, quem antea collegam habuerat. Habes, Vir eruditissime, non tria, aut quatuor, sed plane decem collegia Consulum sub unius M. Aurelii imperio, perperam in fastis descripta, veris tandem characteribus exarata.

Anno V. 936. Christi 183. Consules ex Panvinio describuntur *Commodus Aug. IV. & M. Aufidius Victorinus.* Deficit Victorino nota alterius consulatus. Gruteri pag. 35. 1. dicitur ara Soli dicata:

IMP. COMMODO. AVG. PIO. FELICE. IIII
ET. VICTORINO. II. COS

Anno V. 937. Christi 184. fasti exhibent Consules *Marullum & Ælianum*, qui e veteri elogio dicuntur Panvinio *M. Eggius Marullus & N. Papirius Ælianus.* Erratum in prænomine Papirii, qui non *Numerius*, sed *Cneus*, sive Græcorum more *Gneus* dicebatur. Sponius V. C. sect. 1. Miscell. art. 1. recitat epigramma ab se Romæ exscriptum, in quo legitur ara a M. Aurelio Augusti liberto dicata

III. NON. IVNIAS. EGGIO
MARYLLO. ET. GN. PAPI
RIO. AELIANO. COS

In

In Pisanis Cæsarum Caji ac Lucii Cenotaphiis ostendi apud veteres in quibusdam vocabulis v. g. Sullæ, Suriæ, Borusthenis, V aut Y promiscue scribi. In Inscriptione ex Scaligero recitata pag. 30. 2. legitur: *L. Eggio Marullo, Cn. Parinio Aeliano Cos.* Error in nomine secundi Consulis ex superiori, & altera pag. 49. 5. corrigendus est. In hac autem *Marcus*, non *Lucius* prior Consul appellatur. Gravius erratum est Petavio, Ricciolio, ac quod nollem, tibi quoque, dum cum illis scribere maluisti: *M. Eggius Marcellus & M. Papyrius Aelianus.* Typographus Riccioli *Martellus*, pro *Marcellus*, edidit. Extat præter memoratas, alia Inscriptio Romana pag. 35. 12.

DEDIC. XV. K. IVL

MARVLLO. ET. AELIANO. COS

Non semel in fastis ipsis *Marulli* cognomen occurrit. Nam Tacito lib. 14. nominatur *Junius Marullus consul designatus.* Capitolino cap. 2. de vita Gordiani senioris laudatur ejusdem pater *Metius Marullus Consul.* Cæsar Epidium Marullum Tribunum plebis potestate privavit, quem tamen proximis Comitiis, plures Consulem designarunt, teste Suetonio in Julio cap. 79. & 80.

Anno V. 939. Christi 186. signantur in fastis Consules *Commodus Aug. V. & Manius Acilius Glabrio.* Hic iterum Consul scribendus est. Gruteri pag. 94. memoratur votum solutum,

IMP. COMM. AVG
FELICE. V. ET. GLABRIONE
IT. COSS

Herodiano recitata nece Commodi, lib. 2. laudatur Glabrio *omnium patriciorum nobilissimus, ad Æneam Veneris & Anchisis filium seriem generis referens, idemque iterum Consul.* Hic autem Glabrio in tabulis consularibus dicitur eidem Panvinio *Sex. Acilius Sex. F. M'. N. Glabrio II.* In libro tamen 2. fast. ad A. V. 939. non *Sextum*, sed *Manium* eundem prænominans, ait: *Hic Manius Acilius Glabrio, cujus pater Manius sub Hadriano consulatum gessit.* Recte hic *Manii* prænomen eidem assignatum; sed perperam filius dicitur Manii Acilii qui collega C. Bellicio Torquato, ante annos LXII. sub Hadriano consul in fastis legitur; siquidem filius fuit Man. Acilii Glabrionis, qui cum M. Valerio Homollo consulatum suffectum gessit, Antonino Pio imperante, uti superius adnotabam, ubi pariter recitavi Inscriptionem dicatam Aciliæ *filiæ Acilii Faustini consulis* anno 210. M'. ACILI GLABRIONIS COS II. NEPTI, qui est hujus anni consul, *Man. Acilii Glabrionis Senioris consulis pronepti*, qui cum M. Valerio Homollo consul fuit.

A. V. 941. Christi 188. *C. Allius Fuscianus & Dullius Silanus* Consules abs te ex Leunclavio producuntur. Deest utrique nota numeralis iterati consulatus. Gruteri pag. 1006. 9. vetus lapis habet:

FVSCIANO. II. ET. SILANO. II. COS

Lampridius etiam cap. 12. de vita Commodi ait: *Fusciano iterum Consule.* Hinc colligas, quam exacte suffecti consulatus cum ordinariis ad hæc usque tempora, in fastis soliti fuerint numerari; nec secus nobis scribendum est præter fidem tam insignium monumentorum.

Anno V. 944. Christi 191. sunt in fastis Consules *Apronianus & Bradua.* Panvinius putans secundum Consulem eundem esse Braduam qui ante sextum annum Consul legitur, cum geminati consulatus nota illum descripsit. Hinc exscriptori Leunclavio dicitur: *Metilius Bradua II.* At Braduam hujus anni Consulem sine nota iterati consulatus scribendum, ac proinde diversum fuisse Metilio Bradua consule A. V. 938. docet Inscriptio apud Reinesium pag. 171. cujus fragmentum recito:

Q. VARIVS. VITA
LIS. B. F. COS. ARAM
SACRAM. RESTI
TVIT
APRONIANO. ET. BRA
DVA. COS

Ulpianus *L. 10. D. de suspect. tutor.* ait: *Sed Imperator Antoninus cum Divo Severo Bradua Maurico Africæ proconsuli rescripsit &c.* Mauricus Bradua, qui imperante Commodo gesserat consulatum, decimo postea anno Africam sortitus fuit, Imperatoribus Severo & Antonino Caracalla. Plinio lib. 4. epist. 22. & lib. 1. epist. 14. laudatur *Junius Mauricus.* Num hic consul dicendus sit ex eadem gente *Junius Mauricus Bradua*, in medio relinquo. Ipse nihil ultra cognomen in fastis scriberem. Idacius, Prosper, Cassiodorus, recte Braduam collegam Aproniani, sine nota iterati consulatus, scripserunt. Inseris consulatibus sub Commodo ejusdem vota Quinquennalia, Decennalia, Quindecennalia, Vicennalia, modo Cæsarei imperii, modo Proconsularis, ac denique Augustei, de quibus superius disputaveras par. 2. cap. 7. ubi quædam mihi asserta reprehendis. Etenim dicis me recte statuisse anno nostræ epochæ 175. Tribuniciam potestatem Commodo delatam; errasse tamen, quod mense Februario, aut Martio id scripserim contigisse. Quotidie, Amice, discimus, ac posterioribus curis quæ dudum scripseramus, expungimus. Dixeram eo loco quem solicitas: *ita diem liceat divinare.* Tu vero dicis Tribuniciam potestatem datam Commodo post diem 17. Martii, sed ante 28. Octobris. Visne dicam? Verax es hariolus, qui rem intra latius octo fere mensium spatium securius divinasti. Agedum propius jam accedamus ad mensem tibi mihique ignotum, Dione, Lampridio, Capitolino, ac Vulcatio utrique nostrum lampadem præferentibus. Hæc scribit Dio lib. 71. de M. Aurelio Augusto: *Cum autem Cassius res novas moliretur in Syria, Marcus vehementer perterritus, Commodum filium, veluti qui jam posset inter ephebos haberi, accersiri ex Urbe jubet.* Commodus a Lampridio cap. 12. de vita ejusdem dicitur Roma *profectus in Germaniam XIV. Kal. Ælias iisdem Consulibus*, nempe Pisone & Juliano. Itaque Commodus A. 175. die 19. Maji, a patre evocatus, in Germaniam perrexit. Vide quantum fallare, cum pag. 218. scribis ad A. 175. *ineunti Julio Cassii defectio contigit*, cum ex Dione M. Aurelius post intellectam rebellionem Cassii, Commodum in Germaniam accersiverit. Sed audiamus etiam tertium ducem Capitolinum cap. 22. in M. Aurelio: *Filio*, inquit, *Commodo accersito ad limitem, togam virilem dedit: quare congiarium populo divisit.* Vidi nummum Mediceum inscriptum: *M. Antoninus Aug. TR. P. XXIX.* & in postica: *Liberalitas Aug. VII.* Est congiarium Capitolino recitatum. At diem delatæ togæ Commodo prodit Lampridius cap. 2. *Indutus autem toga est Nonarum Juliarum die.* Imperator Marcus, quo milites adversus rebellantem Cassium in fide contineret, filium deposita prætexta, jam in toga virum, certum imperii successorem ostentavit. Tum M. Aurelius magnis itineribus in Italiam reversus, nec

Romam

Romam ingressus, in proximam Campaniam secessit, brevi cum classe in Orientem contra Cassium transmissurus. Vulcatius in Avidio Cassio quædam fragmenta recitat epistolarum, quas id temporis Faustina Augusta ad Marcum misit. In altera earundem scribit: *Vide quid agas de Avidio Cassio, & de ejus consciis.* & statim: *Sed si te Formiis invenire non potuero, assequar Capuam.* At iis plane diebus caput Cassii ab ejusdem interfectoribus ad Marcum delatum, ingenti eundem solicitudine liberavit, qui statim unius tantum hominis nece obtentæ victoriæ nuocium misit tum ad Faustinam, tum ad Senatum per literas, quarum fragmenta Vulcatius recitat. At Senatus lætis acclamationibus memoratas literas excepit, de quibus idem Scriptor cap. 13. Eas inter conclamarunt: *Commodo Antonino Tribuniciam potestatem rogamus, præsentiam tuam rogamus.* Ceterum Marcus Romam quidem ingredi recusavit, sed de altero morem gerens Senatui, filio Commodo Tribuniciam potestatem detulit, ac cum eodem paulo post in Asiam transmisit. Viden', Vir eruditissime, ut tempus collatæ Commodo Tribuniciæ potestatis, quod a die 17. Martii ad 28. Octobris latiori spatio extendebas, intra Augustum contrahatur? Commodus Nonis Juliis, cum virilem togam accepit, nondum erat Tribunicia potestate insignitus, quam accepit post nuncium occisi Cassii ad patrem in Campaniam delatum. Cassius imperavit, teste Dione, menses tres, dies sex. Mense Aprili rebellasse dicendus est, cum Marcus celeri ejus defectionis nuncio accepto, filium Roma accersierit, qui die 19. Maji ad patrem profectus est. Itaque mense Julio occiso Cassio, caput ejusdem certissimum compressæ rebellionis nuncium ipsimet interfectores Imperatori Marco mense Augusto obtulerunt. Tum petita a Senatu, atque etiam impetrata Commodo Cæsari Tribunicia potestas. Nullus dubito, quin dicturus sis me hac altera vice probabilius divinasse. Hinc corrigendus Capitolinus, qui cap. 27. cum narrasset gesta Marco Aurelio in Oriente ac in Græcia, ait: *Romam ut venit, triumphavit. Exinde Lavinium profectus est. Commodum deinde sibi collegam in Tribuniciam potestatem junxit.* Peccat anni & quod excurrit, metachronismum.

Ex annis Tribuniciæ potestatis qui in nummis Votorum Commodi obsignantur, varia eidem nuncupata vota in suos quæque annos refers. Et quidem initio scribis me *deceptum* qui nummum tertio Commodi consulatu signatum deputaverim anno 180. Mitissime præ amicitia nostra loqueris, cum deceptum dicis quem jure deceptorem poteras appellare. Eos nummos mutilata descriptione produxi, dum sciens ac volens omisi postremam partem epigraphæ COS. III. quam videbam meæ interpretationi contrariam. At suspicabar Occonem, vel alium exscriptorem nummi minus recte notas numerales consulatuum exarasse. Habes fatentem reum. Comes Mediobarbus accurato studio ac diligenti cura Occonis Numismata aliquot millium additione nuperrime illustravit. Ibidem autem a pag. 248. Vota X. Commodo suscepta recenset. In primis: *Vota Decenn. Susc. TR. P. VIII. Imp. VI. Cos. III. &c.* ex Musæo Cospiano. Item: *VOT. Susc. Dec. P. M. TR. P. VIIII. Imp. VII. Cos. IV.* ex insigni Musæo quod possidet. Rursus: *Vota Suscep. Decen. P. M. TR. P. X. Imp. VII. Cos. III.* ex scriniis Polacii. Præterea: *Saec. Fel. P. M. TR. P. XI. Imp. VII. Cos. V. &c.* Victoria in clypeo scribente: VO. DE. videlicet: *Vota Decennalia*, vel *Votis Decennalibus.* Ad hæc: *Vota Sol. Decenn. P. M. TR. P. XII. Cos. V.* Verum anno etiam sequenti Vota nuncupata tradit cap. 12. Lampridius: *Vota pro eo facta sunt Nonis Piis Fusciano iterum Consule.* Nonis Piis, hoc est, die quinta Aprilis erat TR. P. XIII. Denique passim prostant nummi Commodi cum Votis X. ac TR. P. XV. Hæc vota abs te dicuntur nuncupata pro imperio Cæsareo, deinde pro imperio Proconsulari, denique pro Augusteo. Nunquam exactam rationem assignari posse puto, cur ab TR. P. VIII. ad XII. per quinquennium singulis quibusque annis vota Decennalia nuncupaverit, nisi dicamus quandoque concepta pro salute Populi Romani, quæ post decennium solvit, cum extent nummi ejusdem Commodi inscripti: VOTA SOL. PRO SAL. P. R. COS. VI. aut forte eadem Vota repetita memoria in nummis obsignata iis etiam annis, quibus reapse concepta non sunt; vel denique stultum illum Principem qui in unicum annum consules viginti quinque designavit, pro arbitrio Vota nuncupasse. Horum votorum explicatio minus pro voto mihi succedit; quare eam tibi dimitto, qui hoc in stadio ceteros longo post te intervallo relinquis. Itaque ad fastorum correctionem revertor.

Commodo Imperatore nocte quæ Kalendas Januarias anni Christianæ Æræ 193. præcedebat, occiso, Pertinax Imperium accepit, quo die 25. Martii interfecto, Didius Julianus Romanum Orbem ingenti precio a prætorianis redemit, qui pariter neci traditus, Imperium Septimio Severo ac Pescennio Nigro lacerandum reliquit. Annos imperii Severi duodeviginti Consulum paria in fastis signarunt. Eorum major pars ex vetustis monumentis a diligentissimo Panvinio optime describitur. Quædam vero hic mihi vel restauranda sunt, vel emendanda. Annus V. 948. Christi 195. Consules habet *Tertullum ac Clementem*, qui Panvinio dicuntur *Q. Flavius Tertullus ac T. Flavius Clemens.* Utrumque ad unum apicem Leunclavius reposuit in indice lib. 74. Dionis. Apud Gruterum pag. 1027. 4. Corpus Fabrorum Navalium Ostiensium dicat Inscriptionem P. Marcio Philippo, quæ dicitur

DEDICATA. III. IDVS. APRILIS
SCAPVLA. TERTVLLO. ET. TINEIO. CLEMENTE. COS

Tertulli insignis Romanæ familiæ viri id proprium forte habuere, quod cognomen nomini, seu familiæ præponebant. Ita Plinio lib. 2. epist. 11. laudatur *Cornutus Tertullus Consul designatus.* & in panegyrico versus finem ait: *pro Collega meo Cornuto Tertullo consulari viro.* Cum vero ad eundem scribit lib. 7. ep. 21. ait: *C. Plinius Cornuto suo*, solo cognomine cum designans. Panvinius Tertullum cognomen putavit, quod fortassis nomen gentile erat. Tertullianus librum ad eundem proconsulem postea Africæ, mittens, *Scapula* inscripsit, solo cognomine Proconsulis posito. Libro 1. Digest. L. 14. *de officio Præsidis* legitur: *Divus Marcus & Commodus Scapulæ Tertyllo rescripserunt.* At lib. 27. tit. *de rebus eorum qui sub tutela &c.* dicitur oratio Severi Augusti *in Senatu recitata Tertyllo & Clemente Consulibus Idibus Juniis.* Jam dixi Y & V promiscue scribi in quibusdam nominibus propriis apud Antiquos. Hinc discimus Scapulam Tertullum postremis annis imperii M. Aurelii alios magistratus gessisse ante consulatum. Itaque sine teste, in gentem Flaviam transcribitur, uti & collega Clemens, qui erat familiæ Tineiæ. In Romano lapide pag. 751. 12. laudatur *Tineja Lucida* uxor P. Ælii Veri; fœminæ autem passim prænomine carentes, familiæ nomine appellabantur, variis pro libito additis cognominibus.

Anno V. 960. Christi 207. consules fuere Aper & Maximus, quorum prior est Panvinio *M. Flavius Aper*, alter vero *Q. Allius Maximus.* Primum ita

vocat

vocat, quia ante annos 77. Aper Consul inscribitur in lapide *M. Flavius*; alterum ait vidisse se in Inscriptione, *qua*, inquit, *nunc ad manus non est*. Sed neque ad rem erat Inscriptio, etiamsi fuisset ad manum. Illa extat apud Gruterum pag. 172. 6. ubi legitur porticus *dedicata X. Kal. Junias*;

L. MAMMIO. POLLIONE
Q. ALLIO. MAXIMO. COS

Hinc patet Q. Allium Maximum collega Mammio Pollione gessisse consulatum suffectum, ac proinde minus recte poni consulem collegam Apri. Quem ergo Allio Maximo substituemus? Hæc cura posteros maneat, si quandoque hujus anni consules in effosso marmore apparebunt. Tacitus lib. 12. *Memmium Pollionem* anno V. 802. imperante Claudio, consulem designatum memorat, qui fortassis idem videri possit qui in proxima Inscriptione laudatur.

Anno V. 962. Christi 209. sunt in fastis Consules *Pompejanus & Avitus*. Panvinio integre describuntur: *M. Aurelius M. F. Claudius Pompejanus & Lollianus Avitus*. Notat priorem memorari a Spartiano in Caracalla cap. 3. ubi narrat ab eodem occisum Pompejanum nepotem M. Aurelii Augusti; addit laudari etiam in inscriptione, quam recitat ad A. V. 966. nempe:

GENIO. SANCTO
M. AVRELIVS. CL. POMPEIANVS
MIL. LEG. VIII. ANTONINIANAE
AVG. P. F. COS. K. IANVAR
IMP. D. N. ANTONINO. AVG. IIII. ET
BALBINO. II. COS

At exscriptor imperitus peritissimum Romanarum rerum in errorem traxit. Ea inscriptio ab Huttichio exscripta legitur Gruteri pag. 108. 1. & iterum ad autographum delineata pag. 1075. ubi dicitur *M. Aurelius CL. Pompejanus*:

MIL. LEG. VIII
ANTONINIANAE
AVG. BF. COS. &c.

Nempe: *Miles Legionis VIII. Antoniniana Augusta, Beneficiarius Consulis &c.* In Panvinio perperam legitur: *Augusta, Pia, Felicis, Consul*, ex milite factus. Sed neque alter Consul recte dicitur Lollianus Avitus, quod Capitolinus cap. 1. in Pertinace laudat, inquit Panvinius, *Lollianum Avitum virum consularem*. Nam hic Avitus, non dicitur Consul II. quare non est idem cum eo, qui ante Pertinacis imperium gesserat consulatum. Utrumque Consulem exscripsit Leunclavius in indice libri 76.

Anno V. 963. Christi 210. annum aperuere *Faustinus & Rufinus*. Panvinius e veteri elogio priorem vocat *Manium Acilium Faustinum*, alterum appellat *L. Cæsonium Macrum Rufinianum*, qui in antiquo epigrammate Consul dicitur. Extat alterum elogium eidem a filio Cæsonio Lucillo dicatum Gruteri pag. 381. 1. ubi dicitur donis militaribus donatus *a Divo Marco*, ac *Comes Imp. Severi Alexandri Augusti*; ex quibus patet eundem, Severo imperante, vixisse. Hic tamen fingitur hoc anno collega Acilii Faustini, quia iste *Rufinus*, non *Rufinianus* dicebatur. In Codice Just. extant rescripta Impp. Severi & Antonini filii *L. 1. de bonis libert. L. 2. de contrahen. stipul. L. 3. de eviction. L. 1. de donat.* quæ dicuntur *PP. Faustino & Rufino Consulibus*. Igitur cognomen *Rufini* perperam in *Rufinianum* mutatur. Hoc collegium consulare habetur Gruteri pag. 300.

M'. ACILIO. FAVSTINO. .. TRAIANO. RVFINO. COS

Familia Triariorum erat Consularia, & anno 185. sub Commodo, Triarius Maternus Consul fuerat. Leunclavius hunc Consulem Triarium Rufinum ex Panvinio *Marcum Rufinianum* appellat. Idem tamen Leunclavius satis negligenter magni Scriptoris fastos exscribens, anno V. 952. *Cornelii Anullini*, & anno 957. *Fabii Cilonis* iteratos consulatus omittit, cum tamen uterque Consul II. vetustis lapidibus a Panvinio laudatis, inscribantur. Præterea supine hallucinatur, dum Getam Severi filium consulem A. V. 958. & 961. eundem putat cum Septimio Geta Severi Augusti fratre consule anno 956. ac proinde tres Getæ Cæsari consulatus attribuit, qui binos tantum consulatus gessit.

Severus Augustus A. V. 964. Christi 211. die 4. Februarii Eboraci in Britannia decedens, Antonino ac Getæ filiis imperium, non vero concordiam reliquit. Nam Antoninus altero anno fratrem in ipso Juliæ matris sinu interfecit. Natalem Getæ optime exponis ad annum 202. At Natalem Cæsareæ dignitatis Getæ didici ex actis passionis SS. Perpetuæ & Felicitatis. Ibi Sancta martyr scribit: *Munere enim castrensi eramus pugnaturi; Natale tunc Getæ Cæsaris*. At ipsæ cum sociis passæ sunt die 7. Martii, ex omnibus vetustis Martyrologiis. Antonino Caracalla imperante, sex collegia Consulum annis nomen dederunt. Horum tria apud Panvinium, quatuor vero apud Leunclavium in indice Dionis libris 77. & 78. adposito, corrigenda sunt, aut supplenda. Anno V. 965. Christi 212. leguntur in fastis Consules Asper & Asper. Leges pleræque Antonini signantur: *Duobus Aspris Coss.* In vetustis etiam Inscriptionibus pag. 133. votum quoddam solutum recitatur *Idibus Junius DVOBVS ASPRIS COS.* Panvinius ait: *Horum alterum esse existimo, de quo mentio est in antiqua marmorea Inscriptione*; ex qua consul eidem describitur *M. Pompejus Asper*. De collega nihil addit. Eam Inscriptionem mutilam recitat, quæ integra legitur Gruteri pag. 557.

M. POMPEIO. M. F. ANI. ASPRO
7. LEG. XV. APOLLINAR. 7. COH. III. PR.
PRIMOP. LEG. IIII. CYREN. PRAEF. CASTR.
LEG. XX. VICTOR. &c.

Habes tertium militem a Panvinio sago exutum, ac consulari prætexta repente decoratum. Marcus Pompejus Asper dicitur ibidem *centurio Legionis XV.* dein *centurio Cohortis III. Prætoriæ*; postea *primopilus Legionis IIII. Cyrenaicæ*, ac tandem *præfectus castrorum Legionis XX. Victricis*. Hunc tamen militem cum Panvinio Leunclavius ac ceteri tecum, inscio Antonino Imperatore ac Senatu, consulem crearunt. Ceterum Leunclavius cum nactus fuisset ineditum codicem excerptorum a Theodosio quodam ex Dionis libris, ibidemque legisset *Julium Asprum*, hunc ipsum Pompejo Aspro collegam assignavit in indice, hæc ad marginem notans: *Sic adpellatur a Dione lib. 79. Fasti nomen hoc non habent.* Nullum tibi fucum, Vir amicissime, Leunclavius fecit. Non dicit: *sic adpellatur a Dione hic*, sive *in indice*, seu *libro 79.* Addit: *Fasti nomen hoc non habent.* At si illi fasti essent Dionis, dixisset: *aliorum fasti* &c. Itaque appellat fastos Panvinii quos exscribebat, & quos ceteri ad verbum recitant. Gratulandum tamen Leun-

 clavio,

clavio, qui post tot errores quibus fastos depravavit, Julium Asprum anni laudati consulem in memoratis Theodosii excerptis recte observavit. Sed ejus collegam altera Dionis excerpta apud eruditissimum Henricum Valesium ostendunt. Dio enim pag. 743. Valesiani voluminis scribit Antoninum Caracallam eximios honores in Julianum Asprum contulisse: ad postea *cum ad maximum*, inquit, *culmen extulisset ipsum ac filios tot simul fascium pompa*, eundem ignominiose tractatum, in patriam remisisse. Ex quibus Valesius colligit Aspros Consules anni 212. filios fuisse Juliani Aspri. Igitur ejus anni Consules fuerunt *Julii Aspri*, quorum praenomina ignorantur. Horum forte pater est *L. Julius Julianus*, qui Gruteri pag. 422. dicitur Consul, Legatus Augusti, Propraetor, ac Proconsul.

Anno V. 966. Christi Domini 213. nominantur Consules *Antoninus Aug. IV. & Balbinus. II.* Panvinius scribit Balbinum fortassis esse fratrem D. Balbini, qui postea imperavit; hinc consul hujus anni eidem dicitur *P. Caelius Balbinus II.* Leunclavius cautius praenomen Balbini omisit, ac perperam notam iterati consulatus. Errat Panvinius, siquidem Balbinus collega Imp. Antonini ipsius est *Decimus Caelius*, qui postea fuit Imperator. Pag. 44 apud Gruterum num. 2. legitur:

III. NON. NOVEMBRES
IMP. ANTONINO. AVG. N. IV. ET. D.
CEILIO. BALBINO. II. COS

D. Coelius Balbinus a Capitolino cap. 7. de vita ejusdem, dicitur ante acceptum imperium, *nobilissimus & iterum Consul*. Hoc autem anno altero consulatu perfunctus est. Anno V. 968. Æmilius Laetus sine nota geminati consulatus a Leunclavio scribitur, secus ac in veteri Inscriptione pag. 312. itemque apud Panvinium legitur.

Annus V. 969. Christi 216. consules habuit Sabinum II. & Anullinum. Panvinius ait in plumbea fistula se legisse:

Q. AQVILIO. SABINO. II.
SEX. AVR. ANVLLINO. COS

In tabulis tamen fastorum iidem Consules ipsimet Panvinio dicuntur *Q. Aquilius Sabinus II. & Sex. Cornelius Anullinus*, qui ad verbum itidem leguntur in indice Leunclavii. At cum in ea fistula legeretur *Sex. AVR.* nempe *Sexto Aurelio*, miror Panvinium mutata gente, seu familia, eundem *Cornelium* nominasse. At V. C. Sponius priore parte Itinerarii pag. 346. recitat Inscriptionem abs se in villa Tusculana Burghesia lectam, in qua laudatur Antoninus Caracalla, ac prope eandem legitur:

DEDIC. XVIII. KAL.
SEPTEM
C. ATIO. SABINO. II. ET. CORNELIO
ANVLLINO. COS

Rursus Gruteri pag. 260. 1. recitatur elogium dicatum Antonino Caracallae prope Legionem in Hispania.. *VII. Kal. Octob.*

CATTO. SABINO. II. ET. CO. ANVLLINO
COS

Error corrigendus ex Sponiana proxime recitata, ac pro CATTO, C. ATIO legendum est. Utrique autem Inscriptioni major fides habenda est; tum quia scalptae sunt Caracalla imperante; tum quia in illis fistulis obsignabantur etiam Consules suffecti, uti de alia ostendi in Consulibus M. Aurelii ad A. V. 923. Idem vero Panvinius Sabinum ante alterum annum Consulem Silii Messallae collegam, Q. Aquillium nominaverat, quod eundem putabat cum Sabino, qui hoc anno Consul II. dicitur. Quare cum hic C. Atius Sabinus fuerit, prioris etiam familia dubia evadit.

Anno V. 970. Christi 217. *Praesens & Extricatus Consules* asseruntur. Panvinius priorem sine praenomine Bruttiis adcensuit, alterum solo cognomine, ut in fastis, recitavit. Leunclavius omnia illi similiter posuit. Extat illud collegium integre scalptum pag. 300. Thesauri magni Inscriptionum.

IMP..:.. SEVERVS........
COOPTATVS
C. BRVTTIO. PRAESENTE. T. MESSIO
EXTRICATO. II. COS
P. R. C. ANN. DCCCCLXX.

nempe: *Imp. Opelius Severus Macrinus Augustus cooptatus* &c. Antoninus enim Elagabalus ejusdem nomen e fastis erasit, ut proxime exponam. Ex illa etiam Inscriptione colligimus fastorum seriem cum annis Urbis optime hactenus collatam.

Hoc anno die 6. Aprilis occiso Antonino Caracalla, Opelius Macrinus imperium occupavit. Anno primo imperii ejusdem V. C. 971. Christi 218. leguntur in fastis Consules *Antoninus & Adventus*. Prior a Panvinio dicitur *M. Opelius Antoninus Diadumenianus Caesar* Imperatoris Macrini Augusti filius. Tu vero, Vir alias oculatissime, scribis pag. 67. *Error hic evellendus. Nam Dio qui tunc vivebat, in indice Consulari habet: M. Opelius Macrinus Aug. & . . . . . Adventus.* Non fastorum, sed Panvinii error evellendus, sed una simul tuus quoque tibi error deponendus: illum enim Indicem non qui id temporis vivebat, Dio, sed qui post tredecim & quod excurrit, saecula vixit, Leunclavius concinnavit: imo a meo Panvinio concinnatum, exscripsit. Hic quae nova Dionis excerpta apud Theodosium invenit, a pag. 955. & seq. Graeco idiomate ex codice MS. recitavit, ubi cum nusquam index Graecus Consulum recitetur, facile poteras intelligere eum indicem aliunde a Leunclavio libris Dionis infartum, non vero e Theodosii chartis tum primum productum. Et sane Leunclavius in laudato codice, quem ineditum, ac in angulo latentem, Panvinius non viderat, recte observavit anno 218. epochae Christianae Macrinum Augustum collega Advento, ordinarium Consulem Kalendis Januariis processisse. Nam Dio in illis fragmentis Theodosii scribit reprehensum Macrinum, qui Adventum dudum speculatorem, tabellarium ac nuper procuratorem, *non modo Senatorem, sed etiam collegam in consulatu, & Praefectum Urbis creasset.* Itaque Macrinus Augustus, ac Adventus annum 218. Consules aperuerunt. Cum vero hoc ipso anno Antoninus Elagabalus, Macrino acie victo, ac paulo post interempto, imperium occupasset, quaedam, teste ibidem Dione, innovavit, inter quae, *Consulatus*, inquit, *Macrini loco, qui jam gestus erat, nomen suum substituit, quum nec consulatum a nobis accepisset, nec prorsus eum attigisset: quod initio tribus in literis annum indicavit per Adventi consulatum, quasi qui solus eum gessisset.* Itaque Auctor est Dio Macrinum Imperatorem & Adventum consules hunc annum aperuisse. Macrinum vero bimestri consulatu perfunctum, eodem se abdicasse illis verbis designat: *qui jam gestus erat.* Suffectos vero Consules

fules fuppreſſo nomine idem lib. 78. recenſet, ſcribens Pſeudantoninum Elagabalum perduellionis a Macrino datis ad Senatum literis incuſatum, quæ cum recitatæ eſſent, *dixere quidem*, inquit, *aliqua tum Conſules in Pſeudantoninum.* Hi erant ſuffecti in locum Macrini & Adventi. Addit Dio Elagabalum, occiſo Macrino, tribus literis, nomen prioris ejus anni conſulis Macrini hoſtis ſui execratum, collegæ tantum Adventi nomen adpoſuiſſe, ac, poſtea ſuummet nomen Macrini loco ante Adventum ſubſtituiſſe, nomine Macrini eo facto e faſtis eraſo, quando Macrini ac Adventi conſulatus priori parte ejus anni *jam geſtus erat*, quem *nec prorſus attigiſſet*, quippe qui menſe Junio, poſt abdicatum a Macrino conſulatum, acclamatus fuerat Imperator. Quiſnam vero fuit Antoninus, qui collega Advento hujus anni Conſul in omnibus faſtis legitur? Scribis pag. 67. *Qui quidem Antoninus alius non eſt a Macrino.* Non noſti hominem, Vir amiciſſime. Eſt Antoninus Elagabalus, qui eraſo e faſtis Macrini hoſtis nomine, *ſuum ſubſtituit*; & quidem ſtulte, quod ille conſulatus *jam geſtus erat, nec prorſus eum attigiſſet.* Hinc etiam in proxime recitata Inſcriptione vidiſti nomen Macrini eraſum, ſeu, ut recte de marmoreo elogio loquar, detritum. En tibi alterum teſtimonium. Extat *lib. 2. Cod. L. 8. de negotiis geſtis*, reſcriptum Antonini Elagabali, quod ſignatur: *Dat. VI. Kal. Auguſti Antonino & Advento Conſulibus.* Antoninus prior conſul non eſt Macrinus; nam Elagabalus, teſte Dione, recuſavit literas ab ſe datas, conſulis Macrini nomine obſignare; ac proinde nec ſuamet reſcripta odioſo hoſtis ſui nomine ſignavit. Eſt autem ipſemet Antoninus Elagabalus, qui *conſulatus Macrini loco, nomen ſuum ſubſtituit*, ut Dio nobis expoſuit. Hinc factum eſt, ut veteres faſtorum Scriptores hunc annum *Antonini & Adventi* conſulatu in faſtorum tabulis indicaverint. At tu pag. 226. Leunclavium ſequutus ad A. 218. ſcribis: *M. Opelius Macrinus Aug. & Adventus.* Jam vidiſti priorem Conſulem decreto, imo ipſa manu Imperatoris Antonini Elagabali e faſtis eraſum, nec tu potis es illum poſt quatuordecim ſæcula privata auctoritate reponere. Rideas, Amice, quas ad te ſcribo, nugas. Si petas, e qua gente emerſerit Adventus. In familia viliſſima natum, ac ſordidis muneribus ante perfunctum Dio teſtatur. Apud Reineſium pag. 226. dicat Inſcriptionem quamdam *C. Antiſtius Adventus Legatus Proprætor* &c. Viſne illum in gentem Antiſtiam referamus? Hæc plane cura Cenſores maneat, quorum munus erat plebejos in patricios adſciſcere, quod de Claudio ac Veſpaſiano Cenſoribus hiſtorici prodiderunt. Conſules, imperante Elagabalo, recte in faſtis nominantur. At anno primo imperii ejuſdem Licinius Sacerdos Conſul II. ſcribendus eſt, uti legitur Gruteri pag. 300. In Reineſiana tamen altera Inſcriptione ſine nota numerali elatum vidi. Anno V. 973. Chriſti 221. ſcribuntur Leunclavio Conſules *Gratus Sabinianus & Claudius Seleucus.* Alterum cognomen prioris Conſulis prodidit Julius Africanus, qui ſuum Chronicon clauſit *Conſulibus*, ut ipſe ait, *Grato Sabiniano & Seleuco.* In Digeſt. *L. 13. de his qua ut indignis.* legitur *Claudius Seleucus Papiniano ſuo ſalutem.* Papinianus paucos ante annos Caracallæ juſſu interfectus fuerat.

Anno V. 975. Æræ Chriſtianæ 222. Antoninus Elagabalus occiſus fuit die 6. Martii, qua Alexander Severus a Senatu imperium accepit. Septem collegia Conſulum lib. 80. ac ultimo Dionis a Leunclavio præfiguntur, & ea quidem adeo falſis ac mutilis characteribus deſcripta, ut etiamſi ceteros conſules ad hæc uſque tempora optime digeſſiſſet, hinc tamen ſatis manifeſte oſtenderetur, eum indicem neutiquam a Dione concinnatum, qui proximos ſuos in altero conſulatu deceſſores ne nomine quidem tenus notos habuiſſet. Anno V. 976. Chriſti 223. annum in faſtis ſignarunt *Maximus & Ælianus.* Panvinius Maximi, uti erat in faſtis, cognomine tantum ſcripto, *Papirium Ælianum* alterum nuncupat. Idem omnino ſcribit Leunclavius. Utrumque Conſulem exhibet tabula ænea in agro Canuſino nuper reperta, quam anno 1681. Venetiis vidi, eandem mihi indicante Illuſtriſſimo & Excellentiſſimo Domino Julio Juſtiniano D. Marci Procuratore, antiquiſſimæ familiæ nobilitate, eximia eruditione, veterum monumentorum peritia, & quod in magna fortuna rarum, prompta ac facili comitate, domi foriſque conſpicuus. In ea, inquam, grandiori tabula initio ſtatim legitur:

L. MARIO. MAXIMO. II.
L. ROSCIO. AELIANO. COS
M. ANTONIVS. PRISCVS. L. ANNIVS. II. VIR. QVINQVENN
NOMINA. DECVRIONVM. IN. AERE
INCIDENDA. CVRAVERVNT

Ibi recitatur poſtea catalogus Patronorum, Magiſtratuum, ac Decurionum Coloniæ, qui videri poteſt in exemplari Venetiis æreis formis edito, literis ad amuſſim prototypi delineatis. Hic habemus prænomina ac familias Conſulum, itemque alterum L. Marii Maximi conſulatum, quem poſt Proſperum, ac Caſſiodorum, Panvinius, & exſcriptor Leunclavius, ceterique omiſerunt. Unus Idacius recte in faſtis ſcribit: *Maximo II. & Æliano.* Extant in Codice Juſtinianeo plurima reſcripta Imperatoris Alexandri Severi *L. 3. de tranſact. L. 2. 3. de fide inſtrument. L. 6. de edendo, L. 8. de inoffic. teſtam. L. 4. ad S. C. Vellejan. L. 5. qui petant tutor. L. 6. 7. de admin. tutor. L. 1. ubi pupilli. L. 3. de ſervit. L. 10. de evict.* & alia paſſim, quæ ſignantur data, aut propoſita: *Maximo II. & Æliano Conſulibus.* Auctor eſt Dio lib. 78. Macrinum Auguſtum detuliſſe præfecturam Urbis Advento, qui cum ob literarum imperitiam, peſſime eo munere fungeretur, *factum eſt, ut non multo poſt ejus loco præfecturam Urbanam Mario Maximo tribueret*, qui anno Chriſti 218. nempe quinto ante ſecundum ſuum conſulatum, Præfectus Urbi fuit. Inferius etiam recitat quæ idem Macrinus poſt rebellionem Antonini Elagabali, ſcripſit *Maximo Præfecto Urbis.* Num hic idem fuerit Marius Maximus, qui plurium Imperatorum vitas in literas miſit, ac laudatur a Capitolino cap. 15. in Pertinace, a Lampridio in Commodo cap. 18. a Vulcatio in Avidio cap. 6. a Spartiano in Hadriano cap. 20. in medio relinquo. Equidem Voſſius lib. 2. de Hiſtoricis Latinis cap. 3. recte obſervat Marium Maximum vitam quoque Alexandri Severi deſcripſiſſe, teſte Lampridio cap. 48. in Alexandro; illum vero nuſquam memorari a Scriptoribus, qui ſucceſſorum Alexandri geſta enarrarunt, ut plane videatur eodem Alexandro imperante, floruiſſe. Panvinius Ælianum Marii Maximi collegam Papiriæ gentis deputavit, quod Ælianus Conſul A. V. 940. Commodo Imperatore, Papirius dicebatur. Verum extat Romæ Inſcriptio apud erud itiſſ. Fabretum, in qua laudatur Trajanus TRIB. POT. IIII. COS. III. DESIG. . . . . eaque dicitur dedicata IIII. K. IAN.

L. ROSCIO. AELIANO
TI. CLAVDIO. SACERDOTAE. COS

Habemus hic Consules suffectos postrema parte anni Christianæ epochæ 100. post bimestrem consulatum C. Plinii ac Tertulli Cornuti; illorum autem primus L. Roscius Ælianus dicebatur, uti & collega postea Marii Maximi, e consulari Rosciorum gente natus.

Anno V. 977. Christi 224. prænotantur fastis Consules *Julianus & Crispinus*, de quibus Panvinius scribit: *Claudii Juliani meminit Spartianus in Alexandro, Crispini vero consularis Herodianus lib.* 8. Quod vero alius Crispinus Consul sub Trajano A. V. 866. in veteri saxo C. Clodius inscribitur, hunc quoque Crispinum e Clodiis obtrudit. Leunclavius utrumque de more exscribens, in indiculo lib. 80. Dionis ait: *Claudius Julianus & Clodius Crispinus.* Errat Panvinius, vosque omnes qui eidem similiter eos Consules statuitis. Profecto Spartianus nihil de Claudio Juliano in Alexandro scripsit, cum Alexandri vitam Lampridius, non autem Spartianus descripserit. At Lampridius nusquam in Alexandro Claudii Juliani meminit. Unus Capitolinus hunc ipsum nominat in Maximo & Balbino cap. 17. ubi recitat epistolam, *quæ*, inquit, *scripta est a Consule sui temporis de Pupieno & Balbino*, cum inscriptione: *Pupieno & Balbino Augustis Claudius Julianus*, qui gratulatur delatum eisdem imperium, quod intellexerat ex S. C. *quod vir*, inquit, *Clarissimus Celsus Ælianus collega transmiserat.* Itaque Claudius Julianus una cum Celso Æliano post imperium Alexandri Severi, suffectum consulatum gessit; ac proinde perperam imperante Alexandro ordinarius Consul obtruditur. Alter quoque vulgarium fastorum error corrigendus est; siquidem in iisdem omittitur nota numeralis alterius consulatus, quem Julianus hoc anno gessit. Cum Inscriptionem, quæ in villa territorii Brixiensis Consesio pag. XVIII. tn. Gruteriani Thesauri extare dicebatur, erronee ibidem descriptam suspicarer, quod pariter idemmet Gruterus existimans, eandem in adpositis notis perperam ex ingenio emendavit, rogavi per literas Illustrissimum ac Excellentissimum D. Julium Justinianum Venetum Patricium superius mihi laudatum, ut illius epigrammatis ad archetypum efformati exemplum describendum curaret; noveram enim amplissimum Senatorem veterum numismatum, quorum scrinia possidet, ac inscriptorum antiquitus lapidum studiosissimum. Itaque misso illuc homine, non modo erroneam, verum etiam mutilam Inscriptionem memoratam deprehendit, cum omissi fuissent Consules in latere ejusdem lapidis scalpti. Extat epigramma in Ecclesia Consesii in base pilæ lapideæ, cui tectum innititur.

IOVI. O. M
CONSERVATORI. POS
SESSIONVM. ROSCIOR
VM. PACVLI AELIANI. N. COS
ET. BASSAE. FILIORVMQVE
EOR. EX. VOTO. L.
ROSCIVS. EVBVLVS. NVTRIT
ET. PROCVRAT. CVM. P. ROSCIO
FIRMO. LIB. PROC. EOR

In latere vero basis.

D. IIII. NON. MART
IVLIANO. II. ET. CRISP...
COS

At non modo ex hoc insigni monumento, verum etiam ex plurimis rescriptis Imperatoris Alexandri Severi constat Julianum COS. II. scribendum esse. Illa passim occurrunt in Codice Justiniani *L. 12. ex quibus caussis; L. 3. de judiciis; L. 6. de inoff. dotibus; L. 5. ad S. C. Vellejan. L. 1. de confir. tutore; L. 6. qui petant tutor. L. 1. quando mulier; L. 2. si tutor; L. 2. de usur. pupillar. L. 6. de excusat. tutor. L. 6. de furtis*, aliisque rescriptis, quæ ibidem subsignantur: *Juliano II. & Crispino Consulibus.* Neutrius familias compertas habeo. Crispinus enim sine teste in Clodios refertur, cum Vettius Crispinus Vettii Bolani viri consularis filius laudetur a Statio lib. 5. Sylvar. Æmilius Crispinus memoratur Gruteri pag. 1006. & T. Annius Crispinus pag. 108. 7. aliique in diversis familiis Crispini occurrunt; ut plane lubrica sit conjectura ex Clodio Crispino ante annos 111. Consule, Crispini anno 224. Consulis familiam effingere.

Anno Urbis 978. Christi 225. in fastis signantur Consules *Fuscus & Dexter.* Panvinius ex Inscriptione Tiburtina, quam recitat etiam Gruterus pag. 49. 3. ac novissime Sponius in Itinerario, dicata Herculi Saxano Kalendis Decembris, L. TVRPILIO. DEXTRO. M. MAECIO RVFO. COS. hosce pariter Consules hoc anno statuit. Hic quoque errat Panvinius, quem tamen Leunclavius de more sequutus, in indiculo lib. 80. ait: *Turpilius Dexter & Macius Rufus.* At fasti Prosperi, Cassiodori, lapides inscripti, leges ab Alexandro emissæ collegam Dextri *Fuscum*, non autem *Rufum* appellant. In sacrificio fratrum Arvalium, quod Gruteri pag. 121. *Genio D. N. Severi Alexandri* factum dicitur, legimus:

FVSCO. II. ET. DEXTRO. COS. XIIII. KAL. MAI. &c.

Item pag. 9. 2.

I. O. M. ET
GENIO. LOCI
M. AVRELIVS
VRSVLVS
B-F. COS. PRO
SE. ET. SVIS
V. S. L. M.
FVSCO. II. ET
DEXTRO. CoS

Ex utraque Inscriptione alter vulgarium fastorum error apparet, cum in eisdem Fuscus sine nota alterius hoc anno gesti consulatus, describitur. Optime in Codice recitantur plura rescripta Imperatoris Alexandri Severi *L. 2. qui dare tutor. L. 3. in quibus caussis. L. 6. de testam. milit. L. 4. de impub. substit. L. 7. de fideicom.* aliaque plura subsignato *Fusco II. & Dextro Coss.* Hæc olim in dissertat. de nummo Diocletiani & Maximiani prænotaveram. At nupperrime pag. 228. tuæ Dissertationis hypaticæ, respondisti allatis a me testimoniis probari collegam Dextri vocatum fuisse *M. Macium Fuscum Rufum, eo magis quo Dio in indice eosdem edat, quos Inscriptio Onuphriana.* Jam tibi, Amice mi dulcissime, quinquagies, imo fere sexagies opinionem de Dionis indice excussi, quem non celebris ille Historicus concinnavit, sed unus mei Panvinii amanuensis Leunclavius. Sed nec tuum responsum juvat ficta tibi alterius cognominis additio, quæ nusquam in laudatis Inscriptionibus, aut Alexandri rescriptis, aut denique vetustis fastis apparet. Præterea Fuscus COS. II. ac propterea priori loco ante Dextrum recitatur,

recitatur, ubi Mæcius Rufus ſine nota iterati conſulatus, ſecundo loco nominatur, ut plane conſtet eundem fuiſſe poſtrema anni incerti parte conſulem ſuffectum. Ad hæc, quoties conſul plura cognomina ferebat, poſtremo tantum in faſtis ſignabatur, ut denſatis exemplis Sirmondus in notis ad epiſtolas Ennodii ac Vuithelmius in libro de Diptychis præmonſtrarunt. Hinc ſi collega Dextri Mæcius Fuſcus Rufus, ut opinaris, dictus fuiſſet, *Rufi* cognomine in allatis monumentis ſignatus fuiſſet, cum tamen in omnibus *Fuſcus* tantummodo nuncupetur. Dixi Fuſcum utpote iterum Conſulem, priori loco nominatum; quod id ſub Cæſaribus in uſum venerat, cum ſtante Republica non ſemel qui iterum Conſul procedebat, poſterior fuerit collega tum primum Conſule, ut patet ex tabulis Capitolinis ad Annos V. 578. 595. 597. Imperante Antonino Caracalla Meſſius Extricatus Conſul II. poſteriori loco cum Bruttio Præſente ſemel Conſule legitur Gruteri pag. 300. ſed Extricatus conſulatum non ſuffectum, ſed honorarium forte geſſerat, qui Plautiano auctore in numerum cum ordinario venire ſolebat, quem morem Macrinus imperium ipſis Præſente & Extricato Coſſ. occupans, antiquavit, teſte Dione lib. 78.

Anno V. 980. Chriſti 227. *Albinus & Maximus* Conſules ſcribuntur in faſtis Idacii, Proſperi, ac Caſſiodori; apud Anonymum Cuſpiniani, *Albinianus & Maximus*; in faſtis Græcis quos legit Panvinius, *Balbinus & Maximus*; apud Anonymum Bucherii pag. 247. *Sabinus & Maximus*. Panvinio faſtos Græcos ſequuto iidem dicuntur *D. Cælius Balbinus II. & M. Clodius Pupienus Maximus*, qui poſtea collegæ Auguſti contra Maximinum a Senatu creati fuerunt. Hos ſtatim Conſules exſcribens Leunclavius, indici ad Dionis lib. 80. infarſit, voſque omnes Chronologi eoſdem ad unum apicem repetitis. Falleris, Amice, falleris, ſi Panvinio aut imaginario Dioni, quod perinde eſt, tam facile fidem commodas. Nam D. Cœlius Balbinus, qui poſtea imperavit, fuit Conſul II. cum Caracalla IV. uti ſuperius ex veteri elogio monſtravi. Idem ex Capitolino cap. 7. de vita ejuſdem fuit *iterum Conſul*, ac in nummo apud Occonem COS. II. inſcribitur. Ille autem hoc anno Conſul III. fuiſſet. Non *Balbinus*, ſed *Albinus* prior Conſul dicendus eſt. Extant Imp. Alexandri reſcripta *L. 1. de errore advocat. L. 10. de procurat. L. 2. de pactis: L. 11. de negot. geſtis: L. 2. de condict. ob cauſam dati: L. 5. de donat. inter virum & uxor.* aliaque paſſim, quæ dicuntur data, aut propoſita: *Albino & Maximo Coſſ.* Præterea Gruteri pag. VII. 3. recitatur votum ſolutum ab Aulo Catrali ALBINO. ET. M..XIMO. COS. In vetuſtis Inſcriptionibus Reineſii pag. 524. legitur epitaphium:

D. M
SEP. VICTORI. NEPOTI
SEP. IVSTVS. EQ. SIN. D. N
AVG. TVR. ANTIOCHI. AVVN
CVLVS NEPOTI. B. ME. AL
BINO. ET. MAXIMO. COS
XVII. KAL. SEPT. VIXIT. A. XXXIII

Albini collega Maximus ea facilitate qua dicitur Clodius Pupienus, ex alia familia fingi poſſit. Et ſane inter ordinarios Conſules ſub Alexandro Severo, quinque tenus cognomine *Maximi* in faſtis ſignantur, quorum, uno hoc excepto, ſine prænomine ac familiæ deſignatione in faſtis, uti erant, Panvinius reliquit ſcribens ad conſulatum Maximi II. & Urbani Anno V. 987. ac duodecimo imperii Alexandri: *Veritas in obſcuro eſt per hæc tempora, quibus & librorum & lapidum auxilio deſtitutus ſum.* Hinc ſola pariter Maximi & Urbani cognomina recitat. In vetuſtis Inſcriptionibus Reineſii pag. 407. laudatur *C. Cælius Urbanus Conſularis*, quem anni memorati 987. Conſulem arbitror. Gruteri etiam pag. 1101. 8. dicatur elogium:

L. VALERIO. L. F. CL. POPLICIO
BALBINO. MAXIMO. COS. ORD

Annus tamen quo hic Maximus ordinarium conſulatum geſſerit, mihi hactenus incompertus eſt. Quare Albino Conſule faſtis reſtituto, indeque D. Cœlio Balbino remoto, ipſius ac collegæ familiam aliis indagandam dimitto. Ipſe quidem M. Nummium Albinum vocabo, filium Nummii Albini Conſulis anno Chriſti 206. patrem vero M. Nummii Albini Conſulis anno Chriſti 246. & iterum anno 263. cum Reineſii p. 465. legatur: M. NVMMIO ALBINO CONSVLI ORDINARIO ITERVM, quo charactere ſecundi conſulatus ex libello etiam ſeu indice præfectorum Urbis tibi deinceps, ſecus ac in faſtis feciſti, ſcribendus erit.

Anno V. 981. Chriſti 228. prænotantur faſtis Conſules *Modeſtus & Probus*. Panvinius vero ſcribit: *Vettii Modeſti ſæpe meminit Plinius in epiſtolis lib. primo.* De poſteriori nihil recitat; quare eidem in tabulis ſcribuntur *Vettius Modeſtus &.... Probus*. Leunclavius adeo fideliter hoc par Conſulum exſcripſit, ut cum Panvinio vacuum ignotæ familiæ Probi ſpatium punctis notaverit. Riſi, fateor, novam hanc hominis in exſcribendo diligentiam, qui in indiculo lib. 69. Dionis *Auguris*, dein *Gallicani*, ac tandem *Hiberi* Conſulum nuda cognomina ſcripſerat, nec Panvinio ſimiliter incognitæ familiæ eorundem ſpatium punctis obſignaverat. Ceterum Modeſti familia longius petitur a Vettio, quem ante 130. annos & quod excurrit, a Domitiano relegatum Plinius teſtatur. Præterea ex melioribus codicibus in recentioribus editionibus lib. 1. epiſt. 5. *Metius* Modeſtus, non *Vettius* legitur. Plutarchus in Sympoſ. meminit Aufidii Modeſti. In vetuſtis Inſcriptionibus Gruteri pag. 403. laudatur C. Domitius Modeſtus; pag. 324. L. Antonius Modeſtus; pag. 26. 2. Q. Aſconius Modeſtus Proconſul; pag. 444. C. Octavius Modeſtus. Itaque cum id cognominis diverſarum gentium viri tulerint, ex eodem Modeſtus Conſul ſine fundamento, in Vettiam familiam trahitur. In inſigni Inſcriptione Romana pag. 300. plura collegia Conſulum recta ſerie recitantur. Porro ibidem inter Acilium Fauſtinum ac Triarium Rufinum Conſules anno Chriſti 210. & Virium Agricolam ac Catium Clementinum Conſules anno 230. hocce par Conſulum detritis ibidem cognominibus, legitur:

TI. MANILIO........
SER. CALPVRNIO.....

Cum vero Conſules ab anno memorato 210. ad A. 230. certis characteribus in faſtis partim deſcripti, partim a me hactenus collocati ſint, præter Conſules anni 224. ac præſentis 228. quorum omnium, nempe quatuor, familiæ ignorantur, recitatos proxime Conſules huic anno deputabo, ut fuiſſe dicantur *Tiberius Manilius Modeſtus ac Sergius Calpurnius Probus*. Dio lib. 78. meminit Manilii Senatoris a Macrino Auguſto relegati.

Habes, Vir doctiſſime, in indice conſulari libri

 80. Dio-

80. Dionis sex collegia Consulum, quorum quinque falsis characteribus exarata demonstravi, ut etiamsi ceteri anteriores consulatus optime digesti fuissent, ex iis tamen postremis palam intelligere posses eosdem aliena manu eidem postremo Dionis libro infartos. Nae Dio priores sui consulatus successores, & alterius decessores ignorasset, qui priorum sæculorum Consules tam exacte recensuerat? Ille vero index, uti etiam liber, tertio Imperatoris Alexandri, ac secundo ipsiusmet Dionis Historici consulatu terminantur, qui cum certissimus sit ejusdem Consulis testimonio, putabam nullam mihi de illo cum quopiam disputationem ineundam; cum repente ejusdem consulatus occasione, mihi litem intendis de loco, in quo tum Imperator, tum ejusdem collega Dio memorato consulatu defuncti sunt. Enimvero in Dissertat. de nummo aureo grandioris moduli Mediceo Diocletiani ac Maximiani cap. 6. scripseram Alexandrum ac Dionem in Italia eodem consulatu perfunctos. At tu part. 2. Dissert. Hypaticæ cap. 9. num. 2. contendis Imperatorem Alexandrum anno vulgaris epochæ 228. in Asiam transmisisse, ac Kal. Januariis Antiochiæ Consulem III. processisse; cujus quidem sententiæ ipsum Alexandri collegam Dionem auctorem producis. Verum facile ostendam te Dionis verba a me laudata partim dissimulare, partim (da veniam dicto) falsa commentatione pervertere. Etenim Dio scribit se e Pannonica legatione Romam reversum, a militibus prætorianis criminibus impetitum. Tum subdit: *At Alexander horum rationem habuit nullam, sed contra me magis honestavit, secumque una iterum Consulem designavit, sumptus, quos ea dignitas postulat, se facturum recepit. Quod cum moleste ferrent prætoriani, timuit, ne me, ut vidissent cum insignibus magistratus* (ita vox ἀρχῆς hic Latine reddenda est) *interficerent. Itaque mihi jussit Alexander, ut alicubi extra Urbem in Italia commorarer tempore hujus consulatus mei. Quod cum fecissem, Romam veni: dein profectus sum ad ipsum in Campaniam, versatusque cum eo per aliquot dies, visusque a militibus, cum magna securitate domum redii.* Hactenus Dio. Quæ quidem verba tam clare ac manifeste mihi suffragantur, ut non possim non mirari eadem abs te in alienum sensum hac commentatione detorta, cum scribis: *Addit*, quod cum fecissem, Romam veni, *ubi de eo tempore intelligendus est, quo Consul tantum designatus erat, non vero quo consulatum gerebat, ut perperam arbitratur Norisius: neque enim id tutum, neque decorum fuisset.* Fallis, Amice, imo etiam falleris. Ipse enim nec scripsi, nec somniavi quæ mihi imponis. Dionis tantum verba recitavi, quæ cum, uti reapse sunt, clarissima viderentur, nullam insuper interpretationem adjunxi. Ego sane non putavi Dionem Romam rediisse, cum adhuc esset Consul designatus, aut cum ipso bimestri consulatu fungeretur, sed postquam magistratu abdicato, privatum Senatorem induerat. Tu vero arbitraris Alexandrum jussisse Dioni, ut tempore etiam *quo Consul tantum designatus erat*, alicubi extra Urbem in Italia moraretur; quæ opinio non una ratione falsa ac Dionis verbis contraria convincitur. Nam id jusserat Alexander, *quia timuit*, inquit Dio, *ne me, ut vidissent cum insignibus magistratus, interficerent.* At Consules designati, o bone, nulla gerebant magistratus insignia, non trabeam seu prætextam consularem induebant, non sellam curulem insidebant, non cum fascium aut lictorum pompa in publicum procedebant, sed togati uti ceteri quoque privati Senatores, inambulabant. Hinc Alexander Dioni, quo tempore erat Consul tantum designatus, nihil timere poterat ab invidia militum, qui tunc illum videre non poterant cum insignibus magistratus; sed tantum eidem timuit, cum inito magistratu, toga prætexta ornatus, fascium ac lictorum pompa conspicuus, foret processurus. Quare eidem jussit, ut tempore initi magistratus alicubi extra Urbem in Italia degeret, quousque consulatu abiret. Addit Dio: *Quod cum fecissem, Romam veni.* Itaque abdicato consulatu, Romam rediit, ac dein in Campaniam ad Imperatorem profectus est, ac proinde mense Martio anno Christi 229. Alexander Severus adhuc erat in Italia. Præterea Dionem Imperatori refragatum comminisceris. Peto enim abs te, num Alexander jusserit Dioni, ut extra Urbem degeret tempore consulatus initi, an designati? Si primum dicas, jungamus dexteras; sin alterum affirmes, te rursus interrogatum volo, num Dio redierit Romam adhuc Consul designatus, vel consulatu jam abdicato? Respondes eundem Romam rediisse eo tempore, *quo Consul tantum designatus erat*; at secus illi Imperator, te interprete, jusserat, nempe ut tempore sui consulatus designati extra Urbem moraretur. Profecto Dio, qui melius quam tu aut ego, sua gesta novit, testatur semet Principi paruisse: *Quod cum fecissem*, inquit, *Romam veni.* Rursus illa verba: *Jussit Alexander, ut alicubi extra Urbem commorarer in Italia tempore hujus consulatus mei*, commentaris, scribens: *Quibus verbis patet eum jam Consulem hæc scripsisse, postquam domum redierat.* At falso, Amice, eas voces *hujus consulatus mei* ita exponis, ac si Dio ipso consulatu fungens in patria, illa scripserit. Hæc sunt ipsamet Dionis verba: καὶ ἐκέλευσεν ἔξω τῆς Ῥώμης ἐν τῇ Ἰταλίᾳ που διατρῖψαι τὸν τῆς ὑπατείας χρόνον, id est, *ac jussit, ut extra Romam alicubi in Italia tempus Consulatus transigerem.* Reddidi verba ad verbum, in quibus pronomen demonstrativum *hujus*, in quo totam tuam opinionem fundas, non legitur. quod tamen nec falso ab interprete additum est: eo enim designatur consulatus non quem gerebat, sed de quo tunc sermonem faciebat. Viden' ut ipse Dio suis verbis testetur jussisse sibi Alexandrum, ut extra Romam alicubi IN ITALIA degeret, quousque consulatu abiret? Tu vero fingis eundem Consulem designatum anno 228. primo vere non tantum ex Urbe & Italia, verum etiam ex Europa profectum, in Asiam perrexisse, ac ineunte anno 229. Nicææ in Bithynia consulatum iniisse. Quare totum tempus consulatus tum designati, tum initi extra Italiam transegisset, secus ac eidem ab Imperatore injunctum fuerat, ac reapse factum est a Dione, qui ait *Quod cum fecissem*, nempe cum tempus consulatus extra urbem in Italia transegissem, *Romam veni, dein profectus sum ad ipsum in Campaniam.* Scribis pag. 177. *Mora itaque Alexandri in Campania pertinet ad initium anni Christi 228. non autem ad sequentem, ut interpretatur idem Norisius.* Cum vero constet Dionem initio anno 228. designatum fuisse Consulem in annum sequentem, si initio anni 228. in Campaniam ad Alexandrum profectus est, nae tempus designati, ut contendis, consulatus, antequam in Urbem rediret, transegisset, qui aliquot tantum diebus extra Urbem fuisset? Producis ex Occone nummum Alexandri in antica parte inscriptum: P. M. TR. P. VIII. COS. II. P. P. S. C. *in cujus*, inquis, *aversa parte visitur Imperator Eques cum hasta aut pilo praeeunte Victoria, circum vero scriptum:* PROFECTIO AVG. S.C. ex quo infers Alexandrum anno 228. quo erat TR. P. VIII. ac inscribebatur COS. II. in Asiam profectum, ac proinde Dionem anno 229. non perrexisse ad eundem in Campaniam. Falleris. Sunt duorum ac diversorum, non unius Nummi Inscriptiones. Vixi tres menses in Mediceæ Gazæ Numismatis, in quibus tu plane hospes appares, dum

Impera-

Imperatoris Alexandri nummum sine ejusdem Principis nomine scalptum obtrudis; cum tamen in omnibus legatur ALEXANDR AVG. in parte antica, in qua (de nummis Alexandri Augusti loquor) nunquam hi tituli apparent P. M. TR. P. COS. qui in postica semper scalpti sunt. En tibi ex eodem Mediceo Thesauro quas falso recitasti, veras Numismatum Inscriptiones: IMP. SEV. ALEXAND. AVG. in aliis integre legitur ALEXANDER. Hæc anticæ partis Inscriptio; in aversa vero legitur: PROFECTIO AVG. S. C. Nusquam in nummis Alexandri, in quibus *Profectio* inscripta est, apparent anni Tribunitiæ Potestatis. Hunc sæpe lapidem ostendis. Nam pag. 225. A. 210. Antonini Caracalli: pag. 228. A. 230. Alexandri: pag. 230. A 243 Gordiani; pag. 231. Philippi binos ubique nummos in unum confundis. Narras Alexandri anno 228. in Orientem transmissionem addisque: *Æstate contra Persas pugnavit, confectoque bello, Antiochiam copias montium atque hiemis asperitate attritas, reduxit.* At Dio lib. 80. promiserat se in summa scripturum, *quæ*, inquit, *usque ad secundum consulatum meum gesta sunt.* Quare cum gesserit consulatum ineunte anno 229. ac nec verbum quidem scripserit de expeditione aut præliis Alexandri adversus Persas, hæc neutiquam anno 228. contigere. Respondes hæc Dioni omissa vel quia prælia eo anno parum prospera Romanis fuere, vel quia eadem Dio ignoravit, qui ante Imperatoris *in Orientem profectionem, jam domum redierat.* Hæc scribis pag. 178. At illud primum optimi Historici fidei notam importat; cum præsertim Dio tot illatas Romanis clades memoraverit; alterum virum diligentissimum inscitiæ incusat, qui belli in Armenia gesti successus ignoraverit, & quidem in Bithynia degens, non in remotiori Græcia aut Italia, aut aliqua ultra Alpes provincia. Si vero Dio anno 228. ante Alexandri in Orientem profectionem *jam domum redierat*, tempus designati consulatus (ego initi dico) extra Italiam in Asia transegisset, secus ac illi Imperator jusserat, ac se idemmet Dio fecisse testatur.

Hactenus Fastorum correctionem ab anno Christianæ Epochæ 29. ad annum usque 229. executus sum: hoc enim anno Imperatore Alexandro III. & Dione II. Coss. index consularis Dionis libris prænotatus, una cum postremo ejusdem Scriptoris volumine terminatur. Hæc autem ad te scribere ausus sum, non ut falsam, qua tenebaris, de Dione ejusdem indicis auctore opinionem exueres, (id enim sub uno tantum Alexandro Severo consulatuum correctione confici poterat) sed, uti dudum præfabar, notas quas in magnos Ecclesiæ Annales adornas, expunctis tot fictitiis Consulibus, aliisque plurimis qui falsis characteribus descripti, hactenus Fastos deturparunt, restitutis legitimis eorundem nominibus, emendatiores in publicam lucem emitteres. Equidem certos tantum Consules reposui, locum in fastis iis relinquens, qui quamvis dubiæ, & incertæ familiæ mihi viderentur, nullos interim certiores ipsorum loco poteram substituere. Hæc posterior cura posteros maneat, aut certe illos, quibus vetustæ Inscriptiones, quæ mihi latent, hac ætate compertæ sunt, in quibus alia Consulum collegia integre perleguntur. Emendationem vero fastorum ultra indicem consularem Dionis libris infartum, non promovi, quod illius tantum occasione, huic opellæ manum admovi. Nolo tamen putes sequentia Consulum collegia melius in vulgaribus fastorum laterculis descripta esse; siquidem qui statim sequuntur Consules A. V. 983. Christi 230. *Agricola & Clementinus* vel depravate, vel mutilatim ex Panvinio a vobis dicuntur *Calpurnius Agricola & Clementinus*, qui tamen leguntur exacte ac vere descripti Gruteri pag. 300.

L. VIRIO. AGRICOLA. SEX. CATIO. CLEMENTINO....

Viria gens fuit Consularis, ac mox alterum Consulem, de quo eximie lætaberis, ex eadem hactenus ignotum recitabo. Catii etiam non semel in historiis occurrunt. Livius lib. 27. scribit Q. Catium Ædilem ludos Cereales celebrasse. Catius Fronto Orator memoratur Plinio lib. 2. epist. 11. & lib. 6. epist. 13. quem Panvinius ad A. V. 853. cum Cornelio Frontone Oratore confundit. Qui vero dein Consulatus restituendi sint, privatis literis indicabo. Nam collegia Consulum imperante Gallieno a viris eruditissimis Baronio ac Petavio aut expuncta, aut variata, in libro de duobus nummis stabilivi, uti etiam priorem ordinarium consulatum Probi & Maximiani Augustorum exposui, quod in utroque Panvinius defecerat. Hinc ob quatuor aut quinque Consulatus illustratos, visus sum tibi pag. 244. Dissertat. Hypaticæ *in doctrina Fastorum eruditissimus*, quem eximii honoris titulum tuæ ergabenevolentiæ deputo, cum subinde in doctrina Fastorum ipsemet meam inscitiam incusem, quam veterum monumentorum præsidio destitutus, nulla plane ratione possim excutere. Spero tamen fore, ut majorem apud te virum Fastorum doctrinæ scientissimum, gratiam ineam, cum non quinque tantum uti dudum, Consulatus, sed septuaginta Consulum collegia hactenus in fastis depravata ac mutila emendaverim ac suppleverim, eaque intra annos tantum ducentos, a duobus Geminis Consulibus usque ad tertium Alexandri Severi consulatum, qui postremus postremo historiæ Dionis a Leunclavio editæ & auctæ libro prænotatur. Unum tamen & alterum par Consulum extra Panvinianos ab eodem Leunclavio exscriptos fastos, tibi indicabo; nec dubito quin prius collegium lætissimo animo excepturus sis, imo in eodem plane triumphaturus. Etenim justæ magnitudinis, at maximæ eruditionis volumen singulari studio, accuratissima diligentia, multa variaque lectione nuper procudisti, ut suffectum Imperatoris Aureliani consulatum contra ea quæ scripseram, demonstrares, ac ejusdem insuper ordinarium consulatum anno primo imperii laudati Augusti, Christianæ vero epochæ 271. contra Panvinium assereres. Ipse quidem, quod veri patientissimus sum auditor, ac uni Veritati summa religione lito, non modo tibi herbam victori porrigo, verum etiam victoriæ abs te feliciter partæ monumentum nullo unquam ævo interituris characteribus inscriptum, tibi do, dedicoque. Est epitaphium. Apage, inquies, hinc a me epitaphium; epinicia mihi quem victorem fateris, inscribito; victæ vero, ac interemptæ erroneæ tuæ opinioni, quam egomet erudito stylo confeci, epitaphium dicato, si lubet rei tibi pudendæ memoriam ad posteros transmittere. Quæso te, ne me interpelles; neque enim aut tuæ sententiæ, aut errori meo epitaphium pono. Est, inquam, epitaphium A. Christianæ epochæ 271. Urbis conditæ 1024. ab Amitia familia Diis Manibus Amitiorum sacratum via Ostiensi, quod legitur in opere postumo Inscriptionum Thomæ Reinesii pag. 384. Eccum ipsum;

DIS. AMIT. FAM. MANIBVS

SACRVM

XIII. KAL. IANVAR

IMP. CAES. VALERIO. AVRELIANO. AVG. II. ET

M. CEIONIO. VIRIO. BASSO. COS

L. AMITIVS. L. F. QVIR. TARQVISIVS. MODES

TVS

TVS. VQ. R. TARQVISIA. SABINA. AMITIA. VX
C. AMITIVS. Q. F. QVIR. CAPITOLINVS. FLA
MEN. MARTIALIS. ET. AEMILIA. FLAMINIA. VX
Q. AMITIVS. C. F. PRISCILLIANVS. VI. VIR
AVGVSTALIS. ET. MAMILIA. VENVTA. VX
PERMISSV. L. AMITI. FELICI. PATRI. F. F. CVR
INFR. P. XX. IN AGRO. P. XXX

Hæc ſepulcralis Inſcriptio graviorem controverſiam, cui explicandæ longiorem ac difficiliorem operam inſumpſiſti, uno tantum verſu profligat, eique, ut cum Tacito, quæ tuam victoriam decent, grandiora verba loquar, magnum diem imponit, cauſa tibi ex integro adjudicata. Hinc apparet Imperatorem Aurelianum anno 271. iterum Conſulem proceſſiſſe, ac proinde priorem conſulatum ſuffectum Valeriano & Gallieno imperantibus geſſiſſe. Rurſus ejuſdem collegæ Baſſi, hactenus a Panvinio aliiſque Pomponiæ genti deputati, vera familia innoteſcit. In lapidis quidem inſcriptione *N. Cejonius Virius* legitur, quaſi prænomine *Numerius* diceretur; verum quod Reineſius in explicatione epitaphii *Marcum* appellat, hoc ipſum prænomen poſui in Inſcriptione. Baſſus e Cejonia ac Viria gente ortus erat, quæ utraque conſularis. Nam anno 230. L. Virius Agricola conſul fuit. Cejonius Commodus Imperatore Veſpaſiano conſulatum geſſit, ex qua poſtea gente L. Ælius Cæſar, L. Verus Imperator, ac poſtea Albinus Auguſtus prodiere. Vopiſcus in Aureliano cap. 31. recitat fragmentum epiſtolæ cum titulo: *Aurelianus Auguſtus Cejonio Baſſo*, quem ſupra ceteros Aureliano cariſſimum indicat, quod prioris conſulatus, quem Imperator geſſit, collegam eundem voluerit. In aliis Inſcriptionibus Gruteri pag. 276. ac Forojulienſi abs te laudata initio Diſſertationis, Imp. L. *Domitius* Aurelianus appellatur; in hac tantum ſepulcrali *Valerius* Aurelianus nuncupatur. In nummis quibuſdam inſcribitur: *Imp. CL. Dom. Aurelianus Aug.* nempe *Claudius Domitius.* Sed Valeriam familiam eidem gentilem fuiſſe patet ex datis ad eundem ante imperium a Claudio Auguſto literis, in quarum titulo apud Vopiſcum cap. 17. legitur: *Flavius Claudius Valerio Aureliano ſuo ſalutem.* Idem, utpote obſcuriore familia ortus, Claudiis ac Domitiis ſemet poſtea inſeruit, quæ tamen patriciarum gentium nomina in memorato epitaphio non memoran- collegium conſulare extra epitaphio non memorantur. Hoc collegium conſulare extra Leunclavii indicem recitavi, quod in eodem totius tuæ cauſæ non quidem cardo, ſed victoria verſatur. Alterum par Conſulum pertinet ad annum noſtræ epochæ 517. quem ſignas conſulatu *Anaſtaſii Aug. IV. Agapiti.* Scribis vero par. 2. cap. 5. num. 3. & in Rationario faſtorum ad eundem annum, Anaſtaſium præter tuos canones hunc quartum conſulatum accepiſſe. Sed hac ſolicitudine te putabam liberandum a Scaligero, qui apud Gruterum laudat hoc epitaphium quod extare dicit Aquis-ſextiis in Baſilica Salvatoris. Recitatur pag. 1049. 2.

HIC. IN. PACE. QVIESCET
ADIVTOR. QVI. POST
ACCEPTAM. PAENITEN
TIAM. MIGRAVIT. AD. DNM
AN. LXV. MENS. VII. DIES. XV.
DEPOSITVM. SD. VIIII. KAL
IANVAR. ANASTASIO. V. C
CONSVLE

Hic Anaſtaſius eſt privatus quipiam Senator, cum inſcribatur V. C. non vero D. N. nec videtur geſſiſſe conſulatum niſi A. 517. Et ſane Marcellinus, Marius Aventicenſis, & Anonymus apud Panvinium eo anno Anaſtaſium ſine ullo titulo imperii, aut numerali nota conſulatus recitant. Anonymus qui id temporis vivebat, ac Conſules recitat ad obitum uſque Theodorici Regis Italiæ, cum ſcripſiſſet ad A. 507. *D. N. Anaſtaſio Conſ. ſolo*, anno abhinc decimo ait: *Anaſtaſio & Agapito.* Verum ſi illud epitaphium adhuc Aquis-ſextiis ſervatur, qui fieri poſſit, ut tuam diligentiam, imo oculos fugerit, quippe qui eadem in urbe ſcribebas? Laudas in cap. 8. partis ſecundæ tuæ Diſſertationis diptychum Leodienſe ac alterum Bituricenſe ab Alexandro Vuithelmio publicata, quæ tamen eruditiſſimo Domino Carolo Dufreſnio in doctiſſimo opere de Numiſmatis inferioris ævi accepta refers. Ceterum ſi ipſius Vuithelmii libri copiam habere potuiſſes, numquam de quarto illo Anaſtaſii Imperatoris conſulatu cogitaſſes. Nam totus ille liber verſatur in explicando conſulatu Flavii Anaſtaſii qui cum Agapito anno 517. conſulatu ordinario perfunctus fuit. In utroque diptycho ejuſdem conſulis Anaſtaſii effigies conſulari habitu ornata conſpicitur cum Inſcriptione: FL. ANASTASIVS. PAVLVS. PROBVS. SABINIAN. POMPEIVS. ANASTASIVS. VIR. INL. COM. DOMESTIC. EQVIT. ET. CONS. ORDIN. Idem vero Vuithelmius denſatis exemplis oſtendit conſules, quoties plura nomina aut cognomina ferebant, poſtremo tantum cognomine in faſtis obſignatos. Itaque fictitius eſt quartus Anaſtaſii Auguſti conſulatus, cum *Fl. Anaſtaſius vir Illuſtris, ac Comes Domeſticorum Equitum, Conſul ordinarius*, Agapito collega, ineunte anno 517. proceſſerit. Interim pro inſigni tua eruditione indagare poteris, cur in veſtra Gallia Orientalis Conſulis nomen in memorato epitaphio inſcriptum fuerit, & ejuſdem diptycha in Galliam miſſa; mihi enim ſatis eſt, utriuſque diptychi beneficio curam ac ſolicitudinem tibimet ademiſſe, qui moleſte ferebas ab Imperatore Anaſtaſio quartum illum conſulatum præter ſtatutos abs te canones ſuſceptum.

Faſtorum correctione abſoluta, obligatæ fidei memor, alterum quod ſpoponderam, exequor, ea paucis tibi indicans, quæ a quibuſdam poſitis a te Conſulatuum Cæſareorum Regulis opponuntur. Hi quidem adhuc vulgari opinione tenentur, exiſtimantes Auguſtos modo plures, modo pauciores conſulatus pro arbitrio ſuſcepiſſe, teque longiorem operam inani labore luſiſſe putant, dum eorundem conſulatuum cauſas ac rationes inveſtigaſti. Vir ſane doctiſſimus ac tui nominis cultor, datis ad me literis teſtatus eſt, ingenii tui ſemet acumen mirari, dum tot Regulas concinnaſti, quoniam tamen nullas ipſe putabat, quod tot exceptiones ſubeant, ut ſæpius ab Imperatoribus contemptæ, quam obſervatæ videantur. Enimvero Veſpaſianus decem annis imperii octies Conſul proceſſit, Tito filio ſepties collega; Domitianus vero quindecennali imperio, decies conſul in faſtis legitur; cum tamen Hadrianus, Antoninus Pius, ac M. Aurelius, quorum Principatus ultra ſexageſimum annum proceſſit, decem tantum annos ſuo conſulatu aperuerint, Hadrianus quidem ter, ac totidem M. Aurelius, quater vero Antoninus Pius. Horum moderationem commendant, qui tam raros conſulatus admiſerint; illorum vero ambitionem ſugillant, qui & biſſenos faſces atque annos tam ſæpe occupaverint. Domitiani certe conſulatus ſub leges ac Regulas abs te coactos, præter deceſſorum ac ſucceſſorum exempla fuiſſe contendunt, idque prolixa diſputatione demon-

demonstrare conati sunt, cujus ad te summam transmitto. Et quidem initio laudant vetustos Scriptores, qui toties iteratos Domitiano consulatus irriserunt. Plinius qui eodem Imperatore, Prætor fuit, in panegyri ad Trajanum ait: *Nec te ad exemplar ejus*, videlicet Domitiani, *voco*, *qui continuis consulatibus fecerat longum quemdam & sine discrimine annum*. Dio lib. 67. tot consulatus eidem Imperatori *stulte & insolenter* multiplicatos testatur, qui proinde nulla sub regula, nullove sub exemplo poni possunt. Denique Ausonius Consul in panegyrico ait: *Scis enim*, *Imperator doctissime*, (*rursus enim utar laude privata*) *scis*, *inquam*, *septem ac decem Domitiani consulatus*, *quos ille invidia alios provehendi continuando conseruit*, *ita in ejus aviditate derisos*, *ut hoc cum pagina Fastorum suorum*, *suo fastidiorum fecerit insolentem*, *nec potuerit præstare felicem*. Audin', inquiunt, uti testatur irrisos eos consulatus, quos invidiæ etiam incusat? Aut illi pessime de Domitiani consulatibus judicarunt, aut fictitiæ sunt nuperæ Regulæ, juxta quas eorundem consulatuum causa assignatur. De octavo illius consulatu, quem anno primo imperii suscepit, priorem tuam Regulam admittunt, quod Plinius laudat Trajani moderationem, qui delatum sibi anno primo principatus post Nervæ mortem, consulatum recusavit, *quem novi*, inquit, *Imperatores destinatum aliis*, *in se transferebant*. De ceteris vero vanas ac commentitias reliquas tuas Regulas pronuntiant, quas variis hinc inde petitis exemplis oppugnant.

Anno vulgaris epochæ 83. altero vero imperii Domitiani, idem Consul IX. annum in fastis signavit. Scribis hoc de consulatu pag. 105. *Domitiani Consulatus juxta II. Regulam: Quindecennalia nempe Cæsares ejus imperii*. Regula II. abs te statuitur §. 2. cap. 2. a pag. 83. deducta a Votis Quinquennalibus ac Decennalibus Imperatorum: *Cum ea solemnia*, inquis, *a Cæsaribus vel Imperatoribus consulari trabea indutis*, *quod nemini hactenus observatum*, *peragi solerent*, *indeque secunda consulatuum Cæsareorum Regula deducatur &c.* Hinc pag. 200. ais: *C. Cæsar Caligula IV*. *Hic consulatus Caligulæ Quinquennalibus destinatus erat juxta secundam Regulam*, *sed die 24. Januarii occisus*, *ea celebrare non potuit*. Rursus pag. 202. Anno 58. *Nero Cæsar Aug. III. Neronis consulatus propter ejus Quinquennalia juxta secundam Regulam*. Hanc tamen tuam Regulam non modo dubiam, verum etiam falsam esse contendunt. Nam Imperatores, inquiunt, ante plures menses quam Quinquennalium aut Decennalium solemnis dies adveniret, consularem prætextam una cum consulatu deposuerant. Domitianus teste Tacito lib. 3. Hist. exeunte Decembri Cæsar salutatus fuit; idem vero demortuo Idibus Septembris Tito, imperium Augusteum obtinuerat. At observant Suetonium in Domitiano cap. 13. de ejusdem consulatibus scribere: *Omnes autem pene titulo tenus gessit*, *nec quemquam ultra Kalendas Maji*, *plures ad Idus usque Januarias*. Igitur, inquiunt, ante Decembrem, quo mense celebranda erant vota Quinquennalia, & ante Septembrem, quo fiebant vota pro imperio Augusteo; erat sine trabea consulari, quam die votorum suffecti tantum Consules induebant. Caligula ex eodem Suetonio cap. 17. gessit consulatum *quartum usque in VII. Idus Januarias*, qua die abdicato consulatu, alium sibi suffecit, adeo ille parum de votis Quinquennalibus in trabea consulari celebrandis, cogitabat. Nero etiam teste eodem Suetonio cap. 14. consulatum *tertium quadrimestrem* gessit, videlicet usque ad Kalendas Majas; vota vero mense Octobri, quo imperium mortuo Claudio occupavit, agenda erant. Hoc de ceteris Imperatoribus opponunt, qui post datam ante aliquot menses suffectis consulibus trabeam, memorata vota nuncupabant. Hæc illi. quibus respondi neutiquam te sentire Augustos die ipsa solemni Decennalium consularem prætextam gestasse, sed annum tantum quo agenda erant Vota, suo ipsorum consulatu in fastis obsignasse, quo illustrior ejusdem memoria ad posteros perennaret. At reclamant te diserte scribere Imperatores *consulari trabea indutos*, *ea solemnia peragere solitos*: se vero demonstrasse oppositum, nempe eosdem consulari trabea exutos Decennalia edidisse. Interim solidiorem responsionem petunt; ipse enim quæ probabiliora reponam, plane non habeo; nosco enim in hac palæstra memet minus versatum, ac rudem.

Rursus anno insequenti 84. Domitianus Consul X. in fastis legitur, cujus consulatus assumendi rationem profers, quod eo anno templum Jovi Custodi dedicavit. Sexta autem Regula ineundi Consulatus cap. 10. pag. 18. tibi dicitur Templi, Theatri, Colossi, Thermarum, &c. dedicatio. Neque hæc eisdem Regula probatur. Nam Tacitus lib. 4. Ann. scribit Tiberium in Campaniam digressum *specie dicandi templi apud Capuam Jovi*, *apud Nolam Augusto*. Id contigit Lentulo Getulico & Calvisio Sabino Consulibus. De Cajo Caligula scribit Dio lib. 59. *Deinde Cajus habitu triumphali templum Augusti dedicavit*. Id temporis Cajus gerebat suffectum consulatum; at in dedicando templo, non toga prætexta, quæ adhuc erit vestis propria consulum, sed habitum triumphalem induit. Ad hæc Trajanus medio inter quintum ac sextum consulatum septennio, Portum Centumcellis, Romæ vero Thermas, Forum, Ulpiam Bibliothecam, aliaque Dioni lib. 68. descripta, dedicavit, cum privati consules septem illos annos in fastis signaverint. Hadrianus anno imperii secundo tertium consulatum eumque postremum ad Kalendas usque Majas gessit ex Spartiano cap. 8. de vita ejusdem; idem tamen postea templum Trajano dicavit, Colossum Soli sacravit, fecit sui nominis pontem, ac vastæ molis sepulcrum apud Tiberim; Pantheum, Septa Julia, basilicam Neptuni, forum Augusti instauravit. Equidem nihil conferre putant trabeam consularem in dedicatione Templorum. Hæc peragebatur a collegio Pontificum, vel ab aliquo ex illorum collegio, qui postem manu tenens, verba quædam effabatur, uti fusius tradit Cicero in oratione pro domo sua. Illi vero prætexta, quæ non a solis Consulibus, sed etiam a Pontificibus gestabatur, capite obvelato, eam ceremoniam exequebantur. Si Imperatores templa per semet consecrabant, id jure Pontificatus Maximi præstare poterant; ac tunc togam prætextam induebant, tanquam Pontifices, non uti Consules, etiamsi reapse consulatu fungerentur eo anno, quo dedicatio peragebatur. Laudant Lampridium cap. 40. de Alexandro Severo scribentem: *Prætextam & pictam togam nunquam nisi Consul accepit*. & statim: *Accepit prætextam etiam cum sacra faceret*, *sed loco Pontificis Maximi*, *non Imperatoris*. Qui igitur consulatum accepissent, ut in trabea consulari templa dicarent, cum ea dedicatio in Pontificali prætexta perageretur, sicuti cetera sacra Populi Romani? His quoque reposui te id tantum intendere, nempe Imperatores eo anno quo ædificii insignioris dedicatio instituta erat, consulatum accepisse, non ut trabeati ipsam dedicationem celebrarent, quum sæpius illa fieret abdicato ab eisdem consulatu, sed ut annum dedicationis Augusteo nomine in fastis nobiliorem efficerent. Ita cogor eandem iterum cantilenam cantare.

Anno 85. Domitianus Aug. XI. Consul fuit, *quo*, inquis pag. 206. *hoc anno de Germania triumphavit*,

phavit, cum prostent nummi undecimo ejusdem consulatu obsignati, cum epigraphe: *Germania capta*. Hinc cap. 9. hunc titulum ponis: *Triumphi quinta consulatuum Cæsareorum Regula*. Hanc quoque Regulam falsam adstruunt. Etenim stante Republica, Consules prætextam induebant, quæ toga erat limbo purpureo circa fimbriam circumdata. Triumphantes vero utebantur toga picta, nempe auro intexta. Polybius lib. 6. describens exequias eorum qui summis magistratibus defuncti fuerant, ait simulacrum demortui elatum: *Hæc porro simulacra togis induuntur, si vir Consularis fuerit aut Prætorius, prætexta: si Censorius, purpurea: si Triumphalis, auro radiante.* Plinius lib. 9. cap. 36. *Purpura*, inquit, *in Triumphali miscetur auro.* Hinc Appiano in Punicis Scipio triumphans dicitur *corona aurea redimitus, ac more patrio indutus toga purpurea astris aureis intexta.* Toga picta eadem & triumphalis; Dio enim lib. 37. ait Pompejo datum, ut equestribus certaminibus *vestem triumphalem* gestaret, quam Cicero lib. 1. epist. 15. ad Atticum sic irridet: *Pompejus togulam illam pictam silentio tuetur suam.* Itaque toga picta propria erat triumphantium. Vespasianus ac Titus cum die triumphi summo mane processissent, describuntur Josepho lib. 7. cap. 24. lauro coronati, ac *patriis vestibus purpureis* induti; cum vero Vespasianus ad sacra peragenda se contulisset, *amictu*, inquit, *magnam partem capitis adopertus, solemnia vota celebravit.* Erat toga prætexta, quam in sacris de more induebant. Addit, cum cibum sumpsissent, *triumphalibus vestibus amictos*, mira pompa triumphum per Urbem duxisse. Quare depositis prætextis, togas pictas induerunt, quæ propriæ erant triumphantium. Hinc factum, inquiunt, ut Imperatores quibusdam darent ornamenta consularia, aliis vero triumphalia, illis videlicet sellam curulem ac prætextam, istis togam etiam pictam ac tunicam palmatam. Hæc passim occurrunt in historia Augusta. Laudant Tacitum circa finem lib. 15. Ann. Addunt Suetonium cap. 17. in Claudio Britannicum ejusdem triumphum hisce verbis describentem: *Secuti & triumphalia ornamenta eodem bello adepti, sed ceteri pedibus & in prætexta: Crassus Frugi equo phalerato & in veste palmata, quod eum honorem iteraverat.* Quamvis enim Claudius eisdem togas pictas, id est, auro intexto rutilantes concessisset, quo tamen triumphalis vestis splendor penes se unum triumphantem maneret, jussit Crassum sine toga picta, palmatam tantum ferre, ceteros vero pompam triumphi augere in prætextis, quas etiam gestabant L. Crispinus ac M. Statilius, qui tunc consulatum gerebant, non vero ipse Claudius, teste Dione lib. 60. nondum illa quinta Regula de triumpho in trabea consulari ducendo, Imperatoribus observata, quæ sane nulla erat, cum Consules prætextam, Triumphantes vero togam pictam gestarent. Hinc Statius lib. 4. de consulatu XVII. Domitiani ait:

——— da gaudia fastis
Continua: hos humeros multo sinus ambiat ostro,
Et properata tua manibus prætexta Minerva.

Non dixit: *multo sinus ambiat auro*, sed ostrum tantum nominavit, quia Consules solas prætextas purpura togas gestabant, non autem togas pictas auro intexto irradiantes; quæ ad id temporis a triumphantibus induebantur. Tacitus lib. 3. Hist. ait: *sed ubi Cæcina, prætexta lictoribusque insignis, dimota turba, consul incessit.* Plinius in panegyrico laudans Trajanum, qui iterum consules destinasset eos qui nuper consulatum abdicarant, ait: *Modo prætextas exuerant, resumant: modo lictores abire jusserant, revertantur.* Pictam togam non appellat, sed solum prætextas, quia illa ad Consules non pertinebat, sed tantum prætexta. Fatentur quidem sequiori ætate Consules pictas togas ac tunicas palmatas gestasse, cujus testis locupletissimus Ausonius in panegyrico ad Gratianum: *In procinctu*, inquit, *& quam maxime dimicaturos, palmata vestis mea ornamenta disponis feliciter & bono omine. Namque iste habitus ut in pace Consulis, sic in victoria Triumphantis.* Et statim: *Hæc plane, hæc est picta, ut dicitur, vestis non magis auro suo, quam tuis verbis.* Et Claudianus in panegyri de consulatu Olybrii ac Probini:

Lætatur veneranda parens, & pollice docto
Jam parat auratas trabeas, cursusque mocantes
Stamine, quod molli tondent de vellere Seres,
Frondea lanigera carpentes vellera sylva.
Et longum tenues tractus producit in aurum,
Filaque concreto cogit squallere metallo.

Olim vero is usus invaluerat, scribente Lampridio cap. 40. in Alexandro Severo: *Prætextam & pictam togam nunquam nisi consul accepit, & eam quidem quam de Jovis templo sumptam alii quoque accipiebant aut prætores, aut consules.* Et Capitolinus cap. 4. de Gordiano seniore: *Palmatam tunicam & togam pictam primus Romanorum privatus suam propriam habuit;* non qua in triumpho quem nullum gessit, sed qua Prætor ac Consul usus fuerat. Idem tradit Vopiscus in Aureliano cap. 13. & in Probo cap. 7. Cum hæc illi prolixius inculcarent, Quorsum, inquam, ista, o boni? Tot prætextis, togis pictis, ac tunicis palmatis me pene suffocastis; num forte tot vestes ingeritis, ut quintam Regulam de triumpho *cum trabea consulari acto* omni veritate nudatam ostendatis? Ita quidem, inquiunt. Nam cum priore ætate Augustorum Consules prætextas tantum togas gestabant, Imperatores post victorias de hostibus, consulatum neutiquam inibant, ut *cum trabea consulari*, uti Auctor nuperus scribit, triumpharent, quia id temporis licet Consules, prætexta propria veste Consulum deposita, in toga picta ac tunica palmata triumphum ducebant. Nec ob triumphum trabeam consularem sumpsissent, cujus nullo in triumpho usus futurus esset? At cum sequiori ævo Cæsarum, eadem toga picta esset in pace Consulis, & in victoria Triumphantis, neque tunc eo consilio Imperatores consules procedebant, ut *cum trabea consulari* triumpharent, quia etiamsi Consules non fuissent, cum eadem tamen triumphum ducebant, quod erat proprius habitus tum Consulis, tum etiam Triumphantis. Illam vero gestabant in triumpho non jure consulatus, uti perperam Auctor quintæ Regulæ consulatuum fingit, sed jure triumphi. Exempla etiam quibus quintam Regulam confirmas, eandem evertere potius pronuntiant. Etenim cum scribis initio statim cap. 9. *Triumphantes Imperatores, quo hæc pompa illustrior foret, Consulatu ordinario decorari voluere.* Id factum dicis a Vespasiano in tertio suo consulatu de Judæis, a Trajano in quinto de Dacis triumphantibus, quem morem postea neglectum, ab Alexandro Severo rursus revocatum testaris. Hæc, inquam, exempla ne hilum quidem putant quintam Regulam promovere. Nam Vespasianus designatus fuit Consul III. anno Christi 70. quo mense Augusto Titus Hierosolymam expugnavit, ob quam victoriam triumphus de Judæis actus. Hic petunt, num putes designatum consulem ante captam urbem, vel postea. Si primum dicas, en, inquiunt, decretum consulatum III. ante victoriam Judaicam, ac proinde non ob triumphum, cum is nisi post debellatos Judæos Vespasiano

siano decretus fuerit. Sin' alterum malis, videlicet tertium consulatum designatum post expugnatam Judæorum metropolim, id uno & altero argumento confutant. Primo quia cap. 1. prioris partis Dissert. pag. 8. scribis paulo post initum annum, puta Februario vel Martio, consules in annum sequentem creatos. Deinde quia si post nuntium victoriæ, & consulatus III. & triumphus decretus fuit Vespasiano, cur Nerva collega datus, non vero Titus, cui una cum patre triumphus decretus fuerat? Habemus, inquiunt, Vespasianum ac Titum Cæsarem una simul triumphantes, at non ambos eo anno Consules. Si ex patris consulatu Regulam de triumpho in trabea consulari constituis; hanc statim evertit Titus non Consul triumphans. Præterea contendunt neque ipsum patrem Vespasianum in trabea consulari triumphasse. Auctor est, inquiunt, Josephus lib. 7. de bello cap. 18. Titum die 8. Septembris adhuc Hierosolymis fuisse; cap. 19. narrat eundem manubias ac captivos apud Cæsaream reposuisse, *quod ad Italiam navigare tempus hiemis prohibebat*. Præterea ait Titum eadem in urbe natalem fratris Domitiani celebrasse nempe die 24. Octobris, Natalem vero patris apud Berytum, die 17. Novembris, ubi *diutius commeratus dicitur*. Inde Antiochiam profectus est. Postea ad Zeugma, quæ Euphrati urbs imposita, ille a Legatis Vologesi Regis Parthorum munera accepit. Antiochiam reversus, iterum in Palæstinam se contulit, ac constituta provincia, terrestri itinere Alexandriam perrexit. Ita exiit annus 70. Reliquam partem hiemis exegit in Ægypto, ubi interiora provinciæ penetrans, consecrando apud Memphim bovi Apidi coronatus interfuit. Interim desinente hieme, oneraria nave in Italiam appulit. Hæc producunt ex Josepho ac Suetonio in Tito cap. 5. Addit Josephus eundem postquam Romam advenit, non multo post tempore triumphasse. Hunc triumphum dicunt ante Martium non contigisse; siquidem spolia Judaica ac captivi, quod ad Italiam navigare hiems prohibebat, apud Cæsaream repositi fuerant, ac proinde nisi hieme vim remittente, & aperto jam mari, in Italiam mense Martio transmissi sunt, quo etiam eodem fere tempore Titus advenisse dicendus est, ex recitata ejusdem itinerum narratione. At Vespasianus exeunte Februario abdicarat consulatum, Domitiano sibi suffecto, quod probant ex Inscriptione Gruteri pag. 571. ubi *Nonis Aprilis* Domitianus ac Cn. Pedius consules nominantur, Vespasianus vero dicitur Trib. Pot. II. Cos. III. Des. IIII. ut plane eisdem videatur Domitianus Kal. Martiis inisse consulatum, ac Vespasianus triumphasse abdicato jam consulatu. Hæc illi certe prolixius de triumpho Judaico Vespasiani. At brevius alterum exemplum a Trajani triumpho ductum, oppugnant. Nam, inquiunt, cum scribis Trajanum in suo quinto consulatu de Dacis triumphasse, ac pag. 207. primum ejusdem de Dacis triumphum statuas anno 101. de altero triumpho id abs te assertum dicunt, quasi Trajanus anno 103. quo tuis in fastis consul V. legitur, triumphum duxerit. Hoc ineluctabili Spartiani testimonio convellunt, qui in Hadriano cap. 3. ait eundem post primum bellum Dacicum tribunum plebis factum, Candido ac Quadrato iterum Coss. anno videlicet 105. & statim ait: *Secunda expeditione Dacica, Trajanus eum primæ legioni Minerviæ præfecit, secumque duxit*. Itaque alter triumphus Trajani de Dacis contigit post annum 103. ac quintum consulatum Trajani. Ne me elinguem ac mutum putarent, reposui cum Casaubono Spartianum non servasse ordinem temporum in ea historia contexenda. Imo, inquiunt, optime servavit. Isti enim magistratus hoc ordine conferebantur, ut post quæsturam, daretur tribunatus plebis, inde prætura, vel legatio legionis. Agricola post quæsturam, ac tribunatum plebis, teste Tacito, legatus legionis factus fuit. Severus Septimius prius quæstor, dein tribunus plebis fuit quam legatus legionis IV. Scythicæ, ex Spartiano cap. 3. & 4. de vita ejusdem. Nullus post legationem legionis tribunus plebis factus est, ne ex majori dignitate ad inferiorem descenderet. Hinc cum Hadrianus anno 105. tribunatum plebis gesserit, post eum magistratum legionem regendam bello secundo Dacico accepit. Tum tertium exemplum quod a triumpho Persico Alexandri Severi in suo tertio consulatu proponebas, pene, ne quid te celem, irrident. Nam in eodem cap. 9. num. 3. scribis Dionem designatum consulem II. collegam Alexandri Augusti III. *initio ejusdem anni* 228. Quod vero Dio scribit se una cum Imperatore Alexandro consulem designatum, ad eundem in Campaniam profectum, hæc ibidem te ajunt annotasse: *Mora itaque Alexandri in Campania pertinet ad initium anni Christi* 228. *non autem ad sequentem, ut interpretatur idem Norisius*. Tum ipse, Vestra vos, inquam, fallit opinio, si ad adversarios me transitionem facturum speratis, quod ille me ibidem ut adversarium oppugnat. Amicus amicum meliora, uti putat, & docet, & forte etiam rogat. At illi: ea quidem ut libet, ut lubet, interpretare. Nos ostendimus Alexandrum ineunte anno 228. consulem III. designatum in Campania substitisse, qui igitur fieri potuit, ut eum consulatum sumpserit ob triumphum Persicum, cum nondum bellicam contra Persas expeditionem suscepisset? Num hariolum dices, qui triumphum ante victoriam, imo etiam ante bellum sibi cecinerit? His vero reposui te scripsisse Alexandrum in suo tertio consulatu triumphasse, ac diserte initio cap. 9. dixisse: *Quod licet fortuito factum, successores tamen ut plurimum sequaces habuit*. Verum illi ridere, quod *fortuito factum* novæ consulatuum ineundorum Regulam instituerit. Rursus quæso te, inquiunt, putasne Alexandrum, qui exeunte Septembri anno 229. ut ille tuus contendit, triumphum egit, nondum se consulatu abdicasse? Auctor Regularum pag. 9. suæ Dissertationis scribit ex Lampridio in vita Alexandri Severi, *eum Principem consulatum iniisse ter tantum, ac primo Nundino sibi alios semper suffecisse*. quod primum Nundinum ibidem hisce explicat: *Primum Nundinum ordinariorum consulum a Kalendis Januariis, usque ad Martias*. Hinc inferunt, temet Auctore, Alexandrum pridie Kalendas Martias abiisse tertio consulatu. Qua ergo ratione idem mense Septembri in trabea consulari triumphavit, quam ante octo menses deposuerat? Tum cœpi Lampridii fidem elevare, qui scripserit Alexandrum in suis consulatibus primo nundino sibi alios semper suffecisse. Nam Capitolinus cap. 4. in Gordiano seniore scribit: *Post jurisdictionem consulatum primum iniit cum Antonino Caracalla, secundum cum Alexandro*. At nusquam Gordianus in fastis legitur collega Alexandri. Itaque Alexander quempiam trium consulatuum extendit, ultra Kalendas Martias, ut Gordianus ejusdem collega dici possit. Rursus tamen instabant non continuasse Alexandrum usque ad Octobrem tertium illum consulatum, ne Lampridius, imo tot insignes Scriptores eidem laudati qui gesta Alexandri in literas miserunt, gravioris mendacii rei peragantur. Vix dum finierant, cum ego tot dissensionum fluctibus hinc inde agitatus, ad prius illud responsum veluti ad sacram anchoram in tempestate, me recepi, asserens non infringi quintam illam regulam, etiamsi Imperatores post abdicatum consulatum, trium-

triumphum duxerint, modo illi eundem triumphi annum ordinario suomet consulatu illustriorem in fastis reddiderint. Hinc si quæratis, inquam, quando de Judæis triumphus actus? *Vespasiano Consule III.* dicetur. Quando primus de Persis? statim respondebitur, *Alexandro Imperatore Cos. III.* Hoc de ceteris dictum accipite. Rursus illi opponere hanc mollem licet ac fluxam interpretationem ipsa tua verba non admittere, qui initio ejus capitis 9. scribis: *Triumphantes Imperatores quo hac pompa illustrior foret, Consulatu ordinario decorari voluere.* Audin', inquiunt, ut diserte ait: *quo hac pompa illustrior*, non quo annus hujus pompæ illustrior foret. Quid, quæso te, consulatus abdicatus, ac dudum præteritus ad præsentem triumphi pompam faciebat? Numquid erat in recenti adhuc memoria spectatorum pompæ triumphalis? At hoc ipsum præstare poterat consulatus proximo anno ante triumphum gestus; neque enim finges eundem ex ipsorum memoria excidisse, nisi Lethæis undis immersos comminiscaris. His putabant me ad incitas redactum; cum ego pene iratus inclamavi, *distinguo:* quo pompa illustrior foret in fastis, *concedo*: in ipso triumpho, *nego*. At illi, numquid, inquiunt, putas nos Scholasticos, quibuscum sumptis de Schola vocibus loqueris? Hæ sunt illæ ansæ, quibus ipsa etiam mendacia in delubro veritatis sæpe suspenditis. Ludis alienis vocibus, quas nec nostræ aures, nec Amici tui dicta patiuntur. Exere, si quas rursus habes, Consulatuum Cæsareorum Regulas.

Anno nostræ epochæ 86. Domitianus Augustus Consul XII. processit. *Primus Agon Capitolinus*, inquis, *hoc anno a Domitiano institutus*, quem hujus consulatus causam adstruis, nempe, ut *majori pompa fieret*. Hæc scribis pag. 206. laudans Suetonium cap. 4. in Domitiano. Mirantur te in eodem cap. 4. hæc Suetonii verba dissimulasse: *Certamini præsedit crepidatus, purpureaque amictus toga Græcanica, capite gestans coronam auream cum effigie Jovis ac Junonis, Minervæque.* Habes, inquiunt, Domitianum non togam prætextam, seu, ut ille vocat, trabeam consularem gestantem, sed toga Græcanica indutum, ac corona aurea redimito capite, qui ne quid consularis habitus ferret, ipsis calceis abjectis, crepidas sumpsit. Quam agonis pompam auxit consulatus, cujus omnia ornamenta ille deposuit? Præterea cum, teste Suetonio, Domitianus consulatus *plures ad Idus usque Januarias* gesserit, si hoc duodecimo consulatu die 12. Januarii sese abdicavit, præteritus ejusdem consulatus non poterat præsentis Agonis pompam augere, cui tamen suffecti Consules suis prætextis ac fascibus splendorem addebant. Hæc illi: quorum ora claudere non alia ratione me posse putavi, quam adhibitam toties responsionem repetendo. Itaque dixi Domitianum, te Auctore, consulatum XII. sumpsisse, ut annum instituti abs se Agonis Capitolini, Augusteo nomine in fastis consecratum, ad seros quosque posteros perenni recordatione transmitteret. Illi autem, ut ipsorum tibi verba reddam, crambem recoctam irridere, & quod idem responsum dabam, deploratam jam causam conclamare. At ipse Censorini voces ex cap. 17. de die Natali reposui: *Quorum Agonum primus a Domitiano institutus fuit duodecimo ejus & Serg. Dolabella consulatu.* Videtisne, inquam, ut Agonum institutio eo Domitiani consulatu in fastis indicata, imo nobilitata, ad nostram usque memoriam pervenerit? Sed reclamant te scripsisse duodecimum consulatum sumptum, ut *solemnitas majore pompa fieret*, non ut nobiliori Principis nomine in fastis, aut Scriptorum libris primus ejusdem annus obsignaretur. Vah homines importunos!

Anno 87. Domitianus XIII. Consul fuit. Hujus consulatus ineundi nullam quæ Domitiano fuerit, causam producis. Non defuit qui diceret mirari se, cur ejus causam non adduxisses, quod ita voluit tredecim Augusti consulatus æquare. Quispiam alius me interrogavit, num ad aliquam tuarum Regularum hic consulatus XIII. Domitiani revocari posset. Ego, inquam, ad quartam reducerem, quæ cap. 8. num. 4. pag. 173. apud Auctorem legitur: *Petitur quarta Regula ab expeditionibus militaribus.* Juxta quam pag. 200. dicitur Caligula Consul III. *propter bellum Britannicum*: pag. 201. Claudius Consul III. *propter expeditionem Britannicam*: Pag. 228. Alexander Consul III. *propter bellum Persicum*. Mirum, inquiunt, quod cum Domitianus quatuor bellicas expeditiones contra Chattos, Marcomannos, Dacos, ac Sauromatas susceperit, nec unus inter tot ejusdem consulatus expeditioni bellicæ ab Amico tuo deputetur. Hic fortassis, inquam, quod anni illarum expeditionum incerti sunt, noluit eisdem applicare consulatus, quorum certam sibi aliunde causam nanciscebatur. Tum illi, quid tute de illa quarta Regula judicas? Imo, inquam, quid de eadem vos censores sentiendum putatis? Ego certe arbitror esse probabilem. Haud mehercle, inquiunt, nobis probatur. Nam Ausonius consul designatus, cum dixisset destinatam sibi trabeam consularem, ait: *Namque iste habitus ut in pace Consulis est, sic in victoria Triumphantis.* Hinc ipsi Consules cum ad bellum proficiscebantur, non in consulari prætexta, sed in paludamento Urbe egrediebantur. Livio lib. 36. Acilius Consul ad bellum dicitur *paludatus Urbe egressus*, quod idem apud eundem frequentissime occurrit. Coelius lib. 8. famil. epist. 10. scribit Ciceroni vereri consules, *ne illud S. C. fiat, ut paludati exeant.* Plinius in panegyrico commendans secundum Trajani consulatum ait: *Gestus consulatus non in hoc Urbis otio, & intimo sinu pacis, sed juxta barbaras gentes; ut illi solebant, quibus erat moris paludamento mutare prætextam.* Nec secus Augusti Urbe exibant, bellum in provinciis administraturi: Capitolinus in Marco cap. 14. ait: *Profecti itaque sunt paludati ambo Imperatores.* Itaque trabea consularis, qui *habitus in pace Consulis est*, perperam ab Imperatoribus ob instans bellum induta affirmatur. Quorsum ista, o boni, an ut apud imperitos erudituli judicemini? Usum prætextæ in pace, uti & paludamenti in bello frustra virum eruditissimum docetis; ille enim non trabeam, sed ipsum consulatum ob bellicas expeditiones susceptum dicit, quamvis Imperatores consulatum in ipsa trabea, non vero in paludamento Kalendis Januariis auspicarentur. Agedum, inquiunt, loquamur de consulatu. Cajus tertium consulatum Lugduni hiemans iniit, ac duodecimo postea die eodem se abdicavit, ex cap. 17. Suetonii in Caligula. Quid tam brevis consulatus ad expeditionem bellicam, quam etiam extra consulatum ridicule peregit? Claudius A. V. 796. consul III. designatus fuit, bello Britannico nondum exorto; huic enim anno sequenti Aulus Plautius initium dedit, qui ejusdem per semet conficiendi difficultate cognita, teste Dione, *Claudium accersit.* Itaque anno priori Claudius, cum designatus fuit Consul III. iter ad bellum Britannicum non decreverat, quod evocatus Plautii literis, postea suscepit. Præterea abdicasse consulatum priusquam Roma discederet, constat tum ex Suetonio qui cap. 14. scribit tertium Claudii consulatum bimestrem fuisse; tum etiam ex Dione lib. 60. ubi quamvis semestrem eundem consulatum faciat, postea tamen scribit Claudium Romam rediisse *C. Crispo II. & T. Statilio Consulibus sexto quam discesserat*

cesserat mense, quod itidem testatur Suetonius cap. 17. Hinc patet Claudium Roma profectum post Kalendas Julias, cum antea tertio consulatu abiisset. Quid ergo facit ad expeditionem Britannicam præteritus consulatus? Alexander denique tertio consulatu in Italia defunctus fuit, ut diserte Dio testatur, & quidem ejusdem Imperatoris collega, cui plus credendum? quam affictis eidem ab Amico tuo interpretationibus. Trajanus designatus fuit consul IV. Nullo se tunc hoste contra Romanos movente, uti tradit Plinius in panegyrico. Quid quod idem Trajanus cum exercitu in Germania degens, tertium consulatum recusavit, hanc prætexens excusationem: *quod eum absens gerere non poterat?* Hujus Auctor venit ibidem Plinius. Itaque consulatus erat magistratus in pace, in Urbe exercendus, nihil illi cum bello suscipiendo. Nam sub Cæsaribus bella vel ab ipsis Imperatoribus, vel a Legatis consularibus, non autem a Consulibus administrabantur. Lucius Verus A. 162. ad bellum Parthicum profectus est, nec ob illam expeditionem consulatum accepit. Anno 169. duo collegæ Imperatores Marcus ac Verus ad bellum Germanicum perrexere, quorum neuter trabeam consularem induerat. Severus neque in expeditione contra Albinum, neque contra Britannos consulatum capessivit. Caracalla sine adsumpta consulari trabea contra Parthos movit. Gordianus ad bellum Persicum in Orientem transmisit Attico ac Prætextato Consulibus. Valerianus cum ante biennium quartum ac postremum consulatum gessisset, bello contra Persas infaustis auspiciis suscepto, acie victus, ac captus fuit. Videsne, quantas exceptiones Regula illa quarta patiatur? Equidem tot Romani Principes illam ignorarunt, quæ sane nulla erat. Interim nobis edissere, cur consulatum XIII. Domitiani ad quartam illam Regulam revocabas? Mihi, inquam, pene certa sententia stat anno sequenti Domitianum alterum triumphum de Germanis duxisse, ac proinde bellum hoc anno gestum arbitror. Ad hæc illi: Incerta loqueris; siquidem eodem anno & bellum geri, ac de victis hostibus triumphus agi potest. In his tamen ab Amici tui sententia discedis, qui hunc alterum Domitiani triumphum alligat anno 90. Domitiano XV. Consule. Ne prævaricari in causa videaris, missam hic facito tuam opinionem, ac temet cohibeto intra terminos, quos amici tui sententiæ præfigunt. Id sane, inquam, modo agam; nec arbitremini me in ejusdem verba jurasse. Et illi, Miramur te huc non advocasse tuum illud Palladium, in quo

Omnis spes Danaum & cœpti fiducia belli.

Cur enim non dixisti Caligulam, Claudium, Alexandrum, ceterosque si qui alii fuerunt, juxta quartam Regulam consulatum propter expeditionem bellicam iniisse, neque tamen Regulæ illi officere, quod ante expeditionem susceptam, consulatum suffectis Consulibus cesserunt, quia satis Regulæ consultum putas, si annum belli administrati, suo nomine in fastis insigniorem reddiderint? Hoc plane, inquam, vobis responsum habetote, quod jam sæpius datum, in præsentia non reddidi, ne vestræ memoriæ injuriam tam frequenti ejusdem repetitione inferri putaretis. Exempla Cæsarum, qui privatis Consulibus annum aperientibus, bellicas expeditiones susceperunt, laudatæ Regulæ exceptiones appello; præterquamquod sæpius bella a barbaris mota sunt, Consulibus ordinariis in annum proximum designatis; Imperatores vero, ne comitia consularia, sive Nundina decreta perverterent, destinatos aliis consulatus ad semet transferre recusantes, sine trabea consulari expeditiones bellicas susceperunt. Quæso vos, ne diutius immoremur consulatui XIII. Domitiani, quem Auctor Regularum intactum dimisit, ne invidiæ propiores videamini, eam Regulam reprehendentes, sub qua Vir, velitis, nolitis, eruditissimus nullum Domitiani consulatum coegit, quamvis tres, vel etiam quatuor consulatus ad eandem facile potuerit revocare.

Annus 88. habuit Consulem Domitianum XIIII. *Sumptus*, inquis, *est Consulatus a Domitiano propter septimos Ludos Sæculares quos edidit juxta VI. Regulam.* Hunc quoque Canonem de assumpto ab Imperatoribus consulatu ob sæculares Ludos, ludicrum putant; siquidem statim opponebant Ludos quintos ab Augusto celebratos C. Furnio ac C. Junio Silano Coss. A. V. 737. Itaque eo anno Ludi sæculares ab Augusto editi sine trabea Consulari, privatis Consulibus annum in fastis signantibus. Respondi te cap. 10. pag. 184. id ultro admittere, qui ibidem Claudium sextæ hujus Regulæ auctorem publicas, de eodem scribens: *Sed quod consulari munere fungens eos ludos ediderit, omnes præter Severum, sequaces habuit. Hoc quidem a nullo, neque ex veteribus, neque ex recentioribus animadversum.* Imo eidem, inquiunt, Amico tuo haud animadversum Claudium neutiquam consulari munere fungentem, Ludos sæculares sextos dedisse. Nam Claudius eos Ludos celebravit anno Urbis conditæ octingentesimo, ex Tacito lib. 11. Ann. ac Censorino cap. 17. de die Natali. Fatentur eodem anno Imperatorem Claudium IV. ac L. Vitellium III. Consules fuisse. Ceterum notant Suetonium in Claudio scribere eundem ultra suffectum quo adhuc privatus defunctus fuerat, quatuor ordinarios consulatus gessisse, *semestrem novissimum, bimestres ceteros.* At novissimum gessit anno Christi 51. quartum vero anno 47. V. C. 800. qui bimestris fuit, usque ad Kal. Martias, qua die suffecti Consules magistratum inierunt. Porro annus Urbis 800. inchoatus est eodem anno XI. Kal. Majas, ipso Urbis Natali. Cum vero Ludi celebrati fuerint teste Tacito cum Censorino *anno octingentesimo*, fit consequens, ut editi fuerint post XI. Kal. Majas. At Claudius ante duos fere menses consulatu abierat, ac proinde perperam tibi scriptum contendunt, quod *consulari munere fungens* eos Ludos ediderit. Si Claudio, uti scribis, *sumptus Consulatus propter ludos sæculare sextos*, cur eo anno non gessit, quod postea Consul V. fecit, consulatum semestrem? Cur quadrimestrem non accepit, ut initium anni DCCC. Urbis quo Ludi edendi erant, consul auspicaretur? Videsne Claudium Sextæ Regulæ eversorem, qui tamen a Pagio tuo primus ejusdem auctor publicatur? Hinc transeunt ad septimos Ludos sæculares Domitiani. Prostant, inquiunt, nummi ejusdem inscripti: *Imp. Cæs. Domit. Aug. Germ.* TR. P. VIII. & in postica: *Cos.* XIIII. LVD. SAEC. FEC. S. C. Ex his eruditissimus Panvinius in lib. de Ludis sæcularibus, optime collegit Domitianum non edidisse eos Ludos ante Idus Septembris A. Christi 88. quia ea tantum die Tribunicia potestas VII. in nummis obsignata, eidem inchoabatur. At Domitianus ante aliquot menses abdicaverat consulatum, quem nunquam gessit *ultra Kalendas Majas*, teste Suetonio cap. 13. Itaque nec Domitianus *consulari munere fungens* eos Ludos dedit. Rursus gradum faciunt ad octavos Ludos sæculares Antonini Pii, quos celebravit A. V. 900. quo sane non ipsemet Imperator, sed duo Marci Valerii Largus ac Messallinus consulatum ordinarium, alii vero nobis ignoti suffectum gessere. Tum interloquutus, dixi te negare Ludos sæculares octavos

a Pio Imperatore editos, cum scribas pag. 185. *Sed Censorini de his silentium, illos tunc editos non fuisse ostendit;* præsertim cum dicat *Octavos* celebratos ab Imperatoribus collegis Severo ac filio M. Antonino Caracalla. Hi vero *Novi* dicendi fuissent, si Antoninus Pius Ludos sæculares celebrasset. Illi tamen contendunt ipsum etiam Censorinum errasse. Nam Capitolinus cap. 10. de vita Antonini tacito, Victor vero Schotti expresso nomine Sæculares Antonini Ludos laudant. Sed omnem, inquiunt, dubitandi locum præcludit insigne epitaphium quod Gruteri pag. 926. 8. recitatur.

MEMORIAE
SEX. VIGELLI. AQVINAT. QVI
ANN. ATTIGIT. CENTENS
SET. ALTERVM. ET. NONAGENS
PERPET. INOFFENSA. VALETVD
EXEGIT. RELIQVOS. SEPTEM. ET. D. XIIX
DECVBVIT. ET. OCCVBVIT
NAT. LVD. SAECVL. VIII. OBIIT. SEQVENT

In hac autem Inscriptione advertunt illis verbis *alterum & nonagesimum*, non designari annum 91. sed 92. Ita Livius lib. 3. scribit Decemviros consulari potestate creatos *anno Urbis trecentesimo altero*, qui quidem in fastis Capitolinis creati leguntur anno Urbis CCCII. errasse vero Panvinium ac Sigonium, qui putarunt Livium anno discordare a fastis Capitolinis. Nam cum dicimus *primus & alter*, pro secundo *alter* accipitur; ita *nonagesimo primo*, ac *nonagesimo altero anno*, non idemmet annus signatur, sed 91. & 92. Laudant Angelum Rocham Bibliothecæ Angelicæ in Urbe conditorem, qui hanc Latinæ elocutionis formulam in libro de Elegantiis recitavit. Virgilius Ecloga VIII. 39. ait:

Alter ab undecimo tum me jam ceperat annus.

Hic non duodecimum, sed decimumtertium annum significari Servius olim adnotavit, ac Donatus in Terentii Andria Act. 1. Scena 1. ad illa verba: *Unus & item alter*, uti postea Scaliger, Sigonius, & qui puerorum manibus teritur, Farnabius. Tum ego iterum interloquutus: Nolite, amabo, extra chorum saltare. Agimus de Regulis consulatuum, non de regulis Grammaticorum. Imo, inquiunt, ea Latina phrasis hic prænotanda erat, cum ut numerus annorum in epitaphio signatus intelligeretur, tum etiam ut dubitatio qua Cerda aliique interpretes tenentur in illo carmine Virgilii, toto ejus lapidis pondere elideretur. • Jam probamus ex eodem epitaphio Ludos VIII. ab Antonino peractos. Sextus Vigellius *natus Ludis Sæcularibus Octavis*, cum attigisset annum centesimum, *obiit* Ludis sæcularibus *sequentibus*. Certum est eundem non esse natum Ludis Sæcularibus editis a Septimio Severo anno Christi 204. qui *Octavi* Censorino dicuntur; siquidem post Ludos sæculares anno 247. a Philippo Imperatore exhibitos, nullos deinceps Ludos celebratos Auctor Regularum optime eo capite num. V. demonstrat. Zosimus lib. 2. diserte scribit anno 304. nullos sæculares Ludos editos fuisse; neque itidem anno 347. sive 348. evoluto centesimo a Ludis Philippi, eosdem restauratos Aurelius Victor testatur. Itaque Sex. Vigellius natus est Ludis octavis sæcularibus Antonini Pii A. V. 900. obiit Ludis sequentibus Philippi A. V. millesimo. Ex his inferunt nec Augustum, nec Claudium, nec Domitianum, neque Antoninum *Consulari munere fungentes*, Ludos sæculares peregisse. His addunt Severi Ludos, quos non in suo aut filii Augusti, sed in Cilonis II. ac Libonis consulatu celebravit. Postremi Ludi sæculares editi sunt a Philippo Augusto. At in suo altero, inquam, vel tertio consulatu. Illi vero: Næ quod fortuito factum, pro Regula venditabis? Sexies illi Ludi ab Imperatoribus editi sunt. Quinque Imperatores non consules illos dederunt, omnium postremus Philippus postremos Ludos consul edidit. Putasne unius exemplo Regulam firmari, quam quinque Cæsares evertunt? Insignem plane Regulam, quæ unico eoque fortuito exemplo stabilitur, sed quinque exceptiones patitur tam evidentes, tam locupletes, tam certas! Præterea Philippus ipse consulatum abdicaverat prius quam Ludos sæculares perageret, uti antea fecerant, teste Suetonio, Claudius ac Domitianus. Ad hæc, inquiunt, rem ipsam paucis examinemus. Ludi sæculares peragebantur votis ad aras Deorum superum & inferorum, item in circo, theatro, amphitheatro variis ludorum generibus, quæ justo volumine tuus Panvinius eruditissime complexus est. At vota ad aras Numinum non peragebantur in trabea consulari, sive toga picta, sed in toga prætexta, ejusdem lacinia capite obvoluto. Cum Decius Mus Consul se Diis pro patria dubio prælio devovere destinasset: *Pontifex eum togam prætextam sumere jussit*, ut tradit Livius lib. 10. Rursus cum medio ævo Augustorum, Consules togam pictam gestarent, Alexander Severus, qui *pictam togam nunquam nisi consul accepit*, quæ sunt verba Lampridii cap. 40. *accepit prætextam etiam quum sacra faceret.* Hinc in nummo Domitiani inscripto: COS. XIIII. LVD. SAEC. FEC. visitur Imperator caput amictus toga prætexta, sacris operans. Itaque nullus trabeæ consularis, seu togæ pictæ usus in sacris Sæcularibus. Sed neque ludis circensibus, aut theatralibus Imperatores in trabea consulari præsidebant, sed una cum collegio XV. virum in prætexta caput lauro redimiti, quod ex Tacito lib. XI. Annal. aliisque Panvinius demonstravit. Imperatores vero in collegium Quindecimvirum cooptari solitos patet ex vetustis Inscriptionibus Gruteri pag. 135. & 136. Prostant nummi argentei Vitellii IMP. AVG. cum epigraphe: XV. VIR. SACR. FAC. Quare ergo Imperatores finguntur ob Ludos sæculares sumpsisse trabeam consularem, si hæc nulli omnino usui erat inter eorundem Ludorum solemnia? Hæret tibi certe aqua. Hæc illi supercilio magistrali. At ego: Imo vobis hæret aqua, qui inani opera desudatis. Hanc vestram aquam uno saltu transiliam, priusquam sudario vosmet abstergatis. Nam Auctor Regularum nunquam putavit Augustos in ipsis Ludorum sæcularium solemniis trabeam consularem gestasse, quippe qui jam consulatu abierant, sed eosdem voluisse annum illorum Ludorum suomet consulatu in fastis nobilitare. Ah, ah, eandem, inquiunt, cantilenam cantas, ac recantas. Mirus es advocacatus, qui tantam objectorum struem uno eodemque verbo dispergas. Equidem arbitrabamur Auctorem Regularum in hac causa abs te deferendum; ille enim tibi dicam dicit, quod scripseris Philippum edidisse Ludos sæculares anno 348. quos ille anno priori peractos contendit. Ipse autem: Erratis, inquam. neque enim prævaricationis crimen incurram; rem mihi leviter indicatam, paucis retractabo. Ex recitato epitaphio patet Ludos sæculares editos tum ineunte, tum exeunte anno centesimo. Etenim Vigellius dicitur ibidem vixisse annos nonaginta novem ac dies insuper duodeviginti. Si vero Ludi sæculares editi fuissent anno centesimo exeunte, Vigellius neutiquam dici posset natus Ludis octavis, obiisse sequentibus; neque enim complevit, sed tantum *annum attigit centesimum*. Itaque natus est exeunte anno V. 900. cum Antoninus Pius Ludos ultimos anni Sæcularis celebraret; obiit autem ineunte anno millesimo, quo Philippus Ludos millenarios inchoabat. Ex his patet Ludos eosdem ineunte ac exeunte anno Sæculari celebratos. Ceterum

cum

primaria eorundem solemnitas triduo ac trinoctin populo pervigilante perageretur, Horatio eosdem appellante,

> *Ter die sacro, totiesque grata*
> *Nocte frequentes,*

Haud puto hæc triduana ac trinoctialia sacra ineunte, ac exeunte anno centesimo edita, sed semel tantum vel initio vel fine anni sæcularis, vel etiam in medio ejusdem cursu pro Imperatorum arbitrio. Hæc vero solemnia anno 348. nempe millesimo exeunte celebrata nummi utriusque Philippi nos docent, in quibus Sæcularia sacra Philippi patris tertio, Philippi vero filii altero consulatu obsignantur. Hi tamen Ludos Circenses, aliosque ineunte millesimo edidere, uti ex memorato epitaphio colligimus. Hunc, quæso, ludum Ludorum Sæcularium claudamus.

Anno 9ri. Domitianus Aug. XV. consul in fastis scribitur. Est hic ultimus inter septem consulatus, quos teste Suetonio, continuavit, unde idem Plinio dicitur in panegyrico, *continuis consulatibus fecisse longum quendam & sine discrimine annum.* Scribis ad hunc consulatum pag. 206. *Decennalia Imperii Augustei Domitiani, ejusque secundus de Germanis triumphus.* Utrumque oppugnant molesti illi Censores. In primis petunt, quis tibi Apollo revelaverit Domitianum edidisse Decennalia hoc anno quo inibat annum decimum imperii, non vero sequenti, quo eundem decimum annum complebat? Respondi juxta tuam Regulam II. ex consulatu quem hoc anno gessit, cum insequentem annum privati Consules aperuerint, colligi Domitianum hoc anno Decennalia celebrasse, *cum ea solemnia*, uti scribis pag. 83. initio cap. 2. *a Cæsaribus, vel Imperatoribus consulari trabea indutis, peragi solerent.* Verum illi, Quid trabeæ, inquiunt, consulari cum Decennalibus? Augustus, Tiberius, Nero, Trajanus, Hadrianus, Antoninus Pius, M. Aurelius, sine trabea consulari Decennalia celebrarunt. At Claudius, inquam, in suo quinto consulam, Vespasianus in nono Decennalia nuncuparunt. Tum illi: Profecto si duo Imperatores ejus Regulæ assertores putas, nos septem ejusdem Regulæ eversores producimus. Contra tot exceptiones nulla videtur Regula ex uno tantum & altero exemplo deducta. Imo ipsum Vespasianum inter exceptiones reponim; nam ille mense Julio, quo imperium accepit, Decennalia celebrasset, sed superiori mense decessit. Ipse etiam Domitianus inter easdem exceptiones recensendus est; siquidem Idibus tantum Septembris hoc anno, imperii decimum inchoavit; verum ille trabeam consularem vel ad Idus usque Januarii, vel ad Kal. Majas gestavit, ex alias laudato Suetonio cap. 13. de vita ejusdem. Itaque non erat *consulari trabea indutus* mense Septembri, quo edidit Decennalia. Hæc illi: quibus reposui hanc quidem regulam pati non paucas exceptiones, nec te inficias ire. Domitianum fateor semet consulatu abdicasse; at Auctori Regularum satis est, si annum Decennalium Augusteo nomine in fastis insigniverit, quamvis tempore solemnium non ipse, sed suffecti Consules trabeam gestarent. Ridemus, inquiunt, te cuilibet pedi eundem calceum inducere. Si forte fortuna Medicum ageres, omnes oculorum morbos uno eodemque collyrio curares. Interim cicatrix male sana hoc plasmate non obducitur. Auctor enim Regularum diserte scribit Decennalia celebrata *ab Imperatoribus consulari trabea indutis;* at Domitianus instante die Decennalium erat trabea exutus, quam ante aliquot menses suffectis Consulibus cesserat. Verum quod tot commenta pro arbitrio assuis, adde alteram fabulam, nempe Domitianum ludis Decennalibus abstractam suffectis consulibus trabeam suis iterum humeris aptasse: quo quidem facto bis eodem anno Consul processisset, ordinarius Kalendis Januariis, & iterum suffectus Idibus Septembris. Rideo, inquam, hasce fabulas. Habemus in fastis Domitiani trabeam quo anno edidit Decennalia, quamvis illam idemmet non haberet in circo, aut in theatro, cum ludos ageret Decennales. Hanc benignam æque ac probabilem laudatæ Regulæ interpretationem vobis dono, non vendo. Eandem vel gratis recipite, vel ingrati rejicite. Agite, uti libet, uti lubet. Ego certe ad alium Domitiani consulatum gradum faciam. At illi: Siste, Amice, parumper. Nolo, inquam, longiorem in his moram facere; hinc eo citius me proripiam. eadem enim semper objecta regeritis, dum abdicatos ab Imperatoribus consulatus ad ravim usque vestram, meam vero nauseam inculcatis. Ast illi: Morem tibi gerimus; nihil hic addemus de consulatu abdicato ante Quindecennalia imperii, ut ille ait, Cæsarei; ante Agones Capitolinos, ante Ludos sæculares, denique ante Decennalia imperii Augustei. Agemus hic de altero Domitiani triumpho de Germanis, qui Auctori Regularum asseritur altera causa consulatus decimiquinti ejusdem Imperatoris. Illum vero triumphum huic anno deputat, quod ab Occone producitur nummus Domitiani cum epigraphe: GERMANICVS COS. XV. ac in eodem obsignatur *Germania sedens lugubri habitu induta.* Scimus te multa millia numismatum in Medicea Gaza contrectasse, hinc quod aliquantulam apud te gratiam inire cupimus, ne subiratus a disputatione mox finienda discedas, tuam hic sententiam de anno memorati triumphi rogamus, nihil plane interloquuturi, etiamsi minus forte nobis probata pronuncies. Hic ego: Gratias debeo, quod aliquam apud me gratiam vobis parare jam vultis; nolo tamen speretis eandem aliquo nos inter fœdere firmatum iri. Extat Gruteri pag. 411. 1. Inscriptio, in qua laudatur *T. Flavius Germanus* CVRATOR TRIVMPHI FELICISSIMI GERMANICI SECVNDI. Ibidem vero detrito nomine Domitiani, ejusque consulatu ac anno Tribuniciæ potestatis, annus ejusdem triumphi in obscuro latet. Tacitus lib. 11. Ann. testatur se libros composuisse de rebus Domitiani, quos Orosium legisse constat ex iis quæ indicat lib. 7. cap. 10. Illis vero deperditis, chronologia rerum Domitiani obscura est & ambigua, quæ tamen ex nummis ejusdem potest utcumque illustrari. Suetonius in Domitiano ait cap. 13. *Post autem duos triumphos, Germanici cognomine assumpto &c.* Priorem de Cattis, alterum vero de Dacis triumphum egit. Statius lib. 1. laudans imaginem equi Domitiani, ait:

> *An te Palladiæ talem, Germanice, nobis*
> *Effinxere manus, qualis modo frena tenentem*
> *Rhenus, & attoniti vidit domus ardua Daci?*

Martialis lib. V. 3.

> *Accola jam nostræ Degis, Germanice, ripæ,*
> *A famulis Istri qui tibi venit aquis.*

Diegis Decebali regis frater, ut ibidem innuit Martialis, jubente eodem Decebalo, ad Domitianum veniens, diademate sibi ab Imperatore imposito, pacem Dacis impetravit. Hinc Domitianus secundum triumphum, ac cognomen Germanici obtinuit. Victoriam Dacicam atque ob eandem Germanici nomen Imperatori delatum laudat Martialis lib. 2. epig. 2. Extat in Thesauro Mediceo aureus Domitiani nummus inscriptus: *Domitianus Augustus*, & in postica: GERMANICVS COS. XIIII. Anno 88. Domitianus fuit Consul XIIII. Ille quidem post victoriam contra Cattos, titulum Germanici obtinuerat, qui tamen in antica parte cum titulis P.M. ac TR. P. in nummis primi syllaba GERM. inscriptus legitur. Hinc cum in laudato nummo in-

tegre

tegre *Germanicus* exhibeatur, cognomen potius, quam titulum ſignificat. Extat rurſus in eodem Theſauro nummus argenteus in quo Domitianus dicitur TR. P. VI. & in poſtica: IMP. XIIII. COS. XIII. CENS. P.P.P. Cuſus eſt hic nummus anno 87. quo idem geſſit conſulatum XIII. Panvinius alterum nummum laudat Domitiani cum epigraphe TR. P. VII. IMP. XIIII. COS. XIIII. Anno inſequenti 88. erat TR. P. VII. ac in nummis ſignatur Conſul XIV. Extant nummi apud Occonem, in quibus idem Domitianus dicitur COS. XIIII. & IMP. XV. XVI. XVII. XVIII. XIX. XX. ac XXI. Vidi in Gaza Medicea argenteum cum TR. P. VIII. in averſa ſcalptum: IMP. XIX. COS. XIIII. CENS. P. P. P. Viſitur ibidem figura galeata dextra fulmen, ſiniſtra haſtam tenens, cum clypeo ad pedes. Præterea alter nummus ibidem ſervatur, in quo Domitianus legitur TR. P. X. & retrorſum: IMP. XXI. COS. XV. &c. Rurſus Gruteri pag. 575. 1. inſcribitur in vetuſto epigrammate: TRIBVNIC. POTESTAT. XI. IMPERATOR. & CONSVL. XVI. Nec ſecus in nummis deſcribitur. Ex his colligo Domitianum ante annum 90. quo Conſul XV. fuit, victorias de Dacis tuliſſe, ob quas toties titulum Imperatoris iteravit, qui tituli cum juncti legantur cum TR. P. VIII. ac COS. XIIII. pertinent ad Annos 88. &.89. quibus in nummis dicebatur Conſul XIIII. & Tribuniciæ poteſtatis VIII. Cum vero Idibus Septembris A. 88. inierit TR. P. VIII. ac conſtet poſt eam diem Romæ celebraſſe Ludos Sæculares, bellum Dacicum, ac ex eodem victoriæ referendæ videntur ad annum 89. quo inſcribebatur in nummis Coſ. XIIII. atque itidem TR. P. VIII. uſque ad Idus Septembris. Num vero hoc ipſo anno, vel ſequenti triumphum de Dacis egerit, voſmet indagate; ipſe enim propius, ni mea me fallit opinio, ad annum triumphi de Dacis vos conduxi. Scio Martialem lib. 7. epig. 7. ſcribere Domitianum menſe Januario Romam adveniſſe poſt expeditionem Germanicam. Ibi tamen loquitur de expeditione contra Sarmatas, ut patet ex quinto epigrammate, quod in hæc carmina deſinit:

Sed jam lætitiæ quo ſit fiducia major,
Sarmatica laurus nuntius ipſe veni.

Eadem ſcribit lib. 8. epig. 8. ad Janum:

Tu tamen hoc mavis, Latiæ quod contigit Urbi,
Menſe tuo reducem, Jane, videre Deum.

Et epigrammate 15.

Dat populus, dat gratus Eques, dat thura Senatus,
Et ditant Latias tertia dona tribus.
Hos quoque ſecretos memorabit Roma triumphos;
Nec minor iſta tuæ laurea pacis erit.

Secretos triumphos vocat, quod de Sarmatis triumphare recuſavit. Suetonius in Domitiano cap. 6. *De Sarmatis lauream modo Capitolino Jovi retulit.* Hinc Domitianus dicitur dediſſe *ſerta Jovi* apud eundem Poetam lib. 10. epig. 103. Expeditionem ac victoriam Sarmaticam refero ad A. 93. noſtræ epochæ, quia anno 92. cum eſſet Tribuniciæ poteſtatis XI. ac Coſ. XVI. in Gruterana Inſcriptione ac nummis dicitur IMP. XXI. at anno 93. Gruteri pag. 574. 5. idem legitur: TRIBVNIC. POTESTAT. XII. IMP. XXII. COS. XVI. qui tituli iiſdem numeris expreſſi, in quatuor nummis recitantur a Comite Mediobarbo in accuratiſſimo ac locupletiſſimo Auctario Occoniano pag. 139. Hinc ſi anno 93. ſemel ſupra XXI. Imperator dictus eſt, ob victoriam Sarmaticam eum titulum iterum auxit, qui etiam poſtremus fuit; nuſquam enim in nummis deinceps auctus legitur. Itaque Domitianus anno 93. victis Sarmatis, anno altero 94. ineunte, Romam advenit, quo privati Conſules faſtis nomen dederunt; quæ etiam cauſa fuit, cur Domitianus iter Romam non celeraverit, ſecus facturus, ſi eo anno Conſul Kal. Januariis proceſſiſſet. Poſtremam vero Domitiani expeditionem fuiſſe contra Sarmatas patet ex laudato Martiali, cui addendus Statius Lib. 3. ubi de lacrymis Hetruſci, laudans Domitianum, ait:

Hac eſt qua victis parcentia fœdera Cattis,
Quaque ſuum Dacis donat clementia montem.
Qua MODO Marcomanos poſt horrida bella, vagoſque
Sauromatas Latio non eſt dignata triumpho.

Ita ex nupera victoria de Sarmatis non triumphum, ſed lauream tulit. Vix dum finieram, cum illi, Demus, inquiunt, Auctori Regularum Domitianum anno 90. quo Conſul XV. proceſſit, de Dacis triumphaſſe, expeditio bellica contra eoſdem anno ſuperiori 89. deputanda erit, quo tamen anno non ipſe Imperator, ſed Fulvus II. & Atratinus Conſules in faſtis ſignantur. At hoc eſt contra Regulam IV. conſulatuum Cæſareorum, in qua cap. 8. num. 4. pag. 173. dicuntur Imperatores ob expeditiones bellicas conſulatum accepiſſe. Obligatam, inquam, fidem implete; meam tantum ſententiam de anno triumphi Dacici rogaſtis; nec fas eſt tranſgredi limitem, quem voſmet ſtatuiſtis. Auctor diſerte eo loci ſcribit conſulatum ob expeditiones bellicas *non raro*, non autem ſemper ſuſceptum. Si illius verba fideliter redderetis, continuo veſtra evaneſcerent. Præterquam quod bellum fortaſſis exortum erat eo ipſo anno, quo a Domitiano geſtum fuit, ejuſdem anni conſulibus jam ante bellum deſignatis.

Anno 92. Domitianus XVI. ac Q. Voluſius Saturninus Conſules in faſtis, ac Gruteri pag. 300. recitantur. Scribis autem pag. 206. *Sumptus is Conſulatus propter quinta Quinquennalia Cæſarei imperii, quæ tamen nonniſi anno ſequenti celebrata.* Hoc, Vir eruditiſſime, Domitiani imperium Cæſareum irrident, uti etiam cum pag. 212. laudas imperium Cæſareum M. Aurelii, cujus A. 179. octava Quinquennalia producis, & pag. 219. imperii item Cæſarei Commodi meminiſti, quem dicis *veterem morem Quinquennalia & id genus feſta cum Trabea conſulari edendi, renovaſſe.* Nos plane, inquiunt, ignoramus, quidnam ſit hocce imperium Cæſareum Domitiani ac Commodi, ut ille tuus fingit. Nam Dio lib. 53. diſſerens de titulis Imperatorum, teſtatur appellationem Cæſaris *nihil peculiaris potentiæ* ſignificare, ſed tantum *ſucceſſionem ſtirpis*. Et ne a Domitiano diſcedamus, Tacitus in fine lib. 3. Hiſtor. ſcribit Domitianum poſt necem Vitellii a frequenti milite Cæſarem conſalutatum. Et initio lib. 4. ait: *Nomen ſedemque Cæſaris Domitianus acceperat.* Eo autem titulo nullum eidem imperium collatum patet ex iis, quæ ſtatim ſubjungit: *Prætura Domitiano & conſulare imperium decernuntur.* Prætura nullum imperium, ſed juriſdictionis tantum poteſtatem Domitiano conferebat. Ceterum ut Cæſar, idemque filius Veſpaſiani Auguſti quidpiam auctoritatis ac poteſtatis ſupra privatos Prætores haberet, eidem *conſulare imperium* S. C. decretum fuit, quod nuda illa Cæſaris appellatio nullum eidem imperium tribuebat. Marcus Aurelius filios adhuc pueros Cæſares creavit, nullo cum eiſdem imperio, cujus ob ætatem nondum capaces erant, communicato. Idem vero poſt annum nonum, imperium proconſulare Commodo tradidit, ante quod ſine ullo imperio Cæſar tantum fuerat. Etenim Auguſti poteſtatem atque imperium intra Urbem ſibi reſervantes, filios Cæſares imperio proconſulari extra Urbem inſigniebant. Itaque Commodus ac reliqui Cæſares ante imperium proconſulare,

sulare, omnis imperii expertes censebantur. Hinc cum anno 175. Senatus nuntium necis Avidii Cassii accepisset, inter festivas acclamationes absenti M. Aurelio factas, dixerunt *Commodo imperium justum rogamus. Commodo Tribuniciam potestatem rogamus.* Erat igitur Commodus sine imperio, quamvis jam inde ab anno 166. Cæsar esset, destinatus tamen ad imperium, quod una cum Tribunicia potestate eodem demum anno 175. accepit. Idem Commodus cum Albinum Cæsaris nomine donasset, hic postea Imperator pro concione dixit: *Commodum, donantem me Cæsariano nomine, contempsi.* Non imperium Cæsareum dixit, sed purum putum nomen Cæsareum. Horum Auctor Capitolinus c. 2. & 3. in Albino. Hæc illi. quibus reposui te nomine imperii dignitatem Cæsaream intelligere, cum probe scires filiis Principum nullum imperium ex Cæsaris appellatione collatum, cum præter jussionem Augustorum, neminem pro imperio cogere possent. Odisse vero me logomachias, quando nulla de rebus esset disputatio. Tum illi, Detur, inquiunt, tam benigna interpretatio tuæ erga Auctorem Regularum amicitiæ, jam ipsis de rebus disputemus. Scribit sumptum a Domitiano consulatum XVI. ob quinta Quinquennalia; addit tamen *non nisi anno sequenti celebrata.* Hæc doctrina nobis monstro similis videtur. Si sumit consulatum ob Quinquennalia, cur eadem in eodem consulatu non celebrat? Si differt Quinquennalia, cur non etiam consulatum? Videsne, ut hæc sententia, ut alicubi Tertullianus ait, se ipsam strangulet? At operæ precium est audire, unde habeat ea Quinquennalia festa in annum 93. dilata. Quia, inquit ibidem, hoc anno contigit *persecutio adversus Christianos, & publicatio viginti librorum de Antiquitatibus Judaicis*, quos Josephus hoc anno 93. evulgavit. Hic sane Auctor petit principium, uti loquuntur Logici nostri. Nam superius cap. 3. pag. 110. scribit recte ab Eusebio ac Scriptore Chronici Alexandrini persecutionem ab eodem Principe contra Christianos institutam collocari in anno vulgaris epochæ 93. hæc subnotans: *In eum autem annum quinta Quinquennalia Cæsarei imperii Domitiani incidunt.* At in Rationario fastorum ubi de consulatibus Domitiani, tradit ea Quinquennalia incidisse in annum 92. quamvis in sequentem dilata fuerint ob persecutionem. Ita hic probat annum Quinquennalium ab anno persecutionis, alibi e contrario annum persecutionis ab anno Quinquennalium. Viden' Quinquennalia eidem figi, refigi, uti libet, uti lubet? Magnus Ecclesiasticorum Annalium conditor persecutionem a Domitiano decretam, alligat anno 91. Respondet pagina 110 eo anno *quo eam Baronius locat, nulla hujusmodi solemnia edita; unde & nullo teste est ab eo factam.* Quæsumus, ut unum testem ipsemet nobis exhibeat, qui dixerit in annum 93. dilata esse quinta Quinquennalia Domitianea, de quibus nullus ante hunc Auctorem somniavit. Sed nec lepidior est altera nota dilatorum Quinquennalium, quæ petitur a publicatis a Josepho libris Antiquitatum Judaicarum. Plinius libros historiæ Naturalis non tantum publicavit, verum etiam dicavit Imperatori Tito Cæsari *consuli sextum.* At Titus Christi anno 77. fuit Consul VI. nec eo anno Quinquennalia aut Decennalia celebravit. Idem vero Titus dicitur ab amico tuo Quinquennalia edidisse anno Domini 76. Cur non eadem dilata dixit in annum sequentem 77. quorum nota esset Plinii liber Tito Consuli VI. dedicatus? Josephus testatur se libris Antiquitatum Judaicarum finem imposuisse anno imperii Domitiani XIII. qui coincidit cum anno Christianæ epochæ 93. Num Josephus divinavit quinta Quinquennalia a Domitiano in alterum annum differenda; ut lento stylo opus promovens, hoc ipsum eo tantum anno 93. ad umbilicum deduceret? Vel Domitianus distulit ea solemnia, ut expectaret finem elucubrationis Historiæ Hebræorum, quos severissimis exactionibus opprimebat, quarum nimium oculatus testis venit Suetonius cap. 12. de vita ejusdem? Interim interloquutus, Equidem, inquam, non puto expectasse terminum illius historiæ; sed quæso vos, ut expectetis notes, quas maximæ vir eruditionis in Annales Ecclesiasticos brevi evulgabit. Interea judicium de anno memoratæ persecutionis usque ad exactiorem causæ cognitionem suspendite. Scitote vos acusatoris, non judicis partes agere; illius autem est querelas exponere, hujus vero sententiam ea qua voluerit, die pronunciare. Maneat in præsentia hæc sub judice lis. Interim legite, qua de editis a Plinio libris historiæ Naturalis Pagius retractat num. 20. in Prolegomenis.

Anno 95. Domitianus consulatum XVII. accepit, de quo scribis pag. 207. *Est hic ultimus Domitiani Consulatus propter Augustei imperii Quindecennalia sumptus.* Illi autem reponunt se jam demonstrasse Idibus Septembris, qua die Quindecennalia edenda erant, non Domitianum, sed Consules suffectos trabeam gestasse, cum ille ultra Kal. Majas nullum consulatum continuaverit. Id postremum concessi, quod sibi satis esset, si Domitianus annum Quindecennalium suo consulatu in fastis clariorem effecerit, quamquam ante diem illorum solemnium trabeam deposuerit. Tum illi irridere mihi toties repetitum asylum: hiscere meam defensionem, quæ uni semper & quidem lubrico fundamento nitatur. At ipse, Num Ajax, inquam, septemplicem clypeum cum Numidica cetra mutasset, quod ejus tantum præsidio cuncta hostium tela toties retuderat? Imo uno illo usus dicitur, quem omnibus jaculis impenetrabilem noverat. Cum novis armis pugnabitis, cum poeta dicam: *Mutemus clypeos.* Næ tu, inquiunt, in re seria fabularis Ajacis clypeum & poetæ hemistichion recantans? Agedum, en tibi poetam non fabulose, sed historice rem enarrantem. Statius lib. 4. Sylvarum de hoc ipso consulatu XVII. Domitiani scribit:

—— subiere novi Palatia fasces,
Et requiem bis sextus honos, precibusque receptis
Curia Cæsareum gaudet vicisse pudorem.

Bis sextum honorem vocat hunc duodecimum Consulatum ordinarium Domitiani, qui connumeratis quinque suffectis, est decimus septimus. Cum dicit eundem Consulatum *subiisse quietem*; testatur Domitianum non semel oblatum sibi consulatum non admisisse, quem enixis Senatus precibus victus tandem recepit, gaudentibus Patribus victam Principis, non una repulsa delatos fasces respuentis, moderationem. Itaque Domitianus hoc anno consulatum gerere recusabat; quare nuperas Regulas de solemniis Quindecennalium in trabea consulari edendis, vel, uti tu molliter interpretaris, de anno eorundem fastorum Augusteo nomine in fastis nobilitando, ignoravit. Num Senatus Domitianum ad memoriam agendorum in trabea Quindecennalium, quorum oblivio illum ceperat, revocavit? Tum ego: Erant illæ Regulæ; erat tamen Imperator super Regulas. Domitianus tot gestorum consulatuum non tam satietate, quam pudore affectus, malebat in decimo septimo consulatu recusando moderationem simulare, quam annum Quinquennalium de more, suo in fastis nomine insignire. En rursus, inquiunt, nomen in fastis, quod tibi puppis ac prora est, ac sacra anchora in tempestate.

Amicus ille tuus novas, at bellas Regulas consulatuum Cæsareorum procudit, tu bellissimas earundem exceptiones obtrudis. Ille consulatum XVII. ad secundam Regulam revocat, quam tu a Domitiano eundem consulatum recusante, insigni exceptione, violatam pronuncias. Imo, inquam, eandem observavit, cum consulatum accepit; quamvis initio eundem recusans, moderationis potius quam Regulæ laudatæ, considerationem habuisse videatur. At illi: Mirus homo es, qui non tantum ejus Regulæ, verum etiam arcanæ Domitiani mentis tam certum interpretem agis. enimvero pene jurati testes asserimus illum Principem de illa Regula non cogitasse, quam tamen tanti apud ipsum ponderis facis, ut illius tantum causa, consulatum non semel antea rejectum, admiserit. Hactenus contra Regulas consulatuum Cæsareorum disputatum. Illarum Auctor ludos sæculares, bellicas expeditiones, triumphos, vota, decennalia, agonas Capitolinos, templorum dedicationes, & alia id genus solemnia *in trabea consulari* a Domitiano edita putavit, cum tamen ille trabeam consularem sæpe ad Idus tantum Januarias, nunquam certe ultra Kalendas Majas gestaverit. Equidem trabeam consularem pro nomine in fastis consularibus signato interpretaris; at præter mentem Scriptoris, cujus amicum, sed non æque veracem advocatum agis. Ille pag. 83. scribit Quinquennalia ac Decennalia peragi solita ab Imperatoribus *consulari trabea indutis*: Ludos seculares editos a Claudio, qui pag. 184. eidem dicitur *consulari munere fungens*: pag. 178 Triumphum Alexandro Severo *in trabea consulari actum*. Hoccine est, per tuam fidem, Augusteo nomine, quæ tua est unica interpretatio, fastos signare? Id quidem hercle certe est trabeam recipere, induere, gestare, non vero nomen in laterculis consularibus describi. Papæ, inquam, quam invidiose peroratis! Hasce nubeculas jam a me dissipatas, iterum densatis, ut clarissimis Regulis consulatuum umbræ inducantur. En vobis Dio scribit de Claudio lib. 60. *Deinde ludos triumphales edidit, accepta ad ad Consulis potestate*; cum tamen eo anno V. 797. Crispinus ac Statilius trabeam consularem gestarent; an non idem vobis videtur *fungens Consulari munere* cum eo qui Consulari fungitur potestate, Triumphaverat Claudius de Britannis, togam pictam auro intexto intermicantem, quæ trabea est consularis, gestaverat; idem tamen ut ludos ederet triumphales, Consularem potestatem accepit, quam forte etiam obtinuit, dum Ludos sæculares celebrabat, quod veteri Romanæ Reipublicæ instituto, illorum editio ad Consules pertinebat. Hæc scribit Auctor Regularum initio cap. 9. pag. 175. *Sicut triumphalia ornamenta in Consularia transierunt &c.* Primus novi habitus Consularis Auctor ignoratur; at certum est imperante Alexandro Severo, Consules usos toga picta ac tunica palmata, quæ propriæ erant vestes triumphantium. Legite Lampridium cap. 40. de vita Alexandri. Itaque recte eidem Auctori Regularum scribitur triumphum Alexandri in trabea consulari actum fuisse. Ipse tamen toties vobis redditum responsum prætuli, nempe Augustos voluisse annos quibus insigniora solemnia Ludorum, Triumphorum, &c. agenda erant, suo nomine in fastis signari, quod hac ratione plura objecta, quæ laudatis Regulis a vobis opponuntur, facile solverentur. Miror autem tam præposteram opinionem de eximia Amici mei eruditione vobis induci potuisse, ut putaretis ipsum, qui tot annos in fastis habitavit, cum eas Regulas conderet, ne semel quidem cogitasse Imperatores, quamvis Kalendis Januariis consulatum inissent, eodem tamen semet abdicasse, antequam dies Decennalium, Triumphorum, Ludorum Secularium, aliorumque id genus solemnium adveniret. Hinc quoties scribit eas solemnitates ab Imperatoribus *in trabea consulari* peractas, ita interpretatus sum, ac si dixisset Imperatores annos illorum solemnium Augusteo consulatu in fastis nobilitasse. Hanc vero responsionem, qua universa vestarum objectationum machina dissipatur, invidiosis nominibus excipitis, eandem sacram anchoram in tempestate. Palladium, puppim ac proram, cramben recoctam, repetitam cantilenam; ignominiæ esusa appellantes; ego idem non secus ac conchæ aut polypi scopulo adhærescam, quousque & probabiliorem & solidiorem ipsemet Auctor Regularum responsionem mihi suggerat, qua vestra obstinatio frangatur, aut certe tam facilis calumniandi importunitas comprimatur. Interim claudatur hæc de Domitiani Consulatibus disputatio, ac Superi meliorem vobis erga præclarissimas Regulas mentem duint.

Habes, Vir eruditissime, &c, quod honori meo deputo, amicissime, quæ adversus tuas de Cæsareis consulatibus Regulas objiciuntur. Equidem pudet me frigidiori advocatione tuorum insignium Canonum patrocinium exercuisse. Verum quemadmodum velites leviori armatura circumcursantes, hostium irruentium impetum tantisper sustinent, quousque in prælium triarii educantur, qui hostiles cuneos & irrumpant & dissipent, hoc plane consilio qualemcumque advocationem clamore vago ac inani voce commodavi, ut ipse postea plena eximiæ vastæque eruditionis tuæ acie explicata, statariam pugnam inires, ac Canones tuos majoribus ignotos, posteris laudandos, ab adversariorum oppugnationes vindicares, Nemo enim hæc ipsa Cæsareorum Consulatuum arcana melius exponere, aut validius defendere potest quam tu, ad cujus sublimem doctrinam ac præstantissimum ingenium diuturnior hujusce operis cura, ac longior meditatio accessere. Interim tibi etiam atque etiam gratulor, quod Cæsareis fastis, non levi hactenus caligine offusis, tantum splendoris intuleris, ut plus ipse, quam iidem abs te illustrati Consulatus, enitescas. Illi enim nomine tenus angustos fastorum laterculos implent; tu vero eosdem fastos ab Octaviano Augusto ad Byzantinos usque Cæsares latius extensos, amplissimis scriptis complexus es, ut nullus pene Consul in posterum scribi possit, quin eandem plane paginam tui ipsius nomen pariter impleat. Hoc autem priori abs te edito volumine, tuarum in Annales Ecclesiasticos animadversionum ac notarum desiderium acrius intendisti. Illarum nitorem quantulacumque mea promoturus, Fastorum emendationes, quas potui, concinnatas, tibi inscripsi, ac nuncupavi, ut easdem magno Notarum operi insereres, in quo si ipsemet vel semel earumdem correctionum Auctor sine elogio, nominabor, agam gratias pro nominis immortalitate immortale: *augurer enim*, ut Plinii in epistola ad Tacitum verbis utar, *historias tuas immortales futuras*. His scribendis, his edendis, ceteris omissis, toto pectore incumbe, ut huic tuæ Cæsareorum consulatuum expositioni præclarissimorum in Ecclesia Dei iisdem Consulibus gestorum enarratio succedat, ac utroque opere, ut in Claudiani verba desinam,

——— subnixus in ævum
Procedas, pariter libris, fastisque legendus.

INDEX

INDEX

CONSVLATVVM EMENDATORVM.

FASTI VVLGARES.	FASTI EMENDATI.	
Consules TIBERIO imperante.		
Anno Urbis 782.	Anno Christi 29.	
C. FVSIVS. Geminus. *C. Rubellius Geminus.*	*C. FVFIVS. Geminus.* *L. Rubellius Geminus.*	pag. 401. C.
SVF. A. K. IVL.	SVF. A. K. IVL.	
Q. Pomponius Secundus. *. . Sanquinius Maximus.*	*A. Plautius.* *L. Nonius Asprenas.*	pag. 403. A.
A. V. 783.	A. C. 30.	
M. Vinicius Quartinus. *C. Cassius Longinus.*	*L. Cassius Longinus.* *M. Vinicius.*	pag. 403. C.
SVF. A. K. IVL.	SVF. A. K. IVL.	
L. Cassius Longinus. *. . . . .*	*C. Cassius Longinus.* *L. Navius Surdinus.*	pag. 403. E.
A. V. 784.	A. C. 31.	
Tiberius Augustus V. *L. Ælius Sejanus.*	*Tiberius Aug. V.* *L. Ælius Sejanus*	pag. 404. B.
SVF. IDIBVS MAJI.	SVF. VII. IDVS MAJI.	
C. Memmius Regulus. *. . Fulcinius Trio.*	*Faustus Cornelius Sulla.* *Sexteidius Catullinus.*	ibid. D.
	SVF. K. IVL.	
	L. Fulcinius Trio.	ibid.
	SVF. K. OCTOBR.	
	P. Memmius Regulus.	ibid.
A. V. 785.	A. C. 32.	
Cn. Domitius Ahenobarbus. *A. Vitellius Nepos.*	*Cn. Domitius Ahenobarbus.* *M. Furius Camillus Scribonianus.*	pag. 405. A.
SVF. K. IVL.	SVF. K. IVL.	
Furius Camillus Scribonianus.	*A. Vitellius.*	ibid. C.
A. V. 786.	A. C. 33.	
Sergius Sulpicius Galba. *L. Cornelius Sulla.*	*L. Sulpicius Galba.* *L. Cornelius Sulla Felix.*	pag. 406. C.
A. V. 787.	A. C. 34.	
Paullus Fabius Priscus. *L. Vitellius Nepos.*	*Paullus Fabius Persicus.* *L. Vitellius.*	pag. 407 D.
A. V. 788.	A. C. 35.	
C. Cestius Gallus. *M. Servilius Rufus.*	*C. Cestius Gallus.* *M. Servilius Nonianus.*	pag. 409. F.
A. V. 789.	A. C. 36.	
Sex. Papinius Gallienus. *Q. Plautius Plautianus.*	*Sex. Papinius Allenius.* *Q. Plautius.*	pag. 410. C.

Consules CAJO Imperante.

FASTI VVLGARES.	FASTI EMENDATI.	
A. V. 791.	A. C. 38.	
Cajus Augustus II. *L. Apronius Casianus.*	*M. Aquillius Julianus.* *P. Nonius Asprenas.*	pag. 411. E.
A. V. 792.	A. C. 39.	
M. Aquillius Julianus. *P. Nonius Asprenas.*	*Cajus Augustus II.* *L. Apronius Casianus.*	pag. 412. C.
SVF. KAL. FEBR.	SVF. K. FEBR.	
Cn. Domitius Corbulo.	*M. Sanquinius Maximus II.*	pag. 412. F.
SVF. K. IVL.	SVF. K. IVL.	
Sanquinius Maximus II.	*Cn. Domitius Corbulo.*	

Consules CLAVDIO Imperante.

FASTI VVLGARES.	FASTI EMENDATI.	
A. V. 795.	A. C. 42.	
Claudius Augustus II. *L. Licinius Largus.*	*Claudius Augustus II.* *C. Cacina Largus.*	pag 413. D.
A. V. 797.	A. C. 44.	
C. Crispus II. *T. Statilius Taurus.*	*L. Quinctius Crispinus II.* *M. Statilius Taurus.*	pag. 414. B.
A. V. 798.	A. C. 45.	
M. Vinicius Quartinus II. *M. Statilius Corvinus.*	*M. Vinicius II.* *Taurus Statilius Corvinus.*	pag. 414. D.
A. V. 799.	A. C. 46.	
C. Valerius Asiaticus II. *M. Valerius Messalla.*	*. . Valerius Asiaticus II.* *M. Junius Silanus.*	pag. 415. C.
A. V. 803.	A. C. 50.	
C. Antistius Veter. *M. Suillius Rufus.*	*C. Antistius Veter.* *M. Suillius Nervilianus.*	pag 416. D.

Consules NERONE Imperante.

FASTI VVLGARES.	FASTI EMENDATI.	
A. V. 812.	A. C. 59.	
C. Vipsanius Apronianus. *L. Fontejus Capito.*	*C. Vipstanus Apronianus.* *L. Fontejus Capito.*	pag. 418. A.
A. V. 814.	A. C. 61.	
C. Cesonius Paetus. *C. Petronius Sabinus.*	*. . Cesonius Paetus.* *P. Petronius Turpilianus.*	pag. 418. E.
A. V. 816.	A. C. 63.	
L. Memmius. Regulus. *P. Verginius Regulus.*	*C. Memmius Regulus.* *L. Verginius Rufus.*	pag. 420. C.
A. V. 818.	A. C. 65.	
P. Silius Nerva. *C. Julius Atticus Vestinus.*	*A. Licinius Nerva Silianus.* *M. Vestinus Atticus.*	pag. 421. E.
A. V. 819.	A. C. 66.	
C. Suetonius Paulinus. *L. Pontius Telesinus.*	*C. Suetonius Paulinus* *C. Luccius Telesinus*	ex Saxo Ariminensi apud Gruterum p. 1108.

Consules

FASTI VVLGARES.	FASTI EMENDATI.	

Conſules GALBA Imperante.

A. V. 821.	A. C. 69.	
Imp Sergius Sulpicius Galba. *T. Junius , ſeu Vinius Criſpinianus.*	*Imp. Servius Sulpicius Galba.* *T. Vinius Rufinus.*	pag 423. A.

Conſules VESPASIANO Imperante.

A. V. 823. A. C. 70. SVF. A. K. IVL.	A. V. 824. A. C. 71. SVF. K. MART.	
Fl. Domitianus Caſar.	*Fl. Domitianus Caſar.* *Cn. Pedius Caſtus.*	pag. 428. B.
A. V. 831.	A. C. 78.	
L. Cejonius Commodus Verus. *C. Cornelius Priſcus.*	*L. Cejonius Commodus.* *D. Novius Priſcus.*	pag. 424. C.

Conſules TITO Imperante.

A. V. 834.	A. C. 81.	
M. Plautius Silvanus. *M. Annius Pollio.*	*Sex. Annius Silvanus.* *T. Annius Verus Pollio.*	pag. 426. C.

Conſules DOMITIANO Imperante.

A. V. 836.	A. C. 83.	
Imp. Domitianus Auguſtus IX. *T. Virginius Rufus II.*	*Imp. Domitianus Auguſtus IX.* *Q. Petilius Rufus II.*	pag. 428. C
A. V. 837.	A. C. 84.	
Imp. Domitianus Aug. X. *Appius Junius Sabinus.*	*Imp. Domitianus Aug. X.* *C. Oppius Sabinus.*	pag. 429. D.
A. V. 845.	A. C. 92.	
Imp. Domitianus Aug. XVI. *A. Voluſius Saturninus II.*	*Imp. Domitianus Aug. XVI.* *Q. Voluſius Saturninus.*	pag. 429. F.

Conſules NERVA Imperante.

A. V. 850.	A. C. 97.	
Imp. Nerva Auguſtus III. *T. Virginius Rufus III.*	*Imp. Nerva Auguſtus III.* *L. Verginius Rufus III.*	pag. 430. B.

Conſules TRAIANO Imperante.

A. V. 853.	A. C. 100.	
Imp. Trajanus Aug. III. *M. Cornelius Fronto III.*	*Imp. Trajanus Aug. III.* *Sex. Julius Frontinus III.*	pag 431. C.
A. V. 856. A. C. 103.	A. V. 857. A. C. 104.	
Imp. Trajanus Auguſtus V. *L. Appius Maximus II.*	*Imp. Trajanus Auguſtus V.* *L. Appius Maximus II.*	pag. 435. F.
A. V. 864.	A. C. 111.	
L. Calpurnius Piſo. *M. Vettius Ruſticus Bolanus.*	*C. Calpurnius Piſo.* *M. Vettius Bolanus.*	pag. 441. C.
A. V. 865.	A. C. 112.	
Imp. Trajanus Aug. VI. *C. Julius Africanus.*	*Imp. Trajanus Aug. VI.* *T. Sextius Africanus.*	pag. 438. C.
A. V. 868.	A. C. 115.	
M. Valerius Meſſalla. *C. Popilius Pedo.*	*L. Vipſtanus Meſſalla.* *M. Vergilianus Pedo.*	pag. 440. D.

FASTI VVLGARES.	FASTI EMENDATI.	
A. V. 869.	A. C. 116.	
. . Æmilius Ælianus. *L. Antistius Vetus.*	*L. Ælius Lamia.* *Ælianus Vetus.*	pag. 441. D.
A. V. 870.	A. C. 117.	
. . Quinctius Niger. *T. Vipsanius Apronianus.*	*. . Quinctius Niger.* *C. Vipstanus Apronianus.*	pag. 442. C.

Consules HADRIANO imperante.

FASTI VVLGARES.	FASTI EMENDATI.	
A. V. 879.	A. C. 126.	
. . Vespronius Candidus Verus. *. . Ambiguus Bibulus.*	*M. Annius Verus III.* *L. Varius Ambibulus.*	pag. 442. D.
A. C. 887.	A. C. 134.	
C. Julius Servianus III. *C. Vibius Juventius Verus.*	*C. Julius Servianus III.* *C. Vibius Varus.*	pag. 444. D.
A. V. 888.	A. C. 135.	
. . Pompejanus Lupercus. *L. Julius Atticus Acilianus.*	*. . . . . . Pontianus.* *. . . . . . Atilianus.*	pag. 445. C.

Consules ANTONINO PIO imperante.

FASTI VVLGARES.	FASTI EMENDATI.	
A. V. 906.	A. C. 153.	
. . Bruttius Præsens II. *. . Antonius Rufinus.*	*C. Bruttius Præsens.* *A. Junius Rufinus.*	pag. 450. F.
A. V. 907.	A. C. 154.	
L. Aurelius Cæsar. *. . Sextilius Lateranus.*	*L. Ælius Aurelius Commodus.* *T. Sextius Lateranus.*	p. 451. C.
A. V. 909.	A. C. 156.	
. . Plautius Silvanus. *. . Sentius Augurinus.*	*M. Cejonius Silvanus.* *C. Serius Augurinus.*	pag. 453. B.
A. V. 910.	A. C. 157.	
. . . . . . Barbatus. *. . . . . . Regulus.*	*. . Vetulenus Barbarus.* *. . . . . Regulus.*	pag. 453. D.
A. V. 911.	A. C. 158.	
Q. Flavius Tertullus. *. . Licinius Sacerdos.*	*. . . . . . Tertullus.* *. . Claudius Sacerdos.*	pag. 454. B.
A. V. 912.	A. C. 159.	
. . Plautius Quintillus. *. . Statius Priscus.*	*. . Plautius Quintillus.* *M. Statius Priscus.*	pag. 454. F.

Consules M. AVRELIO imperante.

FASTI VVLGARES.	FASTI EMENDATI.	
A. V. 915.	A. C. 162	
Q. Junius Rusticus. *. . Vettius Aquilinus.*	*Q. Junius Rusticus.* *C. Vettius Aquilinus.*	pag. 455. B.
A. V. 917.	A. C. 164.	
L. Julius Macrinus. *L. Cornelius Celsus.*	*M. Nonius Macrinus.* *. . . . . . Celsus.*	pag. 455. E.
A. V. 918.	A. C. 165.	
. . Servilius Pudens. *L. Cornelius Scipio Orfitus.*	*L. Arrius Pudens.* *M. Gavius Orfitus.*	pag. 457. C.
A. V. 919.	A. C. 166.	
. . Servilius Pudens II. *T. Vitrasius Pollio.*	*. . Servilius Pudens.* *L. Fufidius Pollio.*	pag. 457. D.
A. V. 922.	A. C. 169.	
. . Sosius Priscus. *Q. Cælius Apollinaris.*	*Q. Sosius Priscus.* *P. Cælius Apollinaris.*	pag. 458. A.

A. V. 923.

FASTI VVLGARES.	FASTI EMENDATI.	
A. V. 923.	A. C. 170.	
M. Aurelius Cethegus. *L. Junius Clarus*	*M. Cornelius Cethegus.* *C. Erucius Clarus.*	pag. 458. C.
A. V. 924.	A. C. 171.	
L. Septimius Severus II. . . . . . . *Herennianus.*	*L. Septimius Severus II.* *L. Alfidius Herennianus.*	ibid. F.
A. V. 926.	A. C. 173.	
Cn. Claudius Severus II. *M. Claudius Pompejanus.*	*M. Aurelius Severus II.* *T. Claudius Pompejanus.*	pag 459. B.
A. V. 931.	A. C. 178.	
. . *Vettius Rufus.* . . *Cornelius Scipio Orfitus.*	. . *Julianus Rufus.* . . *Gavius Orfitus.*	pag. 461. D.
A. V. 932.	A. C. 179.	
L. Aurelius Commodus Augustus II. . . *Vespronius Candidus Verus.*	*L. Aurelius Comm. Aug. II.* *T. Annius Aurelius Verus II.*	pag. 459. F.
A. V. 933.	A. C. 180.	
. . *Bruttius Praesens.* . . *Quinctilius Gordianus.*	*L. Fulvius Bruttius Praesens. II.* *Sex. Quintilius Condianus.*	p. 462. A.

Consules COMMODO imperante.

A. V. 936.	A. C. 183.	
Imp. Commodus Aug. IV. *M. Aufidius Victorinus.*	*Imp. Commodus Aug. IV.* *M. Aufidius Victorinus II.*	ibid. D.
A. V. 937.	A. C. 184.	
M. Eggius Marcellus. *N. Papirius Aelianus.*	*M. Eggius Marcellus.* *Cn. Papirius Aelianus.*	ibid. E.
A. V. 939.	A. C. 186.	
Imp. Commodus Aug. V. *M'. Acilius Glabrio.*	*Imp. Commodus Aug. V.* *M'. Acilius Glabrio II.*	pag. 463. C.
A. V. 941.	A. C. 188.	
C. Allius Fuscianus. . . *Dullius Silanus.*	*C. Allius Fuscianus II.* . . *Dullius Silanus II.*	ibid. E.
A. V. 944.	A. C. 191.	
. . *Cassius Apronianus.* *M. Metilius Bradua II.*	. . *Cassius Apronianus.* . . *Mauricus Bradua.*	ibid. F.

Consules SEPT. SEVERO imperante.

A. V. 948.	A. C. 195.	
Q. Flavius Tertullus. *T. Flavius Clemens.*	. . *Scapula Tertullus.* . . *Tinejus Clemens.*	pag. 466. C.
A. V. 960.	A. C. 207.	
M. Flavius Aper. *Q. Allius Maximus.*	. . . . *Aper.* . . . . *Maximus.*	ibid. F.
A. V. 962.	A. C. 209.	
M. Aurelius Claudius Pompejanus. . . *Lollianus Avitus.*	. . *Claudius Pompejanus.* . . . . *Avitus.*	pag. 467. B.
A. V. 963.	A. C. 210.	
M'. Acilius Faustinus. *L. Caesonius Macer Rufinianus.*	*M'. Acilius Faustinus.* . . *Triarius Rufinus.*	ibid. E.

Consules

FASTI VVGLARES.	FASTI EMENDATI.	
Consules ANTONINO CARACALLA imperante.		
A. V. 965.	A. C. 212.	
M. Pompejus Asper.	*C. Julius Asper.*	pag. 468. C.
. . . . alter *Asper.*	. . *Julius Asper.*	
A. V. 966.	A. C. 213.	
Imp. Antoninus Aug. IV.	*Imp. Antoninus Aug. IV.*	pag. 469. B.
P. Cœlius Balbinus II.	*D. Cœlius Balbinus II.*	
A. V. 969.	A. C. 216.	
Q. Aquilius Sabinus II.	*C. Atius Sabinus II.*	ibid. D.
Sex. Cornelius Annullinus.	. . *Cornelius Annullinus.*	
A. V. 970.	A. C. 217.	
. *Bruttius Præsens.*	*C. Bruttius Præsens.*	pag. 470. A.
. . . . . *Extricatus.*	*T. Messius Extricatus.*	
Consules MACRINO imperante.		
A. V. 971.	A. C. 218.	
M. Opelius Diadumenianus Cæsar.	*Imp. M. Opelius Macrinus Augustus.*	ibid. C.
. . . . . . *Adventus.*	Cujus e fastis erasi loco semet substituit.	
	Imp. M. Aurelius Antoninus Augustus.	ibid. E.
	. . . . . . *Adventus.*	
Consules ALEXANDRO SEVERO imperante.		
A. V. 976.	A. C. 223.	
. . . . . . *Maximus.*	*L. Marius Maximus II.*	pag. 472. A.
. . *Papirius Ælianus.*	*L. Roscius Ælianus.*	
A. V. 977.	A. C. 224.	
. . *Claudius Julianus.*	. . . . . : *Julianus II.*	pag. 473. A.
. . *Clodius Crispinus.*	. . . . . . *Crispinus.*	
A. V. 978.	A. C. 225.	
L. Turpilius Dexter.	. . . . . . *Fuscus II.*	pag. 474. B.
M. Macius Rufus.	. . . . . . *Dexter.*	
A. V. 980.	A. C. 227.	
D. Cœlius Balbinus.	*M. Nummius Albinus.*	pag. 475. B.
M. Clodius Pupienus Maximus.	. . . . . *Maximus.*	
A. V. 981.	A. C. 228.	
. . *Vettius Modestus.*	*TI. Manilius Modestus.*	pag. 476. C.
. . . . . . *Probus.*	*Sergius Calpurnius Probus.*	
A. V. 983.	A. C. 230.	
. . *Calpurnius Agricola.*	*L. Virius Agricola.*	pag. 479. F.
. . . . . . *Clementinus.*	*C. Catius Clementinus.*	

F I N I S.

SERTORII VRSATI EQ.
DE NOTIS ROMANORVM COMMENTARIVS.

PRÆSTANTISSIMI

SENATORES,

Scientiarum atque omnis

LITTERATVRÆ

PRÆSIDES ET TVTELÆ.

NOn adeo frontem perfricui plus nimio ſuperbe ſentiens de tenuitate mea, SENATORES SPECTATISSIMI, ut exiguis notis, quas Magiſtratus veſtri penetralibus conſecro, mea nomina e veſtris tabulis eximi poſſe confidam. Non ſum neſcius, cum per omne genus officii, tum maxime per iſta verborum compendia, inutiles eſſe conatus ad faſtigium dignitatis exæquandum, unde illud mihi ſupra vota contigit, ut inter Patavinos Profeſſores adſcriptus, in excelſo honoris gradu collocarer.

Unus ſane mutuandæ ſibi lucis amor, meo huic labori auctor fuit, affectandi viam ad nominis veſtri ſplendorem. Ad quam votorum metam ut recta proficiſceretur, inſtitit veſtigiis aliarum lucubrationum mearum, quarum editione fugientem antiquitatem pro mea virili parte niſus ſum ſiſtere. In eas Auguſtiſſimum Venetorum Patrum nomen in fronte præ ſe ferentes, profuſa regiæ clementiæ liberalitas, de inexhauſtæ beneficentiæ fonte, tot bona derivavit, ut ad invidiam uſque felices, hoc quidquid operis eſt, ſuæ beatitatis exemplo in ſpem ejuſdem fortunæ excitaverint.

Quod vero ex ampliſſimo Patrum cœtu, nomen veſtrum unice ſibi delegerit, id quidem profecto ex æquo conſtitutum. Enim vero, quo tempore, ingenti munere veſtri Magiſtratus, adſcitus ſum in hanc fortunam, ut in patrio gymnaſio Meteoris vacarem, commentarius hic firmo progreſſu properabat ad metam, ſed extremam manum jam inſtantem ſubducere coactus fui, docendi munere totum me ſibi vendicante. Ad ea ſacra vocatus, non ita me nova luce, in quam veſtris aſſerebar auſpiciis, paſſus ſum perſtringi, quin probe perſpicerem, mea intereſſe, publicum teſtimonium dare ſummæ addictionis, qua pronam in me veſtram beneficentiam veneror. Hinc ubi pri-

mum indictis feriis literarium forum refrixit, redii ad Romanorum notas, nec me ab eâ cura ulla vis potuit avellere, nisi cum perductam ad umbilicum, vestri & publici juris una facere licuit. Cur nunc vestræ amplitudini non inscribatur liber conceptus, vobis tam magnifice auctorem demerentibus?

Auxit consilii rationem operis suscepti materies, Præstantissimis Senatoribus non indigna. Quamvis enim has notas, ceu bonarum artium purgamenta, plerique despiciant, minus emunctæ naris literatores; norint qui indagandæ vetustati operam suam impendunt, quam invita Minerva adlaborent, imperiti brevium notarum, quibus, ut rerum summa comprehenderetur, priscus mos obtinuit. Atque hinc fuit, ut majorum gentium antiquarii, prima stipendia nobilissimæ artis, prorsusque necessariæ, ad omne genus literarum bene instituendum ac perficiendum, facienda esse in his scribendi rudimentis, præceptis docuerint & exemplis. Ut plane mirum non sit, Titum Imperatorem, humani generis delicium, fuisse in concisis istis dictionum elementis apprime versatum; adeo ut præpete manu per ceras volante, quæcumque vellet, velocissime notis exciperet, eaque laude cum amanuensibus suis certaret.

Vos, PATRES AMPLISSIMI, qui omnium virorum principum laudes, quas prisca ætas jactat, non sine gravi fænore ad hanc usque diffunditis, perennaturas apud posteros, has quoque notas in musarum vestrarum contubernium admisisse non dubitem. Inde certam spem concipit animus, futurum ut opus auctoris humilitate obscurissimum, Majestatis vestræ radiis perfundere, & ad illud eundem aspectum deflectere non gravemini, quo non Patavina modo Academia, vestri cœli sidus, literarii orbis ocellus, verum etiam omnis sapientia refovetur. Hujus voti si me compotem feceritis, hac sorte prope divina mortalium felicissimus, nihil majus superos exposcam. Valete, Venetæ ac literariæ Reipublicæ, rara sæculi decora: sum enim

Vestræ Amplitudinis & Gloriæ.

Patavii Kal. Februarii 1672.

Obsequentiss.
Sertorius Ursatus Eq.

A D

A D L E C T O R E M

De Notis ac Opere animadverſio.

ROmani optime edocti non hominem, ſed informem corporis compaginem illud eſſe, cujus celeri cum diſſolutjone nomeu diſſolvitur, cujuſque cum putreſcente cadavere marceſcit memoria; ad Immortalitatem adipiſcendam communem Reipublicæ mentem direxerunt. Et merito quidem; nam nulla res homine contemptior, qui de ſua nou eſt perennitate ſollicitus; quippe

. . . properat curſu
Vita citato, volucrique die
Rota præcipitis vertitur anni.

Exiguum nobis curriculum circumſcripſit Natura, immenſum gloria, quia ſicuti mors omnibus ex ſui natura æqualis eſt, ita illa apud poſteros memoria, vel oblivione diſtinguitur. Quapropter ad ſui nominis durationem illi inſudantes, licet tot præclara ingentiaque facta commenti & exſecuti eſſent, ut anguſtus jam ad ea capienda univerſus videretur orbis, atque Romanam noſceret ac veneraretur majeſtatem,

. . . . quod Nilus & Atlas
Diſſidet occiduis, quod Gadibus arida Barcæ,
Quodque Peratonio ſecedit littore Ganges.

licetque pro ea ipſa immortalitati conſignanda eximia ingenia, clarique ſcriptores non defuiſſent; nihilominuus hæc omnia Romanis, de memoriæ æternitate maxime laborantibus, non ſatis viſa fuere: ideo ad hunc glorioſum finem ſemper intenti, & loquaces lapides, & litterata ſciverunt metalla reddere. Hinc Faſtos dignitatum Reipublicæ præ ſe ferentes epehemeridem, infatigabili diligentia, durioribus conſignaverunt marmoribus. Hinc arcus bellorum, victoriarum, triumphorum memoranda teſtimonia, magnis ſumptibus, ad ſydera uſque erexerunt. Hinc Numiſmata ære, argento, auro conflata, non tantum hæc omnia oſtendentia, ſed deorum, provinciarum, ingentium operum publicorum, ſacrificiorum, ludorum, munerum notitiam, cum orbe duraturam, præbentia ſolerti induſtria ac arte cuderunt.

Imo apud Romanos tantopere cuncta committendi marmoribus, invaluit uſus, ut nulla eorum religio, nulla dignitas, nullus honoris, vel militiæ gradus; nullus affectus, nullum opus, nullum ſepulcrum abſque lapidibus inſculpta memoria: & ecce ſacra, profana, publica, privataque illorum monumenta; quæ etiam ſi ſaxis nominibuſque mors veniat, attamen non ſic attrita atque exeſa poſt tot ſæcula inveniuntur, ut de eorum cognitione ſit deſperandum. In iſtis, nobiliori eruditione refertis, univerſam Romanarum rerum notitiam deprehendet diligens earum antiquitatum cultor; nam in literatis ſilicibus quiſque inveniet & illorum in Deos pietatem, ac cultum; & ſacerdotalia munera; & dignitatum, urbanarum, proviucialium, ac militarium varietates; & legionum, alarum, cohortiumque nomina; & militum patrias, ſtipendia, dona, miſſiones; & denominandi modos; & libertorum, ac ſervorum officia, & operas, & Imperatorum geſta, ac liberalitates; & ludorum, ſpectaculorum, ac aurigantium diverſitates, & Collegiorum, Municipiorum, Coloniarum, Provinciarumque erga Patronos ac Præſides pietatem; & innumeros Coloniarum, Municipiorum, Magiſtratus; & Parentum in filios, filiorum in parentes, Conjugatorum, Amicorum, Dominorum, Servorum promiſcuos affectus; & ſepulcrorum menſuras, leges, jura; & morientium voluntates; atque tandem ea omnia quæ publicos ac privatos

tos

tos Romanorum mores aperire valent. Verum quia multa in eis, exceptaNotis observantur, quæ non ita hoc ævo facile cognoscuntur: nam

> Multa retro rerum jacet, atque ambagibus ævi
> Obtegitur densâ caligine mersa vetustas.

hæc meo huic labori, non tantum straverunt viam, sed & progressus sollicitaverunt: quem licet non ita parvum, jucundum tamen experiar, si tu, amice lector, non constricta fronte, sed hilari benignoque animo exceperis & spectabis.

At ne in Notarum voce ambiguus aliques hæreat, mihique succenseat, sciat Notas istas ab illis esse diversas quæ Tyronis & Senecæ nomen tenent, atque ab illis, de quibus dicitur in l. 41. De Milit. Testam. Lucius Titius miles notario suo testamentum scribendum Notis dictavit, & antequam litteris præscriberetur, vita defunctus est; *&* in l. 6. ff. De Bonor. Possess. Notis scriptæ tabulæ non continentur edicto, quia Notas litteras non esse Pedius libro 30 ad edictum scribit. *nam hæ puncta, & signa potius erant, quam litteræ, quique eis scribendo utebantur, teste* Isidoro Origin. lib. 1. cap. 21. *proprie Notarii appellabantur, quorum tanta in excipiendis dictantium verbis erat celeritas, ut de Notario* Martialis 14. Epigr. 208. *scripserit:*

> Currant verba licet, manus est velocior illis:
> Nondum lingua suum, dextra peregit opus.

Ob id magistri Notas docentes Romæ habebantur, ex quorum numero Sanctum Cassianum Martyrem cognoscit Prudentius Hym. 9. *de quo dixit.*

> . . . magister litterarum sederat
> Verba notis brevibus comprehendere cuncta peritus
> Ratimque punctis dicta præpetibus sequi.

Prout etiam longe alias meas Notas coguosco ab illis, quæ in servorum corporibus inurebantur, stigmata dicta, ut in l. 3. Cod. Fabric. Stigmata, hoc est, notata publica Fabricensium brachiis ad imitationem Tyronum infligantur. *unde* Petronius. Vera enim Stigmata credebat captivorum frontibus impressa. *Vel puncta, ut apud* Plinium in Panegyrico. Exanguem & ferream frontem nec quiquam convulnerandum præbeant punctis, & notas suas rideant. *Unde* Cicero Officior. 2. Thracem compunctum notis Threiciis *dixit. in quem ordinem pariter & cicatrices venisse observo, siquidem:* Notæ verbo etiam cicatrices contineri *astruitur* in l. 2. ff. De Serv. Fugit. *Ideo Plautinus ille servus, qui sui similem, in tergo præcipue, describebat:*

> Si tergum cicatricosum, nihil hoc simili est similius.

Non me fugit tamen, litteras quoque in servorum corporibus fuisse inustas, unde Litterati Servi. Sic Pistrinarii servi frontes litterati, & capillum semirasi, & pedes annulati ab Apulejo describuntur. Sic ab Olympio villico Calinus servus, apud Plautum, nominatur, cui cum senex, quidam imperasset:

> *St*: Hoc age sis Olympio.

ab eo responsum accepit.

> *Ol*: Si hic litteratus me sinat.

quas litteras Notas pariter appellatas monet Valer. Max. lib. 6. cap. 8. *scribens:* Servum vinculorum pœna coercitum, inexpiabilique litterarum Nota per summam oris contumeliam inustus.

Notas

Notas itaque appello illas singulares litteras, & trunca verba cuncta, quorum litterati lapides pleni sunt; siquidem Notam nunc significasse signum ut in pecoribus, nunc litteras singulas aut binas *docuit* Festus, *& ejusdem abbreviator* Paulus. *propterea* quoties id verbum scribendum erat, in quo retinere hæ litteræ nomen suum possent, singula pro syllaba scribebantur, tamquàm satis eam ipso nomine explerent, ut puta D. Decimus per se dicimus, & Q. littera æque retenta est propter notas, quod per se posita significaret Q. Quæstorem, *scripsit* De Orthographia Terentius Scaurus, *cui adstipulatur* Velius Longus *inversum C. & litteram, & Notam appellans. Neque ad ostendeudum singulares litteras ab antiquis Notas fuisse dictas mihi deficerent testimonia varia, sed pro cunctis sufficiat* Manilius, *qui* 4. Astronomicon *de illis agens,*

> . . . quibus Erigone dixit nascentibus ævum,

inter cæteras eis adtributas qualitates canit:

> Hic & scriptor erit velox, cui littera verbum est,
> Quique notis linguam superet, cursimque loquentis
> Excipiat longas nova per compendia voces.

& post Valerium Probum de Notis Romanorum, Petrus Diaconus, *qui ab isto parum varius, initio sui operis* De Notis Litterarum More Romano *de eis ita scriptum reliquit:* Notæ autem dictæ sunt eo, quia verba in syllabas, præfixis characteribus, notant, ut ad notitiam legentium revocarent, quas didicerunt. Quas qui scribunt, proprie jam Notarii appellantur. Scribebant autem verba per hujusmodi Notas brevitatis causa, ut per B. F. Bonum Factum. Per S. C. Senatus Consultum. Per R. P. Respublica. Per P. R. Populus Romanus. Per DT. Duntaxat. Per supremam ᴛ̄ litteram Mille. Per P. Pupillus. Per ꟼ adverso capite Pupilla. Per unum K. Caput.

Litterales itaque Notas, quas sic appello Probum secutus, qui improprie notas dixit, quæ erant verba contracta aut singulares litteræ, primum ingenium & commoditas invenere, necessitas & usus exinde continuaverunt apud Romanos, ad hoc scilicet, ut sermonum volantium velocitatem prehenderent, qui in Senatu maxime aderant scribendo. Primus quod sciam Probus *Nerone Imperante Romæ Grammaticus in ordinem redegit posterorumque memoriæ consignavit, sed, tempore cuncta terente, librum Notarum jam pene deletum renovavit* Petrus Diaconus *Conrado primo Imperatore, ex quibus auctoribus, tamquam e duobus fontibus varios Notarum rivos, hoc est, multos eorum collectores & explicatores emanarunt, ita ferente occasione, quæ diversarum Notarum a primis plena monumenta ruderibus obruta, nutu suo in dies detegit. Hæ pro varia explicantium intentione & opportunitate hinc inde vagæ & dispersæ in unum coaluere corpus, ad hoc ut ex diversitate interpretationum Monumentorum arcana commodiori via aperirentur, certiorique cognitione eorum perciperetur sententia suprema me excitavit voluntas, cui non obtemperare omnibus sacrilegum semper erit; licet ideo viribus longe impar, prompte morem gessi, Commentariumque parare conatus sum ex omnibus Notarum auctoribus, quos mihi vel solertia mea, vel amicorum concessit diligentia. In eo, ut cuique suum retribuerem, explicationibus auctorum nomina addidi, eas tantum sine auctore relictas, quas imbecillitas mea interpretari fuit ausa. Ut vero communiori studerem utilitati, non tantum lapidum notas colligendi mihi fuit animus, sed eas etiam quæ in Fastis, Senatus Consultis, Plebiscitis, Constitutionibus, ac Rescriptis Principum, numisque Consularibus, & Imperialibus præcipue possunt offendi; si tamen tenuitas mea talem finem assequi valebit, cum præcipue Notarum quantitati certus terminus non sit præscriptus, & numi, & lapides erui possint novis, nec ita facile perceptibilibus Notis, signati. Fateor equidem, quod*

Magnum iter aſcendo, ſed dat mihi gloria vires.

nam

Non juvat ex facili lecta corona jugo.

Quare nullo conatu ac diligentia poſthabitis, quidquid in hanc ſententiam inveni, hoc in Commentario alphabetico ordine redigere curavi, diſtinctionibus illis additis, quæ ex tenebricoſo antiquorum lapidum labyrintho quemque educere poterunt; ſiquidem non tantum ipſas Notas, pro monumentorum differentiis, diverſam accipere ſignificationem manifeſte intelligit antiquitatis iſtius ſolers indagator; ſed in eodem monumento ſimiles Notæ ſola ſitus diverſitate diſpoſitæ. Quare cum, poſt tanta perpetrata a præclariſſimis illis viris, qui feliciori curſu in hac Notarum arena verſati ſunt, nihil eſſet quod adderem; ſaltem facilitatem, in legendis antiquis epigrammatibus, procurandam exoptavi, ne quiſquam circa Notas ambigeret. ob id ubique quo neceſſitas poſtulavit, indicare curavi, quomodo ipſæ legendæ, & quis ſit earum ſenſus pro ſitus varietate, qualiſque habeatur ejuſdem Notæ in unoquoque monumento varietas, loci ac diſpoſitionis ſitu obſervato. Verum quia

Noſcenda eſt menſura ſui, ſpectandaque rebus
In ſummis minimiſque;

propterea me ad omnia imparatum cognoſcens, ſi nihil inveneris, benigne Lector, quod tua gratia dignum ſit, hujuſce mei laboris deſiderium, & intentionem excuſatam habe, cum opus excuſare non poteris; atque, ut flagranter expeto, imbecillitatem, ſubreptionem, caſum crede, cum, quæ in eo coacervavi & diſpoſui, ſtudium putare neges: nam falletur ſemper, quicumque non genio, ſed laudis deſiderio hoc me patraſſe crediderit, ſiquidem Symmacho jactantia avara laudis multum decoquit de pudore, *quem in quacumque mea operatione, ob naturalem meam tenuitatem, ſervandum fateor. quare potius a tua ſumma benignitate*

--- veniam pro laude peto, laudatus abunde,
Non faſtiditus ſi tibi lector ero.



AVCTORES

AVCTORES
Qui pro Commentario Notas dederunt.

A.	
Adolphus Occo.	*In numismatibus.*
Æneas Vicus.	*In numismatibus, tum Latine, tum Italice declaratis.*
Aldus Manutius.	*De Veterum Notarum explicatione.*
Anonymus Manuscriptus Comitis Jacobi Zabarellæ.	
Anonymus Ms. Joannis Rhodii Dani, cujus est titulus:	*Notæ Julii C. Aug.*
Anonimus Ms. Octavii Ferrarii Mediolanensis, licet mutilus.	
Antiquus Codex De Notis Numerorum.	
Antonius Augustinus Episcopus Ilerdensis.	*In Dialogis Antiquitatum Hispaniæ.*
Antonius Gevara.	*In Epistolis Hispanice Scriptis Italiceque traductis.*
B.	
Barnabas Brissonius.	*De Formulis.* *De Verborum Significatione.*
Bartholomæus Burchielatus.	*In Sermonibus Epitaphiorum, & in Commentariis Historiæ Tarvisinæ.*
Bartholomæus Amantio.	*Abbreviationes Vetustorum Monumentorum.*
Bernardinus Trinagius.	*In Monumentis Vicentinis.*
C.	
Carolus Sigonius.	*De Republica Romana.* *De Nominibus Romanorum.*
Consentius Grammaticus.	
Constantinus Lando.	*In Veterum Numismatum Mistellanea explicatione.*
D.	
Demetrius Alabaldus.	*De Minutis.*
Diomedes Grammaticus.	
F.	
Franciscus Angelonus.	*In Historia Augusta* / *In Historia Interamnæ* } *Italice scriptis.*
Franciscus Gallus.	*In Monumentis Auximi.*
Fortunius Licetus.	*De Lucernis Antiquorum.*
Franciscus Hothomanus Auct. damnat.	*In Notis Juris.*
Fulvius Ursinus.	*De Familiis Romanorum.*
G.	
Gabriel de Simeonibus.	*In Illustrationibus Epitaphiorum, & Numismatum antiquorum, Italice scriptis.*
Gaspar Hemelarius.	*In Notis Numismatum Integre Repræsentatis, vulgo Ducis Arescotani Numismata.*
Georgius Gualtherius.	*In Animadversionibus ad Antiquas Siciliæ Tabulas.*
Gratiosus Epidaurites.	*In Horatii Tusconellæ Dictionario Italico.*
Guidus Pancirolus.	*In Notitiam Utriusque Imperii.*
H.	
Henricus Ernstius.	*Notæ In Valerium Probum.*
Hermanus Hugo.	*De primo Scribendi origine.*

Hubertus Goltzius.	*De Notis singularibus & implexis in Numismatibus & Fastis.*
I.	
Jacobus Cujacius.	*In Observationibus Juris.*
Jacobus Gutherius.	*De Jure Manium.*
	De Officiis Domus Augustæ.
	De Veteri Jure Pontificio.
Jacobus Philippus Tomasinus.	*De Donariis seu Tabellis Votivis.*
C. Jacobus Zabarella.	*In Arruntiis Italice scriptis.*
Janus Gruterus.	*In Inscriptionibus.*
Joannes Antonius Castilioneus.	*In Mediolanensibus Antiquitatibus.*
Joannes Baptista Porta.	*De Furtivis Litterarum Notis, vulgo de Zifris.*
Joannes Calvinus auct. Damnat.	*In Lexico Juris.*
Joannes Passeratius.	*In Calepino suæ Editionis.*
Joannes Rosinus.	*In Antiquitatibus Romanorum.*
Joannes Tristanus de Sancto Amantio.	*In Numismatibus Gallice descriptis.*
Josephus Laurentius.	*In Amalthea Onomastica.*
Isidorus.	*In Originibus.*
Justus Lipsius.	*Ad Annales Taciti.*
	In Annalectis ad Militiam Romanam.
L.	
Lævinus Hulsius.	*In Imperatorum Nummis.*
M.	
Magno.	*Notæ Juris.*
Marcus Velserus.	*In Rebus Augustæ Vindelicorum.*
O.	
Onuphrius Panvinius.	*De Ludis Circensibus.*
	In Fastis.
	In Descriptione Civitatis Romanæ.
Octavius Falconerius.	*In Inscriptionibus ex Marmoribus Africanis.*
P.	
Papias.	*In Glossario,*
Petrus Appianus.	*In Abbreviationibus Vetustorum Monumentorum.*
Petrus Diaconus.	*De Notis Litterarum More Romano.*
Petrus Servius.	*In Juvenilibus Feriis.*
Pierius Valerianus.	*In Hieroglyphicis.*
	In Sermonibus Belunensibus.
S.	
Sebastianus Erizzius.	*In Numismatibus Italice scriptis.*
Stephanus Pighius.	*In Hercule Prodicio.*
Stephanus Zamoscius.	*In Analectis Daciæ Antiquitatum.*
T.	
Terentius Scaurus.	*De Orthographia.*
Theodosius Trebellius.	*In Promtuario Linguæ Latinæ.*
Thomas Reinesius.	*In Epistolis.*
Torellus Sarainas.	*De Interpretatione Litterarum Antiquarum.*
V.	
Valerius Probus.	*De Notis Romanorum.*
Volfgangus Lazius.	*De Ratione legendi Litteras abbreviatas in Monumentis.*
L. Volusius Metianus.	*De Distributione ac Notis in rebus Pecuniariis.*

Singulares litteras atque abbreviationes omnes, quibus nullum est additum auctoris nomen, imbecillitas mea explicare est ausa.

SER-

SERTORII VRSATI PATAVINI

SERENISS. SENATVS VENETI EQVITIS ET *IN PATRIO GYMNASIO METEORORVM PROFESSORIS*

de Notis Romanorum Commentarius.

A

A Abesto. Abscondo. *Aldus Manutius de Veterum Notarum Explicatione.*

Absenti. *Torellus Saraınas de Interpretatione Litterarum Antiquarum.*

Absolvo. *Petrus Diaconus de Notis Litterarum More Romano. Pierius in Hieroglyphicis. Carolus Sigonius de Republica Romana. Brissonius de Formulis. Hermannus Hugo de Prima Scribendi Origine. Joan. Calvinus auctor damnatus Lexico Juris.* In antiquorum namque judiciis frequentissimum fuit A ad absolutionem indicandam, ideo ipsam salutarem litteram nuncupavit Cicero pro Milone.

Accepit. Accusator. *Manutius.*

Actio. *Anonymus Manuscriptus Jo. Rhodii.*

Actionem. Ad. *Saraınas.*

Adimo. Adjutor. Adolescens. Adoptatus. Adulterium. Ædes. *Manutius.*

Ædilis. *Josephus Scaliger in Gruterianis Indicibus.*

Ædilitas. *Manutius.*

Ære. *Saraınas.* Si in Triumvirorum Monetalium monumentis.

Ærarium. *Manutius.*

Ager. *Valerius Probus de Notis Romanorum. Wolfangus Lazius de Ratione Legendi Litteras Abbreviatas in Monumentis. Theodosius Trebellius Promptuario Linguæ Latinæ. Petrus Servius in Juvenilibus Feriis. Saraınas. Manutius.*

Agimur. Agimus. Agri. *Saraınas.*

Agro. In sepulcralibus saxis, in quibus quantitas designatur sepulcri.

Agrum. *Anonymus Manuscriptus Comitis Jacobi Zabarellæ. Probus, Sarasn. Manut.*

Ais. *Saraınas.*

Ajunt. *Probus. Ms: Zabarella. Manutius.*

Aliquando. *Probus. Ms: Zabarella. Man.*

Altiri. Alteri. *Saraınas.*

Amicus. *Manutius.*

Amiras. *Probus* ex animadversione diligentissimi, ac eruditiss. *Henrici Ernstii* non minus de philosophia, quam de bonis litteris, ac de antiquitate præcipue optime meriti, cum Probum ipsum, improborum librariorum ignavia corruptum, genuinæ probitati magno fructu conatus sit restituere.

Amor. *Manutius.*

Anima. *Probus. Anonymus Manuscriptus Octavii Ferrarii.*

Anni. *Manutius.*

Annis. *Ms: Zabarella.* Habeturque frequentissime in illis monumentis, in quibus annos signatos observare licet.

Anno. *Hubertus Goltzius de Notis Singularibus & Implexis in Numismatibus & Fastis.*

Annos. *Scaliger.*

Annumerat. *Manutius.*

Annus. *Diaconus. Manutius. Scaliger.*

Ante. *Saraınas. Manutius.*

Antiquo. *Antonius Augustinus in Dialogis Numismatum. Hugo. Calvinus.* Cum enim antiquis, in legum comitiis, antiquandi, hoc est, in morem priscum reducendi, in animo erat, A litteram in cista deponebant, atque ideo sicuti in Judiciis cum A absolvebant, ita in Legum Comitiis cum eadem littera antiquabant.

Apollinis. *Saraınas. Manutius.*

Appellat. Aptum. *Manutius.*

Apud. *Sarainas. Manutius.*

Aqua. Arbiter. *Manutius.*

Arbitratu. *Saraınas. Manutius.*

Arcus. *Manutius.*

Arenis. Argentum. *Sarainas.*

Arrarum. *Probus Ernstii.*

Assolet. *Diaconus. Ms. Ferrarii. Manutius. Passeratius in Calepin. Josephus Laurentius in Amalthea Onomastica Laurent.*

Aucta. Auctor. Auctoritas. *Manutius.*

Auctoritate. *Sarainas.*

Augustalis. *Magno in Notis Juris.* De Augustalibus *Tacitus Annal. lib. 1. Suetonius in Claud. c. 6. & in Galba c. 8. Vegetius de Re Milit. lib. 2.* & *Wolfangus Lazius in Commentariis Reipubl. Rom. lib. 2. c. 4.* qui, perperam forte, Augustales Apparitores penes Romanos fuisse scripsit. Occurritque nota aliquando in saxis Coloniarum & Municipiorum.

Augusto. *Sarainas.* De Augusti cognominis origine abunde *Suetonius in August. c. 7.*

Aula. *Servius.* Cum in mulierum lapidibus A locum prænominis usurpet.

Aulus. Passim in monumentis. Unicum A ante gentilium nomen tam viri quam mulieris existens prænomen denotat utriusque sexus. Aulus dictus potissimum fuit, *qui Diis alentibus nascebatur. Va-*

lerius Maximus, five quifquis fit auctor *Epitoma de Nominum Ratione*. *Titus Probus de Prænomine*, & *Diomedes Grammaticus* quibus adſtipulantur inter cæteros *Onuphrius Panvinius de Antiqu. Nomin.* & *Carolus Sigonius de Nomin. Roman.* quandoque tamen vulgatiſſimum hoc prænomen pro nomine gentilitio invenitur in monumentis, ut percipitur ex *Gruteriana* collectione *pag.* 114. *n.* 1.

PRO. SA . . . .
ANTONINI. AV. PII. P.
P. AVLVS. P. F. PALATINA
POSTVMIVS. ACILIANVS
PRAEF. COH. I. DELMATAR

Aurelius. *Manutius.* Licet Aurelius nomen gentilitium Romæ fuerit gentis Patritiæ minorum gentium, ut *Panvinio de Antiq. Nomin.* videtur, Sabinis oriundæ, atque a Sole dictæ, *Festo* auctore *de Verb. Signif.* Prænominis tamen loco aliquando fuit in monumentis tam viri, ut eſt *pag.* 312. 2.

TERENTIAE
FLAVOLAE. V. V
MAXIMAE
AVR. IVLIVS BAL
BILVS. SAC. SOL
OB. PLVRA EIVS
IN. SE. MERITA
D. D. PR. NON. APRIL
LAETO. II. ET CERIALE
COSS

quam mulieris, ut *pag.* 374. 4.

C. BASILIDES. EQ. R
ET AVR. VIBIA
VIBIANAE. MATRONAE
PARENTES
FIL. KARISS. V. F. F

Necnon & loco cognominis, ut *p.* 26. 10.

CERERI SACRVM
L. AP. . . . . PAL. ET
P. STATIVS. P. F. PAL. AVRELIVS. II. VIR
CVRATORES
Q. LARONIVS. Q. F. HOR. QVADRATVS
L. MEMMIVS. SEX. F. PAL. PETRONIVS
L. MEMMIVS. L. F. PAL. GALBIVS
MENSOR. ITER. HONOR. IN. CVR. PVNCT
IIII. VIR. VIAR.

Auro. In ſaxis, ubi Triumvirorum Monetalium eſt mentio.

Aurum. *Sarainas. Manutius.*

Aut. *Probus. Magno. Ms: Zabarellæ. Trebellius. Lazius. Manutius.*

Avus. *Appianus. Lazius. Manutius.*

A. Quingenta. Antiquus codex de Notis Numerorum, adjectus Probo meo impreſſo Venetiis 1525.

A. Uſi ſunt Antiqui ad pueritiam denotandam. *Iſidorus pag. Orig. c.* 23. Militiæ vero ignorantiam A denotaſſe obſervaverunt, *Sarainas*, & *Manutius* ex *Petro Diacono*, qui potius tamen Græcorum λ quia A Latinorum hoc modo *A* exhibet.

A. *Si in termino inveneris, finem in proximum ſignificat, aut aquam vivam deſignat*, ita in opere, cui titulus: Varii auctores de Limitibus agrorum.

A. Ager. *Diaconus. Ms: Rhodii. Manut.*

Annus. *Ms: Rhodii.*

Aut. *Diaconus. Ms: Rhodii. Manutius.*

Quinque millia. *Antiquus Codex de Notis Numerorum.*

A. Ager. Aut. *Manutius.*

A7. Autem. *Papias in Gloſſario.*

A. A ſunt *Papias*, dummodo antiquariſterifium pro linea habuerit, quod huculque non teneo.

Pro A. ſæpe in monumentis.

AA. Auguſta. *Probus. Diaconus. Ms: Zabarellæ. Ms: Ferrarii. Gratiofus Epidaurites in Dictionario Horatii Toſcanellæ. Sarainas. Appianus. Trebellius. Lazius. Manutius. Paſſeratius. Laurentius.*

Auguſtalis. *Ms: Ferrarii. Sarainas. Alan.*

Auguſti. *Probus. Diaconus, Ms: Rhodii. Appianus.* Quod omnium proprium; ſiquidem in monumentis quandoque A geminatio duos ſignificabat Auguſtos. Habenturque in Imperatorum monumentis.

A.A. Ante Audita. *Ms: Ferrarii.*

ĀA. Auguſtalis. *Probus. Diaconus. Ms: Rhodii. Ms: Ferrarii. Appianus. Trebellius. Sarainas. Lazius. Manutius.* In lapidibus, in quibus dignitates coloniarum recenſentur.

A. A. Abſens Antonius. *Manutius.*

Æs Alienum. Ante Audita. *Papias.*

Apud Agrum. *Probus. Ms: Zabarellæ. Sarainas. Appianus. Trebellius. Lazius. Manutius.* Quod quandoque in lapidibus occurrit antiquis, ubi de loco monumenti notitia datur: ſæpe enim in eis habetur *Apud Agrum Locum Monumenti*, ut paulo inferius conſtabit.

Aurum Argentum. *Probus. Ms Zabarella. Appianus. Lazius. Manutius. Paſſeratius. Laurentius.*

Aulus Agerius. *Probus. Ernſtius*, quem conſulat lector ad *cap.* 1. *Notar. Probi. Papias.*

AAA. Auguſti. Tres ſcilicet. *Probus. Manutius.* quod paſſim in *Theodoſiani Codicis* Principumque Reſcriptis, & Imperatorum ſaxis, in quibus tres nominantur.

A.A.A. Auro Argento Ære. *Ms: Zabarellæ. Appianus. Lazius. Manutius.* Ubi de Triumviris Monetalibus fit mentio, cum ſubſequentibus.

A.A.A. AVG. Auri Argenti Æris Auguſti. Supple Exactor, ut ex antiquo marmore *pag.* 69. 10.

TI. SERRANVS EXACTOR
A. A. A. AVG. AESCVLAPIO
SVPER. SALVTE. CONIVGIS
CRISPINILLAE. B. M
H. S. F

A.A.A.F.F. Auro Argento Ære Flando Faciundo. *Pierius.*

Auro Argento Ære Flando Feriundo. In lapidibus & nummis Triumvirorum Monetalium, Auguſti ævo, communiſſimum. *Ernſtius* eleganter ad hæc *cap.* 1. *Notar. Probi.*

Auro Argento Ære Flando Ferundo. *Appianus. Manutius. Conſtantinus Landus in Veterum Numiſmatum Romanorum Miſcellanea Explicatione.*

Auro Argento Ære Flato Feriundo. *Sarainas. Appianus. Trebellius. Sebaſtianus Erizzius in Numiſmatibus. Manutius. Paſſeratius. Laurentius.*

Auro Argento Ære Flavo Fœcundo. *Trebellius. Manutius.*

Auro Argento Ære Flavo Feriundo. *Probus. Ms: Zabarellæ. Trebellius. Manut.*

Auro Argento Ære Flavo Feriundo. *Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius.*

A.A.A.F.F.QV.TY. Auri Argenti Æris Flator Fabricæ Quirinalis Tyberini. *Probus. Manutius.*

Auri Argenti Æris Flator Fabricæ Quirinalis Tiberii vel Tiberis. *Manut.*

A.A.C. Ante Auditam Cauſam. *Probus. Papias. Ms: Ferrarii. Sarainas.* In Edictis Prætoriis.

Ante Auditam Cauſam. *Diaconus. Manutius. Paſſeratius. Laurentius.*

A.Ā.C.

A. A.C. Ante Auditam Causam. *Ms: Rhodii.*

AA. COSS. Augustis Consulibus.

Frequentissimum in Rescriptis & Constitutionibus Imperialibus, atque *Codicis Theodosiani* præcipue.

A. A. L. Aulorum Libertus. Duorum scilicet Patronorum Libertus, quibus tale prænomen fuerat, prout & duorum Marcorum, ut in antiquis marmoribus *pag.* 35. 5.

SOLI
INVICTO
M. AEMILIVS
M. M. L. CHRYSANTVS
MAG. ANNI. PRIMI. ET
M. LIMBRICIVS. POLIDES
DEC. ET. SODALICIO. EIVS
D. S. D. D

Quinimo & trium Dominorum Liberti quandoque in saxis memoria habetur, ut *pag.* 999. 3.

M. VALERIVS
M. M. M. LIB
PRIMIGENIVS
VIXIT ANNIS
XXVIII

A. ALB. Aulus Albinus. Si in nummis argenteis Postumiæ gentis occurat nota, in qua Albini clari extitere. Albinum cognomen diminutivum Albi coloris fuit, ut & Album pro cognomine acceptum.

A. ALBIN. A. F. A. N. Aulus Albinus Auli Filius Auli Nepos. In nummis argenteis gentis Postumiæ.

A. A. L. M. Absens Antonius Lege Mandavit. Absens Antonius Legavit Monumentum. *Manutius.*

Apud Agrum Locum Monumenti. *Ms: Zabarella. Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius.* Si litteræ existant in sepulchralibus cippis.

A. A. L. R. Adhuc Augures Locum Requirunt *Gratiosus.*

Apud Agrum Locum Requietorii, *vel*, Locavit Requietorium. De Requietorio, quod expressum quandoque in saxis legitur, inferius dicetur.

A. ALR. Alii Adulteravit. *Diaconus. Manutius.* Alius Adulteravit. *Probus Ernstius.*

A. A. S. E. V. Alter Ambove Si Eis Videbitur. *Scaliger. Brissonius*, qui *De Formul. Lib.* 2. observavit, hæc fuisse Senatorum Consultorum solemnia verba, ut quod Consulibus mandabatur, posset altero absente, vel occupato per alterum expediri.

A. A. S. L. M. Apud Agrum Sibi Legavit Monumentum. *Manutius.*

Apud Agrum Sibi Locum Monumenti. *Probus. Manutius. Passeratius. Laurentius.* Quod in sepulchralibus epigrammatibus aliquando.

A. A. S. L. M. P. Apud Agrum Sibi Locum Monumenti Posuit. *Manutius.*

A. AT. Ante Audita. *Diaconus. Manutius. Passeratius. Laurentius.*

A. ATIL. A. F. C. N. Aulus Atilius Auli Filius Caji Nepos. In nummis argenteis gentis Atiliæ.

A. ATILI. CA. Aulus Atilius Calatinus. In nummis æreis ejusdem gentis.

A. A. V. Alter Ambove. *Trebellius. Manutius. Brissonius.*

A. A. V. S. E. V. Alter Ambove Si Eis Videbitur. *Brissonius.*

A. A. V. S. L. M. Apud Agrum Vivens Sibi Locum Monumenti. *Probus Ernstius.* In sepulcralibus.

AA. VV. CC. CONSS. Augustis Viris Clarissimis Consulibus. Antiqui enim per litterarum duplicationem. vel triplicationem, duas & tres designabant personas.

AB. Abdicavit. *Golzius. Manutius.* Addebatur nota, in Fastis, nomini illius, quem magistratum abdicasse, demonstrare intendebant Romani.

A. B. Alia Bona. *Probus. Ms: Zabarella. Gratiosus. Sarainas. Appianus. Trebellius. Lazius. Manutius. Passeratius. Laurentius.*

Ante Brutum. Ara Bona. Aulus Brutus. Auspiciis Bonis. *Manutius.*

AB. AC. Ab Actis. *Franciscus Gallus in Monumentis Auximi.* Notæ sunt Monumentorum Officialium Domus Augustæ, atque communes illorum nominibus, qui acta conscribebant. Hinc Ab Actis Fori, qui ejusdem acta recolebant, de quibus apud Jurisconsultos *L.* 7. *Cod. De Advoc. Diversor. Judiciorum.* & penes *Jacobum Gutherium lib.* 2. *c.* 13. *De Offic. Dom. Aug.* fuse. Et Ab Actis Senatus, de quibus mox.

AB. AC. SENAT. Ab Actis Senatus. *Lipsius commentariis ad* 5. *Taciti Annal.* quinam hi essent docet, eorumque originem habet *Suetonius c.* 20. *Jul. Cæs.* atque Hadrianum Imperatorem acta Senatus curasse monet *Spartianus* in eo.

AB. Aug. M. P. XXXXI. Ab Augusta Millia Passuum Quadraginta Unum. In lapidibus viarum distantias signantibus.

AB. AVGVSTOB. M. P. X. Ab Augustobriga Millia Passuum Decem.

Augustobriga, hoc est, *Sebastiano Munstero* damnatæ memoriæ auctore, *ad* 2. *part. Geograph. Ptol.* Augusti oppidum. *Briga enim*, ait ille, *Hispanorum lingua, oppidum dicitur, ut Thracibus Bria, Germanis Burg.* Augustobriga in Hispaniis duplex, in Tarraconensi una, in Lusitanica Hispania altera: primam, celebrem nunc etiam pagum esse monet *Philippus Ferrarius Lexico Geographico*, cui nunc vulgare est nomen *Aldea el muro*; secundam vero, pagum *Villar de Pedroso* dictum, observat. *Carolo* tamen *Stephano Lexico Hist. Geograph. Poet.* videtur secundam varia sortitam fuisse nomina; alias enim *Medina Cœli*; alias *Burgos*; alias *Villar de Pedroso* eam denominatam observat.

ABDIC. IN. E. L. F. E. Abdicavit In Ejus Locum Factus Est. In Fastis, si quis ante expletum magistratum sponte illum deponebat, eique alter substituebatur.

AB. EPIST. LAT. Ab Epistolis Latinis. In Lapidibus Officiorum Domus Augustæ. De Magistris Epistolarum tum Græcarum, tum Latinarum erudite *Jacobus Gutherius* eximius Jurisconsultus Gallus *De Offic. Dom. Aug. lib.* 3. *c.* 4. Non vulgare tamen munus fuisse ex eo constat, quia Suetonius sub Hadriano, *Spartiani* fide, idipsum tractavit, licet, anteactis annis, hoc per libertos regeretur, ut abunde cognoscitur, tum ex *Claudio Suetonii cap.* 28. tum etiam ex monumentis ipsis *pag.* 587. 5.

THALLO
ABASCANTI
AVG. LIB
AB. EPISTVLIS
LIB

Et 587. 4.

L. VETVRIO
AVG. L
AB. EPISTVLIS
LATINIS
MANTO. VXOR
MARITO
POSVIT

ABET.

ABET. SEDE. *hoc est*, Habet Sedem. In monumentis Christianorum primitivæ Ecclesiæ, quæ ex cryptis & cœmeteriis frequenter Romæ eruuntur; quorum notas explicandas opportunum credidi, tum quia & ipsa venerabilem præ se ferunt antiquitatem, tum quia, illius ævi luctuosissimi, miseram Latinæ linguæ repræsentant Fortunam, prout ex præsenti nota conspicitur, cujus monumentum tale datur *Roma Subterran. Tom. 2. lib. 4. c. 14.*

HIC ABET SEDE
LEO PRB

AB. HORT. CVL. ab Hortorum Cultura. Hortorum Cultor Servus erat tam in urbana, quam in rustica familia, de quo eruditissimus concivis meus *Laurentius Pignorius De Servis* elegantissime. Occurruntque notæ in servorum cippis.

A. B. M. amicæ Benemerenti. *Octavius Rubeus in Monumentis Brixianis Italice scriptis. Servius.* Dummodo tamen notæ sint in sepulcralibus mulierum saxis, amicitiæ causa donatis.

amico Benemerenti. *Manutius.* In sepulcralibus.

animæ Benemerenti. *Rubeus.*

AB. MARMORIB. ab Marmoribus. In artificum saxis. A marmoribus eos puto, non qui Officinatores a Statuis, de quibus *Pignor. De Serv.* sed servos curatores rationum Tabularii marmorum, de quibus Romanus lapis *pag.* 595. 5.

DIS. MANIBVS
T. FLAVI. FELICIS
SVCCESSVS. AVG. L
TABVLARIVS
MARMORVM
LVNENSIVM
LIBERTO . KARISSIMO
ANNOS . VIXIT. X
MENSIBVS. VI. DIEBVS. XXIII.

ABN. }
ABN. } abnepos. *omnes fere Abbreviatores.* In Fastis & Lapidibus, in quibus, pro cognitione & distinctione, ob similitudinem prænominum, nominum gentilitiorum & cognominum, non tantum nomen Patris, sed & Avi, atque Atavi necessaria erat designatio.

ABNP. abnepos. *Rubeus.*

AB. R. P. ab Ripa Proxima. In milliariis Cippis.

ABS. absolutio. *Sarainas.*

absolutus. *Probus. Ms: Zabarellæ. Appianus. Lazius. Manutius. Passeratius. Laurentius.*

ABSCD. abscondit. *Ms: Rhodii.*

ABSC. P. abscondita Pecunia. *Manut.*

A. B. V. A Bono Viro. *Probus. Ms: Zabarella. Sarainas. Appianus. Trebellius. Lazius. Manutius. Passeratius. Laurentius.*

arbitratu Boni Viri. *Manutius.*

AB. V. C. ab Urbe Condita. *Probus. Ms: Zabarella. Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius. Joannes Baptista Porta De Furtivis Litterarum Notis.*

A. C. a Consule. *Manutius.*

acta Causa. *Papias. Grattosus.*

actione Conscripta. *Papias.*

actionis Causa. Alia Causa. *Manutius.*

alius Civis. *Probus. Sarainas. Manutius. Passeratius. Laurentius.*

ante Condemnationem. ante Causam. *Manutius.* Cæterum quid sibi velint istæ duæ litteræ. A. C. in nummo argenteo Quinti Cassii, ab ea parte, qua Templum Vestæ observatur, *Asconius* conterraneus meus docet commento *In Orationem Ciceronis pro Milone.*

AC. actio. *Probus, Diaconus,* & omnes fere Notarum explicatores.

A. CAE. Aulus Cæcina. In æreis nummis gentis Cæcinæ.

A. CAMB. M. P. XI. a Camboduno Millia Passum Undecim. Cambodunum nunc, *Munstero* teste, ad *Secund. Part. Geograph. Ptolemæi,* Monachium est, cui adstipulatur in *Lex. Histor. Geograph. Poet. Carolus Stephanus,* Norici caput, vulgo *Monaco. Ferrarius* tamen in *Lex. Geograph.* Cambodunum novum Monachium putat dicendum, cum ex ruderibus Camboduni Monachium extructum dici possit.

ACB. actionem. *Magno.* si recte.

ACC. acceperat. *Diaconus. Appianus. Lazius. Manutius. Passeratius. Laurentius.*

acceperant. *Sarainas.*

acceptat. *Probus. Diaconus.* cæterique notarum explicatores.

accepta. *Ms: Ferraris. Papias.* Accepta Rescriptis & Constitutionibus Principum subscribebatur a Præfectis Prætorio, seu Urbis; a Comitibus, ac Vicariis, qui Urbi & Provinciis præerant; ut non tantum erogatarum, sed & acceptarum Constitutionum dies innotesceret, ut passim per totum *Theodosianum Codicem;* videlicet: *Data pridie Nonis Decembris Serdica. Accepta quinto Nonas Majas Corduba* 1. Consulis tamen semper addito nomine, siquidem: *Accepta & data non aliàs possunt apparere nisi Dies & Consul fuerit editus;* ita *l.* 1. §. *Editiones. ff. De Edendo.*

ACC. accepta. *Ms: Rhodii. Magno.*

ACCE. active. *Sarainas.*

ACCE. active. *Ms. Rhodii.*

ACCENS. COS. accensus Consulis. Accensi milites erant *postea additi, quam fuisset legio completa,* ait *Vegetius de Re Milit. lib.* 2. *c.* 19. ubi suo ævo eos *supranumerarios* vocatos monet. At *Varro D. L. L. lib.* 6. Accensos ministratores, ex Catonis sententia, esse scribit. Et Nonius cap. 12. Accensos dictos vult, qui Decurionibus & Centurionibus non solum attribuebantur, sed qui *Ferentarii* appellabantur, quia *depugnabant pugnis & lapidibus.* Festus vero, in verbo *Optione,* notat, quod sua ætate qui Optio dicebatur, antea appellabatur Accensus. Ex his Accensos duplicis ordinis noto apud Romanos, Milites scilicet, & Ministros. Milites Accensi, qui vel addebantur, antequam legio fuisset completa, cum Varrone, vel cum *Alex. ab Alex. Gen. dierum lib.* 6. *c.* 22. qui in demortuorum locum suffecti fuerant, quasi ad censum adjecti, quique cum minimi essent roboris, vel in fronte locati primos congressus accipiebant, vel in postremam aciem reiiciebantur, ut tradit idem auctor: *lib.* 1. *c.* 5. Accensi autem Ministri post Lictores, Consulis dicto, vel alterius Magistratus imperio nutuique præsto erant, & sicuti Præco Quirites ad Comitia, ita Accensus eosdem ad Concionem advocabat; ita prædictus *Alex. lib.* 1. *c.* 27. quo loco observat hos fuisse libertos; ideo Accensus Consulis Minister, qui Consuli adstabat.

ACCIN. actionem. *Sarainas.*

ACCIN. actionem. *Ms: Rhodii.*

ACCON. actionem. *Sarainas.*

ACCP. accepta.

ACCq. accusatio. *Papias.*

AC. D. N. actione Domini Nostri. *Diaconus. Manutius.*

AC. D. Q. T. P. actione Dotis Quæ Tibi Petitur. *Diaconus. Sarainas. Manutius.*

ACH. achajæ. *Magno. Papias.*

ACIN. actionem. *Probus. Manutius.* Notat tamen ad Probum eruditissimus Ernstius, melius legi in

in antiquis inscriptionibus ACIM. *Actionem.*

A.Ɔ.L. Auli Conliberta, *vel* Conlibertus. In Libertorum monumentis, in quibus Conlibertorum suorum mentio habebatur.

AC. L. Actio Legis. *Manutius.* Nota erat frequentissima in Antiquorum legibus & actionibus exscripta. Atque actio legis erat illa, qua inter se homines disceptarent. ita *l. 2. ff. de Orgin. Jur. §. Deind. ex his Legib.*

AC. L. AQ. Actione Legis Aquiliæ. *Diaconus. Manutius.* Aquiliam legem tulit C. Aquilius Gallus, Tribunus Plebis, qua cavetor de damno injoria dato: eam tamen *Ulpianus l. 1. ff. ad Leg. Aquil.* plebiscitum potius, quam legem dicit, quia scilicet a Tribuno plebis erogata.

AƆLECTO. Adlecto nempe; ut patet ex epigrammate *pag.* 390. 2. quod sæpius habent militum lapides, atque saxa illorum, qui in aliquem ordinem adscribebantur.

ACM. Actionibus. *Magno.*

AC. MR. Ancus Martius. *Probus Ernstii. Diaconus. Ms: Ferrarii. Manutius.*

ACN. Actione. *Diaconus. Ms: Ferrarii. Manutius.*

ACN. D. Actionem Dans. *Ms: Rhodii.*

ACN. M. Actionem Mandat. *Ms: Rhodii.* Lubentius tamen legerem, *Actionem Mandati*, de qua infra.

ACN. MI. Actione Mundi. *Ms: Rhodii.* Lectio mihi prorsus suspecta, pro qua iterum legerem. *Actione Mandati;* nam *Actio Mundi* quid sit, prorsus ignoro.

ACO. Actionem. *Sarainas.*

ĀCŌ. Accusatio. *Magno.*

ACŌL. Aecolitus. In Monumentis Christianorum.

A. COMMENTA. A Commentariis. Si in monumentis Magistratuum Majorum & Minorum. De istis a Commentariis *Jacobus Gutherius lib. 3. cap. 13. de Offic. Dom. Aug.* & *Guidus Pancirolus in Notis. Utriusque Imper. Capp.* 11. & 13. abunde satis, necnon *Brissonius de Formal. lib. 5.* Et *Imper. lib. 9. Tit. 3. Cod. Theodos.*

A COMPL. XIIII. A Compluto Quatuordecim. Complutum Carrentanorum, in Tarraconensi Hispania, urbs insignis, ad Caracum fluvium sita, nobili Academia insignita, nunc Hispanico idiomate *Alcala d'Henares*: ita *Ferrarius in Lex. Geograph.*

ACON. Actionem. *Probus. Diaconus. Ms: Zabarella. Appianus. Lazius. Manutius.*

Actionum. *Probus. Passeratius. Laurent.*

ACON. Actionem. Actionum. *Probus. Manutius.*

A COSS. CI. A Consiliariis Civitatis. A Consulibus Civitatis. *Diaconus. Manutius. Passeratius. Laurentius.*

AC. P. Actor Provinciæ. *Papias.* Numquid Actio Populi, seu Actio Popularis? cujus mentio in *l. 1. ff. de Popul. Actionib.*

ACP. Accepta. *Manutius.*

AC. P. R. Actor Provinciæ Romanæ. *Papias.* Quam lectionem prorsus improbo, cum nec Reipublicæ, nec Imperatorum ævo ulla fuerit, quod sciam, Provincia Romana. ideo legerem, *Actio Populi Romani*, vel, quod mihi melius arridet, *Actio Pecuniæ Repetundæ. Joannes*, enim, *Speigelius Lexico Juris*, verbo, *Repetundarum*, notat, quod *quando dicitur Repetundarum, subintelligitur, pecuniarum.*

A. C. P. VI. A Capite Pedes Sex. *Manutius.* Si in sepulcralibus.

Ad Caput Pedes Sex. *Diaconus. Manutius. Passeratius. Laurentius.*

A. C. R. Actor Civitatis Romanæ. *Papias.*

A. CSL. A Consulibus. *Ms: Ferrarii.*

A. C. S. L. A Consulibus Suæ Legionis. *Manutius.*

A. CSL. CT. A Consulibus Civitatum. *Probus. Ernstii.*

A. C. S. L. E. C. A Consiliariis Suæ Legionis & Civitatis. *Diaconus. Manutius. Passeratius. Laurentius.*

A Consiliis Suæ Legationis & Civitatis. *Passeratius. Laurentius.*

ACT. Actiacus. Actium. *Goltzius. Joannes Hemelarius in Notis Numismatum Integre Repræsentatis;* vulgo Ducis Arescotani Numismatis.

Actius. *Erizius.*

Actor. *Ms: Rhodii. Papias. Sarainas. Manutius.*

Auctoritas. *Papias.*

Hactenus. *Ms: Rhodii.* Si tamen subsistat.

ACTI. Actionem. *Papias.*

ACT. MT. Actionem Mandati. *Passeratius. Laurentius.* Actio Mandati duplex, directa & contraria. Directa mandatori competit contra mandatarium, qui vel excessit, vel mandatum debito tempore non adimplevit. Contraria mandatarii est contra mandatorem, postulando impensas factas occasione mandati exequendi, & utraque actio in personam est.

ACTOR. CAES. N. DD. Actor Cæsaris Nostri Dedicavit. *Lipsius, ad Taciti Annal. lib. 2.* cujus hæc sunt verba. *Mancipari singulos actore publico jubet*; hocque monumentum de Actoribus Cæsarum ponderat.

HERCVLI DEFENSORI
PRO ITV ET REDITV
D. CLODI. SEPTIMI
ALBINI CAESARIS
D. CLODIVS. D. L
FELIX
ACTOR. CAES. N. DD

Hoc est, ait ipse, *Actor Cæsaris Nostri Dedicavit.* At si post tantum virum fas est os in cœlum mittere, potius legerem; *Actor Cæsaris Numini Dedicavit*, vel, *Numini Dicatissimus;* siquidem postrema hæc verba, primis hujusce monumenti *Herculi Defensori* inscriptis aptius corresponderent. Cæterum Actores & publicos, & privatos, & servos, & libertos fuisse comperitur; Actorque Cæsaris ille erat, qui pecuniæ exigendæ, ac dispensandæ præerat, leveque erat inter istos, & procuratores minores, discrimen, teste *Gutherio lib. 3. c. 35. de Offic. Dom. Aug.* ex quibus *Hotmanno*, damnati nominis auctori, visum est, in *Lexico Juris*, a faciendo *Factores* postea esse dictos, & *Factorum* nomen permanasse.

ACT. T. Auctoritas Tua. *Papias.*

A. C. V. A Claro Viro. *Probus. Sarainas. Manutius Passeratius.*

A. CVB. AVGG. A Cubiculo Augustorum. *Probus Ernstii*; habenturque in saxis Magistratuum Domus Augustæ. Istorum a Cubiculo notitia, conditiones, & privilegia habentur in *L. 2. Cod. de Præposit. Sacr. Cubicul. lib. 12. & in l. 4. Cod. eod.* Hoc solom expendo, quod omnes isti Liberti erant, hac tamen conditione, quod cæteris cubiculariis adscripti, liberi ingenuique evadebant.

A. CVR. AMIC. A cura Amicorum. Isti, *Pignorii de Servis* monitu, in aula palatina Liberti erant, qui amicorum Principis curam gerebant; in aulis vero privatorum, servi.

ACVSTO. Augusto. *In Roma Subterranea.*

A. D. Actio Data. *Gratiosus.*

Agris Dandis. *Thomas Reinesius in Epistolis.* sicque significant, in agrariis legibus, & lapidibus, notæ istæ.

Ante Diem. *Brissonius. Goltzius.*

Augustus Dixit. *Jacobus Cujacius in Observationibus Juris.*

AD. Adest. *Diaconus. Manutius. Passeratius. Laurentius.*

Adjutor. Adhæsit. *Manutius.*

Adjutor. *Passeratius. Laurentius.*

AD. Adjutor. *Diaconus.* In lapidibus Magistratuum & officiorum. De Adjutoribus, eorumque muneribus & dignitatibus agunt inter ceteros *Wolfangus Lazius Comment. Respub. Rom. lib. 2. cap. 4. & lib. 4. cap. 10. Guidus Pancirolus in Notis. Utriusque Imper. & Jacobus Gutherius de Offic. Dom. Aug. lib. 2. cap. 13.* Adjutores, quia levandi laboris gratia dabantur, innumeri propemodum apud antiquos inveniuntur. nam Jurisconsulti habent Adjutorem Tutelæ. *l. Solet. ff. de Tutel.* Adjutorem pro Scriniario. *l. Nul. versic. si quid. Cod. de Numer. & Actuar.* Adjutorem Corniculariorum. *l. ult. ff. de Jur. Immunit.* Adjutores Quæstoris. *l. Comperimus. Cod. de Proc. Sacr. Serm. lib. 12.* Adjutores Magistri Officiorum. *l. 5. Cod. de Princip. Agent. lib. 12.* & Adjutores Ducum. *l. 18 §. eo scilicet. Cod. de Re Milit.* prætermissis infinitis pene Adjutoribus, quorum saxa antiqua meminerunt. Commune tamen hoc Adjutoris nomen in quacumque re antiquitus fuit; ut Adjutor emptionis apud *Terentium* invenitur *Adelph. Act. Scen. 9.*

Postremo hodie in psaltria emunda hic adjutor fuit,
Hic curavit;

& Adjutor amorum, apud *Plautum Asin. act. 1. scen. 1.*

Tu ne es adjutor nunc amanti filio?

AC. Actione. *Probus Ernstii*, qui, suis in eum notis, observat, ita expressis litteris in manuscripto suo extitisse. ex vestigiis tamen corruptæ scripturæ non dubitat legendum esse ACT.

AD. AR. TEMP. DIS. INF. S. S. Ad Aram Temporalem Dis Inferis Suprascriptam. *Gutherius de Jure Manium lib. 1. cap 4.* cum legem explicat de Sacrificiis habendis in luco Deæ Diæ circum fulguritas arbores, quem lector utiliter consulere poterit.

AD. AVGVS. TEMP. C. D. Ad Augustale Temperamentum Comprobatus Dodrans. *Scaliger in Gruterianis Indicibus* ad hanc inscriptionem datam *pag. 222. 2.*



Ubi observatione dignos censeo orbiculos illos quatuor Trientem apud antiquos indicasse; tres vero Quadrantem; novem Dodrantem; prout etiam ex primis illis numismatibus, cum prora navis & Jano bifronte, licet cognoscere. unde non satis percipio, quomodo legendum comprobatus Dodrans, si in eo nota Trientis conspicitur.

AD. AVGVST. TEMP. C. P. Ad Augustale Temperamentum Comprobatum Pondus. *Scaliger.*

A. DCLV. Anno Sexcentesimo Quinquagesimo Quinto.

AD. D. Ad Dicendum. *Manutius.*

Ad Dictatorem. *Gratiosus.*

Ad Dioscorem. *Diac. Ms: Ferrarii. Man.*

Ad Dioscoridem, *Passeratius. Laurentius.*

Ad Discendum. *Diaconus. Manutius.*

Ad Discordiam. *Diaconus. Manutius. Passeratius. Laurentius.*

ADE. Adesse. *Appianus. Lazius. Manut.*

AD. E. Ad Effectorem. *Probus. Gratiosus. Sarainas. Manutius.*

Ad Effectum. *Manutius.*

Ad Efestorem. *Ms: Zabarella.*

Ad Exactorem. *Probus. Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius.*

Ad Extorrem. *Probus. Manutius.*

AD. F. Ad Fidem. *Manutius.*

Ad Finem. *Probus*, & cum eo omnes notarum explicatores.

Ad Frontem. *Diaconus. Manutius. Passeratius. Laurentius.*

ADF. Adfuerunt.

AD. FR. Ad Frontem. *Manutius.*

AD. FRV. EMV. Ad Fruges Emundas. *Goltzius.* In nummo argenteo gentis Calpurniæ, ubi duo viri togati inter duas spicas sedent.

AD. FRV. EMV. EX. S. C. Ad Frumentum Emundum Ex Senatus Consulto. *Erizius* in nummo argenteo gentis Calpurniæ, cujus explanatio habetur ex *Fulvio Ursino de Familiis Romanorum* ad hanc gentem.

AD. HS. N. LX. MIL. Ad Sestertios Nummorum Sexagies Millies.

De Sestertiis, eorumque varietate, cognitione ac precio eruditissimus vir nostrique sæculi ornamentum eximium *Joannes Fridericus Gronovius de Sestertio. Guilielmus Budæus Breviario de Asse. Justus Lipsius de Re Numaria*, inter cæteros fuse agunt.

ADI. Adimo. *Manutius. Sarainas.* Adjutor. *Probus Ernstii. Ms: Zabarella. Papias. Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius.*

ADI. Adjutor. *Ms: Rhodii. Magno.*

ADIAB. Adiabene. Provincia scilicet, in nummis Trajani.

Adiabenici.

Adiabenicus. *Probus* & fere omnes explanatores. Adiabene, teste *Ammiano Marcellino Hist. lib. 23. est Assyria, priscis temporibus vocitata longaque adsuetudine ad hoc translata vocabulum, ea re, quod inter OEnam & Tigridem sita, navigeros fluvios, adiri vado numquam potuit. transire enim, διαβαίνειν, dicimus Græci, & veteres quidam hoc arbitrabantur. Nos autem dedicimus, quod in his terris amnes sunt duo perpetui, quos & transivimus, Diavas & Adiavas, junctis navalibus pontibus; ideoque intelligi Adiavenam cognominatam.* Hanc Severus Imperator in provinciam redegit, unde *Cassiodorus in Chronico* scripsit: *Severus Parthos & Adiabenos superavit, Arabasque interiores cecidit, ut regionem eorum Romanam Provinciam faceret, ob quam Parthicus, Arabicus, Adiabenicus cognominatus est.*

ADIECT. HS. IX ∞. Adjectis Sestertiis Novem Millibus. Notam enim illam ∞ Millenarii esse omnes abbreviatores confirmant.

ADI. P. Adjutor Patriæ. Adjutor Populi. Adjutor Provinciæ. *Probus. Sarainas. Appianus. Lazius Manutius. Passeratius. Laurentius.*

Adjutor Potentiæ. *Manutius*; quod tamen improbat *Ernstius Notis ad Probum cap. 1.*

ADI. P. Adjutor Provinciæ. *Diaconus. Ms: Rhodii.*

dii. Ms: Zabarella. Magno. Papias. Gratiosus. Adjutores enim per Provincias missos antiqui lapides denotant, in quibus Adjutorum mentio est Provinciæ, Lusitaniæ, Vettoniæ, Piceni, & Cypri.

ADI. PRO. Adjutor Provinciæ. *Probus Ms: meus.*

ADIVT. TAB. Adjutor Tabularii.

ADIVT. TAB. RAT. Adjutor Tabularii Rationum. Si in eorum lapidibus legantur, qui in familia Augusta, vel Urbana militabant: Adjutores datos dixi, ut in negotiorum mole operas conferrent, & ut Cæsarum majestas hoc etiam nomine clarius elucesceret, ut videtur *Pignorio de Servis.* Hi Rationum Adjutores multi erant: nam multos Tabularios sub Imperio Romano monumenta designant, in quibus frequentes leguntur, *Augustorum; Augustarum; Rationes Patrimonii, seu a Patrimonio; Rationis Hereditatium; XX Hereditatium; Fisci Alexandrini; A Muneribus; Rationes Fisci; Marmorum Lunensium; Rationis Vestiaria; Censualis; Corporis Dendrophororum; Scholæ Medicorum; Portuensium; Provincia Hispania Citerioris; Provincia Lusitania & Vettonia;* ne innumeros pene huc accersam quos saxa exhibent. Tabularium vero idem fuisse quod nobis Archivium, vulgo *Cancellaria*, omnibus est in propatulo.

ADIVT. TAB. RAT. VEST. Adjutor Tabularii Rationis Vestiariæ.

Hic erat, qui tam in palatina, quam in urbana familia auxilio fuerat illi, cui ratio vestium demandata veniebat.

AD. L. ad Legionem. ad Limites. *Manut.*

ad Limites. *Probus.*

ad Locum. *Probus Ms: meus. Diaconus.* Et cum eo omnes notarum explicatores.

ADL. Adulteravit. *Manutius.*

ADLOCVT. COH. Adlocutio Cohortis. *Erizius. Hemelarius.*

adlocutio Cohortium. *Franciscus Angelonus in Hist. Aug. Italice conscripta.* Quomodo, ubi, quando, & a quibus hæc Cohortium adlocutio haberetur, diligenter observavit *Lipsius de Milit. Roman. lib. 4. Dial. 9.*

ADLR. adulteravit. *Diaconus. Manutius.*

ADN. adnepos. *Diaconus. Ms: Zabarella. Scaliger. Manutius.*

ADN. adnepos.

ADOPT. adoptivus. *Passeratius. Lauren.*

A. D. P. ante Diem Pridie. *Probus. Diaconus* & ceteri.

ad Diem Pridie. *Laurentius*, sed forsitan non ita concinne.

AD. P. ad Pedes. *Manutius.*

ADP. adoptivus. *Probus. Ms: Zabarella. Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius.*

AD. PROX. CIPP. ad Proximum Cippum. In Cippis miliariis, juxta flumina vel vias positis.

AD. P. VI. ad Pedes Sex. *Probus Ernstii.*

AD. P. XII. ad Pedes Duodecim. *Diac.*

ADQ. adque, *pro* atque. adquiescit. *Scaliger.*

adquisita. *Augustinus*; tuncque est numorum nota in quibus alicujus Provinciæ adquisitio demonstrabatur.

AD. QS. ad Quæstorem. *Ms: Rhodii. Magno.*

ad Quæstionem. *Magno.*

ad Quæstores. *Ms: Rhodii. Papias.*

AD. QSR. ad Quæstorem. *Diaconus, Sarainas. Manutius.*

ADR. adjutor. *Probus. Ms: Ferraris.*

ADST. adest. *Ms: Rhodii.*

ADTR. IVD. adtributus Judicio. *Scalig.*

ADV. adversum. *Papias.*

ADVENT. AVGG. adventus augustorum. In nummis Caracallæ. Romani Senatus, vel alicujus Provinciæ erga Principes, etiam malos, adventantes fœda adulatio.

AE. ave. *Ms: Rhodii.*

Æ. aere. *Goltzius.*

AE. CVR. Ædilis Curulis. Ædiles Curules Romæ quando instituti, post *Dionysium, Livius* docet *Hist. lib. 7.* Cur sic dicti, habet *Varro de Ling. Lat. lib. 5.* nec non & *Festus de Verb. Signif.* De ipsorum autem dignitate fuse tractant *Pomponius Latus de Magist. Roman. cap. 21. Andreas Dominicus Floccus de Potest. Roman. lib. 2. cap. 13. Alexander ab Alexandro Genial. Dier. lib. 4. cap. 4. Raphael Volaterranus Comment. Urban. lib. 29. Carolus Sigonius de Antiq. Jur. Civ. Roman. lib. 1. cap. 20. de Judiciis lib. 2. cap. 8. & lib. 3. cap. 5. Onuphrius Panvinius Comment. in lib. 1. Fastor. ad Ann. Urb. 260. Jo. Rosinus Antiq. Roman. lib. 7. cap. 25.*

AED. ædes *Probus. Sarainas. Appianus. Lazius.*

aedificium. aediles. *Sarainas.*

aedilis. *Manutius. Scaliger. Servius.*

aedilitas. *Manutius.*

aedituatione. Uti lego in monumento isto *pag. 447. 7.*

PANCILIS. CVB. AEDET. EX. DD
PRO. MAG. L. D. OSSA. HIC. SITA
SVNT. IN. SVA. AED. DEC
LETVS. EST. EI. ET. AES. A. FAMILIA
CONLATVM. EST. IN. MAG. MORTVVS
EST. ANNOR. NATV. XX.

Æditumus erat sacræ ædis tuitor, idest, curam agens. ita *Festus de Verb. Signif.* ideo dictus *ab ade tuenda*, ait *Varro de Ling. Lat. lib. 7.* ergo in sua ædituatione significat in suæ ædis sacræ custodia.

AE. D. aedem Dicavit. *Diaconus. Manutius.*

AED. COL. aedilis Coloniæ. Si lapides alicujus sint Coloniæ, unde in eisdem magistratus Coloniarum mentio occurrat. Coloniarum magistratus erant Duumviri, Censores, aediles, ait *Sigonius de Antiq. Jur. Ital. lib. 2. cap. 4.* quod ab innumeris pene lapidibus comprobatur, siquidem ad Reipublicæ Romanæ formam, Coloniarum Respublica pariter ordinabatur; ideo aediles in Coloniis, prout & Romæ, viarum, ædificiorum publicorum, atque annonæ curam gerebant *Panvinius* observatione *Antiq. Veronen. lib. 2. cap. 12.* Omittere tamen nolo aediles Coloniæ, aliquando Romæ vilia munera exercuisse. saxum hoc indicat. *p. 380. 1.*

C. CASSIVS. P. F. ROM
AEDILIS SORAE
PVBLICANVS
ROMAE
ARRI. PEDATI
HILARI. L. ME....

AED. COL. AVG. NEM. aedilis Coloniæ Augustæ Nemausi. *Caput Arecomicorum*, ait *Strabo Geograph. lib. 4. est Nemausus, longe inferior Narbone, si peregrinam & negotiantium turbam consideres; sin Rempublicam spectes, multo præstantior. nam* XXIV *habet pagos popularium præstantes viris, qui ei subsunt, & jus quoque Latii habent: ita ut Nemausi invenias Romanos, qui ædilitatis & quæstura honorem sint consecuti.* Ex præmissis ergo Nemausus Galliæ urbs clara, Romanorumque Colonia, Augusto imperante deducta, atque ideo Augusta Nemausus cognominata. Insignis etiam nunc viget hæc urbs, *Nimes* vulgo appellata.

AED. COL. CEL. ædilis Coloniæ Celejæ. Celejam urbem in Norici confinio sitam *Plinius Hist. Nat.*

Nat. lib. 3. *cap.* 24. auctor est in hæc verba: *Rhætis junguntur Norici, oppida eorum Virunum, Celeja.* Quæ quando & a quibus Colonia deducta, in obscuro est, nisi eam deduxerit M. Cœlius vir consularis, cujus opera usus fuit Octavianus Cæsar in Sacciensi Regione, in ejusque subigendis Municipiis, Metullo, Moneccio, & Vendo, ut scribit *Wolfangus Lazius Comment. Resp. Roman. lib.* 12. *c.* 6. atque ideo sic a Cœlio ipso, Celeja denominata.

AED. CVR. Ædilis Curulis. *Sarainas. Goltzius. Scaliger. Hemelarius.*

Aedilis Curiatus.

AED. DESIG. Ædilis Designatus. *Scaliger.* Designati erant illi, qui jam electi, nondum vero magistratum inierant.

AED. D. S. P. Ædem De Suo Posuit.

AEDET. Ædetuus, *hoc est*, Æedituus, ut in inscriptione notæ AED. dummodo tamen nota inveniatur in Diis dedicatis monumentis. Æditui tot, quot templa & ædes; ideo in saxis legitur *Æditumus a Vesta. Ab Concordia. Ab Isem Pelagiam* loco ab Iside Pelagia, quod est videre in *Inscriptionum Corpore pag.* 315. 5. *Ædis Martis. Ædis Neptuni. Junonis. Martis Ultoris. Matris Deum. Sancta Veneris. Sulvani Littoralis. Templi Fortuna. Veneris. Hortorum Salustianorum. Veneris Felicis.* & alii innumeri, ab antiquitate constituti fictis omnibus illis, quos somniaverat, Diis.

AEDICVL. ET. SACELL. CVM DISTEG. Aediculam Et Sacellum Cum Distego. *Sacellum parvulum adificium erat Diis consecratum.* ita *Fronto de Differentiis vocum.* addit *Festus de Verb. Signif. sine tecto*; & *Aulus Gellius Noct. Attic. lib.* 6. *cap.* 14. ex Trebatio, *cum ara.* quare ex his omnibus, *Sacellum est parvulum adificium Diis consecratum sine tecto cum ara.* Distegus vero locus erat duo tecta sive contignationes habens.

AED. II. II VIR. II. Aedili Iterum Duumviro Iterum. In lapidibus, in quibus fit magistratuum mentio. Ex Decurionum numero in Coloniis *Panvinio* auctore *Antiq. Veron. lib.* 2. *cap.* 12. juxta earundem parvitatem & magnitudinem, omnium colonorum suffragiis, singulis annis creabantur duo, vel quatuor viri, qui Consulum & Prætorum imaginem repræsentabant. Ideo *in Apologia pro se ipso Apulejus: Splendidissima Colonia sumus, in qua Colonia patrem habui loco Principis, Duumviralem, cunctis honoribus perfunctum.*

AED. II VIR. QVINQ. Aedilis Duum Vir Quinquennalis. Quinquennalis dignitas, magistratus erat Coloniarum, de quo *Panvinius* loco mox citato; eligebanturque isti etiam & duo & quatuor habito respectu magnitudinis & parvitatis Coloniæ. Hi Quinquennales dicebantur, quia per quinquennium magistratuum istum regebant. De eis satis fuse & scite *Thomas Reinesius in Epistolis.*

AEDIL. Aedilis. *Probus. Manutius.*

AEDIL. ALIM. Aedilis Alimentarius. *Rubens.* Aedilem Alimentarium hic non intelligo ubertatis & incolumitatis curatorem: nam frustra adderetur, Alimentarius, cum proprium fuisset Aedilium prospicere, ut optima alimenta, copiosaque in Urbe suppeterent. Sed Aedilem Alimentarium credo dictum, vel quia ei curæ esset curare alimenta illis, qui de publico alebantur, quemadmodum puellæ illæ, quæ publice nutriebantur, ut scribit *In Antonino Pio Capitolinus*; vel forte quia nisi ipso auctore alimenta legata non poterant recipi; quemadmodum non recipiebantur, nisi auctore Prætore, ut in *l.* 1. *§. ad eos. ff. ad Leg. Falcid.* qui forsitan hac de causa, Alimentarius vocabatur.

AEDIL. COL. F. C. Aedilis Coloniæ Faciundum Curavit. In monumentis Coloniarum.

AEDIL. C. C. N. D. D. S. P. P. Aedilis Curulis Coloniæ Numini Devotus De Sua Pecunia Posuit, *vel*, Cerealis. Ita lego in saxo *pag.* 245. *n.* 6. quod hic exhibeo pro genuina magis explanatione:

IMP. NERVAE: CAES
AVG. PONT. MAX
TRIB. POT. COS. III. P. P
L. SERTORIVS. L. F
VOLT. EVANTHVS
AEDIL. C. C. N. D. D. S. P P

AEDIL. CVR. Aedilis Curulis. *Probus. Appianus. Lazius. Manutius. Angelonius.*

Aedilis Curavit. *Manutius.*

AEDIL. CVRVL. Aedilis Curulis. *Diaconus.*

AEDIL. II VIR. PRAEF. COL. FABR. Aedili Duumviro Præfecto Collegii Fabrorum. In Coloniarum saxis. Collegia artificum Numa Pompilius Romæ ordinavit, ut in ejus vita *Plutarchus.* Qui vero Collegio artium præerat, Præfectus dicebatur. eos & Patavii prisco tempore habuimus, barbaro more *Frataleas* nunc etiam dictas, quorum Præfecti *Gastaldiones* quoque appellitamus. At non tantum Romæ Collegia artificum extabant, sed florente Imperio per omnes civitates non solum Italiæ, sed etiam Provinciarum, diversa erant corpora, sive collegia, quæ bellicis expeditionibus necessaria vel opportuna Romanorum exercitibus suppeditarent; arma scilicet, tela, machinas, vestes, & similia. hinc passim in antiquis lapidibus bus leguntur *Collegia Fabrorum Ferrariorum, Tignariorum; Dendrophororum; Centonariorum; Sagariorum; Tabernaculariorum; Tabulariorum; Funariorum &c.* Hæc collegia in corpora varia & decurias divisa, suos habebant Præfectos, Magistros, Decuriones, quinquennales plerosque.

AEDILL. Aediles. *Probus. Ms: Zabarella. Manutius*

AEDILL. C. Aediles Curules. *Passeratius. Laurentius.*

AEDIL. POLEN. Aedilis Polensis. Pola Istriæ civitas a Colchis condita testibus *Plinio Hist. Nat. lib.* 3. *cap.* 19. & *Strabone Geograph. lib.* 5. inde Romanorum Colonia a C. Julio Cæsare deducta, *Pietasque Julia* nuncupata, *Strabonis* ejusdem fide loco citato; ideo *Polenses* Polæ habitatores.

AEDIL. PL. Aedilis Plebis. Aedilis Plebis magistratus Plebejus Romæ fuit; quando vero institutus, non tantum *Dionysius Historiar. lib.* 6. docet, sed abunde inter varios ejusdem muneris luculentam habent historiam *Pomponius Latus de Mag. Roman. cap.* 20. *Andreas Dominicus Floccus de Potest. Roman. lib.* 2. *cap.* 13. *Onuphrius Panvinius Comment. in Fast. ad annum Urbis* 261. *&* *Joannes Rosinus Antiquit. Roman. lib.* 7. *cap.* 24.

AED. IN. M. Aedes Inscripsit Marti. *Manutius.*

Aedes Inscripsit Mercede. *Diaconus. Manutius.*

AED. MART. Aedis Martis. Aedituus Martis. In Deorum saxis.

AED. PL. Aedilis Plebis. *Probus. Sarainas. Manutius. Scaliger.*

AED. POTEST. Aedilitia Potestate. *Scaliger.*

AED. Q. Aedilis Quinquennalis. *Marcus Velserus de Rebus Augusta Vindelicorum.*

AED. Q. II. VIR. Aedilis Quinquennalis Duum Vir.

AED. S. Aedem Sacravit. *Passeratius. Laurentius.*

Aedes Salutis. *Manutius.*

Aedibus Sacris. *Diaconus. Manutius.*

AEG.

AEG. Aeger. *Probus. Manutius.*

AEL. Aliæ. Aelio. *Erizius.*

Aelius. *Erizius. Scaliger.* Aeliam gentem, eadem quæ Alia & Ailia, monumentorum fide, licet plebejam fuisse confirment *Fulvius Ursinus in Antiq. Numis. Panvinius de Antiq. Nomin. Antonius Augustinus de Famil. Roman. Richardus Streinius de Gent. & Famil. Roman.* non ignobilem tamen cuncti dicunt, utpote quæ multis Consulibus, Censoribus, Dictatoribus, Equitumque Magistris illustris ante Imperium, cum postea & Imperiali apice claruerit. Hanc a Lamo Neptuni filio Formiarum Tyranno duxisse originem cecinit *Horatius Carm. lib.* 3. ob Lamiæ cognomen in ea frequentissimum, & peculiare.

AEM. Aemilia. *Manutius. Scaliger.* Nota Aemiliæ Tribus erit nomen, dummodo cadat post nomen gentilitium & ante alicujus cogoomen, tuncque absoluto casu femininoque articulo nota semper veniet explicanda. Aemiliam ergo Tribum denominatam volunt omnes a gente Aemilia, Romæ Majorum gentium patricia, cujus auctorem Mamercum faciunt Pythagoræ filium, ob humanitatem Æmilium, *Festi* monitu, cognominatum.

AEMI. } Aemilia, Tribus scilicet. *Scal.*
AEMIL. }

AEO. Eorum. Saxum Romanum hoc habet *pag.* 799. 3.

AEQ. M. Aequatuor Monetæ. Si monumentum sit Officinatorum Domus Augustæ. *Gutherius de Offic. Dom. Aug. lib.* 3. *c.* 29. inter Officinatores, monetæ æquatores censeri monet, quibus curæ erat metalla pro monetis cudendis ponderare.

AEQ. P. Aequalis Persona. *Probus. Ms: Zabarella. Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius.*

Aequestris persona. *Manutius*, cui difficulter assuesco; tum quia Equestre denominativum ab Equite, absque diphtongo scribendum scio; tum quia Equitis, ac Equestris personæ nomina non erant in usu prisco tempore, sed Equo Publico usurpabatur. Videant ergo doctiores, numquid legendum sit potius *Aequater Pecunia*, ut esset & iste inter Officinatores monetæ idemque cum Aequatore.

AEQVIT. AVG. Aequitas Augusti. Passim in nummis observatur Augusti, & Vespasiani ceterorumque Imperatorum, in quibus ejus symbolum quisque cognoscet.

AER. Aerarii. *Probus. Sarainas. Manut.*

Aerarium. *Probus. Diaconus.* & cæteri fere omnes.

Aerarius. *Sarainas. Manutius.*

Aerum. *Scaliger.* Aliquando in militaribus; atque hoc stipendiorum loco notatum habet saxum *pag.* 565. 6.

L. VALERIVS
L. F. VOL. MATER
NVS. TOL. G
MIL. L. $\overline{X}$. G
ANN. XXXV
AER. XII
S. T. T. L
H. E. T. F. C

A. ER. A. CAES. Annus Erat Augusti Cæsaris. *Manutius.*

AER. A. CAES. Aerarium Augusti Cæsaris. *Manutius.*

AER. C. Aere Collato. *Passeratius. Laurentius.*

AER. CONL. Aere Conlato. *Probus. Ms: Zabarella. Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius.*

AER. ST. Aere Senatus. *Manutius.*

Aerario Saturni. *Diaconus. Passeratius. Laurentius.*

Aerarium Saturni. *Manutius.* Dictum Saturni, quia ærarium Populus Romanus in æde Saturni habebat. *Festus de Verb. Signif.*

AET. AVG. Aeternitas Augusti. In Imperatorum numismatibus passim.

AETE. Aeternæ. ut in hoc saxo *pag.* 371. 8.

AETE. MEMORIAE. AVRELI
DEMETRI. ADIVTORI
PROCC. CIVITATIS. SENONVM
TRICASSINORVM. MELDO
RVM. PARISIORVM. ET. CI
VITATIS. AEDVORVM. &c.

AETER. AVG. Aeternitas Augusti. In nummis Trajani.

A. F. Actum Fide. Aemilius Fecit. Alia Familia. *Manutius.*

Alio Facto. *Probus. Sarainas. Manutius.*

Alius Filius. Alter Fecit. Alter Fuit. Alter Fur. Ante Factum. *Manutius.*

Ara Facta. *Scaliger.*

Auli Filius. Passim in monumentis & Fastis, si nomini alicujus gentilitio succedat.

Aulus Filius. *Manutius.*

AF. Affectus. *Papias.*

A. F. A. Anne Fias Auctor. *Probus Ernstii.* erantque in antiquorum actionibus notæ.

A. F. AR. Ad Fontem Abaurium. *Probus Ernstii* ad quem ipse in Notis Capitis primi scribit. Ita est in Ms: sed male; videndum enim, ait, num legi possit A. F. AR. *Ad Fontem Abarim*, cujus Virgilius & Ovidius meminerunt; vel *Ad Fontem Aboriginum*, sive *Ad Fontem Caburam*, de quo Plinius.

A. F. A. N. Auli Filius Auli Nepos. In Fastis frequentissime post nomen gentilitium.

A. F. AP. N. Auli Filius Appii Nepos.

A. FBR. Ad Fossabarum. *Diaconus. Manut.*

Ad Fossambaurum. *Manutius.*

Ad Fontem Abaurium. *Ms: Ferrarii.*

A. F. BR. Ad Fossam Brevem. *Gratiosus.*

A. F. C. N. Auli Filius Caji Nepos.

A. F. CN. N. Auli Filius Cnæi Nepos.

A. F. D. N. Auli Filius Decimi Nepos.

AFF. Africæ. *Sarainas.*

AFRC. Africæ. *Papias.*

A. F. K. N. Auli Filius Kæsonis Nepos.

A. F. L. N. Auli Filius Lucii Nepos.

A. F. M. N. Auli Filius Marci Nepos.

A. F. M'. N. Auli Filius Manii Nepos.

A. F. P. N. Auli Filius Publii Nepos.

A. F. P. R. Actum Fide Publii Rutilii. *Manutius. Passeratius. Laurentius.*

Aemilius Fecit Plectitur Rutilius. Ante Factum Post Relatum. *Probus. Manutius.*

Aptum Fide Publii Rutilii. *Probus. Trebellius.* Notas istas apud Ciceronem observavit *Hermannus Hugo de Scrib. Orig. c.* 21. in hæc verba: *Scaurus absolutus crimine in Rutilii accusatoris sui tabulis ostendit has litteras A. F. P. R. easque sic interpretabatur Actum Fide Publii Rutilii. Rutilius contra sic; Ante Factum Post Relatum. C. Caninius vero qui Rutilio aderat, exclamavit, neutrum significari, sed illud; Æmilius Fecit Plectitur Rutilius.*

A. F. Q. N. Auli Filius Quinti Nepos.

A. FR. A Fronte. *Manutius.*

AFR. Africa. *Goltzius.*

Africanus. *Manutius.* Africanus Gordianorum cognomen fuit teste *Julio Capitolino* in ipsorum historia: *Africani cognomentum Gordiano inditum, non quod in Africa imperare cœpisset, sed quod de Scipionum familia originem traheret.*

AFRC. aurificum. *Ms: Rhodii.*
AFRIC. africanus.
AFRVM. a Frumento. Si in Servorum, vel Libertorum familiæ urbanæ monumentum fuerit. A frumento servus erat in familia, qui Dispensator, Ministrator, & Actor a frumento dicebatur; ut abunde antiqua saxa, & *Pignorius de Servis* monstrant.
A. F. SER. N. auli Filius Servii Nepos.
A. F. SEX. N. auli Filius Sexti Nepos.
A. F. SP. N. auli Filius Spurii Nepos.
A. F. T. N. auli Filius Titi Nepos.
A. F. TI. N. auli Filius Tiberii Nepos.
A. G. alia Gratia. altera Gens. alterum Genus. alter Gessit. alter Cnæus. alter Gracchus. *Manutius.*
aulus Gellius. *Diaconus. Trebellius. Manutius.*
agens Gratias. amico Grato. animo Grato.
AG. ager. *Magno.*
agil. *Probus. Sarainas. Manutius.*
agile. *Sarainas.*
agit. *Probus. Diaconus.* Omnesque notarum explicatores.
agitur. *Manutius.*
ago. *Probus. Ms: Ferrarii. Manutius.*
agon. *Ms: Ferrarii.*
agrippa. *Probus. Diaconus. Manutius.* agrippæ dicebantur, quod contra nascentium legem pedibus prius ex utero emersis, nati essent, quasi ægre parti, quod omen infelicitatis fuit, Festus & Nonius. Agrippæ vox prius apud Romanos prænomen fuit, ut satis constat in gente Menenia, in qua clarus agrippa Menenius Lanatus. inde cognominis locum tenuit, quod commune fuit ex *Joannis Glandorpii* observatione in *Cognominum Indice*, Asiniis, Atteriis, Fonteiis, Helviis, Juliis, Vipsaniis.
agro. *Probus. Manutius.*
Agrum. *Probus. Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius.*
argentum. Augustus. *Gratiosus.*
AG. ago. agro. *Diaconus.*
A. GABINI. A. F. aulus Gabinius Auli Filius. In nummis argenteis gentis Gabiniæ.
A. GELL. aulus Gellius. *Manutius.*
AG. E. R. agitur Ea Res. *Manutius.*
AG. F. AG. N. agrippæ Filius agrippæ Nepos. *Goltzius.*
AG. FD. agri Fundus. *Manutius.*
AGG. augusti. *Papias.*
AG. G. V. agens Gratiam Vovit. In Votivis. ager Grate Vovetur. augusto Grande Videtur. augusto Grate Vovetur. *Gratiosus.*
AGO. agor. *Diaconus. Manutius.* Verum quidni & *Agonalia*, ut mox patebit.
AGON. agonia. *Janus Gruterus in Inscriptionibus. Scaliger. Joannes Rosinus in Antiquitatibus Romanis.*
agonalia. *Manutius. Brissonius. Scaliger. Rosinus.* si nota in Kalendario occurrat Romano. Agonalia fuse describit *Ovidius Fast. lib.* 1. ipsorumque varias denominationes expendit. Romæ ter in anno habebantur agonalia, nempe quinto idus Januarii, qui ejusdem mensis dies nonus; duodecimo kalendas Junias, qui Maji dies vigesimus primus; atque tandem tertio idus Decembris, qui illius mensis dies undecimus; eratque quilibet agonalium dies Nefastus primo, scilicet, quod mane Prætori tria illa verba Solemnia Do, Dico, Addico, fas non erat proferre. Fuerunt quoque Romæ agonalia a Domitiano instituta duodecimo ejus, & Ser: Cornelii Dolabellæ Consulatu, ita monente *Censorino de Die Nat. cap.* 18. qui juxta *Josephi Scaligeri* supputationem *lib.* 5. *de Emend. Temper. & libr.* 1. *Auson. Lect. cap.* 10. fuit annus Urbis Conditæ DCCCXXXIX. Agonque iste, ut ex *Suetonio in Domitiano cap.* 4. colligitur, fuit *musicus, equestris, gymnicus, in quo certabant etiam & prosa oratione, Græce Latineque, ac præter citharœdos, chorocitharistæ quoque, & psilocitharistæ; in stadio vero, cursu etiam virgines.*
AGR. agitur. *Papias.*
agrorum. *Gratiosus.*
agrum. *Sarainas.*
AGRIP. F. SP. N. agrippæ Filius Spurii Nepos.
AGRIPP. agrippa. *Scaliger.*
AGT. agit. *Diaconus.*
agitur. *Probus. Ms: Rhodii. Ms: Ferrarii. Sarainas. Manutius.*
A. H. alius Homo. *Probus. Sarainas. Manutius.*
altera Hora. alter Heres. *Manutius.*
A. H. D. M. amico Hoc Dedicavit Monumentum. amicus Hoc Dedit Monumentum. Hoc pacto accipiendæ sunt istæ singulares litteræ, si in monumento ab amico erecto spectentur.
A. HIRTI. A. F. aulus Hirtius auli Filius. In nummis argenteis gentis Hirtiæ.
A. HOSTIL. L. F. aulus Hostilius Lucii Filius. In nummis argenteis gentis Hostiliæ.
A. I. a Judice. *Probus. Sarainas. Manutius.* & ad hæc *Ernstius* videatur *cap.* 1. *Notar. Prob.*
alter Jussit. *Manutius.*
amicus Intimus. *Gratiosus.*
AI. anima. *Manutius.*
AIC. MT. actione Mandati. *Diaconus.*
AID. aedilis, ut in subsequenti.
AID. EX. S. C. aediles ex Senatus Consulto. Habeo hoc in saxo *pag.* 129. 2. si recte:

C. SAVFEIVS. C. F.
M. SAVFEIVS. L. F.
PONTENVS
AID. EX. S. C.

AIM. Aimilia. *Hoc est*, Æmilia Tribus, de qua supra nota AEM.
A. IM. Ante Januam. *Gratiosus.*
AIN. MT. Actione Mandati. *Gratiosus. Manutius.*
A. IV. D. L. I. Argentum Invenies De Lapide Isto. Aurum Invenies De Lapide Isto. *Manutius.* si tamen hæc cum antiquitate conveniant.
A. k. Ad kalendas. *Sarainas. Manutius.* Ante Kalendas. *Manutius.*
A. L. Adquisitus Locus. *Manutius.*
Alia Lege. *Passeratius. Laurentius.*
Alia Lex. *Probus. Ms: Zabarella. Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius.*
Alia Lis. Alius Libertus. Alius Locus. Altera Legio. *Manutius.*
Animo Libens. *Scaliger. Manutius.* In votivis.
Annis Quinquaginta, *si nota numeri est.* Apollinares Ludi. *Manutius.*
Auli Liberta. Si monumentum sit mulieris, & litteræ nomini gentilitio succedant.
Auli Libertus. Si viri saxum erit.
Aulo Liberto. *Sarainas.*
AL. Alluit. *Diaconus. Manutius.*
Alter. *Manutius.*
Alumnus. *Sarainas. Manutius.*
AL. Antelata. *Magno.*
ALA. Alia. *Probus Ernstii. Ms: Rhodii. Ms: Ferrarii. Papias. Sarainas. Manutius.*
A. L. A. Alter Lex Ait. *Gratiosus.*
Amico Libens Animo, *si in sepulcralibus;* Aram Libens Animo. *si in votivis.*

ʎLʎ. ʎVG. GORDIʎ. Ala Augusta Gordiana. Si in Monumentis Militum. De Alis exercituum antiquorum inter multos egerunt *Vegetius de Re Milit. lib. 2. cap. 1. Aulus Gellius Noct. Attic. lib. 16. cap. 4. Wolfangus Lazius Comment. Resp. Rom. lib. 6. cap. 2. Justus Lipsius de Milit. Roman. lib. 2. Dial. 3. & Joannes Antonius Valtrinus de Re Milit. Roman. lib. 3. cap. 5. & lib. 5. cap. 2.* ad quos lubens lectorem remitto. Ala vero Augusta Gordiana unde dicta, affirmare quicquam non audeo; conjecto tamen illam esse potuisse, cujus milites, ut *Julio Capitolino* & *Aurelio Victori* in Gordianis videtur, stationes habebant Tysdri in Africa: nam illi primi Gordianum Imperatorem salutaverunt; prout etiam *Eutropius Hist. lib. 9.* confirmat. meam auget conjecturam monumentum, cujus sunt notæ, collectum *pag.* 1006. 8. in quo Tysdri seu Tusdri est.

I. O. M.
PRO SALVTE IMPERATORIS
M. ANTONI. GORDIANI. P. F.
INVICTI. AVG. ET. SABINAE. FVR
RIE. TRANQVILE. CONIVGI. EIVS. TO
TAQVE. DOMV. DIVIN. EORVM. A
LA. AVG. GORDIA. OB. VIRTVTEM
APPELLAT. POSVIT. CVI. PRAEEST
AIMILIVS. CRISPINVS. PREF
EQQ. NATVS. IN. PRO. AFRICA. DE
TVSDRO. SVB. CVR. NONII. PHI
LIPPI. LEG. AVG. PRO. PRET
ATTICO. ET. PRETEXTATO
COSS.

Tysdrum vero, vt *Capitolino* & *Ptolemeo in Geograph.* videtur, idem credo cum Tusdro, de quo in monumento, & *Itiner. Antonini*: unde Tusdritani apud *Plinium Hist. Nat. lib. 5. cap. 9.* Tusdrum vero Africæ oppidum hi omnes confirmant, eamque coloniam Romanorum statuunt.

ALACTR. Alacriter. *Ms: Rhodii.*

A. L. AE. Arbitrium Liti Æstimandæ. *Trebellius. Manutius.*

Arbitrium Litis Æstimandæ. *Probus Manutius.*

Arbitrium Loci Æstimandum. *Manutius.* Quas tamen omnes explicationes, duobus primis exceptis, ab antiquitate alienas puto: solæ enim duæ illæ in antiquorum actionibus notabantur.

AL. AE. Alexandria Ægypti. *Erizzus.*

Alexandriæ Ægyptiacæ. *Pierius.*

ALAE. I. FL. AVG. BRIT. ∞ C. R. Alæ Primæ Flaviæ Augustæ Britannicæ Miliariæ Civium Romanorum. In Militaribus saxis. De Ala Miliaria *Lipsius* scripsit *lib. 2. Dial. 7. de Milit. Rom.* Hanc dictam Britannicam credere est facile, quia ex militibus constaret Britannicis ob merita civitate Romana donatis. Flavia vero, quia forte fortuna constanter Vespasianum cum Vitellio de Imperio decertantem sectata fuerit.

ALA. I. CON. Ala Prima Contariorum. In Militaribus. Milites contis armati alam hanc constituebant. Conti vero longissimæ erant hastæ ligneæ, acuto ferro earum extremo præfixum; atque etiam instrumenta in classibus ad naves vel abigendas, vel detinendas. unde *Virgilius 6. Æneid.*

Ipse ratem conto subigit, velisque ministrat.

Contarios equites inter milites, majores nostri, viderunt, longis hastis cum spiculis acutis ad pugnam procedentes, a capite ad extremum usque pedem armatos, qui, *Homini d'Arme*, vocati fuere.

ALA. I. PANN. Ala Prima Pannonica. Ala Prima Pannoniorum. Ita dicta, quia constabat ex militibus Pannonicis. De ista *Tacitus Annal. lib. 15.*

ALA. I. PR. C. R. Ala Prima Prætoria. Civium Romanorom. Prætorianos in novem Cohortes divisisse Augustum, circa ipsum Imperatorem, & ad ejus tutelam destinatos, stirpe & nobilitate eximios, petitos ex Coloniis antiquis, atque ex Etruria, Umbria, & Latio, auctor est mihi, quisquis opus titulo *Roma Illustrata* prælo Lugdunensi-Batavo commendavit, anno salutis MDCXLV. quod si verum, ob id Prætorianos milites Cives Romanos dictos cogito.

ALA. I. VLP. CONTAR. Ala Prima Ulpia Contariorum.

ALA. L. Alia Lege. *Gratiosus.*

ALA. LEG. Alia Lege. Alia Legione. *Manutius.*

ALA. LG. Alia Lege. *Mss. Ferrarii, & Rhodii. Gratiosus.*

ALAVD. P. F. Alaudensis Piæ Felicis, *seu* Alaudæ. Legionis nomen fuit, de qua littera L.

A. LB. Avorum Liberi. *Ms: Rhodii.*

Legerem tamen lubentius: Auli Libertus, *vel*, Animo Libens.

ALB. Albata, hoc est, factio. Romæ factiones aurigantium quatuor fuere, Albata, Russata, Prassina, Veneta; de quibus exquisite *Onuphrius Panvinius de Lud. Circens. lib. 1. cap. 10.* ne huc advocem *Tertullianum de Spectac. Hieronymum Mercurialem de Art. Gymnast. lib. 3. cap. 9.* omnesque illos, qui de Romanorum Ludis egerunt.

Albo. In monumento, ubi Circenses Equi notati sunt cum ipsorum coloribus, quod expenditur a Panvinio, more suo doctissime, *de Lud. Circ. lib. 1. cap. 3.*

A. L. E. Arbitrium Litis Æstimandæ. *Gratiosus. Appianus. Lazius.* In actionibus antiquorum hæ notæ ita explanabantur. Habet tamen *Ernstius ad cap. 1. Probi*, de hoc arbitrio litis æstimandæ nihil in jure inveniri; propterea id ipsum accipit pro æstimatione ejus rei, quæ in judicium venit. Quid sit litem æstimare, tamen *pro Cluentio* docet *Cicero.*

Arbitrium Liti Æstimant. *Appianus.*

Arbitrium Liti Examinandæ. *Probus. Ms: Zabarella. Manutius.*

Arbitrium Liti Examinandum. *Manutius.*

Arbitrium Liti Existimandæ. Arbitrium Liti Existimandum. *Probus. Ms: Zabarella. Manutius.*

ALEXANDR. EGYPT. Alexandria Ægypti. *Goltzius.*

A. L. F. Animo Libens Fecit. *Scaliger.* Tum in votivis, tum in sepulcralibus lapidibus.

ALI. Alimentarius. *Manutius.*

A. LIB. A Libris. Auli Libertus. *Manutius.*

A. LIC. Aulus Licinius. In nummis argenteis gentis Liciniæ.

ALIG. Alia Lege. *Papias.* si tamen recte.

AL. III. L. Alpinæ Tertiæ Legionis. *Probus. Manutius.* In Militaribus.

AL. III. VIN. Ala Tertia Vindelicorum. *Lazius Comment. Respub. Roman. lib. 6. cap. 2.*

ALIM. ITAL. Alimenta Italiæ. In Trajani Nummis. Siquidem Trajano, Dione Nicæo teste *Hist. lib. 68. Italia multa largitus est ad educationem puerorum, in quos magna beneficia contulit.* ut *Plinius secundus in Panegyrico* hoc Principi dicto scripserit: *Quinque millibus puerorum & puellarum inopum alimenta decreverat.* propterea Imperator ipse Trajanus in suis nummis conspicitur puerulis alimenta distribuens.

ALL.

ALL. Allectus. *Scaliger.* Allecti, *Feſto* aucto-re, *dicebantur apud Romanos, qui propter inopiam ex equeſtri ordine Senatorum numero erant adſcripti.*

Allegata. *Magno. Briſſonius.* In reſcriptis Principum. Allegata, ſub legibus & Conſtitutionibus ſubſcribebatur, eratque ſubſcriptio non ita vulgaris prout Data; Propoſita; Accepta; Subdita; Suppoſita; Subſcripta, quæ omnia notis ſcribi conſuetum antiquis fuit, ut monet 3. *de Formul. Briſſonius*, cum dabantur, proponebantur, accipiebantur, ſubſcribebantur Imperatorum conſtitutiones & reſcripta, ut ſæpius in *Cod. Theod.* videre eſt.

Alligata. *Papias.*

Allocutio. Hoc eſt, Adlocutio. Habet enim *Allocutio* Commodi Imperatoris numiſma.

A. L. P. Animo Libens Poſuit. In ſepulcralibus, & votivis lapidibus.

AL. P. EQ. Ala Prima Eques. *Reineſius* in epiſtolis. Lubens tamen ego legerem: *Ala Prima Equitum.*

ALR. Alterum. *Gratioſus.*

Adulteravit. *Manutius.*

A. L. V. S. Animo Libens Votum Solvit. *Scaliger.* quod in votivis lapidibus quandoque expreſſum legitur.

ALXA. Alexander. *Probus. Diaconus. Ms: Ferraris. Manutius.*

A. M. Actio Mandati. *Magno.*

AM. Amantiſſime. *Papias.*

Amicus. *Probus*; & ceteri omnes.

Amnis. Aurum. *Manutius.*

AM. Amicus. *Magno.*

A. MANIL. Q. F. Aulus Manilius Quinti Filius. In nummis argenteis gentis Maniliæ.

AM. B. M. C. / AM. B. M. CVR. } Amico Bene Merenti Curavit. In ſepulchralibus Amicorum lapidibus.

AMC. N. Amicus Nobis. Amicus Nomine. Amicus Noſter. *Gratioſus. Ms: Ferraris.*

AMI. Amicus. *Gratioſus.*

AMIC. OPT. Amico Optimo.

A. MILL. XXXV. A Milliariis Triginta-Quinque.

AM M. CON. ET. SIB. Amico Monumentum Condidit Et Sibi. In defunctorum amicorum Cippis, ut ex ſaxo iſto *pag.* 796. 8.

IVNIANO IVN. F
AN. XXXV
SAXIA. MARCI. F
AM. M
CON. ET SIB

niſi ſit melius legendum *Amatiſſima Mater Condidit & Sibi.*

AM. N. Amantiſſimus Nobis. *Gratioſus.*

Amicus Noſter. *Probus.* fereque omnes.

A. MN. Actione mandati. *Probus. Ernſtio. Ms: Ferrarii.*

Actionem mandat *Probus Ms: meus.*

AMN. Amantiſſimus. *Diaconus, Ms: Rhodii, & Ferraris. Saraſinas. Manutius.*

AMN. Amantiſſimæ. *Magno.*

Amantiſſimus. *Ms: Rhodii.*

AM. N. Amicus Noſter. *Probus Ms. meus.*

AM. NT. AMN. Amicus Noſter amantiſſimus. *Diaconus. Manutius.*

A. M. O. III. T. Agri monumenti Optimi Tertii Titi. *Saraſinas.* quæ tamen mihi prorſus inepta videntur.

A. M. P. Alæ Macedoniæ Primæ. *Rheineſius.*

Amico Monumentum Poſuit. In ſepulcralibus amicorum ſaxis.

AM. P. Amabilis Perſona. *Probus. Ms: Zabarella. Saraſinas. Appianus. Lazius. Manutius.*

Amabilis Provincia. *Manutius.*

Amator Pacis. Amator Patriæ. *Scaliger.*

Amicus Pius. Amicus Poſuit. Amicus Principis. Amicus Patriæ. Amicus Populi. Amicus Potentiæ. Amicus Provinciæ. *Manutius.*

Amico Poſuit. Amicus Poſuit.

In amicorum monumentis.

AMPHTR. Ampbitheatrum. *Diaconus. Manutius.* Cæſar *Theatrum ad venationes ædificavit: quod quia undique habebat ſedes, ſcenaque carebat, Amphitheatrum cognominatum fuit. Dio Hiſt. lib.* 43.

A. MR. A Majoribus. *Saraſinas. Manutius.*

A Marmoribus.

AMR. Amator. *Probus. Ernſtii. Manutius.*

AMS. Amantiſſimus. *Saraſinas.*

Amicus. *Ms: Ferraris. Gratioſus.*

AMS. Amicus. *Diaconus. Manutius.*

A. M. SACRIS. A Municipalibus Sacris. *Scaliger.* In lapidibus Municipiorum.

A. M. S. D. A. Augures Male Senſerunt de Avibus. *Manutius.*

A Monumento Suo Dolus Abeſto.

In ſepulcralibus.

AM. S. P. Amicæ Suæ Poſuit. *Probus Ernſtii*, qui, *ad Cap.* 1. *Notar.* obſervat, Amicæ ſuæ, ideſt, Concubinæ ſuæ. Hæ enim non juſtæ uxores, ſed amicæ vocabantur *l.* 37. *ff. de Aur. & Arg. Leg.*

AM. T. DG. A Majoribus Tuis Degeneras. *Manutius.* dummodo hæc dicendi forma aliquid habeat cum antiquitate commune.

A. M. XX. Ad Milliare Viceſimum. *Scaliger.* In milliariis cippis.

A. N. Alius Nepos. *Manutius.*

Ante Noctem. *Probus. Saraſinas. Appianus. Lazius. Manutius.*

Auli Nepos. Paſſim in Faſtis poſt nomen gentilitium & patris, atque ante cognomen illius cujus eſt monumentum.

AN. Actionum. *Papias.*

Amantiſſimus. *Ms: Ferrarii.*

Ancus. *Gratioſus. Saraſinas.*

Anienſis. Tribus ſcilicet, quod meo judicio genuinum. *Manutius. Scaliger.*

Annis. *Manutius.*

Annius. *Probus. Manutius.*

Anno. *Scaliger.* In ſaxis, ubi ætas alicujus deſignatur.

Annorum. *Papias, Appianus. Lazius.*

Annos. *Manutius. Scaliger.*

Annum. *Manutius.*

Annus. *Probus. Papias. Saraſinas. Scaliger*

Ante. *Papias.*

AN. AB. VRB. COND. Anno Ab Urbe Condita.

AN. C. H. S. E. Annorum Centum Hic Sita Eſt. ſi monumentum mulieris. *Hic Situs Eſt*, ſi viri. Sunt enim ſepulcralium lapidum notæ.

AN. DCLX. Anno Sexcenteſimo Sexageſimo.

AN. DVPL. Annona Duplare. Scilicet Donatus, ut in ſaxo *pag.* 357. 1. nam quid eſſent ſimplares & duplares milites, ſuo loco habebitur.

ANETR. Amphitheatrum. *Probus Ernſtii. Ms: Ferraris.*

ANG. Anno Gratiæ. Si recte tamen in *Rom. Subter. T.* 2. *lib.* 4. *cap.* 18. ad hoc monumentum.

HIC REQ. XISTVS INP. QVI VIXIT
ANG. DEP. III ID. FEBR.

dummodo, ex optimis moribus, non ſit legendum *Qui Vixit Angelus.*

ANGP.

ANGP. angiportus. *Gratiosus.* Angiportus, *Festo* monente, *est iter compendiarium in oppido, quod sit angustus portus, idest, aditus in portum.*

ANG. P. angelus Percussit. *Probus Ernstii. Diaconus. Manutius.* Hæ & id genus aliæ notæ, ait *Ernstius* diligentissimus ad *cap.* 1. *Not. Prob.* ut EPS. *Episcopus.* H. R. I. P. *Hic Requiescit In Pace.* satis indicant Valerium Probum aut fuisse Christianum, aut certe Christianorum monumenta perlustrasse. rationem elicit ex eo, quia meminit ejus *A. Gellius* quater in *Noctibus Atticis*, ex quo Scriptore conjicitur, paulo ante eum Valerium vixisse; siquidem illius familiares, & discipulos noverit, ut idem testatur *lib.* 1. *cap.* 15. *& lib.* 9. *cap.* 9. subditque *Ernstius Eusebium* & *Cassiodorum in Chronicis*, scripsisse illum Neronis ævo vixisse, anno Christi scilicet LIX.

ANI. } Aniensis. *Scaliger*, hoc est, Tribus,
ANIEN. } si locum Tribus nota teneat. *Liv. Hist. lib.* 10. *Panvinius Descript. Civit. Rom. & Rosinus Antiq. Roman. lib.* 6. *cap.* 15. satis de Aniensi Tribu agunt.

AN. IIS. Annos Duos Semis. *Appianus.*

AN. IVL. annorum Quadraginta Sex.

Ad saxum *pag.* 540. 3

D. M
M. DVRONICI
BIXIT. AN. IVL
M. VI. D. XXIV
MIL. AN. XX

de quinquaginta namque demptis quatuor, quod antiquitus hac nota IV. signabatur, quadraginta sex utique remanent.

AN. M. actione mandati. *Probus Ernstii*

actionem mandat. *Probus. Ms: Zabarellæ Sarainas Appianus. Lazius. Manutius.*

actionem mandati. *Papias.*

annulo munita. *Gratiosus.*

AN. M. actionem mandati. *Manutius.*

ANM. anima. *Diaconus. Passeratius Laurentius.*

AN. M. anima. *Manutius.*

AN. N. ante Noctem. *Passeratius. Laurentius.* Libentius tamen legerem, *Annos Natus*, quod frequentissimum in monumentis, expressumque etiam.

ANN. annales. *Gratiosus.*

annis. *Probus. Ms: Zabarella. Sarainas. Manutius.*

annius. *Manutius.*

annona. *Manutius. Servius.*

annos. *Diaconus. Ms: Rhodii. Papias. Sarainas. Manutius.*

annorum. *Diaconus. Sarainas. Servius.*

annum. *Manutius.*

aput. *Ms: Ferrarii;* si tamen interpretatio cum nota conveniat, quod mihi certe difficillimum.

ANN. annonæ. *Papias.*

ANN. AVG. Annona Augusti. In nummis Commodi.

ANN. DCCCLXXIIII. NAT. VRB. CIR. CON. Anno Octingentesimo Septuagesimo Quarto Natalis Urbis Circum Condidit. *Angelonus.*

Annis Octocentum Septuaginta Quatuor Nativitatis Urbis Circus Conditus. *Stephanus Zamoscius in Analectis Antiquitatum Dacia cap.* 4. *Levinus Hulsius in Imperatorum Romanorum Numismatum Serie.* Notæ istæ Nummum Hadriani circundant, in cujus adversa parte observatur figura humi procumbens, cum rota, & tribus obeliscis certum Circi alicujus signum; verum, qualem Hadrianus Circum condiderit, nullum apud auctores, quod sciam, vestigium. Scribit tamen in ejus vita *Spartianus, Romæ instauravit, Pantheon, septa, basilicam Neptuni, sacras ædes plurimas, forum Augusti, lavacrum Agrippæ, eaque omnia propriis, & veterum nominibus consecravit.* & *Dion* pariter de ipso *Hist. lib.* 69. *Socias urbes, atque subditas Imperio Romano, ex quibus multo plures, quam ullus unquam Imperator vidit, magnifice juvit, easque aquis, porticibus, frumento, operibus publicis, pecunia, honoribus, ceterisque rebus auxit, atque ornavit;* unde si numisma hoc aliqua istorum opera non innuit, utique fateor me ignorare quid indicet; nisi vera sit *Francisci Angeloni in Historia Augusta* opinio, quod ab hujusce nummi inscriptione indicatum sit aliquod Hadriani opus insigne, pro Circo factum, ut puta, aliquam viam sternendo, ut ad Circum ipsum commodior pateret aditus. Viæ enim alicujus stratæ, aut patefactæ indicium exhibet mulier illa in nummo humi procumbens, cum rota, ut ex simili patet in nummo Trajani Appiæ viæ reparationem demonstrante. Numquid vero veritati conjectura consentanea sit docti expendant viri, cum hoc evenisse, notent, *Angelonus* loco citato, & *Adolphus Occo in Impp. Rom. a Pompejo M. ad Heraclium Serie;* anno Imperii Hadriani quarto.

ANNIS DECE DIES BIGINTI.

Hoc est, Annis Decem Dies Viginti, *Rom. Subter. Sax.*.. De B. & V affinitate dicetur littera B.

ANNIVER. anniversarium. *Manutius.*

ANN. LI. annorum Quinquaginta Unum. In sepulcralibus ubi anni enumerantur.

ANN. LIII. H. S. E. annorum Quinquaginta Trium Hic Situs Est. In sepulcralibus cum sequentibus.

ANN. LXXII. annis Septuaginta Duobus. *Probus.*

ANN. NAT. LXVI. annos natus Sexaginta Sex.

ANNO. annos. Sic legendum conjicio in Monumento *Rom. Subter. T.* 2. *lib.* 4. *cap.* 18.

FRVCTVOSE BENEMERENTI
QVE MECV BIXIT ANNO. XV
ET MENSES DVOS
IN PACE

ANNORO. annorum. Lapis est *T.* 1. *lib.* 3. *cap.* 22. *Roma Subter.* in quo & QVESCET, pro Quiescit.

VICTO
RIA QVE
SCET. AN
NORO. XXV

ANN. P. annonæ Præfecto. *Magno.*

Præfectura annonæ quando instituta, scribit *Livius Hist. lib.* 2. *&* 3. Præfecti vero ejusdem munera satis expendunt *Cassiodorus Var. lib.* 6. *Epist.* 18. *Pomponius Lætus De Magistr. Roman. cap.* 9. *Andreas Dominicus Floccus de Potestat. Rom. lib.* 2. *cap.* 15. *Alexander ab Alexandro Gen. Dier. li.* 6. *c.* 20. *Raphael Volaterranus Comment. Urban. lib.* 29. *Guidus Pancirolus in Notit. Orient. cap.* 26 ubi observat Constantinopoli Præfectum annonæ panes inter pauperes divisisse. *Wolfangus Lazius Comment. Respub. Rom lib.* 2. *cap.* 15. *& Joannes Rosinus Antiq. Rom. lib.* 7 *cap.* 38.

ANN. PL. M. X. annis Plus Minus Decem. Dicendi formula non solum Ethnicorum, sed & Christianorum, ut inferius patebit.

ANNV. VNV. annum Unum. Quod deprehenditur in saxo *Rom. Subter. T.* 1. *lib.* 3. *cap.* 22.

INNOCENTIE ET DVLCITVDINI
FILIO QVI VIXIT ANNV. VNV
MENS..... DIES VIII. PARENTES
FECERVNT.

ANNVS. PM SEPTE. Annos Plus Minus Septem. In *Roma Subterranea Saxo.*

ANNVS TRES ET MESIBVS TRES ET DIES XIII. Annos Tres & Menses Tres Et Dies Tresdecim.. Legendum in saxo *Roma Subterranea T. 2. lib. 4. cap. 37.* ubi & FAVTINA pro *Faustina*, & VIXI pro *Vixit*.

FAVTINA
QVAE VIXI ANNVS TRES
ET MESIBVS TRES
ET DIES XIII IN PACE

Annus tamen mendum non esse, sed illius ævi usum observat *Pierius Antiquitatum Bellunensium Sermone secundo. Annus non Græco declinata positum, quod quidem Græcanicum scribendi, loquendique usum ætate ea in Italia irrepsisse nulli dubium esse crediderim.*

AN. Θ. XVI. Anno Defunctus Sextodecimo. Ita in sepulcralibus aliquando. Θ Theta nigra littera ab antiquis vocabatur, quod pro signo mortis defuncti militis nomini apponebatur, ut & illis etiam, qui mortis erat damnati. unde *Vetus Scholiastes* ad illud *Persii Sat. 4.*

Et potis es nigrum vitio præfigere Theta.

habet: *Judices litteram Theta apponunt ad eorum nomina, quos supplicio afficiunt. Merito* θῆτα ἀπὸ τοῦ θανάτου, *eo quod quasi habeat telum suum, ideoque triste intelligitur, vel mortis signum. unde quidam ait:*

O multum ante alias infelix littera Theta!

AN. P. M. Annorum Plus Minus. *Papias.*

AN. P. M L. Annorum Plus Minus Quinquaginta.

AN. P. R. C. Anno Post Romam Conditam. *Manutius.*

ANQ. Anquisitionis. *Manutius.*

ANS. P. Angelus Percussit. *Ms: Ferrarii*, si recte.

ANST. Antestor. *Probus Ernstius.*

ANT. *Probus. Diaconus*, omnesque fere ceteri notarum explicatores. Antiochia. *Joannes Tristanus. De Sancto Amanto in Numismatibus Gallice descriptis.*

Antonius. *Magno. Appianus. Lazius. Goltzius. Manutius.*

Antoninus. *Erizius.* Antonini cognomen tanti fuit Romæ post Antoninos, Pium & Philosophum, ut successori Severo in animo esset, *ut omnes deinceps Principes, quemadmodum Augusti, ita etiam Antonini dicerentur*, scripsit in Geta *Spartianus.* Aliquando tamen prænominis loco stetisse auctor mihi est *Julius Capitolinus* in Macrino his verbis: *Nec inter Antoninos referendi sunt duo Gordiani: qui aut prænomen tantum Antoninorum habuerunt, aut etiam Antonii dicti sunt, non Antonini.* Necnon etiam *Ælius Lampridius* in Diadumeniano: *Et fuit quidem tam amabile illis temporibus nomen Antoninorum, ut qui eo nomine non niteretur, mereri non videretur Imperium. Unde etiam quidam, & Severum, & Pertinacem, & Julianum Antoninorum prænominibus honorandos putant.*

ANT. Antiochiæ. *Papias.*

Antestatus. *Magno.* In judicio antestandi modus ab *Horatio* ita describitur *lib. 1. Serm. Sat. 9.*

casu venit obvius illi
Adversarius, &, Quo tu turpissime? magna
Exclamat voce: & Licet antestari? Ego vero
Oppono auriculam: rapit in jus. clamor utrinque,
Undique concursus &c.

Quæ *Vetus Horatii Scholiastes*, fuse explicat, sed accuratius *Brissonius de Form. lib. 5.* qui totam istam antiquorum in judicio antestandi formam abunde declarat.

ANT. AVG. Antonius Augur. Non Antonius Augustus, ut aliqui male legunt in Antonii Triumviri numismatibus.

ANT. AVG. IIIVIR. R. P. C. Antonius Augur Trium Vir Reipublicæ Constituendæ. In nummis argenteis gentis Antoniæ.

ANT. AVG. IMP. IIIVIR. R. P. Antonius Augur Imperator Trium Vir Reipublicæ Constituendæ. In ejusdem gentis argenteis nummis.

ANT. IIIVIR. R. P. C. Antonius Triumvir Reipublicæ Constituendæ.

In argenteis nummis prædictis.

ANT. IMP. Antonius Imperator. In ejus nummis argenteis.

ANTE AED. D. D. B. F. A IVNCT. N. II. Ante Ædem Deæ Diæ Bovem Fœminam Ambegneis Junctis Nefrendibus Duabus. Ita *Jacobus Gutherius de Jure Manium lib. 1. cap. 4.* exponens legem de Ambarvali sacrificio, quod per Arvales fratres habebatur in lucis, aut arboribus fulguritis; qui observat ex *Festo*, quod *Ambegnes bos, & Vervex appellabantur, cum ad eorum utraque latera agni in sacrificium ducebantur. Nefrendes* vero, eodem monente, *bestias esse infantes nondum frendentes, idest, frangentes.*

ANTIK. Antikanum. Supple Municipium; quod nunc forte Antiquaria in Hispania, cum saxum, in quo hæc stat nota, *Gruterus p. 110. num. 5.* ex Antonii Augustini schedis, Antiquariæ fuisse acceperit.

GENIO MVNICIPI. ANTIK
IVLIA. M. F. MATERNA
MATER. M. COR. AGRICOLAE.
TESTAMENTO
PONI IVSSIT

ANTO. COS. III. IMP. IIII. Antoninus Consul Tertium Imperator Quartum. In nummis argenteis gentis Antoniæ, in quibus cum Antonius Trium Vir Imperator sæpius appellatus fuerit, sciendum est, quod prisco more, priusquam Reipublicæ Romanæ potestatem Imperatores obtinuissent, *qui in bello rem cognomento Imperatoris dignam patrasset, is antiqua consuetudine Imperator denuo salutabatur: unde fiebat, ut qui secundum, secundum; tertium, ac toties omnino, quoties id merebatur, nuncuparetur. Dio Hist. lib. 43.*

ANTON. AVG. IMP. III. COS. DES. IIII. IIIVIR. R. P. C. Antonius Augur Imperator Tertium Consul Designatus Quartum Trium Vir Reipublicæ Constituendæ. In antedictis Nummis.

ANTON. Antonius.

ANTONI. IMP. A. XII. Antoninus Imperator Anno Duodecimo. *Erizius* in nummis Augusti.

ANT. PR. R. Auctor Provinciæ Romanæ. *Ms: Ferrarii*, si recte.

A. N. TR. Argenteum Novum Trevirense. *Levinus Hulsius* legit in Imperatorum nummis ultimi ævi litteras hasce, quæ in illis Arcadii occurrunt.

ANT. T. C. Ante Terminum Constitutum. *Probus. Saracnus. Appianus. Lazius. Manutius.*

AN. V. P. M. II. Annis Vixit Plus Minus Duobus. In sepulcralibus.

AN. XXV. STIP. VIII. Annorum Vigintiquinque Stipendiorum Octo. In Militaribus saxis. Sicuti lege lata a P. Sempronio Graccho Plebis Tribuno, minores decem & septem annis ad militiam non cogebantur,

gebantur, ita statim coacti stipendia merebant, atque ita ex stipendiorum numero, quot annis unusquisque militasset, apparebat; unde cum notae illae omnes habeantur in lapide cujusdam defuncti anno vigesimo quinto, palam est anno decimo septimo ad militiam coactum fuisse, stipendiaque octo meruisse.

A. O. alii Omnes. *Probus. Ms. Zabarella. Savanus. Appianus. Lazius. Manutius.*

Alius Ostendit. Alter Ordo. *Manutius.*

Amico Optimo. In sepulcralibus amicorum cippis.

AO. Auro. *Gratiosus.*

A. Ω. Alpha & Omega. Hoc est, Principium & finis Christus. Haec enim insculpebantur in Monumentis Christianorum, prout in illis Etnicorum D. M.

A.O.F.C. Amico Optimo Faciundum Curavit. *Scaliger;* habenturque in sepulcralibus amicorum.

AO.P. Auro parato. Auro percepto. Auro petito. Auro populi. *Gratiosus.*

Auro Posito. *Diaconus. Manutius.*

Auro probo, auro profano.

Auro puro. *Diaconus. Manutius. Aurum purum, ait, Festus erat quod, in usu spurco non fuerat. Probum quod recte excoctum, purgatumque erat. Profanum quod sacrum non erat, & quod omni religione solutum.*

A.O.V.F.D.S.AE.M.Q.M.D.C.S. alii Omnes Viventes Fecerunt De Suo Aere Monumenta Quae Monumenta De Consilium Sententia. *Saravanas. Manutius.* Quam tamen tamen explicationem doctiores expendant: tenuitati namque meae equidem ab antiquitate videtur disona.

A.P. Actio publica. ad pedes. *Manutius.*

Aedilitia potestate. *Scaliger. Velserus.*

Amicus Posuit.

Aparitoris. A pontifice. A praetore. A publico. A pupillo. *Manutius.*

Apud. *Probus. Diaconus.* fereque ceteri.

Apud Pedes Auro Posito. Auro Puro. *Manutius.*

A. Appius. *Goltzius.*

AP. Appellat. *Papias.*

Appia. Appius. *Scaliger. Goltzius. Servius.* Appia legendum, ubi locus erit Tribui. Tribus Appiae apud auctores nulla, quod sciam, mentio extat, verum ipsius saxa mentionem habent: nam in eis haec nota AP. eo est loco, qui Tribui assignatur; ut in istis cognoscitur *pag.* 909. 11. 12. & 911. 12.

DOMIT. T. F. AP
ACRESTIS. ANN. LX.
H. S. E. S. T. T. L.

D. M. S DOMIT. T. F. AP CLEMENS H. S. E. S. T. T. L.	L. FAN. T. F. AP... PROVIDVS. VIX AN. LXXXIII H. S. E

Quando tamen Tribubus addita, utique mihi ignotum.

Appius vero praenomen ex Sabinis ortum traxit, atque ab Atto ejusdem regionis praenomine deductum licet moneat in *Epitoma de Nominum Ratione, Valerius*, sive quisquis fit, qui eam concinnavit; nihilominus pro gentilitio nomine, tum virorum, tum foeminarum habitum saxa demonstrant, *pag.* 753. 4. & 1090. 21.

P. APPIVS. P. F. EVTYCHES	C. APPIO. C. FILIO. VOL FLAVO

hoc non *pag.* 961. 22.

L. APPIA A. F
TERTVLLA
D. D. D

insuper etiam, & loco fuisse cognominis patet ex lapide *pag.* 637. 4.

CLODIA. L. L. APPIA

nisi haec liberta, cum serva esset, Appia fuerit dicta, siquidem nomen servorum libertate donatorum, eorundem evadebat cognomen, eo quia praenomen & nomen gentilitium illius a quo liberti facti erant, pro eorum praenomine & nomine assumebant.

Apud. *Probus Ernstii.*

Aput. *Ms. Ferrarii.*

AP. Apostolo. *In Christianorum monumentis.*

Apud. *Diaconus. Magno. Papias.*

AP. A. Apud Acta. *Magno.*

APA. Amputata. *Magno.*

AP. A. L. M. Apud Agrum Locus Monumenti. *Gratiosus.* In sepulcralibus.

AP. CL. Appius Claudius. In nummis argenteis gentis Claudiae, cum Manilia communibus.

AP. CLAVD. CRAS. Appius Claudius Crassus. In gentis Claudiae argenteis nummis. Crassi cognomen a sagina corporis & a creando carnes emanatum tradit *Isidorus Orig. libr.* 10. Hocque commune fuisse Romae, ex *Glandorpio* observo *In Cognomin. Ind.* Calphurniis; Claudiis; Fontejis; Liciniis; Otaciliis; Papyriis; Furiis.

A.P. CLN. Ad pedes Columnae. *Probus. Ernstii. Diaconus. Ms. Ferrarii. Gratios.*

Ad populi Clementiam. *Gratiosus.* Si tamen adaequate.

AP. CLN. Apud pedes Columnae. *Manutius.*

A. P. F. Aram ponere Fecit. Argento publico Feriundo. *Hugo. Goltzius. Angelonus.*

Argentum Primus Flavit. Aurum Primus Flavit. *Ursinus.*

Auro publico Feriundo. *Angelonus.*

AP. F. Appii Filius. *Goltzius.* In Fastis cum succedentibus.

AP.F.A.N. Appii Filius Auli Nepos.
AP.F.AP.N. Appii Filius Appii Nepos.
AP.F.C.N. Appii Filius Caji Nepos.
AP.F.CN.N. Appii Filius Cnaei Nepos.
AP.F.D.N. Appii Filius Decimi Nepos.
AP.F.K.N. Appii Filius Kaesonis Nepos.
AP. F. L. N. Appii Filius Lucii Nepos.
AP. F. M. N. Appii Filius Marci Nepos.
AP. F. M'. N. Appii Filius Manii Nepos.
AP. F. P. N. Appii Filius Publii Nepos.
AP. F. Q. N. Appii Filius Quinti Nepos.
AP. F. SER. N. Appii Filius Servii Nepos.
AP. F. SEX. N. Appii Filius Sexti Nepos.
AP. F. SP. N. Appii Filius Spurii Nepos.
AP. F. T. N. Appii Filius Titi Nepos.
AP. F. TI. N. Appii Filius Tiberii Nepos.

A. PISOR. M. L. A Pisoraca Milliaria Quinquaginta. In Miliariis cippis. Pisoraca Hispaniae Tarraconensis fluvius est, per Vaccaeos in Durium fluens. ita *Philippus Ferrarius in Lex: Geograph.*

AP. IVD. Apud Judaeam. *Appianus. Lazius. Manutius.*

Apud Judicem. *Probus. Ms. Zabarella. Lazius. Manutius.*

AP. L. Appii Liberta. Appii Libertus.

A. P. M. Ala prima Macedonica. *Reinesius*, si litterae sint in militaribus.

Annorum plus Minus. *Scaliger.* ubi anni in monumentis designantur.

Amico posuit Monumentum. Si in sepulcralibus amicorum.

AP. N. Appellatum nomine. *Gratiosus.* Appii Nepos.

Apud nos. *Ms: Ferrarii.*

APOL. CONSERVAT. Apollini Conservatori. *Hulsius. Sanctamantius.* In nummis Imperatorum id sæpe legitur, sed præcipue in illis C. Vibii Treboniani Galli alludens forte ad ea quæ scripserat in ejus vita *Pomponius Lætus: Pestilitas primo consumptis fere meridianis, per orientem divulgata est: unde ceteras orbis partes invasit, ubique maximam partem incolentium exhausit; pleraque loca inhabitata reliquit ea labes, quæ vix intra decem annos finem invenit.* Cum ergo Apollo forte fortuna Imperatorem ipsum conservasse creditum fuerit, ideo nummum cum tali inscriptione illi percussum voluit.

APOLLIN. Apollinares. *Ludi nempe. Manutius.* Si nota in Kalendario Romano occurrat. De Apollinarium ludorum origine & forma *Festus de Verb. Signific. Livius Hist. lib. 25. & 26. Macrobius Satur. Sermon. lib. 1. cap. 17 Alexander ab Alexandro Genial. Dier. lib. 5. cap. 26. Wolfangus Lazius Comment. Reip. Rom. lib. 10. cap. 8. & Joannes Rosinus Antiq. Rom. lib. 5. cap. 7.* ad quos lectorem remitto; satis quippe erit mihi indicare ipsos habitos Romæ septimo idus Julii, qui mensis ejusdem dies undecimus, omnino Nefastus.

APOLL. MONET. Apollini Monetæ. In nummo legitur Commodi, in quo Apollo nudus spectatur, dextram capiti admovens, sinistram columnæ applicans; quæ figura cum observetur in eodem nummo, in quo legitur APOLL. PALAT. hoc est, *Apollini Palatino*, forte fortuna Apollo Moneta, & Palatinus idem.

APOLL. PROPVGN. Apollini Propugnatori. In nummis Valeriani Imper. patris.

APOL. PALAT. Apollini Palatino. *Augustus, Suetonii* fide in ejus vita *cap. 29. Publica Opera plurima extruxit; ex quibus vel præcipua, forum, cum æde Martis Ultoris, templum Apollinis in Palatio, ædem Tonantis Jovis in Capitolio,* atque mox: *Templum Apollinis in ea parte Palatinæ domus excitavit, quam fulmine ictam desiderari a Deo Haruspices pronuntiarant.* Ideo Palatinum Apollinem a Romanis dictum scribit, *Lilius Geraldus de Diis Gent. Syntag. 7.* quia in Palatio ab Augusto dedicatum; unde *Claudianus de Sex. Consul. Honor. Aug.*

Ecce Palatino crevit reverentia monti;
Exultatque habitante Deo, potioraque Delphis
Supplicibus late populis oracula pandit,
Atque suas ad signa jubet revirescere laurus.

A. POST. A. F. ALBIN. Aulus Postumius Auli Filius Albinus. Vel

A. POST. A. F. SP. N. Aulus Postumius Auli Filius Spurii Nepos. In nummis argenteis gentis Postumiæ.

APP. appellat. *Ms: Rhodii. Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius.*

Appius. *Probus. Ms: Zabarella. Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius.*

Apolloniæ. *Papias.*

Apponæ. *Sarainas.*

APP. Appellat. *Probus. Diaconus. Ms: Zabarella. Manutius.*

Appellatio. *Magno.*

Appius. *Manutius.* Utique mihi suspecta explanatio: nam Appii prænomen in eorum fuit numero, quod duabus tantum litteris AP. scilicet ab antiquis signabatur.

Apponæ. *Ms. Rhodii.*

APPB. appellationibus. *Magno.*

APP. CLV. Appius Claudius. *Probus* sed suspecta lectio obest, quæ mox observavi nota APP.

APP. E. Appellatum Est. *Scaliger.*

APPELL. } Appellatus. *Goltzius.*
APPELLAT. }

APPN. Appellantur. *Probus Ernstii. Diaconus. Ms: Ferrarii. Manutius.*

APP. N. Appellatio Nominis. *Ms: Rhodii. Papias.*

A. P. PO. Apud præfectum prætorio. *Magno.* De Præfecti prætorio origine summaque ejus dignitate ac majestate post ea, quæ leguntur in *l. 2. §. exactis. ff. de Orig. Jur.* & in *l. unica ff. de Offic. Præf. Præt.* nec non in *l. 2. Cod. de Offic. Præf. Præt. Orient:* juncta *lege prima de Offic. Præfect. Præt. Afric.* fuse agunt *Cassiodorus Variar. lib. 1. num. 3. Pomponius de Magist. Roman. cap. 8. Floccus de Potest. Rom. libr. 2. cap. 23. Alexander ab Alexandro Gen. Dier. lib. 4. cap. 23. Raphael Volaterranus Comment. Urban. lib. 29. Wolfangus Lazius Comment. Reip. Roman. lib. 2. cap. 1. & 4. Guidus Pancirolus in Notit. Utriusque Imp. cap. 5. Joannes Rosinus Antiq. Rom. lib. 7. cap. 33. Julius Cæsar Bulengerus de Imperatore Romano lib. 3. cap. 8. & 11.* nec non *Jacobus Gutherius de Offic. Dom. Aug. lib. 2. cap. 4. & lib. 2. a capite 8. usque ad 10. inclusive.*

APPS. Appius. *Manutius.* a quo dissentio ob ea, quæ nota APP. adnotavi.

Apposuit. *Ms: Rhodii. Sarainas. Manut.*

APPS. CLV. Appius Claudius. *Diaconus. Ms: Ferrarii. Manutius.*

APPT. Appellant. *Papias.*

A. P. P. V. F. Ad Populum PlebemVe Ferant. *Manutius.* In legibus erogandis communissima dicendi formula, & solemnis, de qua accurate *Brissonius de Formul. lib. 2.*

AP. P. VRB. Apud præfectum Urbi. *Magno.* De Urbis Præfecti origine, dignitate, ac majestate post ea quæ habent *Pandecta lib. 1. tit. 12. & Cod. lib. 1. tit. 31. de Offic. Præf. Urb.* satis abunde tractant *Cassiodorus Variar. lib. 6. Ep. 9. Pomponius de Mag. Rom. cap. 7. Floccus de Potest. Rom. lib. 2. cap. 6. Raphael Volaterranus Comment. Urb. lib. 29. Alexander ab Alexandro Gen. Dier. lib. 6. cap. 20. Onuphrius Panvinius de Urb. Roman. lib. 2. Wolfangus Lazius Comment. Reip. Rom. lib. 2. cap. 1. & 2. Guidus Pancirolus in Not. Imp. Orient. cap. 25. & Occid. cap. 4. atque Joannes Rosinus Antiq. Roman. lib. 7. cap. 14.*

APP9. Appellationem. *Papias.*

A. P. Q. Ad Pedes Quinque. *Sarainas. Manutius.*

Auli Publii Quincti. *Probus. Diaconus Ms: Zabarella. Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius.*

Aulus Publius Quinctus. *Passeratius. Laurentius.*

A. P. R. A Populo Romano. *Manutius.*

A. P. R. C. Anno Post Romam Conditam. *Probus,* fereque ceteri omnes notarum explicatores.

A Populo Romano Concessio. *Probus Ms: meus.*

A. P. T. Ad Potestatem Tuam. *Magno.*

Amico Posuit Titulum. In sepulcralibus.

A. PV. Argento Publico. *Goltzius.*

A. P. V. C. Anno Post Urbem Conditam *Scaliger.*

A. P. V. C. DCXX. Anno Post Urbem Conditam Sexcentesimo Vigesimo.

APVL. Apulæ. *Magno.*

APVD. L. V. CONV. Apud Lapidem quintum Convenerunt.

APVL. Apulus. *Stephano Zamosio* auctore in *Analectis Daciæ Antiquitatum cap. 8.* Transilvaniæ insignis olim civitas Albæ proxima, quæ cum, *Ovidio* exulante, nondum a Romanis fuerit subjugata, multis tamen bellis lacessita, *hostis* hisce carminibus, in *consolatione ad Livinam* appellatur:

Danubiusque rapax, & Dacicus orbe remoto
Apulus huic hosti per breve pæne iter.

Panvinius tamen *de Imp. Roman. Carolus Stephanus in Lex. Hist. Geograph. Poet. Philippus Ferrarius in Lex. Geogr.* atque istos atque *Ptolemæus* cum notis *Munsteri* Apulum ipsum nunc Albam Juliam dicunt, sicuti tunc Daciæ, nunc Transilvaniæ Metropolis. Urbem hanc Coloniam a Romanis deductam facile est credere, cum Trajanus ipse Daciam totam, victo Decebalo rege, Romano adjecit Imperio.

A. P. XII. ad pedes Duodecim. *Probus Ernstii Ms. Rhodii, & Ferrarii. Gratiosus. Manutius.* In mensuris sepulcrorum.

A. ☧ Ω. Alpha Christus Omega. *Joannes Antonius Castilionæus Antiquitatum Mediolanensium parte prima Fascicule primo* de Labaro accurate agens, hæc ad istas notas enodandas carmina protulit:

Circulus hic summi comprehendit nomina Regis
Quem sine Principio, & sine fine vides.
Principium cum fine simul sibi denotat A & Ω
X & P XPI. nomina Sancta tenent.

A. Q. amicus quæstoris. *Gratiosus.*

A qura. *Gruterus*, hoc est, *A Cura.*

AQ. aquiescit.

AQ. E. I. aqua Et Igni. *Probus Ernstii*, de quibus videantur quæ ipse notavit *ad Caput primum Probi.*

A. Q. F. Auli quinti Filii. *Sarainas.*

AQL. S. aquiliana Stipulatio. *Magno.* per hanc in Stipulationem omnium rerum obligationes deducuntur, & ea per acceptilationem tollitur; ita dicta, quia a Gallo Aquilio composita fuit, ut habetur *Instit. 3. Tit. Quib. mod. tollit. obligat.*

AQL. Aquileja. *Magno.* aquileja, Carnorum, sive Fori Julii insignis urbs, Imperatorum aliquando sedes, nunc ruderum & veprium deplorandus acervus, anno V. C. DLXX. Colonia Latina deducta fuit in agro Gallorum Transalpinorum, Triumviris P. Cornelio Scipione Nasica, C. Flaminio & L. Manlio Acidino, ut non solum *T. Livius Hist. lib.* 30. & 40. sed & monumentum istud olim Patavii, nunc Vicentiæ apud Hieronymum Gualdum servatum abunde indicant.

L. MANLIVS L. F.
ACIDINVS TRIV. VIR
AQVILEIAE COLONIAE
DEDVCONDAE

AQ. MAR. Aqua Martia. In operibus publicis. aquam Martiam quando & a quo Romæ inductam, deque ductibus ejus docet *Frontinus de Aquæduct. Roman.*

AQ. N. Aquilejæ Notata. *Sanclamantius* notas istas exponit in nummis posterioris ævi, hoc est, Tyrannorum triginta.

AQ. PRAET. VRB. aquilifer prætorii Urbis. *Scaliger.* Quod in militaribus. Urbis prætorium castra ipsius erant prætoria, quæ Romæ Tiberius Imper. extruxerat ad militarem licentiam coërcendam: *Tacitus Annal. libr. 4. Dispersas per urbem cohortes una in castra conducit, ut simul imperia acciperent, numeroque & robore & visu inter se fiducia ipsis, in cæteros metus crederetur. Prætendebat lascivire militem diductum; si quid subitum ingruat, majore auxilio pariter subveniri, & severius acturos, si vallum statuatur procul Urbis illecebris.* Castra prætoria, a civibus, & Urbe segregata, ut arctiori disciplina milites haberentur, fuere Romæ, teste auctore *Romæ Illustratæ* ad Portam Viminalem muro cincta; ut patet tum ex *Spartiano*, dicente, milites Didium Julianum audivisse ingentia pollicentem, e muro, valvisque clausis; tum ex *Herodiano* ipso in eodem Juliano narrante, *Julianum scalis demissis supra muros sustulisse, non prius ausi reserare portas, quam convenirent de numero dandæ pecuniæ.*

AQ. P. S. aquilejæ Pecunia Signata. *Velserus.* quod in nummis Impp. ultimi ævi.

aquilejæ Pecuniam Signatam. *Gutherus*

A. QS. ad Quæstores. *Gratiosus.*

AQV. AD. M. aquarum ad Minicium. *Scaliger.*

AQVIL. aquileja. aquilejensis. aquilifer.

AQVIL. LEG. IIII. SCYT. aquilifer Legionis Quartæ Scythicæ. Si in militaribus. aquilifer ideo dictus, quia in *legionibus portabat Aquilam, quod præcipuum signum in Romano erat semper exercitu, & totius Legionis insigne. Vegetius de Re Milit. lib. 2. capp.* 6. & 7 aquilifque, eodem teste, in prima cohorte locus erat, prout illæ, quæ reliquas, & numero militum, & dignitate præcedebant.

AQVIL. LEG. V. MACED. aquilifer Legionis Quintæ Macedonicæ. In militaribus.

AQV. MAR. aqua Martia.

A. R. a Recta. a Ripa. *Scaliger.* In terminis riparum, seu viarum.

AR. aerarium. ara. *Manutius. Aram ab ardore dictam vult Varro De l. l. lib. 4. ad quem fit ara. Christianus* vero *Becmannus* in *Origin. Ling. Lat.* habet, *aram satis commode ab ἀρᾶ, idest, supplicatio*, denominatam, quod etiam *in Orig. lib. 5. c. 4. Isidorus* monuerat; aram autem apud veteres, ut nunc etiam, loco fuisse perfugii, ex *Plauti in Rudent. Act. 3. Scen. 3.* animadverto:

Tr: *Ne inquam timete: assidete hic in ara.* Amp. *Istæc quid ara*
Prodesse nobis plus potest, quam signum in fano hic suum
Veneris, quod amplexa modo, unde abrepta per vim misera?

aram. aras.

arbitrium. argentum. *Gratiosus. Manutius.*

argentum. *Goltzius.*

arma. artes. *Gratiosus.*

arniensis. Tribus scilicet. *Scaliger.* Tribus hæc quando ceteris addita, ex *T. Livio Hist. lib.* 6. intelligitur, prout de ea etiam clare agit *Panvinius in Descript. Civit. Roman.* nec non *Joannes Rosinus Antiquit. Roman. lib. 6. cap.* 15.

ARAB. arabici. arabicus. *Angelon. Septimius Severus natione Afer* (ita *Sext. Ruffus* in Breviario Imp. Romani) *acerrimus Imperator, Parthos strenuissime vicit, Adiabenos delevit, Arabas interiores obtinuit, & Arabiam Provinciam fecit. Huic cognomina ex victoriis quæsita sunt; nam Parthicus Adiabenicus & Arabicus est cognominatus*; quod cognomen non sibi assumpsit Trajanus, licet Arabiam, & ipse in formam provinciæ redegisset, ut auctor est *Eutropius Hist. lib.* 8. ni forte dicendum, eum interiores Arabas non obtinuisse, quibus postea a Severo devictis Arabici ob id cognomen accepit.

ARAB. ADQ. arabia adquisita. *Erizzus. Angelonus. Tristanus.* Notæ istæ aversam Trajani Imp. nummi partem occupant, in quo spectatur puer ducens fune camelum, cui adstat figura stolata, dextra lauream tenens, sinistra scipionem militarem. Arabiam adquisivisse Trajanum mox dictum est, cum Eutropio. Camelum ergo Arabiam ipsam denotare puto, utpote provinciam animalium illorum feracissimam; figura vero quæ adstat, Imperatorem opinor, sinistra scipionem, hoc est, Imperatorium baculum, dextra lauream, victoriæ scilicet signum, ferens.

A. RA. MIL. FRV. a Rationibus Militaris Frumenti. *Scaliger.* Si in militaribus saxis. Sicuti, qui in familia Rationum curam obtingebat Rationator dicebatur, seu a Rationibus, ait *Pignorius de Servis*; ita qui in Legione frumenti curam gerebat, a Rationibus Militaris Frumenti nominabatur.

A. RAT. a Rationibus. In Domo Augusta a Rationibus erat, qui Imperatorum servabat rationes, prout ex antiquis epigrammatibus elicitur. De istis *Suetonius in Claud. cap.* 29. scribit ipsum dilexisse *ante omnes Narcissum ab Epistolis, & Palantem a Rationibus*, ideo qui a Rationibus dicebantur, sicuti in Palatina familia erant Liberti, ita in privata Servi.

A. RAT. MAR. LVNENS. a Rationibus Marmorum Lunensium. Hi erant qui in Lunensium cryptis, effossorum rationes curabant.

A. R. B. I. T. A. A Re Bene Judicata Temere Appellasti. *Cujacius.*

ARBITR. SVO. DIVID. arbitratu Suorum Dividendas. In sepulcralibus legatis. sic accipio hasce notas in Lapide apud *Gruterum pag.* 753. 4. Vulgatissima hæc fuerat antiquorum formula perpetuæ parentationis legatæ; cujus divisionem ad heredum arbitrium pertinere testator legaverat, ut ex præcitato saxo deprehenditur. Formulas hasce varias apud priscos fuisse, præter ea quæ monumenenta produnt, scite pariter indicat *Brissonius de Formul. lib.* 7.

ARBOR. SACR. L. D. D. ATTAC. ARDVER. arbores Sacri Luci Deæ Diæ Attactæ arduerint. Hæc pars est Ambarvalis legis, quam totam habet *Gruterus pag.* 121. 1. quamque pulchre expendit *Jacobus Gutherius de Jur. Man. lib.* 1. *cap.* 4. ad quem, politioris eruditionis gratia, lectorem remitto.

ARB. PR. arbitrio prætoris.

ARC. arca. *Diaconus. Manutius.* Ideo arca dicta *Varro ait de l. l. lib.* 4. *quod arcebantur fures ab ea clausa.*

arcarius.

arcus. *Manutius.*

ARCHS. archiepiscopus. In Roma subterranea, & monumentis Christianorum.

ARC. II. arcas Duas. *Probus Ernstii. Diaconus. Ms: Ferraris. Gratiosus. Manutius.*

AR. CV. ardua Culmina. *Gratiosus.*

AR. DD. III. NON. MAI. aram Dedicavit Tertio Nonas Maji. In Votivis.

A. RET. P. III. S. ante retro pedes Tres Semis. In sepulcralibus, in quibus mensura sepulcri erat designata.

A. RETR. P. XXS. ante retro Pedes Viginti Semis. Ubi de mensura sepulcri.

ARG. argentum, *Probus Ernstii. Ms: Ferrarii. Diaconus. Papias. Saracnus.*

ARGENT. argentarii erant, qui argentum tractabant. Inter artificum saxa.

ARG. P. argentum purum. *Manutius.*

argenti pondo. argento publico. In votivis, ut infra.

ARG. P. X. argenti pondo Decem. *Scaliger.* erat in votivis. Suas argenteas, aureasque imagines stultissime templis legasse antiquos, ad pondo usque centum & amplius, pro inferorum pœnis evitandis, & saxa, & *Statius Sylvar. lib.* 5. monent.

Da Capitolinis æternum sedibus aurum,
Quo niteant sacri centeno pondere vultus
Cæsaris, & propria signet cultricis amorem.
Sic ego, nec furias, nec deteriora videbo
Tartara, & Elysias felix admittar ad oras.

ARG. R. V. P. S. P. Argento Rudi Vivus Pecunia Sua Posuit. *Georgius Gualtherius in Animadversionibus ad Antiquas Siciliæ Tabulas.*

A. RION. A Rationibus. *Gratiosus.*

ARK. REIP. ArKarius Reipublicæ. Inter Archarium, & Arkarium illud est discrimen, quod Arcarius sine adspiratione præpositus erat iis, quæ in arcas inferebantur, ut habetur in *l.* 1. §. 8. *Cod. de Offic. Præf. Præt.* & in toto Titulo *Cod. de Suscept. Præp. & Arca*: qui quidem erant liberi in familia palatina, sed servi in privata; servus enim qui arcæ Domini curam gerebat Arcarius servus erat, ut in *l. Thais.* §. *Stichum. ff. de Fideicommiss. Libert.* &c. Archarius vero cum adspiratione præfectus & moderator Urbis dicebatur: ἀρχὴ namque nomen, a quo ἄρχω, hoc est, impero: Ideo *D. Paulus Epist. ad Roman. cap.* 16. *Salutat vos Erastus ArKarius civitatis*, quam dignitatem apud Amerinos fuisse, saxum indicat *pag.* 1091. 7.

ARK. RET. P. Arcæ Retrò Positæ. *Scaliger.* In sepulcralibus.

ARM. Armeniacus. *Erizius. Manutius.* M. Antoninus Philosophus Armeniacus cognominatus fuit, ut ex *Julio Capitolino* in ejus vita deprehenditur, ob res suo nomine in Armenia prospere gestas per Statium Priscum, Artaxatis captis. quod cognomen licet ob verecundiam Marcus primo recusasset, postea tamen recepit, sed cum L. Vero fratre commune, eo quia Verus *Antiochiam posteaquam venit*, (ita in eo *Capitolinus*) *luxuriæ se dedit: duces autem confecerunt Parthicum bellum, Statius Priscus, & Avidius Cassius, & Martius Verus per quadriennium, ita ut Babylonem, & Mediam pervenirent, & Armeniam vindicarent: partumque est ipsis nomen Armeniaci, Parthici, Medici, quod etiam Marco Romæ agenti delatum est.*

Armilustrio. *Manut. Gruter. Rosin. Armilustrium festum erat apud Romanos, quo res divinas armati faciebant, ac dum sacrificarent, tubis canebant*, ut *Festo* placet; ad quæ *Varro de Ling. Lat. lib.* 5. subdit; *nisi locus potius dictus ab his, sed quod de his prius. id ab luendo, aut lustro, idest, quod circumibant ludentes ancilibus armati.* Celebrabatur Romæ Armilustrium quartodecimo Kalendas novembris, qui Octobris dies decimusnonus, eratque nefastus primo. Armilustrii vero locum designat *P. Victor de Region. Urb.* in Regione decima tertia, cui Aventinæ fuit nomen. Sed de Armilustrio plura qui cupit, *Scaligerum* consulat, *in Castigat. ad Festum.*

ARM. E. Arma Ejus. *Probus. Diaconus. Ms: Ferraris. Gratiosus. Manutius.*

ARME. CAPT. Armenia Capta. In nummo argenteo gentis Petroniæ Plebejæ cuso in Augusti memoriam ob victoriam de Armenis a Cajo, ejus nepote ex Agrippa & Julia, obtentam, de qua sic *Suetonius cap.* 21. *Augusti: Parthi quoque, & Armeniam vindicanti facile cesserunt, & signa militaria quæ M. Crasso & M. Antonio ademerant, reposcenti reddiderunt, obsidesque insuper obtulerunt.* ob id in uno istius gentis nummo conspicitur Armenius quidam flexis genibus; in altero Parthus in genua procumbens signa offerens.

ARMEN. Armenia. *Erizius.*

ARMIL. Armillæ. *Gualther.* In militaribus. Armillarum notitia ex *Festo* habetur. *Armillas ex auro, quas viri militares ab Imperatoribus donati, gerunt dictas esse existimatio, quod antiqui humeros cum brachiis armos vocabant; unde arma ab his dependentia sunt vocata.* Fuerunt Armillæ tantæ apud Romanos existimationis, ut non externis militibus, sed civibus tantum donarentur. *Alexander ab Alexandro Gen. Dier. lib.* 4. *cap.* 11. cui adstipulatur *Lipsius de Milit. Rom. libr.* 5. *Dial.* 17. qui etiam argenteas, aureasque Armillas fuisse observavit; prout & *Antonius Valtrinius de Re Milit. Roman. lib.* 6. *cap.* 4.

ubi

ubi non minus fuisse, quam erudite Armillarum conditiones assignat.

ARMOR. CVSTO. Armorum Custos. In militaribus.

ARM. P. Arma Pontificis. Arma Principis. *Manutius.* Sed melius

Arma Publica. *Probus. Ms: Zabarella. Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius.* Erantque meo judicio Arma publica, quæ ex publico Armamentario Romæ in Cœlimontana regione, teste *P. Victore de Reg. Urb.* sito, petebantur; quod facile colligere est ex *Tacito* non uno in loco, sed præcipue *Hist. lib.* 1. in seditione Prætorianorum Romæ excitata, initio Imperii Othonis: *nam aperto armamentario, rapta arma, nudati gladii, insidentes equis, urbem ac palatium illi petierunt.*

ARN. } Arniensis *Manutius. Scaliger. Gualtermus:* Tribus scilicet.
ARNIEN.

AR. N. II. Arietes Numero Duos. In sacrificiis Deæ Diæ.

ARO. Argentum. *Ms: Rhodii.* dummodo subsistat.

AROMAT. Aromatarius. *Manutius.*

AR. P. Aram Posuit. In votivis.

A.R. PROX. PED. XLV. A Ripa Proxims Pedes Quadraginta Quinque. In cippis riparum.

AR. PVB. Argento Publico. *Ericius.* Arma Publica.

ARR. Arrius. *Diaconus. Manutius.* Arriam gentem plebejam licet faciant *Panvinius* & *Ursinus de Famil. Roman.* clarissimam tamen apud nos reddidit Arria illa Patavina illustrissima femina Cæcinæ Pæti, viri clarissimi uxor, quam *Plinius secundus Epist. lib.* 3. *Epist.* 16. mirifice extollit. Gentilitium vero hoc nomen quandoque pro cognomine usurpatum observo in lapidibus, ut est *pag.* 127. in quibus non tantum lego:

L. CORNELIVS ARRIVS

sed & *pag.* 248. 6. ubi occurrit:

Q. TAMVDIVS Q. F. ARRIVS

AER. R. ST. Ærarium Romæ Saturni. *Gratiosus. Ædem Saturni ærarium Romani esse voluerunt: quod, tempore quo incoluit Italiam, fertur in ejus finibus nullum esse furtum commissum; aut quia sub illo nihil erat cujusque privatum*, scripsit *Macrobius Sat. Serm. lib.* 1. *cap.* 8. atque ideo legitur apud *Varronem lib.* 4. *de Ling. Lat. Vestigium etiam nunc manet in æde Saturni, quod ea etiam nunc propter pensuram trutinam habet positam; ab ære ærarium appellatum.*

AR. ST. Ara Saturni. *Probus Ernstii.*

AR. V. V. D. D. Aram Votam Volens Dedicavit. *Scaliger.* In votivis in quibus aræ erigebantur.

AR. VV. D. D. Aram Votivam Dono Dedit. In votivis.

A. S. Actio sua. *Gratiosus.*

Ælia Sentia. *Manutius.* Ælia Sentia lex de Manumissionibus fuit, quam tulere Sextus Ælius Catulus, & C. Sentius Saturninus Consules anno V. C. DCCLVI. Hujus sex fuere capita, quæ omnia animadvertit *Antonius Augustinus de Leg. & Senat. Consult.* ad quem, pro ipsorum notitia lectorem remitto.

Ara sacra. Auctore Senatu. *Manutius.*

A Suis; *Diaconus. Ms: Rhodii. Manutius.*

AS°. Asiæ. *Papias.*

ASI. Asia. *Goltzius.*

Asiæ. *Magno.*

ASI. EVR. AFR. Asia Europa Africa. *Ericius.*

In aureo Augusti Nummo, in quo globi tres cum istis notis; crediteque idem auctor cusum Augusto hunc nummum ob Asiæ victoriam.

A.SIG. LEG. VIII. A Signis Legionis Octavæ. Si in militaribus. *A signis* signiferi erant dicti, qui in legionibus signa portabant, quos suo tempore Draconarios nuncupatos monet *Vegetius de Re Milit. lib.* 2. *cap.* 7.

A. S. L. Ad Legem. *Ms: Rhodii.*

A Signis Legionis. In militaribus.

A.S.L.F. Ad Suam Legem Fecit. *Ms: Rhodii. Gratiosus.*

A sua Lege Fecit. *Diaconus. Manutius.*

Amico suo Libens Fecit. In sepulcralibus amicorum.

A.S.L.F. Ad suam Legem Fecit. *Papias.*

A. SPVRI. Aulus Spurilius. In nummis argenteis gentis Spuriliæ.

A. S. S. Aram Suo Sumptu. si in votivis. A Sacris Scriniis. *Scaliger.* Si in officiis Domus Augustæ. A Sacris Scriniis erant illi, qui sacri Palatii scriniis fuerant præpositi, quique militare in sacris Scriniis dicebantur; ut patet ex toto titulo *Cod. de Prox. Sacr. Scrin.* quorum tum ibi, tum penes *Guidum Pancirolum In Notit. Imp. Orient. cap.* 93. plane est intelligere conditiones & dignitates.

ASSIE. Assidue. *Ms: Rhodii.*

ASTIGIT. Astigitanorum. Astygis Turdetanorum in Hispania Urbs, nunc *Ecija*, civitas clara; ab Astygi Astygitani, & Astygitanus ager. Urbem hanc Augustam Firmam dictam ex *Plinio Hist. Nat. lib.* 3. *cap.* 1. in hæc verba colligitur: *Singulis fluvius in Boetica, quo dictum est ordine irrumpens, Astygitanam coloniam allust, cognomine Augustam Firmam.*

A. S. TT. A Supra Tecto. *Diaconus. Manutius.*

A Superiore Tecto. A Supremo Tecto. *Ernstius*, qui *ad cap.* 1. *Probi* notat in vestigiis antiqui sui codicis scriptum fuisse *A Sup. Tec.* unde nescit legendum ne sit, *a Superiore*, vel *a Supremo tecto.*

Auxit Sibi Titulos. *Gratiosus.*

A. SVPELL. A Supellectili. In Monumentis servorum familiæ Urbanæ. *A supellectili* erant servi Domini supellectilem cunctam, vel castrensem tantum curantes. de cuncta saxum est *pag.* 583. 9.

NESTOR
C. CAESARIS SER
GERMANICIANVS
A SVPELECTILI. VIX. AN. XI

de castrensi *pag. ead.* 10.

D. M. S
ATIMETI AVG. L. A SVPELI
CASTRENSI FECERVNT
FLAVIA DALA CONIVG. B. M
ET FORTVNATVS AVG. L. PARENTI

A. T. A tergo. *Appianus. Lazius. Manutius.*

Auctoritas tua. *Magno.*

A. T. Auctor tutor. *Magno.*

AT. Actio. *Papias.*

Attributum. Atrum. Attinet. *Gratiosus.*

Autem. *Probus. Ms: Rhodii & Ferrarii. Papias. Gratiosus. Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius.*

AT. Autem. *Probus. Diaconus. Ms: Zabarella. Magno. Manutius.*

A. T. AB. Adolescenti Testiculos Abscidit. *Diaconus. Manutius.* Quod ab antiquo nitore alienum.

ATACC. Atactæ. Atacctus. In monumentis fulguritarum rerum.

ATC. Auctoritas. *Papias.*

AT.C.

AT.C. Acta Causa. *Ms: Rhodii.*

AT. C. RM. Actio Civitatis Romanæ. *Ms: Rhodii.*

A. TE. A tergo. *Probus. Ms: Zabarella. Sarainas. Manutius.*

ATE. }
ATE. } Attende. *Ms: Rhodii.*

A. TER. A tergo. *Trebellius. Manutius.*

A. TERENTI. Aulus terentius. In nummis argenteis gentis Terentiæ.

A. T. F. aulus titi Filius. *Manutius.* numquid melius *Aurelius Titi Filius?* nam & Aulus & Titus prænomina cum sint, non utique gentem illius Titi valent indicare.

Amico titulum Fecit, *vel* tumulum.

ATFINES. Adfines. Cujusmodi ex saxo *pag.* 356. 1. patet.

A. T. M. D. O. Ajo te Mihi Dare Oportere. *Probus. Sarainas. Appianus. Manutius. Brissonius.* Notæ istæ in antiquorum actionibus observabantur, atque *Ajo te mihi dare oportere* dicere solebat actor, cum alicui in judicio aliquid condicebat. *Brissonius de Formul. lib.* 5.

AT. M. LIII. Ad Milliaria Quinquaginta Tria. In operibus Publicis.

A. TORQVAT. A. F. aulus Torquatus Auli Filius. In nummis argenteis gentis Manliæ, cui Torquati cognomen gloriosum dedit Titus ille Manlius, qui Gallum singulari certamine victum tantummodo torque spoliavit, colloque, & si respersum cruore, circumdedit suo; unde *Torquati cognomen auditum celebratum deinde posteris etiam, familiaque honori fuit. Livius Hist. lib.* 7.

A. TP. Anni tempore. *Papias.*

Anno tempore. *Probus Ernstii.*

Annuo tempore. *Diaconus. Manutius.*

Ante tempus. *Gratiosus.*

AT. PC. Actor Provinciæ. Auctor Provinciæ. *Gratiosus.*

AT.P.R. Attulit Populo rationem. *Gratiosus.*

AT. PR. R. Actor Provinciæ romanæ. *Gratiosus.*

Actore prætore romæ, *vel*, Auctore. Legerem ego potius ex illis quæ observavi nota AC. P. R.

ATQ. Atque. *Probus. Ms: Zabarella*, fereque ceteri.

ATR. Auctoritas. *Ms: Rhodii & Ferrarii. Gratiosus. Sarainas.*

Auctoritate. *Ms: Ferrarii.*

Auctor. *Passeratius. Laurentius.*

ATR. S. Auctor. Auctoritas. *Probus. Diaconus. Magno. Manutius.*

A. TR. Aulus Trebatius. *Passeratius. Laurentius.*

A. TREB. Aulus Trebatius. *Manutius.*

Aulus trebonius. *Probus. Manutius.*

A. TRI. CVRAN. a triclinio Curando. In Urbana familia servus a triclinio erat, qui triclinio præerat, quique uti summus magister ceteris a triclinio servis imperitabat, quorum multiplex numerus recensetur a *Pignorio de Servis.*

ATR. S. Auctor Secundus. *Probus. Ernstii.* ad quem ipse observat auctorem Secundum esse fidejussorem, & quia primus auctor est ipse venditor, qui emptoris auctoritatis nomine tenetur, ut clare percipitur ex *l.* 4. *ff. de Evict. & dupl. stipul. Illud quæritur, an is qui mancipium vendidit, debeat fidejussorem ob evictionem dare, quem vulgo Auctorem secundum vocant.*

A. TR. T. ad turrim tarpejam. *Manutius.*

A. TR. TP. Ad turrem tarpejam. *Diaconus. Gratiosus. Manutius.*

A. TR. T. P. Aulus trebonius, Tribunus Plebis. *Gratiosus.*

AT. R. TP. ad rupem tarpejam. *Sarainas.*

Ad turrem tropæam; *Probus Ernstii*, qui, *Notar. cap.* 1. fatetur se ignorare hanc turrim; siquidem apud *Ptolemæum*, tropæam Augusti, sed oppidum Liguriæ reperiri notat, Pompejam vero tropæam, locum maritimum Hispaniæ tarraconensis fuisse, cum Strabone monet.

A. TT. Addidit titulum. *Gratiosus.*

Ante titulum. *Diaconus. Manutius.*

Habet titulum. *Ms: Ferrarii.*

AT. T. Habet titulum. *Probus Ernstii*, quem lector consulere poterit, ad ea quæ ad hasce notas ipse observat.

A. T. V. Aram Testamento Vovit. Si recte a me explicantur hæ notæ in monumento *pag.* 537. 6.

TI. CLAVDIO. TI. F
LEM. ARIPIO
MIL. COH. X PR
MILIT. A. XII. VIX
AN. XXXI. M. VIII. D. II.
A. T. V

AV. aufer. *Ms: Rhodii.*

Aruspex. *Gratiosus. Aruspices nuncupatos*, ait *Isiderus Orig. lib.* 7. *cap.* 9. *quasi horarum inspectores: dies enim & horas in agendis negotiis operibusque custodiebant, & quid per singula tempora observare debebat homo, intendebant.* Hos etiam exta pecudum inspexisse, & ex eis futura prædixisse *Plautus* hisce verbis prodidit *in Pœn. Act.* 2. *Scen.* 1.

Condigne aruspex, non homo trioboli,
Omnibus in extis ajebat portendi mihi
Malum, damnumque, & Deos esse iratos mihi.

propterea *Becmanus* in *Orig. Ling. Lat. Aruspicem ab ara, & specio, ut nonnullis videtur*, dictum colligit, *vel ab Harnga, idest, hostia quæ servatur in ara.*

Aventinus. *Gratiosus. Aventinum montem*, ait *Varro de Ling. Lat. lib.* 4. *aliquot de causis dicunt. Nævius ab avibus, quod eo se ab Tiberi ferrent aves: alii ab Rege Aventino Albano, quod ibi sit sepultus: alii ab adventu hominum, quod commune Latinorum ibi Dianæ templum sit constitutum. Ego*, subdit ille, *maxime puto ab advectu: nam olim paludibus mons erat ab reliquis disclusus.*

Augur. *Goltzius.* de quo infra.

Augustalis. *Papias. Gratiosus.*

Augustus. In nummis æreis Neronis.

Aurelia. aurelius.

AVC. auctoratus. *Diaconus. Manutius.*

auctoritas. *Probus. Diaconus. Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius.*

auctore. *Manutius.*

augusto. In saxo Romæ Subterraneæ *T.* 1. *lib.* 2. *cap.* 10. in quo pro AVG. stat AVC.

✠ DEP. EST BOETIVS CL. P. OCT. KAL. NOBR. INDICT. XI. IMP. DOM. N. IVSTINO. PP. AVG. ANN. XII. &c.

A. V. C. ab Urbe Condita. *Ms: Zabarella. Gratiosus. Manutius.*

A. V. C. COS. augusto Viro Clarissimo Consule. Ita lego frequentissime in subscriptionibus constitutionum *Theodosiani Codicis*, atque præcipue *lib.* 2. *tit.* 16.

AVCT. auctoritatibus. auctor. *Papias.*

AVCTIB. auctoritatibus. *Magno.*

AVCTOR. auctoritas. *Manutius.*

AVG. augur. Omnes fere notarum explicatores, & in lapidibus colnniarum præcipue. *Augur, Festi* monitu, *ab avibus gerendoque dictus erat*, *quia*

quia per eam avium gestus edicebatur; sive ab avium garitu, unde augurium. ergo Augurium ab Auspicio varium. quandoque tamen idem significasse teneo ex *Plaut. Asinar. Act. 2. Scen. 1.*

Sed quid hoc, quod picus ulmum tundit? non temerarium st:
Certe, hercle, ego quantum ex augurio auspicii intellego,
Aut mihi in mundo sunt virgæ, aut atriensi Saureæ.

Verum licet Augures tanti æstimarent Romani, ut Consuli etiam exercitui imperanti Augur adesset ille qui præibat, quid eum oporteret dicere, ex *Varronis* sententia *de Ling. Lat. lib. 5.* nihilominus irrisos ipsos, ipsorumque auguria ab antiquis comperio ex *Attii Fragmentis Astyanacte.*

Nihil credo Auguribus, qui aures verbis divitant
Alienas, suas ut auro locupletent domos.

Augusta. *Hemelarius.* Cum mulieris est monumentum, ut in isto Faustinæ Commodi matris *pag.* 270. 12.

FAVSTINAE
AVG.
DIVI. PII
FILIAE
COL. SARMIZ

Augustæ. Augusti. *Sarainas. Angelonus.*
Augustalis. *Manutius. Rubens. Gualterius.* In saxis Coloniarum.
Augusto. *Papias. Sarainas. Lazius.*
Augustus. Passim & ubique.
AVG. Augur. Augustalis. *Manutius.*
Augustus. *Diaconus. Manutius.*
AVG. BAD. Augur Badaci. Augustalis Badaci. Utrumque enim potest habere saxum *pag.* 431. 6.

L. LVCCEIO. L. F
CAMIL. APRILI
AVG. BAD

Augures namque & Augustales Colonias habuisse notum est omnibus. Badacum *Ferrario in Lex. Geograph.* & *Carolo Stephano in Lex. Hist. Geograph. Poet.* auctoribus, Norici urbs dicitur, quod *Ptolemæo Geograph. Part. 2. Bedacum* est. Hanc modo Saltzburgum dictam vult *Stephanus*, quod rejicit *Ferrarius* scribens, Augustam Badacum oppidum esse ad Lavantum fluvium Iduno urbi propinquum.

AVG. COL. Augur Coloniæ. Augustalis Coloniæ. Utrumque enim indicant hæ notæ pro monumenti sensu in lapidibus Coloniarum, in quibus magistratuum est mentio, cum subscriptis.

AVG. COL. APVL. Augur Coloniæ Apuli. Augustalis Coloniæ Apuli.

AVG. COL. N. P. C. {Augur / Augustalis} Coloniæ Nomine Proprio Curavit. In Coloniarum saxis.

AVG. CVR. R. P. Augustalis Curator Reipublicæ.

AVG. ET. POP. Augustales Et Populus.

AVG. ET. Q. AVG. Augustalis Et Quæstor Augustalium. *Scaliger.* In Coloniarum saxis.

AVG. F. Augusti Filius. *Goltzius. Angelonus.*

AVG. FLAM. Augustalis Flamen. *Probus Ernstii.* In monumentis Coloniarum.

AVG. FOR. Augusti Fortunæ. *Goltzius.* Ad innuendum fortassis illius aureæ Fortunæ simulachrum, quod intra intimum cubiculum Imperatores sancte custodiebant, donec morti proximi ad successoris cubiculum, si eum sibi designaverant, transmitterent.

AVGG. Augusti. Duo frequentissime.

AVGG. FR. CLARISS. Augustorum Fratrum Clarissimorum. Ita in Imperatorum monumentis.

AVGGG. Augusti. Augustorum. Trium scilicet.

AVGGG. LIB. Augustorum Libertus, *vel* Librarius. Hoc est, trium.

AVG. N. Augustus Noster. *Probus Ernstii.*

AVGG. N. N. LIB. Augustorum Nostrorum Libertus, *vel* Librarius. Quod de duobus.

AVG. I. D. Augustalis Juri Dicundo. *Scaliger.* In monumentis coloniarum.

AVG. L. Augusti Liberi. *Scaliger.*

Augusti Libertus, *vel* Librarius. Ubi de officiis Domus Augustæ.

AVG. LIB. Augusti Libertus. Augusti Librarius. Sed non semper. Sensus itaque lapidum ipsorumque ordo observandus: nam *Lazius* Augusti Librario legit ad hoc monumentum *Comment. Rei. Rom. lib. 2. cap. 4.* & forsitan non recte.

L. AVRELIO
MARCIANO AVO
LIB. EXCEPTORI
AVXIMATES
D. D.
MARCVS. AVG. LIB
PROC. PATER
H. A. I. REMISIT
CVIVS DEDICATIONE. DE
CVRIONIBVS. XIII. COLONIS XII.
DIVISIT

siquidem lubens ego legerem, *Augusti Liberto*, eo quia cum Librarius & Exceptor idem sit, ut habetur in *l. sed addes. §. eum quidam. ff. Locati & Conducti.* utique redundans esset inscriptio hæc *Augusti Librario.*

AVG. LIBER. Augusti Liberalitas. In Impp. nummis.

Augusti Libertus. Augusti Libertus. *Manutius.*

AVG. M. {Augur. / Augustalis} Municipii. In municipiorum lapidibus: nam Municipia etiam suos Augures atque Augustales habuisse docet *Panvinius Antiquit. Veron. lib. 2. cap. 12.*

AVG. N. Augusti Nepos. *Angelonus.*

Augusti Nostri. *Hulsius.*

Augustus Noster. *Probus. Diaconus. Mr. Zabarella. Manutius. Hulsius.*

AVG. N. DISP. Augusti Nostri Dispensator. Ubi de officialibus Domus Augustæ. Ab ære pendendo dispensatores dictos monet *Varro de Ling. Lat. lib. 5. as. namque non adnumerando, sed pendendo expendebant* ait Festus. Ideo sic dicti, quia familiæ rationes dispensabant, peculiique administrationem babebant, ut a Jure Consultis docetur *l. 62. ff. de Solut. & Liberat.* Hos servos fuisse tam in palatina, quam in privata familia, tum ex relatis, tum ex *Suetonio* ipso *in Aug. cap. 62.* constat: *Cosmum servum gravissime de se opinantem, non ultra quam compedibus coercuit. Diomedem dispensatorem, a quo simul ambulante, incurrenti fero apro per metum objectus est, maluit timiditatis arguere, quam noxa.* tum etiam ex *Plinio Hist. lib. 33. cap. 11. Nostra ætas fortior fuit Claudii principatu: servus ejus Drusillanus nomine Rotundus, dispensator Hispaniæ Citerioris.* &c. Ex quibus colligitur non tantum familiæ Palatinæ, sed & Provinciarum Dispensatores servos fuisse.

AVG. N. N SER. Augustorum Nostrorum Servus.

AVG. N. SER. Augusti Nostri Servus.

AVG. N. V. Augusti Nostri Verna.

Vernas veteres appellasse, qui vere sacro fuerant nati, & habebatur nomen hoc pro vitiabili & maledicto, observavit *Nonius Marcellus. Festus* autem, Vernas dictos scribit filios *ex ancillis civium Romanorum vere natos, quod tempus anni maxime naturale futura esset.* huicque adstipulantur Jurisconsulti, cum apud eos Vernæ sint filii ex ancillis Domini nati, ut *Instit. Tit. de Legat. §. Huic Proxima.* Verum quandoque scurras Vernas dictos suggerit mihi illisce carminibus *Martialis 1. Epig. 42.*

Urbanus tibi Cæcili videris,
Non es, crede mihi. quid ergo? Verna es.

AVG. P. Augusti Puer. *Scalig..* Ad instar forsitan illius *Horatii. Serm. 1. Sat. 2.*

Num tibi, quum fauces urit sitis, aurea quæris
Pocula? num esuriens fastidis omnia, præter
Pavonem rhombumque; tument tibi quum inguina,
num, si
Ancilla, aut verna est præsto puer, impetus in quem
Continuo fiat.

AVG. POL. Augur Polæ, *vel* Augustalis. In Polæ Coloniæ saxis.

AVG. RAVEN. Augustalis Ravennæ. Ravenna urbs antiquissima & nobilissima. Si Plinio creditur *Hist. lib. 3. cap. 15.* a Sabinis condita fuit: si Straboni *Cosmograph. lib. 5.* a Thessalis. Hæc tantæ olim potentiæ fuit, ut cum Romana Republica diu dimicare sit ausa, donec ab Augusto qui

Qua mare, qua terra, qua sidus currit utrumque

Imperium protraxerat, Colonia deducta fuerit: in paludibus namque extructa tutissimum portum habebat, ubi, ut & Miseni, Imperator Classes in statione locaverat, quæ duobus istis in locis ad tutelam superi & inferi maris semper essent in promptu, ut scribit *Suetonius in Aug. cap. 49.*

AVG. SAC. Augusto Sacrum. *Probus Ernstii.*

AVG. TRIB. POT. Augustus Tribunicia Potestate. In nummis Augusti cusis primo anno, quo Tribuniciam assumpserunt potestatem, de qua paulo post.

AVGVS. Augustus. *Ms: Ferrarii.*

AVGVST. Augustalia. Si in kalendario. In Augusti honorem Augustalia Romæ instituta fuere. *Tacitus primo Annal. Tribuni plebis petivere, ut proprio sumptu ederent ludos, qui de nomine Augusti, fastis additi, Augustales vocarentur; sed decreta pecunia ex ærario, utque per circum triumphali veste uterentur; curru vehi haud permissum.* moxque: *Celebratio annua ad Prætorem translata, cui inter cives & peregrinos jurisdictio evenisset.* Cum Tacito consentit *Dio*, qui ultra Ludos, dies Augustales quoque extitisse observaverat *Hist. lib. 45.* dicendo: *Ob reditum Augusti, ac propter ea, quæ absens egisset, multa ac varia in honorem ejus decreta sunt, quorum ille nihil accepit, nisi quod Fortunæ Reduci aram consecrari, diemque sui reditus inter ferias referri, & Augustalia dici passus est.* Ludorum Augustalium dies in Kalendario erat notatus quarto idus Octobris, qui mensis illius duodecimus, & erat Nefastus primo.

AVGVST. ALLIF. Augustalis Allifanorum. Alliphenam oppidum fuisse in Samio, a Benevento vigintiquinque millia passus distantem, ob magnos calices conspicuum ex *Vetere Horatii Scholiaste* ad illos versus *2. Serm. Sat. 8.* cognoscitur:

Invertunt Alliphanis vinaria tota
Vibidius, Balatroque.

AVGVST. ET. POP. Augustales Et Populus. *Scaliger.*

AVGVST. TR. POT. XIIII. COS. XI. IMP. XIII. P. P. Augustus Tribunicia Potestate Decimumquartum Consul Undecimum Imperator Tertiumdecimum Pater Patriæ. Tribunorum auctoritas in Cæsare primum perpetua evasit: nam *Dione* teste *Hist. lib. 42.* ipse *accepit, ut quinque continuis annis consulatum gereret: ut Dictator non ad semestre tantum spatium, sed in integrum annum diceretur: adhæc Tribunitiam Potestatem per omnem vitam suam haberet. inter eos enim assidere, atque omnia eorum officia gerere reperiebatur, quod permissum alias erat nemini.* Ad Imperium inde post Cæsarem evectus Octavianus Augustus, ejus per adoptionem filius, decretum fuit, ut ipse *per omnem vitam Tribunitiam Potestatem haberet, eique qui ipsum implorasset intra pomerium ac extra, usque ad D. passus auxilium ferre posset, quod nemini quidem Tribuno Plebis licebat.* ita *Dio Hist. lib. 51.* qui etiam *lib. 53.* observavit, quod *Tribunitia Potestas, quam præclarissimus quisque Imperatorum olim habuit, efficit, ut intercedere iis, quæ ab aliis contra ipsorum placitum moventur, possint; ac sacrosancti sint, ita ut si vel minimo sermone se ab aliquo læsos existiment, eum indicta causa, tanquam qui se piaculo obstrinxerit, necare queant. Gerere quidem Tribunatum Plebis nefas ducunt Imperatores, quum utique patritii sint: omnem vero Tribunitiam potestatem, quanta unquam maxima fuit, accipiunt: & & quia quotannis eam cum Tribunis Plebis ejus anni renovant, annorum Imperii ipsorum hinc summa concipi solet.* Hinc ortus & progressus Tribunitiæ Potestatis apud Imperatores.

A. VIA. IN. AGR. P. XXX. A Via In Agro Pedes Triginta. In sepulcralibus. Hac dicendi namque forma monumenti longitudinem sæpe sæpius antiqui signabant, cum ad ejusdem latitudinem indicandam *in Fronte* sculperent.

A. VIC. PVB. A Vice Publica. *Manutius.*

A Vico Publico.

A. V. L. Animo Vovit Libens. In Votivis.

Annos Vixit Quinquaginta. In sepulcralibus.

A. V. P9S. Agens Vice Proconsulis. *Papias.*

A. V. P. S. Augustæ Vindelicorum Pecunia Signata. *Velserus.*

AVR. Aurei. *Sarainas.*

Aurelia. *Rubens.*

Aurelius. *Omnes Notarum explicatores.*

Aureum. *Passeratius. Laurentius.*

Aurum. *Diaconus. Gratiosus. Manutius.*

Auruspex. *Gratiosus.*

AR. Aurelius. *Goltzius.*

AVR. Aurelius. *Ms: Rhodii.*

AVR^c. Auctoritas. *Probus. Ms: meus.*

AVREL. Aurelius. *Ms: Ferrarii. Manutius.*

AVRIG. }
AVRIGIT. } Aurigitanus. Hispaniæ Bæticæ oppidum est Auriga, vulgo *Arona.* Hinc ab Auriga Aurigitani; de quibus in monumentis *pag.* 403. 3. 4

AVRL. Aurelius. *Probus Ernstii.*

AVSP. S. Auspicante Sacrum. *Scaliger.*

AVT. Auctoritas. *Probus. Gratiosus. Manutius.*

Auctor. Auctoratus. *Passeratius. Laurentius.*

AVT. PR. R. Auctor Provinciæ Romanæ. *Diaconus. Manutius.*

Auctore Prætore Romæ.

AVTR. Auctoritas. *Probus. Ms: Zabarellæ.*

AVTVS. Auctoritas. Auctoratus. *Passeratius. Laurentius.*

AVTV. COL. VIC. SEQVAN. Auctoritate Coloniæ Vici Sequanorum, lego in saxo *pag.* 815. 10. dummodo recte:

D. M
PLOCVSAE SVAE
ALDVOVORIX
AVTV. COL. VIC
SEQVAN

Sequanos enim populos Belgicos omnibus notum; inscriptionisque nomina Gallicum sapiunt.

A. V. XX. Annos Vixit Viginti. In sepulcralibus, cum infra scriptis

A. X. Annis Decem. *Probus. Appianus. Manutius.*
A. XII. Anno Duodecimo. *Erizius.*
A. XLI. Annos Quadraginta Unum. *Ursinus.*
A. XX. H. EST. Annorum Viginti Hic Est.

B.

B. Badio. *Gruterus. Panvinius.* Quod de coloribus equorum, in lapide illo, in quo fit mentio equorum Circensium, a Panvinio explanato *de Lud. Circen. lib.* 1. *cap.* 13.

Balbius. *Probus. Magno. Appianus. Lazius. Manutius.*

Balnea. *Manutius.*

Balbus. *Probus. Diaconus. Gratiosus. Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius.* Cognomen fuit usitatissimum Romæ Balbus, a linguæ vitio emanatum hoc est, a *balando potius quam loquendo* ait *Isidorus Origin.* 10. quod, ut constat ex *Joanne Glandorpio, In Cognominum Indice*, commune extitit Acciis, Corneliis, Luciliis, & Octaviis.

Baldi. Ballat. *Ms: Rhodii.*

Beatus. *Manutius. Roma Subterranea.*

Beleno. *Scaliger.* Si tamen in DIs dedicatis lapidibus, eorumque principiis nota occurrat. Belenus Apollo fuit, hoc nomine ab Aquilejensibus præcipue in veneratione habitus; prout eorum denotant monumenta, quæ omnia recolit *Helias Schedius de DIs German. cap.* 7. Sed & Gallorum Deum Belenum fuisse colligitur ex *Ausonio in Professor. num.* 4.

Si famæ non fallis fidem,
Beleni sacratum ducis e templo genus.

& num. 9.

Nec reticebo senem,
Nomine Phœbicium.
Qui Beleni Æditumus.

Verum de Beleno agunt satis, præter Schedium loco citato, *Julius Capitolinus in Maximinis. Herodianus Hist. lib.* 8. *cap.* 3. & *Josephus Scaliger in Ausonian. Lect. lib.* 1. *cap.* 9.

Bene. *Probus. Diaconus. Sarainas. Manutius.*

Beneficiario. *Scaliger.* In militaribus.

Beneficium. *Sarainas. Manutius.*

Berna, *pro Verna*; *Scaliger* ad Gruterianum Saxum *pag.* 94. 4.

Bona. *Probus. Papias.*

Bonæ. Bonitas. Bonum. *Manutius.*

Bonorum. *Ms: Rhodii.*

Bonus. *Probus. Diaconus. Ms: Rhodii. Zabarellæ. Ferrarii.* fereque explicatores cæteri.

Bivus. Bixit. In sepulcralibus, pro *Vivus Vixit.* Tantam affinitatem inter V & B crediderunt fuisse veteres, ut sæpe illas inter se commutasse lapides antiqui indicent. De B autem & V commutatione fuse disserit *Pierius Antiquit. Bellun. Serm.* 2. quem poterit lector consulere.

Brutus. *Probus. Diaconus.* fereque ceteri. *Brutum antiquos gravem dixisse Festus* habet; *Ovidius* vero *Fastor. lib.* 2. stultum sapientem imitantem vocat:

Brutus erat stulti sapiens imitator, ut esset
Tutus ab insidiis, dire Superbe, tuis.

Burra. *Servius. Valerius Maximus*, aut quisquis sit ille qui *Epitomen de Nominum Ratione* concinnavit, scriptum reliquit, quod *antiquarum Mulierum, in usu frequentia prænomina fuerunt, Rutila, Cæsella, Rodocella, Murcula, Burra a colore dicta*, nempe rufo; *Burrum enim dicebant antiqui, quod nunc dicimus Rufum.* ita *Festus.* At mulieres non tantum, sed & viros Burros nominatos colligo ex filio illius Partheníi apud *Martialem lib.* 4. *Epigr.* 45.

Hac tibi pro nato plena dat lætus acerra,
Phœbe, Palatinus munera Parthenius;
Ut qui prima novo signat quinquennia lustro,
Impleat innumeros Burrus Olympiades.

Bustum. *Sarainas. Bustum* proprie dici vult *Festus, locum, in quo mortuus est combustus, & sepultus*, eo quod *quasi bene ustum*; moxque subdit, *sed modo bustum, eo quod sepelitur, sepulcra vocamus.* ad quæ respexisse videtur *T. Lucretius Carus de Rer. Nat. lib.* 3. hisce versibus:

Tu quidem, ut & leto sopitus, sic eris ævi
Quod superest; cunctis privatu doloribus ægris.
At nos horrifico cinefactum te prope busto
Insatiabiliter deflebimus, æternumque
Nulla dies nobis mœrorem e pectore demet.

prout & *Virgilius Æneid.* 11. tali pacto:

fuit ingens monte sub alto
Regis Dercenni terreno ex aggere bustum.

ad quæ *Servius: Bustum hoc loco sepulcrum.* Aliquando tamen bustum cadaveris exustionem denotasse habeo ex *Fulgentio de Prisc. Sermon. Nec jam busta dici poterant, quia ossa quæ comburerentur, non erant.* Et aliquando senes jam ætate consumptos *busta* nuncupatos, penes *L. Apulejum lib.* 4. *Metamorphos.* observo: *Etiamne tu busti cadaver extremum, & vitæ dedecus primum, & Orci fastidium, sic nobis otiosa domi residens lusitabis?* ita namque latrones vetulam suam ibi insultabant. Quo loco præterire nolo, & *sepulcrum* senem herum suum *Pseudolum* denominasse apud *Plautum Act.* 1. *Scen.* 4.

Herum eccum video huc, una Simonem simul,
Cum suo vicino Calliphone incedere.
Ex hoc sepulcro vetere viginti minas
Effodiam ego hodie, quas dem herili filio.

B. Trecenta denotasse habet *Antiquus Codex de Notis Numerorum.* At *Pancirolus in Notit. Imp. Orient. cap.* 75. observavit in *Ursini* Codice, quasdam sacculis inscriptas notas numerorum aureorum indicasse numerum; ut B. quæ Græce duo millia, T. decem millia.

B. Si in termino inveneris, bifurcium ostendit, aut trivium significat. *Ita in auctoribus variis de Limitibus Agrorum.*

B. Tria millia. *Codex Antiquus* de Notis Numerorum.

Balhius. *Probus. Ms: Zabarellæ.*

Balbus. Bene. Bonæ. *Probus. Diaconus. Manutius.*

--B -- Badio *Panvinius* de Colonibus equorum, ubi de Ludis Circensibus, loco citato.
beneficiario. *Manutius.*
bustum. *Diaconus.*
B'. nus. *Diaconus. Ms: Ferrarii.* Nota abbreviaturæ ablativorum pluralium, ut *omnibus*, *hominibus*, & similia.

B. nus. *Magno.* Videlicet *Constitutionibus*, *Sanctionibus*, & hujusmodi.
B℥. nem. *Papias.* Nempe *quamobrem*, & alia hujus ordinis
B. A. bixit Annis. *Manutius.* Quandoque in sepulcralibus.
bona Actione. *Probus. Gratiosus*,
bona Aurea. *Manutius.*
bonam Actionem. *Probus. Ms: Zabarella. Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius.*
bonis Auguriis. *Manutius.*
bonis Auspiciis. *Probus. Servius.*
bonum Aureum. bonus ager. *Manutius.*
bonus Amabilis. *Diaconus. Manutius.*
B. A. bonam Actionem. bonis Auguriis.
bonis Auspiciis. *Diaconus.*
BA. bona. *Diaconus. Magno. Manutius.*
B. AC. bona Actio. *Sarainas. Manutius.*
BAL. balbus. *Sarainas. Goltzius.*
BA. N. bona Nostra. *Ms: Rhodii. Papias. Gratiosus.*
B. A. Ω. M. bonæ Memoriæ Alpha & Omega. Litteris tamen hoc modo dispositis & immistis. In Christianorum monumentis.
B. AR. bona Aurelii. *Manutius.*
B. ARA. bona Aurea. *Probus Ernstii. Ms: Ferrarii. Manutius.*
BARBAT. barbatus. *Panvinius. Goltzius.*
Barbatos cognominatos, omnibus notum esse scio; hocque a barba, unde & Barbulæ cognomen alterum, cujus auctorem aliqui faciunt primum barbæ cultorem; aliqui primum magnæ barbæ nutritorem. Nescio tamen, quomodo eruditissimus *Joannes Glandorpius* in *Cognominum Indice*, *Onomastico Romano* adjecto, Barbati cognomen reperiri scribat in Capitolinis & Messalis, cum hæc, uti & Barbatus cognomina essent.
BASC. basilica. *Roma Subterranea. Regale Basilicum* dictum *Festus* ait; quidquid namque splendidi ac magnifici antiqui observabant, basilicum dicebant sic qui sumptuosis erat indutus vestibus, *basilice exornatus* apud *Plautum* in *Pœnulo legitur Act.* 3. *Scen.* 1.

Ecce opportune egrediuntur Milpho, una & villicus Basilice exornatus incedit.

sic magnus insignisque vir, *Basiliscus* est apud eundem *Rudente Act.* 2. *Scen.* 4.

Am: *Hac sacerdos Veneris, hinc me petere jussit a vobis aquam*

Sc: *At ego Basilicus sum: quem nisi oras, guttam non feres.*

sic hominis statum optimum *Basilicum*, cum eodem noto in *Pseudolo Act.* 1. *Scen.* 3.

Si: *Statum vide hominis, Calipho, quasi Basilicum*

ne dicam cum eodem, *basilice gessisse se minimum*, qui in scena optime se habuit; ut est in *Persa Act.* 5. *Scen.* 2. basilica ergo ex prædictis, insigne ac Regium fuit ædificium, quales Romæ Basilicæ, Julia, Æmilia, Ulpia prisco tempore; & qualia apud nos insignia augustioraque templa, communiter Basilicæ appellata.
BATS. Beatus. *Ms: Rhodii.*

B. AV. bonis Avibus. bonis Auspiciis. *Probus. Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius.*
B. AVR. bona Aurea. *Diaconus.*
B. B. bene bene. *Scaliger*; idest, *optime feliciter* ait ipse ad saxum *pag.* 318. 9.

DIS SECVRITATIS
Q. VIVIVS HERMA
ANTISTES
SANCTI SILVANI
ANNVM AGENS
LXX FECIT
SIBI B. B

BB. bonis bonis. *Scaliger* etiam, scilicet optimis, ad monumentum *pag.* 184 6.

DD. NN.
CONSTANTIO
ET
CONSTANTINO
BB. BEATISSIMIS
QVE CAESS
RP. EP.

bona. *Passeratius. Laurentius.*
bonorum. *Diaconus. Probus Ernstii. Ms: Ferrarii. Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius.*
B. B. D. D. bene bonis Dona Dedere. *Gratiosus.*
bene bene Dedicavit. hoc est, *optime*, *feliciter dedicavit.* Si in votivis.
B C. bona Caduca. *Gratiosus. Manutius.*
bona Causa. bona Civitas. bona Conjux. bona Controversia. *Manutius.*
bonis Cessit. *Tribellius. Manutius.*
bonum Concessum. *Probus. Ms: Zabarella. Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius.*
B. CA. bona Caduca. *Probus. Ms: Rhodii. Papias. Sarainas.*
B. CD. bona Cavenda. *Ms: Rhodii. Sarainas.*
B. COS. / --B--COS. } beneficiarius Consulis. *Scaliger*, cum in militaribus. *Beneficiarii dicebantur milites, qui vacabant a muneribus*, ait *Festus*. subde, vel Consulis, vel Tribuni, vel Prætoris, aut Præfecti nam horum omnium extitisse Beneficiarios saxa produnt. *Vegetius* vero *lib.* 2. *cap.* 7. *de Re Milit. Beneficiarios ab eo appellatos* dicit, *quod promoverentur beneficio Tribunorum.* & *Cujacius* doctissimus in *expositione Novel.* 13. *Justinian.* ex *Agathia* observat, *Beneficiarios fuisse corporis custodes*, *sive protectores*, *& Bucellarios*; *Tertullianusque de Fuga in Persecutione*, potius inter infames personas Beneficiarios reponit, dicens: *Nescio*, *dolendum*, *an erubescendum sit*, *cum in matricibus Beneficiariorum & Curiosorum*, *inter Tabernarios*, *& Lanios*, *& Fures balnearum*, *& Aleones*, *& Lenones Christiani quoque vectigales continentur.* *Thomas* vero *Reinesius*, antiquitatum subtilis scrutator, *Epist.* 22. prodit, quod beneficiarius Consulis erat is, quem Consul, quisquis fuerit, ad eum militiæ gradum, sive togata, sive armata ea fuerit, promoverat, ut liber esset a muniis faciundis, sive in procinctu ab erectione valli, paranda fossa, excubiis, angariis, bastagiis, pabuli materia, lignorum aggestu, & similibus muneribus militaribus.
B. D. bene Dedicavit. bene Denunciavit. bene Dormit. bona Dies. bona Domus. bona Dos. bonis Diis. *Manutius.*
bonum Datum. *Probus. Ms: Zabarella. Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius.*

bonum

bonum Decretum. bonus Decurio. bonus Dominus. bonus Dux. *Manutius.*

B. D. D. bonis Deabus. *Scaliger.* In Deorum lapidibus.

B. DE. SE. M. bene De Se Meritæ. bene De Se Merenti. bene De Se Meriti. In fepulcralibus fæpiffime tam virorum, quam mulierum, ut & quæ mox fuccedunt.

B. D. S. M. bene De Se Meritæ. bene De Se Merenti. *Manutius. Pancirolus. Scaliger.*

bene De Se Merito.

B. E. bona Ejus. *Probus. Ms. Rhodii, & Ferrarii. Papias. Sarainas. Manutius.*

bonorum Emptor. *Magno.*

bonus Eft. *Sarainas. Manutius.*

BE. bene. *Ms: Rhodii. Papias.*

beneficium. *Diaconus. Sarainas. Manutius.*

breviter. *Diaconus. Manutius.*

BE. Bre. *Diaconus. Manutius.*

B'E. beneficium. *Ms: Ferrarii.*

BEAT. beatus. *Sarainas. Manutius.*

BEC. beneficium. *Ms: Ferrarii.*

B. E. C. bona Ejus Caduca. *Gratiofus.*

B. E. CA. bona Ejus Caduca. *Diaconus. Manutius.*

bona Eft Caufa. bona Eft Civitas. bona Eft Controverfia. *Manutius.*

BEDVA. vidua. In faxo nempe *Rom. Subter. T. 1. lib. 2. cap.* 10.

SALERIS. LATOSIA. OF. QVE VIX ANN
VS XLII. M. III. D. XV. FVIT. BEDVA
ANNVS. XII. DEPOSITA. III. IDVS
SEPTERIS IN PACE

B. E. E. bona Ex Edicto. *Diaconus. Manutius.*

B. E. I. bona Ejus Invenies. *Papias. Gratiofus.*

bona Ejus Inftituta. *Probus Ernftii.*

bene Eft Illi. bona Eorum Inveniuntur. bonus Eft Judex. bonus Eft Imperator. bonus Et Innocens. bonus Et Juftus. *Manutius.*

B. E. ʄ. bona Ejus Invenies. *Ms: Ferrarii.*

B. E. I. T. bona Ejus Jufte Tributa. *Gratiofus.*

B. E. IT. bona Ejus Inftituta. *Diaconus. Ms: Ferrarii. Manutius.*

bona Eorum Intus. bonum Eft Iter. *Manutius.*

BEL. Bellum. *Diaconus. Manutius.*

BELL. ACT. bello Actiaco. *Gualterius.*

BELL. ACT. SICIL. ET HISP. bello Actiaco Sicilienfi Et Hifpanienfi; lego in monumento *pag.* 371. 4. quem legendi modum me docuit *Beroaldus ad Suetonium in Cæf. cap.* 37. fcribens: *Hifpanum dicimus eum, qui in Hifpania natus eft; ficuti Sardum, qui in Sardinia. Hifpanienfem autem incolam Hifpania, ficuti Sardienfem incolam Sardinia. Unde Hifpanienfes vocamus negotiatores, qui in Hifpania negotiantur.* Cum ergo Auguftus in Hifpania & Sicilia bella gefferit, non cum Siculis & Hifpanis, fed cum Cnæo & Sexto Pompejis, Magni filiis, quorum primus pugnam & vitam in Hifpania amifit; alter vero in Sicilia penitus fuit profligatus. utique bello Sicilienfi & Hifpanienfi, non autem Siculo & Hifpano, notas lego.

BELM. Bellum. *Ms. Rhodii.*

B. EM. bonorum Emancipatio. *Gratiofus.*

bonorum Emptor. *Probus. Ms: Ferrarii. Gratiofus. Manutius.*

BEN. beneficiarius. *Scaliger.* In militaribus.

BENED. benedictus. *Ms: Rhodii.*

BENEF. LATICLAVI. beneficiarius Laticlavius, *vel*, Laticlavialis. Quia Tribuni Laticlavii beneficiarius erat.

BENEF. PRAEF. VRB. beneficiarius Præfecti Urbis. *Gutherius.*

BENEFT. Benefecit. *Ms: Rhodii.*

BENEF. TRIBVN. beneficiarius Tribuni. *Lipfius.* In Analectis ad Militiam Romanam.

BEN. ME. bene Merenti. bene Merito. *Manutius.* In fepulcralibus utriufque fexus.

BEN. MER. FEC. bene Merenti Fecit. Omnibus fepulcralibus commune.

BEN. SPT. bene Sapitus. *Ms: Rhodii.*

bene Sepultus.

B. EO. bonorum Emptio. *Magno*

B. E. R. bona Ejus Regit. *Manutius.*

B ER. bona Eorum. *Diaconus. Ms: Rhodii & Ferrarii. Papias.*

B. ER. bona Eorum. *Manutius.*

BERGOM. Bergomatis. Bergomenfis. *Sarainas. Manutius.* In lapidibus, in quibus, vel civitatis, vel civium Bergomenfium memoratur.

B. ER. INT. bona Eorum Intus. *Manut.*

B. ER. MIT. bona Eorum Minuuntur. *Ms: Rhodii.* Si tamen recte.

B. ER. N. IT. bona Eorum Non Inveniuntur. *Papias. Gratiofus.*

B. ER ST. bona Eorum Servata. *Sarainas. Manutius.*

bona Eorum Servantur. *Diaconus. Ms: Rhodii. Papias. Manutius.*

B. E. T. S. S. bona Ejus Templis Sunt Sacrata. *Gratiofus.*

B. F. beneficiarius. *Scaliger.* In militaribus.

benefecit. *Probus. Ms: Zabarella. Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius.*

beneficium. *Ms: Zabarella. Manutius.*

bona Familia. *Manutius.*

bona Fides. *Diaconus. Manutius.*

bona Fide. Omnes notarum explicatores.

bona Filia. *Probus. Appianus. Lazius. Manutius.*

bona Femina. *Probus. Diaconus. Appianus. Lazius. Manutius.*

bona Fortuna. bonum Factum. *omnes explicatores.*

bonum Factum. B. F. vel abfque interpunctione, ut Probo placet, boni ominis caufa, in edictis antiquorum folemniter præmittebatur; licet jocofe *Plautus in Prolog. Pænul.* dixiffet huic alludens confuetudini:

Bonum Factum ʃit, edicta ut fervetis mea.

Videtur noftra ætate ejus loco ufurpatum fæpius antiquum illud dicterium *Quod Bonum Fauftumque ʃit;* fiquidem, *Cicerone* tefte primo *de Divinat. Antiqui neque folum Deorum voces Pythagorei obfervaverunt, fed etiam hominum, quæ vocabant omina. Quæ majores noftri, quia valere cenfebant, idcirco omnibus rebus agendis, Quod Bonum, Fauftum, Felix, Fortunatumque effet, præfabantur.*

bonus Fecit. *Manutius.*

BF. benefecit. *Probus. Diaconus. Manutius.*

beneficium. *Probus. Diaconus. Magno. Appianus. Lazius. Manutius.*

bonum Factum. *Probus.*

B--F. beneficium. *Probus. Ms: meus.*

B. Ⅎ. } B. Ⅎ. } bona Filia. bona Femina. *Sarainas. Manutius*

B. F. A. bove Femina Alba. bovis Furvis Aratro. *Scaliger.* Hoc eft, junctis.

B. FA. bona Fortuna. *Papias.*

BFA. beneficia. *Papias.*

B. F. C. benefecit Conful. benefecit Cenfor. bonæ Fidei Certus. *Manutius.*

bona Fide Contractum. *Probus*, ceterique fere omnes.

bona Fide Curavit. bona Fide Cessit. bona Fuit Causa. bona Fuit Civitas. bona Fuit Conjux. bona Fuit Controversia. *Manutius.*

BFC. benefecit. *Probus. Diaconus. Manutius.*

beneficium. *Probus. Diaconus. Ms: Rhodii. Papias. Gratiosus. Sarainas. Manutius.*

B. F. COS.
BF. COS. } beneficiarius Consulis. *Lipsius. Scaliger. Gutherius.*

BF. CT. bona Fide Contracta. *Diaconus. Manutius.*

bona Fide Contractum. Ms: *Rhodii.*

B. F. 9 T. bona Fide Contractum. *Magno.*

BF. D. beneficium Dedit. *Magno.*

B. F. H. bonæ Fidei Homo. bonus Fecit Homo. *Manutius.*

B. FI. C. bonæ Fidei Contractus. *Diaconus. Manutius.*

bonæ Fidei Contractum. *Passeratius. Laurentius.*

bonæ Fidei Contractor. *Papias.*

B. FI. T. bona Fide Tractum. bonæ Fidei Testamentum. *Gratiosus.*

B. FL. bonorum Filius. *Diaconus. Ms: Ferraris. Papias. Gratiosus. Manutius.*

Bonus Filius. *Manutius.*

B F. L. bona Fide Legavit.

bona Fide Locavit. *Gratiosus.*

BFO. beneficio. *Magno.*

B. F. P. bonæ Fidei Possessor. *Probus* cum ceteris

B. F. PR. beneficiarius Prætoris. *Lipsius. Scaliger.* In militaribus cum sequentibus.

B–F. PRAEF. beneficiarius Præfecti.

BF. PR. PR. beneficiarius Præfecti Prætorio. beneficiarius Prætoris. *Lipsius.*

B. F. Q. bonum Factum Quære. *Manutius.*

B. FR. bona Fortuna. *Diaconus. Papias. Manutius.*

BF. TRIB. beneficiarius Tribuni. *Scaliger.* In monumentis militum.

B. FV. bona Fortuna. *Probus. Ms: Rhodii & Ferraris. Gratiosus.*

B. F. V. bonæ Fidei Vir. *Manutius.*

B. G. bona Gens. Bona Gloria. *Manutius.*

Bona Gratia. *Trebellius. Manutius.* Bona gratia dissolvebatur antiquitus matrimonium, quando scilicet communi consensu tam viri, quam mulieris, unanimique agebatur ita. *Plerique enim cum Bona Gratia discedunt, plerique cum ira animi sui & offensa. l. 32. § si divortium. ff. de Don. inter Vir. & Uxor.* Ita *Bona gratia Matrimonium dissolvitur divortio facto. l. 62. ff. eod.* ne hic referam quæ de hac voluntariorum divortiorum formula habentur in *l. 6. ff. de Divort.* & in *l. 14. §. si autem. ff. Qui & a Quib. Manumit.*

Bonum Gaudium. bonum Genus. bonus Genius. bonus Grex. *Manutius.*

B. G. POS. biga Gratis Posita. *Scaliger* ad Monumentum collectum *pag. 447. num. 6.*

B. GR. bona Gratia. *Probus. Ms: Zabarella. Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius.*

B. H. bona Hereditas. *Sarainas. Appianus. Lazius.*

bona Hereditaria. *Probus. Ms: Zabarella. Trebellius. Manutius.*

bona Hora. *Manutius.*

bonorum Heredes. *Probus Ernstii.*

bonorum Heres. *Diaconus. Ms Rhodii. Papias. Manutius.*

bonus Heres. *Sarainas. Manutius.*

bonus Homo. *Probus. Ms: Zabarella. Sarainas. Appianus. Trebellius. Lazius. Manutius.*

B. H. E. I. bona Hic Ejus Invenies. *Gratiosus.*

B. H. I. bona Hic Invenies. *Probus. Ms: Rhodii & Ferraris. Papias. Gratiosus.*

B. H. M. bona Hic Manus. *Sarainas. Manutius.*

bene Hic Maneat. In sepulcralibus quandoque.

B. H. N. bona Hic Intervenies. *Papias.*

BHNHMHRHNTI. Benemerenti. Quod constat ex monumento *pag.* 1119. 9.

D. M.
DANG. CONSIDIO
ALCIDH. TATAH. B
HNHMHRHNTI
ITHM. C. CONSIDIVS
ALCIMVS. PATRONO
BHNHMHRHNTI
LIBHRTIS. LIBHRTAB
QVH. POSTHRISQVH
B. I

B. HRT. bonorum Hereditas. *Sarainas. Manutius.*

B. H. S I. bona Hic Sita Invenies. *Diaconus. Manutius.*

B. HTS. bonorum Hereditas. *Probus. Diaconus. Ms: Ferraris. Gratiosus. Manutius.*

B. H. X. I. bene Heredem Decimum Instituit. *Gratiosus.*

BI̅. balbius. *Diaconus. Manutius.*

BI. Brevis. *Magno.*

bixit. *Manutius.*

B. I. bene Judicavit. bene Jussit. *Manutius.*

bona Inveniemus. *Sarainas. Manutius.*

bona Inveniunt. *Ms: Rhodii.*

bona Inventa. *Papias.*

bona Judicium. *Probus. Ms: Zabarella. Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius.*

bonus Imperator. bonus Judex. *Manutius.*

B. I̅. bona Inveniuntur. *Probus Ernstii.*

BIAR. CVS. biarum Custos. Viarum scilicet.

BIBA. viva. ut ex saxo *Romæ Subter. T. 1. lib. 3. cap. 3.*

HIC REQVIESCIT IN P..... BIBA
FECIT BISOMVS VACAT.....

BIBV. vivo. *nempe*, ut in saxo *Rom. Subter.* loco citato:

LEVPARDVS
SE BIBV. FECIT

B. I. E. bona Inveniuntur Eorum. *Manutius.*

BIGINTI. viginti. *In Roma Subterranea.*

B. I. I. bene Judicavit Judex. *Manutius.*

boni Judicis Judicium. *Probus. Appianus. Lazius. Manutius.*

bonum Judicis Judicium. *Ms: Zabarella.*

BIIF. L. beneficii Loco. *Magno.*

BIINII. MIIRIINTI. FIICIT. *Hoc est*, bene Merenti Fecit. *Diaconus. Manutius.*

BIKTΩPE. *pro* Victore. In lapide *Rom. Subter. T. 2. lib. 4. cap. 37.*

BIKTΩPE BENE

BIRGO. virgo.

B. I. S. bona Inventa Sunt. *Papias.*

BISOMV. bisomum. Sepulcra enim Christianorum primitivæ Ecclesiæ, ut depositorum corporum numerum indicarent Bisomi, aut Disomi, Trisomi, & Quadrisomi verbis erant insculpta. bisomum namque, sive Disomum, duorum corporum erat sepulcrum; Trisomum trium; Quadrisomum quatuor, ut amplius quisque intelligere poterit, consulendo

consulendo *Roma Subterran.* auctores *T.* 1. *lib.* 1. *cap.* 26.

BISSIT. *pro* Vixit. *Roma Subterranea T.* 1. *lib.* 3. *cap.* 3.

B. IT. bona Instituta. *Ms: Rhodii. Papias. Manutius.*

bona Instituit. *Gratiosus.*

bona Instrumenta. *Sarainas. Manutius.*

BITT. Brittannia. *Papias.*

BIT. VIV. Biturgium Viviscorum. *Scaliger* in *Ausonianis Lectionibus lib.* 1. *cap.* 4. Biturges Vivisci *Ptolemæo* teste *Geograph. lib.* 2. Iidem, qui Biturges Josci apud *Strabonem Geograph. lib.* 2. suntque Galliæ Aquitanicæ populi, quorum metropolis Burdigala vrbs, etiam nunc clara, vulgo *Bordeaux*. Hos autem *Plinius Hist. lib.* 4. *cap.* 19. Selignanos cognomine Vibiscos appellat.

BIVVM. Vivum.

BIXIT. Vixit.

BIXSIT. Vixit. Quæ omnia licebit cuique deprehendere in monumentis *Roma Subterranea*.

BIX. ANN X X. CI. M. IV. D. VII. Vixit Annis Octoginta Unum Mensibus Quatuor Diebus Septem. Quod in sepulcralibus. Notam hanc X X loco duplicis XX. positam opinor, quæ centenario antepósita numero, ex illo viginti demere nemo ignorat; an vero meæ conjecturæ sit locus, saxum produco *pag.* 307. 8

AVL. SEMPR. ASPRENATI
FLAMINI DIALI
CONIVGI OPTVMO
BENE MERENTI
HECALE. FLAMINICA
P. C
BIX. ANN. X X C I
M. IV. D. VII
ET. IVL. MODESTINO.
LEIB. B. M
ET SIBI ET SOVEIS

B. K. Badio Kæso. Dictum de coloribus equorum, in lapide a *Panvinio* expenso, *De Lud. Circens. lib.* 1. *cap.* 13.

bona Kastra. *Manutius.*

B. L. bona Legio. *Manutius.*

bona Lex. *Probus. Ms: Zabarellæ. Gratiosus. Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius.*

bonum Libera. bonum Lucrum. bonus Libertus. bonus Locus. *Manutius.*

Burræ Libertus. De Burro, prænomine dictum littera B,

BL. Balbus. *Sarainas. Manutius.*

Bellorum. *Papias* in *Glossario* si admittatur.

B. LB. bonorum Liberi. *Diaconus. Ms: Ferrarii. Papias. Gratiosus. Sarainas. Manutius.*

bonorum Liberti. *Sarainas. Manutius.*

Burræ Libertus.

B. LIB. bonorum Liberi. *Probus Ernstii.*

BLS. Balbus. *Sarainas. Manutius.*

Blæsus. Blæsi a vitio linguæ cognominantur; *quia verbum frangunt*, *Isidoro* teste *Originum* 10. cognomen istud in usu apud Romanos fuisse multis gentibus, *Glandorpio* auctore noto, qui in *Cognominum indice* idipsum Juniis, Pediis, Semproniis, Corneliis, Helviis familiare demonstrat.

B. M. Beatæ memoriæ. *Ms: Rhodii. Papias.* Quod frequentissimum in monumentis Christianorum; ut &

bene maneat. In Sepulcralibus.

bene merentes. *Diaconus. Manutius.*

bene merenti. Vsitatissimum in Ethnicorum sepulcralibus lapidibus.

bene merentia. *Passeratius. Laurentius.*

bene meritorum. *Sarainas.*

bene militavit. Bixit mensibus. *Manutius.*

bona materna. *Diaconus. Magno. Papias. Manutius.*

bona materia. *Manutius.*

bona memoria. bona mercede. bona moneta. bona mulier. *Manutius.*

bonæ memoriæ. *Probus. Ms: Zabarella. Magno*, fereque cuncti notarum Interpretes.

boni mores. *Papias.*

bonis manibus. *Gratiosus.* In Sepulcralibus aliquando.

B M. Beatæ memoriæ. bonæ memoriæ. Sæpius in monumentis Christianorum, ut satis constat ex *Roma Subterranea*, in quibus aliquando etiam

bene maneat.

B. M9. bene merentes. *Ms: Rhodii.*

B. ꟿ. bona memoria. bonæ memoriæ. *Ms: Ferrarii.*

B. MA. bona materna. *Sarainas. Manutius.*

bene maneat.

B. MA. bona Materia. *Ms: Rhodii.*

bene maneat.

B. MB. bene merentibus. *Papias.*

B. MB9. bene merentibus. *Ms: Rhodii.*

B. MB. S. C. bene merentibus Sacerdotibus Concessit. Benemerentibus Sacrum Collocavit. *Gratiosus.*

bene merentibus Servata Causa. *Papias.*

bene merenti Sepulcrum Curavit. bene merentibus Sepulcrum Condidit. In Sepulcralibus.

B. MB9. SE. benemerentibus Servata. *Ms: Rhodii.*

bene merentibus Servantur. *Papias.*

B. MB. SE. bene merentibus Serva. *Manutius.*

B. MB. ST. bene merentibus Servantur. *Gratiosus.*

B. MB. ST. H. bene merentibus Servatur Hic. *Probus Ernstii.*

B. M C. F. bene merenti Cinerarium Fecit. bene merenti Curavit Fieri, *vel* Faciendum. Quandoque in mortuorum Saxis.

B. M. D. bene merenti Dedit. bonæ memoriæ Dedit. Sæpissime in mortuorum monumentorum calce.

bonis manibus Datum, *vel* Dicatum. In Sepulcralibus, cum subsequentibus.

B. M. D. SE. bene merenti De Se. bene merito De Se. Usitatissimum in antiquorum epitaphiis.

B. M. E. bene merenti Erexit.

bene merenti Erexerunt. *Manutius.*

B. M. ET. S. P. Q. S. bene merenti Et Sibi Posterisque Suis. Sic enim expono hujus monumenti notas, *pag.* 1129. 3.

M. IVLIO. LABEONI. ET
LABERIAE. SYMPHERVSAE
PARENTIB. SANCTISS.
BENEMERENTISSIMIS
FECIT
M. LABEO. ONESIMVS
LIVIA. AGRIPPINA. FECIT
CLAVDIO VITALIONI
B. M. ET. S. P. Q. S

B. M. ET. S. S. E. bene merenti Et Sibi Sepulcrum Elegit, *vel* Erexit. Si rationi consona mea, harum notarum in lapide *pag.* 932. 9. hæc erit explicatio.

B. M. F. Beatæ memoriæ Fecit. bene meritæ Fecit. *Appianus.*

bene

bene merenti Fecit. *Probus. Ms: meus.* Quod communissimum in Sepulcralibus.

bene merito Fecit. *Lazius.*

bene merentibus Fecit. *Diaconus.*

bene meritæ Feminæ. *Passeratius. Laurentius.*

B. λλ. F. bene merenti Fecit. Quod ex epigrammate *pag.* 851. 2. conjicio:

D. M
POLYDROMO
ILLYRICVS. FRA
TRI. B. λλ. F.

B. M. F. C. beatæ memoriæ Faciundum Curavit. benemeritæ Faciundum Curavit. bene merenti Faciundum Curavit. bene merentibus Faciundum Curavit. bene merenti Faciundum Curaverunt. Formulæ communissimæ lapidum sepulcralium, tam virorum, quam mulierum.

B M. F. C. R. bene merenti Faciundum Curavit Requietorium. Requietorium quippe expressum quandoque in monumentis occurrit.

B. M. F. C. V. Bene merenti Faciundum Curavit Vivo. bene merenti Fecit contra Votum. An recte hæ notæ explicentur, cuilibet patebit, inscriptionem expendenti *pag.* 529. 1.

B M. FE. bene merenti Fecit. Cum cæteris, quæ habentur B. M. F.

B. M H. E. bona memoria Hic Est. *Diaconus. Manutius.* In Sepulcralibus vulgo.

bona mulier Hic est. *Manutius.*

bonæ memoriæ Hic Est. bene merens Hic Est. bene Merenti Hoc Elegit, *vel* Erexit.

B. M. H. ET. L. bene merenti Heredes Et Liberti. Saxum cum notis istis habetur *pag.* 552. 1.

B. M. H. I. C. bonæ memoriæ Hic Jacet conditus. *Gratiosus.*

B. M. IN. P. bene maneat In Pace. bene merenti In Pace. bonæ memoriæ In Pace. Communissimæ antiquorum Christianorum formulæ, in eorundem lapidibus sepulcralibus sculpi solitæ.

B. M. IN. P. FERVNT. bene merenti In Pace Fecerunt. Ita lego in Romæ Subterraneæ Saxo *T.* 2. *lib.* 8. *cap.* 27.

DVLCISSIME COIVGI BEN
ERE Q VIXIT IN CONIVGIO ANN. XV
ET MORITVR ANN. XXVII
MARTVS ET MATER
B. M. IN. P. FERVNT.

B. M. L. D. bene merenti Libertus Dedit. bene merenti Locus Datus. benemerenti Lugens Dedit. In Sepulcralibus Saxis.

B. M. M. P. bene merenti maritus Posuit. *Probus Ernstii.*

bene merenti monumentum Posuit. Vulgatissimum in Sepulcralibus; & expressum quandoque.

bene meritis manibus Posuit. *Zamoscius.*

B. MN. bene maneat. *Diaconus. Gratiosus. Sarainas.*

bona munera. *Probus Ernstii. Diaconus. Gratiosus. Sarainas.*

bonum monumentum. *Gratiosus.*

B. M. P. bene meritæ Posuit. *Manutius.*

bene merenti Posuit. Quod frequentissimum in Sepulcralibus Cippis.

B. M. P. C. bene meritæ Ponendum Curavit. bene merenti Ponendum Curavit.

bene merenti Publice Curavit. *Sarainas.*

B. M. P. F. bene merenti Posuit Filio.

bene merenti Publice Fecit. *Sarainas. Manutius.*

B. M. P. I. bene merenti Posuit Infelix. Si recte intelligo monumenti notas *pag.* 332. 7.

D. M
CASSIAE PEREGRINAE
INTEG. FA. L. VIX. ANN. XXVII
FL. BISIVS. SCENOB. SARD.
CONIVGI
B. M. P. I.

B. M. P. P. bene merenti Publice Posuit. *Sarainas.*

B. M. P. Q. bene merenti Posterisque. In Saxo *pag.* 657. 3.

B. M. P. T. bene merenti Posuit Titulum. *Gratiosus.*

bene merenti Posuit Testamento, *vel* Tumulum.

B. MR. C. bene merenti cibum. *Diaconus. Manutius.* Quod non admitto, sed hoc potius: bene merenti Curavit.

B. MR. SE. bene merentibus Serva. *Diaconus.*

B. MR. SE. H. bene merentibus Serva Hoc. bene merentibus Servatur Hoc. *Diaconus.*

bene merentibus Servetur Hoc. benemerentibus servetur Hic. bonæ memoriæ servetur Hoc. *Manutius.*

B. MRT. bene merenti. *Manutius.*

B. M. S. C. bene merentibus Servata Causa. *Gratiosus.*

bene merenti Sepulcrum Curavit, *vel* Condidit.

BM. SI. bonorum Servi. *Manutius.*

B. MT. bene maneat.

bene merenti. bene militavit. *Manutius.*

bona materia. *Diaconus. Manutius.*

bona materna. bona militia. bona moneta. *Manutius.*

B. N. bonæ Nuptiæ. *Manutius.*

bona Nostra. *Probus. Diaconus;* variique notarum Interpretes.

Bona Nox. *Manutius.*

Bono Nomine. *Probus.*

bonum Nomen. *Trebellius. Manutius.*

bonus Nepos. bonus Numerus. *Manutius.*

BN. bonæ. *Ms: Ferraris.*

bonum. *Diaconus. Gratiosus. Manutius.*

BN. bene. *Magno.*

BN. bonam. *Ms: Ferrarii.*

BNE. bene. *Terentius Scaurus De Orthographia.*

BN. E. bona Ejus. *Manutius.*

BN. EM. bonorum Emptores. *Passeratius. Laurentius.*

BN. E. I. bene Est Illi. *Manutius.*

bona Ejus Invenies. *Diaconus. Manutius.*

bona Eorum Invenies. bonus Est Imperator. bonus Est Judex. bonus Et Innocens. bonus Et Justus. *Manutius.*

BNF. beneficium. *Papias.*

BNG. benignitas. *Manutius.*

BN. H. I. bene hic Jacet.

bona hic Invenies. *Diaconus. Manutius.*

BN. IN. bona Iuvenies. *Diaconus. Manutius.*

BN. M. bene meritæ. *Scaliger.* In mulierum Cippis.

bene merenti, *vel* merito. In virorum Saxis, cum iis quæ succedunt.

BN. M. bene merenti.

BN. M. F. / B. N. M. F. } Bene merenti Fecit. Communissima mortualium Cipporum formula.

BN. M. FEC. bene merenti Fecit. *Diaconus.*

BN.

BN. M. P. bene merenti Posuit. *Manutius.*

B. NN. Bonis Nominibus. Frequentissima boni ominis formula apud Romanos, alicujus rei peragendæ auspiciis observata. *Cicero* 1. *De Divin. In feriis imperandis, ut litibus & jurgiis se abstinerent; itemque in lustranda Colonia, ab eo qui eam deduceret, & cum Imperator exercitum, Censor populum lustraret, bonis nominibus, qui hostias ducerent, eligebantur; quod idem in delectu Consules observabant, ut primus miles fiat Bono Nomine.* Plura ad hanc notam *Ernstius* Doctissimus *cap.* 1. *Not. Prob.*

BNS. benignitas. *Ms: Rhodii. Manutius.*

BNTM. bonitatem. *Ms: Rhodii. Sarainas. Manutius.*

B. O. bene Optime. *Probus. Ms: Zabarella. Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius.*

bona Omnia. *Gratiosus.*

boni Omnes. bonus Ordo. bonus Ostendit. *Manutius.*

bono Omine.

BO. bonorum.

BO. E. bonorum Emptio. *Gratiosus.*

Bonorum Emptor. *Probus Ernstii. Ms: Rhodii. Papias.* Bonorum Emptor olim dicebatur, qui cum damnati debitoris bona auctione vendebantur, solus ea omnia per auctionem coemebat; & Sector dicebatur, sicut res ipsa, Sectio. Ita Cæsar dicit se oppida vendidisse sub sectione, ut si facultates ferrent, in solidum omnibus creditoribus satisfaceret; reliqui vero si quid esset, sibi haberet. qui si diffideret debitoris bona non sufficere, tunc antequam emeret, cum creditoribus decidebat, tum ad emptionem accedebat; quem vulgo, *Capo de Creditori* nos vocamus.

BO. E. INT. bona Eorum Inveniuntur. *Manutius.*

B̄Ō. EM. bonorum Emptorem. *Diaconus.*

bonorum Emptores. *Manutius.*

BO. E. ST. bona Eorum Servantur. *Manutius.*

B̄Ō. F. bona Fortuna. bonum Factum. *Magno.*

BOIS. bonis. *Sarainas.*

bonitas. *Ms: Rhodii. Sarainas.*

BOLTINIA. Voltinia. *Scaliger.* Si nota fuerit, ubi Tribui locus est. Voltiniam Tribum, quam duodecimam in ordine recenset *Panvinius De Civit. Roman.* a loco ignoto denominatam, ex *Sigonio & Panvinio* observat *Rosinus Antiq. Roman. lib.* 6. *cap.* 15.

BON. EVEN. bonus Eventus. *Landus. Goltzius.* bonus Eventus, *Varronis* fide *De Re Rust. lib.* 1. *cap.* 1. Deorum aliquis Consentium fuit, non Urbanorum, sed ex illis duodecim qui potissimum agricolarum duces, sine cujus ope frustratio erat, non cultura, eorum labor; ideo, quia sub hujus numinis tutela omnia sibi propitia eventura credebant agricolæ, propterea cum abundantiæ notis in manibus fingebatur; unde *Euphranor, mirus artifex, simulacrum Boni Eventus finxit Romæ, dextra pateram, sinistra spicam, & papaver tenens*, teste *Plinio Hist. Nat. lib.* 34. *cap.* 8.

BONE MEMORIA. *pro* bonæ memoriæ. In hoc monumento *Roma Subterranea T.* 2. *lib.* 4. *cap.* 37.

SIMPLICIO BONE MEMORIA Q. V.
ANNOS. XXIIII. D. XLIII
IN PACE FECERVNT
FRATRES

nisi typographicus error in voce *Memoria* irrepserit, *E* in lapide deficiente, cum in ipso, forte fortuna, antea fuisset BONE MEMORIAE.

BON. R. P. N. bono Reipublicæ Nato. Quandoque in monumentis Magni Constantini æternitati dicatis.

BOR̄. bonorum. *Magno.*

BO. R. E. C. H. bonum Requietorium Ei Curavit Heres. Litteras hasce omnes inexplicatas præterit *Scaliger* in *Gruterianis Indicibus cap.* 20. quas tamen ex conjectura sic legere audeo, deprompta ex lapide *pag.* 888. 12.

D. M.
C. SERGIO
PANTAGATHO
COGNATO. BO
R. E. C. H

Requietorium expresse in Saxis legi paulo altius monui.

BO. V. bonorum Venditor. *Probus Ernstii. Papias.*

B. 8. bona Caduca. *Magno.*

B. P. bene Posuit. *Gratiosus.*

bona Paterna. *Probus. Diaconus. Ms: Rhodii. Papias. Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius.*

bona Patria. *Sarainas. Manutius.*

bona Pecunia. bona Persona. *Manutius.*

bona Possessio. *Probus. Ms: Zabarella & Ferrarii. Papias. Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius.*

bona Potestas. *Manutius.*

bonorum Possessio. *Magno. Papias.*

bonorum Possessor. *Probus. Diaconus. Ms: Zabarella & Ferrarii. Papias. Appianus. Lazius. Manutius.* bonorum possessor, heres proprie non est, sed loco heredis: ita *Prætor bonorum possessorem heredis loco in omni causa habet. L.* 117. *ff. De Reg. Jur.* unde, uti heres hereditario jure, ita & bonorum possessor jure prætorio hereditatem adibat.

bonorum Possessore. *Sarainas.*

bonorum Potestas. *Diaconus. Manutius.*

bonorum Potestates. *Gratiosus. Manutius.*

bonum Publicum. *Probus. Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius.*

bonus Pontifex. bonus Prætor. bonus Populus *Manutius.*

B. PC. bona Pecunia. *Probus Ernstii. Diaconus. Ms: Ferrarii. Gratiosus. Manutius.*

bona Proscripta. *Gratiosus.*

bona Publica. *Gratiosus. Manutius.*

B. P. D. Bono Publico Datum.

bono Publice Dedit. *Scaliger.* In Saxis operum publicorum.

B. PN. bonorum Possessionem. *Magno.*

bonorum Possessiones. *Papias.*

B. PO. bonorum Possessio. *Magno.* De bonorum possessione, qualitate, & differentia fuse apud Jurisconsultos, ac præcipue ordinate apud *Joannem Calvinum in Lexico Juris.*

-B. PR. beneficiarius præfecti. beneficiarius prætoris. *Scaliger.* In Militaribus, cum subsequentibus.

-B- PR. beneficiarius Præfecti.

B̄. PRCOS. beneficiarius Proconsulis. In Militaribus.

-B- PROPR. Beneficiarius Proprætoris.

-B. PR. PR. beneficiarius Proprætoris, *vel*, Præfecti Prætorio.

B. P̄T̄. bona Paterna. *Magno.*

B. Q. bene Quiescat. Præcipue in Christianorum monumentis.

bona Quæsita. *Probus. Diaconus. Ms: Zabarella. Appianus. Lazius. Manutius.*

bona Quæstio. *Manutius. Passeratius. Laurentius.*

boni Quirites. bono Quæstu. bonus Quæstor. *Manutius.*

B QVES. IN. PAC. bene Quiescat In pace. Sic habeo ex lapide Romæ Subterraneæ *T.* 2. *lib.* 4. *cap.* 37.

DOMINO FILIO INNO
CENTISSIMO ET
DVLCISSIMO BO
NO SAPIENTI
PELAGIO QVI VIXIT
ANNIS. VI. M. VII. D. XIIII.
H. VIIII. SOCRATIANVS ET
YRENE. PARENTES. B.QVES
IN. PAC.

B. R. bona Res. bonarum Rerum. *Manutius.*
bonorum Raptor. *Papias.*
bonorum Rector. *Probus. Ms: Zabarellæ. Appianus. Lazius. Manutius.* bonorum Rectores, Jurisconsultos, Curatores bonorum appellasse scribit *Ernstius ad caput* 2. *Prob.* ex *l. ult. ff. De Curat. Bonis. Dand. & l.* 9. *ff. De Curat. Furios.*
bonus Rector. *Sarainas.*
bonus Rex. *Manutius.*

BR. bonorum. *Probus. Ms: Zabarellæ & Rhodii. Papias. Appianus. Lazius. Manutius.*
brevitas. *Gratiosus.*
breviter. *Manutius.*
britannicus. *Sarainas. Manutius.*

BR̄. bonorum. *Diaconus. Manutius.*

BRACARAVG. bracaraugustanus. bracaraugusta, quæ & Augusta bracarum, urbs Hispaniæ Tarraconensis, & conventus olim Portugalliæ, nunc vulgo *Braga;* unde ipsius incolæ bracaraugustani, ex lapidibus, non brecaraugustani, ut quibusdam placuit.

B. RE. bene Remaneant. bona Reservata. Bono Restituta. *Gratiosus.*
bene Requiescat.

BREG. PVBLIC. bregentionenses Publicani, *aut* bregetionenses Publice. Lego ad Saxum *pag.* 262. 8.

IMP. CAESAR
L. SEPTIMIO
SEVERO. PIO
PERTINACI
AVG. ARABIC
PARTHICO
MAXIMO
BREG. PVBLIC
D. D

bregetium, ex *Ptolemæi* observatione, *Geograph. lib.* 2. superioris Pannoniæ urbs fuit, in qua Legionem decimam quartam stationem habuisse scribit, quæ hodie, Gruteri sententia, ad hanc inscriptionem, *Benezhida*, vulgo appellatur.

BRIT.
BRITAN. } britanni. britannico. britannicus. Passim in Imperatorum nummis. Commodus & Severus Imperatores Britannici cognominati fuere. Lampridius: *Appellatus est Commodus etiam Britannicus ab adulatoribus, quum Britanni etiam Imperatorem contra eum deligere voluerint.* Et Severus *moras de industria nectens, ne vacuo sibi Romam redeundum foret, cupidus victoriæ, cognominisque Britannici, legatos quidem re infecta domum dimisit, ipse quæ bello usui forent, magna solertia comparabat.* Ita in Severo Herodianus, cui adstipulatur Spartianus, hæc narrans: *Britanniam (quod maximum ejus Imperii decus fuit) muro per transversam insulam ducto, utrimque ad finem Oceani munivit, unde etiam Britannici nomen accepit.*

BRITANNIC. britannicus. *Probus. Ms: Zabarella. Manutius.*

BRIX. brixiani. *Scaliger.* In Lapidibus brixianis, seu brixianorum militum.

B. RP. bono Reipublicæ. *Scaliger.*

B. R. P. N.
B. RP. N. } Bono Reipublicæ Nato. In Imperatorum Lapidibus, ultimique ævi præsertim, ab eorum assentatoribus ipsis erectis.

B̄R̄. SI. bonorum Servi. *Diaconus.*

BRT. britannicus. *Probus. Ms: Zabarellæ. Manutius.*

BRVT. brutus. *Manutius.*
brutius. *Sarainas.*

BRVT. IMP. brutus Imperator. In nummis gentis Juniæ, in qua Bruti cognomen maximum, brutumque Junium Cæsaris percussorem, Imperatorem dictum putat Ursinus, post devictos bessos.

B. S. bene Satisfecit. *Probus. Ms. Zabarella. Manutius.*
bona Sua. *Probus Ernstii. Diaconus. Manutius.*
bona Sunt. *Manutius.*
boni Servi. *Probus Ernstii.*
bonorum Servi. *Papias.*

BS. bonus. *Diaconus. Sarainas.*

B. S. D. beleno Sacrum Dedit. Si in Deorum Lapidibus, beleni præcipue. Tali namque pacto legendas credo singulas litteras, quas inexplicatas relinquit *Scaliger* in Saxo isto *pag.* 37. 3.

FONTI BELENO
C. AQVILEIENSIS DIADEMENVS
B. V. S
M. HOSTILIVS AVCTVS
IIIIII. B. S. D. VIR

nec obstant inter *Sextum* & *Vir* siglæ dispositæ; hoc enim quandoque in lapidibus occurrit.

B. SF. bene Satisfecit. *Appianus. Lazius. Manutius.*
bonorum Tutor. *Probus. Appianus. Lazius. Manutius.* bonorum Tutor idem ac Curator. De quo *Ernstius in Notis ad cap.* 2. *Prob.*
bonum Tempus. *Manutius.*
bonum Terminum. *Sarainas. Manutius.*
bonum Testamentum. bonus Terminus. bonus Testis. bonus Titulus. bonus Tribunus. *Manutius.*

BT. beatus. *Papias.*

B̄.T̄ brevi. Tempore. *Magno.*

B. TRIB. beneficiarius Tribuni. *Scaliger.* In monumentis militum.

BTS. benignitas. *Manutius.*

B.V. Bene Vale. In Sepulcralibus. Vale æternumque vale, condito cadavere, vel cineribus, in discessu defunctis suis precati sunt antiqui. Quare Euridice ad Inferos revocata,

Supremumque vale, quod jam vix auribus ille
Acciperet, dixit. revocataque rursus eodem est.

scribit *Ovidius* 10. *Metamorph.* Orpheum exclamasse, & *Virgilius Æneidos undecimo* Palanti justis peractis, Æneam in discessu dixisse prodit

Salve æternumque mihi maxime Pallas
Æternumque Vale.

ideo

ideo *Martialis lib. 9. Epig.* 8. Afro cuidam, qui salutari renuerat, mortem precaturus, non *ave*, sed *vale*, hoc epigrammate auguratus fuit:

Dicere de Lybicis reduci sibi gentibus, Afer,
Continuis volui quinque diebus ave:
Non vacat, aut dormit, dictum bis terque reverso,
Jam satis est, non vis, Afer, avere, Vale.

Vale enim semper morientium fuisse ex Antiquis percipio. Sic moriente Augusto, *repente in osculis Livia, & in hac voce defecit, Livia, nostri conjugii memor, vive ac vale. Suet. Aug. cap.* 99. Sic Nero, cum e navi, quæ sponte dissolvebatur, a matre peritura discederet, post amplexus & oscula, abiens dixit: *Mea mater, Vale mea causa, & cura valetudinem tuam; ego quidem certe tua causa vivo, & regno. Dio Hist. lib.* 61. Non me fugit tamen, *Vale* etiam vespertinam, apud Antiquos, salutationem fuisse; siquidem ejusdem auctoris sententia *Hist. lib.* 69. Fronto, cum sero Hadrianum jus reddentem adiret, *eum salutavit, non verbo Salve, quæ matutina est salutatio, sed Vale, quæ vespertina est.*

Bene Valeat.

Bene Vixit. *Probus. Ms: Zabarellæ. Sarainas. Appianus Lazius.*

Bona Vestra. *Probus. Diaconus. Ms: Rhodii. Papias. Sarainas.*

Bonorum Venditor. *Diaconus. Ms: Rhodii. Sarainas.*

Bonus Vir. *Probus. Sarainas. Appianus. Lazius.*

B. V. Bona Vacantia. *Magno.*

Bona Vestra. *Manutius.*

B. V. A. Bene Vixit Annis. *Manutius.* In Sepulcralibus.

Boni Viri Arbitratu. *Universi notarum explicatores.* In Legibus & Actionibus.

B. VD. Bona Vocanda. *Papias.*

Bona Vendita. *Manutius.*

Bona Vovendo. *Gratiosus.*

B. VD. Bona Vendita. *Diaconus. Manutius.*

B. V. D. Beleno Votum Dedit. In Votivis lapidibus.

Bene Votum Dedicavit. *Gratiosus.*

BVS. Bonus. *Diaconus. Manutius.*

B. V. S. Beleno Votum Solvit. Palam cognoscitur ex monumento exhibito notis B. S. D.

B. V. V. Balnea Vina Venus. Omnes fere Explicatores, ut ex Saxo *pag.* 615. 11.

BX. ANVS VII. ME. VI. DI. XVII. Vixit Annos Septem, Menses Sex, Dies Decemseptem. Ita legendas notas hujusce monumenti credo *Rom. Subterran. T.* 2. *lib.* 4. *cap.* 37.

COSTANZO FILIO
DEC. XIII. KAL. SEPT.
INNOCENTISSIMO QVI BX ANVS
VII. ME. VI. DI. XVII. IN PACE

C.

C. Cæsar.

Caja. Cajus. Si unicum C. locum habeat prænominis, communiter ab omnibus in monumentis explicatur. Prænomen, Cajus, a gaudio parentum inditum fuit. Ita *Epitome de Nominum Ratione*; cui omnes subscribunt, *Christiano Becmanno* excepto *de Orgin. Ling. Lat.* apud quem, *Cajus, ab antiquitate, Γαί@ scilicet, a terra, quasi Gajus. Nam sicuti apud Athenienses, αὐτόχθονες, & apud Thebanos, σπαρ@; ita Latinis, a vetustate, & Opici, & Indigenæ, & Caji dicti sunt.* Prænomen istud usitatissimum viris mulieribusque; aliquando tamen gentilitii nominis locum obtinuisse quamplurima monumenta probant, potissimumque illud *pag.* 444. 2. cujus initium:

C. DOMITIO DEXTRO II. L. VALERIO
MESSALA THRASEA PRISCO COS
VI. IDVS IANVAR.

in quo legitur,

QVOD. POSTVLANTE CN. CAIO PVDENTE

cum reliquis. Et *pag.* 1025. 9.

M. CAIVS. MAXIMI
PRAEF. PRAETOR. L.
CAM. N. SECVNDVS
P. P. P. RACI. LEGRE
PROC. AVG.
AMICO.

Ceterum Prænomen hoc Cæsaribus semper ominosum, Suetonius in Caligula ita monet: *Observatum autem, notatumque est, in primis Cæsares omnes, quibus Caji Prænomen fuit, ferro periisse, jam inde ab eo qui Cinnanis temporibus sit occisus.*

Calumnia. Camillus. *Manutius. Camillos proprie appellatos pueros ingenuos* Festus ait, cui subdit *Macrobius Saturnal. Serm. lib.* 3. *cap.* 8. quod erant mares & feminæ nobiles & investes, Flaminicarum & Flaminum ministri; ac propterea Camillum appellatum fuisse Mercurium, nempe ministrum Deorum. Hi vero iidem cum Casmillis; de quibus *Varro de Ling. Lat. lib.* 6. elisa enim littera S. inde Camilli appellati. quod colligitur de Camilla apud *Virgilium Æneid.* 11.

Priverno antiqua Metabus cum excederet urbe,
Infantem fugiens media inter prælia belli
Sustulit exilio comitem, matrisque vocavit
Nomine Casmillæ, mutata parte Camillam.

Canis. *Manutius.*

Caput. *Ms: Ferrarii. Gratiosus. Manutius.*

Cato. *Manutius.*

Cavetur. *Sarainas.*

Caussa. *Diaconus. Papias. Sarainas. Manutius.*

Caussat. *Diaconus. Ms: Ferrarii. Manutius.*

Caussatus. *Papias.*

Censor. *Sarainas. Manutius.* De Censorum origine, conditione, dignitate, & auctoritate, scripsere *T. Livius Hist. lib.* 4. *Varro de Ling. Lat. lib.* 4. & 5. *Cicero de Legib. lib.* 3. *Festus de Verb. Signif. Aulus Gellius Noct. Attic. lib.* 4. *cap.* 12. & 20. *Asconius Pedianus in Divinationem, & In Ver. de Prætur. Urb. Isidorus Origin. lib.* 9. *cap.* 4. *Latus de Magistr. Roman. lib.* 1. *cap.* 21. *Floccus de Potest. Roman. lib.* 2. *cap.* 17. *Volaterranus Commentar. Urban. l.* 29. *Alex. ab Alexandr. Gen. Dier. lib.* 3. *cap.* 18. *Carolus Sigonius de Antiq. Jur. Civ. Roman. lib.* 1. *cap.* 14. & 20. *lib.* 2, *cap.* 3. & 14. *de Antiq. Jur. Provinciar. lib.* 3. *cap.* 7. *Onuphrius Panvinius Comment. in Prim. Fastor. ad annum Urbis CCCXI. Wolfgangus Lazius Comment. Reip. Rom. lib.* 2. *cap.* 12. *Joannes Rosinus Antiq. Roman. lib.* 7. *cap.* 10. & *Bulengerus de Imp. Romano lib.* 1. *cap.* 26. ubi & de Imperatorum censura.

Censum. *Papias.*

Centum. Communiter. Suetonius, præsagia mortis Augusti referens, cum de C. littera ictu fulminis ex inscriptione Statoe effluxa; *Responsum est,* prodit, *centum solos dies posthac victurum, quem numerum C. littera notaret.*

Centuria. *Centuria a centum jugeribus dicta; post duplicata retinuit nomen; ut tribus multiplicata idem tenent*

tenuensnomen. Varro de Ling. Lat. lib. 4. Unde Festus. *Centuria in agris, significat ducenta jugera, in re militari, centum homines.* Ob id scribit idem: *Centuriata comitia, item Curiata dicebantur, quia populus Romanus per centenas turmas divisus erat; & Centuriatus ager in ducenta jugera definitus, quia Romulus centenis civibus ducenta jugera tribuit.* Centurionum ergo nomen in exercitu inde ortum, quia centurias curabant. *Vegetius de Re Milit. lib. 2. cap. 8.*

Cernimus. *Sarainas.*

Certior. Certus. *Manutius.*

Cicero. circulum. *Sarainas.*

Cives. *Probus. Ms: Ferrarii. Papias.*

Civibus. *Sarainas.*

Civis *Probus. Manutius. Scaliger.*

Civitas. *Manutius.*

Clarissimus. *Probus. Sarainas.* De Clarissimi titulo, origine, & dignitate, fuse inter cæteros *Pancirolus In Not. Utriusque Imper.* & *Gutherius de Offic. Dom. Aug. lib. 1. cap. 4. 5. & 15.*

Civitate. In lapidibibus *C.* absolute explicatum, patriam significat aliquando; sic civitate Patavio; civitate Verona; civitate Brixia; civitate Apulus, monumenta habent.

Cnæus. *Calvinus in Juris Lexico.* Quod mihi tamen dubium; siquidem Cnæi prænomen ex illis scio duplici littera, hoc est, CN. scriptum.

Cohors. *Manutius. Scaliger.* In Militaribus. De Cohortis denominatione *Varro de L. L. lib. 4.* Ne huc congeram omnes, qui de Militia Romana disseruerunt; inter quos præcipue *Lipsius de Milit. Roman. lib. 2. Dialog. 4.* & *Antonius Valtrinius de Re Milit. lib. 3. cap. 2.*

Collegium. *Manutius.* In Saxis, ubi artificum Collegiorum mentio occurrit. Collegia dixerunt antiqui, societatem certorum hominum, artem aliquam factitantium, nos corrupte *Fratalea* vocamus. Collegiis istis, in civilibus causis, propriis uti sanctionibus concessum antiquitus fuit; ita observante, heu immaturius mihi erepto, eruditissimo viro *Carolo Emanuele Vizzanio de Mandat. Princip. lib. 3. cap. 5.* Mos apud nos quoque vigens, cum etiam sub certis judicibus tantummodo conveniri artifices possint.

Colonia. *Manutius.* Trium Coloniarum genera apud Romanos fuisse aliquando observavi. Primum, cum veteres coloni omnes propriis sedibus ejiciebantur, ut apud *Virgilium Eclog. 9.* Mœris conqueritur:

> *O Lycida, vivi pervenimus, advena nostri*
> *(Quod nunquam veriti sumus) ut possessor agelli*
> *Diceret, Hæc mea sunt, veteres migrate coloni.*

Secundum, quando emeritis Militibus, præmii loco, non tantum urbs, sed agri pars adscribebatur, ut ex his *Lucani* Carminibus *Pharsal. lib. 1.* patet:

> *Conferet exanguis quo se post bella senectus?*
> *Quæ sedes erit emeritis? quæ rura dabuntur,*
> *Quæ noster veteranus aret? quæ mœnia fessis?*

quarum Coloniarum conditio, tantis, pro civibus deductarum urbium, miseriis stipata, atque calamitatibus pressa fuit, ut horreat, quisquis *Lipsium* legerit *de Constant. lib. 2. cap. 33.* hæc enarrantem: *Unum tibi instar omnium exactionum rapinarumque sit de Coloniis. quo invento, ut nihil ad vim Imperii firmius, ita nihil in subditos cogitari potuit tristius. Deducebantur passim legiones, cohortesque veteranæ in agros & oppida; miserique provinciales, momento temporis, bonis & fortunis omnibus provolvebantur; idque nihil ausi, nihil meriti, sed pro crimine omne, opes aut opimi agri. In quo profecto gurges quidam calamitatum omnium apparet. Miserum est nimis spoliari; quid etiam agris, tectisque? Gravius hoc pelli, quid tota patria? quid templis arisque? Distrahebantur ecce aliquot hominum millia, liberi a parentibus, domini a familiaribus, uxores a viris, & in varias terras, ut cuique sors sua fuit, spargebantur; alii in sitientes Afros, ut Poeta in hac ipsa re ait, Pars Scythiam, aut toto divisos orbe Britannos.* Sed tertium Coloniarum genus mitissimum, optatissimumque fuit; prout honorum ac dignitatum augmentum, & via; qualemque observavere Romani in Traspadanæ Galliæ urbibus, in Coloniam deductis; siquidem *Asconii Pediani* monitu, in *Pisonian. Cicer.* Cnæus Pompejus Strabo, Magni pater, *non novis colonis eas constituit, sed veteribus incolis manentibus, jus dedit Latii, ut possent habere jus, quod ceteræ Latinæ Coloniæ, idest, ut petendi magistratus gratia Civitatem Romanam adipiscerentur.*

coloni. *Sarainas.*

Comitia. *Passeratius. Laurentius.* De Romanorum Comitiis, eorumque qualitatibus ac differentiis fuse inter omnes *Nicolaus Gruchius* elegans opus concinnavit.

Comitialis. Dies scilicet. *Manutius. Scaliger.* In Kalendario Romano. Dies Comitiales, *Varronis* sententia *de L. L. lib. 5.* fuere, in quibus populus ad suffragium ferendum convocabatur, feriis non obstantibus. At Festi observatione, *Comitialis dies erat, cum in comitia conveniebant; qui locus a coeundo, idest, simul veniendo dictus fuerat.*

Commissum. *Sarainas.*

Commune. *Manutius.*

Con. *Diaconus. Ms: Ferrarii. Manutius.*

Concessum. *Sarainas.*

Condemnatio. *Diaconus. Manutius.*

Condemno. *Diaconus. Asconius. Pierius. Sigonius. Brissonius. Hugo.* In tabellis namque judicum Romanorum, *C.* littera in cista recondita, condemnandi erat nota; ideo Cicero pro Milone, & pro Sex. Roscio Amerino *c.* litteram tristem denominavit, ut *A.* salutarem.

Conjux. *Manutius.*

Conservator. consertum. constructum. *Sarainas.*

Consul. *Papias. Manutius.* De consulum origine & majestate, præter ea quæ effati sunt *Dionysius* & *T. Livius*, abunde agunt Historiarum Romanarum Scriptores omnes; prout & Leges antiquæ, & duodecim Tabularum potissimum.

Conscripti. *Sarainas. Manutius. Conscripti dicebantur,* ex Festo, *qui ex equestri ordine patribus adscribebantur, ut numerus Senatorum expleretur. T. Livius* vero, *Hist. lib. 2.* cum de aucto Senatu a L. Junio Bruto agit, Conscriptos fuisse dixit noviter ab eo in Senatu lectos.

conspicio. *Sarainas.*

constituit. *Manutius.*

constitutum. *Sarainas.*

contra. *Diaconus. Ms: Ferrarii. Papias. Sarainas. Manutius.*

contrarium. *Sarainas.*

contrarius. *Manutius.*

controversia. *Sarainas. Manutius.*

convectum. *Sarainas.*

conventus. *Manutius.* In Lapidibus colonicis. Quatuor modis intelligi vocem conventus, cum *Festo* noto. *Uno, cum quemlibet hominem ab aliquo conventum esse dicimus. Altero, cum significatur multitudo ex compluribus generibus hominum, contracta in unum locum. Tertio cum a magistratibus, judicis causa populus congregatur. Quarto cum aliquem in locum frequentia hominum, supplicationis aut gratulationis causa colligitur.* Ego vero ex isto-

rum

rum varietate, existimo, conventum esse ea loca Provinciarum, in quibus mandato Proconsulis, vel Prætoris, Legati in conventu populi jus reddebant. *Plinius Hist. Nat. lib. 3. cap. 3.* observavit, universam Hispaniam in septem divisam fuisse conventus; Carthaginensem, Tarraconensem, Cæsaraugustanum, Cluniensem, Asturum, Lucensem, Bracarum.

convictus. *Manutius.*

Cornelius. *Mss Rhodii. Magno.* Cornelia gens Romæ patricia, omniumque maxima, summisque honoribus spectatissima. Fuit Romæ quoque Cornelia gens plebeja, tantum cognomine Balbi usa. Sed uti Romæ, Cornelia gens patricia, ejusdem ordinis ceteras honorum omnium gloria antecelluit; ita Cornelia gens Venetiis, Regiis diadematibus, sacrisque purpuris inter omnes patricias eminet.

corona. creatus. *Manutius.*

credimus. *Saranus.*

crementum. crispus. *Manutius.* crispi antiquitus, ut & nunc etiam, cognominabantur, quorum capillitium crispum, & in cincinnos contortum; quod cognomen vulgatissimum apud Romanos, intelligere licet ex *Joanne Glandorpio*, qui in *Cognominum Indice*, familiare fuisse indicat Bæbiis, Juliis, Martiis, Næviis, Passienis, Salustiis, Vibiis.

cubitus. cujus. *Manutius.*

cum. *Diaconus. Ms: Zabarellæ. Manutius.*

curandæ. *Saranus.*

curavit. curio. *Manutius. Curiones dicti a Curiis; qui fiunt, ut in bis sacra faciant*, ait *Varro de L. L. lib. 4.* At Curiones dictos vult *Alex. ab Alex. Gen. Dier. lib. 1. cap. 2.* a curis, quibus macilentiores fiebant; ideo *Curionem agnum Plautus pro macro dixit, quasi cura macruisset* Festi monitu. Cognomen hoc, uti Scriboniæ gentis, familiare fuit, ita in aliis raro, aut nusquam usurpatum cognoscitur.

curules. custos. *Manutius.*

C. *Si in termino inveneris, a centuria numquam recedas.* Ita in auctoribus de limitibus agrorum.

ɔ. Caja. Hoc frequentissimum in lapidibus mulierum. *Inversa si scribatur eadem littera*, de C. loquitur *Petrus Diaconus De Notis Litterarum*, *more Romano mulierem Cajam significat; quia tam Cajas esse vocitatas, quam Cajos, ex nuptialibus sacris apparet, & plurima sunt monumenta veterum.* Cur autem in nuptialibus sacris, mulieres *Caja* appellarentur, ita docuit Festus: *Caja Cæcilia appellata est, ut Romam venit, quæ antea Tanaquil vocitata erat, uxor Tarquinii Prisci, Regis Romanorum; quæ tanta probitatis fuit, ut ad nomen, ominis boni causa, frequentent nubentes, quam summam asseverant lanificam esse.*

Fuit & inversum ɔ. Sicilici nota, apud antiquos; non autem sicilices *quæ hastarum spicula lata*, de quibus Festus; ac, ut videtur *Scaligero Castigationibus in Festum*, ad verbum *sicilices*, *a siciliendo*, quo notatur, *quicquid secandi vim habet*; unde ait idem, *Sicilia dicta, quia ab Italia absecta; inde sicilire, idest, prata secare*: Sed Sicilici, prout quarta pars unciæ, de quo in *Distributione Assis Volusius Mæcianus: Dividitur uncia in quatuor sicilicos, idest, quatuor quartas. nota Sicilici* ɔ: Vel Sicilici, prout quadragesima octava pars jugeri, quæ constabat pedibus sexcentis, ut observavit *L. Columella de Re Rust. lib. 5. cap. 1.*

centuria. *Scaliger.* In militaribus aliquando; ita & centurio.

con. Conliberti *Probus. Diaconus*, cum cæteris fere omnibus notarum explicatoribus; inveniturque sæpe in lapidibus, in quibus, simul libertate donati, conlibertorum mentionem faciunt.

contra. contrarium. controversia. cor. corona. *Manutius.*

cum. *Manutius.*

ɔ quinquaginta etiam significare vult *Jacobus Gualterius Animad. Ad Antiq. Siciliæ Tabul. cap. 15.* hisce verbis: *Numeri notam credo, & idem, cum sit C inversum, quod L significare.* Verum an hoc admittendum doctiores expendant. in Saxo hoc ab eo exhibito, quod conjectandi ipsi occasionem præbuit.

P. CESTIO CATVLLO
ANN. ɔ XXVII
ET. P. CESTIO CATVLO PATRI

Ego namque potius legerem inversa ɔ, *circiter*, diceremque, *Annorum Circiter Viginti Septem*, quam *Septuaginta Septem*; cum monumentum juvenis alicujus fuisse putem.

C̀. cum, *vel* quum. *Probus Ernstii.* C. etenim, & Q. ob maximam adfinitatem, frequentissime apud antiquos, alterum alterius loco esse satis superque apparet.

causa. *Magno.*

circa. *Ms: Rhodii.*

consulibus. *Scaliger.*

corpus. *Magno.*

corymbus. *Diaconus. Manutius.*

cum. *Ms: Rhodii & Ferrarii.*

C̄. centum millia. *Probus.*

.C. contra. *Ms: Rhodii.*

C°. credimus. *Ms: Rhodii.*

cujus. *Diaconus. Ms: Ferrarii. Gratiosus. Manutius.*

Ć. causa. *Ms: Ferrarii.*

C̄°. cautio. *Magno.*

Є Cornelius. *Ms: Ferrarii.*

9. centum. *Ms: Ferrarii.*

con *Magno. Papias.*

contra. *Magno.*

contrarium. *Probus Ernstii. Ms: Ferrarii.*

√. cum. *Magno.*

Ʒ. contra. *Papias.*

7. centuria. centurio. In militaribus, ut lapide *pag. 1110. 9.* ne propemodum innumeros huc referam.

D. M
Q. VISIVS. Q. F. PVBLIL.
MAXIMVS. VERON. MIL
COH. I. PR. Ʒ. PRVDENTIS
MIL. ANN. V. VIX. ANN.
XXVII. H. F. C.

Ɛ centurio. In militaribus, ut patet ex multis antiquis Saxis, & præcipue ex illo *pag. 520. 3*

C. ANINIVS. C. F. POM. GALLVS
DOMO ARRETIO Ɛ LEG. IIII.
SCHYTH. MILITAVIT. IN
PR. AN. XVII.
EVOC. AN. II
Ɛ IN LEG. IIII. SCHYTIC
AN. XVIIII. VIXIT
AN. LX. MERV. AN. XXXVIIII
H. S. E. ATIMETVS L
EX. TESTAMENTO. F. C.

7. centuria. centurio. Frequentissima monumentorum militarium nota, quæ centurionis erat signum.

signum. Quale autem hoc fuerit, a me abunde explicatum meo *de Monumentis Patavinis opere*.

Cajus. calumnia. *Manutius*.

Legio quandoque, uti putat *Scaliger*, in Gruterianis indicibus, ad hoc Saxum *pag.* 548. 4

IVL. VALERIAN. MIL. 7 XX
BRITANNIC. BEN
AVG. MILITAVIT. ANN
X. MENS. VII. DIES. XXV
VIXIT. ANN. XXXI. MENS. V
D. XXVI. IVLIA. IVL
FILIO. SANCTISSIMO
PATIS. ET. SIBI. VIVA

Ɔ. centuria.

Ɔ. } Caja.
Ɔ. }

CA. camilla. *Scaliger*. si nota locum Tribus habeat. Hæc inter illas triginta quinque non recensetur, in quas Populus Romanus fuit distributus; quia *Panvinio* auctore, *In Descriptione Civitatis Romanæ*, tunc alus novem solummodo addita videtur, quando scilicet lege Julia Itali omnes civitate donati fuerunt. Verum, cum hæc nova Tribuum distributio, tumultum in Urbe excitare observatum esset, quarto ab ipsarum institutione anno, hæ decem Tribus abrogatæ fuere, & Itali omnes triginta quinque primis adscripti. At cum post Augusti tempora, integris extra Italiam Provinciis, civitas dari cœpta esset, & forte a Claudio Imp. in censura, quam cum L. Vitellio, anno Urbis conditæ DCCC. gessit, denuo restitutas, atque additas decem istas ultimas Tribus, eundem *Panvinium* loco citato auctorem habeo.

camillus. *omnes fere explicatores*.

canis. cato. *Trebellius. Manutius*. cata est acuta, dixerunt Sabini; unde *Varro de Ling. Lat. lib.* 6. *Cata, acuta. hoc enim verbo Sabini dicunt. quare, Catus Ælius Sextus, non ut ajunt, sapiens, sed acutus, & quod est, tunc capit memorari, simul cata dicta, accipienda acuta dicta*.

causa. *Magno. Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius*.

caussat. cassius. *Probus Ernstii*, qui videatur notis ad *caput* 3. *Probi*.

C̄Ā. caussa. *Probus. Ms: Zabarella. Manutius*.

caussam. contra. *Ms: Rhodii*.

C. A. Cæsar Agrippa. *Erizzus*, ad nummum æreum Augusti, cujus aversa pars coronam exhibet rostratam, cum duabus istis litteris in medio.

Cæsar Augustus. Quandoqe in nummis Augusti.

C. A. A. M. colonia Ælia Augusta Mercurialis. *Scaliger*. Hujus coloniæ meminit *Ptolemæus Geograph. lib.* 4. *cap.* 5. *Antoninus in Itinerario & Plinius Hist. Nat. lib.* 5. *cap.* 4. in hanc sententiam: *Libyphœnices vocantur, qui Byzacium incolunt. Ita appellatur regio CCL M passuum circuitu, fertilitatis eximia, cum centesima fruge agricolis fœnus reddente terra. Hic oppida libera, Leptis, Adrumetum, Ruspina, Thapsus, inde Thena, Macomades, &c.* Hanc Provinciam Valeriam Byzacenam *Panvinius* nominat, *In Descript. Civit. Roman.* De colonia vero ista monumenta extant in Gruterianis inscriptionibus *pag.* 363. num. 3. 4. Cur autem Augusta dicta ut omnibus innotescat, sciendum, colonias illas omnes, quibus Augustæ nomen inditum, vel Augusto imperante, vel ab Augusto ipso, vel ab Imperatoribus deductas fuisse, postquam Augusti cognomen assumpsere; cum illæ, quæ Juliæ appellatæ sunt, tum ab ipso C. Julio Cæsare, tum ab C. Julio Cæsare Octaviano deductæ fuere, antequam iste Augustus appellaretur; verum enim vero, cum huic coloniæ, Æliæ nomen sit inditum, eam ab Imperatore Ælio Adriano deductam credo, cum Africam perlustrasset, in qua tot præclara gessit, ut nummus cum titulo *Restitutori Africæ* ei cusus fuerit.

CA. AM. causa Amabilis. *Diaconus. Manutius. Passeratius. Laurentius*.

C. ABVRI. GEM. Cajus Aburius Geminus. In nummis argenteis, & æreis gentis Aburiæ plebejæ.

CAES. } Cæsar. cognomen gloriosissimum, de
CAE. }

quo in Ælio Vero Spartianus: *Cæsar, vel ab elephanto (qui lingua Maurorum Cæsar dicitur) in prælio caso; vel qui mortua, ventre caso, sit natus; vel quod cum magnis crinibus sit utero parentis effusus; vel quod oculis cæsiis, & qui ultra humanum morem viguerint. Certe quæcunque illa felix necessitas fuit, unde tam clarum & duraturum cum æternitate mundi nomen fuit.* Ideo *primo Æneid. Virgilius* cecinit:

Nascetur pulchra Trojanus origine Cæsar,
Imperium oceano, famam qui terminet astris.

Propterea, ex *Dionis* sententia, *Hist. lib.* 43. apud Romanos, Imperio destinati primum Cæsaris cognomen accipiebant, tanquam ipsis proprium, cum præcipue decreto Senatus *nomen Imperatoris a Julio, quemadmodum etiam Cæsaris nomen, tanquam peculiare summi Imperii cognomentum, ad omnes deinceps Imperatores dimanavit.*

CAER. Cæsare. In monumentis Christianorum; quemadmodum licet observare in Saxo exhibito nota. AVE.

CAES. cæsar. cæsare. cæsari. Passim in Saxis, & nummis.

CAES. A. Cæsaraugustus. Frequentissime in lapidibus, & nummis, ut & apud omnes notarum explanatores.

CAES. AVG. cæsarea Augusta. Hispaniæ Tarraconensis præclara urbs ad Iberum fluvium sita, vulgo *Saragoza*; de qua fusius hac eadem littera, nota C. C. A.

cæsar Augur, ut mox notabo.

cæsar Augustus. Ubique in nummis & saxis.

cæsar Augustanus. cæsarea Augusta oriundus.

CAES. AVG. F. DOMIT. cæsar Augusti Filius Domitianus. Habent nonnulli Imperatoris Domitiani nummi.

CAES. AVG. PON. MAX. COS. V. DICT. PERP. cæsar Augur Pontifex Maximus Consul Quintum Dictator Perpetuus. Occurrunt hæc omnia in aliquibus C. Julii Cæsaris nummis, in quibus notam AVG. *Augur*, non, ut perperam a quibusdam fit, *Augustus* expono; nam Augusti cognomen C. Julii Cæsaris Octaviani filii primum fuit, ut ex Suetonio in eodem discere est.

CAES. DIC. PERP. cæsar Dictator Perpetuus. In nummis argenteis gentis Juliæ, ad C. Julium Cæsarem spectantibus.

CAES. IMP. VESP. PON. TR. POT. CENS. cæsar Imperator Vespasianus Pontifex Tribunitia Potestate Censor. Vespasiani Imperatoris nummi aliqui habent.

CAES. cæsares. *Manutius*.

cæsareos. cæsaribus. *Sarainas*.

CAESS. AVGG. cæsares Augusti. *Probus*. Quod de duobus.

CAESSS. cæsares. *Scaliger. Goltzius*. Quod de tribus.

CAESSS. AVGGG. cæsares Augusti. *Probus. Manutius*. & frequentissime in Theodosiano codice.

CAIS.

CAIS. cæſaris. Lego hoc in fragmento *pag.* 238. 9.

NERONI CL. CAIS
AVG. PONT. MAX
OB. PROVINC. LATRONIB
ET. HIS. QVI. NOVAM
GENERI. HVM. SVPER
STITION. INCVLCAB
PVRGATAM
. . . .
. . . .
. . . .

C. AL. cajus Ailius. In nummis argenteis gentis Æliæ, Urſinus; ubi oſtendit, illam, Ailiam, Alliam, atque Æliam dictam.

C A'. Gallus. *Goltzius.*

CAL. calagurritanus, Quod deprehenditur ex monumento *pag.* 533. 1.

CALA. calumnia. *Magno.*

CALAB. calabria. ita *Magno*, dummodo typographicum mendum non ſit; quia, cum notas ac verba juris explicare ipſe intendat, ego potius apud eundem legerem *Calabra*, hoc eſt, *Curia Calabra*, quæ, *Feſto* auctore, *dicebatur*, *ubi tantum ratio ſacrorum agebatur*, deducto nomine, *Becmanni* obſervatione *de Orig. Ling. Lat.* a *calando*, hoc eſt, a convocanda Plebe & Pontificibus.

CALBA. calabriæ. *Papias.*

CALAT. calatori. Lego hoc in Saxo *pag.* 307. 6.

VINICIO. COCTEO. CALAT
VII. VIR. EPVL. LIBERTO
OPTIMO. PATRONVS

Calatores vero dicebantur ſervi, ἀπὸ τοῦ καλεῖν *quod eſt*, *vocare; quia ſemper vocari poſſent*, *ob neceſſitatem ſervitutis*, monet Feſtus. Sed calatores etiam, miniſtros ſacrorum dictos, ex hoc Saxo habeo; prout & militares ſervos, ex *Plauto* ipſo in Mercatore *Act.* 5. *Scen.* 2.

CH: *Apparatus ſum ut videtis: abjicio ſuperbiam.*
Egomet mihi comes, calator, equus, agaſo, armiger.

CAL.
CALD. } caldus. *Goltzius.* Caldum, Cœliorum fuiſſe cognomen obſervavit *Glandorpius in Cognom. Indic.* inditum forte ob verſutiam & calliditatem in operationibus. *caldum* namque pro *calido* ſcripſiſſe veteres, ne varias huc advocem ſententias, Martialem teſtem dabo, variis locis, ſed præcipue *lib.* 14. *Epig.* 105.

Frigida non deſit, non deerit calda petenti,
Sed tu moroſa ludere parce ſitis.

CALAG. calagurritanus.

CAL. IVL. calagurris Julia. *Auguſtinus.* Hæc urbs *Calagorina Ptolemeo* auctore *Geograph. Part.* 2. & Calagorum Strabonis obſervatione, *in Geograph.* denominata. Vaſconum civitas olim, unde *Aurelius Prudentius* Calagurritanus, primo *Peri Stephanon* Hymno, cecinit:

Jamme credis bruta quondam
Vaſconum gentilitas.

nunc Caſtellæ veteris urbs clara, vulgo *Calaborra.* Hanc municipium ne, an colonia fuerit, ambigit *Antonius Auguſtinus Dialog. 7. Antiq. Hiſp.* Municipium potius, quam coloniam fuiſſe mihi ſuadent nummi æreі Auguſti, quos & ipſe Auguſtinus loco citato expendit, in quibus legitur MVN. CAL. IVL. videlicet *Municipium Calagurris Julia;* quos & omnes penes Adolphum Occonem, in coloniis & municipiis Auguſti obſervare licet.

C. ALL. cajus Allius. In nummis argenteis gentis Æliæ, Urſinus. cur autem gens *Ælia*, *Allia* quoque ſit dicta vide notam C. AL.

CAM. camerti. *Manutius.*

camilla. *Manutius. Scaliger*, dummodo nota illo obſervetur in loco, quem Antiqui in monumentis Tribubus adtribuere ſoliti erant.

camillia. camillina. *Scaliger*, qui tali pacto legendum vult, *camilia*, Tribus notam; de qua ſupra nota CA.

camillus. *Probus. Sarainas. Lazius. Manutius.*

C. AM. cauſa Amabilis. *Probus Ernſtius. Diaconus. Manutius.* Amabilem cauſam eam eſſe, quæ Juriſconſultis eſt favorabilis, cujus quatuor referuntur ſpecies, de Libertate ſcilicet, Matrimonio, Dote, Teſtamento, obſervavit *Ernſtius* diligentiſſimus ad *caput* 3. *Probi.*

cauſſa Amiſſa. *Diaconus.*

CA. M. cauſſa Mortis. *Sarainas. Trebellius.*

cajus Marius. *Trebellius*, cui non aſſentior, cum Caji prænomen ex illorum fuerit numero, quod Antiqui unico tantum *C.* & ſcribere, & ſculpere ſoliti erant.

CA. M. cauſſa Mortis. *Diaconus. Manutius.*

CAMB. cambodunum. De qua Urbe, in nota A. CAMB. M. P. XI. Littera A.

CAMIL. camillia. camillina. *Scaliger.* ubi Tribus deſignatur.

CAMILL. camillus. *Manutius.*

CAMP. campana. *Scaliger.* Tribus ſcilicet nomen, ut cognoſcitur ex Saxo iſto *pag.* 745. 8. in quo CAMP. nota Tribus locum occupare videtur.

VALERIAE
M. F. TERTIAE
C. MONIANIVS
C. F. CAMP. VALENS
OPTVMAE MATRI
VNANIMES POSVER

Verum cum eruditiſſimus Panvinius, neque inter primas, neque inter additas Tribus hujuſce mentionem faciat, mirum non fuerit, ſi & imbecillitas mea de ea nihil certi affirmare audeat.

campaniæ. *Papias.*

CA. M. V. cauſſa Memorati Viri. *Magno.*

C. ANNI. T. F. T. N. PROCOS. cajus Annius Titi Filius Titi Nepos Proconſul. Habent argentei nummi gentis Anniæ cum Fabia communes.

C. ANTESTI. cajus Anteſtius. In nummis argenteis gentis Antiſtiæ, quæ & Anteſtia dicta, ut Urſinus obſervat in gentem iſtam.

CAP. campaniæ. *Papias.* promptius tamen *Scaligero* adhæreo, qui legit *Capitalis.*

CAP. DE. Hæ notæ obſervantur in Licinii Galieni Imp. nummis, ac in illo præſertim, in cujus adverſa parte ſpectatur olla ex qua prodeunt duæ palmæ. infra *CAP. DE. poterit eſſe Colonia Capuana.* Ita Adolphus Occo, quod an ſubſiſtat nec ne, doctiores judicent: tanti viri enim venerati Manes meum judicium vetant.

C. APVL. civitate Apulus. Quandoque ad patriam denotandam in monumentis militum occurrit; præcipue in eorum lapidibus, qui, ex variis Romani Imperii urbibus, milites ſcribebantur.

CAR. cariſſima. *Manutius.*

cariſſimus. *Ms: Zabarella. Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius.*

carmentalia. In Kalendario. *Gruterus. Scaliger. Roſinus. Feſtum erat Romæ, quod ſacrum & feria Carmentis.*

Carmentis. ait *Varro de Ling. Lat. lib. 5.* celebrabatur hoc Festum *a matribus familias annis singulis decimo octavo Calendas Februarias, in quibus aliquid scorteum, aut sua morte peremptum, attulisse magnum crimen erat.* observavit *Alex. ab Alex. Gen. Dier. lib. 6. cap.* 8. Prætereundum tamen non est, quod dies XVIII. Kalendas Februarii Carmentalium feriarum prima non erat, sed ultima. Romanum quippe Kalendarium si quis consulat ipsarum initium inveniet tertio Idus Januarii, qui ejusdem mensis dies undecimus; postremus vero istarum feriarum, seu earundem instauratio, dies erat XVIII. Kalendas Februarii, qui Januarii XV. ergo aut per quinque dies Carmentalia celebrabantur, aut saltem post diem quintum repetebantur. Carmentalium vero originem si quis desiderat, *Ovidium* consulat, qui fuse de ipsis *primo Fastorum* canit.

carneæ Deæ Sacrum. *Gruterus.* carneæ Deæ solemnitas quotannis habebatur Kalendis Junii. de ea abunde *Macrobius Saturnal. Serm. lib. 1. cap.* 12.

CARB. carbo. In nummis argenteis gentis Papiriæ plebejæ, in qua clarum hoc cognomen, quod forte a colore traxit originem.

CAR. COIV. carissimæ Cojugi. Hoc est, conjugi. *Probus. Manutius.* In monumentis conjugatorum.

CARISS. carissima. carissimi.

carissimus. *Probus. Manutius.*

CAR. N. P. carmentalia Nefastus Primo. *Rosinus.* In Kalendario; ergo Carmentalium die mane Prætori non licebat jus reddere.

C. ARR. cajus Arrius. Arriæ gentis nummi argentei habent.

CARTH. carthago. *Hemelarius.* Africæ & Hispaniæ urbs, de qua inferius hac littera, ubi de colonis.

C. AR. TI. CAEL. P. RES. C. CAEL. CAND. IIII. VIR. Cajo Arruntio. Tiberio Cælio. Publio Restituto. Cajo Cœlio candido. Quatuor Viris. *Occo in Nummis Tiberii.* ubi pro *Publio Restituto* lubens legerem *Publio Restio*; si quidem *Restiam* gentem apud Romanos observavi, *Restitutam* hucusque neutiquam.

CARTIMITANOR. cartimitanorum. Cartamæ, unde Cartimitani, oppidum Hispaniæ Bæticæ, *Carthama* nominatum, ut observat *Philippus Ferrarius in Lexic. Geograph.* ad Regni Granatensis confinia, haud procul a Malaga situm.

CAS. cassio. *Augustinus.* Cassiam gentem, & patriciam & plebejam faciunt Ursinus & Augustinus *de Famil. Roman.* utramque tamen consularibus purpuris insignem. minime vero prætereundum volo Tacitum, qui Annal. lib. 8. Cassiam gentem sordidæ fuisse originis videtur innuere hisce verbis: *Relatum & de Cassio Severo exule, qui sordida originis, malefica vita, sed orandi validus.* dummodo tamen hanc sordidam originem hunc, tantummodo Cassium Severum non excessisse intellexerit.

C. ASIN. C. CENS. COS. Cajo Asinio Cajo Censorino Consulibus. Hi fuerunt C. Asinius C. F. C. N. Gallus, & C. Marcius C. F. L. N. Censorinus, qui Romæ consulatum gesserunt anno v. c. DCCXLVI. Augusto tunc imperante; quique urbis pomerium terminaverunt, ut duo illi indicant cippi, qui habentur *pag.* 196. 2. & 197. 2.

C. ASINI. CN. F. cajus Asinius Cnæi Filius. In argenteis nummis gentis Asiniæ plebejæ.

CAST. ET. POLL. DD. I. O. M. FF. castori Et Polluci Divis Jovis Optimi Maximi Filiis. *Stephanus Zamoscius Annalectorum Antiquitatum Daciæ capite 7.* hoc interpretatur Saxum:

CAST. ET. POLL
DD. I. O. M. FF

CASTR. PRAET. castrum Prætorum. *Manutius.*

CAT. cautus. *Magno.*

C. ATIL. A. F. cajus Atilius Auli Filius, &

C. ATILI. M. F. SERRAN. Cajus Atilius Marci Filius Serranus. *Serranus primus dictus, cui serenti fruges collati honores,* &

C. ATIL. REGVL. cajus Atilius Regulus atque

C. ATL. cajus Atilius. Omnes hæ notæ habentur in argenteis nummis gentis Atiliæ plebejæ, sed consulatibus, Præturis, Dictaturisque exornatæ. Hanc & patriciam & plebejam facit Ursinus; verum Serrani & Reguli plebeji fuere.

C. ATTEI. CAPIT. cajus Attejus Capito: In nummis æreis gentis Attejæ. Capitones dicti, quibus magnum caput.

C. AVG. Cæsar Augustus. *Manutius.*

Cajus Augurinus. In argenteis nummis gentis Minutiæ, in qua Augurini cognomen familiare.

C. AVR. COT. cajus Aurelius Cotta. In nummis æreis gentis Aureliæ.

CAVS.
CAVSS. } Caussa. *Goltzius.*

C. B. cives Boni. *Probus Ernstii.*

Civis Bonus. *Diaconus. Sarainas. Scaliger. Manutius.*

Colonia Bononia. *Scaliger.* Legit hoc in Saxo collecto *pag.* 491. 7.

..... FNTICOL. Q. F. C. B
..... PRIMI PIL. PRAEF. EQ
.... VIR. I. D
..... PIL. TRIB. MIL. PRAEF
.... AEF. FABRVM
..... QVINQ. POTEST
..... ICVS. DE. P. S. D.

commune Bonum. *Probus. Ms: Zabarella. Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius.*

cui Bono. *Probus Ernstii*, quod habebatur in Antiquorum auctionibus.

C. B. M. conjugi Bene Merenti. In sepulcralibus; quod commune tam viris quam mulieribus erat.

C. B. M. F. conjugi Bene Merenti Fecit.

C. C. cajis. De duobus scilicet, ut apparebit ad notam C. C. L.

calumniæ caussa. *Diaconus. Ms: Ferrarii. Gratiosus. Sarainas. Manutius.*

caussa cognita. *Probus. Ms: Zabarella. Papias. Gratiosus. Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius.* communissima legum formula, cujus exemplum habetur in *l. 2. §. si quis in judicio. ff. si quis caut. in jud. sist.* juncta *l. 3. Cod. de integr. rest. minor.* ex cujus instituto Judex, cognita causa, judicium pronunciabat.

caussa commissa. *Appianus. Lazius. Manutius.*

caussa contraria. *Manutius.*

caussa conventa. *Probus Ernstii. Ms: Rhodii. Sarainas. Manutius.*

conjugi carissimæ, *vel* caræ. *Manutius.* Quod omnium meo judicio optimum. In sepulcralibus, cum sequenti

conjugi carissimo, *vel* caro.

consilium Cæsaris. *Sarainas. Manutius.*

consilium cœpit. *Probus. Ms: Zabarella. Gratiosus. Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius.*

consilium cessat. *Lazius.*

consilium cessit. *Probus. Ms: Zabarella. Appianus. Manutius.*

contra-

contrarium Contractum. *Gratsosus. Manutius.*

curator civium. Curiæ consulto. *Scaliger.*

C. C. caussâ cognita. *Magno.*

C C. caussâ cognita. Circum. consilium Cessit. Consilium cœpit. *Trebellius.*

CC. circumcirca. *Sarainas.*

circum. *Mß: Rhodii, & Ferraris. Appianus. Lazius. Manutius.*

Consulibus.

Ducenti. *Diaconus. Papias. Ms: Ferraris. Manutius.*

CC. circa. circum. *Magno. Manutius.*

Cↄ. contra. corona. cum. *Sarainas.*

ƐC Contractus. *Papias.*

C. CA. colonia Carthago. Carthago triplex; in Africa una, quæ

Urbs antiqua fuit, Tyrii tenuere coloni.

hæc æmula Romæ, tandem ejus triumphorum numeros auxit; proinde *Plinio* teste *Hist. Nat. lib. 5. cap. 4.* Romanorum colonia in rudera magnæ Carthaginis, Julio Cæsare curante, deducta fuit: namque *postquam diu Carthago deserta permansit: eodem fere tempore, quo & Corinthus rursum a Divo Cæsare sub idem fere tempus instaurata est, missis eo Colonis Romanis, quibus liberti, & militum nonnullis.* Scribit *Strabo de Situ Orbis lib. 17.* unde & *Dio Hist. 43.* de Cæsare loquens sic adnotavit. *Addidit hoc etiam suis præclaris factis, quod Carthaginem, Corinthumque instauravit.* atque mox: *Corinthum vero, Carthaginemque, urbes antiquas, splendidas, illustres, quæ jam perierant, Colonias Romanorum deduxit.* Augustus vero, eodem auctore teste, *lib. 42. Carthaginem quoque denuo coloniam deduxit; quia Lepidus quum partem ejus habitatoribus orbasset, jus coloniæ dissolvisse videbatur*, quod contigit juxta *Dionis* chronologiam anno v. c. DCCXXV: decimo quinto scilicet anno a C. Julii Cæsaris deductione. deduxerat enim illam Cæsar, ut *Dioni* videtur, anno v. c. DCCX. Secunda autem, & tertia Carthago in Hispania fuere Tarraconensi, vetus scilicet una, nova vero altera dicta. Carthaginem veterem Edetanorum fuisse urbem, a *Ptolemæo 2. Geograph.* demonstratur, nunc *Villa Franca*, vel ad mentem quorundam, ut ex *Carolo Stephano* in *Lexico Geograph. Hist. Poet.* patet, nunc *Contavilla.* Carthago nova, quæ nunc *Carthagena*, in ora Contestanorum sita, quam fundatorem Amilcarem habuisse, Carthaginemque Spartariam dictam fuisse a sparti copia, *Antoninus in Itinerario*, *Ptolemæus Geograph. lib. 2. Plinius Hist. Nat. lib. 3. cap. 3.* & cum eis *Strabo Geograph. lib. 3.* unanimes tradunt, eamque coloniam dicunt, verum enim vero, an Phœniciorum, quia ejus conditores, an Romanorum, quia ejusdem oppugnatores, non ita mihi liquido constat.

CCA. Circa. *Ms: Rhodii.*

CC. A. centuriandis Agris. *Gutherius.*

C. C. A. colonia Calagurris Augusta. *Augustinus.* At si, ut dictum paulo altius, Calagurris municipium, quomodo colonia?

colonia Carthago Augusta. *Goltzius. Occo.*

colonia Cæsar-Augusta. *Sanctamantius.* Cæsar-Augusta nunc, *Saragoza*, Hispaniæ Tarraconensis, in finibus Celtiberorum, olim urbs insignis; *Ptolemæo* teste, *Salduba* prius dicta, modo Arragonum Regni caput, cujus fundatorem Augustum scribit *Antonius Augustinus Dial. 1. Antiquis. Romæ, & Hispaniar.* faciem ipsius Imperatoris expendens hisce verbis: *Non potest non vehementer ista inspectione tam jucunda affici; vosque & ego in primis, cum, quod Cæsaraugustanam civitatem; patriam nostram fundaverit, nomenque indiderit.* Verum si Salduba ut Ptolemæo videtur, Cæsar-Augusta est, hanc ita appellatam affirmare audeo, quia sub Augusto deducta colonia fuit, cum potissimum meæ opinioni accedat *Plinius Hist. Nat. lib. 3. cap. 3.* hisce verbis: *Cæsaraugustana colonia immunis, amne Ibero affusa, ubi oppidum antea vocabatur Salduba.* Immunes autem colonias illas fuisse monet *Sigonius de Jur. Provinc. lib. 1. cap. 1.* quæ nihil Populo Romano solvebant: nam Civitates Imperio Romano parentes, vel stipendiariæ aliquid solvebant, immunes nihil; ideo *Alex. ab Alex. Gen. Dier. lib. 4. cap. 10.* testimonio, *erat constitutum, ut singulæ coloniæ annuam pensionem populo Romano penderent, tametsi Livius Drusus Trib. Pl. duodecim Colonias sine onere pensionis deduxisse legatur.* Ex his ergo Coloniæ immunes erant, quæ nihil solvebant, non autem quibus jus Civitatis Romanæ collatum fuerat, ut Augustino videtur *Dial. 6. Antiq. Rom. & Hispaniar.* Colonias siquidem fuisse jure Civitatis Romanæ donatas, immunes tamen minime extitisse, planum esse scio, cum tantummodo immunes dicerentur, quæ juris Italici erant, ut monet *Ulpianus. ff. de Cens. l. 1. l 8. & per totum Titul.*

C. CAES. AVG. Cajus Cæsar Augustus, &

C. CAES AVG. F. Cajus Cæsar Augusti Filius. *Vicus.* Sic Germanicus Imperator cognomento Caligula vocatur in quibusdam ejus numinis.

C. CANINI. Cajus Caninius. In argenteis nummis gentis Caniniæ plebejæ,

C. CARRIN. Cajus Carrinas. In æreis nummis gentis Alliæ; ita *Goltzius* in Fastis ad annum v. c. DCCX.

C. CASSI. Cajus Cassius. &

C. CASSI. IMP. Cajus Cassius Imperator. Habent nummi argentei gentis Cassiæ.

C. C. C. calumniæ cavendæ caussâ. *Scaliger.*

censa civium capita. *Probus. Ms: Zabarellæ. Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius.*

colonia copia claudia. In saxis Lugdunensibus.

cum concilio conlocutus. *Papias. Brissonius.*

C. C. C AVG. LVGD. colonia copia claudia Augusta Lugdunensis. *Scaliger.* Lugdunum, Gallis *Lyon*, Lugdunensis Galliæ metropolis est, ad confluentiam Araris & Rhodani. Urbem hanc ædificasse, cum Galliam regeret comatam, Lucium Munatium Plancum, auctor est mihi ad *Suetonium* in Augusto *Beroaldus*; at ipsum non conditorem, sed coloniæ deductorem docet non tantum *Seneca Epist. 91.* ubi de ejus incendio hisce verbis: *Hæc Coloniæ ab origine sua centesimus annus est, ætas ne hominis quidem extrema, a Planco deducta in hanc frequentiam, loci opportunitate, convaluit.* Sed & monumentum *pag. 439. 8.*

L. MVNATIVS. L. F. L. N. L. PRON
PLANCVS. COS. ACENS. IMP. ITER. VII. VIR
EPVL. TRIVMP. EX. BAETIS. AEDEM. SATVRNI
FECIT. DE. MANIBIS. AGROS. DIVISIT. IN. ITALIA
BENEVENTI. IN. GALLIA. COLONIAS. DEDVXIT,
LVGDVNVM ET RAVRICAM

quamquam de hujusce coloniæ deductione minus mihi constet, factam tamen credo, postquam, ejusdem L. Munatii sententia, Augusti cognomen C. Octavianus Cæsar suscepit, hoc est, juxta Panvinianam supputationem, anno v. c. DCCXXV. circiter, atque ideo Augusta dicta, prout *Copia* ob ejus omnium rerum abundantiam, nam *Strabonis* monitu *Geograph. lib. 4. Hæc urbs maxime omnium Gallicarum, hominum frequentia pollet. Præfecti enim Romanorum eo utuntur emporio, monetamque ibi tam auream, quam argenteam cudunt, & templum ab omnibus communi sententia Galliis decretum Cæsari Au-*

gusto, ante hanc urbem ad concursum fluviorum est positum. Claudiam vero crediderim dictam, ob aliquod Neronis in ipsam singulare beneficium, puta ob ejus fortassis restitutionem tunc temporis curatam; cum Senecæ ævo, qui temporibus Neronis floruit, & cessit fatis, Lugdunum igne consumptum fuisse constet ex ejusdem epistola mox citata, cujus initium: *Liberalis noster nunc tristis est, nunciato incendio, quo Lugdunensis colonia exusta est.* cæterum Lugdunensem coloniam in numero immunium relatam docet *Paulus I. C. l. 8. ff. de Censib.*

C. C. ↄ L. L. cajorum duorum conliberti.

C. C. COL. LVG. claudia copia colonia
{Lugdunum / Lugdunensis} *Scaliger.*

C. C. C. C. *Cajs.* Quatuor; prout patet ex Monumento *pag. 725. 11.*

CCCCIↄↄↄↄ Decies Centena Millia. centum millia tamen notas hasce significasse auctor est mihi politissimus *Ernstius cap. 28. Probi.*

CCC. DP. Tercentum Duplex. *Diaconus. Ms: Ferraris. Manutius.*

CCCIↄↄↄ centies Mille. *Augustinus.*
centum Millia. *Probus Ernstius.*

CCC. T. P. Tercenti Terræ Pedes. *Sarainus. Manutius.*

Tercentum Testes Posuere. *Manutius.*

C. C. D. curatum consulto Decurionum. *Scaliger.* In coloniarum Saxis.

C. C. E. caussa conventa Est. *Diaconus. Ms: Rhodii. Papias. Manutius.*

C. C. EE. caussa contraria Esse. *Sarainus. Manutius.*

C. CENS. cajus censorinus. *Angelonus.* Censorinos a rigiditate, atque austeritate morum denominatos vult *Valerius Maximus lib. 4. cap. 1.* quod cognomen Marciis & Portiis commune observat *Glandorpius* in *Cognomin. Indic.*

C. CENSO. cajus censorinus. In nummis argenteis & æreis Marciæ gentis.

C. CETHEG. cajus cethegus. In argenteis nummis Corneliæ gentis.

C. CETHEG. L. F. cajus cethegus Lucii Filius. In æreis nummis gentis Corneliæ.

C. C. F. cæsar curavit Faciundum. cajus curavit Faciundum. cato curavit Faciundum. *Manutius.*

cujus caji Filius. *Diaconus. Sarainus. Manutius.* Sed mihi suspecta lectio, quia antiqui per duo cognomina alicujus conditionem non dessignabant.

conjugi carissimæ Fecit. conjugi carissimo Fecit, *vel* caro. Si in sepulcralibus.

crispus curavit Faciundum. *Manutius.*

CC. FF. clarissimæ Fœminæ. *Manutius. Scaliger.*

CC. FF. clarissimæ Fœminæ. castissimæ Fœminæ.

CCIↄↄ Decem Millia. *Augustinus*, quem sequor in hac numerorum dispositione, & explanatione: commodior namque mihi ejus opinio.

CCIↄↄ ∞ Undecim Millia. *Augustinus.* Hanc enim notam ∞ millenarii esse non est qui neget.

CCIↄↄ CCIↄↄ. Viginti Millia. *Augustinus.*

CCIↄↄ CCIↄↄ CCIↄↄ. Triginta Millia. *Augustinus.*

CCIↄↄ Iↄↄ IↄC. Quindecim Millia Sexcentum. *Rosinus.*

CCIↄↄ Iↄↄↄ. Quadraginta Millia. *Augustinus.* Siquidem, ipsius sententia, ultima nota quinquaginta millia est, cui decemmillia anteposita totidem millia numero detrahit, & quadraginta millia constituit.

CCIↄↄ CCIↄↄ CCIↄↄ Iↄ LX. Triginta Millia Quingenti Sexaginta. *Rosinus.*

CCIↄↄ CCIↄↄCCIↄↄ CCIↄↄ. Quadraginta millia. *Augustinus.*

CCIↄↄ CCCIↄↄↄ. Nonaginta millia. *Augustinus.* Observatum est paulo superius ultimam notam centies mille significare, unde decem millia ei præposito, ipsi decem millia detrahit, & nonaginta millia facit.

CCIↄↄ ∞ ∞ ∞ CC. Tresdecim millia Ducentum. *Rosinus.*

CCIↄↄ CCIↄↄ ∞ Iↄↄ. Vigintiquattuor millia. *Rosinus.* Nota namque illa ∞ quæ mille est, quinquemillia, quod per hoc Iↄↄ. designatur, ante posita ipsi mille subtrahit, & quattuor millia statuit.

CCIↄↄ CCIↄↄ ∞ ∞ ∞ DCC. Viginti ter mille Septemcentum. *Rosinus.*

CCIↄↄ CCIↄↄ ∞ ∞ ∞ CD XXCIX. Viginti ter mille Quattorcentum Octuaginta novem. *Rosinus.*

CCIↄↄ Iↄↄↄ ∞ C ∞ XII. Quadringinta Unummille Novemcentum Duodecim. *Rosinus.* Centenarii enim nota millenarii numero anteposita novem centum facit.

CCIↄↄ Iↄↄ ∞ DCCCLXVII. Quindecimmillia Octocentum Sexaginta septem. *Rosinus.*

CCIↄↄ Iↄↄ ∞ CCC. Sexdecim millia Tercentum. *Rosinus.*

CCIↄↄ ∞ IↄC. Undecim millia Sexcentum. *Rosinus.*

CCIↄↄ ∞ ∞ ∞ CCXXIII. Tresdecim millia Ducentum Viginti tria. *Rosinus.*

CCIↄↄIↄↄDCCCCL. Quindecim millia Novemcentum Quinquaginta. *Rosinus.*

C. C. D. D. PVBL. corona civica Data Decreto Publico. In muneribus publicis.

C. CIRCEREI. T. F. T. N. cajus circerejus Titi Filius Titi Nepos. In nummis argenteis gentis Circerejæ Plebejæ.

C. CL. cajus claudius.

C C. L. cajorum Liberta. cajorum Libertus. Quod ita legendum hoc in saxo opinor habito *pag. 662. 9.*

C. TERENTIVS. C. C. L. ANTEROS
ALVMINARIVS. VIVOS. SIBI. ET
C. C. TERENTIIS. HILARO. ET. EPAPHRODITO
PATRONIS
CAECILIAE. C. L. CHIAE VXORI
TERENTIAE. MVSAE. LIBERTAE
CAECILIO. C. ↄL. HILARO. MVSAE. FR

C. C. L. / C. ↄ. L. } cai ConLiberta. Cai Conlibertus. Saxum nunc exhibitum hoc satis indicat, ubi de Libertis, seu Libertabus est mentio.

ↄↄ. L. conliberti. Scilicet duo simul liberati.

C. C. LAPPI. cajorum Lappiorum. Hoc est duorum virorum gentis Lappiæ prænomine Caji datorum, de quibus inscriptio *pag. 1006. 5.*

C. CLAVDI. AP. F cajus claudius Appii Filius. In argenteis nummis gentis Claudiæ Patriciæ.

ↄCLI. conciliaret. *Sarainus.*

C. CLOVI. cajus clovius. In argenteis nummis gentis Cloviæ, quam & Cluviam, & Cluiam dictam vult Ursinus.

C. CLOI. PRAEF. cajus clovius Præfectus. In æreis gentis Cloviæ nummis, quam male explicat *Pierius*, ut mox noto.

C. CLO. VI. PRAEF. M. cajus clodius Sextum Præfectus Militum. *Pierius*, qui ad hanc notam sic scribit, *Hieroglyphicorum lib. 15. Nummus est Cæsaris Dictatoris III: in quo Victoria caput est, altera cujus facie Roma gradiens, stola ad pedes demissa,*

capite,

capite, uti mos, galeato, ancile sinistra gestans, lava trepanum, quod humero inhæret, sustentans, a latere vero serpens Draco prorepit, capite surrecto magnis voluminibus terga trahens & *C. CLO. VI. PRAEF. M.* Verum ad nummum quis accedat, sicuti ipsissimum est, prout a Pierio describitur, notas tamen diversissimas observabit, nam illæ sunt, quæ in nummis æreis gentis Cloviæ occurrunt. nempe C. CLOVI. PRAEF. hoc est, *Cajus Clovius Præfectus*, ut anteriore nota explicavi.

C. CL. R. causa clara Regi. *Probus Ernstii. Diaconus. Gratiosus. Manutius.*

causam claram Regi. *Ms: Ferrarii.*

C. C. M̄. M̄. Collegium Centonariorum Municipii Mevaniolæ. *Scaliger.* Priusquam verba ista *Centonariorum Municipii Mevaniola* expendantur, opportunum scire puto, M', ita signatum, & Municipium & Manii prænomen apud antiquos significasse. Caute itaque ex dispositione, & situ hujusmodi signatæ litteræ, eruditus antiquitatum indagator cognoscet, quando Municipii, & quando Manii prænominis locum habeat,

Centonarii erant centonum confectores. Centones vero vela fuerunt ex caprarum pilis, sive panni crassiores ex lana diversorum colorum contexti, ex quibus stragula rustica, & alia sordida atque antiqua vestimenta conficiebantur. unde de Messalina *Juvenalis lib.* 2. *Sat,* 6.

Sed nigrum flavo crinem abscondente galero
Intravit calidum veteri centone lupanar.

Sed & Centonarios illos fuisse, *qui centonibus, vestibus militaribus, contexendis operam dabant*, observavit *Pierius Antiquit. Belun. Serm. prim.* qui subdit: *Nam hujusmodi vestes, vectigalis nomine, publice militibus impendebantur, & in hunc usque diem Feltrini hujusmodi crassioribus pannis contexendis plurimam impendunt operam.* Qui panni, hucusque ad instar centonum antiquorum confecti, a nobis *Feltri*, ab urbe desumpto nomine, nuncupantur.

Municipia quæ, & quot numero essent, lector intelliget, si *Carolum Sigonium* consuluerit, qui *lib.* 2. *de Antiq. Jur. Ital. cap.* 6. 7. 8. & 9. fuse & erudite ipsorum notitiam tradit.

Mevaniolæ Municipii, de quo prisci lapides, nullam apud antiquos Geographos mentionem observavi. At *Philippus Ferrarius Lexico Geographico*, Mevaniolam dicit, *Pagum Galliæ Togata, sive Æmiliæ in Romandiola a Foro Livii ad decem millepassus distans, a Casana viginti, ipsumque* nunc *Galeatam* dictum asserit. neque dubitandum Municipium hoc fuisse: abunde quippe patet ex hoc monumento habito *pag.* 483. 7.

Q. VELCENE
L. F. STEL
PROCVLO
DECVRIONI
MEVANIOLAE
C. C. M̄. M̄. PATRONO
HONORE CONTENTVS
IMPENDIVM REMISSIT ET
DEDICATIONE STATVAE
NVMER. COLL. IPSORVM
SPORTVL. DEDIT
SINGVL. DENARIVS BINOS
L. D. D. D

CC. MM. Ducentum Millium. *Sarainas.*

C. C. M. R. Collegium Centonariorum Municipii Ravennatis. *Scaliger.* Ubi hujus Municipii collegia recensentur.

C. C. M. S. collegium Centonariorum Municipii Sassinatium. *Scaliger.* Sarsina, & Sassina, teste in *Lex. Geograph.* Ferrario, cui adstipulatur *Carolus Stephanus*, urbs fuit Galliæ Togatæ, in Æmilia, intra Apennini Montis radices sita, a Cæsena milliaria XXV. sejuncta; nunc autem pene inculta, vicusque parvus, Accii Plauti comici civis ejusdem nomine solummodo insignis, fereque hæc dum scribo, ingenti terræmotu mense Martio anni MDCLXI. omnino eversa.

C. C. M'. S. B. M. Collegium Centonariorum Municipii Sassinatium Bene Merenti. Ita enim a me explicantur hæ notæ in Sassinati lapide collecto *pag.* 913. 3

D. M
C. GIGEN
NI. FESTIVI
C. C. M'. S
B. M

C. CN. causa cognita. *Papias.*

C. C. N. D. D. S. P. P. Collegium Centonariorum Numini Devotum De Sua Pecunia Posuit. Hoc pacto lego notas istas in Romano lapide *pag.* 265. 6

7. COH. centurio cohortis. In militaribus; cum subsequenti.

7. COH. SS. centurio cohortis Suprascriptæ.

C. COIL. CALD. Cajus Cœlius caldus. In argenteis Cœliæ gentis nummis.

C. CON. contrarium contractum. *Sarainas. Manutius.*

C. CONSIDI. Cajus Considius. In nummis argenteis gentis Considiæ.

C. COSSVTI. C. F. cajus cossutius caji Filius. In nummis argenteis gentis Cossutiæ.

C. CR. cæsar curavit. crispus curavit. curio curavit. coniux cæsaris. coniux crispi. *Manutius.*

contrarium contractum. *Probus. Ms: Zabarella. Appianus. Lazius.*

contrarius contractus. *Diaconus. Manutius.*

C. C. S. curaverunt communi sumptu curaverunt cives Sassinates. *Scaliger.* Tam in sepulcralibus, quam in votivis, loco publice dato.

curavit cum suis. In sepulcralibus

CCT. contrarium contractum. *Probus Ernstii.*

C. CT. cæsar curavit. crispus curavit. curio curavit. contrarius contractus. *Manutius.*

contrarium contractum. *Ms: Zabarella. Trebellius.*

C. CVR. cajus curiatius. In nummis æreis gentis Curiatiæ.

C. CVR. TRIG. cajus curiatius trigeminus. In argenteis ejusdem gentis nummis, in qua Trigeminum cognomen claruit ob tres curiatios Albanos fratres, qui cum tribus Horatiis Romanis fratribus de imperio patriæ dimicaverunt.

CC. VV. clarissimi viri.

clarissimis viris. *Magno.*

C. C. V. V. calator curiatus Virginum Vestalium. *Scaliger.* In Ministris sacrorum, Sacerdotes omnes Romæ Calatores suos habuisse non est qui nesciat.

C. D. cajus Decius. *Trebellius.*

Cajus Drusus. Capite Diminutus. *Trebellius. Manutius.* Capitis Diminutio triplex, Maxima, Media, Minima. Maxima civitatem, libertatem, familiamque adimit. Media civitatem, & familiam. Minima familiam tantum, ut patet ex *Instit. lib. Tit. de Capit. Diminut.* & *l. ult. ff. de Capit. Minut.*

 Civis

Civis Domesticus. Collegium Decurionum. Comitialibus Diebus. *Manutius.*

communi dividundo. *Papias.*

custos Dotis. *Manutius.*

C. Đ. certo Die. *Magno.*

CD. cedendum. *Gratiosus.*

condemnatus. *Diaconus. Manutius.*

quadringenta. *Probus. Sarasnas. Manutius.*

CD'. condignum. *Diaconus. Manutius.*

CD. contradictio. *Magno.*

CD. C. quadringentis condemnatus. *Passeratius. Laurentius.*

. 9DC. condictionis. *Papias.*

C. D. D. cum Decreto Decurionum. *Sarasnas.*

C. D. E. R. N. E. E. cujus De Ea Re Notio est Estimabit. *Brissonius*, qui *de Formulis lib.* 3. monet, hanc fuisse Imperatorum dicendi formulam, *qua de competenti judice; ad quem sæpe nullo speciali magistratu potestatisve nomine expresso, litigatores ab Imperatoribus demissi erant.*

C. D. M. caussa Doli mali. *Papias.*

C. DM. comes Domesticorum. *Magno.* Domesticorum Comes inter Domesticos & Protectores milites, qui iidem, primus in honore fuit. Milites isti in Palatio manebant, neque rerum bellicarum cura ipsis demandabatur, sed tantummodo Principi semper aderant, cum quotidie salutantes, purpuream ejus vestem deosculando, donec Diocletianus primus genua flectere ipsis imperavit, adorarique se jussit. Principem exeuntem hinc & inde continuo comitabantur, ipsique assidebant; unde in *Cod. Theodos. l. Devotiss. Tit. De Domest. & Protect.* Honorius & Theodosius dixerunt: *Devotissimi Protectores qui auratam militiam subeuntes non solum defendendi corporis sui, verum etiam protegendi lateris nostri sollicitudinem patiuntur, unde etiam Protectorum nomen sortiti sunt.* Isti magna semper fuerunt existimatione, ideo & filios eorum, licet nondum justæ ætate, harum scholarum matriculis inscribebantur, annonamque recipiebant. ita *l. 2. citati Tituli Cod. Theodos.* in quo multa de privilegiis dignitatibusque eorum agitur & amplius apud *Cassiodorum Variar. lib.* 8. *num* 12. *Pancirollum in Notit. Imp. Orient. cap.* 89. *Bulengerum de Imp. Roman lib.* 3. *cap.* 67. *atque Gutherium de Offic Dom. Aug. lib.*

CDo. Conditio. *Magno.*

Ʒ. DO. Contrahendo. *Papias.*

C. D. R. N. N. Curam De Re Non Necessaria. *Magno.*

C. DVILI. M. F. Cajus Duillius Marci Filius. In æreis nummis gentis Duiliæ plebejæ.

C. E. caussa Ejus. *Manutius.*

curavit Erigi. Quandoque in sepulcralibus.

C. E. C. Coloni Ejus Coloniæ. *Probus. Ms: Zabarella. Sarainas. Trebellius. Lazius.*

C. E. D. conjunctus Esse Dicitur. *Diaconus. Manutius.*

conjunctum Esse Dicitur. *Probus. Manutius.*

convictus Esse Dicitur. *Manutius.* Quæ dicendi formula habebatur a Prætore in edictis perpetuis.

C. EGNATVLEI. C. F. cajus Egnatulejus Caji Filius. In nummis argenteis gentis Egnatuleja plebejæ.

CEL. celeres. *Probus. Manutius. Celeres*, ait Festus, *antiqui dixerunt, quos nunc equites dicimus, a Celere interfectore Remi, qui initio a Romulo iis præpositus fuit, qui primitus electi fuerunt ex singulis curiis deni, ideoque omnino trecenti fuere.*

CEN. centurio. *Scaliger.* In militaribus.

CEN. A. censor Æmilius. censor Aulus. *Manutius.*

censoris Arbitratu. *Probus. Ms: Zabarella. Sarainas. Appianus. Lazius.*

censoris Auctoritas. *Manutius.*

CEN. AR. censoris Arbitratu. *Manutius.*

CEN. PED. centum Pedum.

CEN. PP. censor Peregrinus. censor Pompejus. *Manutius*, quæ duæ explicationes mihi non arrident. Censorem enim peregrinum apud Romanos hucusque nondum cognovi neque gentilicium Pompeji cognomen duplici P, notatum hucusque observavi.

censor Perpetuus. *Manutius*, quæ cæteris verior; censuram enim Domitianum perpetuam in se constituisse paulo inferius videbitur.

CEN. censor. *Probus*, & omnes notarum explicatores.

censores. *Scaliger. Goltzius.*

CENSIT. H. C. censitori Hispaniæ citerioris. Ita Saxum *pag.* 117. 5, legendum puto:

Q. HED. L. F. POL. RVF
LOLLIANO GENTIANO
AVGVRI. COS. PROCOS
ASIAE CENSITORI
PROV. LVG. ITEM YGD
COMITI. SEVERI. ET
ANTONINI. AVGG
TR. LEG. XX. G. PROV
H. C. ITEM CENSIT
H. C. X. VIRO. STL. IVD.
PVTEOLANO SVP. VETER
ANOR. QVAEST. CANDID
PRAET. CAND. TR. LEG. XVIII
PRIMIG. TRIB. LEG. VII. G. P. F
III. VIRO. A. A. A. F. F
P. H. C
FAB. MARCELLINVS

Quod non solum notarum mox adductarum sensum monstrabit, sed tot typographica menda, quæ hanc eandem inscriptionem corrumpunt, prorsusque obscurissimam faciunt apud *Wolfangum Lazium Commentar. Reip. Rom. lib.* 2. *cap.* 6. cujus apud ipsum hæc est dispositio:

Q. EIDOLFO POL. RVFO LOLLIANO GENIANO AVGVRI
COS. PROCOS. ASIAE CNSFORI PROV. LVGD. IVEM VGDI
NENS. C. M. T. SEVERI. ET. ANTON. AVG. G.
TER. LEG. XX. PRO. H. C. ITEM
CENS. H. C

At censitores erant, vel censuum impositores, ut patet ex toto *Titulo Cod. Theod. de Censib.* vel qui censum agebant, & præcipiebant præstationes tributorum, pignorisque jure prædia vendebant, si census non solvebatur, ut in *l. Formam. §. illam. & l. Cum Possessor. §. Pro Pecunia. ff. de Censib.* Vel tandem censitores dicebantur, qui recipiebant præstationes collectorum, ut ex titulo, legibusque allatis deprehenditur. Hos & Censuales appellatos observavit Eruditissimus Carolus Emmanuel Vizanius *de Mandatis Principum cap.* 8. ubi de ipsis more suo elegantissime differit, prout etiam *Gutherius de Offic. Dom. Aug. lib.* 3. *cap.* 9.

CENS. LVST. NON. FEC. censor Lustrum Non Fecit. Apponebantur in Fastis censorum nominibus, qui lustrum non egerant, siquidem cum *C. Julius Censor decessisset: in ejus locum M. Cornelius suffectus, quia res postea religioni fuit, quia eo*

lustro

lustro Roma est capta: nec deinde unquam in demortui locum Censor sufficiebatur. scripsit *Livius Hist. lib.* 5. & 6. quare si Censorum uous diem suum claudebat ante lustrum factum, qui supererat se abdicabat, nec lustrum agebat. *Livius Hist. lib.* 6. *Creati Censores C. Sulpicius Camerinus, Postumius Regillensis captaque jam res morte Postumii, quia collegam suffici Censore religio erat. interpellata est igitur cum Sulpicius abdicasset se magistratu, censores alii vitio creati non gesserunt magistratum; tertios creari velut diis non accipientibus in eum annum censuram, religiosum fuit.*

CENS. LVSTR. FEC. censor Lustrum Fecit. Sequebatur censorum nomina censura peracta, Lustroque habito.

CENSO. censorinus. *Goltzius.*

CENS. P. censor Perpetuum. *Erizius.*

censor Perpetuus. *Sarainas. Angleonus.* Censura apud Romaous quinquennis, inde annua, & semestris fuit, donec Domitianus Imperator perpetuam reddit, ut non tantum ex ejusdem nummis liquido constat, in quibus, post undecimum ejus consulatum, legitur CENS. PER. PP. quod est *Censor Perpetuus Pater Patriæ.* Sed ex *Dione* ipso qui *Hist. lib* 67. hæc de Domitiano adnotavit: *Adeo vero stulte elatus est & insolenter, ut Consul decem annos perpetuos, & Censor quamdiu viveret, primus, solusque ex privatis civibus atque Imperatoribus designatus sit.*

censor Pompejus. *Diaconus.*

CENS.PERP. censor Perpetuom. *Erizius. Angelonus.*

CENS. PERP. P. P. } censor Perpetuus Pa-
CENS. P. P. P. }
ter Patriæ. In nummis Domitiani passim legitur.

CENSS. censores. *Goltzius.*

CENT. centonarii. *Pierius. Gualtherius.*

centonariorum. *Ms: Zabarella.*

centum. *Manutius.*

centuria. *Probus. Ms: Zabarella. Sarainas. Appianus. Lazius.*

centurio. *Scaliger.* In militaribus.

centurioni. centuriones. *Manutius.*

centurionum. *Probus. Ms: Zabarella. Sarainas. Appianus. Manutius.*

CENTN. centuriones. *Probus. Sarainas.*

CENTV. centuriones. *Probus. Appianus. Lazius. Manutius.*

CEPT. ceperunt. *Ms: Rhodii.*

CER. cerealia. *Manutius.* In Kalendario. Cerealia ludi fuere teste *Varrone lib. 5. de Ling. Lat.* a Cerere denominati. celebrabantur Romæ per matronas albis vestibus indutas, luctum Cereris, ob raptam Proserpinam, ejusque peregrinationem repræsentantes cum face, ut filiam inveniret ita *lib. 6. cap.* 8. *Gen. Dier. Alex. ab Alexandro.* Ludos istos auctore eodem *cap.* 19. *lib.* 6. spectabant Romani toga pariter induti candida, observatumque prodit ipse, *ut tunc diis gratum esse censerent, si a latis, nec funere polluti celebrarentur, utque in sacris Cereris ante noctem epularetur nemo, atque a vino in primis, & Venere abstinerent: utque quinto quoque anno ex Sibyllinis carminibus, prodigiorum caussa, jejunium fieret, interque præcipuum fuerat, ut sacris initiatos calida abluerent primum, quod castitati prodesse ducerent.* In Cerealibus autem epulum ante noctem vetitum fuisse ex *Callimacho* observat *Julius Cæsar Scaliger Poetic. lib.* 1. *cap.* 52. *quod Cererem extrema affectam fame, ac nihilo secius pertinacius jejunium perpetuantem, solus Vesper flexerit, persuaseritque, ut cibum caperet.* Tunc temporis polluti & immundi, eodem *Alexandro* loco citato teste, a Cereris templo arcebantur voce præconis, quique impurus accedebat, capite mulctabatur. Ludi isti, ut ex Kalendario Romano edifcitur, pridie Idus Aprilis initium habebant, hoc est, ejusdem mensis die XI. atque per octiduum continuabantur, primusque Cerealium dies, ut ex *Ovidio* 4. *Fastorum* comperitur, circensi pompæ succedebat.

Proxima victricem cum Romam inspexerit Eos,
Et dederit Phœbo stella fugata locum;
Circus erit pompa celeber, numeroque deorum:
Primaque ventosis palma petetur equis.
Hinc Cereris Ludi: non est opus indice caussa,
Sponte Dea munus, promeritumque patet.

CER. QVINQ. certamine Quinquennali. *Manutius.*

CERTA. QVINQ. ROM. CO. certamen Quinquennale Romæ Conditum. *Erizius. Angelonus.*

certamen Quinquennale Romæ Constituit. *Lipsius.*

certamen Quinquennale Romæ Constitutum. *Pancirollus. Occo.* Notæ istæ æreum Neronis circuunt numisma, ea parte, qua conspicitur mensa, supra quam corona, & olla, seu lebes potius more Græco, observantur. Hujus certaminis auctorem Romæ fuisse Neronem, tum ex *Suetonio* intelligitur in ejus vita *cap.* 12. scribente: *Instituit & quinquennale certamen primus omnium Romæ, more Græco, triplex, Musicum, Gymnicum, Equestre, quod appellavit Neronianum.* tum ex *Tacito Annal. lib.* 14. *Nerone quartum, Cornelio Cosso Coss. quinquennale ludicrum Romæ institutum est, ad morem Græci certaminis, varia fama, ut cuncta ferme nova.*

CERT. SACR. CAP. OEC. IS. HEL. certamen Sacrum Capitolinum Oecumenicum Iselasticum Helvium. *Tristanus de Sancto Amantio* solus, nullus enim, quod sciam, veterum historicorum hujus ludi meminit, de eo disserit abunde in commentariis Historicis Cæsarum, Imperatorum, Augustarum, Gallice descriptis, tomo tertio folio mihi quinto, Imp. Licinii Valeriani numismata examinans, inter quæ hunc ludum fusissime explicat.

CES. celsum. *Ms: Rhodii.*

celsus. *Sarainas.*

censor. *Manutius.*

censores. *Gualtherius.*

cerealia. *Gruterius. Scaliger.*

cespius. *Manutius.*

CESQVANT. Quiescant. *Gutherius*, qui de *Jure Manium lib.* 2. *cap.* 13. hæc notavit. *Cesquant positum pro quiescant, decurtato & conciso verbo, quod Romanis usitatum, quibus caurceas, pro cave ne eas; capsis, pro cape si vis.*

CESS. censores. *Manutius.*

C. F. caji Filia. caji Filius.

caussa Fiduciæ. *Manutius.*

clarissima Foemina. clarissimus Filius. Frequentissie in monumentis.

concordes Fecerunt. *Probus.*

conjugi Fecit. conjux Fecit. In monumentis conjugatorum.

creditores Fraudare. creditoris Fraude. curavit Faciuodum. *Manutius.*

curavit Fieri.

7. F. caji Filius. In Saxo *pag.* 630. 4. legendum conjecto.

curavit Fieri. Si extremam monumenti partem occupent notæ.

CF. confinius. *Magno.*

C. FABI. C. F. cajus Fabius Caji Filius. In nummis argenteis gentis Fabiæ.

.C.F.A.N. caji Filius Auli Nepos. In Fastis consularibus præcipue.

C.F.AP.N. caji Filius Appii Nepos.

C. F. C. clavi Fugiendi caussa. *Trebellius. Manutius*, quod prorsus ineptum.

clavi Figendi Caussa. *Manutius*, quod proprium, & frequentissimum in Fastis, cum præcipue hac de caussa Dictator dicebatur, de qua solemnitate satis *Livius Hist. lib.* 7.

clam Fugit Cæsarem. clam Fugit Cohortem; & similia varia, quæ a *Manutio* referuntur suo *de Veterum Notarum Explicatione libro*, a me huc non collecta, utpote ab Antiquitate aliena.

C.F.C.N. caji Filius Caji Nepos.

C.F.CN.N. caji Filius Cnæi Nepos.

C.F.C.N.C.P. Caji Filius caji Nepos Caji Pronepos. In fastis etiam, necessitate exigente, pro aliquorum ejusdem gentis discrimine.

C F.CN.N.LENTVL. MALVG. caji Filius Cnæi Nepos Lentulus Maluginensis. Lentulus & Maluginensis Corneliorum patriciorum tantum vulgatissima fuere cognomina. Lentulus ille primus cognominatus est, qui lentium satinni egregie vacavit. Maluginenses vero, a loco unde migraverunt, Cornelios dictos scriptum reliquit *Panvinius de Antiq. Nomin.*

C.F.D.N. caji Filius Decimi Nepos.

C. FIL. C. N. C. PRON. C. ABN. caji Filius Caji Nepos Caji Pronepos Caji Abnepos. In Fastis aliquando urgente occasione.

C. F. k. N. caji Filius kæsonis Nepos.

C.CL. caji Filius. cajus Flavius.

C. FLA. R. caussa Filiæ Regis. cornelia Filia Regis. *Manutius.*

C. FLAMIN. C. F. cajus Flaminius Caji Filius. In nummis argenteis gentis Flaminiæ.

C. F. L. N. caji Filius Lucii Nepos.

C.F.L.N.L.PRON. caji Filius Lucii Nepos Lucii Pronepos.

C F. L. R. Q. M. cajus Fabius, Lucius Roscius *vel* Rubrius, Quintus Maximus. *Ursinus.* In nummis argenteis gentis Fabiæ.

C. F. M. curavit Fieri Monumentum. In sepulcralibus, eorumque extrema parte.

C. F. M. N. caji Filius Marci Nepos.

C. F. M'. N. caji Filius Manii Nepos.

C. F. N. N. caji Filius Numerii Nepos.

C. FONT. cajus Fontejus. In nummis argenteis gentis Fontejæ plebejæ.

C. F. O. V. F. caji Filius Ob Votum Fecit. *Pierius.*

C. F. P. N. caji Filius Publii Nepos.

C. F. Q. N. caji Filius Quinti Nepos.

C. F. R. clam Fugit Regem. cornelia Filia Regis. *Manutius.*

caussa Filiæ Regis. *Diaconus. Manutius.*

curavit Fieri Requietorium. Si in sepulcralibus forte occurrerent. Requietorium siquidem expressum haberi in antiquis lapidibus in progressu observabitur.

C. F. SER. N. caji Filius Servii Nepos.

C. F. SEX. N. caji Filius Sexti Nepos.

C. F. SP N. caji Filius Spurii. Nepos.

C. F. T. N. caji Filius Titi Nepos.

C. F. TI. N. caji Filius Tiberii Nepos.

C. FVND. }
C. FVNDA. } cajus Fundanius. In nummis argenteis gentis Fundaniæ Plebejæ.

C. FVRNI. P. F. cajus Furnius Publii Filius. In argenteis nummis Furniæ gentis plebejæ.

C. GRAN. cajus Granius. *Augustinus.* Grania Gens Romæ plebeja, nullisque titulis clara, nisi eam illustrassent Q. Granius ille de quo plura *Cicero 2. de Orator.* Granius Flaccus, qui ad Cæsarem *de Indigitamentis* scripsit, ut habetur ex *Censorino de Die Natal. cap.* 3. & Granius ille Serenus, qui Hadriani Imperatoris Legatus animum ipsius a Christianorum avertit sævitia, ut ex *lib.* 4. *cap.* 9. *Eusebii Historia Ecclesiastica*, & ex *Orosii Hist. lib.* 7. *cap.* 13. clare cognoscitur.

C. H. Cognovit Heredem. *Manutius.*

curavit Heres. In sepulcralibus.

custos Heredum. *Probus. Sarasnas. Appianus. Lazius. Manutius.*

CH. cohors. chorus. *Gratiosus.*

CHAR. charissima. *Sarasnas.*

C. H. C. censitori Hispaniæ Citerioris. Curatori Hispaniæ Citerioris.

C. H. M. consecravit Hoc Monumentum. curavit Hanc Memoriam. Ita namque explanare sum ausus litteras hasce, quas *Josephus Scaliger cap.* 20. *Indicum Gruterianor.* inexplicatas reliquit, quæ hoc in Saxo *pag.* 38. 8. sic dispositæ observantur:

. . . . . .
. . . . . .
. . . . . .
. . . . . .

APOLLINI
PRAESTANTI
C. H. M

CHO. cohors. *Scaliger.* In militaribus.

cohortis. *Ms: Zabarella.*

CHO. christo. Ut in hoc epigrammate Christiano ab auctoribus Romæ Subterraneæ exhibito *T.* 1. *lib.* 3. *cap.* 22.

TEMPORE ADRIANI
IMPERATORIS
MARIVS ADOLESCENS DVX
MILITVM QVI SATIS VIXIT
DVM VITAM PRO CHO CVM SAN
GVINE CONSVNSIT IN PACE
TANDEM QVIEVIT BENEMERENTES
CVM LACRIMIS ET METV POSVERVNT

cohors. cohortis. *Ms: Zabarella.*

CHO. I. AFR. C. R. cohors Prima Africanorum Civium Romanorum. *Galius. Post Legiones*, ait *Onuphrius Panvinius* in Descriptione Imperii Romani, *multa præterea militum Cohortes ab Imperatoribus instituta sunt ex variis gentibus, quæ vel una cum legionibus, limitibus Romani Imperii tuendis incubabant; vel variis in locis collocata in præsidiis erant.* Hæc ergo cohors prima Africanorum forte constabat, vel ex Romanis civibus eo transmissis, vel ex illis Africanis quibus jus civitatis concessum fuerat, cujus stativa per civitates erant Africæ ad Imperii limites tutandos.

CHOR. I. FL. BF. cohors Prima Flavia Beneficiariorum.

CHOR. X. PR. cohors Decima Prætoria.

C. HOSIDI. C. F. cajus Hosidius Caji Filius. In argenteis nummis gentis Hosidiæ plebejæ.

C. I. cajus Julius.

caussa Justa. Censor Jussit. Civis Improbus. Civitas Improba. Conjux Improba. Conjux Irascens. consul Jussit. Curante Judice. Curavit Imperator. Curavit Judex. *Manutius*, ad hasce singulas hæc omnia, dummodo cum antiquitate conveniant.

CI. centum millia. *Diaconus. Manutius.*

CI. cippus. *Passeratius. Laurentius.*

circiter. *Scaliger.*

civis. civitas *Gratiosus.*

ƆI. conjacenti. *Sarasnas. Manutius.*

CIB.

CIB. cibus. *Manutius.*

CIC. cicero. *Probus.*

C. I. C. cajus Julius Cæsar. *Probus*, & cum eo omnes.

CIↃ Mille. *Augustinus.*

CIↃ IↃC. Mille Sexcentum. *Rosinus.*

CIↃ CIↃ CVI. Duomillia Centum Sex. *Rosinus.*

CIↃ CIↃ CIↃ DCCCLXXX. Termillia Octocentum Octoginta. *Rosinus.*

C. I. C. I. O. M. S. cajus Julius Cæsar Jovi Optimo Maximo Sacravit. *Fortunius Licetus de Lucernis Antiquor. lib. 6. cap. 2.* easque explicat antiquæ lucernæ insculptas, prout etiam interpretatus fuerat *Scaliger* hoc in Saxo exhibito *pag.*

Φ
C. I. C.
I.O.M.S.
Φ

C. I. HOMVL. cajus Julius Homulus. Ab homine parvo diminutivum etiam cognomen derivatum. Homuli ergo idem ac Homunculi, & Homunciones; ideo *Plautus* non uno in loco, sed in *Rudente* præcipue *Act. 5, Scen. 2.*

> . . . . DAE. *hui?*
> *Homunculi quanti estis?*

& *Petronius* in Satyra:

> *Heu heu nos miseri, quam totus homuncio nil est.*

Cognomen hoc Valeriorum fuisse in *Indice Cognominum* notat *Glandorpius.* Addo ego ex ista inscriptione *pag.* 789. 8. Juliorum:

D. M
C. I. HOMVL. SAL. LAC. VX.
PIENTISS.

hoc est, *Dis Manibus Cajus Julius Homulus Salviæ Laches* seu *Lachesis Uxori Pientissimæ.*

C. I. I. A. colonia Immunis Illice Augusta. *Augustinus.* Illice Hispaniæ Tarraconensis urbs, *Plinio* teste *Hist. Nat. lib.* 3. *cap.* 3. Illici, unde & Illicitanus Sinus; *Ptolemæo* vero *Geograph. part.* 2. Illicius; unde & Illicitatus Portus. Hinc etiam insignis viget vulgo *Alicante.* Hæc inter immunes Colonias Hispaniæ enumeratur a *Paulo lib. 2. de Censib.* dummodo, ubi in textu, cum Pandectis Florentinis, legitur Lacetani, legatur Illicitani. de ista sedulo *Antonius Augustinus Antiq. Roma & Hispan. Dialog. 7.*

C. III. I. C. cubito Tertio Invenies Conditos. *Gratiosus.*

C. III. IN. cubitos Tres Invenies. *Diaconus. Manutius.*

C. II. INV. P. cubitos Duos Invenies Plumbum. *Probus Ernstii. Diaconus. Manutius.*

C. II. IV. L. M. cubitos Duos invenies Locum Mirabilem. *Probus Ernstii. Manutius.*

C. III. IVE. cubitos Tres Invenies. *Probus Ernstii.*

C. IM. cæsar Imperator. *Gratiosus.*

CIN. cinereo. *Panvinius.* Ubi de coloribus equorum in lapide examinato *de Ludis Circensibus lib. cap.*

C. IN. LEG. curavit In Legione. *Saranus.*

C. I. O. N. B. M. F. civium Illius Omnium Nomine Bene Merenti Fecit. *Scaliger.* Ad Monumentum *pag.* 564. 2.

C. IP. cæsar Imperator. *Probus.*

C. I. P. A. colonia julia Paterna Arelate. *Scaliger.* Arelate *Plinio Hist. lib. 3. cap. 4. Strabone Geograph. lib. 4.* Arelatum, *Antonino in Itinerar.* & *Ptolemæo Geograph. part.* 2. Urbs enim nunc est florentissima Narbonensis Galliæ, vulgo *Arles.* ipsam Ausonius Gallulam Romam dixit in claris Urbibus:

> *Pande, duplex Arelate, tuos blanda hospita portus,*
> *Gallula Roma Arelas: quam Narbo Martius, & quam*
> *Accolit Alpinis opulenta Vienna Colonis.*

Hanc eandem Constantinam denominandam decreverat Flavius ille Constantinus, qui imperante Honorio juniore in Galliis Imperium usurpaverat, de qua re fuse *Scaliger In Ausonian. Lect. lib. 1. cap. 4.* Cæsaris ævo urbem istam coloniam deductam scilicet ante Christum non plus quadraginta tribus annis observavit *Elias Vinetus* in *Ausonii Urbes*, deductore Tiberii Imp. patre, ut tali pacto *Suetonius in Tiberio cap. 4. Pater vero Tiberio Quæstor C. Cæsaris, Alexandrino bello classi præpositus, plurimum ad victoriam contulit; quare & Pontifex in locum P. Scipionis substitutus, & ad deducendas in Galliam colonias, in queis Narbo & Arelate erant, missus est.* Ad quæ *Beroaldus* adnotat: *In Mediterraneo, Narbonensis Galliæ Civitas est Arelate, a Plinio dicta Colonia Sextanorum, quoniam ex Sexta Legione Coloni deducti sunt;* ibique, tam de Arelate, quam de Narbone Coloniis auctorem fuisse Cæsarem dicit, *quibus ipse patrem Tiberii præfecit, velut unum ex Triumviris, qui more Romano colonos deducebant, eisque agros viritim dividebant. Beroaldo* adstipulatur *Carolus Stephanus Lexic. Geograph. Hist. Poet.* asserens inscriptionem se observasse in *Goltzii Thesauro Antiquitatum*, qua Arelate coloniam Juliam Piam vocatam scribit, Verum cum tantum hæ quatuor litteræ C. I. P. A. apud *Goltzium* in inscriptione occurrant, utique illum minus recte legisse dubito *Coloniam Juliam Piam Arelate*, cum *Colonia Julia Paterna Arelate* sit quatuor illarum litterarum genuina lectio, eo quod *Vineto* auctore in *Urbibus Ausonii*, eam deduxit Julius pater; nam Julius filius, qui Augustus, prout confirmat etiam Arias Montanus ad *lib.* 8 *Commentarior. C. Julii Cæsaris.*

C. I. P. C. N. M. colonia Julia Paterna Claudia Narbonensis Martia. *Scaliger.* Quod & ferme expressum legitur in lege dedicationis Narbonensis aræ, relata *pag.* 229. in qua, aliis omissis, legitur:

CONIVGE. LIBERIS. GENTEQVE. EIVS
SENATV. POPVLOQVE. R. COLONIS
INCOLISQVE. COL. IVL. PATERN. NARB
MART. &c.

Narbo illustrissima urbs, maximumque Galliæ Narbonensis emporium *Geograph. lib.* 3. & 4. a *Strabone* dicta, etiam nunc insignis floret. Romanorum colonia facta teste *Cicerone de Clar. Orat. M. Porcio Catone, Q. Marcio Rege Coss. anno* V. C. DCXXXIII. cui & *Eutropius lib.* 5. & *Paterculus lib.* 2. adstipulantur, nomen ejus in deductione Narbo Martius fuit desumptum, teste *Manutio* ad orationem *Pro Fontejo, ab eo qui deduxit Q. Martio Rege Consule;* quam sententiam improbant, tum Paulus Merula in Notis ad *lib.* 3. *Comment. C. Julii Cæsaris;* tum *Elias Vinetus* ad *Ausonium de Urbibus*, idque tot, firmisque

que adeo rationibus, ut non injucundum crediderim lectori eos hac de re consulere. Illis quippe assentior lobens, qui Martium Narbonem, potius a Martia legione, quam a Marcio Rege consule denominatum volunt; nam, utar meo judicio recte *Vinetus* loco mox citato, cur a consule, & non ab eo qui deduxit? Et si a consule, quare a Marcio Rege potius, quam a collega Portio Catone? Ego a Martia legione potius; siquidem Narbonem Martium decumanorum coloniam fuisse scriptum reliquit *Plinius Hist. lib.* 3. *cap.* 4. hoc est, militum decimæ legionis, ut ad 3. *Comment. C. Julii Cæsaris Marlianus* notat, nisi forte legio quæ decima numerebetur, Martia etiam cognominata fuerit, ut *Vineto* videtur loco jam citato, quod minime a ratione alienum crediderim, ut recte expendenti, patebit, varias legiones distinctas numero, sed nomine similes. Deducta iterum colonia fuit Narbo Martius *Suetonii* fide *Tiberii cap.* 12. eo anno quo & Arelate, quam deduxit, C. Julii Cæsaris nomine, Tiberius Claudius Nero Tiberii Imp. pater, atque ab eo tempore Narbo Martius Julia Paterna Claudia dicta; Julia & Paterna a C. Julio Patre. Claudia, addo ego, a Claudio Nerone deductore forsitan. Hæc vero Colonia majori dignitate, & gloria floruit, ut quæ jus habuit Italicum, hoc est, immunitatem, ut habetur in *l. In Lusitan. ff. de Censibus.*

C I. P. N. M. colonia Julia Paterna Narbonensis Martia.

CIPP. cippum. *Sarainas.*

Cippus. *Probus*, cum cæteris, cujus hæc sunt verba: *Cippus, idest, terminus, unde ad tertium Cippum, idest, ad tertium Terminum, vel ad tertium Lapidem.*

CIRC circenses Ludi. *Manutius.* De eis inter ceteros *Onuphrius Panvinius* elegantissimum & eruditissimum opus edidit.

CIR. CON. circum condidit. *Angelonus.*

circus conditus. *Zamoscius. Hulsius.*

CIS. cujus. *Ms: Rhodis. Sarainas.*

C. I. T. caussam injuste Tenet, *vel* Tuetur. *Gratiosus.*

C. IT. caussam Jussit. caussa Justa. Curavit Imperator. *Manutius.*

caussa Justi. *Diaconus.*

CITS. civitas. *Ms: Rhodis. Sarainas. Manutius.*

C IV caussa Justi. *Passeratius. Laurentius.*

CIV. civis. civitas. *Diaconus. Manutius.*

cujus. *Passeratius Laurentius.*

C. I. V. colonia Julia Valentia. *Hemelarius.*

Urbes quinque Valentiæ nomine donatas invenio. In Italia duas; primam scilicet in Gallia Cispadana ad Padum, quæ & Forum Fulvii, teste *Plinio Hist. lib.* 3. *cap.* 5. nunc etiam *Valenza* vulgo dicta. Alteram, quæ in Brutiis Hippo primum, deinde Vibo Valentia appellata, non tantum *Plinio* auctore loco mox citato, sed & *Ptolemæo Geograph. lib.* 3. atque *Strabone Geograph. lib.* 6. nunc *Bivona* oppidulum; hæc Romanorum colonia deducta fuit, juxta Velleji Parteculi supputationem *Hist. lib.* 1. anno v. c. ccci.v. deduxerunt, *Livio* teste *Hist. lib.* 35. Q. Nævius, M. Minutius, M. Furius Crassipes Triumviri. Tertiam in Gallia Narbonensi ad Rhodanum fluvium sitam, quæ vulgo *Valenze*, cujus meminit *Marcellinus Hist. lib.* 14 Alias duas in Hispania Tarraconensi; primam ad Minium fluvium, cujus hæc leguntur *Epitom.* 55. *Livii: Junius Brutus Consul in Hispania, iis qui sub Viriatho militaverant, agros, oppidumque dedit, quod Valentia vocatum est.* Secundam, quam *Plinius Hist. lib.* 3. *cap.* 3. Edetanis, *Ptolomæus* vero *Geograph. lib.* 2. Contestanis adscribit, quæ ut olim, ita & nunc celebris urbs Romanorum colonia fuit; quando tamen deducta, non ita patet, quamquam post ejus eversionem a Magno Pompejo, cujus ut fragmentis *lib.* 3. *Histor. C. Crispo Salustio* mentio est, id accidisse conjectare sit, vel forte C. Julii Cæsaris ævo, eo quia Julia dicta, quæ & joris Italici, hoc est, immunis fuit, ut habetur *l. In Lusit. ff. de Censib.*

colonia Julia Victoris. *Octo.*

CIVES. VE. cives Vesuntini. Ita lego ad Saxum Vesuntinum *pag.* 238. 4.

IMP. CAES. AVG.
M. AVR. ANTONI
NO. ET. L. AVR. VERO
CIVES. VE

Vesuntium quod oppidum maximum Sequanorum fuit teste *Julio Cæsare Commentar. lib.* 1. nunc urbs Imperialis, & Metropolitana comitatus Burgundiæ ejusdem nominis, tantum V in B mutato, Gallice *Besanzon.* Magnifica quidem ac potens atque frugum copia adeo affluens, ut ager ejus totius Burgundiæ granarium habeatur.

CIVIB. ET. SIGN. MILIT. A PART. RECVP. civibus Et Signis Militaribus A Parthis Recuperatis. *Erizzus. Goltzius.* Hæc omnia in aureo Augusti nummo observantur, in ejus honorem percusso, signis illis a Parthis recuperatis, quæ M. Crassus & M. Antonius perdiderant. unde in Augusto Suetonius: *Parthi quoque & Armeniam vindicanti facile cesserunt, & signa militaria, quæ M. Crasso & M. Antonio ademerant, reposcenti reddiderunt.* ideo *Ovidius Fastor.* 6. Vestam hoc pacto Parthos objurgantem inducit:

Parthe quid exultas? dixit, hæc signa remittes,
Quique necem Crassi vindicet, ultor erit.

CIVIT. ARAVS. civitatis Arausionensis. Supple curatoris, ut in marmore prægrandi *pag.* 452. 2. Arausio, *Ptolemæo* teste, Galliæ Narbonensis est urbs, quam *Plinius Hist. lib.* 3. *cap.* 4. Coloniam Secundanorum nominat, hoc est, secundæ legionis militum, nunc vulgo *Oranges*, etiam nunc antiquitatum ruderibus non paucis celebris, sub Nassoviorum Principum dominio.

CIVIT. LACTOR. civitas Lactoratensis. Lactoratium, quod ex antiquis lapidibus Lactoratum, unde Lactoratenses, & *Antonino in Itiner.* Lactora, Aquitanicæ Galliæ urbs etiam nunc est *Lettore* communiter appellata.

C. IVNI. CASS. cajus Junius Cassius. Posthumus Cæsar, Posthumi, sub Galieno in Gallia tyranni, filius, dicebatur in nummis suis.

C. IVNI. C. F. cajus Junius Caji Filius. In argenteis nummis gentis Juniæ plebejæ; siquidem Juniam gentem patriciam, in L. Junio Bruto Regum expulsore, deffecisse fas est credere, quia filios cum cæteris conjuratis, pro restitutione Regum, securi percuti jussit *Liv. lib.* 2.

CI. V. O. A. B. civitas Vitæ Omnia Aufert Bona. *Manutius*, dummodo in antiquis monumentis notæ illæ reperiantur, atque explicatio aliquid habeat cum antiquitate commune, quod apud me dubium.

CIV. SECVND. civitas Secundas. Ubi notæ hæ observantur, agitur de militaribus donis, in quibus postrema non fuit corona civica, quæ militi, concivem in prælio periclitatem, tuenti dabatur; Hæc quercea erat, ut liquido patet in Augusti nummis, quorum aversa parte corona civica spectatur, in cujus medio legitur OB CIVES SERVATOS, porrigebaturque a servato servatori, capiti illius eam imponendo.

C. I.

C. I. V. T. colonia Julia Victrix Tarraco. Urbs insignis, totiusque Hispaniæ Tarraconensis caput Tarraco fuit, & est. Colonia Tarraco Scipionum opus dicitur *Plinio Hist. lib. 3. cap. 3.* Nihilominus urbem hanc Romanorum coloniam factam a Julio Cæsare, aut saltem ab Augusto prodidit *Augustinus Hispan. Antiq. Dialog. 7.* quam Tyrrhenicam, seu Togatam eo loci cur denominatam aperit.

C. K. L. C. S. L. F. C. conjugi Karissimo Loco Concesso Sibi Libenter Fieri Curavit. *Scaliger.* Verum si post hujusmodi virum de notis istis conjectare licet, eas libens legerem: *Conjugi Karissimo Loco Concesso Sepultura Lugens Fieri Curavit.* ut vero de discrimine doctiores judicium ferant, monumentum huc refero *pag:* 879. 3

P. MANSVETA
SIBI ET. C. K. L. C. S
L. F. C

CL. clarissimus. *Probus. Gratiosus.*
clarus. *Manutius.*
claudia. *Scaliger. Manutius.*
claudiæ. *Manutius.*
claudius. *Probus. Ms: Zabarella. Magno. Lazius. Manutius. Scaliger.*
clave. clavis. clemens. cliens. *Manutius.*
clodius. *Sarainas. Manutius.*
collis. *Manutius.*
colonia. *Gratiosus. Sarainas. Manutius. Scaliger.*
coloniæ. *Probus Ernstis.*
C. L. Centum Millia. *Papias. Gratiosus*, si recte, ut non sit potius
Centum Quinquaginta.
C. L. caja Liberta. *Manutius.*
cajæ Liberta. caji Libertus. Quod vulgatissimum, si gentilitium alicujus nomen subsequantur.
cajus Libertus. *Probus. Manutius.*
colonia Latina. *Augustinus.*
comes Laborum. *Lazius*; qui *Commentar. Reip Rom. lib. 3. cap. 27.* habet *Comes Laborum appellabatur in ædibus Romanis, cui omnes mediastini & artifices omnes in domo parebant. Cujus meminit inscriptio Veronæ in foro boario in porticu Rufini:*

C. ATISIVS. C. L. FELIX. C. ATISIVS. C. L. GAMBVS. B. ET. V

Quæ tam lectio omnino mihi suspecta. Mitto quæstionem, an apud Romanos fuerit necne *Comes Laborum* (feliciori quippe calamo eruditiores hoc expendant, sed tantum observo) ubi litteræ L. C. in monumento allato occurrunt, non officii, muneris, dignitatisve, sed liberti indicium esse, ut vel leviter in his versatis patet. propterea non *Atisius Comes Laborum Felix*, sed *Atisius Cajo Libertus Felix* genuinus illarum duarum litterarum sit sensus. quod ut clarius constet, addo inscriptionem ipsam, quæ non solum ex Antiquitatibus Veronensibus Panvinii, sed ex *Gruteriano* opere *pag.* 562. 1. ita disposita elicitur.

V. F
C. ATISIVS. C. L
FELIX
C. ATISIVS. C. L
GAMVS
BE...... ET SVIS

C. Ɔ. Cajus Libertus. *Lazius.*
Ɔ. L. Caja Liberta. *Probus. Manutius.*
cajæ Liberta. *Probus. Ms: Zabarella.*
cajæ Libertus. *Augustinus.*
con Liberta. *Sarainas. Appianus. Rubens.*
con Libertæ. *Sarainas. Lazius. Manutius. Angelonus.*
con Libertus. *Probus. Appianus. Lazius. Rubens.* Possunt enim duæ hæ litteræ omnes hasce explicationes accipere, duæ cum non sint ita facilis demonstrationis, cui in monumentis occurrent, cautus in explanando procedat.
Ɔ. Ɔ. Caja Liberta. *Manutius.*
cajæ Liberta. *Probus. Manutius.*
cajæ Libertæ. *Probus.*
ConLiberta. ConLibertæ. ConLiberto. ConLibertus.
Ɔ. Ɔ. caja Liberta. *Probus. Trebellius. Manutius.*
Cajæ Liberta. *Probus Manutius.*
7. L. Cajæ Liberta. Caji Liberta. Conliberta. Ita hanc notam explico in Romano Saxo *pag.* 959. 5.

P. AELIVS. P. L
SALVIVS
CATIA. C. L. MONIME
CATIA. 7. L. SCITA
VIX. AN. XX
DIES. XXXIIII

Ɔ. L. cajæ Liberta.

CLA. Claudia: hoc est, Tribus. *Brissonius. Manutius. Scaliger.* Hanc in ordine tertiamdecimam *Pavinius Descrip. Civit. Roman.* reponit, denominatamque scribit ab Appio Claudio; qui, *Livio* teste *Hist. lib.* 2. ob seditionem in Sabinis ortam, Regillo Romam migravit, unde ei & urbs concessa, & patricius dictus, agerque publicus decretus, quem cum suis divisit, ex quibus & Tribus Claudia. unde 7. *Æneid. Virgilius*:

Ecce Sabinorum prisco de sanguine magnum
Agmen agens Clausus, magnique ipse agminis instar,
Claudia nunc a quo diffunditur & tribus & gens
Per Latium, postquam in partem data Roma Sabinis.

Hinc ab oppido Regillo genti Claudiæ patriciæ Rigillense cognomen, quod a Claudiis plebejis minime usurpatum venit.

C. LARG. Comes Largitionum. *Magno.* In officiis Domus Augustæ. Largitionum Comes *Pancirolli* observatione *in Notit. Utriusque Imper. cap.* 15. erat idem ac Romæ Præfectus ærarii: nam Largitionum pars aliqua, ex tributis & vectigalibus collecta, ad arcam Prætorianam transmittebatur, cæteræ Comitis Largitionum custodiæ committebantur. ita *Franciscus Connanus lib. 4. cap. 14. nu.* 6. Sed plura & scitu digna, de Comite Sacrarum Largitionum, inter varios habent *Cassiodorus Variarum lib. 5. epist. 40. Guido Pancirolus in Notit. Imper. Orient. cap. 75. Occidentis cap. 35. Wolfangus Lazius*, qui illum Magistrum Sacrarum Largitionum vocat, *Comment. Respub. Rom. lib. 4. cap. 9. Jacobus Gutherius de Offic. Dom. Aug. lib. 3. cap.* 16.

CLAS. ALEX. classis Alexandrinæ. *Tristanus.* In militaribus, sed militum classis, cum subsequentibus. *Isacus Casaubonus* ad illa *Suetonii* verba in Augusto *cap.* 98. *Vectores nautæque de navi Alexandrina* hæc adnotavit: *Augustus Ægypto in provinciam redacta, certum frumenti numerum quotannis illi imperavit, egena plebi Romanæ dividendum. Hæc est, classis Alexandrina quæ dicitur, cujus tot locis fit mentio; cujusque insignis fuit prærogativa*, subdit ipse, *ut sola portum intraret cum suppare, cætera naves cum intraverant Capreas & Minervæ promotorium velo jubebantur esse contenta. Supparum* vero Alexandrinum erat, ut idem ex *Seneca Epist.* 77. notat, *veli linei genus, quod non ad usum, sed ad indicium gaudii, rebus secundis attollebant nautæ.*

CLAS. ET ORAE MARIT. EX S. C. PRAEF. Classis Et Oræ Maritimæ Ex Senatus Consulto Præfectus. Hæc omnia occurrunt in nummis argenteis gentis Pompejæ spectantibus ad Sextum Pompejum Magni filium, cum Præfecturæ Siciliæ fungeretur.

CLAS. PR. MIS. Classis Prætoria Misenensis. *Scaliger.*

CLASS. PR. RAVE. Classis Prætoria Ravennatis. *Scaliger..* Uno eodemque tempore duas hasce ordinasse classes Augustum, ex *Suetonio cap.* 49. in ejus vita ita loquente, comperitur: *Ex militaribus copiis legiones & auxilia provinciatim distribuit: Classem Miseni, & alteram Ravennæ, ad tutelam superi & inferi maris collocavit.* Ideo ex *lib.* 5. *cap.* 1. *Vegetii de Re Milit. Misenatium Classis Galliam, Hispanias, Mauritaniam, Africam, Ægyptum, Sardiniam, atque Siciliam habebat in proximo. Classis Ravennatium, Epirum, Macedoniam, Achajam, Propontidem, Pontum, Orientem, Cretam, Cyprum petere directa navigatione consueverat.*

CLAV. Claudia. Tribus scilicet. *Scaliger.*

Claudius. *Angelonus.*

CLAVD. Claudia. *Scaliger.* Ubi Tribus cadit nota.

C. L. CAES. cajus Lucius Cæsares. *Angelonus. Hemelarius.* Hasce notas argenteus Augusti nummus excipit, in cujus adversa parte duo togati juvenes conspiciuntur. Hi duo Augusti nepotes fuere ex Agrippa Juliaque ejus filia progeniti, de quibus hæc in Augusto *cap.* 64. *Suetonius: Cajum & Lucium adoptavit domi, per assem & libram emtos a patre Agrippa, tenerosque adhuc ad curam Reipublicæ admovit & consules designatos circum Provincias exercitusque demisit.* Ad cujus consulatus designationem respicere mox citatum nummum *Adolphus Occo*, in Augusti numismatibus, consideravit.

CL. CEL. colonia Celeja. *Scaliger.*

CL. COS. DES. Claudius Consul Designatus. *Diaconus. Manutius.*

C. LDBL. caussam Laudabilem. *Probus. Diaconus.*

C. LDBLM.S. caussam Laudabilem Suam. *Sarainas. Manutius.*

C. LDB. S. caussam Laudabilem Statuit. *Gratiosus.*

C. LEG. / Ɔ. LEG. } Centurio Legionis. In militaribus.

7. LEG. centurio Legionis. *Zamoscius. Scaliger. Gallus. Angelonus.* In militaribus aliquando.

Ꝣ. LEG. / ꓶ. LEG. } Centurio Legionis. In militaribus.

CLEM. Clementia. Est nummorum Adriani & Antonini nota.

CL. F. clarissima Filia. clarissima Fœmina. *Diaconus. Papias.* In Mulierum Saxis.

Ɔꓶ·Ⅎ· clarissima Filia. clarissima Fœmina. *Manutius.*

CL. FI. clarissimus Filius. *Gratiosus.*

Ɔꓶ· Ǝꓶ· clarissima Filia. *Sarainas.*

CLI. clarissimus. *Papias. Manutius.*

claudius. *Diaconus. Manutius.*

CLI. Claudius. colonia. *Manutius.* forsan nimis libere.

C. LIB. Caja Liberta. Cajæ Liberta. Caji Libertus.

Cajus Libertus. *Sarainas.*

conliberta. conlibertus.

cumliberatus. *Sarainas.*

Ɔ. LIB. conliberta. conlibertus. *Rubeus.*

C. L. I. COR. colonia Latina Julia Corinthus. In nummo Commodi, ubi occurrit Delphinus cum puero nudo super eum, & planta. Corinthus Achajæ urbs, in medio fere Isthmo Peloponnesiaco sita, Ægeum Ioniumque maria respicit. quare bimarem dixerunt Poetæ. sic 4. *Fastor. Ovidius:*

> *Hadriacumque patens late, bimaremque Corinthum.*

Sic *Horatius Carm.* 1. *Ode* 7.

> *Laudabunt alii claram Rhodum, aut Mitelenen,*
> *Aut Ephesum, bimarisque Corinthi*
> *Mœnia.*

Nunc etiam durat *Corintho* vulgo appellata; quamquam eversa olim penitus a Romanis L. Mummio, cui ob Achajam devictam Achaici cognomen fuit, duce, in cujus excidio atque incendio ex metallorum confusione coaluit præstans illud æs Corinthiacum appellatum. Illam Divus Cæsar instauravit, atque in coloniam deduxit. *Strabo Geograph. lib.* 1. *Sed Corinthus cum diu deserta jacuisset, instaurata est a Divo Cæsare propter loci opportunitatem, missis eo in coloniam libertinis plurimis*; qui *Festo* auctore *Corinthienses ex eo dici cœperunt, ex quo Coloni Corinthum sunt deducti, qui antea Corinthii sunt dicti. quam consuetudinem*, subdit ille, *servamus etiam, cum Romanenses, & Hispanienses; & Siciliensès negotiatores dicimus, qui in alienis civitatibus negotiantur.*

C. LIMETAN. cajus Limetanus. In nummis argenteis gentis Mamiliæ, in qua Limetani cognomen aliquis prometruit ob limites positos.

C. ꓶ. K. caja Liberta Karissima. *Appianus.*

C. L. K. caja Liberta Karissima. *Lazius.* conlibertæ Karissimæ. *Ms: Zabarella. Manutius.*

Ɔ. L. ꓘ. conlibertæ Karissimæ. *Probus.*

Ɔ. ꓶ. ꓘ. conliberta Karissima. *Trebellius.*

conlibertæ Karissimæ. *Manutius.*

CLM. clamorem. *Sarainas. Manutius.*

Cœlum. *Ms: Rhodii. Sarainas. Manutius.*

CL. M. F. claudia Marci Filia. claudius Marci Filius.

CLN. columna. *Manutius.* Quod fateor me non intelligere.

C. L. NICOM. F. FL. caji Libertus Nicomedes Fecit Flavit. *Augustinus.*

C. LONGIN.C. F. cajus Longinus Caji Filius. In argenteis nummis Lutatiæ gentis, in qua Longini cognomen aliquis sibi adscivit, ob corporis dispositionem.

CL'. P. clarissimus Puer. Quam notam quisque observabit, qui perquisiverit monumentum exhibitum littera A nota AVG.

clarus Presbyter. *In Monument. Rom. Subter.*

CLS. clarissimus. *Diaconus. Sarainas. Manutius.*

CLS. F. clarissima Filia.

clarissima Fœmina. *Manutius.*

CLV. clusinus. *Sarainas. Manutius.* Clusium urbs & colonia Hetruscorum antiquissima, Porsennæque regis sedes, vulgo *Chiusi*, ob aeris insalubritatem nunc pæne destituta, & inculta.

Clustumina. *Panvinius. Brissonius. Scaliger.* Hæc Tribus est, quæ & Crustumina, a Tuscorum urbe Crustumena dicta *Festo* auctore.

CL. V. clarissimo Viro. *Sarainas Manutius.*

clarissimus Vir. *Diaconus. Magno. Manutius.*

claro Viro. *Manutius.*

clypeis Votis. clypeo Voto.

clypeum Vovit. *Hemelarius.*

clypeus Votivus. *Erizzius. Hemelarius.*

C. LVCR. P. F. II. V. QVINQ. cajus Lucretius Publii Filius Duum Vir Quinquennalis. *Augustinus.*

CLVENT. cluentia. Tribus nempe. *Scaliger.*

Tribum

Tribum hanc in ordinem illarum reponit *Panvinius Descrip. Urb. Rom.* quæ anno V. C. DCLXIV. a censoribus, propter novos cives, additæ, quadriennio post ab iisdem dissolutæ ac restitutæ, ex quo integræ Provinciæ urbe donatæ fuere. Hanc Panvinius a Cluentia gente duxisse originem facile credit, quæ a Cloantho Æneæ comite nomen traxit. unde 5. *Æneid. Virgil.*

Centauro invehitur magna; Scyllaque Cloanthus
Caerulea; genus unde tibi, Romane Cluenti.

CLVST. clustumina. *Panvinius. Scaliger.* Tribus quæ & Crustumina, ut mox dictum.

C. LVTAT. C. F. C. N. PR. COS. cajus Lutatius caji Filius caji Nepos Proconsul. Extant in argenteis nummis gentis Lutatiæ.

CL. VV. clarissimorum Virorum. *Papias.*

CLVV. Cluvia. Tribus quæ ex eorum numero fuit, ex quo Cluentia Panvinii monitu loco citato, qui dictam vult a Cluvia Samnitum urbe.

C. M. cæsar Maximus. *Probus Ernstii. Papias. Sarainas. Manutius.*

cajus Marius. *Probus. Ms: Zabarella. Appianus. Manutius.*

capitis Minutio. *Magno.* Si subsistat.

caussa Mortis. *Probus.* cum cæteris.

cessit Melioribus. *Appianus. Lazius.*

cives Mali. *Probus Ernstii.*

civis Malus. civitas Mala. conjux Mala. cujus Memoria. curavit Monumentum. *Manutius.* Quarum interpretationum ultimæ genuinæ magis.

conjux Marito. Non raro in monumentis conjugatorum.

CM. cajus Marius. *Probus.*

caussa Mortis. *Probus. Magno.*

clarissima Mulier. conjux Marito. conjugi Maritus.

CM. clarissima.

clarissime. *Papias.*

comes. *Probus. Manutius.*

comis. *Probus*, cum cæteris.

commilitones. *Gratiosus.*

cum. *Sarainas.*

CM°. Comes. *Probus. Diaconus.*

Comis. *Diaconus.*

C̄M. cum. *Ms: Rhodii.*

C. MAIAN. cajus Majanius. In argenteis nummis Majaniæ gentis.

C. MALL. Cajus Malleolus, &

C. MALL. C. F. cajus Malleolus Caji Filius. In argenteis nummis gentis Popliæ, in qua Malleoli cognomen frequens.

C. MAMIL. LIMET. Cajus Mamilius Limetanus. In nummis Mamiliæ gentis argenteis.

C. MAN. Caja Manlia. Cajus Manlius. *Antonius Guevara In Epistolis suis Hispanicis.* Manlia antiqua Romanorum gens patricia minorum gentium Marci prænomen repudiavit, ob crimen affectatæ tyrannidis a M. Manlio Capitolino, qua tentata quamquam non perfecta, nihilominus e rupe Tarpeja deturbatus tanti criminis pœnas luit.

C. MANCIN. A. F. Cajus Mancinus Auli Filius. In argenteis nummis gentis Hostiliæ, in qua cognomen Mancini aliquis habuit ex familiari usu sinistræ manus.

C. MARC. Cajus Marcellus. *Ursinus.* In gentis Claudiæ plebejæ nummis argenteis, in qua marcelli cognomen familiarissimum, & insigne.

C. MARCI. CENSO. Cajus Marcius Censorinus, &

C. MARCI. FIGVL. Cajus Marcius Figulus. In argenteis nummis marciæ gentis, in qua præcipue Censorinum cognomen eminuit ob severitatem in Censura.

C. MARI. C. F. CAPIT. Cajus Marius Caji Filius Capito. In nummis argenteis gentis Mariæ, in qua huic ex magno capite Capitonis cognomen inditum. Capitones namque a magnitudine capitis appellatos non est qui nesciat.

C. MAR. P. caput Margine Pleno. *Diaconus. Manutius.* Quod insulsum, & a Latino nitore alienum.

ↃMC. Decem Millia. *Probus Ernstii.*

Quinquaginta Millia. *Antiquus Codex de Notis Numerorum.*

CMↃ. Mille Millia. *Antiquus Codex de Notis Numerorum.*

C. M. D. centum Millia Denariorum. *Magno.*

conjux Marito Dedit. conjugi Maritus Dedit. curavit Monumentum Dari. Nonnumquam in sepulcralibus.

C. MEMMI. C. F. cajus Memmius Caji Filius. In nummis argenteis gentis Memmiæ.

C. METEL. CAPRAR. cajus Metellus Caprarius. In Cæciliæ gentis nummis argenteis, in quibus hæc duo cognomina frequentia, sed Metellus præcipue.

C. M. F. clarissimæ Memoriæ Fœmina. *Magno.*

conjux Marito Fecit. conjugi Monumentum Fecit. conjugi Maritus Fecit. Quandoque in monumentis affectus conjugum testantibus.

Curavit Monumentum Fieri. *Scaliger.* Quod frequentius in sepulcralibus.

C. ML. centum Millia. *Diaconus. Manutius.*

crementum Multum. *Passeratius. Laurentius.*

C. ML. XII. camelos Duodecim. *Probus Ernstii. Diaconus. Gratiosus. Manutius.*

centum Mille Duodecim.

C. MO. F. clarissimæ Memoriæ Fecit. *Papias.*

C. M. Q. cæsar Mæsius Quintus. *Erizius.* In nummis Filii Trajani Decii.

CMS. comis. *Passeratius.*

C. M. S. caussa Mali Sui. *Passeratius. Laurentius.*

condidit Monumentum Sibi. curavit Memoriam sibi. In sepulcralibus aliquando.

C. MT. commune Multum. *Probus Ernstii.*

crementum Multum. *Diaconus. Manutius.*

C. M. T. caussa Mali Tui. *Diaconus. Manutius.*

caussa Mulieris Tuæ. *Manutius.*

caussam Malam Tuetur. *Gratiosus.*

conjux Mala Tua. curavit Monumentum Testamento. *Manutius.*

C. M. V. clarissimæ Memoriæ Vir. *Magno.* Quod certissimum in sepulcralibus.

clarissimi Memores Viri. *Papias.*

curavit Monumentum Vivens.

C. MV. } curator Municipii. In Municipalibus Saxis,
C. MVN. }

C. MV7. centesimum Milliarium. *Magno.*

CN. cnæus. Gnæus.

cnæa. Gnæa. Omnes notarum explicatores. Gnæus & corporis insigne & prænomen, a generando, Græce γενναῖος, Festi observatione, dictum.

cnævius. *Probus.*

consules. *Papias.* Si rectæ interpretationes istæ.

C. N. cæsar Noster. *Probus.*

cajus Noster. *Probus. Trebellius.*

caji Nepos. Quod verum & certum in monumentis, in quibus nomini gentilitio patris & avi prænomen additur.

caussa Nostra. *Gratiosus.*

cives Nostri. *Sarainas.*

civis Noster. *Probus. Diaconus. Ms. Zabarelle. Saratnas. Lazius.*
consilium Nullum. *Gratiosus.*
cujus Nomen. curavit Numerius. *Magno.*
CN. ARR. cnæus Arrius. *Probus. Saratnas. Appianus. Lazius.*
CN. AVRS. coronas Aureas. *Manutius.*
C. NB. cariſſime Nobis. *Briſſonius;* qui ſuo de Formulis tertio obſervavit hanc Imperatorum fuiſſe formulam communiſſimam in Reſcriptorum ſuorum fronte poſitam, cum Præſidibus, & quæſtoribus Provinciarum cæteriſque magiſtratibus reſpondebant.
CN. BEBI. Q. F. cnæus Bebius Quinti Filius. In nummis argenteis gentis Bebiæ.
CN. CALP. cnæus Calpurnius. In argenteis nummis gentis Calpurniæ.
CN. CENTVMAL. cnæus Centumalus. In nummis argenteis Fulviæ gentis, in qua Centumali cognomen frequens.
CN. CORNE. L. F. cnæus Cornelius Lucii Filius. In argenteis nummis ejuſdem gentis.
CN. CN. L. cnæorum Liberta. Duorum nempe, ut ex hoc patet ſaxo *pag.* 488. *num.* 7.

V. AMMIAE
CN. CN. L
STATIAE VXORI

cnæorum Libertus. De duobus.
CN. DOM. cnæus Domitius. &
CN. DOM. COS. ITER. IMP. cnæus Domitius Conſul Iterum Imperator. Obſervantur in nummis argenteis gentis Domitiæ.
CN. DOMI. cnæus Domitius. In æreis ejuſdem gentis nummis.
CN. DOMIT. C. F. CALVIN. cnæus Domitius Caji Filius Calvinus. &
CN. DOMI. CN. F. AENOBARB. Cnæus Domitius Cnæi Filius Ænobarbus. Conſpiciuntur in argenteis nummis ejuſdem gentis; in qua Calvini & Ænobarbi cognomina duæ conſtituerunt familiæ. Calvini, a calvitie: Ænobarbi, ab æris ſimillimo capillo denominati, ut eſt videre apud *Alex. ab Alex. Gen. Dier. lib.* 5. *cap.* 9. & *Suetonium Neronis cap.* 1. qui Ænobarbi cognominis originem ita deſcribit: *Ænobarbi auctorem originis itemque cognominis habent L. Domitium, cui rure quondam revertenti, juvenes gemini auguſtiore forma, ex occurſu imperaſſe traduntur, nunciaret Senatui & Populo victoriam, de qua incertum adhuc erat: atque in fidem majeſtatis, adeo permulſiſſe malas, ut e nigro rutilum, ariique aſſimilem capillum redderent. Quod inſigne manſit & in poſteris ejus, ac magna pars rutila barba fuerunt.*
C. N. EE. C. C. credimus Non Eſſe Cauſſam Conventam. *Probus Ernſtius. Diaconus.*
credimus Non Eſſe Cauſſam Contrariam. *Gratioſus.*
CN. F. cnæi Filius. Paſſim in Lapidibus & Faſtis.
CN. F. A. N. cnæi Filius Auli Nepos.
CN. F. AP. N. cnæi Filius Appii Nepos.
CN. F. C. N. cnæi Filius Caji Nepos.
CN. F. CN. N. cnæi Filius Cnæi Nepos.
CN. F. D. N. cnæi Filius Decimi Nepos.
CN. F. L. N. cnæi Filius Lucii Nepos.
CN. F. k. N. cnæi Filius Kæſonis Nepos.
CN. F. M. N. cnæi Filius Marci Nepos.
CN. F. M'. N. cnæi Filius Manii Nepos.
CN. F. N. N. cnæi Filius Numerii Nepos.
CN. FOVL. cnæus Fulvius. *Goltzius.* Et argentei nummi gentis Fulviæ plebejæ.
CN. F. P. N. cnæi Filius Publii Nepos.
CN. F. Q. N. cnæi Filius Quinti Nepos.
CN. F. SER. N. cnæi Filius Servii Nepos.
CN. F. SEX. N. cnæi Filius Sexti Nepos.
CN. F. SP. N. cnæi Filius Spurii Nepos.
CN. F. TI. N. cnæi Filius Tiberii Nepos.
CN. F. T. N. cnæi Filius Titi Nepos.
CN. FVLVI. CN. F. CN. N. MAX. CENTVMAL. cnæus Fulvius Cnæi Filius Cnæi Nepos Maximus Centumalus. In nummis argenteis gentis Fulviæ.
CN. GEL. cnæus Gellius. In argenteis nummis gentis Gelliæ.
CN. L. cnæi Libertus. Paſſim in Libertorum monumentis.
CN. LEN. Q. EX. S. C. cnæus Lentulus Quæſtor Ex Senatus Conſulto. &
CN. LENT. cnæus Lentulus. Habent argentei nummi gentis Corneliæ.
CN. LENTV. cnæus Lentulus. In ejuſdem gentis nummis æreis.
CN. LENTVL. CLODIAN. Cnæus Lentulus Clodianus. In argenteis Corneliæ gentis nummis, in qua, cui Clodiani cognomen eſt, non natus, ſed adoptatus fuerat. communiſſimus ſiquidem uſus fuit apud Romanos, ut qui per adoptionem alterius gentis fiebat, ipſe proprium nomen in ſuum gentilitium cognomen aſſumeret. ideo Auguſto qui Octavius natus fuerat, adoptatus a C. Julio Cæſare in gentem Juliam, C. Julius Cæſar Octavianus Auguſtus poſtea fuit appellatus. cujus rei cauſa, adoptato aliquo gentis Clodiæ in Corneliam, ab aliquo cui nomen erat Cnæus Cornelius Lentulus, Cnæus Cornelius Lentulus Clodianus ſubinde denominatus fuit.
CN. LO. cnæo Lollio. *Scaliger.* Lollia gens Romæ plebeja ſolummodo, Auguſto imperante Conſularis, quo tempore conſulatum geſſit M. Lollius M. F. Paulinus, illius Lolliæ Paulinæ avus, aliquando Cajo Caligulæ nuptæ, de qua *Plinius Hiſt. lib.* 9. *cap.* 35. narrat, abſque ſolemnitate, atque mediocri cœna, mundo muliebri uſam, qui quadringenties HS æquaret.
CN. LVCR. cnæus Lucretius. In nummis argentis Lucretiæ.
CN. MAG. IMP. cnæus Magnus Imperator. In argenteis nummis Magni Pompeji legitur, quo loco inutilem fore non credo obſervationem *Adolphi Occonis* in Auguſto, ad Imperatoris nomen ſcribentis: *Imperatoris vox, cum pro prænomine uſurpatur, ſupremam eorum auctoritatem in Republica ſignificat; cum vero poſt nomen ponitur, rerum ab iis præclare bello geſtarum numerum. nam Imperatoris vocabulo duobus modis Romani uſi ſunt, uno pro quocunque exercitus duce, qui ſuis auſpiciis rem gereret, & qui Imperium, id eſt, jus belli gerendi haberet; altero pro eo, qui hoſtibus magno prælio fuſis ac profligatis, eo nomine militum acclamatione affectus eſſet primum, deinde ſententia Senatus in Urbe ornatus. Poſt Auguſtum vero, reliqui etiam ſoliti ſunt in titulis & monumentis notare, quoties ob rem bene geſtam Imperatores eſſent a militibus appellati; id quod Reipublicæ tempore nunquam factum reperitur.* Ideo in nummis frequentiſſime, & in lapidibus, Imperator Tertium, Quartum, Quintum, & hujuſmodi, non quidem, ut aliqui inepte crediderunt, tertio, quarto, & quinto anno; ſed Imperator tertium, quartum, quintum acclamatus.
CN. N. cnæi Nepos.
CN. NAE. BALB. cnæus Nævius Balbus. In nummis argenteis Næviæ gentis.
C. NORBA. cajus Norbanus. In Norbanæ gentis nummis argenteis.

CN.

CN. OCTAVI. CN. F. cnæus Octavius Cnæi Filius. In æreis nummis gentis Octaviæ,

CN. OCTAVI. PROPR. cnæus Octavius Pro Prætor. In argenteis ejusdem gentis.

CN. PO. M. CRA. cnæo Pompejo. Marco Crasso. Hasce notas tesseram habebat, ex illis, quæ edito spectaculo gladiatori dabantur, in quo spectatus fuisset, quarum hæc legitur apud *Gruterum pag.* 324. 5.

PILARGVS LVCILI
SP. A. D. VIII. ID. APRIL.
CN. PO. M. CRA

Utrum vero in primo, an in secundo Consulatu, quem simul Pompejus & Crassus gesserunt, data fuerit, utique affirmare non valeo; nam juxta supputationem Panvinianam in Fastis, anno v. c. DCXXCIV. Pompejus & Crassus primo consulatu sunt defuncti, Urbis vero conditæ DCXCIX. iterum ambo consules renunciati fuere.

CN. POMP. M. AVO. T. ANTO. M. IVL. SERAN IIII VIR. cnæo Pompejo. Marco Avonio. Tito Antonio. Marco Julio Serano. Quatuor Viris. *Occo* in nummis Tiberii.

CN. SERVIL. P. F. cnæus Servilius Publii Filius. In argenteis gentis Serviliæ nummis.

CENS. P. censor Perpetuus. *Probus. Sarainas.*

CNTO. centenario. *Probus. Ernsten. Papias.* centenarii vocis, ut notat *Ernstius ad* 3. *caput Probi*, nulla fuit mentio apud antiquos; significare autem centum libras auri, ex *Salmasio in Comment. ad Hist. August. Script. pag.* 408. ipse observat.

centenarius. *Manutius.*

centonaria.

centonario. *Diaconus.*

CNT. VI. centenaria Sex. *Diaconus. Manutius.*

C. O. civis optimus. *Manutius.*

civitas omnis. *Probus*, & cum eo ceteri.

clarissimus ordo. *Manutius.*

conjugi optimæ. conjugi optimo. In affectibus conjugum.

curia omnis. *Gratiosus.*

CO. condemnati. condemnatus. *Manutius.*

conjugi. *Probus. Ms: Zabarella. Sarainas. Lazius.*

conjugii. *Appianus.*

conjungi. *Probus. Manutius.*

conjux. *Scaliger.*

ↃO. controversia. *Probus*, cum cæteris.

contra. *Scaliger.*

COACT. ABD. coactus Abdicavit. Sæpe in Fastis occurrit, cum quis consulatum, censuram, dictaturamve adeptus, ea cedere cogebatur.

COACT. A. CONL. ABD. I. E. L. F. E. coactus A Collega Abdicavit Io Ejus Locum Factus est. Apponebantur in Fastis nominibus illorum, qui, collega cogente, consulatum, vel censuram abdicabant.

COACT. A DICT. ABDIC. coactus A Dictatore Abdicavit. Qui Dictatoris imperio magistratu abibat.

CO. BN. M. FEC. conjugi Bene Merenti Fecit. In conjugatorum sepulcralibus lapidibus.

COD. cudendo. *Manutius.* Ut sit pro cvd: si recte.

COELI. cœlius. *Manutius.* Cœlius & Montis & Gentis nomen Romæ fuit. *Cœlius mons dictus est a Cœle quodam ex Etruria, qui Romulo auxilium adversus Sabinos prabuit, eo quod in eo domicilium habuit.* Ita *Varro de Ling. Lat. lib.* 4. & Festus cum eo. Mons iste *Taciti* observatione *Annal. lib.* 4. *Querquetulanus* dicebatur; *Haud fuerit absurdum tradere montem*, Cœlium, *antiquitus Querquetulanum cognomento fuisse, quod talis silva frequens fœcundusque erat: mox Cœlium appellatum a Cœle Vibenna.* Verum postremis temporibus prout & nunc communiter, Lateranus dictus fuit & dicitur, ob præclarissimas Lateranorum ædes, quæ ibi exurgebant, & de quibus *lib.* 4. *Sat.* 10. Juvenalis.

> ——— *jussuque Neronis*
> *Longinum, & magnos Senecæ prædivitis hortos*
> *Clausit, & egregias Lateranorum obsidet ædes*
> *Tota Cohors.*

Cœlia vero gens inter patricias minorum gentium cognoscitur a *Panvinio de Antiq. Nomin.* quam e Tuscis migrasse prodit, atque ideo ejusdem auctorem fuisse facile est credere Cœlem Vibennam, cum ipsi Querquetulanum montem dessignasset Romulus habitandum simul cum suis, qui *post Cœlis obitum, quod nimis munita loca tenerent, neque sine suspicione essent, deducti dicuntur in planum. Ab eis dictus vicus Tuscus; & ideo ibi Vertumnum stare; quod is Deus Etruriæ. Principes de Cœlianis, qui a suspicione liberi erant, traductos volunt in eum locum, qui vocatur Cœliolus.* ita *Varro lib.* 4. *de Ling. Lat.* qui etiam satis superque comprobare videtur, Cœlium Vibennam Romæ sedem fixisse, gentique Cœliæ originem dedisse. cur autem hanc gentem plebejam *Panvinius* dicat *de Famil. Roman.* ignorare prorsus me fateor, nisi ea aliquando in patriciam & plebejam divisa fuisset.

COEPT. cœperunt. *Manutius.*

COER. coeravit, *vel est*, curavit. *Manutius. Gualtherius.*

coeravere. scilicet curavere. non raro in saxis antiquis.

COH. coheredes. *Gratiosus.*

coheres. coheres non tantum ille dicitur qui cum alio institutus est heres, sed etiam fidei commissarius; ut satis patet ex *lege* 36. §. *final.* juncta *l.* 91. §. *eodem final. ff. de Legat.* 3.

cohors. Ubique in monumentis militum.

COH. cohors. *Probus. Manutius.* In militaribus.

COHH. PRAETORIA. VIC. cohortes Prætorianæ Victrices. *Tristanus* in Gallieni Nummis.

COH. I. AEL. DAC. cohors Prima Ælia Dacica. Quam a L. Helio Antonino denominatam credunt. Hanc Irelsaurni habuisse stativa docet monumentum *Wills Cordanum* juxta Vallum Severi situm, atque a *Grutero* exhibitum *pag.* 1007. 5. tale:

I. O. M
COH. I. AEL. DAC
C. C. C. A. GETA
IRELSAVRNENSES
. . . .

COH. I. AFR. C. R. EQ. cohors Prima Africanorum Civium Romanorum Equitum. Ergo cohortium milites tam pedites, quam equites. Cæterum de cohortibus Africanis *Tacitus Hist. lib.* 2.

COH. I. ALPIN. cohors Prima Alpinorum. Scilicet, quæ ex Alpinis incolis erat scripta.

COH. I. AQVITANOR. EQVIT. cohors Prima Aquitanorum Equitum.

COH. I. BRIT. cohors Prima Britannorum. De Britanicis cohortibus *Tacitus Hist. lib.* 1. 2. *&* 4. fusissime. Cohortes vero ut plurimum assumpsisse nomina, vel ab urbe, vel a regione ea cujus erant, lapides satis probant.

COH. I. CELTIBER. cohors Prima Celtiberorum.

rorum. Hanc Juliobrigæ aliquando degisse facile est credere, siquidem *Tribunus Cohortis Celtibera, ex Celtiberis conflata, stativa habebat Brigantia; nunc Juliobriga*, ut scribit *Guidus Pancirollus In Not. Imp. Occid. cap.* 90.

COH. I. CR. cohors Prima Cretica, *seu* Cretensium.

COH. I. DAC. VIGIL. cohors Prima Dacica Vigilum.

COH. I. DELM. cohors Prima Delmaticorum.

COH. I. FL. cohors Prima Flavia. *Pancirollus in not. Imp. Orient. cap.* 144. ea expendens, quæ sub dispositione Viri spectabilis Ducis Palæstinæ erant ressignata, hæc protulit: *Cohors prima Flavia habitabat Moleaha; locus est Palæstina. Vetustus codex legit, Moleatbia. Flavia cohors a Flavio Constantino dicta.*

COH. I. FL. BRIT. cohors Prima Flavia Britannorum.

COH. I. GAL. cohors Prima Gallica, *vel* Gallorum. *Tacitus Hist. lib.* 1. de cohortibus Gallicis mentionem habet. Tribunusque Cohortis Primæ Gallicæ Veliæ degebat. Velia vero oppidum Tarraconensis Provinciæ, quod & Velia & Julia dictum, *Belia* nunc, ex *Pancirollo* discitur *in Not. Imp. Occid. cap.* 90.

COH. I. LVSIT. cohors Prima Lusitanorum. Hujus meminit *Tacitus Hist lib.* 1. *Hac Theraco excubabat, interpretatur locus ferarum. In jure legitur Terico, unde Valentinianus ad Senecam defensorem patria sua scribit lib.* 1. *C. de Defensorib.* ita *Pancirollus in Not. Imp. Orient. cap.* 143.

COH. I. MIL. cohors Prima Milliaria. *Milliaria Cohors* teste *Alex. ab Alex. Gen. Dier. lib.* 1. *cap.* 5. *mille quingentos pedites, equites vero centum triginta habebat* apud Romanos.

COH. I. NOR. cohors Prima Noricorum. Hanc in Pannoniis excubasse indicat saxum magnum datum a *Grutero pag.* 490. 2. quod lubens exhibeo, quia stationum militum dessignat modum:

L. VOLCATIO. Q. F
VEL. PRIMO
PRAEF. COH. I. NORICOR
IN. PANN. PRAEF. RIPAE
DANVVI. ET. CIVITATIVM
DVARVM. BOIOR. ET. AZALIOR
TRIB. MILIT. LEG. V.
MACEDONICAE. IN
MOESIA. PRAEFI ALAE. I
PANNONIOR. IN. AFRICA
II. VIRO. QVINQ
FLAMINI. DIVOR
OMNIVM. P. C
ET. TESTAMENTO. EIVS
POSITA
M. ACCIO. SENECA
... MANLIO. PLANTA
II. VIR. QVINQ

COH. I. PANN. cohors Prima Pannoniorum. De hac *Tacitus Hist. lib.* 2. quam stativa habuisse Thou loco *prope Heliopolitas, inter Pelusium & Memphim* observavit *Pancirollus in Not. Imp. Orient. cap.* 140.

COH. I. PR. cohors Prima Prætoria.

COH. I. PR. INGENVOR. cohors Prima Prætoria Ingenuorum. Ingenui forte, quod ex numero essent illorum, de quibus *Budæus* Adnotationibus in Pandectas ad *l.* 1. *ff. de Just. & Jure* hæc observavit: *Ingenui ab origine gentis, & quorum majores servitutem nullam prorsus servierant, videlicet ab adscriptitiis & conditione quadam obnoxiis distincti.*

COH. I. PR. P. V. cohors Prima Prætoria Pia Victrix.

COH. I. THRAC. cohors Prima Thracum. Quæ *Pancirollo*, monente, *in Not. Imp. Orient. cap.* 145. *habitabat Asabia, quod erat oppidum Arabia.*

COH. I. VIGIL. cohors Prima Vigilum. Augustus, Suetonii fide, *adversus incendia; excubias nocturnas vigilesque commentus est; nam is cum crebra incendia in magna illa & frequenti urbe videret, remedium quæsivit firmum & perpetuum, militemque ex libertinis collegit, & in septem cohortes digessit.* Hoc factum, observat Auctor Romæ illustratæ, anno v. c. DCCLIX. subdens, quod licet præcipuus hic finis fuerit, etiam urbis tutelæ cohortes Vigilium ordinatas extitisse non esse ambigendum. Minus tamen lecta hæc militum manus fuit, & ministerii potius quam militiæ causa ordinata, tamen ut promptiores ad Ducum jussa vigiles essent, digesti in cohortes fuere & centuriones, tribunosque suos acceperunt. Propterea ob ea quæ observata sunt, alii milites, vigiles per contemptum Sparteolos vocabant, ut notat *Casaubonus* ad præcitatum *Suetonii* locum, vel a *funibus*, *quorum multus usus in restinguendis incendiis; vel a Sparteis tunicis quibus erant amicti, vel etiam a genere calceamentorum: nam hujusmodi hominum solea e Sparteis funibus contexebantur interdum.*

COH. I. VRB. cohors Prima Urbana. Urbanas cohortes easdem cum prætoriis prodit *Herodianus* in Septimio Severo, qui cum de nece Imp. Pertinacis, a Prætorianis patrata, vindictam cogitaret, datis clam litteris centurionibus *hortabatur multa pollicens, ut persuadeant militibus urbanis, ut sibi dicto audientes essent;* qui quidem auctor *aulicas excubias*, hosce milites nuncupavit.

COH. II. cohors Secunda.

COH. II. BRACARAVGVSTAN. cohors Secunda Bracaraugustanorum.

COH. II. LING. cohors Secunda Lingonum. Quia ex Lingonibus Populis conscripta. Hi vero Galliæ Celticæ incolæ erant, nunc in Ducatu Burgundiæ *Langres* dicti, de quibus *Lucanus lib.* 1. *de Bello Pharsalico*:

Deseruere cavo tentoria fixa Lemanno,
Castraque, qua Vogesi curvam super ardua rupem
Pugnaces pictis cohibebant Lingonas armis.

Ex istis gentibus tum peditum, tum equitum cohortes fuisse conscriptas satis superque probat sequens nota in monumento apud *Gruterum pag.* 417. 6.

COH. II. LING. EQ. cohors Secunda Lingonum Equitum.

COH. II. PANNONIOR. cohors Secunda Pannoniorum. Hanc inter Padum & Alpes stativa habuisse observavi, meo de *Monument. Patavin. lib.* 1. *Sect. IX.*

COH. II. PR. cohors Secunda Prætoria.

COH. II. VIG. cohors Secunda Vigilum.

COH. III. ASTVR. EQ. C. R. cohors Tertia Asturianorum Equitum Civium Romanorum.

COH. III. AVG. THRAC. EQVIT. cohors Tertia Augusta Thracum Equitum.

COH. III. BRACARAVG. cohors Tertia Bracaraugustanorum.

COH. III. BREVC. cohors Tertia Breucorum. Breuci populi *Ptolemæo Geograph. part.* 2. & *Plinio Hist. Nat. lib.* 4. *cap.* 35. teftibus, inferioris Pannoniæ

noniæ incolæ fuere, juxta Saum flumen habitantes.

COH. III. BRIT. cohors Tertia Brittonum. Non autem Britannicorum (dummodo inter Brittones & Britannicos nullum sit discrimen) monet *Pancirollus* legendum *in Not. Imp. Occid. cap.* 84. ubi notat, quod *Tribunus Cohortis Tertiæ Brittorum Abusina degebat*, subditque, *pro Brittorum lege Brittonum, qui sunt populi Galliæ aut insulæ Britanniæ seu Angliæ.*

COH. III. ET VI. PRR. cohortes Tertia Et Sexta Prætoriæ.

COH. III. P. P. V. cohors Tertia Prætoria Pia Victrix. Si recte accipio notas istas in saxo *pag.* 1101. 5.

COH. III. PR. cohors Tertia Prætoria.

COH. III. PR. M I. F. cohors Tertia Prætoria Martia Julia Felix. Dummodo recta mea sit conjectura; verum si a recta deflecterem sententia, ut quilibet meliorem amplectatur, saxum exhibeo cum notis exscriptum e *pag.* 531. 9.

D M

M. AVR. M. F. SECVNDINO. VET. AVG.
N. EX. COH. III. PR. M. I. F. PETIT. EX
PANNONIO. AELIA. VALENTINA
SOROR. ET. AVR. SECVNDVS. FILIVS
HIREDES. BENEMERENTI. FECERVNT

Ubi observo quod pro *Ælia Aurelia* certe stare debet, eo quia soror erat Marci Aurelii Secundini, cujus est monumentum: fœminas namque omnes nomine gentilitio antiquitus vocatas non est qui ambigat.

COH. III. PR. VLP. cohors Tertia Prætoria Ulpia. Nescio an hæc cohors eadem sit cum ea quæ a *Pancirollo in Not. Imp. Orient. cap.* 150. recensetur, quam nominat *Tertiam Ulpiam Millsariam Prætoriam*: nam si eadem sub dispositione Viri Spectabilis Ducis Armeniæ, ejus stativa Metitæ habebat.

COH. III. SAGITTARIOR. cohors Tertia Sagittariorum. Ejusdem nominis diversas fuisse cohortes ex eo elicio, quod Primæ Sagittariorum *Nathu* locatæ meminit *Notitia Imp. Orient. cap.* 140. sub dispositione viri spectabilis Comitis Rei Militaris per Ægyptum, eratque Nathu, *Pancirollo* teste, Ægypti Urbs. Alteram vero, ex Sagittariorum cohortibus, Sirmii degisse quandoque *Ammianus Marcellinus* indicat *Hist. lib.* 21. qui Julianum Imp. contra Constantium pugnantem describens, narrat, quod *ille duas legiones Constantiacas, addita una Sagittariorum cohorte, quas invenerat apud Sirmium, ut suspecta adhuc fidei, per speciem necessitatum urgentium, misit in Gallias.*

COH. III. VIG. cohors Tertia Vigilum.

COH. IIII. AVG. cohors Quarta Augustanorum. Numquid illa conflata ex militibus Neronis, Augustanis dictis? Qui milites ex triumpho illius, quem de cantu in Græcia Romæ splendidissime egit, se profitebantur, ut fuse apud *Suetonium in Nerone cap.* 25.

COH. IIII. AQ. EQ. cohors Quarta Aquitanorum Equitum.

COH. IIII. BRE. cohors Quarta Breucorum.

COH. IIII. GALLOR. cohors Quarta Gallorum.

COH. IIII. PR. cohors Quarta Prætoria.

COH. IIII. TARRAC. cohors Quarta Tarraconensium.

COH. IIII. TARRAC. EQ. cohors Quarta Tarraconensium Equitum.

COH. IIII. VIG. cohors Quarta Vigilum.

COH. V. PR. cohors Quinta Prætoria.

COH. V. VIC. cohors Quinta Victrix.

COH. V. VIG. cohors Quinta Vigilum.

COH. V. VIG. VRB. cohors Quinta Vigilum Urbanorum.

COH. VI. BRITTON. cohors Sexta Brittonum.

COH. VI. PR. cohors Sexta Prætoria.

COH. VI. VIG. cohors Sexta Vigilum.

COH. VII. BREV. cohors Septima Breucorum.

COH. VII. GALL. cohors Septima Gallorum.

COH. VII. LVSITAN. cohors Septima Lusitanorum.

COH. VII. PR. cohors Septima Prætoria.

COH. VII. PR. P. V. cohors Septima Prætoria Pia Victrix. Ut etiam cohortes Legionum epitethis quandoque vel donatæ, vel usurpatæ fuerint.

COH. VII. VIGIL. cohors Septima Vigilum. Hæc cohortium vigilum ultima; nam septem tantummodo instituisse Augustum dictum est supra, cum de Cohorte prima Vigilum.

COH. VII. VIGIL. ROM. cohors Septima Vigilum Romæ.

COH. VIII. PR. cohors Octava Prætoria.

COH. VIII. VRB. cohors Octava Urbana.

COH. VIIII. PR. cohors Nona Prætoria. Pia Victrix.

COH. VIIII. VRB. cohors Nona Urbana.

COH. VIIII. VRB. SPECVLATOR. cohors Nona Urbana Speculatorum.

COH. X. EQ. cohors Decima Equitum.

COH. X. PR. cohors Decima Prætoria.

COH. X. PR. P. V. cohors Decima Prætoria Pia Victrix.

COH. X. PR. V. ANT. cohors Decima Prætoria Valens Antonina. Dummodo in saxo, ante V. non fuerit I. scilicet IV. hoc est, *Juniorum*, seu *Juvenum*, ita ut legenda sit nota, cum *Scaligero in Indicibus Gruter. cap.* 20. *Cohors Decima Prætoria Juvenum Antonianorum.* Forte ita dicta in Antonini Helagabali adulationem, cujus saxum ejusdem cohortis meminit, ut fuerit, quam instituit nequissimus ille Imperator ex luxuriosissimis illis juvenibus, quos, teste Lampridio in ejus vita, ad spurcissima quæque patranda comparaverat.

COH. X. VRB. cohors Decima Urbana.

COH. XI. PR. cohors Undecima Prætoria.

COH. XI. VRB. cohors Undecima Urbana.

COH. XII. PR. cohors Duodecima Prætoria.

COH. XII. VRB. cohors Duodecima Urbana.

COH. XIII. VRB. cohors Tertiadecima Urbana.

COH. XIV. VRB. cohors Decimaquarta Urbana.

COH. XV. VOL. cohors Decimaquinta Voluntariorum.

COH. XV. VOLVNT. C. R. cohors Decimaquinta Voluntariorum Civium Romanorum. Qui sponte ad militiam nomen dabant, Voluntarii erant dicti. *Livius Hist. lib.* 3. *Cum ad ea bella delectum edixissent* (consules scilicet) *favore plebis, non juniores modo; sed emeritis etiam stipendiis, pars magna Voluntariorum ad nomina danda præsto fuere.* Et *lib.* 29. De Scipione, in Africam profecturo, loquens mox scripsit, quod *postquam in Siciliam venit, Voluntarios milites ordinavit.* Verum Antoninus Philosophus, non qui sponte nomen dabant, sed servos, militiæ destinatos, Voluntarios appellavit. Capitolinus in ejus vita: *Servos, quemadmodum bello Punico factum fuerat, ad militiam paravit, quos Voluntarios, exemplo Volonum appellavit.*

COH. XVI. VRB. cohors Decima Sexta Urbana.

COH. XVII. cohors Decimaseptima. Quam Otho Romæ

Romæ imperans, ex Colonia Hostiensi, cum in urbem acciri jussisset, magnum illum Romæ tumultum excitavit, de quo *Tacitus Hist. lib.* 1.

COH. XXIIII. VOL. cohors Vigesima Quarta Voluntariorum.

COH. XXXII. VOLVNT. cohors Trigesima Secunda Voluntariorum.

COH. MIL. ITALIC. VOLVNT. cohors Miliaria Italica Voluotariorum. cujus stationes in Syria fuisse, facile est intelligere ex Saxo a *Grutero* collecto *pag.* 434. 2.

L. MAESIO. L. F. POL
RVFO PROC. AVG
TRIB. MIL. LEG. XV.
APOLLINARIS. TRIB.
COH. MIL. ITALIC. VOLVNT
QVAE EST IN SYRIA PRAEF
FABRVM BIS

COH. PRIM. DAMASC. cohors Prima Damascenorum.

COH. SECVND. ASTVR. cohors Secunda Asturianorum. Quam per Germaniam dispositam indicat Monumentum *pag.* 481. 1.

M. VALERIO. M. F
GAL. PROPINQVO
GRATTIO CEREALI
EDITANO FLAM
F. H. C
CVI HONORES CIVITATIS
SVAE. RESP. ACC...i..
LVSIT. ADLECTO. IN
EQVITE. AT. IMP. PRAEF
FABR. II. PRAEF. COHOR
SECVND. ASTVR. IN
GERM. TRIB. LEG. V. MAC
IN. MOESIA. PRAEF. ALAE
PHRYGVM. ITEM. PRAEF
ALAE. III. TRACVM IN SYR
P. H. C

COHOR. PRAEF. PHIL. cohors Prætoria Philippensis, *vel* Philippensium. Cui forte hoc cognomen contigit, ob aliquod insigne patratum facinus, bello illo Philippensi, in quo Cæsaris percussores periere; nisi ex militibus Philipporum, Urbis Macedoniæ, fuerit conscripta. Extant hæ notæ in Augusti nummo. *Occo fol.* 41.

COI. conjugi. *Thomas Reinesius.* In Epistolis.

COI. K. coojugi Carissimæ. conjugi Carissimo. In sepulcralibus conjugatorum.

COI. coiravit, *pro* curavit. Nam *oi*, & *oe* idem ac *u* sonant, *Georgis Gualterus* animadversione *ad caput* 4. *Tabularum Antiquar. Siciliæ.*

COIV. B.M. conjugi Benemerenti. In sepulcralibus.

COIVCI. conjugi. Ita *Saxum Romæ Subterraneæ Tom.* 2. *lib* 4. *cap.* 37.

COIVG. OPT. B. M. coojugi Optimæ Bene Merenti. conjugi Optimo Bene Merenti. Io sepulcralibus.

COIVX. conjux.

COL. collega. *Probus. Ms. Zabarella. Sarainas. Appianus. Lazius.*

collegæ. collegium. *Sarainas.*

collina. *Scaliger.* Collina Tribus fuit Romæ, a Collibus, Quirinali & Viminali denominata *Varronis fide de L. L. lib.* 4. atque in ordine urbanarum, tertia.

coloni. *Ms: Zabarella. Sarainas. Appianus. Lazius.*

colonia. *Probus. Sarainas. Appianus. Lazius.* ubi coloniarum mentio occurrit.

coloniæ. *Probus. Ms: Zabarella. Appianus. Lazius.*

columna. *Manutius.*

columen. *Probus. Manutius.*

COL. AA. PATR. colonia Augusta Patrensis. *Erizzus. Vicus. Occo.* Hanc coloniam deduxisse Augustum, nummi antiqui satis indicant, io quibus ipse conspicitur, coloniam deducens, hisce cum notis. Fuit autem *Plinio* teste *Hist. lib.* 4. *cap.* 4. *& 5. Patra, Colonia in longissimo promontorio Peloponnensi condita*, quæ ounc etiam *Patrasso* vulgo nominatur. Cæterum nummus Claudii Imp. etiam nunc invenitur cum hisce notis, & tribus signis militaribus, adjecto numero XXII.

COL. AEL. AVG. MERC. THAENIT. colonia Ælia Augusta Mercurialis Thænitis. De qua supra hac eadem littera, notis C. A. A. M.

COL. AEL. CAP. COMM. colonia Ælia Capua Commodiana. Capua sic dicta, non quod eam Commodus Coloniam deduxerit; cum eam Cæsarem deduxisse satis superque *Suetonius* demonstret io Julio Cæsare *cap.* 81. Sed qood illi in animo fuerit omnia a se denominari; siquidem, teste *Lampridio* in ejus vita, ipse *fuit ea dementia, ut urbem Romam Coloniam Commodianam vocari voluerit.* atque mox: *Et eo quidem tempore, quo ad Senatum retulit, de Commodiana facienda Roma, non solum Senatus hoc libenter accepit per irrisionem, quantum intelligitur; sed etiam se ipsum Commodianum vocavit.* Tantum Commodo imperante, timor & adulatio potuere. Nummus cæterum reperitur Diadumeniani, io quo, iotra hanc eandem inscriptionem, Templum cum tribus statuis visitur.

COL. AEL. HADR. AVG. colonia Ælia Hadriana Augusta. *Occo.* Forte, de qua ita *Dio Hist. lib.* 69. in Adriano: *Quum autem in urbem Hierosolymam, quæ eversa fuerat, quamque Æliam Capitolinam appellavit, Coloniam deduxisset, ac quo in loco templum Dei fuerat, alterum Jovi ædificari curavisset, magnum bellum & diuturnum moveri cœpit, Judæis graviter ferentibus, quod exteræ nationes in suam urbem habitatum venissent, quodque in ea fieri externa sacra viderentur.*

COL. ALEX. AVG. Colonia Alexandria Augusta.

COL. ALEX. TROAS. Colonia Alexandria Troas. *Tristanus. Troas, Antigonia dicta, nunc Alexandria, Colonia Romanorum, Plinio* teste *Hist. Nat. lib.* 5. *cap.* 30. Italici juris fuit, ot notat *Paulus lib.* 10. *de Censib.* prout ubi io *l.* 8. *ff. de Censibus*, ex quo etiam apparet eam deduxisse Severum, una cum filiis. Cur autem Alexandria, Troas & Antigonia dicta, ex *Strabone* discere est *Geograph. lib.* 13. qui pariter Romanorum coloniam ipsam vocat. In Helagabali nummis, aliquis extat cum hac inscriptione in ambitu, prout etiam in Treboniani Galli nummis occurrit.

COL. ANTI. Colonia Aotiatum. Colonia Antium. Hæc antiquissima Romanorum Colonia fuit, utpote quæ anno Urbis Conditæ CCXXCVI. a T. Quinctio, A. Virginio, & P. Furio Triumviris deducta fuerit, *T. Livio Hist. lib.* 3. Cum vero ad Æquos progressu temporis transisset, anno V. C. CDXVI. ait idem *Livius Hist. lib.* 8. *Antium nova colonia missa, cum eo ut Antiatibus permitteretur, si & ipsi adscribi Colonis vellent. Naves inde longæ abactæ, interdictumque mare Antiati populo est, & civitas data.* Hæc omnium prima ex Latina in civium Romanorum coloniam evasit; ita observante *Gulielmo Godlevao*, Adnotationibus *ad lib.* 3. *T. Livii.* Tandem *Suetonio* monitu, *Nero Imperator Antium coloniam deduxit, per domicilii translationem ditissimis primipilarium, ubi & portum operis sumptuosissimi*

ſiſſimi fecit; quod factum refert *Tacitus Annal.* 15. anno v. c. DCCCIIII. Nunc vero, ubi Antium, Neptunium ſtatuit Ferrarius *Lexico Geographico*.

COL. ANTIOCH. Colonia Antiochia. Colonia Antiochena. *Angelonus*. Urbes multæ Antiochiæ nomine fuere donatæ, ut Geographi notant, ac præcipue *Strabo*. Verum, quæ Colonia Romanorum fuit, ad Orontem ſita, quandoque Syriæ caput extitit. Unde *Divus Antoninus*, Caracalla nempe, Antiochenſes colonos fecit. Ita *l.* 8. *ff. de Cenſ.* Ideo & ab eo hæc colonia deducta.

COL. APO. Colonia Apollonia. *Occo*. Hæc illa eſt urbs, quæ nunc *Valona* vulgo dicitur, haud procul Dyrrachio ſita, quam urbem legibus optimis temperatam *Strabo* aſſerit *Geograph. lib.* 7. ubi eam Corinthios & Corcyræos condidiſſe monet; ob id *Plinius Hiſt. lib.* 8. *cap.* 24. Corinthiorum Coloniam, Apolloniam nominat. An vero Romanorum fuerit, necne, apud me non conſtat, niſi quod *Panvinius*, Coloniarum Populi Romani extra Italiam deſcriptione, inter Macedoniæ provinciæ Colonias recenſet, quæ tamen inſignis fuit, cum in ea dederit operam ſtudiis Octavianus Auguſtus, ut ex *Suetonio* intelligere eſt.

COL. AREL. Colonia Arelate.

Colonia Arelatenſis. *Gabriel Simeonius in Illuſtrationibus Epitaphiorum, & Numiſmatum Antiquorum.* Arelate, uti *Straboni* & *Plinio* placet; Arelatum, uti *Ptolemæo*, urbs eſt Galliæ Narbonenſis, vulgo *Arles*. Hanc idem *Plinius Hiſt. lib.* 3. *cap.* 4. Coloniam Sextanorum appellat, hoc eſt, ſextæ legionis militum.

COL. AR. FLA. Colonia Ara Flavia. *Ptolemæo* teſte *Geograph. part.* 2. *lib.* 2. urbs Germaniæ eſt, ad Danubium ſita, vulgo nunc *Nordlingen*, ut *Carolo Stephano*, & *Ferrario in Lexicis Geographicis* videtur; a quibus tamen diſſentit *Philippus Cluverius*, qui *German. Antiq. lib.* 3. *cap.* 4. Aram Flaviam, nunc oppidum *Aurach* eſſe credidit.

COL. AS. Colonia Aſta. Aſta Colonia duplex, Hiſpanica una, quam in Turdetanis ſitam *Plinius Hiſt. Nat. lib.* 3. *cap.* 1. Regiam dicit; Italica altera, in Liguria, quam *Ptolemæus Geograph. lib.* 3. *cap.* 1. Aſtam Coloniam denominat, nunc *Aſti*. De quarum tamen deductione nulla extat mentio; immo *Paulus Merula Coſmograph. part.* 2. *lib.* 4. *cap.* 19. Italicam Aſtam, inter eas Colonias recenſet, quæ incerto plane tempore fuerunt deductæ; prout etiam ſcribit *Panvinius* de Aſta Hiſpanica, in Deſcriptione Imperii Romani, ubi de Coloniis extra Italiam.

COL. AVG. BER. Colonia Auguſta Berytus. In Trajani Nummis, ubi Deductor Coloniæ conſpicitur, agitans boves junctos. De hac Colonia paulo inferius.

COL. AVG. F. CERMENO. Colonia Auguſta Felix Cermeno. Ita in Commentariis Hiſtoricis Imperatorum Romanorum, Gallice ſcriptis, *Tomo primo* legit *Triſtanus de Sancto Amantio*, ad Commodi Imperatoris nummum, in cujus parte averſa, cum præmiſſis notis, Lupa obſervatur, cum Romulo & Remo, ad quem libens lectorem remitto, cum præcipue longam ſatis diſſertationem de hac colonia habeat, cujus nulla apud Geographos mentio.

COL. AVG. FEL. BER. Colonia Auguſta Felix Berytus. *Occo. Triſtanus.* Obſervantur hæ notæ in averſa parte nummi Trajani Imp. ubi duo boves juncti conſpiciuntur. Berytus Phœniciæ urbs clara, & Emporium celebre, nune *Baruti*. *l.* 1. *&* 8. *ff. de Cenſ.* inter eas reponitur colonias, quæ Juris Italici erant, una cum ſolo. Hanc *Hiſt. Nat. lib.* 5. *cap.* 20. Juliam Felicem appellari ſcribit *Plinius*. Eamque deduxiſſe Agrippam innuere videtur *Strabo*, cum *Geograph. lib.* 16. dixerit: *Poſt hanc eſt Adonis fluvius, & mons Climax, & Byblus: poſtea Lycus fluvius, & Berytus, a Tryphone diruta, nunc vero a Romanis inſtaurata, duabus legionibus ibi ab Agrippa collocatis.* quod ſi ab eo factum, id eveniſſe oportet, cum Ægyptum in provinciam redegit.

COL. AVG. LAVR. Colonia Auguſta Lauro Lavinium. Ita lego in Monumento *pag.* 484. 3. ſuadente *Frontino* de Coloniis, ubi de hac colonia ita effatus eſt: *Lauro Lavinium, lege & conſecratione veteri. Nam ager ejus ab Imperatoribus, Veſpaſiano, Trajano, & Hadriano in lacinias eſt aſſignatus. Iter populo non debetur.* Sed hanc coloniam in earum numero, quarum plane deductio incerta eſt, reponit *P. Merula Coſmograph. part.* 2. *lib.* 4. *cap.* 19.

COL. AVG. NEM Colonia Auguſta Nemauſum. De qua dictum littera A nota AED. COL. AVG. NEM. Ceterum notæ iſtæ adverſam partem nummi M. Agrippæ occupant, cujus in medio Palma cum Crocodilo catena ferrea religato conſpicitur. Is fuit cuſus, ut *Occoni* in Agrippa videtur, a *Colonia Nemauſenſi, in honorem Auguſti, poſt devictum Antonium & Cleopatram, Ægyptumque inde captam, atque in provinciæ formam redactam; quod indicare opinantur*, ſubdit idem, *Crocodilus Ægypti peculiare animal, ad palmam, quæ victoriam ſignificat, & ferrea adeo catena religatum.*

COL. AVG. PANHOR. Colonia Auguſta Panhormus. *Gualtherius*, quem lector conſulere poterit, Animadverſionibus ad Antiquas Siciliæ Tabulas, cum de illa præclara urbe fuſe ibi pertractet.

COL. AVG. P. MET. SID. Colonia Auguſta Pia Metropolis Sidonis. Phœniciæ olim maritima urbs inſignis, nunc non niſi memoria celebris. Hanc deduxiſſe Coloniam Antoninum Caracallam *Ulpianus* ſcribit *ff. de Cenſibus*.

COL. AVG. TROAS. Colonia Auguſta Troas. *Santamantius.*

COL. AVG. TRO. ALEX. Colonia Auguſta Troas Alexandria. *Erizzius*, in æreo Elagabali nummo, in cujus adverſa parte, inter haſce notas, ſtat Lupa cum Romulo & Remo.

COL. AVXIM. Colonia Auximatium. Colonia Auximum, Piceni urbs, adhucdum clara, vulgo *Oſimo*. Coloniam Romanorum in ordine ſeptuageſimam quartam recenſent, *Panvinius in Deſcript. Imp. Roman.* & *Gulielmus Godelevans Animadver. in librum* 4. *Hiſt. T. Livii. Auximum in Picenum, Velleji Paterculi* ſententia *Hiſt. lib.* 1. *ante triennium quam Caſſius Cenſor a Lupercali in Palatium verſus, theatrum facere inſtituit, deductum Colonia fuit.* Hoc referunt *Panvinius* & *Godelevans* locis citatis, ad annum v. c. DXCVII. Sex. Julio Cæſare, & L. Aurelio Oreſte conſulibus. *Auximatis ager limitibus Gracchanis per centurias eſt aſſignatus*, notante Frontino de Coloniis.

COL. BER. Colonia Berytus. *Santamantius.* de qua ſatis ſupra. Auguſti, cum notis iſtis, nummus eſt, in quo duo boves juncti, & figura retro ſtans. In Hadriano eadem inſcriptio, & duo ſigna militaria intra coronam.

COL. BER. SEC. Colonia Berytus Secundanorum. Hoc eſt, in quam ſecundæ legionis milites deducti.

COL. CAES. ANTIOCH. colonia Cæſaris Antiochia. *Occo* in nummis Elagabali, & Alexandri, in quibus Lupa cum Romulo & Remo.

COL. CAES. AVG. Colonia Cæſarea Auguſta. Quæ nunc *Saragoza*. de qua dictum, hac littera, nota C. C. A.

COL. CASIL. colonia Casilinum. Casilinum, *Festo* auctore, praefectura prius fuit, ut in verbo *Praefectura* legitur, successu vero temporis in coloniam deducta est a C. Julio Caesare, ut ex *Cicerone* Philippica secunda, hisce verbis constat: *Deduxisti Coloniam Casilinum, quo Caesar antea deduxerat.* atque mox: *Casilinum Coloniam deduxisti* (in Antonium loquitur) *quo erat paucis annis ante deducta, ut vexillum tolleres, & aratrum circumduceres.* Casilini memoria nunc in Campania pene exolevit, oppido ibi superstite, cui *Castellaccio* nomen vulgo, teste *in Lexico Geographico Ferrario.*

COL. COR. colonia Corinthus.

COL. DEA. AVG. VOC. colonia Dea Augusta Vocontium. Ut ex hoc intelligitur saxo apud *Grut. pag.* 323. 2.

D. M
CAECILIAE. D. F. APRVLLAE FLAM
DESIGNATAE. COL. DEA. AVG. VOC
ANNOS XIIII. MENS. II. DIES. V
MARITVS VXORI KARISSIMAE

Dea Vocontium Galliae Narbonensis est urbs, nunc *Die* vulgo dicta.

COL. DED. colonia Deducta.

colonis Dedit. *Manutius. Gallus.* In monumentis illis, quibus quispiam, colonis suae Coloniae, aliquid distribuendum voluerat.

COL. EBOR. colonia Eboracensis. Colonia Eboracum. Ita lego in Eboracensi saxo *pag.* 485. 1.

M. VEREC. DIOGENES. IIIIII. VIR. COL.
EBOR. IDEMQ. MORT. CIVES. BITVRIX
HAEC SIBI VIVVS FECIT

Eboracum, Britanniae nunc etiam urbs insignis, vulgo *York*, ex *Panvinio* in Descriptione Imperii Romani. *Colonia Eboracum Legio VI. Victrix* denotatur, quia sextae Legionis colonia; quod etiam ex *Ptolemaeo* palam fit *Geograph. lib.* 2. *cap.* 3.

COL. E. C. coloni Ejus Coloniae. *Manut.*

COL. EQ. colonia Equestris. Ita in monumento pagi Versoyae agri Genevensis *pag.* 478. 3. apud *Gruterum*:

D. VALERIO ASIATICI LIBERT
ISSI. IIIIII VIRO COL. EQ
EX. T

Equestris coloniae meminit *Plinius Hist. lib.* 4. *cap.* 16. verbis: *Helvetii Colonia equestris, & Rauraca.* Hanc *Philippus Cluverius* in *Geographica Tabula* suae Germaniae antiquae, ad Lemani Lacus ripas collocat, ubi notat: *Equestris colonia, quod postea Noviodunum.* Atque idem *lib.* 2. *cap.* 4. ubi de Helvetiis disserit, Equestrem coloniam inter Urbigenum pagum, ponit ad Lacum praedictum, quae ab Antonino in Itinerario, *Equestribus*; & a *Ptolemaeo Geograph. part.* 2. *cap.* 9. *Equestria* dicitur, nunc communiter, *Ferrario* auctore *in Lexico Geographico*, *Cologna*, Gallice *Cologne*, denominatur; dummodo tamen non decipiantur auctores isti omnes, ita ut Equestris Colonia ad Lacum Lemanum sita, non sit illa potius, quam antiqui dixere Lausanam equitum, hodie *Lausanna.*

COL. F. BOSTRA. ALEXANDR. colonia Felix Bostra Alexandrea. Colonia Felix Bostra Alexandriana. *Santamantius* ad Juliae Mammaeae aereum nummum, in cujus adversa parte stat muliebre caput turritum ante sidus, aversa cornucopiae. Bostra urbs, quae Bostra legio dicitur a *Ptolemaeo Geograph. part.* 2. *lib.* 5. *cap.* 17. Arabiae Petraeae Metropolis est, communiter *Bussereth*, de qua sic *Pancirollus in Notit. Imp. Orient. cap.* 145. *Praefectus legionis tertiae Cyrenaicae Bostra stativa habebat.* Dion *lib.* 55. *Tertia*, inquit, *legio tripartita est, Gallica in Phoenicia, Cyrenaica in Arabia, Augustalis in Numidia.* Atque mox: *Bostra Philippi Imp. patria, vulgo Bussereth dicitur, quam a se Philippopolim nominavit, ut Zonaras ait. Coloniam eo Alexander deduxisse videtur, ex nummo Julia Mammaea.* Ergo ob id Colonia Alexandrea, vel Alexandriana; quia ab Imp. Alexandro deducta.

COL. FEL. AVG. NOL. Colonia Felix Augusta Nola. Nolam Campaniae urbem adhuc insignem & claram, Coloniam deductam putat *Panvinius*, de Imperio Romano, anno v. c. DCXXXI. ex lege Drusi Tribuni Plebis, auctoribus *Plutarcho*, *Appiano*, ac praecipue *L. Floro Epitom.* 73. *ad T. Livium*, cujus haec sunt verba: *Nola Colonia in potestate Samnitum venit, cum L. Posthumio Praetore, qui ab eis interemptus est.* Ipsam deinde deductam, agrique ejus assignationem mutatam ex *Frontino* de Coloniis patet: *Nola muro ducta, colonia Augusta. Vespasianus Augustus deduxit. Iter populo debetur pedibus CXX. Ager ejus limitibus Sullanis fuerat assignatus, postea intercisivis mensuris, colonis & familiis est adjudicatus.*

COL. F. I. A. P. BARC. Colonia Faventia Julia Augusta Pia Barcinonis. *Augustinus.* Barcino, vel ex *Antonino in Itinerario*, Barcinone, & ex *Ptolemaeo Geograph. lib.* 2. *cap.* 6. Barcinon, Hispaniae Tarraconensis urbs, quae hodie etiam nunc magna celebritate floret; quinimo Catalauniae Regni caput habetur, vulgo *Barcelona.* Carthaginensium prius fuisse coloniam credit *Antonius Augustinus Hispan. Antiq. Dial.* 9. eamque ab Amilcaris cognomine, Barca, Barcinonem dictam. Coloniam Faventiam cognominatam scribit *Plinius Hist. Nat. lib.* 3. *cap.* 3. sed deductam incerto tempore a Romanis prodit, loco citato. Certum hoc tamen est, Barcinonenses immunes fuisse, ut habetur in *l.* 8. *ff. de Censibus.*

COL. FL. PAC. DEVLT. colonia Flavia Pacifica Deulton. *Santamantius.* Nummus est Maximi Caesaris, cum hac inscriptione, ubi Apollo nudus, sinistro cubito insistens lyrae tripodi applicitae, dextra ramum lauri supra aram tenet. *Deulton cum stagno, quod nunc Deultum vocant, Plinii auctoritate Hist. lib.* 4. *c.* 9. urbs est Thraciae mediterranea, quae ab *Antonino in Itiner.* Deseltum; ab *Ammiano Marcellino* Dibaltum fuit dicta, sicuti Diveltus a *Ptolemaeo Geograph. lib.* 3. *cap.* 12. Coloniam vero deductam ab Imp. Vespasiano, atque ob id Flaviam nuncupatam credit *Tristanus de Sancto Amantio Comment. Hist. Impp. Roman. Tomo* 2. *fol.* 455.

COL. FOR. IVL. colonia Forum Julii. Forum Julii, vulgo *Friuli*, Julii Caesaris colonia. eam credunt *Carolus Stephanus*, & *Ferrarius in Lexicis Geographicis*, quae communiter *Cividad del Friuli.* Est & Forum Julii in Narbonensi Gallia, quam urbem, coloniam Octavianorum denominant *Plinius Hist. Nat. lib.* 3. *cap.* 4. & *Pomponius Mela de Sit. Orb. lib.* 2. *cap.* 3. idiomate Gallico *Frejus* vocatam.

COL. HADR. IVVAV. colonia Hadriana Juvavia. *Stephanus Pighius in Hercule Prodicio.* Juvavia, ex *Philippo Ferrario in Lex. Geograph.* seu Juvavum, ut *Philippo Cluverio* placet *In Noric. & Vindel. cap.* 5. Salisburgum est, sic dictum a vicino flumine, cui Juvavii nomen fuit. Hanc Coloniam deductam auspiciis Hadriani Imp. credit *Pighius* opere citato, atque ideo Coloniam Hadrianam dictam.

COL.

COL. HEL.
COL. HELVET. } colonia Helvetiorum. *Marcus Velserus de Rebus Augustanis*, istam coloniam Aventicum urbem fuisse scribit, cujus nunc tantum modo apud Helvetios nomen & rudera supersunt, siquidem, *Philippi Cluverii* observatione *lib.* 2. *car.* 4. *German. Antiq.* parvus nunc est vicus, *Avanche* dictus, in cujus templi pariete lapis invenitur cum ejusdem coloniæ mentione:

COLONIA PIA FLAVIA CONSTANS. EMERITA AVENTICVM. HELVETIORVM. FOEDERATA,

Quam totam inscriptionem si quis optabit, *Gruterum* consulat *pag.* 427. 11. cum mihi satis sit indicare *Tacitum Hist. lib.* 1. de ista colonia agentem, Aventicum Helvetiorum caput nominasse.

COL. IVL. AVG. FEL. colonia Julia Augusta Felix. *Ericius* ad Gallieni æreum nummum, in quo figura stans ad columnam, supra quam victoria. hancque coloniam Capusm esse putat.

COL. IVL. AVG. FEL. BER. colonia Julia Augusta Felix Berytus. *Ericius.* Notas istas habet nummus Gordiani Tertii Imp. cum Baccho nudo, dextra cornucopiæ, sinistra thyrsum habente, ad pedes pantheram.

COL. IVL. AVG FEL. CAR. colonia Julia Augusta Felix Carthago. De qua hac littera, nota C. CA.

COL. IVL. AVG. F. HEL. colonia Julia Augusta Felix Heliopolis. *Sautamantius.* Heliopolis, hoc est, Solis Civitas, urbs Ægypti quondam clara, utpote quæ regioni nomen dedit. *Strabo Geograph. lib.* 17. hæc de eadem: *Est regio Heliopolitana, ubi Solis urbs est, aggeri magno imposita. Solis templum habet, & Mnevis bovem, qui in septo quodam nutritur, & ab Heliopolitanis pro Deo habetur, quemadmodum & Apis a Memphitis.* Præfecturam eam nominat *Plinius Hist. Nat. lib.* 5. *cap.* 9. quia Ægyptus tota in Præfecturas erat divisa, quarum prima Heliopolitana. Urbem hanc a Severo Imp. in Coloniam deductam ita docet Ulpianus *l.* 1 *ff. De Censib. Est & Heliopolitana, quæ a Divo Severo, pro belli civilis occasione. Italica colonia Rempublicam accepit.* Heliopolis a *Ptolemæo Geograph. lib.* 4. *cap.* 5. Nomos dicitur; est enim Nomos idem quod Regio, apud *Strabonem*, & Præfectura apud *Plinium.*

COL. IVL. AVG. F. TR. colonia Julia Augusta Felix Troas. In nummo Gallieni legitur, ubi figura stolata stans, cum Victoria, ipsi sertum imponens.

COL. IVL AVG. PARM. colonia Julia Augusta Parma. Sub Consulatu Q. Fabii Labeonis, & M. Claudii Marcelli, qui fuit anno v. c. DLXXI. notat *Panvinius de Imp. Roman.* ubi de coloniis, Parmam & Mutinam colonias deductas; ut atque *T. Livius Hist. lib.* 39. prodit: *Eodem anno, Mutina & Parma Coloniæ Romanorum civium sunt deductæ. Bina millia in agro, qui proxime Bojorum, ante Tuscorum fuerat, octona jugera Parmæ, quina Mutinæ acceperunt. deduxerunt Triumviri M. Æmilius Lepidus, T. Ebutius Carus, L. Quintius Crispinus.*

COL. IVL. AVG. PELLA. colonia Julia Augusta Pella. *Occo.* Pella Macedoniæ urbs clara, ut quæ ejusdem metropolis, Alexandrique Magni, ac Philippi patris natalibus insignis. De ea *Strabo Geograph. lib.* 16. *T. Livius Hist. lib.* 46. & *Plinius Hist. Nat. lib.* 4. *cap.* 10. Verum quando, & a quibus deducta, non ita constat, nisi forte cum Macedonia in provinciam redacta. Gordiani tertii nummus invenitur, cum hac inscriptione, & vir nudus, collibus insidens, brachium dextrum supra caput elevans, sinistra baculum recurvum, seu arundinem tenens, cui ante femur, veluti carbasus.

COL. JVL. AVG. PHIL. colonia Julia Augusta Philippis. In nummis Antonini Pii. Philippis adhucnum, vulgo *Filippo*, Thraciæ urbs, de qua *Plinius Hist. Nat. lib.* 4. *cap.* 11. *Colonia Philippensis Juris Italici fuit l.* 6. *ff de Cens.* quæ nisi ab Imperatore Philippo deducta. ejus deductionis tempus prorsus ignoro.

COL. IVL. BER. colonia Julia Berytus.

COL. IVL. CONC. APAM. colonia Julia Concordia Apamenorum. Apamena Bithyniæ urbs fuit, de qua *Plinius Hist. Nat. lib.* 5. *cap.* 32. *Intus in Bithynia, colonia Apamena.* Et Ulpianus *l.* 1. *ff. de cens. est & in Bithynia colonia Apamena.* Ubi eam deduxisse Severum videtur innuere Jurisconsultus, jure Italico ipsi concesso

COL. IVL. COR. colonia Julia Corinthus. *Occo.* Hæc in Cæsaris nummo visuntur, ubi Bellerophon Pegaso insidens, contra Chimæram pugnans, quod Corinthiorum insigne fuit. De hac colonia actum hac litt. notis C. L. I. COR.

COL. IVL. GEM. ACCITANA. colonia Julia Gemina Accitana. Ut patet ex vetusto epigrammate, in oppido *Guadix* Hispaniæ Tarraconensis, apud *Gruterum pag.* 271. 5 Acci enim nunc *Guadix* est.

COL. IVL. OCTAV. colonia Julia Octavia. *Occo* in nummo Augusti, in quo observatur Sacerdos, jugum boum agens. Videant doctiores, an hæc Colonia eadem sit, atque illa quæ Forum Julii in Gallis colonia Octavianorum appellatur, ut memini sub hac littera, ad notas COL. FOR. IVL.

COL. IVL. P. AREL.
COL. IVL. PAT. AR. } colonia Iulia Paterna Arelate. De qua hac littera, notis C. I. P. A.

COL. IVL. PATER. NARB. MART. colonia Julia Paterna Narbonensis Martia. De ea C. I. P. C. N. M.

COL. IVL. PHIL. colonia Julia Philippis.

COL. IVL. VAL. colonia Julia Valentia. *Pancirollus.* De ipsa in C. I. V.

COL. I. V. T. TARRAC. colonia Julia Victrix Togata Tarraco. colonia Julia Victrix Tyrrhenica Tarraco.

COLL. collega. *Manutius. Simeonius.*

collegæ. *Probus. Ms: Zabarella. Gratiosus. Saramas. Appianus. Lazius. Manutius.*

collegia. *Probus. Ms: Zabarella. Manutius.*

collegium. *Probus. Gratiosus. Saramas. Manutius. Simeonius.*

collibertus. coloni. coloniæ. *Manutius.* Si æquum.

collocata. collocatum. Quod expressum etiam antiqua saxa exhibent.

COL. L. AN. COM. colonia Latina Antonini Commodi. Colonia Lucii Antonini Commodiana. *Angelonus*, qui ad nummum Commodi, in quo coloniæ deductor, agitans boves deprehenditur, adnotavit, fortasse hoc numisma repræsentasse foedissimam illam Romani Senatus adulationem, qui postquam se Commodianum, quin etiam urbem Romam, Coloniam Commodianam appellari passus, ita nequissimo decernente Commodo, nummum hunc fuisse cusum.

COLL. CENTON. collegium centonariorum. De quo actum C C. M̄? M̄.

COLL. DEND. collegium Dendrophororum. De quo infra. In coloniarum Saxis.

COLLEG. collegia. collegium.

COLLEG. DENDROPH LEG. H-S C̄. N. collegio Dendrophororum Legavit Sestertios Centum Numero. Collegium Dendrophororum constabat ex iis, qui materiam ad bellicas machinas advehebant; ita *Adrianus Turnebus Advers lib.* 29. *cap.* 16. *[...]serius* tamen *Valerianus Antiquit. Bellun. Serm.* 1. [ob]servavit, *Dendrophoros esse, qui ligni materiam,*

quæ per nostra plurimum flumina, in Adriaticum & Venetias assidue convectantur, traducendam redemunt, quos a ratibus ex ea materia contextis, Ratiarios vocant. Exercitores Ratium ab Ulpiano dicuntur. De Dendrophoris plura & *Thomas Reinesius in Epistolis.* Quibus omnibus meliorem sententiam Salmasii addo, qui ad illa verba Spartiani, in Caracalla, *Ut & Anubin portaret, & pausas ederet*, de Pausariis differens, ut ostendat, Pausarios non fuisse opifices, sed illos qui in Sacris Isidis pausas ederent, & Anubin portarent, suam observationem, Dendrophororum exemplo in hæc verba confirmat: *Ne vero quis putet, Pausarios artifices aut opifices fuisse quosdam, propter argentariorum nomen, cum quibus jungitur in Inscriptione* (quam ibi exhibet) *nam sic & Dendrophori in aliis quamplurimis inscriptionibus, cum tignariis, & fabris &c. ponuntur. Dendrophori enim nomen religionis, vel superstitionis.* Unde ex his, Dendrophori, nec Ratiarii erant, ut videtur *Pierio*, nec collegium illorum, qui materiam ad bellicas machinas advehebant, ut *Turnebo Advers. lib.* 29. *cap* 16. placet, sed cum Δενδροφόρος apud Græcos, arborum ferax dicatur, forte fortuna Dendrophori erant, qui in honorem alicujus dei, Silvani fortitan, aut Priapi, stirpitus arbores excisas, per urbem humeris ferebant.

COLL. FABR. collegium Fabrorum, *vel* Fabrum. *Probus.*

COLL. FABR. ET. CENTON. collegium Fabrum Et Centonariorum.

COLL. FABR. M. R. callegium Fabrum Municipii Ravennatis.

COLLEG. FAENARIOR. collegium Fænariorum. In saxis artium.

COLLIB. colliberto. conliberto.

COLLIN. ET. EDVC. colliberto Et Educatori.

COLLIN. collina. Tribus scilicet.

COL. L. IVL. COR. colonia Latina Julia Corinthus.

COLL. SS. collegio Suprascripto. Collegium Suprascriptum.

COLL. STRAGVL. collegium Stragulariorum. *Rubens.* Stragularii erant, qui Stragula conficiebant. Stragula autem ut *Varroni* 4. *de Ling. Lat.* placet, *quidquid insternebatur*, a sternendo *dicta*; vel ut *Isidoro de Origin. lib.* 19. *cap.* 26. *Vestis discolor, quod manu artificis diversa varietate distinguebatur; dictum autem, quod in stratu & amictu aptum fit. De quo Salomon: Stragulatam vestem fecit sibi.*

COLL. X. KAL. FEBR. collocatum Decimo Kalendas Februarii. In cippis operum publicorum.

COL. NAP. colonia Napusa. *Reinesius.* Napusa, colonia juris Italici. Urbs est Daciæ, cui nunc nomen Claudiopolis, vulgo *Clausemburg.*

COL. NAR. colonia Narniensis. *Scaliger.* Nequinum, Umbrorum civitas, anno v. c. CDLV. *in deditionem populi Romani venit.* Ita *Hist. lib.* 10. *Livius*: colonia *eo adversus Umbros missa, a flumine, Narnia appellata;* nunc, *Narni.*

COL. NEAPOL. colonia Neapolis. Nummus æreus Elagabali, cum hac inscriptione; & aries ovi insultans, cum ædificio superius, & figura quadam; altera parte aquila legionaria. Neapolim, *Panvinius de Imp. Roman.* & *P. Merula Cosmograph. part.* 2. *lib.* 4. *cap.* 19. inter eas reponunt colonias, quæ incerto plane tempore deductæ fuerunt; licet tamen ante Titi Imperatoris tempora, ut ex *Frontino* de coloniis constat, *Neapolim muro ductam. Iter populo debetur pedibus XXX. Sed ager ejus, ut Syria & Palæstina, a Græcis est in jugeribus assignatus, & limites intercisivi sunt constituti: inter quos postea, & miles Imperatoris Titi, lege modum jugerationis ob meritum accepit.*

COL. NEM. colonia Nemausensium. *Erizius.* colonia Nemausus. *Augustinus. Santamantius.* colonia Nemausum. *Angelonus.* De qua actum, notis COL. AVG. NEM.

COL. PATR. colonia Patricia. colonia Patrensis. *Santamantius.* In Lucii Veri nummis. De Patrensi colonia dictum notis COL. AA. PATR.

COL. RIC. FEL. HEL. colonia Ricina Felix Helvia. *Santamantius.* De hac colonia fuse, atque scite more suo, Pompejus Compagnonus Maceratensis, vir non minus natalibus ac moribus, quam virtute illustrissimus, patriæque decus supremum, in sua Regia Picena, Italice typis commissa. Quem lector si consulat de ista colonia, omnia necessaria, scituque digna satis superque examinata comperiet.

COL. ROM. colonia Romulea. Colonia Romulensis. *Augustinus.* Hispalis, Hispaniarum urbium longe clarissima, vulgo *Siviglia*, Colonia Romulensis a *Plinio* dicitur *Hist. Nat. lib.* 3. *c.* 1. necnon a *Ptolemæo* etiam *Geograph. lib.* 2. *c.* 4. De qua satis superque *Antonius Augustinus Antiq. Hispan. Dial.* 8.

COL. SIGN. colonia Signia. Tarquinius Superbus, Romanorum Rex ultimus, Signiam coloniam deduxit, *non certo proposito, sed casu fortuito, quod in eo campo milites hibernassent, castraque ita munivissent, ut nihil ab urbe differrent*, scripsit *Dionysius Halicarnassæus Romanar. Antiquit. lib.* 4. & *T. Livius Hist. lib.* 1. *Signiam Circeiosque colonos misisse* prodidit *præsidia Urbi futura terra marique.* Consulatu inde Ap. Claudii & P. Servilii, *Signia Colonia, quam Rex Tarquinius deduxerat, suppleto numero colonorum iterum deducta est*, eodem *Livio* auctore *Hist. lib.* [illegible]. de qua *Frontinus* adnotavit *Signiam muro ductam Coloniam III. viros munisse. Iter populo debetur pedibus XXX. Agrum ejus in præcisuras limitibus III. viralibus esse assignatum.* Hæc colonia ex eorum numero fuit, quæ, bello Punico, fidem populo Romano servavere, ut ex *Livio* habetur *Hist. lib.* 27.

COL. T. FLAVI. colonia Trajana Flavia. Ita lego ad nummum Hadriani Imp. in quo hæ notæ & Colonia deducta cum Victoriola supervolitante. quod si recte, expendant doctiores, an colonia ista fuerit olim, ubi nunc castrum illud, quod *Carolus Stephanus in Lexico Geograph. Flavia Castellum Siciliæ* nominat.

COL. TYR. METR. colonia Tyros Metropolis. Tyros civitas Syriæ longe præclara a Divo Severo in Coloniam deducta *Ulpiano* teste *l.* 1. *ff. De Cens.* ubi se Tyrium quoque fatetur: *Syriæ Phœnice splendidissima Tyriorum Colonia, unde mihi origo est, nobilibus regionibus ferre seculorum antiquissima, armipotens, fœderis quod cum Romanis percussit, tenacissima: huic enim Divus Severus, & Imperator noster, ob egregiam in Rempublicam Imperiumque Romanum insignem fidem, Italicum jus dedit.* Cæterum cum hac inscriptione, seu cum notis istis, multi reperiuntur nummi. Cum ista, nummus est Gordiani tertii duæ metæ inter aram & arborem, Otacillæ Severæ cum janua intro icuncula, altera superstante. Et Valeriani, ac Gallieni cum figura armata insidens spoliis cum Victoriola.

COL. VIC. IVL. CELSA. colonia Victrix Julia Celsa. Hæc colonia, quæ nunc *Xelsa*, in Hispania Tarraconensi fuit, de qua *Plinius Hist. Nat. lib.* 3. *cap.* 3. *Civium Romanorum Bellitanos, Celsenses.* A Cæsaraugusta haud procul distant: siquidem *ad Iberum amnem est Cæsaraugusta, & Celsa oppidum, ubi ponte lapideo amnis jungitur*, scripsit *Strabo Geograph. lib.* 3.

COL. VIC. IVL. LEP. colonia Victrix Julia Leptis. *Augustinus.* Leptis Urbs Africæ a *Plinio Hist. lib.* 4. *cap.* 4. inter oppida libera reposita, colonia

lonia Romanorum fuit; eaque juris Italici, ut habetur *l. 8. ff. de Cens.* de ea diserte *Augustinus Hispan. Antiq. Dial.* 6. extatque Augusti nummus cum hisce notis, & capite alato Veneris, aut Clementiæ, aut Victoriæ.

COL. V. IVL. C. colonia Victrix Julia Calagurris. Colonia Victrix Julia Constantia, *Santamantius*, ad Hadriani numisma, in quo ædes supra scopulum. De Calagurritana Colonia dictum notis CAL. IVL.

COL. VIM. colonia Viminatium. Hac cum nota observantur nummi Gordiani tertii, Philipporum patris & filii, Trajani Decii; Treboniani Galli, Volusiani & Æmiliani, in quibus omnibus occurrit mulier stans inter Taurum & Leonem. Viminatium triplex assignatur a *Ferrario in Lexic. Geograph.* Primum Mysiæ ad Danubium, alterum Hispaniæ in Vacceis, tertium Galliæ Celticæ ad Rhodanum fluvium, vulgo *Vimy*; horum quale colonia fuerit, affirmare non sum ausus. expendant feliciora ingenia, potissimum, cum *Erizzus* in Gordiano III. hanc Autium coloniam credat, & *Tristanus Santamantius T.* 2. oppidum illud Mysiæ præcitatum putet.

COL. VLP. TRA. colonia Ulpia Trajana. Coloniam hanc *Pighius in Hercule Prodicio* eandem, quam Clivium Urbem esse scribit, haud procul a Castris Veteribus sitam. De ejusdem tamen situ dubitat *Cluverius Germ. Antiq. lib. 2. cap.* 18. innixus *Antonini in Itinerario* auctoritati, qui Castra Ulpia, quæ & Legio XXX. & Coloniam Trajanam distinguit. Toto tamen cœlo aberrasse Pighium lucu-lentissime prodit *Zamoscius Analect. Antiq. Dacic. capp.* 3. & 4. adductis quinetiam in medium inscriptionibus. cujus hæc expressa verba: *Colonia Ulpia Trajana Metropolis est Daciæ, quæ antea Sarmiz Ægetbusa dicta est. Victo enim Decebalo Rege, primus Trajanus coloniam eo deduxit, Regiamque ejus de se nominavit. Ejus hodie nihil præter ingentia rudera supersunt; quæ, collabente Romano Imperio, deleta fuit, nec unquam postea instaurata. Ea olim in medio Daciæ fuit sita, nunc limes est Transylvaniæ, Pontum versus Nunc ad ejus rudera viculus est Valachorum Gradistiq. Ruinæ ipsa ab accolis vocantur Varhel, i. arcis locus. nec procul inde alia ruina, corrupto nomine, ex Decebalo Veczel appellata. Ibi Lapides Romani, partem eruti, partim sua ruina detecti, eorum temporum memoriam referentes multi conspiciuntur, e quibus unus ad delubrum vetus, marmoribus rudi opere in solum depactis circumscriptum, sic habet:*

IMP. CAES. DIVI NERVAE
TRAJANO HADRIANO AVG
PONT. MAX. COS. III. PP
CVIVS VIRTVTE DACIA IMPE
RIO ADDITA FELIX EST
M. ARRIVS Q.R. COL. VLP
PIAE TRAI. SARMIZ
DEVOTVS NVMINI EIVS
EX VOTO P.

Bretia quinetiam, qui Vicus est ad amnem Sargetiam, in ædibus Ostrobinis, hæc inscriptio in marmore legitur;

SEVERO PIO
COLONIA VLPIA
TRAIANA AVG
DACIC. SARMIZ

CO. M. communi Matri. Habent sepulcrales illi lapides, in quibus plures filii matri suæ monumentum dicavere.

COM. comes. *Magno.*

comiti. *Papias:* Comites antiquitus dicebantur, qui cum potestate erant, hoc est, quibus Imperii pars demandata fuerat. De istis, ipsorumque muneribus variis, & nominibus abunde *Brissonius de Formulis lib.* 3. *Bulengerus de Imperio Romano lib.* 2. *cap.* 18. *Jacobus Gutherius de Officiis Domus Augustæ lib.* 1. *capp.* 15. 17. *lib.* 3. toto fere; sed præcipue *capp.* 16. 23. 26. 27. 28 30. præter Jurisconsultos, & lapides, & quæ erudite scripsit amicus inprimis, perenni luctu deflendus, nimis cito e vivis surreptus *Carolus Vizzanius De Mandatis Princ. l.* 1. *nn.* 24. 25. 26. 27.

communitatem. *Reinesius.* Notam hanc significare credit *Epist.* 49. in nummis Impp. Constantinopolitanorum, in quibus frequentissime occurrit.

comparatum. *Scaliger.*

COM. AS. ROM. ET. AVG. commune Asiæ, Romæ, Et Augusto. *Lipsius. Hemelarius.* Nummus habetur T. Claudii, in cujus adversa parte, Templum, in quo duæ Icunculæ stantes, altera stolata, sinistra cornucopiæ; dextra lauream capiti imponens alteri Icunculæ, paludatæ, dextra hastam tenenti. Augustus *Templa*, ut ex *Suetonio* colligitur, in ejus vita *cap.* 52. *in nulla provincia, nisi communi, suo Romæque nomine recepit.* Propterea Pergami in Asia, & Nicomediæ in Bithynia, viventi & consentienti illi templa extructa fuisse, refert *Dio Hist. lib.* 51.

COM. DOM. comes Domesticorum. *Scaliger.* Actum de eo notis C. DM.

COMENS. consensis. *Sarainas. Manutius.*

Comensalis. *Saraınas.*

COM. HAB. C. comitiorum Habendorum Causa. *Scaliger.* In Fastis. Cum Romæ, pro Comitiis habendis, sæpe numero a Consule Dictator diceretur, cujus nomen etiam, vel in fastis, vel in aliquibus monumentis sculpebatur; propterea Dictatoris nomini addebatur, electionis suæ causa, notis istis insculptis. ideo in Fastis hæ facile occurrent.

COMIT.
COMITIOR. } comitiorum. *Goltzius*

COMIT. AVG. N. comiti Augusti Nostri.

COMM. commilitones. *Saraınas. Manutius.*

commodus. *Erizzus.* Ut passim in Imperatoris Commodi nummis.

COMM. ANT. AVG. P. BRIT. commodus Antoninus Augustus Pius Britannicus. Ita Commodus Imperator in suis nummis quandoque dictus.

COMM. CONS. communi Consensu *Hemelarius.* Augusti nummus habetur, in quo ara, seu cippus communi consensu ipsi dicatus.

COM. OB comes Obrizi. *Reinesius.* Ut scilicet inter metallorum Comites, qui sub Comite Sacrarum Largitionum militabant, esset Comes Auri Obrizi, hoc est, puri, & perfecti; de quo *Reinesius Epist.* 35.

comitia Obdriaca. *Ms: Zabarellæ, & Rhodii. Magno. Papias. Saraınas. Appianus. Lazius. Ernstius;* qui ad tertium caput Notarum Probi, observavit, in suo codice manuscripto legi, *Comitia Orbdiata*, subditque de Comitiis adumbratis & obscuratis. videat qui volet *Ciceron: in Agrar.* 2. & pro *L. Murena*; Obdriaca enim hæc Probi quæ sint, Oedipus explicet.

Comitia obdurata. *Diaconus. Manutius.*

Comitia oblata. *Gratiosus.* Qualia hæc fuerint Comitia, ignorare me fateor, nullo tamen pudore, siquidem auctorem nullum habeo ducem, dummodo pro Comitiis obduratis & oblatis, legendum non sit Comitia Adumbrata, de quibus *Nicolaus Grucchius*

De Comit. Roman. lib. 3. *capp.* 3. *& 4.*

COM. OR. comes Orientis. *Magno.* De Comite Orientis, qui sub Præfecto Orientali primam regebat illarum quinque Diœcesium, quæ huic parebant, diligentissime *Pancirollus In Not. Imp. Orient. cap.* 203. satis namque ejus auctoritatem indicavit Zosimus his verbis, in Honorii vita: *Comitis Orientis ea potestas est, ut qui eum gerit, omnibus provinciis Orientis administrantibus præsit, & quæcumque non aguntur, uti par erat, corrigat.*

COM. ORT. comites Orientales. *Papias.*

COMP. compari. Ita accipio hoc in Saxo *pag.* 793. 9.

IVLIA MATRONA
AVR. AQVILINO. COMP
CVM. QVO. VIXIT. ANN. XXII
SINE VLLA QVERELA. B. M. P

Quod ita legendum suadet Polense Monumentum *pag.* 804. 1. ubi expressum legitur. Hanc vocem, *Compar*, diversimode ab antiquis acceptam observo. Pro consimili ea utitur *T. Livius* noster *Hist. lib.* 22. *Comparem cladem ad Ægates insulas Carthaginensium, prælio navali acceptam, qua fracti, Sicilia ac Sardinia cessere.* Pro socio, *Plautus Pseudolo Act.* 4. *Scen* 3.

Primum omnium jam hunc comparem metuo meum.

Pro marito, idem *Casina Act.* 4. *Scen.* 2.

Sed eccum progreditur, cum corona & lampade
Meus socerus, compar, commortuus, vel scis.

Ne plura huc congeram, quæ ad hanc vocem erudite observavit *Janus Langlæus I. C. lib.* 7. *cap.* 5. *Otii Semestris.*

Compitalia. *Rosinus. Gruterus. Compitalia, dies erat adtributus Laribus: ideo ubi via competebant, tum in competeis sacrificabatur.* Ita *de Ling. Lat. lib.* 5. *Varro.* Compita vero esse, ubi viæ multæ una concurrunt, non est qui nesciat. De Compitalibus *Ovidius Fast. lib.* 5. quorum dies celebrabatur quarto nonas Maji, qui ejusdem mensis secundus, eratque fastus totus.

COMPARABIT. *pro* comparavit, *seu* emit. Saxum *Roma Subterranea T.* 2. *lib.* 4. *cap.* 16.

LOCVS QVEM COMPARABIT IVLIANVS
VBI POSITA FLORENTIA
VXOR EIVS

COM. R. P. comes Rei Privatæ. *Comitiva Privatarum, sicut nominis ipsius sensitur insonare vocabulum, per Rationalium curam, quondam Principum privatam fertur gubernasse substantiam*, scripsit *Cassiodorus Var. lib.* 6. *Formul.* 8. Ergo Comes rei privatæ, Principis bona privata regebat. De hac dignitate, cujus initium videtur indicare Spartianus Severo Imperante, *Pancirollus in Not. Imp. Orient. cap.* 87. præter ea quæ sparsim notant Jurisconsulti, & præsertim doctissimus *Ernstius ad Caput* 3. *Probi.*

COM. S. L. comes Sacrarum Largitionum. De eo actum, notis c. LARG. In lapidibus, ubi officiales Domus Augustæ recensentur.

Comes Solemoiorum. *Lazius* Qui *lib.* 2. *cap.* 11. *Comment. Reip. Roman.* haud multum diversum fuisse voluit ab eo, quem hodie Magistrum Cæremoniarum vocant; quod recte improbat *Reinesius Epist.* 31.

conjugi. Quandoque in Saxis, ubi conjugatorum fit mentio.

CON. congium. Conlega. Consiliarius. Consensu. *Manutius.* Congius, *vel*, Congium, liquidorum erat mensura apud Antiquos, sextarios continens sex.

consensu. *Reinesius.* Hanc notam explicat, si occurrat in nummis Imperatorum Christianorum primi ævi

conservator. *Probus.*

consularis. *Probus. Appianus. Lazius.* Ita legendum, si Monumentum alicujus viri fuerit, consulatu defuncti.

consul. *Sarainas. Manutius.* Ubi de Consulibus mentio.

consules. *Saraina.*

controversia. *Papias.*

CON. B. M. conjugi Bene Merenti. In conjugatorum lapidibus, tum virorum, tum mulierum, ut & subsequentia.

CON. B. M. F. conjugi Bene Merenti Fecit. Frequentissime in Saxis conjugatorum.

CONC. concordialis. *Pignorius.* Patavii, Concordialis Sacerdos ceteros anteibat, cum in ea urbe, loco Pontificis esset in veneratione: Templum enim Concordiæ, splendore, dignitate, ac religione primum apud Patavinos habebatur.

CON. CAR. conjux Cara. conjux Carissima. conjux Carissimus, *vel* Carus. In conjugatorum saxis, tum virorum, tum mulierum.

CONC. COM. concordiæ Commodi. In nummo Commodi Imp. in quo figura stolata stans, dextra pateram, sinistra hastam tenens.

CONCORD. concordia. In Nummo Hadriani, ubi figura sedens dextra habens pateram.

concordialis. *Pignorius.* Sæpe in lapidibus Patavinis, in quibus Concordialis fit mentio.

CONCORD. AVG. concordia Augusti. In Impp. nummis.

CONCORD. EXERC. concordia Exercituum. In M. Aurelii Antonini Nummis.

CONCORD. MILIT. concordia Militum. In nummis Didii Juliani, & Gallieni.

COND. condita. *Goltzius.*

Conditorium. Ita in Saxo *pag.* 1035 7. lego.

D. M
L. OSCHOLAS
TICO. AQ. PTO
FECIT. COND.

Conditorium enim idem ac sepulcrum *Seneca Epist.* 60. *Qui latitant, & torpent, sic in domo sunt, tanquam in conditori.*

COND. GR. conditori Gregis. Quod & expressum occurrit in monumentis Agitatorum & Aurigantium.

COND. IVD. condemna Iudex. *Probus Ernstii*; erantque actionum apud antiquos verba solemnia.

CONG. congiarium. *Angelonus*, ac passim in Imperatorum numismatibus. Congiarium erat Imperatoris munus, quod populo dabatur. quin *liberalitas* etiam vocatum, ad distinctionum muneris militaris, quod *donativum* erat dictum. ideo in nummis, congiarii distributionum præ se ferentibus sæpissime legitur, *Liberalitas prima*, *secunda*, *tertia*, & sic de singulis, ac si dictum fuisset, *Congiarium primum*, *secundum*, *tertium*. *Congiarium* quoque, ut notat *in Juris Lexico*, *Joannes Calvinus*, *sportula erat*, *quam diurni cibi nomine*, *comitibus*, *anteambulonibus*, *asseclis*, *stipatoribusque suis potentiores cives distribuebant.* Verum cum magna sit inter congiarium, & sportulas differentia, utique a recto valde aberrare opinor auctorem istum; siquidem congiarium ex sola munificentia Principis proveniebat, & sportulæ pro stipendio illis, de quibus agit, necessario dabantur.

CONG. AVG. congiarium Augusti. In M. Aurelii

relii Antonini nummis, in quibus Imperator, in substructione sedens, congiarium distribuit.

CONG. AVG. IIII. congiarium Augusti Quartum. In ejusdem Imp. nummis.

CONG. DAT. POP. congium Datum Populo. *Manutius*. At ego libentius legerem.

Congiarium Datum Populo. Quod suadent sequentes nummismatum inscriptiones.

CONGIAR. II. DAT. PO congiarium Secundum Datum Populo. In Neronis nummis.

CONGIAR. PRIM. P. R. DAT. congiariom Primum Populo Romano Datum. In Titi Imp. nummis, ubi figura, sedens cum tribus aliis.

CONG. II. COS. II. congiarium Secundum Consul Secundum. In Domitiani & Trajani nummis, in quibus Impp. sedent, distribuentes congiarium.

CONG. I. DAT. POP. congiarium Primum Datum Populo. In nummis Neronis. De isto congiario *Suetonius cap.* 7. in eodem Imp.

CONI. conjugi. *Scaliger*.

CONI. B. M. P. conjugi Bene Merenti Posuit. In Sepulcralibus.

CONI. PIEN. conjugi Pientissimæ. Conjugi Pientissimo.

CONIV. conjugi. Conjux. *Manutius*.

conjunxit. *Probus. Ms: Zabarella. Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius.*

CONIV. conjugii. *Appianus*.

CONIVG. KAR. PONEND. CVR. ET. SVB. ASC. DEDIC. conjugi Carissimæ, *vel* Carissimo Ponendum Curavit, Et Sub Ascia Dedicavit. Sepulcrales lapides quandoque in extremis oris. Monumenta, quæ polita erant, sub ascia dedicabantur, asciæque forma semper expolito marmori insculpebatur. In monumentis vero impolitis nulla asciæ mentio, sed de hac abunde *Hymarus Revalius ad l.* 1. *Duodecim Tabular.*

CONIVG. M. conjugi Merenti. *Probus. Manutius.*

CONIVNCX. conjux.

CONIV. OBSEQENTISS. conjugi Obsequentissimæ. *Probus. Manutius.*

CON. KAR. conjugi Karissimæ, *vel* Karissimo.

CONL. conlega. *Goltzius. pro* collega.

CONLABS. conlabsum. *Hoc est*, collapsum. Ita in monumento *pag.* 161. 4. in quo, omissis ceteris, legitur:

OPVS PONTIS
VETVSTATE CONLABS
RESTITVIT

CONLAC. F. conlacrymis Fecit, *pro* cum lacrymis. Ita habet monumentum *pag.* 475. 5.

DIS MANIBVS
L. TITI. L. F. PVPINIA
MACRI VI. VIRO
DECVRIO
LAVDE POMPEIA
VIXIT ANNVS
XXX
TITIA RHOPE
MATER ET
SALVIVS VICTOR
CONLAC. F

CONLIB. conliberta. Conliberto. Conlibertus. Sæpissime in antiquis libertorum Saxis.

CONLOC. conlocaverunt; *scilicet* collocaverunt. Si recte lego notam in Saxo *pag.* 40. 11.

VIRG. CHITONE
SACRVM
C. CARTILIVS C. L. HE
GESIAS ET C. CARTILIVS. C. L.
FVSCVS. ET. CARTILIA
Ɔ. L. FATIDIA. MATER
STATVAM. EX. AERE
CONLOC
V. S. L. M

CON.OB. Constantinopoli Obrizum. *Augustinus. Hulsius.*

Constantinopoli Obrizatum. *Ursinus. Manutius.* Qui hoc notavit in aureo numismate Valentiniani Cæsaris, apud Constantinum Landum. Obrizum, idem ac obrisum, & obrussum esse, considerat *Becmanus De Orig. Ling. Lat.* obrizum vero, aurum dicitur illud, quod purum, merum, & purissime coctum est. Hinc obrizati solidi, qui ex auro cocto, & puro conflati sunt, ut habet glossa ad *l. ult. Cod. de vet. Numism. potest. lib.* 11. juncta *l. unica Cod. de Oblat. Veter. lib.* 12.

Constantinopoli Obsignata. *Hulsius. Santamantius*, pecunia scilicet.

Constantinopoli Obsignatum.

C. O. N. civitates Omnes Nobis Obediunt.

C. O. N. O. B. civitates Omnes Nostræ Obediunt Benerationi. *Occo. Hulsius.* Ita legendas singulas hasce literas volunt, in nummis Imperatorum ultimi ævi, a Theodosio scilicet & infra, frequentissime observantur.

cedit Officina Nostra Omni Bonitate. *Manutius.*

CON OF.SOL. conjugi Officium Solvit, *vel* conjux. Explano, si recte, hæc in monumento *p.* 452. 4.

Ɔ. PLANCIAE. RO. INGEN
TI. PRAEDIO. DONATAE
IN. AGRO. ACCITANO. OB
OPER. BENE. IN. REM. P
NAVATAM. C. LONGIN
CON. OF. SOL

CON. OP. } conjugi Optimæ. Optimo
CON. OPT. }

CONPARABERVNT. LOCV. A. MONTANV. comparaverunt Locum A Montano. *Roma Subterranea T.* 2. *lib.* 4. *cap.* 18.

VRSICINVS ET QVINTILIANA
SE BIBI CONPARABERVNT
LOCV A MONTANV

Ubi & *Bibi*, pro *Vivi*.

CON. P. S. consularis Provinciæ Siciliæ. *Scaliger.* Qui Consularibus Provinciis regendis destinabantur, Consulares erant. Italia octo Consulares suscipiebat; Venetiæ & Histriæ, Siciliæ, Campaniæ, Æmiliæ, Tusciæ & Umbriæ; quorum meminerunt antiqua fasti, quibus Liguriæ Annonariæ, Tusciæ Urbicariæ, Flaminiæ & Piceni, *Pancirollus* addit *in Not. Imp. Occid.* quos omnes consulares fuisse sub Vicario Italiæ, refert loco citato *cap.* 57. Sed de Consularibus satis *Pancirollus* ipse *in Not. Imp. Orient. cap.* 155. *& Occid. cap.* 91. *Lazius Comment. Reipubl. Rom. lib.* 1. *cap.* 2. *& lib.* 9. *cap.* 4. *Gutherius de Offic. Dom. Aug. lib.* 1. *cap.* 5. 6. *Carolus Emanuel Vizzanius de Mandat. Princ. in Præfat. num.* 22. 23. 24. *& sequent.*

CONR.

CONR. PROV. SIGIL. Correctori Provinciæ Siciliæ. Explico in Saxo *pag.* 1102. 8

CVRETI VIAS
PRO. MERITIS. EXIMIAE. LENITATIS
ET. BENIGNAE. ADMINISTRATIONIS
STRENVO. AC. PREDICABILI. IVDICI
DOMINO ZENOFILO
V. C. CONR. PROV. SICIL

De Correctoribus plura *Pancirollus in Not. Imp. Orient. cap.* 156. *Lazius Comment. Respub. Rom. lib.* 2. *cap.* 2. *Gutherius de Offic. Dom. Aug. lib.* 1. *cap.* 7. *Vizzanius.* opere locoque citatis. Et licet de iis *Monument. Patavin. lib.* 1. *sect.* 5. egerim, humanum cum me esse cognoverim, dictorum palinodiam canere censui, iisque insuper hæc non injucunda scitu addere. Correctores erant Magistratus provinciales quidem, & fere per Italiam solam; nam extra eam, raro adhibiti. neque enim alios reperio in *Notitia Provinciarum Hieroclis*, præter correctorem Paphlagoniæ in Asia, & Correctorem Augustamnicæ primæ in Ægypto. In Africa, Ducem & Correctorem limitis Tripolitani habet *codex Theodosianus lib. XII. tit.* 1. *leg.* 133. Notitia utriusque Imperii etiam Correctorem Sariæ, in Pannonia recenset. In Italia autem diversos, diversarum, aut ferme omnium provinciarum Correctores, tum libri, tum lapides antiqui referunt; puta, Correctores Venetiæ & Histriæ; Flaminiæ & Piceni; Tusciæ & Umbriæ; Campaniæ, Lucaniæ, & Brutiorum; Apuliæ & Calabriæ. Item Correctores Italiæ, & totius Italiæ, Italiæ Transpadanæ; & in lapide nondum vulgato, (cujus mihi copiam fecit Eruditissimus Lucas Holstenius politioris litteraturæ facile princeps, atque de omni antiquitate optime meritus, Musis, orbique litterario, amicisque heu nimis cito ereptus) Correctorem utriusque Italiæ. Et priores quidem aliquot Provinciæ, post divisionem Constantini, pro Correctoribus Consulares acceperunt, ut perspicere est ex notis proxime antecedentibus: octo enim in Italia enumerat Notitia utriusque Imperii. Duo autem Correctores soli relicti fuere, alter Apuliæ & Calabriæ; alter Lucaniæ & Brutiorum; ceteræ provinciæ Præsides habuerunt. Atque ut de provinciarum singularum Correctoribus res satis clara est, ita mihi non perinde liquet, quinam Italiæ, vel totius, vel Transpadanæ, vel utriusque Correctores fuerint, & quas illi, vel quot provincias administraverint; cum illud hactenus a nullo doctorum virorum observatum, aut satis explicatum videam. Itaque, ut meam super hac re opinionem, vel potius conjecturam proferam, multum interesse puto, utrum totius Italiæ Correctorem dicas, an indefinite, Italiæ tantum; nam totius Italiæ Correctorem, præter unum Tetricum, nullum lego, nec alium unquam fuisse adeo ampla potestate ex eo conjicio, quod Trebellius Pollio, ut rem novam & inusitatam notet, Aurelianum tantum potestatis permisisse æmulo quondam Imperii, & triumphato. Et ne quis simplicem Italiæ Correctorem crederet, & ordinariæ potestatis, totius Italiæ dixit, & attributas ei Provincias enumerat, quæ singulæ singulis Correctoribus tunc demandari consueverant; suntque numero sex, Campania; Sammium; Lucania & Brutii; Apulia & Calabria; Hetruria atque Umbria; Picenum & Flaminia; quibus deinde adjungitur omnis annonaria regio; quam ego ex reliquis tribus Italiæ provinciis admitto, quæ & ipsæ suum Correctorem habere consueverant. sunt autem, Liguria, Æmilia, Venetiæ, Histria, & hæ, ni meum judicium me fallit, aut tres simul junctæ, aut saltem duæ priores, proprie & peculiariter dictam constituebant, quæ & ipsa peculiarem habuit Correctorem, qui Corrector Italiæ, in lapidibus, absolute, & sine ulla adjectione appellabatur. Atque hoc ut credam, ex eo adducor, quod huic Italiæ parti etiam postea sub Præfecto Prætorio, ejusque Vicario, peculiare Italiæ nomen hæserit: tum vero, quod antiquus lapis apud *Gruterum pag.* 459. 7. Correctorem Italiæ Transpadanæ commemoret; unde alium tunc Cispadanæ quoque Italiæ Correctorem fuisse crediderim; adeoque duas illas provincias, quandoque seorsim duos, quandoque junctim unum Correctorem habuisse. Atque inde Ælium Dionysium utriusque Italiæ Correctorem appellari non dubito, ut in veteri illo lapide non edito, quem Romæ in Quirinali extare me monuit Holstenius clarissimus. At inter cæteros provinciarum Italicarum Correctores ipsum Italiæ Correctorem dignitate eminuisse apparet, ex Vetii Agorii inscriptione ad *Gruterum pag.* 486. 3. qui cum principio Corrector Tusciæ & Umbriæ fuisset, quasi per dignitatum gradus deinde provectus, Illyrici, & postea Italiæ Corrector factus est. Itaque quantumvis præcipue hæc dignitas in Italia ante Constantinum fuerit, unicam tamen recte dici non posse fateor, eo quod plures tunc per Italiam essent Correctores: Uti nec illud, quod in *Patavinis Monumentis* nimis facile scripsi, Constantino Imperante, duos in Italia Correctores creatos fuisse, quasi antea unicus tantum extitisset. Sed rectius ex dictis, una cum *Pancirollo* dicere volo, cum a Constantino ceteris Correctoribus, Consulares fuissent substituti, duos tantummodo reliquisse eo nomine presides, alterum Apuliæ & Calabriæ, alterum Lucaniæ & Brutiorum. quamvis nec illud adeo certum existimem, cum in *Codice Theodosiano* leges ad Correctorem Tusciæ extent, datæ anno CCCLXXI. CCCLIV. CCCLV. & CCCLVI. hoc est, Juliano, Joviano, & Valentiniano Augustis, cui paulo post Consularem suffectum apparet ex legibus datis anno CCCLXX. & CCCLXXXIX. ad Consularem Tusciæ.

CONS. Consiliarius. *Probus. Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius.*

Consualia. *Manutius. Rosinus. Gruterus.* In Kalendario. *Consualia dicta a Conso, quod tum feria publica ei Deo, & in Circo ad aram ejus ab sacerdotibus fiebant ludi illi, quibus Virgines Sabinæ raptæ,* scribit *Varro de Ling. Lat. lib.* 5. Festus, Consum, Deum Consilii fuisse tradit, in cujus honorem Consualia. Ideo apud *Ovidium* 3. *Fastorum* Mars Romulum adloquens dixit:

Festa para Conso; Consus tibi cetera dicet,
Illo festa deo dum sua sacra canes.

Livius Hist. lib. 1. Consualia, Neptuni equestris ludos fuisse scriptum reliquit, quos celebravit Romulus, cum Sabinas rapuit; ideo Romæ ceteris antiquiores. De Consualibus plura *Plutarchus in Romulo. Dionysius Halicarnasseus Antiq. Roman. lib.* 2. *Asconius Pedianus Act. in Verrem*, & *Valerius Maximus lib.* 2. *cap.* 4. Consualia Romæ celebrabantur decimoquarto kalendas Septembris, qui Augusti dies decimus nonus, fuitque nefastus primo.

Consul. *Sarainas. Manutius.*

Consularis. *Scaliger.*

CONS. Consulatu.

CONS. CAMP. Consularis Campaniæ. Si dignitatis alicujus fit mentio.

CON. SD. Consule secundo.

CONSEN. Consentinus. *Gualterius.*

Con-

Consentibus. Diis scilicet; de quibus nota proxime succedente.

CON. SEN. ET. EQ. OR. P. Q. R. Consensu Senatus Et Equestris Ordinis Populique Romani. In Augusti nummo, in quo figura sedens in curuli sella, dextra ramum porrigens; ut omnibus innotesceret, omnes ordines Romanorum civium in honorem Augusti nummum hunc cudi curasse. At de isto plura *Ericius* in Augusto.

CONSENTIB. Consentibus. Diis scilicet; quod satis clare indicat votivus Lapis *pag.* 3. 3. apud *Gruterum*:

I. O. M.
DIS. DEA
BVSQ PVB
CONSENTIB
V. M. S.

Deos Consentes, Urbanos, & Rusticos agnosco ex *Varr. de Re Rust. lib.* 1. *cap.* 1. *Et quoniam (ut ajunt) Dei facientes adjuvant, prius invocabo eos; nec ut Homerus, & Ennius, Musas, sed XII. Deos Consenteis; neque tamen eos urbanos, quorum imagines ad forum aurata stant, sex mares, & feminæ totidem; sed illos XII. Deos, qui maxime agricolarum duces sunt;* quique ab eo ibi declarantur Jupiter, & Tellus; Sol, & Luna; Robigo, ac Flora; Minerva, & Venus; Lympha, ac Bonus Eventus.

CONSERVAT. MILIT. S. Conservator Militiæ Suæ.

Conservatori Militum Suorum. *Santamantius.* Ad Nummum Imperatoris Taciti, in quo duæ figuræ paludatæ stant, quarum una galeata, sinistra hastam tenens, dextram porrigens alteri, cum corona radiata, globum tenenti.

CONSERV. VRB. AET. Conservator Urbis Æternæ. In nummis Maxentii. Quod idem est, ac conservator urbis Romæ: nam Urbem æternam Romam dictam omnibus inpropatulo est.

CON. SOL. D. Condendo Solum Dedit. *Scaliger.* In Sepulcralibus.

CONSS. Consules. *Scaliger.*

CONS. SS. Consulibus Suprascriptis. *Grutherus.*

CONS. SVO. Conservatori Suo.

CONS. VENET. ET. HIST. Consularis Venetiæ Et Histriæ. In Saxis, in hujusce dignitatis memoriam.

CONT. Contra. *Manutius.*

CONTIBERN. FECER. Contubernales Fecerunt. Contubernales scilicet, quod lego in Saxo *pag.* 540. 9.

D. M
FABIO. CELERI
MILITI. CON
TIBERN. FECER

Contubernales dicebantur a tabernis, quæ fiebant ex tabulis; unde & tabernacula dicta, licet tentoria ex pellibus fierent. Contubernium autem erat contubernalium habitatio. Festus. ideo contubernales milites, qui eodem utebantur contubernio; admittebatque contubernium milites decem, quorum unus contubernii caput nominabatur. *Vegetius de Re Milit. lib.* 2. *cap.* 13. Verum suppliciorum socios, contubernales observo a *Plauto* dictos; *Milite Glorioso Act.* 2. *Scen.* 2.

— nisi quidem illa nos volt, qui servi sumus, Propter amorem suum omneis crucibus contubernales dare.

CONTRIB. D. Contribulibus Dedit. Contribules erant, qui ex eadem Tribu; unde si quis aliquid legasset sociis suæ Tribus, Contribulibus suis legasse dicebatur.

CONT. ∞ C. R. Contrariorum Miliaria Civium Romanorum. *Scaliger*, Quam notam quære in Alis, littera A, notis, ALA. I. CON.

CONTV. Contubernalis. *Appianus. Lazius.* In servorum Saxis. Mulier illa serva, quæ in lapidibus, a servo contubernalis vocatur, uxor ejus est; siquidem, *cum ancillis non potest esse connubium; nam ex hujusmodi contubernio servi nascuntur. l.* 3. *Cod. de Incest. Nup.* ideo Contubernium, Servile connubium.

CONTVB. Contubernalis. Contubernali. Sæpissime in lapidibus militum & servorum.

CONTVB. D. S. B. M. Contubernali De Se Bene Merenti.

CONTVB. OP. Contubernali Optimo.

CON. V. E. F. Conjux Viro Egregio Fecit. Suadet Saxum *pag.* 1030. 6.

D. DONNIO ATTICO
VET. CON. V. PR. AN
LXI. CELVRA. INGENVA
CON. V. E. F

CON. V. PRO. Conjugi Viro Probo. *Scaliger.* Conjux Uxoris Probus.

CONX. Conjux. *Passeratius. Laurentius.*

ↃO. OMN. D. I. M. N. Contra Omnibus Diis Inferis Maledicit Nunc. *Gruterus. Gutherius.* Quod ut rectius innotescat, exhibendus lapis *pag.* 410. 5.

DIS MANIBVS
IOVI ET IVNONIB
T. FLAVIVS. R. IIII. I. D
C. ET. P. L. GRATO
IN VITE SVAE NVLLI
MALEDIX
ↃO. OMN. D. I. M. N
IN. AGRO. S. OMNI
H. M. H. N. S

Ubi notat *Gruterus*; etiam illud *in Vita sua*, pro *in Vita Sua.*

COOPT. Cooptatus. Cooptati in Senatu dicebantur illi, qui loco deficientium Senatorum eligebantur. Cooptati autem milites, qui in demortuorum locum suffecti, cooptatique fuerant.

C. O. P. Comites Ordinis Primi. *Papias.* Comites Primi, Secundi, Tertique Ordinis fuisse observavere *Pancirollus, in Notitiam Utramque*, & *Gutherius de Offic. Dom. Aug. lib.* 1. *cap.* 45. quos lector consulere poterit.

COP. Copiarum. *Sarainas. Manutius.*

COR. Cohors. Aliquando in monumentis militum.

Corneliæ. Tribus scilicet. *Brissonius. Scaliger*, & alii. Corneliæ Tribus meminit *Liv. Hist. lib.* 38. quam a Servio Tullo institutam *Rosinus* tradit *Antiq. Roman. lib.* 6. *cap.* 15. Sed veteri nomine obliterato, Corneliam inde, a gente Cornelia appellatam.

Cornelius. *Probus. Diaconus. Ms. Zabarella. Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius.*

Corvinus. *Sarainas. Manutius.* Corvini cognomen sibi adscivit M. Valerius, tribunus ille militum, qui a Gallo quodam provocatus, cum in are-

nam descendisset, corvus in galea consedit, donec hostem interemit. De hac pugna *Hist. lib. 7. Livius.* perenne postmodum Valeriorum, Corvini cognomen fuit, licet quandoque a Statiliis usurpatum, *Glandorpio* teste *in Cognominum Indice, Onomastico* adjecto.

COR. correctori. *Magno.*

COR. AVRS. coronas Aureas. *Probus Ernstus. Ms: Ferrarii.* Aureæ Coronæ, vel triumphales, vel castrenses, vel navales sunt; quæ omnes *A. Gellii* testimonio *lib. 5. cap. 6. Noct. Attic.* ex auro contexebantur.

CORB. AVRS. corbes Aureas. *Manutius.*

COR. D. E. CON. P. Cornelia Dulcissima Ejus Conjux Posuit. *Antonius Guevara epistolis in Hispania scriptis.*

CORN. Cornelia. Tribus nempe. *Scaliger.*

cornibus. *Diaconus. Manutius.*

CORN. AVRS. coronas Aureas. *Manutius.*

CORNEL. Cornelia. Tribus. *Scaliger.*

CORNICVL. cornicularius. In militaribus. Quales Cornicularii fuerint, monet *Adrianus Turnebus Advers. lib. 5. cap. 10.* qui scribit, *quod, ut in exercitu & acie dicitur cornu, ita in cohortibus Tribuni militum corniculum; & fortasse in ordinibus centurionum; a quo Cornicularius qui Corniculo Tribuni militum praest.* At nomen Cornicularii se habere ut genus ad varias munerum species placet *Pancirollo In Not. Utramque cap. 11.* ad quem lectorem remitto.

CORN. R. F. coronæ Regis Filiæ. *Probus Ernstus.*

Corneliæ Regis Filiæ. *Diaconus. Manutius.*

CORON. PHALER. ARM. coronis Phaleris Armillis. In monumentis eorum militum, qui ob egregia fortitudinis specimina in pugna, ab Imperatoribus dona accipiebant; Coronas scilicet, Armillas, Phaleras, & Hastas puras.

CORP. corporati. Corporati, qui ejusdem societatis & corporis. Hi in civitatibus, mercatores & artifices fuisse ex *Symmacho* palam fit, *Epistol. lib. 9. Epist. 103. Totis viribus adjuvandi sunt communis Patriæ Corporati, præcipue mancipes salinarum, qui exercent lavacra, lignorum præbitione.* Et *lib. 10. epist. 34. Corporatos negotiatores, membra æterna Urbis, ad equorum collationem, quam litteris imperastis, vocare dubitavi.* Ob id artificum & negotiatorum diversas species, collegia, corpora, ordines, dictas saxa docent.

corpus. *Diaconus. Manutius.*

CORPORA. FERRARIOR. OST. corporatorum Ferrariorum Ostiæ. Qui in corpora distincti & distributi, corporati vocabantur; erantque iidem, qui barbare nostro ævo, quia in *Fratalcas* distincti, *Fratres* sunt dicti.

CORR. corrector. *Gualtherius.*

correctori. *Sarainas. Manutius.*

CORR. correctori. *Papias.*

CORR. APVL. ET. CALAB. corrector Apuliæ & Calabriæ.

CORR. FLAM. corrector Flaminiæ. *Scaliger.*

CORR. MIN. ET. ALI. SEN. V. S. corrector Miniciæ Et Alimentorum Seniorum Urbis Sacræ. In Sacra urbe, hoc est, Romæ, non tantum alere pueros & puellas in usu fuisse patet; sed etiam seniores, & qui ob ætatis impotentiam victum sibi parare non valebant.

CORR. VEN. ET. HIST. corrector Venetiæ Et. Histriæ.

CORS. Corsica, *Magno.*

Corsicæ. *Papias.*

COR. TR. cornicularius Tribuni. In militaribus.

COR. VAL. II. coronis Vallaribus Duabus. Et Murales & Vallares coronas aureas fuisse observatum jam est, cum A. Gellio *Noct. Attic. lib. 5. cap. 6.* Easdem Vallares coronas argenteas extitisse observavit *Io: Antonius Valtrinus de Re Milit. Veter. Roman. lib. 6. cap. 6.* Vallaribus coronis donabantur, qui primi in hostium vallum, aut castrum irruperant. Quare Vallaris corona eadem ac Castrensis, erantque forma castrorum, aut valli donatæ, adscripto etiam nomine ejus, qui ipsam meruisset.

COS. consiliarius. *Manutius.*

consul. *Probus.* Et cum eo omnes.

consularis. *Manutius. Scaliger.*

consules. *Gualtherius. Angelonus.*

consulibus. *Ms: Zabarella.*

COS. CAP. consul Capitali. consul Campanus. *Manutius.* Quod pace tanti viri non admitto; libentius namque legerim,

consularis Campaniæ. Ut in Saxo *pag. 390. 1.*

COS. DES. consul Designatus. *Probus*, & cæteri.

COS. DES. S. D. consuli Designato Salutem Dicit. Occurrit in nonnullis *Ciceronis Epistolis.*

COS. DESIG. consul Designatus.

COS. DESIG. PRINC. IVVENT. consules Designati Principes Juventutis. *Vicus.* Nummus est Augusti argenteus, cum hac inscriptione, in quo duæ figuræ togatæ adstantes, cum clypeis, hastis puris, signisque pontificalibus, & auguralibus. Sunt vero hi, Lucius & Cajus, Agrippæ filii ab Augusto adoptati, Consules Designati, & Principes Juventutis dicti; cujus rei numisma fidem facit.

COS. DES. II. consul Designatus Secundum. In Titi & Domitiani Nummis.

COS. DES. IT. consul Designatus Iterum. In Vespasiani nummis præcipue.

COS. II. consul Secundum. *Manutius.*

COS. III. consul Tertium. *Manutius. Angelonus.*

COS. III. IMP. IIII. consul Tertium Imperator Quartum.

COS. IIII. consul Quarto. *Probus.*

consul Quartum. *Manutius.*

COS. ITER. ET. TERT. DESIG. consul Iterum, Et Tertium Designatus.

COS. MER. consule Merobaude. Qui, teste Cassiodoro in Chronico, primum sub Valentiniano, una cum Gratiano Consulatum gessit, ac postea sub Theodosio, cum Saturnino; fuitque Merobaudis primus Consulatus, ut ex *Tomo 3. Annal. Baron.* constat, anno Christi CCCLXXVII. alter vero CCCXXCIII.

COS. ORD. consul Ordinarius. Ad differentiam suffectorum.

COS. PERP. consul Perpetuus. In cippis Vitellii Imperatoris.

COS. QVAR. consul Quartum.

COS. QVAR. DIC. QVAR. consul Quartum, Dictator Quartum. Nummus est Cæsaris aureus, cum hisce notis in medio; quo anno, qui, ex animadversione *Occonis* in Julio Cæsare, fuit V. C. DCCVIII. Cæsar Dictator Quartum dictus sine Magistro equitum, dictaturæ honore suscepto, consulatu se abdicavit.

COS. QVIR. IVS. MOS. LEG. OB. consul Quirinus Ius Mos Leges Observavit. Notæ, & explanatio *Manutii* sunt, *de Veter. Notar. Explan* quæ unde desumptæ, nescio, cum præcipue ab antiqua puritate multum recedant.

COSS. consiliarii. *Probus. Manutius.*

consules. *Probus*, & reliqui.

consulibus. *Diaconus. Manutius.*

COSS. DESS. consules Designati. *Probus*, cum ceteris.

COSS. PRAET. TRIBB. PL. S. P. PL. Q. R. consulibus Praetoribus Tribunis Plebis Senatui Populo Plebique Romanae. Inscriptum quandoque occurrit in *Ciceronis Epistolis.*

COSS. SS. conservis Suis. *Sarainas. Manutius.* Consules Suprascripti. consulibus Suprascriptis.

COSS. VALENT. VALENT. III. consulibus Valente Valentiniano Tertium. Qui fuit annus Christi CCCLXX. juxta *Baronii* supputationem, *T.* 3. *Annal.*

CO. SVAE. conjugi Suae.

COST. costodiam, *pro* custodiam. Ita explico hanc notam, quam intactam reliquit eruditissimus *Scaliger*, si rectus sensus Romanae inscriptionis servandus, collectae *pag.* 997. 15.

VREBONIA. C. O. L
SALVIA
ARBITR. MARCIAE. AR......
IN. PRO. P. XII. IN. AO. P. XLIX
COST. CVM. LOC. HS ∞ b

COS. TER. consul Tertio. *Probus.* consult Tertium. *Manutius.*

COS. V. DES. VI. consul Quintum Designatus Sextum.

COS. VIR. consularis Vir.

COS. V. P. P. consul Quintum Pater Patriae. In nummis Impp. ac Trajani praecipue.

COS. VI. P. P. consul Sextum Pater Patriae.

COS. XIIII. LVD. SEC. FEC. consul Decimumquartum Ludos Seculares Fecit. Imperatoris Domitiani sunt varii Nummi cum hac inscriptione. Argenteus habet figuram stantem ante aram; alter coronam querceam, cum cippo, & hisce notis in medio. Aereus quoque invenitur, cum figura sacrificante, ut in argenteo.

COS. XI. P. P. IMP. VIII. Consul Undecimum Pater Patriae Imperator Octavum. Quia in assumendis titulis nullum servabant ordinem Imperatores; ob id, cum consulatus anno, Imperatoris annus non convenit: non enim Consulatum, Imperatoris Epithetum, Tribunitiam potestatem, atque Censuram quolibet anno assumebant, sed pro lubitu, & alterutram & omnes.

C. OTAC. Cajus Otacilius. *Angelonus.* Otacilia gens, Romae plebeja, consularis tamen, ex qua consul, cognomine Crassus, sorte fortuna Marciam Otacillam, Phillippi Imp. Uxorem habuit.

C. P. Cajae Publiae. Caussam Posuit. *Manutius.* Cinerarium Posuit. Curavit Ponendum. In sepulcralibus frequentissime, & vulgatissime.

Civis Publicus. *Probus. Ms: Zabarella. Sarainas. Appianus. Laxius. Manutius.* Accuratissimus *Erutius* in notis *ad Caput* 3. *Probi*, considerat, quod si sola ea publica fuissent, quae populi Romani sunt, ut docet *Ulpianus l. Bona. ff. de verb signif.* sequeretur Civem Publicum nullum alium esse; quam Romanum, quem *Cicero* ingenuum, alii perfectum appellant.

Clarissime Puer. *Papias.*

Clarissimus Puer. *Magno.*

Comitialis Peregrinus. Cras Pejus. *Manutius.*

Cui Praeest. Lego in Saxo isto *pag.* 1007. 4.

I. O. M
COH. I. AEL
DAC. C. P
STATIVS. LON
GINVS. TRIB

Cum Praeterito. *Scaliger.* exponit hasce duas litteras in monumento *pag.* 22. 3.

PRO. SALVTE. ET. REDDITV. DM. IMP. CAESARIS
VOTIS. . . . . PIO. FELICI VOTIS
XANNALIB INVICTO. AVG. DOMITIVS. RASSVS. 3. FR. AGENS XXANNALIB
FELICIEER VICE. PRINCIPIS. PEREGRINORVM. TEMPLVM. IOVIS. REDVCIS. C. P FELICITER
OMNI. CVLTV. DE. SVO. EXORNAVIT

In quo tamen, cum mentio fiat de templi constructione, si licet post tantum virum sententiam proferre, libens legerim, *Cum Portico*, quae ab antiquis saepissime templis adstruebantur.

Cum Prioribus. *Gualtherius.*

C. PAC. Cajus Pacuvius. *Santamantius.*

C. PAPIRI. Cajus Papirius. In nummis gentis Papiriae.

C. PLVTI. Cajus Plutius. In argenteis nummis gentis Plautiae, quae Plutia, Plotia, & Plautia, *Ursino* teste.

C. POBLICI. Cajus Poblicius. In argenteis gentis Policiae, quae & Publicia *Ursino* auctore.

C. POPILI. P. F. P. N. Cajus Popilius Publii Filius Publii Nepos. In argenteis nummis gentis Popiliae.

C. P. R. Consulto Populi Romani. *Gratiosus.*

CPRSS. Cupressi. *Probus Ernstius. Diaconus. Manutius. Cupressi*, ex *Festo*, *mortuorum domibus apponebantur; quia hujus generis arbor excisa non renascitur, sicut de mortuo nihil jam est sperandum. quam ob caussam, in tutela Ditis patris putabatur.* Quibus addit in suis Castigationibus *Scaliger*, divitum tantum, non etiam omnium aedibus praeponi fuisse consuetum. Auctor Lucanus:

Et non plebejos luctus testata cupressus.

Quod factum credit, ob arboris raritatem.

C. P. S. Caussa Pupilli Statuitur. *Gratiosus.* Curavit Poni Sibi. Curavit Pecunia sua, *vel* Proprio Sumptu. Non raro in sepulcralibus.

CPS. Capsa. *Diaconus. Manutius.*

CPS. AE. Capsa Aedilium. *Gratiosus.*

C. P. S. E. Caussam Posuit Sui Edicti. *Diaconus. Sarainas. Manutius.*

Civis Publicus Sepultus Est. Comitialis Peregrinus Situs Est. *Manutius.*

Curavit Pecunia Sua Erigi, *vel* Proprio Sumptu. In sepulcralibus.

C. P. T. Caussa Publici Testamenti. *Gratiosus.* Curavit Poni Titulum. Curavit Ponendum Tumulum. In sepulcralibus.

C. PT. Caussam Petitionis. Caussam Posuit. *Diaconus. Manutius.*

CPTVS. Corporatus. *Magno.*

C Q. Quingenta Millia. *Anonymus Ms: de Notis Romanorum.*

CQ. R. F. Cautumque Ratum Fore. *Magno.*

C. Q. S. S. E. Caussa Quae Supra Scripta Est. *Papias.*

C. R. Cajus Rufus. *Trebellius. Manutius.* Censor Romanus. *Manutius.*

Cives Romani. *Sarainas. Manutius. Porta.*

Civis Romanus. *Probus*, cum reliquis.

Civium Romanorum. *Scaliger.*

Cohors Romana. Consul Retulit. Consul Romæ. *Manutius.*

Curaverunt Refici. *Scaliger.* In restitutis monumentis.

Curavit Refici. Aliquando in monumentis, templis, operibusque publicis restitutis.

Curavit Romæ. *Manutius.*

CR. Certe. *Ms: Rhodii. Sarainas. Manutius.*

Contrarium. *Sarainas. Appianus. Manutius.*

Contractum. *Probus. Ms: Zabarellæ. Sarainas. Lazius. Manutius.*

Creticus. *Probus. Diaconus. Ms: Zabarellæ. Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius.*

Crispus. *Probus, Diaconus. Appianus. Lazius. Manutius.*

Critici. *Sarainas. Manutius.*

Criticus. *Sarainas:*

Cur *Ms: Rhodii. Sarainas. Manutius.*

CRAS. Crassus. In nummis æreis gentis Liciniæ, in qua Crassi cognomen clarum, vel ab obesitate, vel a divitiis.

CRASS. IVN. LEG. PROPR. Crassus Junianus Legatus Proprætor. *Ursinus.* In nummis argenteis gentis Liciniæ, in quibus observandum, Junianum cognomen, quod indicat aliquem gentis Juniæ in Liciniam adoptatum.

CRASSIN. R. Crassinus Regilliensis. *Panvinius. Sigonius.*

C. R. C. Cæsar Rursus Curavit. *Manutius.*

Cujus Rei Causa. *Probus. Diaconus*, & reliqui.

C. R. C. P. Cujus Rei Causa Permittitur. *Gratiosus.*

Cujus Rei Causa Promittis. *Probus. Diaconus*, & reliqui; suntque verba actionum apud antiquos, in jure, & coram Prætore prolata.

CR. CR. Circum Circa. *Papias. Gratiosus.*

C. REGIEN. P. R. F. Civitas Regientium Populo Romano Fidelis. *Sarainas. Manutius.*

CREM. Cremonensis. Quod lego in Saxo apud *Gruterum pag.* 82. 10.

M. CASSIVS. M. F
ANI. CAPVLVS. CREM
7.COH. V. PRAETORIAE
AEDEM. ISIDI. PECVNIA
SVA FECIT

C. RENI. Cajus Renius. In argenteis Reniæ gentis nummis.

CRESCENT. Crescentiæ. *Sarainas. Manutius.*

C. R. G. P. Cujus Rei Gratia Promittus. *Ms: Rhodii.*

CRI. consulari. *Magno.*

C. RIP. causa Reipublicæ. *Magno.*

CRIS. crispus. *Sarainas.*

C'. R. N. comes Rerum Nitentium. *Magno.*

C. R. P. comes Rei Privatæ. *Magno. Papias.*

CRT. contractum. *Manutius.*

creticus.

CRTS. curtius. *Sarainas. Manutius.*

CRTVS. circuitus. *Ms: Rhodii. Sarainas. Manutius.*

CRVST. crustumina. *Scaliger.* Tribus, de qua nota CLVST.

CRVST. ET. SPORT. N. S. X. N. crustulum Et Sportulas Nomine Suo Decem Nummos. In sepulcrorum legatis. Crustulum & Sportulas populo datas, tum publica lætitia, tum in sacris, tum etiam in feralibus cœnis, satis superque indicant antiqui lapides. crustulum a crusta pultis dictum fuit, *Varrone* teste *de Ling. Lat. lib.* 4. Sportula vero cœna extitit parvula; at sportulas, pro capsa, & pro salario quandoque usurpavere Jurisconsulti. Sportulæ item nuptialis meminit *Symmachus lib.* 3. *epist.* 29. *& lib.* 9. *epist.* 107. necnon & Sportulæ consularis ibidem *lib.* 9. *epist.* 134. hac tamen cum observatione, sportulam parvulam cœnam, parvulumque munus fuisse.

C. S. Cajus Sulpitius. canis Stupidus. caput Suum. Carus Suis. Caussa Sua. Civitatis Salus. Collegii Sententia. *Manutius.*

communi Sumptu. In sepulcralibus communi sumptu erectis.

consulum Sententia. *Probus. Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius.*

conjux stulta. conjux stupida. conjux sua. cor suum. curavit sibi. *Manutius.*

cum suis. *Manutius. Scaliger.* In sepulcralibus.

CS. Cæsar. *Probus. Ms: Rhodii & Ferrarii. Magno. Papias. Manutius.*

caussas. *Magno.*

communes. *Diaconus.*

communis. *Diaconus. Papias. Sarainas. Manutius.*

consiliarius. *Probus. Diaconus. Ms: Rhodii & Ferrarii. Magno. Sarainas. Manutius.*

consul. *Probus. Diaconus. Gratiosus. Sarainas. Manutius.*

consularis. *Gratiosus. Manutius.*

cornibus. *Sarainas. Manutius.*

credimus. *Papias. Manutius.*

CS. A. Cæsar Augustus. *Ms: Rhodii. Magno. Papias. Manutius.*

CSA. Cæsar. *Papias.*

C SA. L. comes Sacrarum Largitionum. *Papias.* De eo actum notis C. LARG.

C. S. C. P. T. M. cum Senatus Consulto Publice Teneri Mandavit. *Sarainas. Manutius.*

cum Suis Curavit Ponendum Titulum Monumenti. Si in sepulcralibus.

C. SCR. Cajus Scribonius. In argenteis nummis Gentis Scriboniæ.

C. S. E. cum Suis Edictis. *Gratiosus.*

cum Suis Heredibus. *Probus Ernstii. Ms: Ferrarii.* Suos heredes eosdem, ac necessarios fuisse observavit. *Ernstius in Not. ad Caput* 3. *Probi.* Unde filii, nepotes ex filio, cæterique liberi, qui in potestate morientis sunt, sui heredes sunt. §. 2. *Instit. Tit. de Hered. Qualit. & Differ.*

C. SEMPRONI. C. F. C. N. TVDITAN. Cajus Sempronius Caji Filius Caji Nepos Tuditanus. In argenteis nummis gentis Semproniæ plebejæ, in qua Tuditani clari; ita dicti, quod malleo simili capite nascerentur. Tudites enim mallei a tundendo dicti, ut observavit *Alex. ab Alex. Genial. Dier. lib.* 1. *cap.* 9.

Ɔ. SER. conservus. Conservi, qui eadem servitute serviebant, sunt ergo servorum, in monumentis, notæ.

C. SERVILI. M. F. Cajus Servilius Marci Filius. In nummis argenteis gentis Serviliæ.

C. SEX. CALVIN. Cajus Sextius Calvinus. In Sextiæ gentis nummis argenteis.

C. S. F. communi Sumptu Fecit. Communi Sumptu Factum. *Scaliger.*

curavit Sibi Faciendum. Cum Suis Fecit. In sepulcralibus.

C. S. FL. cum Suis Filiis. *Probus Ernstii. Diaconus. Ms: Ferrarii. Manutius.*

C. S. H. communi Sumptu Heredum. Concessu Suorum Heredum. *Scaliger.*

Cum Suis Heredibus. Curavit Sibi Hoc. In sepulcralibus.

C. S. H. S. S. S. V. T. L. communi Sepulcro Hic Siti Sunt Sit Vobis Terra Levis; *vel* Communi Sumptu,

Sumptu, *aut* Cum Suis Heredibus. Sepulcralium lapidum communissima formula.

C. S. H. S. T. T. L. communi Sumptu Heredum Sit Tibi Terra Levis.

Curavit Sibi hoc, Sit Tibi Terra Levis. Antiqui dixerunt, cum mortuis suis æternam precabantur felicitatem. unde *Martialis lib.* 9. *Epigr.* 30.

Sit tibi terra levis, mollique tegaris arena ;
Nec tua non possint eruere ossa canes.

Necnon *lib.* 5. *Epigr.* 35.

Mollia nec rigidus cespes tegat ossa, nec illi
Terra gravis fueris, non fuit illa tibi.

Ad quæ *Farnabius* hæc notavit: *Fausta & solemnes bene precandi mortuis, quos amabant, formula, ut scilicet facilis pateret animæ reditio, & iter ad sepulcrum in parentalibus; sepultos autem diris & incantationibus urgeri a terra graviori credebant.* Quibus itaque male optabant, terram gravem imprecabantur. *Seneca Act.* 5. *Scen. ult. Hippolyt.*

. . . . . . istam terram defossum premat,
Gravisque tellus impio capiti incumbat.

& *Tibullus Eleg.* 4. *lib.* 1.

Jam tua qui Venerem docuisti vendere primus,
Quisquis es, infelix urgeat ossa lapis.

Sed plura in hanc rem *Brissonius de Formulis lib.* 1.

CSI. consularis. *Gratiosus.*

Controversia. *Diaconus. Magno.*

C̄S. IP. Cæsar Imperator. *Diaconus. Manutius.*

C. S. L. comes Sacrarum Largitionum. *Probus. Magno.*

Curavit Sibi Locum. Curavit Sepulturæ Locum. In sepulcralibus.

C̄S. M. Cæsar Maximus. *Diaconus. Manut.*

CSN. cautiones. *Magno.*

CS. N. E. credimus Non Esse. *Gratiosus.*

ꝯSNS. Constantinus. *Magno.*

C. S. P. E. cum Sua Pecunia Est. *Probus Ernstii. Diaconus. Ms: Ferrarii. Manut.*

ꝯSRIS. consularis. *Papias.*

CSS. Consiliarii. Consiliarius. Consules. *Papias.*

Consularis. *Papias.*

C. SS. Consiliarii. Consules. *Manutius.*

Cum Suprascriptis. Cum Suis.

ↃSS. Consules. *Sarainas. Manutius.*

C. S. S. cum Suis Servis. *Probus Ernstii. Diaconus. Ms: Ferrarii. Manutius.*

Curavit Sibi Sepulcrum. Curavit Sibi Suis. In sepulcralibus.

C. SP. SERVIL. Cajus Spurius Servilius. Lollianus ille, qui sub Gallieno Tyrannorum alter, ita in suis nummis appellatus est.

CST. controversia. *Passeratius. Laurentius.*

ꝯSTIVS. Constantius. *Papias.*

C. SVLPICI. C. F. Cajus Sulpicius Caji Filius, &

C. SVLP. PATERCVL. cajus Sulpicius Paterculus. In nummis argenteis gentis Sulpitiæ.

ꝯSVS. consensus. *Magno.*

C. T. certo Tempore. Certum Tempus. *Magno.*

CT. cæcitas. *Ms: Rhodii. Sarainas. Manutius.*

caput. *Manutius.*

caussat. *Sarainas. Manutius.*

centurio. civitas. contra. contractum. *Manutius.*

contrarium. *Ms: Rhodii. Manutius.*

controversia. curavit. *Manutius.*

CT. caput. *Diaconus.*

Caussat. *Diaconus. Manutius.*

Contractus. *Magno.*

CT. contractum. *Sarainas, Manutius.*

CTꝯ. contractum. contrarium. *Diaconus. Ms: Ferrarii.*

ↃT᷾. contractus. contrarius. *Probus Ernstii.*

CTA. citra. *Ms: Rhodii. Sarainas. Manut.*

C. TARQVITI. C. F. Cajus Tarquitius Caji Filius. In nummis argenteis Tarquitiæ gentis.

CTA. VI. centenaria sex. *Manutius.*

C. TER. LVC. Cajus Terentius Lucanus. In argenteis gentis Terentiæ.

C. TITINI. Cajus Titinius. In Titiniæ gentis nummis argenteis.

CNT. contractum. Contrarium. *Manut.*

CTR. cæterum. *Diaconus. Sarainas.*

CTR. cæterum. *Diaconus. Manutius.*

Contractum. contrarium. *Papias.*

CT℞. cæterum. *Probus Ernstii. Ms: Rhodii, & Ferrarii.*

CT. R. civitatis Romanæ. *Manutius.*

CT. RAE. civitatis Romanæ. *Diaconus. Manutius.*

C. TREBONI. C. F. Cajus Trebonius Caji Filius. In argenteis nummis Treboniæ gentis.

CTRIO. centurio. *Magno.*

CT. RM. civitatis Romanæ. *Diaconus. Manutius.*

CTR. M. Citra Murum. *Diaconus. Sarainas. Manutius.*

C. TR. VL. Colonia Trajana Ulpia. De qua *Stephanus Pighius in Hercule Prodicio*, fusissime, & *Steph. Zamoscius in Annal. Antiq. Dacic. cap.* 111.

CT. V. O. A. B. Civitas Omnia Aufert Bona. *Diaconus. Manutius.*

C. V. Caussa Virginum. *Diaconus. Ms: Ferrarii. Manutius.*

Centum Quinque.

Centum Vir. *Probus. Manutius. Rubens.*

Centum Viri. *Probus. Appianus. Lazius. Manutius.* In edictis perpetuis.

Centum Virum. *Probus*, cum reliquis.

Clarissimo Viro. *Probus. Sarainas. Manutius.*

Clarissimus Vir. *Probus*, & cæteri.

Colonia Viennensis. *Scaliger.*

Consul Quintum. *Manutius.*

Consularis Vir. *Trebellius. Manutius.*

Curatori Viarum.

C. V. Clarissimi Viri. *Papias.*

C. Y. Clarissimo Viro. Ita duas hasce litteras explico, cum in Saxo *pag.* 422. 1. Y. pro V. continue observetur:

ΙYLIO EYBYLIDAE
C. Y. CORR. TYSCIAE
X. YRO. PRAEFECTO
AERARI. S. SATYRNI
OB INLYSTRIA. IPSIVS
MERITA. ET. AMOREM. IYX
TA. CIYES. ORDO. INTE
RAMNATIVM. PATRONO

CV. Casus. *Papias.*

Curam. *Sarainas. Manutius.*

C. VAL. C. F. FLAC. Cajus Valerius Caji Filius Flaccus. &

C. VALER. M. F. P. N. Cajus Valerius Marci Filius Publii Nepos. *Et*

C. VALER. POTIT. Cajus Valerius Potitus. *Atque*

C. VAL. FLAC. IMPERAT. EX. S. C. Cajus Valerius Flaccus Imperator Ex Senatus Consulto. Habent nummi argentei Valeriæ gentis.

C. VALGI. C. F. Q. N. Cajus Valgius Caji Filius Quinti Nepos. In nummis argenteis Valgiæ gentis.

C. VAL. HOS. MES. QVINT. N. C. Cajus Valerius Hostilius Messius Quintus Nobilis Cæsar. Habent Hostiliani Cæsaris nummi aliqui.

C. V. C. F. M. S. T. P. Cajus Valerius Caji Filius Monumento Suo Titulum Posuit. Omnes hasce notas in Patavino Saxo sic explico, apud *Gruterum pag*. 929. 8. si recte monumentum hoc doctiores expendant:

D. M
C. V. C
F. M. S
T. P

7. VET. Centurioris Veturii. *Scaliger*. Quippe notam illam centurionatum indicasse jam observatum fuit.

Ↄ VET. Centuria Veturii. *Scaliger*.

CVI. cujus. *Diaconus. Papias. Sarainas. Manutius*.

C̄VĪ. cujus. *Ms: Rhodii. Magno. Papias*.

CVI9. cujus. *Magno*.

C. VIBI. PANS. Cajus Vibius Pansa. In argenteis gentis Vibiæ nummis.

C.VI.CEL. colonia Victrix Celsa. De qua notis COL. VIC. IVL. CELSA.

C. V. I. CEL. colonia Victrix Julia Celsa. *Augustinus*.

C. V. IL. colonia Victrix Illice.

C. V. I. LEP. colonia Victrix Julia Leptis.

CVI. PR. Q. ER. Cui Præest Quintus Erucius. *Scaliger*.

C. VISELLI. Cajus Visellius. In nummis argenteis gentis Viselliæ.

CVIT. Civitas. *Diaconus. Gratiosus. Manutius*.

C. V. IVD. Centum Virale Judicium. *Magno*.

CVL. Cultores. *Probus. Ms: Zabarella. Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius*.

CV. MA. F. AN. XV. Cum Marito Fuit Annos Quindecim. Ita namque legendas opinor in Saxo, *Roma subterranea T. 2. lib. 4. cap.* 18. has omnes notas:

LIVIA. MARIA. IN. PA. ⊖. V. A. XLVI
M. V. CV. MA. F. AN. XV. D. IN. BISO7
SV. COS. MER. ELIA. F. PO. V. K. AV.

CVM. CONS. Cum Consilio. Notas istas, quas non explicat *Josephus Scaliger in Gruterianis Indicibus*, sic lego, quod an recte, ut peritiores decernant, monumentum exhibeo *pag*. 189. 4.

A. VITELLIVS. A. F. OCR
CRESCENTIVS. II. VIR. CAP
Q. VALERIVS. Q. F. OCR
PACATVS. II. VIR. CAP.
CVM. CONS. RESTITVE
RVNT

CVM. P. Cum Pietate. *Sarainas. Manutius*.

C. V. M. P. Contra votum Memoriæ Posuerunt. *Probus Ernstius*.

Contra votum Monumentum Posuit. Non raro in sepulcralibus puerorum & juvenum defunctorum, quibus parentes superstites monumenta erexere.

Curavit Vivens Monumentum Poni.

CVNC. Conjux. *Scaliger*.

C. V. P. V. D. D. Clarissimus Vir Præfectus Urbi Dono Dedit. *Vel* Dedicavit. In votivis.

Communi Voluntate Publice Votum Dederunt. *Scaliger*.

Consul Quinquies Prætor Quinquies Dis Dantibus. *Sarainas*.

CVR. Cura.

Curator. *Papias. Sarainas. Manutius*. Curatores multos habuerunt antiqui: inveniuntur namque Curatores Ædium Sacrarum, Operum Publicorum, Alvei Tiberis, Cloacarum Urbis, Annonæ, Aquarum, Kalendarii, Coloniæ, Frumenti Comparandi, Locorum Publicorum, Municipii, Nautarum, Operum Maximorum, Pecuniæ Publicæ, Pecuniæ Sacræ, Ærarii, Regionum Urbis, Viarum, Reipublicæ, & fere sexcenti, ut patet ex antiquis saxis. Cæterum Curator erat magistratus municipalis, ex decurionibus creatus, qui pecuniæ publicæ administrandæ, vectigalibus locandis, operibus locisque publicis curandis præerat. Ita *l.* 10. *ff. de Administrat. Rer. Ad Civit. Pert.* juncta *l.* 46. *ff. de Damn. Infect.*

Curavit. *Sarainas. Manutius*.

Curiæ. *Manutius*.

Curiarum. *Probus. Sarainas. Manutius*.

Curiatus. Curioni. *Manutius*. Curiones vocabantur, qui curionis sacris præsto sunt, qui tot, quot curiæ, idest, triginta, *Dionysio* auctore. Ita *Ernstius ad Caput* 3. *Probi*. Præcones etiam, postremis temporibus, Romani Curiones vocavere, ut monet *Scaliger ad Festum verbo Curiales*. quem lector si consulat, multa tibi de Curionibus, & scitu digna deprehendet.

Curionum. *Probus. Ms: Zabarella. Appianus. Lazius. Manutius*.

Cursor. *Probus. Ms: Zabarella. Manutius*.

Curulis. *Sarainas*.

CVR. AED. SACR. Curatori Ædium Sacrarum. In Deorum Saxis.

CVR. AMERINOR. Curatori Amerinorum. In Coloniarum lapidibus.

CVR. ANN. Curatori Annonæ.

CVRAT. Curatis. Curator. *Manutius*.

Curatori. *Sarainas. Manutius*.

CVRAT. OP. PVB. Curatori Operum Publicorum. In publicis operibus.

CVRATORR. Curatores. De pluribus.

CVRAT. REIPVB. BERG. Curatori Reipublicæ Bergomensium.

CVRAT. REIPVB. COMENS. Curatori Reipublicæ Comensium.

CVRAT. TABVL. PVBL. Curatori Tabularii Publici.

CVRAVER. Curaverunt.

CVR. COL. Curator Coloniæ. *Scaliger*.

CVR. COL. CLAVD. Curator Coloniæ Claudiæ. *Gualtherius*.

CVR. DE. S. Curavit De Suo. In opere aliquo, auctoris ære perfecto.

CVR. DE. SEN. SENT. Curaverunt De Senatus Sententia. Curaverunt De Seniorum Sententia. *Gualtherius*.

CVR. ET. SVB. ASC. DED. Curavit Et Sub Ascia Dedicavit. In Sepulcralibus non raro.

CVR. II. FRVM. COMP. Curator Iterum Frumenti Comparandi.

CVR. KAL. Curator Kalendarii. *Scaliger. Reinesius*. Qui *Epist*. 23. observat, curatorem Kalendarii fuisse eum, qui pecuniam, vel publicam municipii, vel privati cujusque, fœnori locatam curabat, sub nominibus faciendis, obnoxiis Reip. aut hero suo fœnebrem pecuniam ponebat, & kalendis quibusque, modo caput ipsum cum usuris, modo proventum tantum usurarum exigebat. Antiqui enim, ait ille, negotiationem credendi & exigendi,

exigendi, Kalendarii exercitationem vocabant.
CVR. KAL. FRABATERNOR. Curator Kalendarii Frabaternorum.
CVR. LIB. Curatore Liberto. Curator Librarius.
CVR. MIN. Curatori Minori. *Manutius.*
Curatori Minicæ.
CVR. MIN. LEG. Curatori Minerviæ Legionis. *Angelonus.* In militaribus.
CVR. OP. P. Curatori Operum Publicorum. *Manutius.* In lapidibus Virorum honoratorum.
CVR. P. Curavit Ponendum.
Cursus Publicus. *Magno.*
CVR. PEC. Curatori Pecuniæ. ubi dignitatum fit mentio, cum subsequentibus, usque ad notam CVS.
CVR. PEC. PVB. Curatori Pecuniæ Publicæ.
CVR. P. P. Curator Pecuniæ Publicæ. *Scaliger.*
CVR. R. Curatori Reipublicæ. *Angelonus.*
CVR. REG. TRANSPAD. Curatori Regionis Transpadanæ.
CVR. RESI. Curator Residuorum. *Scaliger.*
CVR. R. P. Curator Reipublicæ. *Scaliger.*
Curatori Reipublicæ. *Gualtherius.*
CVR. R. P. ALB. Curator Reipublicæ Albanorum.
CVR. R. P. BOVIAN. Curatori Reipublicæ Bovianorum. Bovianum, urbs est Samii, nunc *Bojano.* Fuit Romanorum *Colonia vetus*, ait *Plinius Hist. Nat. lib. 3. cap. 12. & alterum, cognomine Undecimanorum.* Hanc deduxisse putat Panvinus, Julium Cæsarem; cui adstipulatur *P. Merula Cosmograph. part. 2. lib. 4. cap. 19.* Hujus meminit *Frontinus de Coloniis his verbis: Bovianum oppidum, lege Julia, milites deduxerunt, sine Colonis. Iter populo amplius non debetur, quam pedibus X. Ager ejus per centurias & scamna est assignatus.*
CVR. R. P. CONCORD. Curatori Reipublicæ Concordianorum, *seu* Concordiensium. Concordiæ urbes tres, Germaniæ una, *Kochesburg* nunc dicta; Hispaniæ altera, unde *Plinio* auctore *Hist. Nat. lib. 4. cap. 22.* Concordienses dicti. Fori Julii tertia, cujus hodie, præter rudera & paucissima tuguria, nullum vestigium.
CVR. R. P. PISAVR. ET. FAN. PP. M. Curator Reipublicæ Pisaurensium, Et Fanestrium Perpetuo Mandavit. Fanestres, incolæ fuot Fani Fortunæ in Piceno, Italice *Fano.*
CVR. SAC. PVB. P. R. Curator Sacrorum Publicorum Populi Romani.
CVR. VIAE. FALER. Curatori viæ Faleriæ, *seu* Faleriæ. Quam per Falernum Campaniæ agrum olim duxisse facile est credere.
CVR. VIAR. Curatori Viarum. *Manutius. Scaliger.*
CVR. Custos. *Sarainas. Manutius.*
CVST. Custos. Custodi.
C. V. T. Curavit Usus Titulo. *Scaliger.*
ƆVSIA. Controversia. *Papias.*
CVTAS. Civitas. *Ms: Rhodii.*
CVTI. Civitas. *Ms: Ferrarii.*
C. V. T. T. Colonia Victrix Togata Tarraco, *vel* Thyrrenica. *Augustinus.*
C. V. T. QQ. V. P. XXX. Curavit Vivens Tumulum Quoquoversus Pedes Triginta. Quæ an subsistant, necne, ecce integrum monumentum, in quo extant, *pag. 24. 21.*

C. V. T. QQ. V.
P. XXX.

CVXS. conjunxit. *Ms: Zabarella.*

CXƆ. Mille. *Antiquus Codex de Notis Numerorum Ms.*
C. X. INV. A. cubitos Decem Invenies Argentum. *Manutius.*
C. X. INV. A. M. cubitos Decem Invenies Aurum Mirabile. *Manutius.*
C. X. IV. ARG. Cubitos Decem Invenies Argentum. *Probus. Diaconus.*
C. XX. IV. AVR. M. Cubitos Viginti Invenies Aurum Mirabile. *Probus. Diaconus.*
CY. Cybeles. *Gratiosus.*
C. YPSAE. COS PRIV. COEPIT. Cajus Ypsæus Consul Privernum Cœpit. In nummis argenteis gentis Plautiæ, cum Æmilia communibus.
CYR. Cyrenaicæ. *Manutius.* Supple Provinciæ.
C ∞ IX. Noventcentum Novem. *Rosinus.* Millenario namque numero centum antepositum, centum ipsi detrahit, ita ut quod mille fuerat, novem centum evadat; hæc vero nota ∞ mille fuisse apud antiquos norunt omnes.

D.

D. Dabo. *Sarainas. Manutius.*
Damnat. *Papias. Sarainas. Manutius.*
Damnatus. *Gratiosus.*
Dat. *Sarainas.*
Data. *Sarainas. Manutius.* In Rescriptis Imperatorum, ac præcipue post Constantinum.
Datum. *Calvinus. Sarainas.*
De. Dealis. Decem. *Sarainas. Manutius.*
Decimus. Frequentissime 10 Saxis; ubi prænomen Decimi, illorum fuit, qui decimi ordine nati erant. *Panvinius de Nomin. Antiq. Sigonius de Nomin. Roman.*
Decius. *Isidorus. Diomedes Grammat. Probus*, & fere omnes. Decios a decore dictos notat *Becmanus de Orig. Ling. Lat.*
Decreto. *Manutius.*
Decumanus. In terminis antiquis, agrorum limites signantibus.
Decuria. *Scaliger.*
Decurio. *Manutius. Scaliger.* Decuriones in Coloniis quinam essent, dictum a me in *Monument. Patavin. lib. 1. sect. 2.* abunde.
Decus. *Sarainas. Manutius.*
Dedicatio. *Papias.*
Dedicavit. *Probus.* Cum ceteris. In lapidibus Deorum, ac Votivis.
Dedico. *Calvinus.*
Dedit. Dedita. Deinceps. *Sarainas. Manutius.*
Denunciandi. *Manutius.*
Deposita. Depositus. In sepulcralibus lapidibus Christianorum primi ævi.
Des. *Sarainas.*
Devotus. *Probus*, & ceteri fere omnes; habeturque in monumentis, Imperatorum nominibus dicatis præcipue, hac formula: *Devotus Numini Majestatique Ejus.*
Devovit. *Gratiosus.*
Deus. *Probus. Manutius.*
Dicavit. *Gratiosus. Sarainas. Manutius.*
Dicendi. Dicit. *Sarainas. Manutius.*
Dicto. *Sarainas.*
Dictator. *Manutius.* In Fastis aliquando.
Diebus. *Probus. Manutius.*
Dies. *Papias. Sarainas. Manutius. Servius.* In sepulcralibus, quibus non tantum menses & annos, sed dies etiam signabant.
Dignus. *Manutius.*

Dis.

Diis. *Gratiosus. Sarainas. Manutius.* In sepulcralibus omnibus, in quorum summitatibus, *Diis Manibus*, occurrit.

Discipulus. *Ms: Ferraris.*

Divino. *Sarainas. Manutius.*

Divinus. Divitiæ. *Manutius.*

Diutius. *Probus. Ms: Zabarella. Sarainas.*

Diva. *Probus. Appianus. Manutius.*

Divo. *Lazius. Angelonus.* In numismatibus Impp. atque iis præcipue, quæ post mortem, atque illorum consecrationem percussa.

Divus *Probus. Diaconus*, & ceteri. In Impp. nummis, ut mox dictum est.

Dixi. *Sarainas.*

Dixit. *Papias. Sarainas. Manutius.*

Dolus. *Manutius.*

Dominus. *Sarainas. Manutius.* Domini titulum, quod nunc omnibus commune, tanquam Deorum proprium respuerunt, Augustus, & Tiberius, ut in iis Suetonius.

Domo. *Scaliger.* Absolute hæc vox posita, idem ac patria, ut inferius videbitur, habeturque nota in militum monumentis potissimum.

Domus. *Manutius.*

Donatio. *Papias.*

Donatus. *Manutius.*

Donavit. *Gratiosus. Manutius.*

Dono. *Sarainas. Manutius.*

Dos. *Manutius.*

Dotata. *Sarainas. Manutius.*

Dotem. *Sarainas.*

Drusus. Dubium. Ducit. *Manutius.*

Dum. *Papias. Sarainas. Manutius.*

Duo. *Papias. Gratiosus. Manutius.*

Duravit. *Sarainas. Manutius.* Quingenta. Usitatissimum in numeris litterarum.

D. Nota Prænominis Decium significat, ait *Diomedes de Art. Grammat lib.* 2. Verum enimvero, cum nomen sit gentilitium Decius, typographicum mendum apud Diomedem suspicor, ut pro *Decio*, *Decimus* legi debeat; quod me docet *Beda libello de Orthographia.*

D. Dedicavit. *Diaconus. Manutius.*

Divus. *Papias.*

Quingenta Millia. *Antiquus Codex de Notis Numerorum.*

D. Dedicavit. *Probus. Ernstius.*

D'. Damnat. *Ms: Ferraris. Manutius.*

Dedit. Dies. *Ms: Ferraris.*

Discipulus. *Ernstius ad Caput 4. Notar. Prob.*

Dixit. *Probus Ernstius. Ms Ferraris. Manut.*

Donat. Donavit. Ducit. *Manutius.*

Duo. *Ms: Ferraris.*

D°. Damnat. *Ms: Rhodio.*

Damnavit. Damni. Dedicavit. *Diaconus.*

Dedit. Dies. *Manutius.*

Donat. Donavit. *Diaconus.*

Ð. Domo *Scaliger.* Domo, absolute posita, ut puta, Domo Ateste, Brixia, Perusia & similibus, in monumentis antiquis idem est, ac Urbe Ateste, Brixia, Perusia & reliquis; quinimo absque *domo* voce, urbium nomina in Saxis, absolute sculpta, ut puta Augusta, Florentia, Mutina, Novaria, & alia quamplurima, patriam illorum, quorum sunt Monumenta, designant, præcipue in militum Saxis.

Donavit. *Magno.*

Ð'. Dic. Dies. In antiquorum Christianorum epigraphis observabit, qui *Roma subterranea* opus perlustraverit.

Dixit. *Magno.*

Donat. *Ms: Ferraris.*

Dum. *Probus Ernstius.*

Ð'. Damnatus. *Magno.*

Ð. Dedicavit. *Ms: Ferraris.*

D? } Duo. *Probus. Ernstii.*
D. }

Ð Dampnat. *Magno.* Damnat scilicet.

Dedicavit. *Diaconus. Ms: Ferraris. Manutius.*

Dedit. Denarium. *Diaconus.*

Domo. *Scaliger.*

Donarium. *Manutius.*

Donatio. *Magno.*

Quingenti. *Goltzius.*

Ɑ. Damnata. Decennales. *Sarainas.*

Diva. *Probus. Appianus. Lazius. Manutius.*

Do. *Sarainas.*

Dulcissima. *Manutius.*

Dulcissimo. *Sarainas.*

D. A. De Avibus. *Manutius.* In Aruspicum monumentis, ubi *de Malis ominis avibus.*

Deo Augusto. *Probus.*

Dicto Audiens. *Magno.*

Diis Auctoribus. *Gratiosus.*

Divo Augusto. *Probus. Manutius.*

Divus Augustus. *Probus. Diaconus*, & reliqui.

Duravit Annos. *Sarainas.*

D̄ A. Divus Augustus. *Magno.*

DA. Damna. *Gratiosus.*

Dona. *Probus. Diaconus. Ms: Ferraris. Manutius.*

Duravit. *Manutius.*

DA. Dona. *Manutius.*

DAB. Dabit. *Manutius.*

DAC. Dacia. *Manutius. Angelonus.*

Dacica. Hoc est, Victoria. In nummis Trajani.

Dacicus. *Hemelarius.* Trajanus Imperator, victo Decebalo, Dacorum Rege, atque *triumpho ob victoriam acto, acceptoque Dacici cognomine, in Theatro gladiatores commisit, quibus delectabatur.* Dio in Trajano.

D. A. C. Divo Augusto Cæsari. *Manut.*

Divus Augustus Cæsar. *Sarainas.*

DAC. CAP. Dacia Capta. In Trajani nummis, in quibus Daciæ Captivæ figura, vel insidens spolus, vel sinistra caput sustinens, vel manibus post terga revinctis, vel humi sedens.

DACIC. Dacica. Dacicus.

DAD. Dandis. *Ms: Rhodii.*

D. AE. De Ærario. *Diaconus. Manutius.*

DAM. Damnato. *Sarainas. Manutius.*

D. A. M. S. AV. De Avibus Male Senserunt Augures. *Diaconus. Manutius.*

D. A. S. Divo Augusto Sacrum. *Probus Ernstii.*

DAT. Data. *Magno.*

Dathico. *Lazius.*

Dathicus. *Sarainas. Appianus. Manutius.*

Datum. *Sarainas. Manutius.*

D̄AT. Datiano. *Magno.*

DAT. ET. CAER. CONSS. Datiano Et Cæreale Consulibus. Datianus, est hic, qui perperam a Cassiodoro, dummodo Typographicum absit mendum, Tatianus nominatur, una cum Cæreale consulatum gessit, anno Christi CCCLVIII. *Baronii* observatione *Annal. Tom.* 3. *Datianum* vero, non *Tatianum* legendum, monet hoc Saxum *Roma subterranea T.* 2. *lib.* 4. *cap.* 25.

MVCIA PAVLINA LICINO HERCLA
NIO FILIO BENEMERENTI
QVI. VIXIT ANNIS XX IN PACE
FECIT
SVPRASCRIPTA PAVLINA IN PACE
REQVIEVIT DI. XIIII. KAL. DECEM
DAT. ET. CAER. CONSS.

DAT.

DAT. ET. PP. Data Et Proposita. Quod sub Impp. responsis & constitutionibus legitur, præsertim *Theodosiani Codicis*. Data enim & Proposita sub illa constitutione addebatur, quæ unico die, & dabatur, & proponebatur. *Brissonius 3. de Formul.* elegantissime.

DATHI. Dathicus. *Probus. Ms: Zabarella. Manutius.*

DATHS. Dathicus. *Manutius.*

DAT. POP. Datum Populo. *Angelonus.* In nummis Imperatorum, congiarium distribuentium.

D. AV. F. Divus Augusti Filius. *Manut.*

D. AVG. Deo Augusto. *Probus. Ms: Zabarellæ. Sarainas. Manutius.*

Divo Augusto. *Probus. Ms: Zabarella. Sarainas. Lazius. Manutius.*

Divus Augustus. *Probus. Appianus. Manut.*

D. B. Data Bona. *Sarainas. Manutius.*

Decius Brutus. *Diaconus. Manutius.* Numquid Decimus Brutus, cum Decius nomen sit gentilitium, quod rarissime una littera antiquitus significabatur.

Dedit Benemerenti. In sepulcralibus.

Diis Benemeritis. *Gratiosus.*

DB. Debemus. *Gratiosus.*

Debitis. *Sarainas. Manutius.*

Debitores. *Gratiosus.*

Debitus. *Ms: Rhodii. Manutius.*

Debotus. *Magno.* Devotus scilicet.

D. BAL. Decurio Ballistariorum. *Scaliger.* In militaribus. Quis inter milites Decurio fuerit, his nos docet *Vegetius de Re Milit. lib. 2. cap. 14. Quemadmodum inter pedites centuria, vel manipulus appellabantur; ita inter equites turma dicebatur. Et habebat una turma equites XXXII. Huic qui præerat, Decurio nominabatur, ut enim centum & decem pedites ab uno Centurione, sub uno vexillo gubernabantur; similiter XXXII. equites ab uno Decurione, sub uno vexillo regebantur.* Decurio ergo hic Ballistariorum, vel equitibus Ballistas gerentibus præerat, vel fuit ultimo ævo, præpositus militibus illis, qui tormenta bellica *Ballistas* appellata custodiebant, sic simul regebant.

D. B. C. De Bene Consulentibus. *Diaconus. Manutius.*

De Bono Communi. *Manutius.*

DB. C. D. C. D. E. Diebus Cæsaris Dictatoris Caussa Dicata Est. *Diaconus. Manutius.*

D. B. DD. De Benedicentibus. *Probus Ernstii.*

De Bonis Dederunt. *Diaconus.*

De Bonis Dicunt. *Manutius.*

De Bonis Dixerunt. *Diaconus. Ms: Ferrarii. Manutius.*

Diis Benigne Dedicavimus. *Gratiosus.*

D. B. I. De Bono Judicio. *Diaconus. Manutius.*

Diis Bene Juvantibus. *Probus. Manutius.*

D. B. IN. De Bonis Incertis. *Diaconus. Manutius.*

D. B. M. De Bene Merentibus. *Ms: Ferrarii. Manutius.*

Dedit Bene Merenti. In sepulcralibus.

De Se Bene Merenti. *Scaliger.*

D. B. MB. De Bene Merentibus. *Probus. Diaconus. Manutius.*

Diis Bene Merentibus. *Gratiosus.*

D. B. N. De Bene Notatis. De Bonis Nostris. *Diaconus. Manutius.*

D. B. N. T. Diis Bona Nostra Tuentibus. *Gratiosus.*

D. BO. De Beneficio. *Magno.*

D. B. S. F. De Bonis Suis Fecit. *Probus Ernstii. Diaconus. Gratiosus. Manutius.*

D. B. S. H. S. S. De Bonis Suis Hoc Sibi Sumpsit. *Manutius.*

D. B. V. De Bonis Virginis. *Passeratius. Laurentius.*

D. C. Data Caussa. Dato Consilio. *Gratiosus.*

Decurionum Collegium. *Manutius.*

Decurionum namque Collegium erat in Coloniis, instar Senatus Romæ.

Dicis caussa. *Magno.*

Diebus Comitialibus. *Manutius.* Erant autem Romæ dies Comitiales, in quibus Comitia habebantur, vel Calata, vel Centuriata, vel Curiata, vel Tributa.

Diminutus Capite. *Manutius.*

Divus Cæsar. *Probus.* Cum ceteris.

Domesticus Civis. Dotis Custos. *Manutius.*

DC. Dicite. *Ms: Rhodii.*

D. C. A. Divo Cæsari Augusto. *Sarainas.*

Divus Cæsar Augustus. *Probus. Diaconus.* Et ceteri omnes.

D. CAES. Divus Cæsar. *Probus. Lazius. Manutius.*

DCB. Decembris. *Sarainas. Manutius.*

D. C. CAES. Divus Cajus Cæsar. *Passeratius. Laurentius.*

D. C. C. C. S. Decurio Coloniæ Copiæ Claudiæ Sabariæ. *Gruterus.*

DC. C. C. S. Decurio Coloniæ Claudiæ Sabariæ. *Reinesius.* De colonia Saberia *Plinius Hist. Nat. lib. 3. cap. 24.* his verbis: *Noricis junguntur, Lacus Peiso, deserta Bojorum: jam tamen colonia Divi Claudii, Sabaria, & oppido Scarabantia Julia habitantur.* Hanc Savariam nominat *Ptolemæus Geograph. lib. 2. cap. 15.* quam notat Munsterus, celebris auctor, *in Geograph. Gretz* vulgo nunc nuncupari; ab eo tamen dissentire videtur *Philippus Cluverius in Vindelicia & Norico cap. 5.* juxta cum *Wolfango Lazio Comm. Reipub. lib. 12. cap. 2.* qui fuse de hac colonia disserentes. eam oppidum hodie *Sarvar* appellatum esse credunt.

D. C. D. P. Dies Cum Dedit Publice. *Passeratius. Laurentius.*

DCL. Declamaverunt. *Manutius.*

D. CLOD. SEPT. ALBIN. CAES. Decimus Clodius Septimius Albinus Cæsar. Ita in ejusdem nummis Imperator Clodius Albinus nuncupabatur.

D. C. ND. L. De causa Nondum Liquet. *Probus Ernstii.* Qui ad caput quartum suarum notarum, observavit, quod Arbiter, quando a Prætore officio suo fungi, id est, sententiam in se receptam dicere cogebatur, jurabat *sibi de caussa nondum liquere. Ulpianus l. 13. §. ult. ff. de Recept. qui arbitr. Recep.*

D. C. N. N. B. D. De Cæsare Nemo Non Bene Dicat. *Diaconus. Manutius.*

D. CP. Datum Constantinopoli. *Calvinus.* In subscriptionibus Principum, ac eorum Constitutionibus, & Rescriptis.

D. C. POE. Decurio Coloniæ Poetoviensis. Poetovio & Poetovium, urbs illa est in Stiria, quæ a Germanis *Petaur* vulgo dicitur, in qua legionem decimam tertiam stativa habuisse narrat *Tacitus Hist. lib. 3.* quam & decimam tertiam geminam denominatam observat *Lazius Comment. Reipub. Roman. lib. 12. cap. 1.* ex antiquis lapidibus; ubi fuse de hac urbe & colonia, prout etiam *Philippus Cluverius in Vindelicia & Norico cap. 5.*

DCRAT. Decuerat. *Magno.*

DECRION. Decuriones. *Magno.*

DCRM. Decurionum. *Scaliger.* Dummodo lapides occurrant, qui Coloniarum, aut Decurionum meminerint.

D. C. S. De Consilii Sententia. *Probus. Magno. Papias. Sarainas.*

De Consulis Sententia. *Diaconus. Manutius.*

De Consulum Sententia. *Probus. Ms: Zabarella. Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius.* De Consilii tamen Sententia, ceteris lectionem præferendam credit diligentissimus *Ernstius*, cujus rationem opud ipsum videre est, ad *Caput quartum Notarum Probi.*

DCSM. Dicimus. *Ms: Rhodii.*

DCT. Decretum. *Probus Ernstii. Ms: Rhodii. Papias.*

Detinendum. *Manutius.*

Detractum. *Diaconus. Manutius.*

DCT̄. Decretum. *Magno.*

D.D. Damnum Dedit. *Diaconus. Manutius.*

Dea Dia. *Scaliger.* Si occurrant in Fratrum Arvalium legibus, ubi præsertim de locis fulmine ictis expiandis agitur.

Decreto Dato. *Diaconus. Manutius.*

Decreto Decurionum. *Ms: Zabarella*, fereque omnes. Ut autem Senatus Consulta Romæ duabus singularibus litteris S. C. ita Decurionum Decreta totidem D. D. notabantur; sc. quod decreta, *quæ non legitimo numero Decurionum coacto facta erant, non valebant*, ut habetur *l. 2. ff. de Decret. Ab Ordin. Faciend.* Propterea, ut justo numero decreta dignoscerentur ordinata, D. D. signata esse debebant; quod perbelle adnotavit *Velserus Rer. Augustan. lib. 5.*

Decreto Ducis. Decretum Decurionum. Decurionalibus Diebus. *Manutius.*

Decurio Dignissimus *Probus.*

Decurionum Decreto. *Velserus.*

Dedicarunt. *Gallus.*

Dedicavit. *Scaliger. Gallus.* In Votivis, & Imperatorum lapidibus, honoris gratia; hac tamen cum observatione, quod semper in extrema inscriptione.

Dedicatum. *Scaliger.* In Diis dicatis monumentis.

Dedit Deus. *Probus. Diaconus. Manutius.*

Dedit Dedicavit. *Manutius.*

Dedit Donavit *Manutius. Scaliger.* In votivis, & numinibus sacratis Saxis.

De Donis. *Diaconus. Ms: Ferrarii. Manutius.*

Deinde. *Diaconus. Sarainas. Manutius.*

Deo Dedit. *Ms: Zabarella*

Deo Dicavit. *Probus. Diaconus*, & reliqui fere omnes.

Deo Domestico. *Probus. Ms: Zabarella. Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius.*

Devoti. Ut paulo inferius innotescet.

Devotus Dicavit. Dicavit Datum. *Manutius.*

Dis Deabus. In Deorum Lapidibus non raro; verum in fronte inscriptionum, aut earundem saltem principio.

Diis Dantibus. *Probus. Ms: Zabarellæ. Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius.*

Diis Donantibus. *Probus. Ms: Zabarella. Manutius.*

Ditio Ducis. *Manutius.*

Doctio Ducis. *Diaconus. Manutius.*

Do Dico. *Probus*, quæ tamen hic locum tenere non posse *Ernstius* notat ad *Caput 4. Notar. Prob.*

Domus Dicata. *Manutius.*

Dono Datum. *Probus.*

Dono Dedit *Probus. Diaconus.* & cæteri fere omnes.

Dono Dederunt. *Manutius. Scaliger.* In votivis, & præcipue in eorum extremis.

Dono Dicavit. *Probus. Manutius.*

Dono Datum. *Manutius.*

Dotis Dictio. *Probus. Diaconus. Ms: Zabarellæ. Appianus. Lazius. Manutius.*

Dotis Datio. *Probus. Sarainas. Manutius!*

Dotem Dedit. Drusus Decrevit. *Manutius.*

Duc Duc. Ducum Dux. *Diaconus. Manutius.*

DD. Danda. *Magno.*

Dandum. *Papias.*

Declinaverunt. *Manutius.*

Dederunt. *Sarainas. Manutius.* Quod vulgatissimum in Monumentis, a pluribus alicui datis, & in Votivis.

Dedi. *Papias.*

Dedicatio. *Diaconus. Ms: Ferrarii.*

Dedicatum.

Dedicavit. *Trebellius. Simeonius. Manutius.* In votivis, & dedicatis lapidibus, sæpe.

Dedicavere. *Manut.*

Dedicaverint. *Magno.*

Dedicaverunt. *Probus. Ms: Zabarellæ. Papias. Appianus. Lazius. Manutius. Rubens.*

Dedimus. *Sarainas. Manutius.*

Deditos. *Manutius.*

Deinde. *Probus. Magno. Papias. Manutius.*

Dixerunt. *Sarainas. Manutius.*

Dies. Plurali numero; ut in hoc Monumento *Romæ subterraneæ Tom. 1. lib. 3. cap. 22.*

D. M
AVRELIVS FELIX FECIT AVRELIAE
SABBATIAE QVE VIXIT
ANN. II. M. VIIII
DD. XVI. DP. NONIS
NOVEMBRES

Divi. *Papias.*

Dominorum. *Angelonus.*

Dummodo. *Ms. Ferrarii.*

D̄D. Declinaverunt. Dedicaverunt. *Diaconus.*

Dedimus. *Diaconus. Manut.*

Deinde. *Magno.*

D Ð. Defunctus. *Magno.*

D. Ð'. Dandam Dedimus. *Ms: Ferrarii.*

ƋƋ. Dederunt. *Diaconus.*

Dixerunt. *Diaconus. Magno.*

DD'. Dandam. *Probus. Diaconus. Manutius.*

Dandas. Dandum. *Manutius.*

Dedicavere. *Ms: Rhodii.*

Dedimus. *Probus.*

D? D? Dandas. *Probus. Diaconus. Ms: Ferrarii.*

DDAT̄. Debuerat. *Magno.*

D.D.B.M. Dono Dedit BeneMerenti. In sepulcralibus aliquando.

Dedicavit Benemerenti. In cippis, honoris gratia erectis.

DDC. Dedicaverunt. *Diaconus. Manutius.*

DD.C.P. Devoti Cordubenses Posuere. Si notas istas in hoc Saxo Cordubensi recte intellexero *pag. 435. 1.*

L. MANLIO. A. F
AN. GAL. BOCCH
TRIB. MIL. LEG. IV.
Ħ. VIR. PRAEFECT
IVR. DIC. DD. C. P

D.DD. Damnum Dedit. *Ms: Ferrarii.*

Deo Dedicavit. *Sarainas. Manutius.*

Dono Dedere. *Probus. Ms: Zabarellæ. Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius.*

Dono Dederunt. *Probus. Manutius.*

Dono Dedit. Aliquando.

D.D.D. Data Decreto Decurionum. *Ms: Zabarellæ.* In lapidibus, decreto Coloniæ datis, cum subsequentibus.

Datum Decreto Decurionum. *Manut.*

Datus Decreto Decurionum. *Probus. Sarainas. Appianus.*

Appianus. Lazius. Manutius. Scaliger. Quæ dicendi formula in monumentis publico decreto, in Coloniis alicui erectis, quod frequentissimum.

Datus Dono Decurionum. *Trebellius.*

Decem Decurionum Dedit. *Ms: Zabarella.* Nisi irrepserit librarii error, pro *Decem Decuriones Dedere.* Quanquam hoc usitatissimum fuerit, *Datum Decreto Decurionum.*

Decreto Decurionum Dederunt. *Appianus. Lazius. Manutius.*

De Dono Dei. Dignum Deo Dicatum. *Manutius.*

Dono Decurio Dedit. *Probus. Appianus. Manutius.*

Dono Decurionum Dedit. *Probus. Ms: Zabarella.*

Dono Dedit Dedicavit. *Probus. Manutius. Scaliger.* In votivis & Deo dicatis.

D. DD. Damnum Dedit. *Probus Ernstii.*

D. D. D. Datus Decreto Decurionum. Quod habeo ex Saxo Veronensi *pag.* 32. 3.

SOLI
L. CASSIVS. L. L
IANVARIVS
V. S. L. M
L. D. D. D

Datus Decreto Decurionum, *vel* Datum.

D. D. DD. Decreto Decurionum Dederunt. *Probus. Manutius.*

Decreto Decurionum Dedicaverunt. *Rubeus.*

Dono Dedit Dedicavit. In votivis & Deo dicatis.

D. D. D. D. Dignum Deo Dono Dicavit. *Trebellius.*

Dignum Deo Donum Dicavit. *Probus. Ms: Zabarellæ. Sarainas. Lazius. Manutius.*

Dominus Decrevit Deo Domestico. *Manutius.*

Dono Datum Decreto Decurionum, *vel* Datus. Quod in Saxis publico decreto positis vulgatissimum.

Donum Dignum Deæ Dedicavit. Drusus Decrevit Diis Dantibus. *Manutius.*

DD. DD. Dederunt Dedicaverunt. *Rubeus.*

DD. DD. D. A. A. A. Dedicatus Dederunt Dono, Auro, Argento, Ære. *Diaconus. Manutius.*

D. D. D. F. De Dono Dei Fecit. De Dono Dei Fecerunt. *Probus. Sarainas.*

Dono Dedit Dicavit Fecit.

DDD. NNN. Domini Nostri. *Probus Rubeus.* De tribus Imperatoribus.

Dominis Nostris. *Manutius.*

Dominorum Nostrorum.

DDD. NNN. FFF. Domini Nostri Felices. De tribus Imperatoribus.

D. D. D. D. P. F. Dumtaxat Decem Denunciandi Potestatem Facio. *Manutius.*

D. D. D. S. Donum Dedit De Suo. *Manutius.* In votivis.

D. D. E. Dare Damnas Esto. *Probus Ernstii.*

D. D. E. H. L. IO. LIB. PRI. DN. MAR. PV. ET. LIB. P. Dedicatus Est Hic Locus Jovi Liberatori Primum. Deinde Marti Pugnatori, Et Libero Patri. *Diaconus. Manutius.*

D. D. EX. P. P. Dono Dedit Ex Propria Pecunia. Ita siglas hasce lego in Saxo isto *pag.* 426. 9.

IVN. OFILIAE
MATR
D. D. EX. P. P

D. DI. De Donis. *Ms: Rhodii. Papias.*

D. D. I. I. M. Dedicavit Justus Jure Merito. *Scaliger.* In votivis, & sepulcralibus aliquando alicujus liberalitate positis.

DD. IMM. S. Diis Immortalibus Sacrum. *Passeratius. Laurentius.*

D. D. L. Decimorum Libertus. Duorum Dominorum scilicet Libertus.

Dono Dedit Libens, *vel* Lugens. In votivis & sepulcralibus.

D. D. L. D. D. D. Dedicavit Locum Datum Decreto Decurionum.

Dono Dedit. Locus Datus Decreto Decurionum. Ut prudentiores de meliori explicatione judicent, huc monumentum exscribo *pag.* 58. 9.

VENERI ET
FORTVN. PRIM
SACR
L. CALVISIVS. L. F. PAL.
VARIVS
AR. ET. CVPIDINES. II
D. D
L. D. D. D

D. D. L. M. Dono Dedit Libens Merito. *Scaliger.* In votivis, cum sequenti; quod etiam expressum aliquando.

Dono Dedit Libero Munere. *Probus. Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius.*

D. D. L. M. C. Dignum Deo Lubens Merito Consecravit. *Joannes Antoninus in Mediolanensibus Antiquitatibus.*

DDM. Dedimus. *Ms: Rhodii.*

DD. M. Dedimus Mercedem. *Diaconus. Ms: Rhodii. Papias. Sarainas. Manutius.*

DD°. M. Dedimus Mercedem. *Probus Ernstii.*

D. D. M. Dedicatum Dis Manibus.

Dedicatum Manibus. *Gratiosus.*

Dono Dedit Monumentum. Dono Datum Monumentum. In sepulcralibus alicujus munificentia datis.

D. D. M M. Deos Manes, bis Ita *Manut.*

DD. M. V. Dedicavit Monumentum Vivens. Quandoque in sepulcralibus.

Dies Mali Venerunt. *Diaconus. Manutius.*

D. D. N. M. P. Dare De Nutu Mihi Parat. *Diaconus. Manutius.*

Dotem Dare Nunc Mihi Parat. *Manut.*

DD. NN. Domini Nostri. Semper, ubi de duobus Impp.

Dominis Nostris. *Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius.*

Dominorum Nostrorum.

DD. NN. AVGG. Dominorum Nostrorum Augustorum.

DD. NN. AVG. ET. CAES. Dominorum Nostrorum Augusti Et Cæsaris. *Hulsius.* Ut scilicet notæ comprehenderent Imperatorem & Cæsarem pronunciatum, sed nondum ad Imperium evectum.

Dominorum Nostrorum Augustorum Et Cæsarum. *Occo.*

Ð°. Ð°. Dotis Datio. Dotis Dictio. Do Dico. *Probus Ernstii.*

D. D. O. Dis Deabus Omnibus. *Scaliger. Gualtherius.* Cum litteræ frontem votivi monumenti occupant.

D. DO. Dictio Dotis. *Papias.*

D. D. OMNIB. P. S. Dis Deabus Omnibus Posuit Sacrum. In Saxo a *Lazio* exhibito *Commentar. Reipub. Roman. lib.* 1. *cap.* 8. Verum si explicandæ sunt notæ, prout occurrunt in monumento *p.* 4 7.

legendum fuerit *Dis Deabus Omnibus Posuit.* Nam illud S. quod disjungit *Lazius*, *Gruterus*, ex *Appiani* sententia conjungit cum dedicatoris nomine, quod apud *Lazium* EDVLIVS, SEDVLIVS apud *Gruterum.*

D. D. P. Dono Dedit Publice, *vel* Dedicavit. In Diis, & Imperatoribus dicatis Saxis.

DD. PP. Depositæ. Feminæ duæ scilicet, ni me fallit judicium in monumento *Roma subterranea Tom.* 2. *lib.* 4. *cap.* 25.

DD. PP. DISCOLIA. IIII
KL. APRILIS. ET. VRS.... MAIAS

Ursula forsitan.

D. D. P. P. Decreto Decurionum Populi Patrensis. *Angelonus.*

Dono Dedit Propria Pecunia, *vel* Dedicavit.

DD PR. NONS. APRIL. Dedicatum Pridie Nonas Aprilis.

D. D. Q. Dedit DonavitQue. *Probus. Manutius.*

DederuntQue. DedicaveruntQue. In lapidibus honoratorum.

Diis DeabusQue. *Manutius.* In votivis.

D. D. Q. O. H. L. S. E. V. Diis DeabusQue Omnibus Hunc Locum Sacrum Esse Voluerunt. *Diaconus. Manutius.*

D. D. Q. S. Diis DeabusQue Sacrum. *Probus.* In Diis dicatis Lapidibus.

DD. RELIG. Divum Religio. *Probus Ernstii.* Quem consule ad hanc notam *Capite quarto Probi.*

D? DS. Duo Deferebantur. *Diaconus. Manutius.*

Duo Deseruerunt. *Papias.*

D. D. S. Diis Deabus Sacris. *Probus. Ms: Zabarella. Sarasnas. Manutius.*

Diis Deabus Sacrum. Quod vulgatissimum in Deorum Saxis.

D ↄ S. Duo Deferebantur. *Probus Ernstii.*

D. D. S. M. Dedicatum Solvit Merito. In votivis.

Dono Datum Solvit Merito. Dono Dedit Sacrum Munus. Ita explico hasce notas, utinam recte, cum eas intactas reliquerit *Scaliger in Indicibus Gruterianis.* Ut autem de vera explanatione constet, en Saxum *pag.* 1069. 6.

LIBERO PATRI
D. D. S M
MERCVRIALIS
SATVRNINVS
ADLECTVS
AGATHONICVS

ƉƉT Dictum Decies. *Magno.*

D. D. VIR. De Donis Virginis. *Manutius.*

DDVIT. Dedicavit. Nota est in Saxo *p.* 691. 5.

D. D. URG. De Donis Virginis. *Diaconus. Manutius.*

D. D. XII. KAL. IVLI. Dedicavit Duodecimo Kalendas Julii.

D. E De Eo. *Manutius.*

Damnatus Erit. Damnatus Est. *Papias.*

Damnatus Esto. *Manutius.*

DE. Decius. *Probus. Ms: Zabarella. Gratiosus. Manutius.*

Defectus. Desertur. *Manutius.*

Defunctus. *Gratiosus. Manutius. Scaliger.* In sepulcralibus.

Depositus. In monumentis *Roma subterranea.*

ƉE. Defunctus. In sepulcralibus.

D? E. Damnatus Est. *Diaconus.*

D. E. Damnatus Erit. Damnatus Est. *Ms: Rhodii.*

DEAB. Deabus.

DEC. Decanus. *Lipsius. Gutherius.*

Decius. *Appianus. Lazius. Manutius.*

Decessit. In monumentis Christianorum, quod expressum quinetiam.

Decreto. *Manutius.*

Decuria. *Sarasnas.*

Decurio. Vulgatissimum in lapidibus Coloniarum.

DECB. Decembres. *Magno.*

DEC. BRIX. Decurio Brixiæ.

DECC. Decuriones.

DEC. C. C. M. R. Decurio Collegii Centonariorum Municipii Ravennatis.

DEC. C. C. COL. AVG. LVG. Decurio Collegii Centonariorum Coloniæ Augustæ Lugdunensis. *Scaliger.*

DEC. C. C. C. S. Decurio Coloniæ Coloniæ Claudiæ Sabariæ. *Gruterus.*

DEC. CL. CEL. Decurio Collegii Celejæ.

DEC. COL. Decurio Coloniæ.

DEC. COL. AP. Decurio Coloniæ Apuli.

DEC. COL. AQ. FLA. IVL. Decurio Coloniæ Aquæ Flaviæ Juliæ. Quam urbem in Callaicorum & Bracharum Confinio sitam, nuncque *Chiaves* vocatam, scribit *Ferrarius in Lex. Geograph.* cui adstipulatur *Carolus Stephanus in Lex.* itidem *Geograph.* Flaviam dictam conjectare licet, cum scilicet *Universa Hispania Vespasianus Imperator Augustus, jactatus procellis Reipub. Latii jus tribuit*, *Plinio* teste *Hist. Nat. lib.* 3. *cap.* 3.

DEC. COL. CENT. M. R. Decurio Collegii Centonariorum Municipii Ravennatis.

DEC. COL. KARN. Decurio Coloniæ Karnunti. Carnuntum Urbem Pannoniæ quondam insignem, jus Latii accepisse; atque adeo Coloniam a Romanis deductam, Tiberii Cæsaris ævo, putat *Lazius Comment. Respub. Roman. lib.* 12. *sect.* 3. *cap.* 1. Hic stativa habuisse legionem XIV. & Geminam, & Germanicam dictam *Antoninus in Itinerario* monstrat; nunc pagum illum, ubi Cecius mons in Ungariam protenditur, ad ripam Danubii situm, vulgo *S. Petronella* dictum esse, supra Carnunti rudera, loco citato conjectat *Lazius*, qui de hac urbe fuse agit, prout etiam *Cluverius in Vindelic. & Noric. cap.* 5.

DEC. COL. SARMIZ. Decurio Coloniæ Sarmiz Ægethusæ. Sarmizgethusa urbs fuit Dacia, Decebali Regia, quam, hac provincia in potestatem Populi Romani devoluta, Coloniam Trajanus deduxit. Juris hanc fuisse Italici scribit *Ulpianus lib.* 1. *de Censib.* & jura docent *l.* 1. *ff. de Censib.* hisce verbis: *Inclyta quoque Cyrenensium Colonia, a Divo Trajano deducta, juris Italici est: Zarmizgethusa quoque ejusdem juris est.* Præterire tamen nolim, quod, sicuti nunc scriptum spectatur in dicta lege *Inclyta*, Pandectæ Florentinæ habent *Indicia*, & ubi legitur *Cyrenensium*, in iisdem *Zernensium* legitur. Ex quibus, certa illa *Pancirolli* Viri Clarissimi observatio patet tradita a *Stephano Zamoscio Analect. Antiq. Dacia cap.* 3. loco *Indicia*, legendum *In Dacia*; ita ut locus ille hoc pacto sit restituendus: *In Dacia quoque Zernensium Colonia &c.* Ceterum, Zarmizægethusam Albam Juliam nunc vocatam scribit *Occo*, in Trajani Nummis; cui tamen refragari videntur Zamoscius, opere citato *cap.* 7. qui Albam Juliam Apulum fuisse observat. Et *Lazius Comment. Reipub. Roman.* 12. *sect.* 2. *cap.* 1. qui nunc ab incolis coloniam illam *Varhel* sive, *Gradiscam* dictam scribit.

DEC. COL. VIM. Decurio Coloniæ Viminatium.

DEC. CVR. R. P. PIS. ET. FAN. Decurio Curator Reipublicæ Pisaurensium Et Fanestrium.

DEC.

DEC. DEC. Decem Decani. *Saraınas. Appianus. Manutius.*

Decem Decuriones. *Appianus. Lazius.*

Decem Decuriooum. *Ms: Zabarella. Manutius.*

Decreto Decurionum. *Saraınas. Appianus. Lazius. Manutius.* Quod frequentiſſimum in lapidibus, publico decurionum decreto poſitis; tunc vero notæ iſtæ fere ſemper extremam monumentorum partem habent.

DEC. DEC. MVN. MAL. Decreto Decurionum Municipii Malacitani. Malaca, Hiſpaniæ Bæticæ urbs, vulgo *Malaga*, ad oſtium Malacæ fluvii ſita, nunc etiam floret.

Decreto Decurionum. *Manutius.*

DEC. DECR. Decurionum Decreto.

DECE. *pro* Decem. Frequentiſſime in Monumentis *Romæ ſubterraneæ.*

DECENN. Decennalia. *Erizius.* Decennalia, ludi erant Romæ, ab Impp. celebrati decimo quolibet anno elapſo. Hinc primi decennales, ſecundi decennales, in nummis occurrunt. Eorum Auctorem Auguſtum ſcribit *Lazius Comment. Reipub. Roman. lib.* 10. *cap.* 7. Qua autem pompa, & quali apparatu celebrati, ſi quis ſcire deſiderat, Trebellium Pollionem conſulat, in Gallieno.

DECESS. Deceſſit. In ſepulcralibus.

DEC. HS. XII. N. Decurionibus Seſtertios Duodecim Numero. In dedicatione ſtatuæ, vel in ſollemnibus anniverſariis, ex teſtamento alicujus, is, cui ſtatua erigebatur, vel dedicabatur, ſeu ex cujus diſpoſitione ſollemnitas inſtituebatur, nummorum diviſionem facere ſolebat Decurionibus, Auguſtalibus, Populo, Plebique, quotannis erogandam, lege diviſionis in monumentis ſculpta, ut frequentiſſimum in lapidibus, coloniarum præſertim.

DEC. IIIIII. VIR. AVG. Decreto Sevirorum Auguſtalium. Seviri, aut Sex viri Auguſtales, quinam eſſent, cognoſcere poterit unuſquiſque, qui *Panvinium conſuluerit Antiquit. Veron. lib.* 2. *cap.* 31.

DEC. II. Q. I. Decurio Bis Quæſtor Semel. *Scaliger:* Si notæ in alicujus Coloniæ Saxo.

DECIMV. *pro* Decimo. In Monumentis *Romæ ſubterraneæ.*

DEC. IV. Decuria Quarta. Populus ſiquidem, tum Romæ, tum in Municipiis, ac Coloniis, in Decurias dividebatur.

DEC. LECTICARIOR. Decanus Lecticariorum. In lapidibus libertorum Domus Auguſtæ. Hic autem fuit inter Lecticarios ſervos primus, id eſt antiquior, adbucdum etiam *Romæ el Decano de Palafrenieri* dictus. ni potius ille fuerit, qui decem lecticariis præerat: Decanatus enim, ut habet *Gloſſa in Rubr. Tit. Cod. de Decanis*, erat decem virorum ſocietas, & Decanus, qui decem præerat.

DEC. M. APVL. Decurio Municipii Apuli.

DECMO. Decimo.

DEC. MVNI. VINDO. Decurio Municipii Vindobonæ. Vindobona, quæ & Juliobona, a *Ptolemæo Geograph. lib.* 2. *cap.* 15. & ab *Antonino in Itinerario* nominatur, *Vienna* nunc eſt, Auſtriæ urbs inclyta, Imperiali ſede celebris, ad Danubium ſita. Hanc illam eſſe aliqui putant, quam *Plinius Hiſt. Nat. lib.* 4. *cap.* 24. Viannam; & *Strabo Geograph. lib.* 4. & 7. Vendum vocant. Alam Flavianam, ex Sabellico, urbem hanc eſſe notat *Pancirollus in Not. Imp. Orient. cap.* 14. Legionemque decimam hac in urbe ſtativa habuiſſe ſcribit *Lazius Commentar. Reipub. Roman. lib.* 12. *ſect.* 3. *cap.* 7. qui abunde de inſigni hac civitate diſſerit; prout etiam *Philippus Cluverius in Vendelic. & Noric. cap.* 5.

DECMVS. Decimus.

DEC. ORN. Decuriæ Ornamento. Decurionalibus Ornamentis.

DECRE. N. Decreto Noſtro.

DEC. SING. IIII. N. Decurionibus Singulis Quatuor Nummi.

DEC. TAVR. Decurio Taurini.

DECVMAN. NARB. Decumani Narbonenſes.

DECVR.
ƆECVR. } Decuria. Decurio. In lapidibus, quibus magiſtratus, & dignitates recenſentur, ubi in ſecunda nota habetur C. pro D. quod ſatis conſtat ex Saxo *pag.* 390. 2.

DECVR. BOVILL. SING. ✱. V. Decurionibus Bovillianis Singulos Denarios Quinque. Hanc notam ✱. denarium ſignificaſſe apud antiquos, non eſt qui neſciat. Bovillam, Latii oppidum, in Hernicis, vulgo *Babaco*, coloniam fuiſſe intelligere eſt ex *Frontino de Coloniis*, ſic ſcribente: *Bovillæ oppidum, lege Sullana eſt circumductum. Iter populo non debetur. Agrum ejus ex occupatione milites veterani tenuerunt in ſortem.* Quod tamen oppidum municipium nominat Cicero Philippica ſecunda.

DECVR. ET. AVGVST. Decurionibus Et Auguſtalibus.

DECVR. MEDIOL. ET. NOVAR. Decurio Mediolani Et Novariæ.

DEC. MVNICIP. CAER. Decurio Municipii Cæretani.

DECVRR. Decuriones. *Manutius.*

DEC. ✱. XIII. AVG. XII. POP. XI. Decurionibus Denarios Treſdecim, Auguſtalibus Duodecim, Populo Undecim. Formula annalis diviſionis legatæ, vel pro anniverſario celebrando, vel pro alicujus ſtatuæ dedicatione.

DEC. XIII. KAL. Deceſſit Decimo Tertio Kalendas.

DED. Dedicata. Dedicavit. Dedicatum. In lapidibus votivis frequentiſſime.

Dedicationem. *Gallus.*

DE. D. Deo Dicavit. De Donis. *Probus.*

DEDD. Dedicaverunt.

Dedicavit. *Scaliger.* In votivis, & dicatis Diis.

DEDICA. XIII. KAL. OCTOB Dedicatum Decimotertio Kalendas Octobris.

DEDIC. V. ID. AVG. Dedicatum Quinto Idus Auguſti.

DEDIC. VIII. ID. SEPT. Dedicatum Octavo Idus Septembris.

DEDICAT. V. KAL. FEB D. S. D. D. Dedicatum Quinto Kalendas Februarii De Suo Dederunt.

D. E. E. Damnum Ejus Erit. *Gratioſus.*

D. EE. Damnatum Eſſe. *Probus. Diaconus. Manutius.*

Decretum Eſſe. *Manutius.*

DEF. Defricator. *Scaliger.*

Defuncta.

Defunctus. *Servius.* In ſepulcralibus.

D. F. HS. C. Donum Fecit Seſtertiorum Centum. *Symeonius fol.* 79. Legerim tamen lubentius: Det Fiſco Seſtertios Centum. Nam in monumento, pœna illud violanti irrogatur.

DEFVCTA. Defuncta ſcilicet. Quod patet ex inſcriptione *Romæ ſubterraneæ T.* 1. *lib.* 3. *cap.* 22.

ILARA IIII. IDVS OCTOBRES
DEFVCTA ES IN PACE

DEG. A. T. M. Degeneras A Tuis Majoribus. *Diaconus. Manutius.*

DEGN. T.O. Degenerem Te Ostendis. *Diaconus. Manutius.*

DE GERM. De Germanis. In nummo Neronis Claudii Drusi; ubi Arcus Triumphalis, cum duobus tropæis, & figura equestris decurrens. Tropæa siquidem antiqui, hoste fugato, erigebant; prout illo devicto triumphum agebant. Locus erigendorum tropæorum pro lubitu erat, ut puta in tumulo, in colle, locove eminentiori, vel etiam in Arcubus, horum caussa intra urbes extructis. Primum in Italia tropæum fixisse Æneas videtur innuere *Virgil. Æneid. lib.* 9. Mezentio extincto, ejusque exuviis supra tumulum positis:

Ingentem quercum, decisis undique ramis,
Constituit tumulo, fulgentiaque induit arma,
Mezenti Ducis exuvias.

DELIC. DOM. Delicium Domini. In monumentis servorum.

DE. LNIS. Decretum Legationis. *Magno.*

DELO. Delatio. *Magno.*

D. E MON. De Ejusdem Monitu. *Scaliger.* Notæ sunt monumentorum votivorum, in quibus antiqui somnia, quæ Deorum monita dictitabant sculpere consueverunt.

DEN. Denatus. Hoc est, defunctus. Quod confirmat Saxum *pag.* 1159. 7.

DIS MANI
CINATVS DEN
XXV SECVNDINA
MATER. D. S. D

DEND. Dendrophori.

DENVNCIAT. Denunciator. Denunciatores Romæ in qualibet Urbis regione habebantur; ut patet ex basi prægrandi in Capitolio, sub Porticu conservatorum, a *Grutero* quoque exhibita *p* 250. & 251. Munus Denunciatorum erat, deficientibus accusatoribus, gravia facinora denunciare, ne impunita manerent; qui Patavii etiamnum, in quolibet vico, vulgo *Capi di Cente*, constituti. Antiquitus hos Stationarios dictos colligo ex *l.* 1. *Cod. de Cursor. & Station.* & Irenarchos *l.* 6. *ff. de Custod. & Exhib. Reor.* Verum Irenarchos potius Denunciatores Provinciarum, quam Urbium fuisse suadet *l. unica Cod. de Irenarchis.*

DEO. NEM. Deo Nemauso. *Scaliger.*

DEP. Depositus. Hanc notam id significare quisque percipiet, qui Romæ subterraneæ monumenta perquiret.

DEP. EST. IN. PAC. Depositus Est in Pace. Habent plurimum Monumenta Christianorum primi ævi.

DEP. IN. PA. Deposita In Pace.

DEP. IN. P. D. NAT. SCI. MARCI. Deposita In Pace Die Natalitio Sancti Marci. In *Roma subterranea.*

DEPOSSIO. Depositio. Quod percipitur ex lapide *Roma subterranea Tom.* 2. *lib.* 4. *cap.* 37.

CONSTANTIVS ET EVTICHIANAE
LENDONIO KARISSIMO FILIO
QVIESCENTI QVI VIXIT
ANOS XVIII DEPOSSIO
EIVS VIIII KALENDAS
DECEMBRES

Ubi & *Eutichiane*, pro *Eutychiana*, & *Anos*, pro *Annos*, legitur.

DEPS. Deposita. Depositus.

DE. P. S. De Pecunia Sua. In monumentis proprio sumptu erectis, eorumque extrema parte, seu prope eam, juxta cum sequentibus.

DE. P. S. P. De Pecunia Sua Posuit.

D. E. R. De Ea Re.

Debet Ei Restitui. *Gratiosus.*

DE. REP. B. M. P. De Republica Benemerito Posuit, *vel* Posuerunt. In Publicis Monumentis, bonoris gratia erectis.

D. E R. I. C. De Ea Re Judicium Constitutum. *Gratiosus. Manutius.*

De Ea Re Ita Censeo. *Brissonius.* Qui de *Formulis lib.* 2. observavit, hanc Senatoris in Senatu vocem fuisse, cum scilicet a Consulibus excitus ad dicendam sententiam consurgebat.

De Ea Re Ita Censuerunt. *Franciscus Hottomannus in Notis Juris.*

D. E. R. I. C. E. De Ea Re Ita Censuerunt Esse. De Ea Re Ita Consultum Est. *Manutius.*

D. E. R. I. S. C. De Ea Re Ita Senatus Censuit. *Brissonius.* Cum scilicet Senatus totus ita decreverat; unde Senatus Consultorum hæ erant notæ.

D. E. R. I. S. De Ea Re Ita Sunto. *Manutius.*

DERS. Deserta. *Diaconus.*

D. E. S. Data Est Sententia. *Gratiosus.*

De Ejus Sapientia. *Manutius.*

DES. Designat. *Lazius. Manutius.*

Designavit. *Probus. Appianus. Lazius. Sarainus. Manutius.*

Designator. *Probus. Scaliger.*

DE. SARM. De Sarmatis. In nummis L. Veri; in quibus tropæum, cum duobus captivis, revinctis ad tergum manibus, vir scilicet & femina conspiciuntur, in signum Sarmaticæ ipsius victoriæ.

DESCEN. Descendentibus.

DESER. Deserta. *Manutius.*

DE. S. I. De Statu Ingenuitatis. *Magno.*

De Sua Impensa.

DESIG. Designati. Designator. Designatus.

DESIG. X. P. P. Designator Decumæ Per Provinciam. Ex fragmento apud *Gruterum pag.* 106. 6. Designatores apud antiquos, diversos noto. Funerum, ad defunctorum pompam instituendam & ducendam, ut observat vetus *Horatii Scholiastes*, ad illud *Epistolæ sept. libri primi Epistolarum.*

. . . . . . dum ficus prima, calorque
Designatorem decorat lictoribus atris.

Ludorum & spectaculorum, ordines scilicet incedendi, locaque sedendi cuique propria curantes, ut clare ex patet ex *Plauto* in prologo *Pænuli*:

Scortum exoletum ne quis in proscenio
Sedeat, neu lictor verbum, aut virga mutiant,
Neu Designator præter os obambulet,
Neu sessum ducat, dum histrio in scena siet.

Hos vero nostris Cæremoniarum magistris similes censent *Corasius lib.* 4. *Miscellan. cap.* 24. una cum *Hadriano Junio*, Medico eruditissimo auctore, *in Nomenclatore.* Decimæ procurandæ, ut ex allata cognoscitur nota; ex quorum forte numero erant illi, quos Augustus per orbem divisit, civium & civitatum prædiis describendis. *Dio Hist. lib.* 56. *Tributum ex edibus, agrisque conferri jussit; neque tamen definivit a quibus, aut quemadmodum persolvi vellet; sed aliquos homines misit in diversas partes Orbis, a quibus prædia privatorum hominum, atque adeo ipsarum civitatum describerentur.*

DES. IT. Designatus Iterum. *Angelonius*; ut puta cum aliquis iterum consul designabatur.

DES. IT. ET. TER. Designatus Iterum Et Tertium. *Erizius.*

DESS.

DESS. Designatus. *Probus Ernstii.* Cui tamen promptius accederem, si explicasset *Designati.*

DEST. Destinatio. *Lazius.*

Destinato. *Probus. Sarainas. Manutius.*

Destinavit. *Diaconus. Manutius.*

Destitutus. *Manutius.*

DE. SV. PEQ. FAC. CVR. De Sua Pecunia Faciundum Curavit.

DET. FISCO. P. CCC. M. N. Det Fisco Polæ Tercentum Millia Nummum. Lego in hoc Polensi Saxo *pag.* 903. 6.

AVIDIA MAXIMINA
DOMVM AETERN. V. S. P
SI QVIS ALIVD CORPVS
SVPERPOS. DET FISCO P
CCC. M. N.

Eratque poena illi irrogata, qui in sepulcro illo cineres, vel corpus alterum deponere ausus fuisset.

DETI. Defuncti. *Probus. Manutius.* Rectius tamen DEFI, hoc est, *Defuncti*, ut observat *Ernstius*, ex antiquis lapidibus, Papiæ glossario, & Magnone.

DE. V. DEC. De Quinta Decuria.

DE. VIC. S. De Vicanorum Sententia. Vicani, ejusdem Vici incolæ.

DE. VIC. S. PORTIC. F. COIR. De Vicanorum Sententia Porticum Fieri Coiraverunt, hoc est, Curaverunt. In lapidibus publice erectis.

DEV. N. MSQ. EIVS. Devotus Numini Majestatique Ejus. In operibus publicis, monumentisque illis, quibus Principum memoria colebatur, obsequii ac venerationis indicio hæ notæ sculpebantur, quas fuse *Brissonius de Formulis lib.* 8. expendit, quibusque in saxis, aut extremis, aut prope locus dabatur.

DEXTER. Dexterior.

D. F. Data Fides. *Manutius.*

Debetur Filio. *Gratiosus.*

Decii Filius. *Probus. Manutius.* Verum, Decimi Filius, melius; nam Decimus prænomen, Decius vero gentilitium nomen fuit. Prænomen autem, non vero gentilitium nomen addebatur in monumentis, cum patris notæ erat addendum.

Decimi Filius. *Scaliger.* Quod omnium maxime proprium.

Dives Fecit. Divis Fecit. Divi Filia. *Manutius.*

Divi Filius. *Sarainas.* In monumentis Augusti.

Donavit Fraude. Dolum Decit. *Manutius.*

Donum Fecit. *Probus. Ms: Zabarella & Rhodii. Papias. Manutius.*

Dotem Fecit. *Probus. Diaconus.* Et reliqui.

DF. Defuncta. *Probus. Ms: Ferrarii.* In sepulcralibus, cum infrascriptis.

Defuncti. *Ms: Rhodii.*

Defunctis. *Papias.*

Defunctus. *Probus.* Ex reliqui fere omnes.

DF. Defuncta. *Diaconus. Manutius.*

Defunctus. *Diaconus. Magno. Manutius.*

D. F. A. N. Decimi Filius Auli Nepos. In Fastis præsertim, cum subsequentibus omnibus.

D. F. AP. N. Decimi Filius Apii Nepos.

D. F. C. N. Decimi Filius Caji Nepos.

D. F. CN. N. Decimi Filius Cnæi Nepos.

D. F. D. D. Dedit Fecit DeDicavit. Deo Fecit Dono Dedit. Has litteras sic explico, prætermissas ab eruditissimo *Scaligero*, in Monumento *pag.* 67. 6

SACRVM
LIBERO PATRI
C. CRESCENTIVS
EX VOTO
ARAM. D. F. D. D

D. F. D. I. P. Decurionum Fide Dividenda In Publicum. *Scaliger. Gutherius.* Notæ monumenti alicujus rei legatæ, quotannis in publicum distribuendæ, sub Ducurionum fide.

D. F. D. N. Decimi Filius Decimi Nepos.

D. FF. Divi Fratres. *Papias.*

D. F. HS. C. Det Fisco Sestertios Centum.

D. F. K. N. Decimi Filius Kæsonis Nepos.

D. F. L. N. Decimi Filius Lucii Nepos.

D. F. M. N. Decimi Filius Marci Nepos.

D. F. M'. N. Decimi Filius Manii Nepos.

D. F. N. N. Decimi Filius Numerii Nepos.

D. F. O. Dare Facere Oportet. *Papias.*

D. F. P. Dare Facere Præstare. *Magno.*

D. F. P. N. Decimi Filius Publii Nepos.

D. F. Q. Domi Forisque. *Magno.*

D F. Q. N. Decimi Filius Quinti Nepos.

D. F. SER. N. Decimi Filius Servii Nepos.

D. F. SEX. N. Decimi Filius Sexti Nepos.

D. F. SP. N. Decimi Filius Spurii Nepos.

D. FT. Defunctum. Directum Fatum. *Magno.*

DFTI. Defuncti. *Diaconus. Ms: Ferrarii. Gratiosus. Manutius.*

D. F. TI. N. Decimi Filius Tiberii Nepos.

D. F. T. N. Decimi Filius Titi Nepos.

DFTS. Defunctus. *Sarainas. Manutius.*

D. G. Dedit Gratis. *Probus. Ms: Zabarellæ. Manutius.*

Dolosa Gens. *Manutius.*

Donavit Gratis. *Sarainas. Appianus. Manutius.*

DG. M. Dignus Memoriæ. *Ms: Rhodii.*

DG. M. Dignum Memoriæ. *Ms: Rhodii.*

D. GR. Dedit Gratis. *Sarainas. Lazius. Manutius.*

D. H. Dedit Hic. *Manutius.*

Dedit Heredibus. *Trebellius. Manutius.*

Donavit Heredibus. Dono Habuit. *Probus. Ms: Zabarella. Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius.*

D. H. MR. Diva Helena Mater. *Santamantius.* In nummo Constantini Magni, in quo videtur figura muliebris stolata stans.

D. H. MT. Diva Helena Mater. *Santamantius.* In nummis Constantini.

D. H. M. A. Dari Hoc Mandavit Augustus. *Manutius.*

D. H. P. I. M. R. H. De Hac Petra Intus Munera Regis Habes. *Diaconus. Manutius.*

D. I. Dari Iussit. *Ms: Zabarella. Appianus. Manutius.*

Dedit Imperator. Dedit Iudex. Dedit Iure. *Manutius.*

Dies Primus. *Gratiosus.*

Diis Immortalibus. *Ms: Zabarellæ. Appianus. Manutius.*

Diis Inferis. *Manutius.*

Dis Inferis. Quod vulgatissimum in Deorum lapidibus eorundemque fronte.

DI. Dico. *Ms: Rhodii.*

Dictator. *Sarainas. Manutius.*

Die. Dies. In Monumentis *Roma subterranea.*

DIAC. Diaconus. In Christianorum lapidibus, primi ævi.

DIAL. Dialis. Flamen Jovis, scribit *Varro de Ling. Lat. lib.* 4. cujus inter cetera erat, auspicari vindemiam, ut idem habet *lib.* 5. Sed de Flamine Diali fuse inter ceteros *Panvinius in Descript. Civit. Roman.*

DIA. M. Divina Manu. *Magno.*

DIANAI. LOCH. S. S. P. C. D. S. Dianæ Locus Sacer Signum Poni Curavit De Suo. Ita lego notas istas Neapoli, in ambitu vasis octangularis, cum octo diversis figuris *pag.* 1011. 3.

DIA-

DIANAI. LOCH. S. S. P. C. D. S.
CINECIA. P. F. RVFA POM
PONIA

DIANA PERG. Diana Pergamensis. In nummis Nervæ.

DIC. Dictator. Ubique in antiquorum monumentis, ubi de Dictatoribus fit mentio. *Dictator erat dictus, quod a Consule dicebatur, cui dicto audientes omnes essent.* Ita *de Ling. Lat. lib.* 4. *Varro.* Supremam hanc Romanæ Reipublicæ majestatem traduxerunt quadoque Comici, ac præcipue *Plautus*, qui *Pseudolo Act.* 1. *Scen.* 5. Simonem patrem de filii moribus conquerentem, eum Dictatorem virorum damnatorum, & amore perditorum eligi posse expressit.

Si de damnosis natis & amatoribus
Dictator fiat nunc Athenis Atticis,
Nemo antecedat filio, crede, meo.

Sed de hac suprema, licet extraordinaria Romanorum dignitate, abunde scripserunt, post *Dionysium*, & *T. Livium*, *Pomponius Latus de Magistr. Roman. cap.* 16. *Dominicus Floccus de Potest. Roman. lib.* 2. *cap.* 8. *Raphael Volaterranus Comment. Urban. lib.* 29. *Alexander ab Alexandro Genial. Dier. lib.* 4. *cap.* 23. *Carolus Sigonius de Antiqu. Jur. Civ. Roman. lib.* 1. *cap.* 20. *De Antiqu. Jur. Provinciar. lib.* 3. *cap.* 7. 8. *Onuphrius Panvinius Comment. in Prim. Fastor. ad ann. Urb.* 266. *Paulus Manutius de Magist. & Senatu Roman. Joannes Rosinus Antiqu. Roman. lib.* 7. *cap.* 17.

DICATISS. Dicatissimus. Devotionis verbum, quo Antiqui Imperatores prosequebantur, ut *Numini Ejus Dicatissimus* persæpe habent monumenta, iisdem ab ipsorum aliquo ministro posita & dicata.

DICL. Diocletianus. *Papias.*

DICT.
DICTAT. } Dictator.

DICT. III. Dictator Tertium.

DICT. III. COS. III. Dictator Tertium Consul Tertium.

DICD. ITER. COS. TER. Dictator Iterum Consul Tertium.

DICT. PERP. Dictator Perpetuus. Cajus Julius Cæsar primus Dictaturam perpetuam fecit. *Plutarchus* in ejus vita. *Veruntamen ad Cæsaris fortunam inclinantes Romani, frenumque accipientes, atque a bellis intestinis arbitrantes dominatuum respirationem, Dictatorem Perpetuum eum dicunt.*

DICT. PERP. COS. V. Dictator Perpetuus Consul Quintum.

DICT. SEDIT. SEDAN. ET. R. G. C. Dictator Seditionis Sedandæ Et Rei Gerundæ Causa. In Fastis nomini Dictatoris dicti notæ erant appositæ, ut causa illius creationis constaret.

DID. Deinde. *Papias. Gratiosus.*

Didius. *Sarainas. Manutius.*

DIFF. Differunt. *Ms: Rhodii.*

DIFFM. Diffusum. *Ms: Rhodii.*

DIFFVS. Diffusori. *Manutius.*

DIG. Dignus. *Magno. Manutius.*

DIC. Dignus. *Ms: Rhodii & Ferrarii. Manutius.*

DIG. M. Digna Mulier. *Manutius.*

Dignus Memoria. *Probus. Ms: Zabarella. Magno. Appianus. Lazius. Manutius.*

Dignus Memoria. *Sarainas.*

Dignus Mercede. *Manutius.*

Dignus Morte. *Probus. Ms: Ferrarii. Manutius.*

DIG. M. Dignus Memoria. Dignus Morte. *Diaconus.*

DIIAS. Divitias. *Ms: Rhodii.*

DIIIB. Diebus. *Diaconus. Manutius.*

D. IIII. ID. Die Quarta Idus.

DIL. Dilecto.

Dilectus. *Diaconus. Manutius.*

Dilectissimus. *Probus. Diaconus. Ms: Zabarella. Manutius Rubens.*

DIL. Dilectissimus. *Magno.*

DILAPS. Dilapsum.

DILCO. Diluculo. *Ms: Rhodii.*

DILECTISS. Dilectissimus. *Probus. Diaconus. Manutius.*

D. I. L. IV. A. De Isto Lapide Invenies Aurum. *Diaconus. Manutius.*

DIL. LIB. Dilecta Liberta. Dilectus Libertus. In Libertorum Monumentis.

DIL. S. Dilectissimus Servus. *Probus. Appianus. Lazius. Manutius.*

D. I. M. Deæ Isidi Magnæ.

Deo Invicto Mithræ. *Sansamantius. Persæ, nec statuas, nec aras, erigunt, sacrificant in loco excelso. Cælum Jovem putant, colunt Solem, quem Mithram vocant.* Ita *Strabo Geograph. lib.* 15. Quomodo rutem ab iis quolibet loco Sol coleretur, tradit Lilius Gregorius Giraldus *Hist. Deor. Syntag. VIII.* ad quem lubens lectorem remitto, cum de Deo Mithra luculentam habeat dissertationem.

Diis Inferis Maledictis. *Probus. Ms: Zabarella. Sarainas. Manutius.* In sepulcralibus Saxis aliquando, eorumque fronte.

Diis Inferis Manibus. *Manutius.* In Saxis mortuorum, atque eorum extremis.

Diis Inferius Malis. *Probus. Manutius.*

DI. M.
DI. MA. } Dis Manibus. Vulgatissimus sepulcralium lapidum titulus.

D. I. MART. De Invicto Marti.

D. IMM. Diis Immortalibus. *Probus. Ms: Zabarella. Sarainas. Manutius.*

D. IMM. S. Diis Immortalibus Sacrum. *Probus. Lazius.*

D. IMM. S. Diis Immortalibus Sacrum. *Probus. Ms: Zabarella. Sarainas. Manutius.*

D. I. M. S. Deo Invicto Mithræ Sacrum. *Scaliger.* Deo Jovi Maximo Sacrum.

D. IN. BISOM. Deposita In Bisomo. In Monumentis *Roma subterranea.*

D. IN. P. Deposita In Pace. In prædictis monumentis.

D. IP. Decius Imperator. *Gratiosus.*

DI. PI. Dare Promittis. *Papias.* Si tamen recte: suspectum enim mihi illud I. post D.

D. IPS. De Ipsis. *Probus. Diaconus. Ms: Ferrarii. Manutius.*

DI. Q. S. Die Quo Supra. *Lazius.*

D. I. R. S. Diis Ipse Reddidit Sacra. *Gratiosus.*

D. I. S. De Impensa Sua.

Diis Immortalicus Sacrum. *Trebellius.*

Dis Inferis Sacrum.

DIS. Disciplinatus. *Scaliger.*

DIS. D. Q. Dis Deabusque. In Votivis.

DISP. Dispensator. *Sarainas.* Dispensator, in familia privata, erat servus, Domini rationes ministrans, pecuniasque dispensans. In domo vero Augusta, Principis pecunias curans, thesaurique administrationem gerens.

DISP. ET. TABVL. Dispensator ET Tabularius. In Monumentis Officiorum Domus Augustæ, & privatorum.

DIS. TVTELAR. S. Dis Tutelaribus Sacrum.

DIV. Divalia. *Gruterus. Rosinus. Manutius.* Divalia,

valia, hoc est, *Divi Julii dies Festus*, habet *Paulus Manutius Notis ad Kalendarium*, & *Aldus Manutius de Veter. Notar. Explic.* *Rosinus* vero *Antiquit. Roman. lib.* 4. *cap.* 16. & cum eo *Gruterus*, Divalia legunt, hoc est, Angeronalia. Quod si verum, *Angeronia Dea Sacra, a Romanis instituta erant, cum angina omne genus animalium consumeretur, cujus festa Angeronalia dicta.* Ita *Festus*, vel ut ex *Verrio Flacco Macrobius* scribit *lib.* 1. *Saturnal. cap* 10. Angeronalia fuere, Angeroniæ festum, ita dictum, quod *Angeronia angores ac animorum solicitudines, propitiata depellebat.* Hujus simulacrum, ut ex *Masurio* probat loco citato *Macrobius, ore obligato, atque signato, in ara Volupia propterea collocatum erat, quod qui suos dolores, anxietatesque dissimulant, perveniunt, patientia beneficio, ad maximam voluptatem.* Angeronalium dies celebrabatur duodecimo Kalendas Januarii, qui Decembris vigesimus primus, eratque Nefastus Primo.

Divinum. *Papias.*

Diva. Divus.

DIV. AVG. F. Divi Augusti Filius. Nummi & lapides Tiberii sæpissime.

DI. V. BB. Dilutum Vinum Biberat. *Manutius.*

D. IVN. Decimus Junius. *Et*

D. IVN. M. F. Decimus Junius Marci Filius. Habent argentei nummi gentis Juniæ.

DIVI. I. F. Divi Julii Filius. Nummi & lapides Augusti exhibent.

D. IVL. M. F. Decimus Julius Marci Filius.

D. IVT. AVR. SND. Deo Invicto Aurelio Secundo. *Probus Ernstii.* Qui in notis *cap.* 4. de Aurelio Probo Imp. dictum censet. Verum parcat mihi eruditissimus vir, aut notæ istæ Probi non sunt, aut non vixit Probus Neronis ævo, ut & ipse cum *Eusebio* & *Cassiodoro* observavit, notis ad *Probi Caput primum*; siquidem Imp. Probus seculo post ferme a Nerone imperavit.

D. K. OCT. Decimo Kalendas Octobris.

D. L. Dat Laudes. *Probus. Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius.*

Dat Legem. *Sarainas.*

Datus Locus.

Decii Libertus. *Manutius.* Cui non subscribo, quin potius

Decimi Libertus. *Scaliger.* Quod verissimum, ob discrimen superius allatum inter Decium & Decimum:

Decrevit Locum. *Manutius.*

Dedit Libens. In sepulcralibus, eorumque extremitatibus aliquando.

Dedit Locum. Dedit Lugens.

Delego. *Diaconus. Magno. Sarainas. Appianus. Manutius.*

De Loco. *Manutius.*

Diis Locum. *Manutius.*

Divinus Locus. *Manutius.*

Do Legem. *Probus. Ms: Rhodii & Ferrarii. Papias. Manutius.*

Do Lego. *Probus.*

Dominus Liberti. Dono Legavit. *Manutius.*

Donavit Locum. *Probus. Ms: Zabarella. Sarainas. Appianus. Lazius.*

DL. Delego. *Probus. Ms: Zabarella & Rhodii. Sarainas. Lazius. Manutius.*

Delegor. *Papias.*

Diligo. *Ms: Rhodii.*

D. L. De Loco. *Diaconus. Manutius.*

D. L. A. P. Donum Libens Animo Posuit. Donum Libenti Animo Posuit. *Manutius.*

D. L. D. Dedit Liberis. *Scaliger.* Ita explicat Lucense Saxum *pag.* 22. 4.

SP. METTIVS
ZETVS
IOVI. SABATIO
D. L. D
L. D. D. D

Ut scilicet L. interjectum sit inter DD. quæ, *Dedit*, significant. Verum, cum monumentum in iis sit, quæ Diis dedicata, libentius legerem:

Dono Libens Dedit. In votivis.

D. L. D. L. D. D. D. Dat Laudes Dicto Loco Dato Decreto Decurionum. Dat Laudes Dicto Loco Dignum Deo Dicatum. *Sarainas.* Has tamen notas ex proxime allato monumento sic explicaverim:

Dono Libens Dedit Locus Datus Decreto Decurionum, *vel* Dono Libens Dedicavit. In votivis.

D. L. D. P. Dis Locum Dedit Publice. *Probus. Diaconus.* cum reliquis, in votivis.

Dono Legavit Devotæ Personæ. *Manutius.*

D. L. M. Datus Locus Monumenti. Dedit Libens Merito. Hæc in sepulcralibus & votivis explicatio locum habet; prout prima in sepulcralibus tantum.

D. L°. De Loco. *Probus Ernstii. Ms: Ferrarii.*

D. L. S. Decreverunt Locum Sepulturæ. *Manutius.*

Dedit Locum Sepulturæ. In sepulcralibus.

Dicavit Locum Sibi. *Manutius.*

Dis Laribus Sacrum. *Probus. Ms: Zabarella. Sarainas. Appianus. Lazius.*

D. M. Decreto Mandavit. Decreto Dedit. Decumanus Maximus. *Manutius.*

Deæ Matris. Aliquando in votivis, ut Imperio Deæ Matris, vel Deum Matris. lapide *pag.* 29. 12.

Dedit Mœrens. Dedit Monumentum. In extremis monumentis sepulcralibus.

Deo Magno. Deum Matri. In DIs dedicatis lapidibus, eorumque fronte.

Deo Mercurio. *Manutius.*

Deum Matris. *Vide* Deæ Matris.

Dignus Memoriæ. *Sarainas. Manutius.*

Dis Manibus. Omnes notarum explicatores, si tamen in fronte monumentorum, ut & quandoque etiam in lateribus. *Oculos nonnunquam geminos totidem capitibus incumbentes aspeximus, quod DIS MANIBVS interpretantur. Capita enim Manes, apud Ægyptios; oculos vero divinitatem præ se ferre manifestum est*, scribit *Pierius Hieroglyph. lib.* 33.

Diis Maximis. *Diaconus. Manutius.*

Divæ Memoriæ. *Papias.*

Divino Monitu. *Scaliger.* In Votivis, & DIs dicatis.

Divus Maximus. *Diaconus. Ms: Ferrarii. Manutius.*

Dolo Malo. *Scaliger.* In sepulcralibus, eorumque extremo, cum a monumentis dolum malum abesse rogabant.

Dolum Malum. *Probus. Isidorus. Appianus. Lazius. Pancirollus. Manutius.*

Domus Mortui. *Probus. Diaconus*, & omnes fere ceteri: nonnulli enim ita legunt, D. M. in monumentorum sepulcralium vestibulis, *Dis Manibus* vulgo.

Donavit Monumentum. *Manutius.*

Dormierunt Mortui. *Papias. Manutius.*

Dormiunt Mortui. *Probus.*

Dubium Malum. *Appianus. Lazius.*

DM. Demum. *Diaconus. Sarainas. Manutius.*

Deum. *Diaconus. Papias. Sarainas. Manutius.*

Divum. *Sarainas. Manutius.*

Dulcissima. *Sarainas.*

Dulciſſimus. *Sarainas. Manutius.*

D̄. M̄. Dolum Malum. Dubium Malum. *Probus. Manutius.*

D. M̄. Dolum Malum. *Ms: Zabarella.*

Domus Mortui. *Ms: Rhodii.*

Dubium Malum. *Ms: Zabarella.*

D'. M. Deum. *Ms: Rhodii.*

D̄M̄. Deum. *Probus. Ms: Ferrarii.*

Dolum Malum. *Manutius.*

Dominum.

Dubium Malum. *Manutius.*

D. M. A. Deo Magno Æterno. *Papias. Manutius.*

Dolus Malus Abeſt. *Scaliger.* In ſepulcralibus, extremiſque eorundem.

Dolus Malus Abeſto. *Cujacius:* Cur autem in venditionibus, & ſtipulationibus hæc dicendi formula ab antiquis uſurparetur, fuſe explicat *Briſſonius* elegantiſſimus *de Formul. lib.* 6.

D. MA. Dis Manibus.

D. M. AE. Deo Magno Æterno. *Probus. Ms: Zabarella. Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius.*

D. M. B. D. De Memoria Bene Dicit. *Probus. Diaconus. Ms: Ferrarii. Manutius.*

Deo Mercurio Bene Dedicavit. *Manutius.*

Dis Manibus Bene Dicatum *Gratioſus.*

D. M. B. M. F. Dis Manibus Bene Merentibus Fecit. Dis Manibus Bonæ Memoriæ Fecit. *Diaconus.*

D. M. D. Dis Manibus Do. *Manutius.*

Dis Manibus Datum, *vel* Dicatum.

D M. E. M. AE. Deo Magno Et Memoriæ Æternæ. *Probus Ernſtius.*

D. M. ET. M. Dis Manibus Et Memoriæ. In ſepulcralibus, & eorum fronte.

D. M. F. Dis Manibus Factum. Dis Manibus Fecit. In ſepulcralium lapidum fronte.

D. M. FL. R. LCS. De Munere Filiæ Regis Locus. *Probus Ernſtius.*

D. M. F. V. C. Doli Mali Fraudiſve Cauſſa. *Probus*, & omnes fere veteres.

Dolo Malo Fraudiſve Cauſſa. *Manutius.* Erantque edictorum perpetuorum, atque ſtipulationum antiquorum notæ, ut ſcilicet dolus malus a venditore abeſſet; unde venditionibus ſolebat adjici. Verum de hoc ſatis *Briſſonius de Formul. lib.* 6. non uno in loco.

DMIↃↃↃ. Quingenta Millia. *Antiquus Codex de Notis Numerorum.*

D. M. L. Datus Memoriæ Locus. *Gratioſus.*

Dedit Merito Libens. In votivis, & ſepulcralibus, atque fere ſemper in extremo margine.

Dedit Monumentum Liberto. *Manutius.*

De Male Loquentibus, *Diaconus. Manutius.*

D. ML. Dolum Malum. *Magno. Papias.*

D. M M. Datum Magnæ Matri, *vel* Dedicatum. In Votivis.

Diis Manibus Meviorum. *Probus. Manutius. Ernſtius.* Qui ad *caput* 4. *Notar. Prob.* ex *Ms:* ſuo legit, *Dis Manibus*, dempta ſcilicet inter duas M. interpunctione.

Diis Manibus Meritorum. *Manutius.*

D. M. M. I. Deæ Magnæ Matri Iſidi. *Auguſtinus.* In Votivis.

Deæ Magnæ Matri Idææ. Quæ Cybele erat, teſtimonio Romanæ tabulæ, exhibitæ *pag.* 308. 7.

C. CAMERIVS
CRESCENS
ARCHIGALLVS MATRIS
DEVM. MAGNAE IDEAE ET
ATTIS. POPVLI ROMANI
VIVVS SIBI FECIT ET
C. CAMERIO EVCRATIANO. LIB
SVO. CAETERIS AVTEM. LIBERTIS. VTRI
VSQVE. SEXVS. LOCA. SINGVLA
SEPVLTVRAE. CAVSA. H. M. H. E. N. S

Magnam enim Matrem, & Matrem Deum, eandem fuiſſe norunt, in Deorum antiquitate verſati, cujus hiſtoriam deſcribunt *Fulgentius Placiades Mythologicorum lib.* 3. *Albericus Philoſophus de Deor. Imagin. Lilius Gregorius Giraldus Hiſt. Deor. Syntag.* 4. Iſidem vero, quam Io fuiſſe fabulæ narrant, Magnæ Matris, & Matris Deum meruiſſe nomen, non ita facile mihi perſuaſerim.

D. M. M. L. Dolum Malum Mulctatur Lege. *Gratioſus.* Nam in Dolo Malo deprehenſus, duplici pœnæ, ex lege, erat obnoxius.

D. MN. FL. R. LS. E. I. De Munere Filiæ Regis Locus Eſt Iſte. *Diaconus. Ms: Ferrarii. Manutius.*

D. M. O. Deo Maximo Optimo. Diis Manibus Omnibus. *Manutius.*

Donum Mitius Operans. *Diaconus. Manutius.*

Donum Munus Opera. Hujuſce explicationis cauſam diſcat lector curioſus ab *Ernſtio* diligentiſſimo, *Notis ad Probum cap.* 4.

DM. O. Damnari Oportet. *Gratioſus.*

DMŌ. Domino. *Magno.*

ĐMO. Dummodo. *Magno.*

D. M. P. Defunctæ Monumentum Poſuit. Si in ſepulcralibus mulierum, atque in eorum extremo margine.

Dis Manibus Poſuit. In ſepulcralibus, & in veſtibulo.

D. M. MQ. TR. Dis Manibus Datrique Terræ. *Probus Ernſtius. Valerius Maximus lib.* 1. *cap.* 7. *num.* 3. P. Decii Muris, & T. Manlii Torquati Conſulum ſomnia narrans, ſcribit: *Utrique enim quidam per quietis ſpeciem prædixit, ex altera acie Imperatorem, ex altera exercitum, Dis Manibus, Matrique Terra deberi.*

D. M. S. Deo Magno Sacrum. Deo Mercurio Sacrum. In Deorum Lapidibus, atque eorundem fronte.

Dis Manibus Sacrum. Omnes notarum explicatores, & quidem frequentiſſime.

Dormiunt Mortui Securi. *Diaconus. Manutius.*

DM̄S. Damus. *Ms: Rhodii.*

D. M. S. C. Dies Malus Sequitur Cras. *Diaconus. Ms: Ferrarii. Manutius.*

D. M. S. C. P. Dies Mali Sequuntur Cras Pejus. *Diaconus, Manutius.*

D. M. S. C. S. RV. T. DEIV. CAR. Dies Malus Sequitur Cras, Si Rumpis Tonitrua, Dein invenies Carbones. *Diaconus. Manutius.* Quæ mihi prorſus inepta videntur.

D. M. SQ. C. Dies Malus Sequitur Cras. *Gratioſus.*

D. M. S. Q. C. P. Dies Mala Sequitur Quæ Cras Pejus. *Probus Ernſtius. Ms: Rhodii. Papias.*

D. M. SS. V. M. N. Dolum Malum Seſtertium Quinque Millia Nummum. *Lipſius.*

DMTI. Diminutio. *Papias.*

D. M. T. L. A. I. CS. Diis Manibus Titulum Locavit Auctoritate Ipſorum Conſulum. *Gratioſus.*

D. M. V. Dis Manibus Votum. *Scaliger.* In Votivis.

Dis Manibus Univerſis. In ſepulcralibus.

D. M. V. F. Dis Manibus Vivens Fecit. Dis Manibus Votum Fecit. Dis Manibus Univerſis Fecit. In ſepulcralibus, & votivis manium.

D. N. Domino Noſtro. *Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius. Auguſtinus.* In monumentis Imperatorum ultimi ævi.

Dominus Noſter. *Probus. Ms: Zabarella. Appianus. Lazius. Manutius. Auguſtinus.*

DN̄. Dominus. *Probus. Magno.* Et ceteri fere omnes.

DN'. Dominus. *Ms: Rhodii. Papias.*

D̄. N̄.

D. N. Domino Nostro. *Scaliger.* In Imperatoriis lapidibus.

DNA. Domina. *Probus. Ms: Rhodii & Ferrarii. Papias.* Uxor a Marito appellatur Domina. Ita *l.* 39. *ff. de legat.* 3. *Pete a te; Domina uxor, ne ex fundo Titiano partem tibi vindices.*

D. N. C. Domino Nostro Cæsari.

DND. Dandas. *Papias.*

D. N. E. Dubium Non Est. *Magno.*

D. N. FL. Dominus Noster Flavius. Victor Imperator fuit in suis nummis appellatus.

D. N. FL. ANIC. Dominus Noster Flavius Anicius. Justinus Imperator in suis nummis dictus.

D. N. FL. CL. Dominus Noster Flavius Claudius. Constantinus junior, Magni filius vocatus est, qui a fratris sui militibus in Alsam fluvium, prope Aquilejam, projectus, triennali imperii occidentalis dominio nondum completo, extinctus est.

D. N. FL. IVL. Dominus Noster Flavius Julius. Crispus dictus est, Constantini Magni Filius, ex Minervina, qui Faustæ novercæ amore vexatus, cum illius libidinem fugeret, ejusdem insidiis, Polæ, Constantini jussu interficitur.

D. N. FL. IVN. PERPET. AVG. Dominus Noster Flavius Junior Perpetuus Augustus. Hic Anthemio in Imperio successit; at cum valetudinarius esset, patri Zenoni Imperiale diadema, cum Imperio cessit.

D. N. FL. MOMYL. AVGVSTVS. P. F. AVG. Dominus Noster Flavius Momylius Augustulus Pius Felix Augustus. Hic Ravennatium, militumque studio a Patre Oreste Imperator designatur. Verum Oreste ab Odoacre Gothorum Rege superato, metu aufugit, exilioque damnatur, vix undecim menses Imperio potitus.

D. N. FL. PLAC. Dominus Noster Flavius Placidus. Valentinianus tertius Imperator nuncupatus est, in nummis suis.

D. N. G. Diutius Non Gaudebis. *Diaconus. Manutius.*

DNI. NRI. Domini Nostri.

D. N. M. Dominus Noster Marcus. Martinianus ille, in nummis dictus est, qui a Licinio, ex Officiorum Magistro Cæsar declaratus fuit.

D. N. MAG. Dominus Noster Magno. Ita Maximus Imperator in suis nummis dictus.

D. N. M. E. Devotus Numini Majestati Ejus. In Saxis Imperatoribus dicatis, cum subsequentibus.

D. N. M. Q. Devotus Numini MajestatiQue. *Probus. Ms: Zabarella. Manutius.*

Dicatus Numini MajestatiQue. *Manutius.*

D. N. MQ. EIVS. } Devotus Numini Majesta-
D. N. M. Q. E. } tiQue Ejus.

D. N. M. Q. E. PVB. Devotus Numini MajestatiQue Ejus Publice.

DNM. Dominum. *Magno.*

DNN. Domini. *Probus.* Ubi de duobus Dominis. *Sarainas.*

Dominis. *Appianus. Lazius.*

Dominum. *Papias.*

DNNN. Domini. Ubi de tribus.

DNO. Domino. *Diaconus. Papias.*

D. NO. LEO. Dominus Noster Leo. Post Maximum, Imperium hic adeptus est, quod annos XVII. administravit.

D. N. P. Dubitari Non Potest. *Magno.*

D. N. P. F. S. De Numerata Pecunia Facies Sacrum. *Diaconus. Manutius.*

DNQ. DominusQue. *Papias.*

DNS. Dominus. *Diaconus.*

DNS. Dominus. *Ms: Rhodii & Ferrarii.*

DÞ. Dunsaxat. *Diaconus.*

D. N. VAL. LICIN. Dominus Noster Valerius Licinius. Licinii filius a Constantino Magno ad Imperium evectus. Faustæ insidiis, mensibus XX. post periit.

D. O. Dare Oportet. *Papias.*

Deo Optimo. *Probus. Appianus. Lazius. Manutius.*

Dis Omnibus. *Probus. Ms: Zabarella. Sarainas. Appianus. Lazius.*

DO. Deo. *Papias. Gratiosus. Manutius.*

DO. Deo *Ms: Rhodii.*

Donatio. *Probus Ernstii. Diaconus. Ms: Rhodii, & Ferrarii Manutius.*

DO. Deo. *Probus. Ernstii.*

DOC. Doctori, *pro* Ductori. *Manutius.*

DO. F. Dotem Fecit. Domum Fecit. Donum Fecit. *Gratiosus.*

DO. FOR. COR. Domo Foro Cornelii. Quod idem ac *Imolensis.* Forum namque Cornelii, Imola nunc ab omnibus dicitur; Domus vero vox præposita, ex urbe originem denotat.

DOL. Dulcissimus. *Probus.*

DOL. EX. FIG. Dolatum Ex Figulina.

DOM. Domo. *Sarainas.*

Domui. *Sarainas. Manutius.*

Domus. *Sarainas.*

D. O. M. Deæ Optimæ Maximæ. *Scaliger.* In votivis, & Deorum lapidibus, una cum sequenti.

Deo Optimo Maximo. Diis Omnibus Manibus. *Manutius. Reinesius* vero *Epist.* 59. Diis Omnibus Manibus legendum negat; neque O esse litteram, sed punctum repræsentare tradit. at cum *Festus* moneat, *Manes Deos ab auguribus vocatos, quod eos per omnia manare credebant, eosque Deos superos, & inferos dictos*, facile persuadeor, quod qui inferos, & superos Manes, suorum sepolcrorum tutores optabant, *Dis Omnibus Manibus* eadem commisisse, atque ita O litteræ loco, non puncti fuisse: nam & *Inferis Manibus* tantum invocatis in lapidibus expressum legi non est qui nesciat.

Donum Operans Mitius. *Manutius.*

DO. M. Dolo Malo. *Gratiosus.*

Dolum Malum. *Papias.*

Dormiunt Mortui. *Gratiosus.*

DOM. AVG. Domus Augusti. *Servius.*

DOM. COS. ITER. IMP. Domitius Consul Iterum Imperator. In nummis argenteis gentis Domitiæ.

DOMES Domesticus.

DOMIT. Domitianus. *Erizius. Angelonus.*

DOMIT. COS. XIIII. LVD. SAEC. F. C. Domitius Consul Decimo Tertio Ludos Sæculares Faciundum Curavit. *Probus. Ms: Zabarella. Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius.* Quæ lectio omnino mihi suspecta, quod observaverim, in Republica Romana nullum inveniri, qui, excepto C. Mario, septimum Consulatum adeptus fuerit. Ergo neque decimumquartum Domitius aliquis, vel propterea quod, & numismata, & Suetonius me docent, Domitianum Imperatorem decimoquarto suo Consulatu Ludos seculares exhibuisse. Numismata quidem Domitiani notas istas præ se ferunt, & Imperatorem togatum, sacrificantis ritu, ad aram cum tribus aliis adstantibus. *Suetonius* vero in ejus vita *cap.* 4. narrat: *Fecit & ludos seculares, computata ratione temporum, ab anno, non quo Claudius proxime, sed quo olim Augustus ediderat.*

DOMNA. Domina.

DOMNI. Domini.

D. O. M. S. Deo Optimo Maximo Sacrum.

Dis Omnibus Manibus Sacrum.

DO. M. T. Dolo Malo Tuo. *Manutius.*

DOMVM. AETERN. V. S. P. Domum Æternam Vivens Sibi Posuit. In sepulcralibus.

DONAT. Donatus.

DONOB. Donationibus. *Magno.*

DON. DED. Dono Dedit.

DON. DON. Donis Donatus. In militaribus, in quibus mentio de donis militibus factis.

D. O. P. Domo Ostiæ Portu. *Scaliger.*

D. OPA. Data Opera. *Magno.*

DOR. Dormit. In sepulcralibus *Romæ subterranea.*

D O. S. Deo Optimo Sacrum. Dis Omnibus Sacrum. *Gualtherius.*

DO S. Domus Sua. *Magno.*

DOS. CS. E. CCL. PC. AVG. VS. Duos Cubitos Est Conclusa Pecunia Augustæ Virginis. *Probus Ernstii. Diaconus.*

DOT. Dotem. *Probus. Diaconus.* & fere omnes reliqui

Dotis. *Sarasnas. Manutius.*

DO. T. Domo Testamenti. *Manutius.*

Dono Testimonii. *Sarasnas. Manutius.*

DOT. R. Dotem Recupavit. *Diaconus. Manutius.*

DO. TRIN. Divo Trajano. *Probus Ernstii. Diaconus. Ms: Ferraris. Manutius.*

DO. VA. Divo Valerio. Divo Valeriano. *Manutius.*

DO. VAL. Divo Valerio. *Probus Ernstii. Diaconus. Ms: Ferraris. Manutius.*

Divo Valeriano. *Diaconus. Manutius.*

D. P. Dedit Pecuniam. Dedit Potestatem. Dedit Publice. *Manutius.*

Deo Perpetuo. *Probus. Sarasnas. Manutius.*

De Pecunia. *Probus. Diaconus. Ms: Ferraris. Manutius.*

De Periculo. *Magno. Cujacius.*

Devota Persona. *Probus. Diaconus. Ms: Rhodis. Magno. Papias. Manutius.*

Devota Provincia. *Sarasnas. Manutius.*

Diis Paternis. *Sarasnas. Appianus. Lazius. Manutius.*

Diis Patriis. *Probus. Sarasnas. Manutius.*

Diis Penatibus. *Probus. Ms: Zabarella. Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius.*

Diis Publicis. *Scaliger.* In Deorum Saxis.

Divus Pius. *Probus. Diaconus.* Et omnes reliqui.

Donum Posuit. *Scaliger.* In votivis.

Dotem Petiit. *Probus. Diaconus.* & ceteri.

Dotis Promissio. *Diaconus. Manutius.*

DP. Deposita. Depositus. In sepulcralibus Christianorum primi ævi.

Depositum. *Gratiosus.*

D̄P. Deposita. Depositus. *Scaliger.*

D'. P. Devota Persona. *Ms: Ferrarii.*

Ð. P̄. Decretum Principis. *Magno.*

DPC. Deprecatio. *Magno.*

D. P. D. Diis Penatibus Dedit. *Manutius.*

Diis Perpetuis Dedicavit. *Sarasnas. Manutius.*

D. PEC. R. De Pecuniis Repetundis. *Probus. Diaconus. Ms: Zabarella. Lazius. Manutius.*

D. P. F. Dedit Potestatem Filio, *vel* Fratri. *Manutius.*

Denunciandi Potestatem Fecit. *Probus Ernstii. Diaconus.* Et omnes fere ceteri.

Devota Persona Fecit. Donavit Pecuniam Filio. *Manutius.*

D. PF. De Præfecto. *Probus Ernstii. Diaconus. Manutius.*

D. P. I. De Propria Impensa.

D. PL. Deo Plutoni. *Sarasnas. Manutius.*

D. P. M. De Pecunia Mea.

D. P. M. V. Dies Plus Minus Quinque.

D. P. O. De Parte Occidentis. *Manutius.*

DPO. Deceptio. *Gratiosus.*

Depositio. *Ms: Rhodis. Papias. Sarasnas.*

Deposito. *Probus Ernstii.*

Dipondium. *Gratiosus.*

D̲P̲O. Depositio. *Diaconus. Manutius.*

D. P. OC. De Parte Occidentis. *Diaconus. Manutius.*

D. P. ORT. De Parte Orientis. *Probus Ernstii. Diaconus. Manutius.*

D. POT. ET. GEN. AEVIT. D. Diis Potentibus Et Genio Æviterno Dicatum. *Landus.*

D. PP. Data Proposita. *Probus Ernstii.* In Constitutionibus Principum, ut in *Codice Theodosiano.*

Data Publicata. *Pancirollus.* Qui *in Notit. Imp. Orient. cap.* 72. notat, hasce litteras consuevisse marginibus apponi legum, cum jam publicatæ fuissent.

Decreto Pontificum. *Gratiosus.*

Deo Perpetuo. *Probus. Sarasnas. Appianus. Lazius. Manutius.* Ad quæ notat *Ernstius*, notis *ad Probum cap.* 4. *Malim Dis Perpetuis*, *ob* PP. *geminationem.*

DI Penates. *Erizius.*

Diis Patriis. Diis Penatibus. *Sarasnas. Manutius.*

D. P. P. De Pecunia Publica. *Manutius.*

De Propria Pecunia. Tum in votivis, tum in sepulcralibus.

Dicatum Patri Patriæ. *Gratiosus.*

D. P. P. D. D. De Propria Pecunia Dedicaverunt. *Scaliger.* In votivis, & sacris lapidibus.

De Propria Pecunia Dono Dedit, *vel* Dedicavit.

D. P. R. De Pecuniis Repetundis. *Manutius.*

D. PR. De Pauperibus. De Principibus. *Manutius.*

D. PR. O. De Parte Occidentis. *Probus Ernstii.*

D. P. S. Dedit Proprio Sumptu. Quandoque in sepulcralibus.

De Pecunia Sua. *Manutius.* Votivis, & sepulcralibus communia.

Deo Perpetuo Sacrum. *Manutius.*

Deo Posuit Sibi. *Ms: Zabarella. Appianus. Lazius. Manutius.*

Diis Penatibus Sacrum. Diis Perpetuis Sacrum. *Sarasnas. Manutius.*

Diis Piis Sacrum. *Probus Ernstii.*

DP. S. Deposuit Sibi. *Sarasnas. Manutius.*

DPS. Discipulus. *Diaconus. Manutius.*

D. PS. De Pauperibus. *Diaconus.*

De Principibus. *Probus Ernstii. Diaconus. Ms: Ferraris.*

D. P. S. DD. De Pecunia Sua Dedicaverunt. In votivis.

D. P. S. D. L. De Pecunia Sua Dedit Locum. In sepulcralibus.

Deo Posuit Sibi Diis Locum. *Manutius*

D. P. S. D. L. D. P. De Pecunia Sua Dedit. Locus Datus Publice. In votivis, & aliquando in sepulcralibus.

De Pecunia Sua Diis Locum Dedit Publice. *Probus Ernstii. Sarasnas. Manutius.* In votivis.

Deo Posuit Sibi Dis Locum Dedit Publice. *Probus. Ms: Zabarella.*

D. P. S. F. De Pecunia Sua Fecit. In votivis, & sepulcralibus.

D. P. S. F. D. De Pecunia Sua Fecit Dedicavit. De Pecunia Sua Faciundum Decrevit. In votivis.

De Pecunia Sua Fieri Dicavit. *Sarainas. Manutius.*

D. P. S. OB. De Pecunia Sua Obiit. *Probus Ernstii.* Lubens tamen legerim

De Pecunia Sua Obtulit. Si in votivis.

D.P.S.P. Dedit Proprio Sumptu Publice.

De Pecunia Sua Posuit. *Rubens.* In votivis, & sepulcralibus.

D.P.S.T.L. De Pecunia Sua Testimonio Legavit. De Pecunia Sua Titulum Locavit. Hoc pacto posse legi crediderim has omnes notas, quas in *Gruterianis Indicibus* non explicat *Scaliger* in his duobus monumentis Romanis, quæ meo judicio eadem sunt, licet *Gruterus* ut diversa referat, primum *pag.* 938. 1. secundum *pag.* 946. 1.

DIS MANIBVS
DASVMIA THAIS
ANCILLAE BENEMERENTI
VIX. AN. XX.
D. P. S. T. L.

DIS MANIBVS
MAMMATAE
BASVMIA THAIS
ANCILLAE BENEMERENTI.F
A. V. XX
D. P. S. T. L

D.Q. Dedit Quæstu. DeumQue. *Manutius.*

DiisQue. *Probus Ernstii. Sarasnas. Appianus. Lazius. Manutius.*

Dii Quirinales. *Manutius.*

Diis Quirinalibus. *Probus. Sarainas. Manutius.*

Divus Quæstor. Drusus Quæstor. *Manutius.*

DQ. DeniQue. *Papias.*

DiisQue. *Ms: Zabarella.*

DQ. DeniQue. *Magno.*

D.QA. De Qualicumque. *Papias.*

DQ. A.T. DeniQue Auctoritas Tua. *Magno.*

D.QQ. Deorum Quirinalium. Devoti Quirinales. Domini Quirinales. *Sarasnas. Manutius.*

D.Q.R. De Qua Re. *Probus. Sarasnas. Manutius.*

D°. Q.R. De Qua Re. *Ms: Rhodii.*

D.Q̄ R. De Qua Re. *Diaconus. Manutius.*

D.Q.R. De Qua Re. *Ms: Ferraris.*

D.Q.S. De Quo Supra. *Probus Ernstii. Diaconus.* Et cuncti fere.

Dis Quo Supra. *Probus Ernstii.* Quæ tamen fateor me non intelligere; ni mendum irrepserit, pro die, quo supra, vel dies quo supra.

Die Qua Sacra. *Manutius.*

Dies Qui Supra. *Ms: Rhodii.*

Die Quo Supra. *Appianus.*

D.R. Dedit Rursus. *Manutius.*

Domo Regione. *Gruterus.* Hoc est, ex civitate, & provincia, quæ passim occurrunt in monumentis militum.

Domus Regis. Dotem Recuperavit. *Manutius.*

DR. Drusus. *Probus. Ms: Zabarella. Appianus. Lazius. Angelonus:* Drusus, particulare & inclytum Claudiorum cognomen fuit, quod meruit Claudius ille, qui *hostium duce Drauso trucidato, sibi posterisque suis cognomen invenit.* Suetonius in Tiberio.

D.R.E.F.A.M. De Re Eadem Fecit Alio Modo. *Manutius.*

D.RG. De Regibus. *Manutius.*

D.R.M. Dicavit Romæ Monumentum. *Sarainas. Manutius.*

D.RM. De Roma. *Probus Ernstii. Ms: Ferrarii. Manutius.*

De Romanis. *Manutius.*

Diis Romanis. *Gratiosus.*

D.R.N. Deus Respice Nos. *Diaconus. Manutius.*

D.R.P. De Republica. *Magno.*

D.RP. Dedit Responsum. *Gratiosus.*

De Republica. *Diaconus. Magno.*

DR.P. Dare Promittit. *Diaconus. Manutius.*

DR. PI. Dare Promisit. *Ms: Rhodii.*

D.R.S. Dicavit Re Salva. *Sarasnas. Manutius.*

D RS. Dare Respondit. *Manutius.*

De Regibus. *Probus Ernstii. Diaconus. Ms: Ferrarii. Manutius.*

DR. S. Dare Spondet. *Papias. Gratiosus.*

Dare Spopondit. *Probus Ernstii.*

DRS. Deserta. *Manutius.*

Discors. *Ms: Rhodii.*

DR.S9. Dare Spodondit. *Ms: Rhodii.*

DRV. Drusus. *Manutius.*

D.S. Data Subscripta. *Probus Ernstii.*

Dato Solo. *Diaconus. Manutius.*

Dedit Sacrum. *Manutius.*

Deo Sancto. In votivis, & DIs dicatis Saxis.

Deo Sacrum. *Rubens.*

De Sapientibus. *Probus Ernstii.*

De Suo. In votivis lapidibus frequentissime; quod etiam expressum.

Dis Superis. *Rubens.*

Donum Superis. *Manutius.*

DS. Deus. *Diaconus. Papias. Manutius.*

DS. Deus. *Ms: Rhodii. Magno.*

Dis. *Diaconus. Manutius.*

DS. Deus. *Probus Ernstii.*

D.S.A. Diversæ Scholæ Auctores. *Papias.*

D.S.B.H.S.S. De Suis Bonis Hoc Sibi Sumpserunt. *Probus Ernstii. Sarasnas. Manutius.*

D.S.B.M. De Se Bene Merenti. In sepulcralibus.

De Se Bene Meritæ. *Manutius.*

De Se Bene Merito. *Scaliger.* Quæ omnia in sepulcralibus.

D.S.D. De Suo Dedit, *vel* Datum, *aut* Donatum, *sive* Dedicatum. Quæ & in votivis & sepulcralibus.

D.S.D.D. De Suo Donum Dedere. *Manutius.*

De Suo Dono Dedit. *Scaliger.* In votivis, & Dis dedicatis.

D.S.DD. De Suo Dedicavit. In votivis.

D.S.E. De Suo Egit. De Suo Erexit. Si tamen recte intelligo notas ista hoc in Saxo *pag.* 1029. 1.

DIS MANIBVS
C. SAENI. C. L. EVEMERI
VI. VIRI. C. SENIVS. DIADVMENVS
COLLIBERT. SERG. HIPORA
BENEMERENTI
D. S. E

D.S.F. Deo Sacrum Fecit. *Manutius.*

De Suo Fecit. Quod vulgatissimum, & expressum quandoque in monumentis.

Diis Sacrum Fecit. *Manutius.*

D.S.FACIVND. COER. De Suo Faciundum Coeravit, *hoc est*, Curavit.

D.S.F.C. De Suo Faciundum Curavit. In sepulcralibus, & votivis.

D.S.F. ƆƆL. De Suo Fecit Conlibertis. In sepulcralibus, & libertorum Saxis.

D.S F.C.H.S.E. De Suo Faciundum Curavit. Hic Situs Est. In sepulcralibus.

D.S.F.P.C. De Suo Factum Poni Curavit. De Suo Factum Ponendum Curavere. Sic omnes has litteras expono in Saxo Ulyssiponensi, exhibito *pag.* 777. 4.

CVRIA. SEX. F. P
VNDANA H. S. E
TREBONIVS
TVSCVS. VIR. ET
AMOENA. M
D. S. F. P. C

D. S. I. De Sua Impensa. De Suo Instituit. In sepulcralibus & votivis.
Deo Soli Invicto. In Diis sacratis lapidibus.
D. S. I. A. Dei Solius Invicti Altaria. *Probus Ernstii.*
Deo Soli Invicto Augusto.
D.S.I.M. Deo Soli Invicto Mithræ. In lapidibus Solis.
D. S.I.P.C. De Sua Impensa Ponendum Curavit. Votivis & sepulcralibus communia.
D.S.I.S.L.M. De Sua Impensa Solvit Libens Merito. In votivis.
D.S.M. Dis Sacrum Manibus. In votivis & sepulcralibus.
D.S.M I. Deo Soli Mithræ Invicto. *Manutius.*
De Suo Monumentum Instituit. In sepulcralibus.
D S.M.P. De Se Merito Posuit. *Sarainas. Manutius.*
De Se Meritis Posuit. *Probus Ernstii.*
De Suo Monumentum Posuit, *vel* Procuravit.
D.S.P. Deo Soli Posuit. *Sarainas. Manutius.*
Deo Sacrum Posuit.
De Sua Pecunia. *Sarainas. Simeonius. Manutius. Scaliger.* Tum in votivis, tum in sepulcralibus, cum subsequentibus.
De Suo Posuit. *Probus Ernstii. Scaliger.*
D. S. P. D. De Sua Pecunia Dedit, *vel* Dedicavit.
De Suo Proprio Dono. *Rubens.*
D. S. P. D. D. De Sua Pecunia Dono Dedit, *vel* Dedicavit.
D.S. P. D. L. D. P. De Sua Pecunia Dedicavit. Locus Datus Publice.
De Suo Posuit Deo Locum Dedit Publice. *Ernstius ad caput 4. Probi.*
D. S. P. E. C. De Sua Pecunia Erigi Curavit.
D. S. P. F. De Sua Pecunia Fecit; *vel* Fecerunt. In operibus publicis.
D. S. P. F. C. De Sua Pecunia Faciundum Curavit. *Manutius. Scaliger.*
D. S. P. L. D. De Sua Pecunia Laribus Dedit. *Trebellius. Manutius.* In votivis.
De Sua Pecunia Libens Dedit, *vel* Locum. In sepulcralibus.
De Suo Publice Locus Datus.
D. S. P. L. M. D. D. D. De Sua Pecunia Libens Merito Dono Dedit Dedicavit. De Sua Pecunia Libero Munere Datum Decreto Decurionum. De Suo Posuit Locum Monumenti Datum Decreto Decurionum.
D. S. P. O. De Sua Pecunia Obiit. *Manutius.*
Diis Sacellum Ponitur Omnibus. *Gratiosus.*
De Sua Pecunia Obtulit, *vel* Ordinavit. Nam quæso quid obire cum pecunia?
D. SPP. De Sapientia. *Probus Ernstii.*
D. S. P. P. De Sua Pecunia Posuit. *Scaliger.* In Votivis & sepulcralibus.
De Suo Posuere. In sepulcralibus.
D S. P. P. F. De Sua Pecunia Pater Filio, *vel* Patri Filius, *aut* Ponere Fecit In sepulcralibus.
Diis Sacrum Ponitur Prospere Faventibus. *Gratiosus.*

A D. S. P. R. C. De Sua Pecunia Restituendum Curavit, *vel* Requietorium. In sepulcralibus.
D. SP. S. P. De Sapientia Sua Perfecit. *Diaconus. Manutius.*
De Sua Pecunia Sibi Posuit. In sepulcralibus.
D. S. P. V. I. S. L. M. De Sua Pecunia Votum Jure Solvit Lubens Merito. *Scaliger.* In Votivis.
D. S. S. De Senatus Sententia. De Suis Sensibus. *Manutius.*
De Suo Sibi. In sepulcralibus.
De Suo Sumptu. *Scaliger.* Quod in viarum cippis sæpe.
B D. S. S. FACIVND. C. C. De Suo Sumptu Faciundum Curavere. Tali pacto legi posse credo hoc in Saxo *pag.* 1079. 13. notas istas:

Q. AVFIDIVS. Q. F
Q. MACVLNIVS. Q. F
D. S. S. FACIVND. C. C.

D. S. S. F. C. De Suo Sibi Faciundum Curavit. De Suo Sumptu Faciundum Curavit. Prout in hoc Saxo Tiburtino *pag.* 1080. 5. De Suo Sumptu Faciundum Curaverunt. Ita

C L. NONIVS. L. F. PANSA
TVL. TVLLIVS. TVL. F
C. MANIVS. C. F IIII VIR. D. S. S. F. C
L. MACILIVS. L. F. ITERVM

DSTBM. Distributionum. *Ms: Rhodii.*
D. SVP. P. De Supina Pila. *Diaconus. Manutius.*
D. S. V S L. L. M De Suo Votum Solvit Libentissime Merito, *vel* Lubens Libens Merito. In Votivis, extremaque eorum parte.
D. T. Dedit Testamento. *Simeonius. Manutius.*
Dedit Titulum. Dedit Tumulum. In sepul-
D cralibus.
Dumtaxat. *Sarainas.*
DT. Dat. *Manutius.*
Dantur. *Papias.*
Declinavit. Decretum. Decrevit. Dedicavit *Manutius.*
Dentur. *Magno.*
Devotus. Dicat. Dictator. Diutius. *Manutius.*
Dixerunt. *Ms: Rhodii.*
Donat. *Manutius.*
Dotem. *Papias.*
Dumtaxat. *Probus. Isidorus. Magno*; fereque
E omnes.
Durat. *Diaconus. Manutius.*
DT7. Dumtaxat. *Manutius.*
DT. Dumtaxat. *Ms: Rhodii.*
D. T. Dotis Tempore. *Magno.*
DTA. Dumtaxat. *Manutius.*
D. TB. De Tribubus. *Diaconus. Manutius.*
De Tributis. *Probus Ernstii. Ms: Ferraris.*
D. T. B. P. Diis Titulum Bene Posuit. *Gratiosus.*
D. TBS. De Tribubus. *Manutius.*
F D. T. D. D. P. F. Dumtaxat Decem Denunciandi Potestatem Faciam. *Manutius.* Quod non intelligo.
Dumtaxat Decem Denunciandi Potestatem Faciam. *Trebellius.*
D. T. G. Q. S. Dedit Titulum Gratis Qum Suis.
De Tuo Genio Quid Sentis. *Diaconus. Manutius.*
DT. R. Dotem Recuperavit. *Manutius.*
D. TRBLN. De Tribunali. *Probus Ernstii.*

D. TRBLN.

D. TRBLN. T. S. De Tribunali Tulit Sententiam. *Diaconus. Manutius.*

D T. S. P. Diem Tertium Sive Perendinum. *Probus. Ms: Zabarella. Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius. Brissonius.* Quis sensus horum verborum, videbitur, notis I. D. S. P.

Diem Tertium Sive Perendie. Diem Tertium Sive Perendiem. Diem Tertium Sive Pereundum. *Probus. Manutius.*

Die Tertio Sive Pridie. *Gratiosus.* Quæ tamen lectiones omnes, prima excepta, apud me suspicione non vacant.

D. V. Dedit Victor. Dedit Vivens. *Manutius.*

Devota Virgo. *Scaliger.*

Devota Vestæ. *Scaliger.*

Devotus Vestæ. *Probus. Ms: Zabarella. Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius.*

Devotus Vester. *Probus. Ms: Zabarella.* Et ceteri fere omnes.

Devotus Vir. *Probus. Ms: Zabarella, & Rhodis. Magno. Sarainas. Lazius. Manutius.*

Dictatorius Vir. *Manutius.*

Dies Quintus. *Probus. Ms: Zabarella. Appianus. Lazius. Manutius.*

Diis Volentibus. *Probus. Ms: Zabarella. Gratiosus. Sarainas. Lazius.*

Dilutum Vinum. Donavit Vivens. Donec Vixit. Dum Vixit. *Manutius.*

Quingentum Quinque.

DV. Devotus. *Diaconus. Papias.*

Divus. *Augustinus. Santamantius.*

D'. Devotus. *Diaconus.*

DV. Dum. *Papias.*

D. V. B. Dilutum Vinum Biberat. *Manutius.*

DVC. DVC. Duce Ducenario. *Scaliger.* In militaribus Ducenarii, prout etiam Centenarii, erant in schola Agentium in rebus. Sed Ducenarii vox, in monimentis militum, armatæ militiæ nomen est; *siquidem primus hastatus duas centurias, id est, ducentos homines ducebat in acie secunda, quem nunc Ducenarium vocant*, ait *Vegetius de Re Milit. lib.* 2. *cap.* 8. Erant etiam Ducenarii dicti, qui ducenam gerebant, vel ducentis scholaribus præerant, ad hanc dignitatem, semper ordine, ac successione evecti, ut patet *l.* 1. 3. *&* 4. *Cod. de Agentib. in Reb.* Ducenarii quoque dicebantur, qui ducentesimam exigebant, quæ vectigal erat ad instar Centesimæ & Quinquagesimæ; de quibus mentio habetur *l.* 1. *Cod. de Exactorib. Tribut. lib.* 11. de Ducenariis abunde *Pancirollus in Not. Imp. Orient. cap.* 64. *Gutherius de Offic. Dom. Aug. lib.* 2. *cap.* 26. *& lib.* 3. *cap.* 10. *Alciatus in l. Matriculum. Cod. de Agentib. in Reb. lib.* 12 *Beatus Rhenanus ad caput* 26. *lib.* 7. *Euseb. Histor.* Adde, Ducenarios etiam illos Judices dictos, quibus non erat census legitimus equestris, id est, quadringenta, sed tantum ducenta.

DVCV. Ducum Ductor. *Diaconus. Ms: Zabarella. Sarainas.*

Ducum Ductore. *Probus. Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius.*

Ductorum Ductor. Ducum Ductio. Ducum Ditio. *Manutius.*

Ducum Ductio. *Probus. Appianus. Lazius.*

DVCS. Divitias. *Ms: Rhodis.*

D. VIIII. De Novem. *Manutius.*

Diebus Novem. *Probus. Manutius.*

DV. I. S. Devotus In Suos.

Devoti Istorum Servantur. Duo Istorum Servantur. *Manutius.*

D. V. KAL. FEB. Dedicatum Quinto Kalendas Februarii.

D. V. L. Devotus Vir Legavit. *Manutius.*

Dies Quadraginta Quinque.

DVL. Dulcis. *Probus. Diaconus. Ms: Ferrarii. Manutius.*

Dulcissima. *Probus. Sarainas. Manutius.*

Dulcissimo.

Dulcissimus. *Probus*, & reliqui. Quas vocum varietates sepulcralia saxa ut plurimum exhibent.

DVL. C. Dulcissimæ Conjugi. *Gratiosus.* In sepulcralibus conjugatorum.

Dulcissimo Conjugi.

DVLCISS. Dulcissima. *Probus. Manutius.*

Dulcissimi.

Dulcissimus. *Probus. Manutius.*

DVLM. Dulcissimus. *Ms: Ferrarii.*

DVLMS. Dulcissimus. *Passeratius. Laurentius.*

DVLS. Dulcissimus. *Manutius.*

D. V. M. Diis Vovit Monumentum. *Gratiosus.*

Dis Universis Manibus. In sepulcralibus.

DVM. Dumia. Tribus scilicet, quod patet ex loco istius notæ, in monumentis a *Grutero* collectis *pag.* 773. 3. & *pag.* 920. 8.

CLAVDIAE VENERIAE Q. PERCERNIVS
A. GELLIVS. A. F. DVM Q. F. DVM
SECVNDVS MASCVLINIS
BONONIA
FECIT. ET. SIBI
IN. FR. P. VI. IN. AGR. P. IX

Cujus & meminit *Panvin. in Descript. Civit. Roman.* ubi de Tribubus, sociali bello additis, in quarum numero & Dumiam reponit; originis tamen, & nominis incertam, nisi a gente Dumia ipsum deduxerit.

DV. M. Dolum Malum. *Ms: Ferrarii.*

DVMS. Dulcissimus. *Diaconus. Manutius.*

D. V. M. T. Dolo Vel Malo Tuo. *Diaconus. Ms: Ferrarii. Manutius.*

DVODECI. Duodecim scilicet. Ita hæc inscriptio *Roma Subter. T.* 2. *lib.* 4. *cap.* 27.

PRIMVS QVI BIXIT ANNOS
DVODECIM ET DIES MINVS
XXX
REQVIESCIT IN PACE.

DVPL. ALAE. AVR. Duplicarius Alæ Aurianæ. In militaribus. Duplicarii erant milites, *quibus, ob virtutem, duplicia cibaria ut darentur, institutum. Varro de Ling. Lat. lib.* 4. Habebantur etiam in exercitu, *Vegetio* teste *de Re Milit. lib.* 2. *cap.* 8. *Torquati Duplares, Torquati Simplares quibus torques aureus, solidus, virtutis præmium fuit; quem qui meruisset, præter laudem, interdum duplas consequebatur annonas, duplares duas, simplares unam. Erant & secundum annonam candidati duplares, candidati simplares. Hi sunt milites principales, qui privilegiis muniuntur.* Verum de Duplicariis militibus plura Godewinus Stevechius *ad Vegetii de Re Milit. cap.* 7. *lib.* 2. Alæ Aurianæ meminit *Tacitus Hist. lib.* 3. his verbis: *Igitur Sextilius Felix cum Ala Auriana, & VIII. cohortibus, ac Noricorum juventute, ad occupandam ripam Oeni fluminis, quod Rhætos Noricosque interfluit, missus.* Et Notitia Imperii Orientis, sub Duce Armeniæ, meminit *Ala Auriana Dascusa.* Ad quæ hæc *Pancirollus* opere citato *cap.* 140. *Auria oppidum est Hispaniæ, unde hæc Ala est collecta. Dascusa morabatur. Dascusam Ptolemæus vocat in Armenia minore. Orosius lib.* 1. *non longe a fonte Euphratis, in finibus Cappadociæ, & Armeniæ ponit.* At Alam istam quandoque in confinio Norici & Vindeliciæ stationes habuisse, observat *Lazius. Comment. Resp. Roman. lib.* 12. *sect.* 7. *cap.* 2. ubi de ea multa.

DVPL. TVR. Duplicarius Turmæ. In militaribus.

taribus. Turma quid esset, *Varro* docet *lib.* 4. *de Ling. Lat.* his verbis: *Turma terma est, E in V abiit, quod terdeni equites, ex tribus tribubus Tatiensium, Ramnensium, & Lucerum fiebant. Itaque primi singularum decuriarum, Decuriones dicti, qui ab eo in singulis turmis sunt etiam nunc terni.* Ita & *de Verb. signific. Festus.* Hinc Turmarii, qui turmas tyronum cogebant. De quibus *l.* 2. *Cod. de Privileg. eor. qui in Sacr. Palat. Milit.*

D. VRG. De Virginibus. *Ms: Ferrarii.*
D. VRS. Domus Virginis. *Gratiosus.*
DV. S. Duo Servantur. *Probus Ernstii.*
D. V. S. Dedit Vivens Sibi. In sepulcralibus, sibi a vivente datis.
Deo Viventi Sacrum. *Gratiosus.*
Dis Universis Sacrum. In Deorum lapidibus.
Divino Voto Suscepto. *Probus Ernstii.*
D. VS. Deæ Virgines. *Diaconus. Manutius.*
De Verbis. *Diaconus. Ms: Ferrarii. Manutius.*
De Virginibus. *Ms: Ferrarii.*
De Virtutibus. *Diaconus. Manutius.*
DVS. Devotus. *Passeratius. Laurentius.*
DVVMV. Duum Vir. Duum Viratus. In magistratibus coloniarum.
D. VXO. Duxit Uxorem.
D. X. Quingenti Decem.
DX. Dixerunt. *Papias. Gratiosus.*

E.

E Edilis. *Trebellius. Manutius.* Quod tamen mihi suspectum; nam AE. sculpserunt ac scripserunt antiqui, ad Ædilem ac Ædilitiam potestatem denotandam.
Ætas. *Sarainas.* Cui nec assentior, ob causam mox allatam.
Ea. Ecce. *Sarainas. Manutius.*
Ede. Edicta. *Manutius.*
Eja. *Ms: Rhodii.*
Ejus. *Probus. Ms: Rhodii & Ferrarii. Papias.* Et reliqui.
Ennius. *Trebellius. Manutius.*
Erexit. *Scaliger.* Tum in votivis, tum in sepulcralibus.
Erexerunt. *Manutius.*
Ergo. *Scaliger.*
Erit. Esse. *Sarainas. Manutius.*
Est. *Probus. Ms: Zabarella, Rhodii, & Ferrarii.* ac ceteri.
Esto. Et. Etiam. *Sarainas. Manutius.*
Ex. *Manutius.*
Exacto. *Scaliger.*
Exactos. Existimandos. *Sarainas. Manutius.*
Ducenta Quinquaginta. *Antiquus Codex de Notis Numerorum, Probo adjectus.*
E. *Si in termino inveneris, vallem ante se, significat, aut rivum, aut fluvium; & super se, subrectionem, loco per plantiem limes excurrit.* Ita in Auctoribus de limitibus agrorum.
E. *pro* Et. Observo in *Roma Subterranea T.* 1. *lib.* 3. *cap.* 2. in hac inscriptione:

SEVERINAE FILIE BENE
MERENTI FECI QVE ISTETIT
IN SECVLO ANNIS Ñ. II E DIES NX

E'. Ejus. *Probus. Diaconus. Ms: Zabarella. Appianus. Manutius.*
Est. *Magno.*
E. Est. *Probus. Manutius.*
Ɛ. Et.
Ɛ Et.
Ꝯ Et. *Sarainas.*
Ꝭ
E. A. Est Ante. *Diaconus. Manutius.*
E. A. D. Ex Ante Diem. *Manutius.*
E. AE. Ejus Aetas. *Probus. Manutius.*
EAT. Eatur. *Magno.*
E. B. Ejus Bona. *Probus. Ms: Zabarella, & Ferrarii. Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius.*
EB. Ebrietas. Ebrius. *Gratiosus.*
E. C. Ea Caussa. *Manutius.*
E Capitolio. E Comitio. *Diaconus. Manutius.*
Ejus Caussa. *Manutius.*
Ejus Consilio. *Gratiosus.*
Est Caussa. *Manutius.*
EC. Ecce. *Ms: Rhodii. Sarainas. Manutius.*
EC. ABSC. P. Hæc Abscondita Pecunia. *Diaconus.* Dummodo lectio constet, siquidem *Ec*, pro *hac*, non mihi satis probatur.
7EC. ABSC. P. Hæc Abscondita Pecunia. *Manutius.* explanatio, ob 7. notam, quæ mihi suspecta, cum aut Centurionis, aut C. loco positam solum fuisse saxa fidem faciant.
ECC. Etiam. *Probus Ernstii. Ms: Ferrarii. Manutius.*
E. CC. Erit Contractum. Ædiles Conscripsere. *Gratiosus.*
E. C. F. Ejus Caussa Fecit. *Sarainas.*
Ejus Caussa Fiat. *Manutius.*
Etiam Cum Fratre. *Sarainas. Manutius.*
Ex Caussa Feci. *Sarainas.*
Ex Caussa Fieri. *Manutius.*
E. CONV. E. Convivio. *Diaconus. Manutius.*
E. C. P. D. L. Ejus Caussa Paraveram Do Lego. *Manutius.*
E. C. R. G. R. Ejus Caussa Rei Gratias Referimus. *Gratiosus.*
E. C. S. AB. Ejus Caussa Senatus Abdicavit. *Diaconus. Manutius.*
E. CVR. Erigi Curavit. In sepulcralibus.
E. D. Ædilem Dicavit. Ejus Dominus. *Manutius.*
Ejus Domus. *Probus. Ms: Zabarella. Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius.*
Ejus Dos. Est Devotus. *Manutius.*
Est Dictator. Est Dux. *Gratiosus.*
ED. Edictalis. *Magno.*
Edictum. *Papias.*
EDJ. Edictum. *Magno.*
ED. C. Ediles Curules. *Sarainas. Manutius.*
Ɛ D. C. Edilis Curulis. *Ms: Zabarella.*
EDE. Extende. *Ms: Rhodii.*
Ɛ DIL. Edilis. *Ms: Zabarella.*
Ɛ DILL. Ediles. *Ms: Zabarella.*
EDIL. CVR. Edilis Curulis. *Sarainas. Manutius.*
EDJO. Editio. *Magno.*
ED. PL. Edilis Plebis. *Magno.*
ED. S. Edictum Sit. *Manutius.*
EDTI. Edicta. *Papias.* Dubia mihi tamen lectio, nisi pro A. imperitorum scriptorum errore irrepserit I.
ED. V. Edendo Vivimus. *Diaconus. Manutius.*
EDV. P. D. Edulium Populo Dedit. *Diaconus. Manutius.* Edulium, largitio & donatio Principis fuit, rerum esculentarum. Lampridius in Alexandro Severo: *Quum edulitatem populus Romanus ab eo peteret, interrogavit per Curionem, quam speciem caram putarent. Illi continuo exclamarunt, carnem bubulam atque porcinam.* Edulia autem

Macrinus per litteras parabat, ut scilicet cui F. contingeret, Ficus, Fasianos, Frumentum, & similia mittere solitus esset, ait Spartianus in eo, Helagabalusque, eodem auctore, *tot picta mantilia in mensam mittebat his edulibus picta, quæ apponerentur, quot missus esset habiturus; ita ut de acu, aut de textili pictura exhiberentur.*

EDX. Eduxi. *Ms: Rhodii. Sarainas. Manutius.*

E. E. Ecce Eum. *Manutius.*

Ejus Ætas. *Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius.*

EE. Esse. *Probus. Diaconus. Ms: Ferrarii. Papias. Gratiosus. Appianus. Lazius.*

EE. Esse. *Probus. Diaconus.* Omnesque fere ceteri.

EE. I. P. Esse In Posterum. *Diaconus. Manutius.*

Esse In Potestate. *Diaconus. Gratiosus. Manutius.*

E. E. I. Q. Exuviæ Ejus Ibi Quiescunt. *Gratiosus.*

EEL7. Exemplum. *Magno.*

EEM. Essem. *Magno.*

EE. M. F. I. Esse Magis Fieri Jussit. *Probus Ernstii. Diaconus. Manutius.*

EE. M. F. I T. Esse Memoriæ Factum Indicat Titulus. *Gratiosus.*

EE. MG. P. Esse Magis Potest. *Diaconus. Manutius.*

,EE. M. P. Esse Merito Posuit. *Gratiosus.*

Esse Magis Potest. *Probus. Ernstii. Ms: Ferrarii.*

EE. N. P. Esse Non Potest. *Probus Ernstii. Diaconus. Ms: Rhodii & Ferrarii. Papias. Manutius.*

EE. P. Esse Possunt. *Sarainas. Manutius.*

Esse Potest. *Ms: Rhodii. Gratiosus. Manutius.*

E. ERG. R. Ejus Ergo Res. *Manutius.*

Ejus Ergo Rex. *Diaconus. Manutius.*

EET. Esset. *Magno.*

E. F. Egregia Femina. *Scaliger.* In monumentis mulierum.

Ejus Fecit. *Probus. Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius.*

Ejus Filius. *Probus. Ms: Zabarella. Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius,*

Ejus Frater. Ex Fide. *Manutius.*

EF. Efficit. *Ms: Rhodii.*

E. F. B. Ex Fide Bona. *Manutius.*

EFF. Efficit. *Gualtherius.*

E. FIL. Ejus Filius. *Probus. Lazius. Manutius.*

EFL. Effultum. *Ms: Rhodii.*

EG. Eger. *Probus, Diaconus. Ms: Zabarella. Magno. .Papias. Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius.*

Egit. Egre. *Manutius.*

Egrum. *Diaconus.*

Ego. *Probus. Diaconus. Ms: Ferrarii. Magno. Manutius.*

Egregie. Egregius. *Gratiosus,*

Ejus. *Manutius.*

Ejusmodi. *Ms: Ferrarii.*

Erga. *Ms: Rhodii. Sarainas. Manutius.*

Ergo. *Papias.*

EG. Eger. *Ms: Rhodii.*

EG,. Eger. *Ms: Ferrarii.*

EGM. Ejusmodi. *Diaconus, Ms: Ferrarii. Manutius.*

EGS. Egressus. *Papias.*

EG. S. B. M. F. Erga Se Bene Merenti Fecit. *Manutius.* In litteratis saxis frequentissime legitur *Bene Merenti Fecit*, quod & parentes, & amici, qui defuncto amico vel cognato monumentum erigebant, amoris ergo testimonium addebant. De hisce, similibusque dicendi Formulis sepulcralibus, *Brissonius de Formul. lib. 7.*

E. H. Ejus Heres. *Probus. Ms: Zabarella. Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius.*

Ex Heredibus. Ex Hereditate. *Diaconus. Manutius.*

E. H. B. M. F. C. Ejus Heres Bene Merentis Faciundum Curavit. In sepulcralibus.

E. H. C. ABC. P. Est Hic Abscondita Pecunia. *Probus Ernstii.*

E. H. E. Ea Hereditate Est. *Manutius.*

Et Heres Est. *Probus Ernstii.*

Ex Hereditate Est. *Manutius.*

Ex Heres Esto.

E. H. E. Exheres Est. *Ms: Ferrarii.*

ExHeres Esto. *Diaconus. Manutius.*

E. H. L. Ejus Hac Lege / Ex Hac Lege } In Legibus & Plebiscitis.

E. H. L. N. R. Ejus Hac Lege Nihil Rogatur. *Manutius.* Hac scribendi Formula utebantur Romani in Legibus ac Plebiscitis, ut scilicet, si aliquid rogabatur, quod jus non esset rogari, per latam legem nihil rogatum intelligerent. Hoc perbelle intelligitur ex *Cicerone lib. Epist. ad Atticum* 23. sed præcipue, *in Oratione pro Cæcinna*, his verbis: *Si quid jus non esses rogari, ejus ea lege nihil rogatum.* Hanc rogandarum legum formulam fuse describit *Brisson. de Formul. lib. 2.*

E. H. O. L. N. R. Ejus Hac Omnibus Lege Nihilum Rogatur. *Probus. Sarainas. Appianus.*

Ejus Hac Omnibus Lege Nihil Rogavit. *Diaconus. Manutius.*

E. H. T. N. N. S. Extraneus Heres Tumulum Nunc Non Sequitur. In sepulcralibus saxis. Ceterum monumenta, vel Familiaria, vel Hereditaria habuerunt antiqui. Familiaria, quæ quisque sibi ac familiæ suæ extruebat. Hereditaria, quæ sibi heredibusque suis dicata erant. quod clarum in antiquis lapidibus, in quibus Familiaria ut plurimum habebant, SIBI ET FAMILIAE SVAE; vel, NE DE FAMILIA EXEAT. Hereditaria vero, HERES SEQVITVR. Et quia aliquando extra familiam heredes relinquebantur, ideo etiam cautum in aliquibus sepulcris, ne heredes admitterentur in sepulcrum familiæ; propterea apponebatur, *hoc sepulcrum heredes non sequitur*, & *externos heredes non sequitur.* Cujus rei causa fuit, ne sepulcrum exiret de nomine familiæ; exempli causa, ne sepulcrum Calpurniorum, inducto herede Cornelio, evaderet monumentum Corneliorum. Aliqui tamen heredes admittebant, cui ideo inscribebant, hoc sepulcrum heredes sequitur. Verum hac de re, qui consulet *Brisson. lib. 7. de Formul.* multa eleganter concinnata comperiet.

EI. Ejus. *Papias.*

EI. Ejus. *Magno.*

EI G. R. Ejus Ergo Res. *Papias.*

EID. APR. Idus Aprilis.

EID. MAR. Idus Martias.

EIM. Ejusmodi. *Papias.*

EIM. Ejusmodi. *Manutius.*

E. I. M. C. V. Ex Jure Manium Consertum Vocari. *Probus.*

Ex Jure Manu Consertum Vocavit. *Diaconus. Sarainas. Appianus. Manutius.*

Ex Jure Manu Consertum Voco. *Brissonius.* Quid vero sibi velint hæc verba, quibus in Actionibus uterentur antiqui, docet his verbis A. Gellius *Noct. Attic. lib. 20. cap. 9.* *Ex jure Manu consertum verba sunt ex antiquis actionibus, quæ, quum lege agitur, & vindiciæ contenduntur, dici nunc quoque apud Prætorem solent.* atque mox: *Manum conserere, est, de qua re disceptabatur, in re præsenti, sive ager, sive quid aliud est, cum adversario simul manu prendere*

dere & in ea re omnibus verbis vindicare. idest, vindicia, correptio manus in re atque in loco præsenti, apud Prætorem, ex 12. Tabulis fiebat, in quibus ita scriptum est: SI QVI IN IVRE MANVM CONSERVNT. Sed postquam Prætores, propagatis Italiæ finibus, datis jurisdictionibus, negotiis occupati pacis, vindiciarum dicendarum caussa, longinquas res gravabantur, institutum est contra duodecim Tabulas, tacito sensu, ut litigantes, non in jure apud Prætorem manum consererent; sed ex jure manu consertum vocarent; idest, alter alterum ex jure, ad conserendam manum in rem, de qua ageretur, vocaret: atque profecti simul in agrum, de quo litigabatur, terræ aliquid ex eo, uti unam glebam, in jus, in urbem, ad Prætorem deferrent, & in ea gleba, tanquam in toto agro vindicarent. Verum ne quis in voce *Vindiciæ* hæreat, ex *Festo* discat *Vindicias appellari, res eas, de quibus controversia est, quod potius dicitur jus, quia fit inter eos qui contendunt.* Quare idem subdit: *Prætores secundum populum vindicias dicunt.* & paulo post: *Vindiciæ olim dicebantur illæ, quæ ex fundo sumpta in jus data erant.*

EIMO. Ejusmodi. *Probus Ernstii.*

EIMO. Ejusmodi. *Diaconus.*

E. I. Q. Ex Instituto Quæstoris. *Manutius.*

EI RQ Exivi Requietum. *Diaconus. Manutius.*

E. L. Edita Lex. *Probus. Ms: Zabarellæ. Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius.*

Ejus Locus. *Sarainas. Manutius.*

EL. Electus. *Sarainas. Manutius.*

Elementum. *Gratiosus.*

ELA. Elementa. *Gratiosus.*

EL. EST. Elata est In sepulcralibus.

Ɛ. LEG. Centurio Legionis. In militaribus Saxis.

ELG. B. E. Elanguit Bonitas Ejus. *Diaconus. Manutius.*

E. LG. B E. Ei Legavit Bona Externa. *Gratiosus.*

E. M. Ejus Mater. *Gratiosus.*

Ejus Merita. Ejusmodi. *Manutius.*

Epistolam Missam. *Brissonius.*

Ex More. *Ms: Zabarella. Manutius.*

EM. Ejusmodi. *Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius.*

Emeritus. *Scaliger.* In militaribus. *Emeriti*, ait *Isidorus Orig. lib. 2. cap.* 3. dicuntur, *Veterani, solutique militia, qui jam in usu prælii non sunt; quia mereri militare dicitur, a stipendiis scilicet, quæ merentur. Iidem & Veterani dicuntur, quia jam in usu prælii non sunt, sed post multos militiæ labores, quietis suffragium consequuntur.* Emeriti milites efficiebantur duplici missione, *Justa & Honoraria. Justa data erat illis, qui legitimæ militiæ annos omnes explevissent; quod tempus lege Servii Tulli, & Gracchana, fuit ab anno XVII. ad quadragesimum septimum; licet quandoque mutata fuerit, pro Reipublicæ indigentia. Honoraria vero missio erat, quæ extra ordinem, honoris, gratiæque caussa concedebatur; hosque proprie non Emeritos, sed Beneficiarios dictos observavit *Antonius Valtrinus de Re Milit. lib. 6. cap. 5.* tum ex Festo, tum etiam ex C. Julii Cælii Cæsaris Commentariis.

Emit. *Manutius.*

E'M. Ejusmodi. *Manutius.*

EMĀ. Emissa. *Magno.*

EM. AL. Emeritus Alæ. Legionarii quippe, & Alarii, ac Cohortales milites, tam justa, quam honoraria missione mittebantur.

E. M. D. Ejus Memoria Dedit.

Ejus Memoria Dixit. *Probus Ernstii. Ms: Ferraris.*

EMET. *pro* Emit. Lego in Monumento *Rom. subterr. T. 2. lib. 4. cap. 18.*

SE BIBA EMET DOMINA
LOCVM A SVCCESSVM
TRISSOMV. VBI POSITI
. . . . ET
. . . .
. . . .

EMO. Ejusmodi. *Magno.*

EM°. Ejusmodi. *M: Rhodii.*

E'M. Ejusmodi. *Probus. Ms: Zabarellæ. Manutius.*

EM. OL. Ꞩ. Emit Ollas Duas. Explico in Romana inscriptione exhibita *pag.* 594. 3.

SEXTIAE. L. TERTIAE
TONSTRICI
SEXTIA XANTA
EM. OL. Ꞩ.

Olla vase fictili utebantur in sepulturis servorum & libertorum, eratque etiam in usu teste *Joanne Argolo* ad *Panvinium de Lud. Circens. lib. 1. cap. 15.* pro benemerentibus, & iis præcipue, qui, paupertatis caussa, ab heredibus sepulcra non obtinebant.

EMP. Empta. *Manutius.*

Emptor. *Probus. Ms: Zabarellæ. Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius.*

Imperator. *Diaconus.* Dummodo recte.

EMS. Exemplar. *Papias.*

EMS. Emissa. *Papias.*

EMT. Emitte. *Ms: Rhodii.*

E. M. V. Egregiæ Memoriæ Viro. *Scaliger. Gualterius.* Hoc in sepulcralibus.

EM. V̄R. Eminenti Viro. *Papias.* Hoc titulo quandoque cariores Principibus donati ab ipsis fuere, in quibus præcipue Misitheus tertii Gordiani socer, de quo ita *Capitolinus*: *Misitheo eminenti viro, parenti Principum, Prætorii Præfecto, & totius Urbis, tutori Reipublicæ S. P. Q. R. vicem reddidit.*

E. N. Est Noster. *Diaconus. Ms: Ferraris. Manutius.*

Etiam Nunc. *Probus. Ms: Zabarellæ. Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius.*

Et Non. *Diaconus.*

EN. Endotercisus, *hoc est*, Intercisus Dies. *Rosinus. Manutius.* In Kalendario: *Intercisi dies erant.* *Varrone* auctore *lib. 5. De Ling. Lat. per quos mane & vesperi erat nefas; medio tempore inter hostiam cæsam, & exta porrecta fas; a quo quod fas tum intercedit, Intercisi dies, aut quod non intercisum, nefas.* Ergo diebus intercisis, quibus Deorum, hominumque res agebantur, mane scilicet, & vesperi, fari prohibebatur, medio vero tempore, idest, inter hostiam cæsam, & porrectam fari permissum.

Enim. *Magno.*

E.. HC. Etiam Hunc. *Manutius.*

EO Ego. *Ms: Rhodii. Sarainas. Manutius.*

Eorum. *Papias.*

EOR. Eorum. *Probus. Diaconus.* Et reliqui.

E. P. Edendum Parce. *Diaconus. Manutius.*

Ejus Pietas. *Manutius.*

E Palatio. *Diaconus. Manutius.*

E Pretio. *Scaliger.*

E Publico. *Diaconus. Manutius.*

Est Paratus. *Manutius.*

EP. Epistola. *Probus. Diaconus.* Cum ceteris.

Epistolam. *Ms: Zabarella.*

Epitaphium. *Diaconus. Manutius.*

EP. Epistola. *Ms: Rhodii. Manutius.*

Epitaphium. *Manutius.*

E.P. Epistola. *Ms: Ferraris.*

EPC. Episcopus. *Papias.*

EPI. Edistola. *Probus. Sarainus. Appianus. Lazius. Manutius.*

EPI. Episcopi. In Romæ subterraneæ monumentis.

EP. M. Epistolam Misit. *Probus. Diaconus* & omnes.

EP. M. Epistolam Misit. *Ms: Rhodii.*

EPOR. Epora. Unde Eporetani. Hispaniæ Bæticæ Epora urbs est, nunc vulgo *Montoro.*

E. PP. Et Præparat. *Diaconus. Papias. Manutius.*

E. PP. Et Præparat. *Probus Ernstii. Ms: Rhodii.*

E. P. P. D. Ædes Patri Patriæ Dicavit. *Gratiosus.*

EPS. Episcopus. *Probus Ernstii.*

EPTVS. Episcopatus. In Christianorum Saxis.

E. PVB. E Publica. E Publico.

EPVL. INDICT. Epulum Indictum. In Kalendario. Jovi, Junoni, & Minervæ Epulum Indictum parabatur *Valerii Maximi* testimonio *lib.* 2. *cap.* 1. hoc ritu: *Jovis Epulo ipse in lectulum, Juno & Minerva in sellas, ad cœnam invitabantur.* Ad quæ hæc *Oliverius: Epulum Jovis erat, quod alio nomine Lectisternium dicebatur. In Capitolio enim stratis tribus Lectulis, convivium apponebatur tribus Diis, Jovi; Junoni & Minervæ; Jupiter vero, id est, Simulacrum Jovis statuebatur in lectulo recubans; Juno & Minerva in sellis considebant; sed appositas epulas non ipsi Dii, sed septem Epulones convivia celebrabant; nam huic solemnitati septem Viri Epulones præerant;* hacque de causa *indictum est his nomen, quod epulas indicendi Jovi, cæterisque Diis potestatem haberent.* Scripsit *Festus.* Lectisternium primum Romani habuere, Anno V. C. CCCLIV. nam tunc æstivo tempore sæva pestis, cum homines animaliaque cuncta necaret *Libri Sybillini ex Senatus Consulto aditi sunt*, ait *Livius Hist. lib.* 5. *Duumviri sacris faciundis, Lectisternio tunc primo in urbe Romana facto per dies octo.* Verum Viros Epulones multo post institutos observo; siquidem L. Furio Purpureone & M. Claudio Marcello, juxta Panvinianam supputationem, Consulibus anno Urbis DLIIX. *Roma eo primum anno Triumviri Epulones facti, C. Licinius Lucullus, T. Romulejus, qui legem de creandis his tulerat, & P. Porcius Lecca, Livio* auctore *Hist. lib.* 33. licet *Pomponius Letus de Sacerd. Rom.* scribat, quod *Veteres Pontifices (ut ait Cicero) propter multitudinem Sacrificiorum, tres Epulones esse voluerunt, ut ludorum epulare sacrificium facerent. Id Sacerdotium antiquum fuisse constat, sed de ætate nondum legimus.* Non adeo tamen constat, quando eorum numerus sit auctus, atque ex tribus septem sint viri Epulones creati, cum ipse *Pomponius*, tum & *Lilius Gregorius Gyraldus Hist. Deor. Syntag.* 17. *Raphael Volater. Philolog. lib.* 30. *Andreas Dominicus Floccus de Potest. Roman. lib.* 1. *cap.* 16. *Henricus Blebius de Sacerd. & Magist. Roman. Onuphrius Panvin. Descrip. Civit. Roman.* & *Joann. Rosinus Antiquit. Roman. lib.* 4. *cap.* 28. uno consensu asserant numerum auctum duobus, & quinque fuisse Epulones, ac postea theatralium ludorum atque circensium ambitione, & fastu septem electos; sed quo tempore, & a quibus, ab iis prætermissum.

EPVL. POP. DED. Epulum Populo Dedit. *Gallus.* Epulum, quod populo dabatur, cœnam etiam *popularem* dictam, *Adrianus Turnebus* ad hæc Plauti *Trinum. Act.* 2. *Scen.* 4. scribit.

PH. *Quid nunc, si in adem ad cœnam veneris,*

Atque ibi opulentus tibi par forte ut venerit,
Apposita sit cœna, popularem quam vocant.

EPV. Episcopus. In monumentis Christianorum.

EQ. Eques. *Gratiosus.*

Equiria. *Varro. Festus. Rosinus. Manutius.* In Kalendario. *Equiria, ab equorum cursu: eo enim die currebant equi in Campo Martio.* Ita *Varro de Ling. Lat. lib.* 5. Hinc *Ovidius Fastor.* 2.

Jamque duæ restant noctes de mense secundo;
Marsque citos junctis curribus urget equos.
Ex vero positum permansit Equiria nomen,
Quæ Deus in Campo prospicit ipse suo.

Celebrabantur Equiria tertio Kalendas Martias, qui Februarii dies vigesimus septimus; tertioque Idus Martii denuo instaurabantur, qui duodecimus dies ejusdem mensis. de quibus *Festus: Mercurialis Campus in Cælio monte dicitur, quod in eo Equiria solebant fieri, si quando aqua Tiberis campum Martium occupassent.* & *Ovidius Fastor.* 3.

Sex ubi sustulerit, totidemque remiserit orbes,
Purpureum rapido qui vehit axe diem;
Altera gramineo spectabis Equiria campo
Quem Tiberis curvis in latus urget aquis.
Qui tamen ejecta si forte tenebitur unda,
Cælius accipiet pulverulentus equos.

Quæ tamen de secundis Equiriis intelligenda, ut abunde indicant illa verba, *Altera Equiria.*

Equitum. *Goltzius.*

EQ. AVG. N. Eques Augusti Nostri. *Scaliger.* In militaribus equitum Saxis.

EQ. AVR. Eques Auratus. *Manutius.*

EQ. COH. Eques Cohortis. Antiquas quippe Cohortes peditum & equitum fuisse jam observatum.

Equestris Cohortis. *Diaconus. Manutius.*

EQ. M. P. Equum Meruit Publicum. In militum monumentis. Qui publicum merebant equum, vere equites erant; equitare in militia antiqui vocabant *equo publico merere.* Anno V. C. CCCLI. Romani primum equum dederunt publicum. *Livius Hist. lib.* 5. cum ob devictos Vejos scribat: *Et equis certus numerus æris est assignatus. Tum primum equis merere equites cœperunt.* Censores publicum equum dabant, eundemque, ob aliquod flagitium, quod maximæ fuerat ignominiæ, equitibus adimebant; quibus propterea magna suorum equorum cura. quam forte ob causam Transvectio, id est, equorum probatio instituta Romæ; qua scilicet, sedentibus in foro Censoribus, unusquisque equitum, equum suum adducebat; quem postea, teste Plutarcho in Pompejo, peractis, confectisque stipendiis, Censoribus restituebant.

Equiti Monumentum Posuit.

EQ. M. Equitum Magister. *Manutius.* Magistrum equitum Dictator ipse sibi eligebat, ordine Consularem, *Livius Hist. lib.* 2. Hujus in equites potestas erat, sicuti Dictatoris in populum universum. Verum, cum Dictatura in Imperialem majestatem migrasset, Magistro equitum Præfectus Prætorio successit. Sed de equitum Magistro plura qui cupit, adeat *Pomponium Letum De Magist. Roman. cap.* 8. *Andream Dominicum Floccum De Potest. Roman. lib.* 2. *cap.* 23. *Raphaelem Volaterranum Comment. Urban. lib.* 29. *Alexandrum ab Alexandro Gen. Dier. lib.* 4. *cap.* 23. *Carolum Sigonium De Antiq. Jur. Civ. Roman. lib.* 1. *cap.* 20. *Onuphrium Panvinium Comment. in Lib. Fast. ad annum Urb. Cond. CCLVI. & In Descript. Civit. Roman. Wolfgangum*

Lazium Comment. Reipub. Rom. lib. 4. cap. 9. & Joannem Rosinum Antiquit. Roman. lib. 7. cap. 18. fuse omnes de hac dignitate differentes.

EQ. M. SP. POM. Equitum Magister Spurios Pompejanus. *Probus. Ms. Zabarella. Saramas. Appianus. Lazius. Manutius.*

EQ. O. Equester Ordo. Equestris Ordinis *Manutius.* Equester ordo, qui Romæ magnæ dignationis & auctoritatis, fereque Senatorio par, non fuit institutus, ut observant *Joannes Rosinus Antiq. Roman. lib. 1. cap. 17. & Joannes Antonius Valtrinus de Re Milit. Roman. lib. 3. cap. 4.* ex iis equitibus, qui Plebi opponebantur, quique equo privato in exercitu merebant; sed ab iis qui diversi a Senatoribus equo merebant publico. quod ut paulo supra adnotavi, cœptum anno Urbis CCCLI. Isti vero, cum neque Senatorii, neque Plebeji essent, necessario a Censoribus in equestrem ordinem legebantur. Sine censu nemo huic ordini adscribebatur, qui erant Sestertia quadringenta; quod, præter ea quæ scribit *Plinius Hist. lib. 33. cap. 1. & 2.* manifeste probant hi *Horatii* versus *lib. 1. Epist. 1.*

Si quadringentis sex septem millia desunt,
Est animus tibi, sunt mores, & lingua, fidesque,
Plebs eris. . . .

Et ut mittam alios antiquos, penes quos hac de re judicium, satis equitum census a *Suetonio* confirmatur, in C. Julio Cæsare *cap. 33. Promisitque jus annulorum, cum millibus quadringenis fama distulit.* Equitum indumentum proprium fuit Angusticlavium, quo induti incedebant quotidie, excepto Transvectionis die; tunc enim trabeatos incessisse monstrat *Valerius Maximus lib. 2. cap. 2.* Quod vero Angusticlavium eorum esset, patet ex *Velleio Paterculo*, qui *Hist. lib. 2.* hæc de Mecœnate scripta reliquit: *Tum urbis custodiis præpositus Cajus Mecœnas, equestris, & splendido genere natus, non minus Agrippa Cæsari charus, sed minus honoratus, quippe vixit Angusticlavio pene contentus.* Aureus anulus proprium equitum ornamentum fuit; cum enim Mago Amilcaris filius, Carthagine res gestas a fratre in Italia exposuisset, atque de Cannensi clade retulisset, scribit *Livius Hist. lib. 23. Ad fidem deinde tam lætarum rerum, effundi in vestibulo curiæ jussit annulos aureos; qui tantus acervus fuit, ut metientibus, dimidium supra tres modios explesse sint quidam auctores. Fama tenuit, quæ propior vero est, haud plus fuisse modio. Adjecit deinde verbis, quo majoris cladis indicium esset, neminem nisi equitem, atque eorum primores id gerere insigne.* In theatro equitibus locus erat distinctus, lege Roscia theatrali anno V. C. DCCXXCV. lata a L. Roscio Othone Trib. Pl. de qua Juvenalis *Sat. 14.*

Acribus exemplis videor te claudere, miser
Ergo aliquid nostris de moribus, effice summam
Bis septem ordinibus, quam lex dignatur Othonis.

Ea cavebatur, ne quis HS CCCC. non habens e quattuordecim gradibus, equitibus in theatro assignatis, spectaret. Ideo idem *Juvenalis* exclamat *Sat 3.*

Nil habet infelix paupertas durius in se,
Quam quod ridiculos homines facit. Exeat, inquit,
Si pudor est, & de pulvino surgat equestri.

& *Martialis lib. 5. Epigr. 26.* in Chærestratum insurgens:

Quadringenta tibi non sunt, Chærestrate surge,
Lectius ecce venit.

Atque etiam eadem lege pœna erat irrogata equitibus illis e quattuordecim spectantibus, qui sive suo, sive fortunæ vitio censum decoxissent. *Cum autem plerique equitum*, ita *Suetonius* in Augusto, *attrito bellis civilibus patrimonio, spectare ludos e quattuordecim non auderent, metu pœnæ Theatralis, pronunciavit Augustus,* (lege Julia Theatrali) *non teneri ea, quibus, ipsis parentibusve, equester census nunquam fuisset.* Equites vero hujusmodi esse desinebant illi, qui Senatores efficiebantur; quique patrimonium consumebant, aut quibus, quod ipsis ignominiæ maximæ loco fuit, equus, vel anulus a Censoribus adimebatur; vel quibus *Senatoriam dignitatem recusantibus, equestrem quoque ademerat* Tib. Claudius, *Suetonio fide*, in ejus vita *cap. 24.* Verum de Ordine equestri plura qui cupit, præ cæteris consulat *Alexandrum ab Alexandro Gen. Dier. lib. 2. cap. 29. Joannem Rosinum Antiquit. Roman. lib. 1. cap. 17.* nec non in eundem, eruditissimum *Thomam Dempsterum*; item *Joannem Valtrinum de Re Milit. Roman. lib. 3. cap. 4.* omnes siquidem non minus accurate, quam copiose & erudite hujusce dignitatis notitiam exhibent.

Equus Optimus. *Manutius.*

EQ. OR. Equestris Ordinis. *Probus. Ms. Zabarella. Saramas. Appianus. Lazius.*

EQ. P. Æqualis Persona. Equestris Persona. *Manutius.*

Eques Publicus. *Probus.*

Equiti Publico. *Scaliger.*

Equo Publico. In militaribus, & illorum lapidibus, qui equo publico merebant.

Equus Publicus. *Probus.*

EQ. P. EXOR. Equo Publico exornato. In militaribus.

EQ. PVB. Eques Publicus. *Probus.*

Equo Publico. *Scaliger.*

Equus Publicus. *Ms. Zabarella. Appianus. Lazius. Scaliger.*

EQ. PVB. IIII. VIR. I. D. PRAEF. FABR. Equo Publico QuadrumVir Juri Dicundo Præfectus Fabrum.

EQQ. Equitum.

EQ. R. Eques Romanus. *Probus. Diaconus*, & ceteri.

Equestri Romano. *Manutius.*

EQ. R. EQ. P. Eques Romanus Equo Publico.

EQR. O. Equester Ordo. *Gratiosus.*

EQ. RO. DEC. COL. APVL. Eques Romanus Decurio Coloniæ Apuli. In Coloniarum lapidibus.

EQ. ROM. Eques Romanus. *Scaliger.*

Equiti Romano.

EQS. Equites. *Gratiosus.*

EQ. SING. AVG. Eques Singularis Augusti. In militaribus. Singulares milites fuisse, ex eis intelligere est, quæ scribit *Tacitus Hist. lib. 4. cap. 70. Accessit Ala Singularium, excita olim a Vitellio, deinde in partes Vespasiani transgressa.* Milites Singulares exacte describit *Pancirolius in Notit. Utriusq. Imp cap. 20.* ubi præsertim quinam essent, quæque munia exercerent, abunde lector intelliget.

EQ. SING. IMP. N. Eques Singularis Imperatoris Nostri.

EQV. Equiria. De quibus nota EQ.

EQVIT. Equitum. *Saramas. Manutius.*

EQVOR. PROB. Equorum Probatio. *Scaliger.* In Kalendario. Equorum probationem faciebat Censor; quando scilicet equites coram ipso, in foro sedenti

ſedenti equum ducebant, e publico acceptum: qui ſi ei non adeo ornatus videretur, equiti adimebatur, quod, ut dictum ſupra, ipſi ſummo cedebat dedecori. Hæcque vero erat equorum probatio, de qua *Valerius Maximus lib.* 2. *cap.* 2. agit, nec non quæ poſtridie Idus Novembris, nempe XVIII Kalendas Decembris quotannis Romæ habebatur, ut ex Kalendario Romano patet, qui dies Novembris erat decimus quartus, & Feriæ.

E. R. Ea Res. *Manutius.*

ER. Ærarii. *Saraınas. Manutius.*

Erat. *Manutius.*

Erit. *Probus. Diaconus.* Et reliqui.

Erogator. Erogatori. *Manutius.* In militaribus. Erogatores, in exercitu ex *l.* 16. *Cod. de Erogat. Milit. Annon.* erant, qui ſolatium publicum *manu ſua, ſine ullo dolo & fraude ſingulis militibus enumerabant.* Atque adeo erogatores in Legionibus, qui ſtipendium Legionariis militibus erogabant.

ER. Erit. *Ms: Ferrarii.*

Erunt. *Diaconus. Ms: Rhodii & Ferrarii.*

E. R. A. Ea Res Agitur. *Probus Ernſtii. Diaconus. Manutius.*

E. R. AG. Ea Res Agitur. *Manutius.*

E. R. B. Ejus Regit Bona. *Diaconus. Manutius.*

ER. COLL. Aere Collato. *Manutius.*

EREC. Erectum.

ERG. Ergo. *Probus Ernſtii. Diaconus. Ms: Ferrarii. Papias. Manutius.*

ERG°. Ergo. *Probus Ernſtii. Diaconus.*

ER. LEG. Erogatori Legionis. *Manutius. Scaliger.* De Erogatoribus dictum ſupra, nota ER.

ER. L. M. AETN. Erit Locus Memoriæ Æternæ. *Manutius.*

ER. L. M. ETN. Erit Locus Memoriæ Æternæ. *Diaconus. Ms: Ferrarii. Manutius.*

ERP. Eripiet. *Probus Ernſtii. Diaconus. Ms: Rhodii & Ferrarii. Manutius.*

Eripiunt. *Papias.*

ER. P. Aere Publico. *Manutius.*

Erit Paratus. *Probus Ernſtii. Diaconus. Manutius.*

E S E Senatu. *Diaconus. Manutius.*

E Suo. *Scaliger.*

ES. Ejus. *Gratioſus.*

Eſt. In *Roma Subterranea T.* 1. *lib.* 3. *cap.* 22. ut ex hac inſcriptione patet:

ILARA IIII. IDVS OCTOBRES
DEFVCTA ES IN PACE

E. S. AE. MR. E Sacra Æde Martis. *Diaconus. Manutius.*

E. S. ET. LIB. M. E. Et Sibi Et Libertis Monumentum Erexit. In ſepulcralibus, atque prope extremum marginem.

E. S. S. PQ. R. Ex Sententia Senatus PopuliQue Romani. *Probus Ernſtii.* Quod & expreſſum apud *Livium* videre eſt *Hiſt. lib.* 36. *Si duellum, quod cum Antiocho Rege ſumi populus juſſit, id ex ſententia Senatus, Populique Romani confectum erit.* Quæ formula fuit ſollemnis, belli alicujus decernendi cauſa; verba enim effabatur Conſul, præeunte Pontifice Maximo.

ESQ. Eſquilina. Tribus ſcilicet. *Manutius. Scaliger.*

ESQVIL. Eſquilina. *Scaliger.* Eſquilina Tribus urbanarum ſecunda, ab Eſquiliis dicta, *Varro de Ling. Lat. lib.* 4. hoc eſt, quod in Eſquilino monte eſſet. Eſquiliæ vero unde dictæ, docet *Varro* loco citato.

ESR. Eſcurſum. *Ms: Rhodii.*

ESS VDD. MM. R. Eſſe Vendendum Monumentum Regis. Eſſe Videndum Monumentum Regis. *Diaconus. Manutius.*

Ejus Sacrum Votum Dedicari Monumentum Requirit. *Gratioſus.*

E. T. Ex Teſtamento. *Scaliger.* In ſepulcralibus.

ET. Eſt. *Saraınas.*

Etiam. *Diaconus. Ms: Rhodii. Saraınas. Manutius.*

ET. Etiam. *Ms: Ferrarii.*

T. Et.

E. ARAM. P. S. F. Et Aram Pecunia Sua Fecit, *vel* Proprio Sumptu. In votivis & Dis dicatis Aris.

ET. CET. D. D. Et Ceteris Dis Deabus. In Diis ſacratis lapidibus.

ET. COS. ET. PR. Et Conſuli Et Prætori.

ET. D. D. OMNIB. Et Dis Deabus Omnibus. In Deorum Saxis.

ETE. Eſtote. *Ms: Rhodii.*

E. T. F. I. S. Ex Teſtamento Fieri Juſſit Sibi. *Scaliger.* In ſepulcralibus.

ET. ITER. Q. Et Iterum Quinquennalis. In magiſtratibus coloniarum.

ET. LIB. SVIS. ET. LIB. LIB. EORVM PRSQ. SVIS. Et Liberis Suis, Et Libertis Libertabus Eorum Poſteriſque Suis. In ſepulcralibus, atque in eis, quæ Familiaria, & Hereditaria erant; nam nomine Poſterorum etiam qui non ſunt de Familia, veniunt nuncupati.

ET. L. L. P. Q. E. Et Libertis Libertabus Poſteriſque Eorum.

ET. M. D. Et Manu Divina. *Magno. Briſſonius.*

ET. M. E. L. Et Marcus Et Lucius. In Saxo iſto *pag.* 195. 10. ſi bene:

TITVS. CAELICVS
TRIPES. FRONTO
ET. M. E. L. TITI
FILI PRONEPOTES
CAELICI. FRONTONIS
RENOVAVERVNT

ET. NC. Etiam Nunc. *Probus Ernſtii. Diaconus. Ms: Rhodii & Ferrarii. Magno. Manutius.*

ET. NVM. AVGG. Et Numini Auguſtorum: Et Numinibus Auguſtorum. *Gruterus.*

E. T. Q. Eſt Tempus Quærendi. *Saraınas. Manutius.*

ET. Q. D. D. Et Quibus Donari Donavero. *Probus Ernſtii.* Verum libentius legerim, *Et Quibus Dedit*, vel *Dedicavit.*

ET. QVOS. I. F. C. H. S. Et Quos Ipſe Fieri Curavit Hic Sunt. In ſepulcralibus, atque in eorum extremis marginibus.

ET. S. A. D. Et Sub Aſcia Dedicavit. In ſepulcralibus fere ſemper, & quandoque in votivis, ſed in eorum extremo.

ET. S. D. Et Sibi Dedit. Et Suis Dedit. In ſepulcralibus.

ET. S. ET. L. L. P. E. Et Sibi Et Libertis Libertabus Poſteris Ejus, *vel* Eorum. In ſepulcralibus, Familiaribus, & Hereditariis.

ET. S. ET. L. L. P. Q. E. Et Sibi Et Libertis Libertabus PoſteriſQue Eorum. Hæc & ſequentia ſepulcralium lapidum extremum occupant.

ET. S. ET. S. LIB. L. P. Q. E. Et Sibi Et Suis Libertis Libertabus Poſteriſque Eorum.

ET. S. FA. C. Et Sibi Faciundum Curavit. *Probus Ernſtii.*

ET. S. L. Et Suis Liberis. *Probus Ernſtii.*

Et Suis Libertis.

ET. S. LIB. Et Suis Libertis.

ET. S. P. Q. E. Et Sibi PosteriíQue Ejus. Et Suis PosteriíQue Eorum.

ET. S. L. L. P. Q. E. Et Suis Libertis Libertabus PosteriíQue Eorum.

ET. S. S. F. Et Sibi Sepulcrum Erexit, *vel* Et Suis.

ET. S. V. F. Et Sibi Vivens Fecit. Hucusque sepulcralium lapidum variæ Formulæ, & omnes quidem in extremis eorum marginibus.

E. T. V. Ecce Tibi Vindicta. *Manutius.* Verba erant sollemnia Prætoris, cum Lictori virgam tradebat servo percutiendo, pro ejusdem manumissione. *Sigonio* siquidem auctore, *de Judic. lib.* 1. *cap.* 13. cum servi alicujus manumittendi gratia Prætor vindictam, id est, virgulam ad hoc destinatam, Lictori consignabat, dicere solitus erat: *Secundum tuam causam, sicuti dixi, ecce tibi Vindicta.*

E. V. Egregio Viro. Egregius Vir.

EV. Ejus. *Diaconus. Manutius.*

E. V. A. Ejus Vota Accepimus. *Gratiosus,*

EVCH. Euchius, *id est*, Bonus Filius. *Sarainas. Manutius.*

E. V. L. S. Ejus Votum Libenter Solverunt. *Manutius.*

EVOC. Evocatus. In militaribus. Evocatos, dicit *Adrianus Turnebus Adversar. lib.* 1. *cap.* 9. *esse homines militia perfunctos, & emeritis stipendiis, qui tamen rursus militatum evocantur*; ideo dicti, quia revocati, ex verbo Græco ἀνακλῆσθαι; proprieque isti fuerunt, qui Evocati Augusti in lapidibus antiquis notabantur, quod ipsis gloriosum erat. Alios quippe Evocatos a Galba ordinatos, ex *Suetonio cap.* 10. observo, qui equites erant. *Delecti & equestris ordinis juvenes, qui manente anulorum aureorum usu, Evocati appellarentur, excubiasque circa cubiculum suum vice militum agerent.* Evocatorum militum originem Augusto adscribit. *Dio Hist. lib.* 45. ubi narrans Augustum processisse in Campaniam, magna militum manu stipatum, ex iis qui partem urbis & agri a patre acceperant, subdit: *Hac Legio Evocatorum appellata fuit, quod missi facti a militia, rursus ad eam convocarentur.* Evocationis formulam tradit *Cassiodorus Variar. lib.* 5. *nu* 28.

EVOC. AN. II. Evocatus Annis Duobus: In militum Saxis. Hoc est, revocatus ad militiam duos pugnavit annos.

EVOC. AVG. AB. AC Evocatus Augusti Ab Actis: *Gallus.* Nam & qui in Sacro Palatio militabant, mittebantur, & evocabantur, ut qui in exercitu.

EVOC. AVGG. DIVOR. Evocatus Augustorum Divorum.

EVOC. AVG. N. Evocatus Augusti Nostri.

EVOK. Evokatus. *Gualtherius.*

EVOK. AVG. Evokatori Augusto. *Manutius.* Quod perperam ita legitur. ejus loco legendum credo *Evocatus Augusti.*

EVOK. AVGG. N̄. N̄. Evocatus Augustorum Nostrorum.

EVOK. COH. IIII. PRET. Evocatus Cohortis Quartæ Prætoriæ.

EVR. Everte. *Ms: Rhodii.*

Europa. *Goltzius.*

E. V. V. N. V. V. E. Ede Ut Vivas Ne Vivas Ut Edas. *Diaconus. Manutius.*

EX. Ejus. *Diaconus. Manutius.*

Excisa. *Ms· Rhodii.*

Exigetur. *Ms: Ferrarii.*

Exigitur. *Papias. Manutius.*

Eximo. *Papias.*

EX. Exigitur. *Probus Ernstii. Diaconus. Manutius.*

EX7. Existimo. *Magno.*

EX9. Existimatio. *Magno.*

IIX Ex. Ita lego in Saxo *pag.* 968. 4.

T. CINCIVS T. L. PORCO
LIBERTVS IIX TESTAMENTO
FACIVNDVM CVRAVIT

Frequentissime enim duplici II. pro E in antiquis lapidibus sculptum observare licet.

EXCT. Exactori. *Sarainas. Manutius.* Exactores illi fuerunt, quorum petendi exigendique tributa cura erat, qui etiam Opinatores nominati, ut patet ex *l.* 7. *Cod. de Exact. Tribut.* quod autem tributa isti exigerent, satis superque indicant saxa, & nota succedens.

EXACT. TRIB. CIVIT. GALL. Exactori Tributorum Civitatum Galliæ. *Lipsius.*

EX. A. D. Ex Ante Diem. *Goltzius.*

EX. A. D. C. A. Ex Auctoritate Divi Cæsaris Augusti. *Scaliger.*

EX A. D. K. Ex Ante Diem Kalendarum. Ex Auspiciis Diei Kalendarum. *Lazius.* In specimine Commentariorum Vetustorum Numismatum.

EX. A. D. V. K. DEC. AD. PRID. K. IAN. SEX. Ex Ante Diem Quinto Kalendas Decembris. Ad Pridie Kalendas Januarias Sextas. *Panvinius*, qui *lib.* 2. *Fastor.* ad annum V. C. DCCXL. hæc ad istas notas subdit: *Quo significat eos quinto Kalendas Decembris iniisse, ut Kalendis Januariis quinto post anno exacto abdicarent, qui dies ab illo pridie Kalendas Januarias sextas erat futurus.*

EX. A. P. Ex Argenteo Publico. *Scaliger.*

EX. A. Q. I. R. P. V. }
EX. AVC. Q IVN. RVS. PR. VRB. }
Ex Auctoritate Quinti Junii Rustici Prætoris Urbani. *Scaliger.* Ad notas ponderum antiquorum collectorum a *Grutero pag.* 221. Quintum hunc Junium Rusticum esse puto; cujus meminit *Capitolinus* in M. Antonino Philosopho, *quem cum reveritus est & sectatus: qui domi militiaque pollebat, Stoicæ disciplinæ peritissimus; cum quo omnia communicavit publica privataque consilia; cui etiam ante Præfectos Prætorio semper osculum dedit; quem & Consulem iterum designavit; cui post obitum a Senatu statuas postulavit.* Meæ conjecturæ favet Romana inscriptio apud *Gruterum pag.* 131. 3. in qua istius Junii prænomen ac cognomen offendi:

. . . .

. . . .

CVR. AED. SACR. OPER. LOC. PVBLIC
DED. K. IVL
Q. IVNIO RVSTICO
Q. FLAVIO TERTVLLO COS

Qui consulatum tenuere M. Aurelio Antonino & L. Vero Imperantibus anno V. C. DCCCCXV. juxta *Panvinianam* supputationem in *Comment. lib.* 2. *Fast.*

EX. ARG. P. C. Ex Argenti Pondo Censum. In Votivis.

EX. ARG. P. XI. S. Ex Argenti Pondo Undecim Semis.

EX. B. Ejus Bona. *Diaconus. Manutius.* Si modo recte *Ex* pro *Ejus* intelligi possit.

EX. B. F. C. Ex Beneficiario Consulis. In militaribus.

EX. B S. Ex Bonis Suis. *Scaliger.*

EX. C. Ex Concione. Ex Conditione. *Diaconus. Manutius.*

Ex Consuetudine. *Probus Ernstii. Diaconus Ms: Ferrarii. Manutius.*

Ex Convivio. *Manutius.*

EX.

EX. 7. Ex Centuria. Frequentissime in militaribus.

EXC. Exceptio. *Papias.*

EX. C. C. Ex Colonorum Consulto.

Ex Consensu Civitatis. *Scaliger.*

EX. 9 9. Ex Communi Consensu. *Magno.*

EXCI. Excitatis. *Saraenas.*

EX7CT. T. Excellentia Tua. *Magno.*

. EX. COH. VI. PR. Ex Cohorte Sexta Prætoria.

EX COL. AUG. Ex Collegio Augurum, *vel* Augustalium.

EX COLL. FABR. DEC. IIII. Ex Collegio Fabrum Decuriæ Quartæ.

EX. COMM. CAES. Ex Commilitonibus Cæsaris. *Saraenas. Manutius.*

EX. COM. ORD. Ex Comite Ordinis, *vel* Ordinario. Lego in Romano Epigrammate *pag.* 1079. 14.

FL. RICIMER. V. I. MAGISTER. VTRIVSQVE. MILITIAE PATRICIVS. ET. EX. COM. ORD. PRO. VOTO. SVO. ADORNAVIT

Docet enim me *Jacobus Gutherius de Offic. Dom. Aug. lib.* 1. *cap.* 45. Constantinum Comitum ordines tres instituisse. Comites Primi ordinis in Palatio & Consistorio degebant Consiliis Principum adsidentes, Imperatorisque epulis interesse poterant, atque illius purpuram adorare. Secundi ordinis Comitibus remissa erat Senatoria collatio, & nulla Municipali, nulla Curialium conventione vexabantur, erantque ab omni functione, omnibusque muneribus immunes, cujus ordinis erant Urbium Provinciarumque Rectores. Tertii ordinis Comites minimi & infimi erant, a corporali tamen magistratuum obligatione vindicabantur. Istique non ex codicillis, sed ex Principum instituto comitivam adipiscebantur. De Comitibus ordinum *Cassiodorus Variar. lib.* 6. *num.* 12. 13. *Pancirol. In Notit. Imp. Orient. cap.* 3. 33. *Gutherius de Offic. Dom. Aug. lib.* 1. *cap.* 45.

EX. CON. Ex Concione. Ex Consuetudine. Ex Conditione. Ex Convivio. *Manutius.*

EX. CON. C. C. II. Ex Consensu Civitatum Campaniæ Duarum. *Santamant.* In Nummis Neronis.

EX. CONS. ORD. PAP. Ex Consule Ordinario Patricio. Exconsules, ait *Isidorus Etymolog. lib.* 9. *cap.* 3. dicti fuerunt, *quod a consulatu exierint, sive discesserint, peracto vicis sua anno.* Ita Exquæstores & Expatricii, qui ad nutum Principis, vel Quæstura functi erant, vel patriciatum deponebant, ut notat *Gutherius de Offic. Dom. Aug. lib.* 2. *cap.* 19. unde Excomes qui Comitatum deposuerat, &

EXCORRECT. Excorrector. Qui corrector esse desierat.

EX. COS. Ex Consul. Ex Consule.

EXCVR. Excursio. *Probus. Ms: Zabarella. Saraenas. Manutius.*

Excursor. *Manutius.*

EX. D. Decreto. Ex Domo. Ex Decuria.

EX. D. A. Ex Domo Augusti. *Probus. Ms: Zabarella.*

Ex Dono Augusti. *Probus.*

EX. D. AVG. Ex Domo Augusti. *Manutius.*

EX. D. D. Ex. Decreto. Ex Domo. Ex Decuria.

EX. D. A. Ex Domo Augusti. *Probus. Ms: Zabarella.*

Ex Dono Augusti. *Probus.*

EX. D. AVG. Ex Domo Augusti. *Manutius.*

EX. D. D. Ex Decreto Decurionum In Coloniis & Municipiis, ex Senatusconsulto Romæ.

EX. D. D. P. P. Ex Decreto Decurionum Publice. *Gualtherus.*

EX. D. D. PROMAG. L. D. Ex Decreto Decurionum Promagistro Locus Datus. Promagistros duos ex antiquis lapidibus observo. Primus fuit libellorum, cujus erat munus rescripto Principis diem, & consulem adjicere; cujus rei præclarum exhibet testimonium antiquus lapis Romanus, a *Grutero* exscriptus *pag.* 607. 1. in quo prisci rescripti forma legitur, cujus est subscriptio:

IVRENTIVS. CELSVS. PROMAGISTER. SVBSCRIPSI III. NON. DOEMR. AOTIO. POLIONE. ET OPIMIANO ROS.; ORDINARIIS. SEVERO. ET. SABINIANO COS.

Alter XX. hereditatum, ut apud *Gruterum pag.* 426. 5. 454. 8. qui & Supprocurator dicitur a *Jacobo Gutherio de Offic. Dom. Aug. lib.* 3. *cap.* 35. quique rationes xx. Hereditatum curabat. Proximos etiam Sacrorum Scriniorum Promagistros nominat idem *Gutherius Oper. cit. lib.* 3. *cap.* 7. sed nullo lapidum testimonio.

EX. DEC. AL. Ex Decreto Alæ. Ex Decurionibus Alæ. In Militaribus.

EX. DEC. DEC. MVN. MAL. Ex Decreto Decurionum Municipii Malacitani. *Scaliger.*

EX. DISP. POS. Ex Dispositione Posuit. In sepulcralibus.

EX. DIRVTION. RESTIT. Ex Dirutionibus Restituerunt. In monumentis restitutis.

EX. DO. A. Ex Domo Augusti. *Manutius.*

EX. DO. AVG. Ex Domo Augusti. *Probus. Ms: Zabarella,* & cuncti fere.

Ex Dono Augusti. *Probus.*

EX. DO. AVG. Ex Domo Augusti. *Manutius.*

EX. D. ORD. Ex Decreto Ordinis. *Scaliger.*

EX. E. Exheres Esto. *Probus Ernstii*; quem lector consulere poterit ad hæc, in ejusdem collectaneis *ad Caput* 6. *Probi.*

EX. EA. P. Q. I. S. AD. AER. D. E. Ex Ea Pecunia Quæ Jussu Senatus Ad Ærarium Delata Est. *Hemelarius.*

Ex Ea Pecunia Quam Is Ad Ærarium Detulit. *Erizzus.* Nummi tres sunt Augusti, cum cippo, & hisce litteris, atque eo amplius: *Quod Via Munita Sint.* Hujus facti meminit *Suetonius In Aug. cap.* 30. his verbis: *Quo autem facilius undique Urbs adiretur, desumpta sibi Flaminia via, Arimino tenus munienda, reliquas triumphalibus viris ex manubiali pecunia sternendas distribuit. Quoque ut plures partem administranda Respublica caperent, nova officia excogitavit; curam operum publicorum, viarum, aquarum, alvei Tiberis &c.* teste eodem in *Aug. cap.* 27. cui adstipulatur *Dio lib.* 53. & 54.

EXM. Exemplum.

EXRC. Exercituum.

EXERCITA. Exercitator. In Militaribus.

EXERCITA. N. Exercitatori Numeri. Idest, Legionis. *Scaliger.* In Militaribus.

EX. FIG. Ex Figulina. *Scaliger.*

EX. GER. I. Ex Germania Inferiori. In Militaribus.

EX. GER. INF. Exercitus Germaniæ Inferioris.

EX. H. Exheres. *Saraenas. Manutius.*

EX. HARVSPIC. SENT. Ex Haruspicum Sententia.

EX. H. L. Ex Hac Lege. In Legibus & Plebiscitis.

EX. H. L. N. R. Ex Hac Lege Nihil Rogatur. In Legibus & Senatusconsultis.

EX. H-S. clɔ. N. Ex Sestertiis Mille Nummorum.

EX. HS. DC. D. XX. Ex Sestertiis Sexcentis millibus Quingentis Viginti. *Scaliger.* ut scilicet linea

linea numero DC. super addita, Sexcenta millia faciat.

EX. H-S. D. N. S. P. F. Ex Sestertiis Quingentis Numorum Soa Pecunia Fecit. Octavius Falconerius in Monumentis Africanis.

EX. H-S. N. CC. L. D. XL. Ex Sestertiis Numorum Ducentis Quinquaginta Millibus Quingentis Quadraginta. *Scaliger.*

Ex. H. S. X. P. F. I. Ex Sestertiis Decem Parvis Fieri Jussit. Ita omnes has notas in monumento *pag.* 869. 11. explico:

. . . :

EPONTIAE. IPHI
DI. ET. LIB. LIBER
TABVSQ. SVIS. OM
NIBVS. EX. H-S. X
P. F. I

Siquidem Sestertius, *Budeo* teste *de Asse*, erat quarta pars denarii, videlicet solidi duo cum semisse pecuniæ Venetæ, qui vocabatur parvus Sestertius. Sestertium autem, erat Sestertium magnum, capiebatque mille Sestertios parvos, hoc est, scutatos argenteos Venetos vigintiquinque.

EX. H-S. ∞∞.∞∞. Ex Sestertiis Quatuor mille.

EXIBIT. Exhibuit. Scilicet. In Monumento *Romæ subterraneæ T.* 2. *lib.* 4. *cap.* 17.

SANCTO MARTVRI
LAVRENTIO IVLIA EXIBIT III
KAL. OCT

EX. III. FI. Ex Tertia Fide. *Pighius*, qui in *Hercule Prodicio* describens Classiariorum castra ad Misenum, hæc habet: *Castrorum enim in iis locis magna sunt vestigia, Classiariorumque militum Epitaphia e sepulcris vicinis extracta, me quondam vidisse, & exscripsisse memini; in quibus etiam erant expressa prætorianarum navium nomina; veluti Fides, Isis, Gallus, in quarum classe singuli militaverant.*

EX. III. ISIDE. Ex Tertia Iside. *Pighius.*

EX. I. M. C. V. Ex Jure Manu Consertum Vocavit. *Manutius.*

EX. I. Q. Ex Jure Quiritum. *Magno.*

EX. KAL. IAN. AD. KAL. IAN. Ex Kalendis Januariis Ad Kalendas Januarias.

EX. KAL. IVL. AD. KAL. IVL. Ex Kalendis Juliis Ad Kalendas Julias.

EX. KAL. IVL. AD. KAL. IAN. Ex Kalendis Juliis Ad Kalendas Januarias.

EX. M. Ex Malitia. *Diaconus. Manutius.* Quod mendum typographicum suspicor, cum potius, legendum sit.

Ex Militia.

EX. M. D. Ejus Memoria Dixit. *Diaconus. Manutius.*

EXMO. Existimo. *Papias.*

EXMPL. Exemplum. *Papias.*

EX. NEC. LEG. Ex Necessariis Legionis. In Militaribus. Si recte a me notæ istæ explicantur, in Saxo prægrandi, apud *Gruterum pag.* 1102. 4.

EX. NVM. FRVM. Ex Numero Frumentariorum. In militaribus.

EX. NVM. FRVM. LEG. Ex Numero Frumentariorum Legionis.

EXO. Existimatio *Papias.*

EX OPT. Ex Optionibus. In Militaribus.

EX ORD. ARVS. Ex Ordine Aruspicari *Probus Ernstii*, qui tamen *ad Caput* 6. *Notar. Prob.* cum hanc vocem *Aruspicari* pro Latina non agnoscat, recte putat Probum scripsisse, dummodo ejus sint notæ, *Ex ordine Aruspicino*, vel *Aruspicum*, quod melius.

EX. PED. Ex Pedibus. *Sarainas. Manutius*, dummodo notæ in unam non coalere debeant, ut sit *Expeditio* interpretanda.

EXPED. AVG. Expeditio Augusti. Nummus est Hadriani, in quo equestris figura profectura in militiam, quod forte respicit ad ea, quæ *Dio Hist. lib* 69. in ejus vita ita scripsit: *Quumque ita milites exercuisset, equitatus, qui Batavus nominatus est, Danubium transiit armatus; qua re animadversa, Barbari ita Romanos obstupescere cœperunt, ut in se invicem conversi, ad componendas controversias, qua inter ipsos erant, Hadriano arbitro uterentur.*

EXPF. VRB. ExPræfecto Urbis. Qui Urbis Præfectura jam functus fuerat.

EXPLO. LEG. VI. VICTR. Explorator Legionis Sextæ Victricis. In militaribus; hoc est, ex numero militum illius Legionis, qui exploratum ibant.

EX. P. P. Ex Pecunia Publica. *Manutius.*

EX. PPO. ExPræposito. Numquid recte inter tot Decii titulos, in lapide magno, relatos *pag.* 152. 8. qui, ceteris omissis, hujusmodi sunt:

. . . : . . EX PROSAPIA DECIO
RVM. CAEC MAV. BASILIO. DECIO. VC. ET. INL
EX. PF. VRB. EXPPO. EX. CONS. ORD. PAT. &c.

An potius legendum *ex Præfecto Prætorio*? eruditiores decernant.

EX. PR. Ex Prædio. Ex Præcepto. *Scaliger.*

Ex Prætoria. Hoc est, nave.

Ex. Prætorio. Hoc est, Aula Prætoris, seu Tentorio.

EX. PRAEF. LEG. Ex Præfectura Legionis. Ex Præfecto Legionis.

EX. PRAEF. LEGG. VII. CL. ET. I. ADIVT. Ex Præfectura Legionum Septimæ Claudiæ Et Primæ Adjutricis. *Zamosciais.*

Ex Præfecto Legionis Septimæ Classicæ Et Primæ Adjutricis. *Gutberius*, qui ut Classicam Legionem ex antiquitatum tenebris erueret *de Jur. Man. lib.* 1. *cap.* 8. argenteum M. Antonii exhibet nummum, in quo LEG. XVII CLASSICAE mentio fit, addens, quod nisi foret nummus iste, & inscriptio ab eo allata, quam colligit *Gruterus pag.* 347. 2. omnino Legionis classicæ prorsus defuisset memoria. Verum cum monumentum habeat VII. CL. & nummus XVII. CLASSICA, videant prudentiores, an utraque eadem sit, an potius in lapide sit legendum Septima Claudia.

EX. PRAEP. ExPræposito.

EXPR T. Experientia Tua. *Magno.*

EXPT. Experimentum. *Papias.*

EXQ Exquilina. Tribus scilicet. *Scaliger.*

EX. R. Exactis Regibus. *Probus. Ms: Zabarella. Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius.*

Exempla Romana. *Sarainas. Manutius.*

EX. REG. XIIII. Ex Regione Decima Quarta.

EX. S. ARAM. F. C. Ex Suo Aram Fieri Curavit.

EX. S. C. Ex Senatus Consulto. *Magno. Sarainas, Goltzius. Manutius. Scaliger.*

EX. S. C. Ex Senatus Consulto. *Manutius.*

EX.

EX. S. C. COIR. LIC. Ex Senatus Consulto Coire Licet.

EX. S. C. ET. D. D. Ex Senatus Consulto Et Decreto Decurionum.

EX. S. C. P. Ex Senatus Consulto Posuit. Et Suo Curavit Ponendum.

EX. S. C. TERMIN. Ex Senatus Consulto Terminaverunt. *Scaliger.*

EX. S. D. Ex Senatus Decreto. *Manutius.*

Ex Suo Dedit.

EX. SIGN. ExSignifer. Ex Signiferis. In militaribus.

EX Ç~. Exstimationi. *Magno.*

EX. T. Ex Testamento. Frequentissime in sepulcralibus, & eorum extrema parte.

EXT. Exercitium. *Papias.*

Extensum. *Ms: Rhodii.*

EX. T. F. C. Ex Testamento Fieri Constituit, *vel* Curavit. In sepulcralibus.

EX T. F. I. Ex Testamento Fieri Instituit, *vel* Jussit.

EX. TT. SS. HH. Ex Testamentis Suprascriptorum Heredum. *Scaliger.*

EX. V. Ex Visu. Ex Voto. *Scaliger.* In Votivis.

EX. V. DECVR. } EX. V CECVR. } Ex Quinta Decuria. Hanc ceteris addidisse Caligulam auctor est in eo *Suetonius* hoc pacto: *Ut levior labor Judicantibus foret, ad quatuor priores quintam decuriam addidit.*

EX. VI. S. Ex Sex Semisse. *Scaliger.*

EX. VOT. Ex Voto.

EX. VOT. S. P. Ex Voto Sacrum Posuit. Ex Voto Suo Posuit.

EX. VOT. XXX. Ex Votis Tricennalibus. Hæc in numismatibus Imperatorum ultimi ævi observantur. V. X. V. XX. M. XXX. nempe *Vota Decennalia, Vota Viceanalia, Multis Tricennalia.* Votorum istorum nuncupandorum exactam notitiam præbet Lævinus Hulsius *Impp. Romanor. Numismat. Serie*, ad Maximiani Imp. Nummum in hæc verba: *Solebant veteres suscipere aut nuncupare vota: Interdum Consules, Pretores, Censores, aut Pontifices pro felicitate & prosperitate Principis, Senatus, aut Populi Romani, ad V. X. XX. XXX. & plures annos; quæ dicebantur Quinquennalia, Decennalia, Vicennalia, Tricennalia, &c. Suscipiebantur in Capitolio, scriptisque & subsignatis tabulis, ne amplius in dubio ponerentur, confirmari solebant; atque ipsas quasi tabellas Deorum, quibus voverant, genibus cera affigebant. unde Juvenalis Satyra* 10.

Ergo supervacua & perniciosa petantur,
Propter quæ fas est genua incerare Deorum.

Porro nuncupabantur, sive suscipiebantur vota ejusmodi cum his, aut similibus conditionibus: Si Imperator salvus vixerit. Si Respublica Romana manebit in suo statu V. X. XX. aut plures annos. Si victoria successerit, ista sacrificia tali, aut tali Deo præstabantur, & in ipsius honorem isti ludi & festa celebrabantur, eoque finito tempore vota solvebantur. Hæc Hulsius. Postmodum vero tabulas votivas, ad Imperatorum adulationem, in numismata transmutatas fuisse facile est percipere, cum magna istorum copia apud omnes antiquitatum studiosos reperiantur. Plura qui cupit, de Votis istis Bulengerum consulat qui *de Imp. Roman. lib.* 3. *cap.* 1. fuse atque erudite de eis agit.

EX. V. P. Ex Visu Posuit.

Ex Voto Posuit. *Scaliger.*

EX. V. S. F. Ex Voto Suscepto Fecit. *Probus. Ernstius.*

E. XX. HERED. Exactor Vicesimæ Hereditatium. De Vicesima Hereditatium *Glossa ad leg. ult. Cod de Edict. D. Hadrian. Tolend.* scribit: *Dabat enim missus in possessionem, fisco Vicesimam partem hereditatis. Item dabatur intra annum.* Legem hanc tulit Augustus pecuniæ necessitate coactus. *Dio Hist. lib.* 55. *Augustus, quum ei magna pecunia opus esset ad alendos tot exercitus, jussit dari sibi vigesimam partem hereditatum, legatorum, ac donationum, quæ mortis caussa fierent, nisi si quæ essent proximis agnatis, aut pauperibus hominibus relictæ.* De hac plura qui desiderat, Antonium Augustinum consulat, qui *de Legib. & Senatusconsult.* §. *Vicesima.* omnia ad hanc pertinentia more suo erudite pertractat.

F.

F. Fabius. *Sarainas. Manutius.*

Fabre. *Sarainas.*

Faciundum. *Manutius.*

Factum. *Sarainas. Manutius.*

Factus. *Goltzius.*

Fama. *Sarainas. Manutius.*

Fames. *Manutius.*

Familia. *Probus. Diaconus. Ms: Ferrarii. Papias. Manutius.*

Famula. Fas. *Manutius.*

Fastus dies. *Diaconus. Gruterus. Scaliger.* Fastus dies erat, in quo Prætori licebat tria illa verba sollemnia emittere: DO; DICO, ABDICO; quæ diebus nefastis dicere non poterat. Diebus enim fastis Prætor jus reddebat, nefastis autem minime. Ideo *Festus* ex *Josephi Scaligeri* observationibus habet, quod, Fastis diebus *jus fari licebat, nefastis non fari licebat.*

Fati. Fatorum. *Sarainas. Manutius.*

Fatum. *Manutius.*

Februarius. *Probus. Appianus. Lazius. Manutius.*

Fecit. *Probus. Diaconus. Ms: Ferrarii. Sarainas. Scaliger*, Quodque frequentissimum in monumentis cujusque ordinis.

Feliciter. *Manutius.*

Felix. *Diaconus. Gratiosus. Sarainas. Manutius.*

Femina. Feriæ. *Manutius.*

Ferro. *Sarainas.*

Ferrum. *Manutius.*

Fides. *Diaconus. Sarainas. Manutius.*

Fiduciæ. *Manutius.*

Fieri. *Sarainas. Manutius.*

Figura. *Probus. Diaconus. Ms: Ferrarii. Manutius.*

Filia. Filius. *Probus. Diaconus.* omnesque ceteri.

Finis. *Manutius.*

Fit. *Ms: Ferrarii. Manutius.*

Flamma. *Sarainas. Manutius.*

Flamen. *Scaliger. Flamines, quod in Latio capite velato erant semper, ac caput cinctum habebant filo, Flamines dicti. Horum singuli cognomina habebant, ab eo Deo, cui sacra fiebant; sed partim erant aperta, partim obscura.* Scripsit *Varro de Ling. Lat. lib.* 4. quod Flamines capito velato, filoque caput cincti incederent. confirmat *Servius* ad illud *Virgilii Æneid. lib.* 8.

Hic exultantes Salios, nudosque Lupercos,
Lanigerosque apices.

dicens: *Flamines in capite pileum habebant, in quo erat brevis virga desuper lana habens aliquid. Quod cum per æstus portare non possent, filo tantum capita religare cœperunt; nam nudis penitus eos capitibus incedere nefas fuerat. Unde a filo, quo utebantur, Flamines sunt dicti, quasi Filamines. Verum festis diebus filo deposito pileum necesse erat accipere.* At quicunque Flaminum historiam scire exoptat, omnes Antiquitatum Romanarum scriptores consulat: diffuse quippe de

corum varitate ac dignitate omnes differunt, præcipue *Andreas Dominicus Floccus de Potest. Roman. lib. 1. cap. 5. Alexander ab Alexandro Gen. Dier. lib. 6. cap. 12. Carolus Sigonius de Antiq. Jur. Civ. Romanor. lib. 1. cap. 19. Lilius Gyraldus Hist. Deor. Syntag. 17. Onuphrius Panvinius in Descrip. Civit. Roman. lib. 2. Joannes Rosinus Antiquit. Romanar. lib. 3. cap. 15.*

Flavius. *Manutius. Scaliger.*

Forma. Fortis. Fortuna. Forum. *Manutius.*

Frater. *Sarainas. Manutius. Calvinus.*

Fraus. *Manutius.*

Fraudis. *Sarainas.*

Frigus. *Manutius.*

Frigore. *Sarainas.*

Frons. *Manutius. Servius.*

Fronte. In sepulcralibus Saxis, in quibus quantitas seu area monumenti designatur per illas monumentorum vulgatissimas notas IN. F. IN. A. *In Fronte in Agro*, vel R. hoc est, *Retro.*

Fuit. *Diaconus. Ms: Ferrarii. Gratiosus.* & reliqui.

Fulvius. *Probus. Ms: Zabarella. Sarainas. Manutius.*

Fulvo. Dictum de Coloribus equorum, de quibus *Panvinius de Lud. Circens. lib. 1. cap. 13.*

Fundus. *Magno. Scaliger.*

Fur. Furia *Manutius.*

Futurum. *Papias.*

Quadraginta. *Antiquus Codex de Notis Numerorum.*

F. *Si in termino inveneris, finalem causam exponit, & in longinquo terminum ostendit.* Ita in auctoribus de Limitibus agrorum.

F. Filius. *Magno.* Quadraginta millia. *Antiquus Codex de Notis Numerorum.*

F. Fit. *Diaconus. Manutius.*

Fur. *Diaconus. Ms. Ferrarii. Manutius.*

ꟻ. Filia. *Probus. Ms: Zabarella. Appianus. Scaliger.*

Ⅎ. Filia. *Probus. Trebellius. Lazius. Manutius.* Ⅎ pro V. habet *Probus*, ut SERⅎVS, ⅎVLGVS, ⅎIXIT pro *Servus*, *Vulgus*, *Vixit*, & digamma Æolicum appellari tradit.

As. *Probus Ernstii*, ubi legitur: *As nummus est libralis, & notatur per L. vel* Ⅎ.

F. A Filiæ Amatissimæ. Filio Amatissimo. In sepulcralibus, in quibus affectus Parentum erga filios demonstratur.

FA Facta. *Papias.*

Factio. Aliquando in aurigantium lapidibus.

Fama. *Gratiosus.*

Familia. *Ms: Ferrarii.*

Fauet. } *Gratiosus.*
Fauste. }

Femina. *Magno.*

Filia. *Diaconus. Magno. Papias. Manutius.*

Flavia. *Sarainas.* Flaviæ Tribus meminit *Panvinius in Descript. Civit. Roman.* quam in numero earum reponit, quæ bello sociali additæ sunt; Flaviamque, vel a Vespasiano, aut ab altero filiorum Tito, vel Domitiano denominatam credit, cum isti e gente Flavia fuissent.

FAↃ. Factio. *Papias.*

FAB. Fabia. Tribus scilicet. *Brissonius. Scaliger. Gualtherius.* Hanc a gente Fabia nomen accepisse omnes produnt.

Faber. *Manutius.*

Fabius. *Probus. Ms: Zabarella. Gratiosus. Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius. Smetonius fol. 97.* penes quem tamen, citato loco, *Fabia* stare debet: nam nota Tribus locum occupat.

Fabricius. Fabrorum. *Sarainas. Manutius.*

Faber. Fabri. *Sarainas.*

F. AB. HEREDIB. TEST. FIE. IVS. Factum Ab Heredibus Testamento Fieri Jussit. Ita hæc omnia expono in Saxo. *pag.* 862. 7. dummodo probe.

CAECILIAE L. F. MACRINAE
P. SENTIVS. GARVLLVS
F. AB. HEREDIB
TEST. FIE. IVS

FABR. Fabricius. *Gratiosus. Sarainas.*

Fabrum. *Probus. Ms: Zabarella. Manutius. Scaliger.* Ubi artificum mentio.

Fabrorum. *Probus. Diaconus. Sarainas. Manutius.*

FABROR. Fabrorum.

FABROR. NAVAL. VTRICLAR. Fabrorum Navalium Utriclariorum. Navalia vasa erant, in quibus onera recondita in naves imponebantur. Horum meminit *Ulpianus leg. 21. ff. de Aur. & Argent. Legat. §. ultim.* ita: *Vasorum appellatio generalis est; dicimus enim Vinaria & Navalia.* Navalia etiam dicuntur loca illa, ubi vel stant, vel extrui solent Naves, vulgo *Arsenale*, hoc est, *Arx Navalis.* Verum in lapide, quem mox dabimus, potius de Vasorum Navalium fabris, quam de ipso Navali nota illa intelligenda. Utriclarios, hoc est, Utricularios scio fuisse, & esse illos, qui canunt tibiis applicatis Utriculo; quæ tibiæ Utriculares sunt appellatæ. unde Nero, teste *Suetonio cap. 54. Sub exitu vitæ palam voverat, si sibi incolumis status permansisset, proditurum se partis victoria ludis, etiam Hydraulam & Choraulam, & Utricularium.* Verum non Utricularis tibiæ moderatorem, sed ejusdem fabrum hasce notas significare mihi suadet inscriptio a *Grutero* collecta *pag.* 448. 5.

D. M.
G. PASQVI. OPTATI. LIB. PAR
DALAE. IIIIII. AVG. COL
IVL. PAT. AR. PATRONI
EIVSDEM. CORPORIS. ITEM. PATRON
FABROR. NAVAL. VTRICLAR. ET
CENTONAR. C. PASQVIVS
EPIGONIVS. CVM. LIBERIS. SVIS
PATRONO
OPTIME. MERITO

FABR. TIG. Faber Tignarius. Fabri Tignarii. Fabrorum Tignariorum.

FAC. Faciundo. *Sarainas.*

Faciundum. *Manutius.* quod communissimum in omnibus saxis, in quibus illius fit mentio, qui illud sculpendum atque locandum curaverat.

Facti. *Probus. Ms: Zabarella. Appianus. Lazius. Manutius.*

Facto. *Sarainas.*

Factum. *Manutius.*

FAC. C. Faciundum Curavit. *Probus.* & omnes cum eo. Vulgatissima formula, cum aliquis se auctorem monumenti esse ut sciretur intendebat.

FAC. CVR. Faciundum Curavit. Quod & expressum in lapidibus aliquando.

FAC. F. Factum Feliciter. *Diaconus. Manutius.*

FACIVND. PROCVRAV. Faciundum Procuravere. Cum multi unius operis auctores erant.

FACT. Factus. *Goltzius.*

FACTIB. Facultatibus. *Magno.*

FACTION. VENET. Factionis Venetæ. In aurigantium monumentis.

FACT.

FACT. RVSSAT. Factionis Russatæ. *Manutius.* De Factionibus aurigantium antiquorum satis alibi dictum, cum præcipue fuse, & docte de eis scripserit *Panvinius de Lud. Circens. lib.* 1.

FA. CV. L. L. M. Faciundum Curavit Libentissime Merito. In votivis & sepulcralibus.

FAE. Familiæ. *Probus Ernstii.*

FAL. Falerina, Tribus nempe. *Panvinius. Briss. Scalig.* Tribus, Falerinam, & Ufentinam Romæ simul additas tradit *Livius Hist. lib.* 9. anno V. C. ut *Panvinio* videtur *In Descrip. Civit. Roman.* CCCC XXXV. qui Falerinam ab agro Falerno in Campania dictam censet.

FALAM. Flaminius. *Ms: Zabarella.*

FAM. Fama. *Gratiosus.*

Fames. Familia. *Manutius.*

Familiaris. *Probus Ernstii. Diaconus. Ms: Ferrarii. Gratiosus. Manutius.*

FAMA. Familia. *Magno.*

F. AN. X. F. C. Filiæ Annorum Decem Faciundum Curavit, *vel* Filio. In Monumentis Puerorum.

FAV. Faunus. *Sarainas. Manutius.*

Faustus.

FAV. F. Faustinæ Fatum. *Diaconus. Manutius.*

Faustum. Factum. *Passeratius. Laurentius.*

FAVS. Faustus. *Manutius.*

FB. Fabia. *Ms: Rhodii. Sarainas. Manutius.*

Fabricavit. *Diaconus. Gratiosus. Manutius.*

F'B. Fabricabant. *Diaconus. Manutius.*

FBC. Fabricatio. *Probus Ernstii.*

F. B. H. Fecit Bonus Homo. Fidei Bonæ Homo. *Manutius.*

F. B. M. Fecit Bene Merenti. In sepulcralibus.

F. B. Q. Factum Bonum Quære. *Manutius.*

F. B. V. Fecit Bonus Vir. Fidei Bonæ Vir. *Manutius.*

F. C. Facere Curavit. *Scaliger.*

Faciendum Curavit. *Scaliger. Calvinus. Angelonus.*

Faciundum Curavit. *Probus. Sarainas. Manutius.*

Factum Commisit. *Manutius.*

Fecit Cinerarium. In sepulcralibus, in quibus & expressum aliquando, ut in lapide *pag.* 850. 10.

T. NIGRIO
SIMILI. T. FIL
BOCCO. EX. GER
MANIA. SVPERI
ORE. LVCO. AV
GVSTI. NIGRIVS
MODESTVS. FRA
TRI. OBTIMO
ET. PIISSIMO. CI
NERARIVM
FECIT

Fecit Conditorium. In sepulcralibus etiam. Conditoria erant, in quibus defunctorum corpora condebantur. *Suetonius* in Augusto narrat, quod *Conditorium, & corpus magni Alexandri quum probatum e penetrali subjecisset oculis, corona aurea imposita, ac floribus aspersis veneratus est*

Felix Constans. *Scaliger.* Imperatorum, & Legionum tituli.

Fidei Commissarius. *Probus.* Prætor ille, qui de fidei commisso jus dicebat Fidei Commissarius dicebatur, ut §. 1. *Instit. Tit. de Fidei Commiss. Hered.*

Fidei Commissum. *Probus. Diaconus. Ms: Zabarella. Magno.* Et ceteri, dummodo hæ duæ litteræ in antiquorum edictis perpetuis, & actionibus inveniantur.

Fidei Caussâ. *Manutius.*

Fiduciæ Caussâ. *Probus. Ms: Zabarella.* Et reliqui, dummodo existant in edictis perpetuis, & actionibus antiquorum.

Fieri Concessere. *Gratiosus.*

Fieri Curavit. *Angelonus.* Frequentissimum in sepulcralibus Saxis.

Fraudandi Creditoris. Fraudandorum Creditorum. *Cujacius.*

Fraudare Creditores. *Manutius.*

Fraude Creditoris. *Probus. Ms: Zabarella*, cum ceteris. Si in edictis perpetuis, & actionibus antiquorum.

Fraudis Caussâ. *Sarainas.*

FC. Facit. *Ms: Rhodii.*

Facultas. Fecerunt. *Gratiosus.*

Fecit. *Diaconus. Ms: Rhodii. Sarainas.*

Fidei Commissum. *Papias.*

Fiscum. *Papias. Gratiosus.*

FC̄. Fecit. *Manutius.*

Fecerunt. *Probus Ernstii. Diaconus. Ms: Ferrarii. Manutius.*

Fundaverunt. *Probus Ernstii.*

FC̄. Fidei Commissum. Fiscum. *Ms: Rhodii.*

F. CASS. Fecit Cassio. *Scaliger.*

F. CD. Fraude Credentes. *Diaconus. Manutius*

Fraude Creditoris. *Manutius.*

F. C. E. T. F. I. Faciundum Curavit Et Titulum Fieri Iussit. Filiæ Conjugi Ejus Testamento Fieri Iussit. De meliori explanatione, ut feliciores ingenio judicent, monumentum exhibeo *pag.* 807. 7.

MASCVLVS
ITVLI. F. SIBI. ET
SABINAE. QVINTI
F. C. E. T. F. I.

F. C. F. Filiæ Carissimæ Fecit. Filio Carissimo Fecit.

F. C. H. Felicis, *idest*, Legionis Felicis Centurioni, *vel* Tribuno Curaverunt Heredes. Ita *Manutius*, quam tamen fateor non intelligere.

Faciundum Curavit Heres. Fieri Curavit Hoc.

F. C. I. Q. P. Faciundum Curavit IdemQue Probavit. Hæc in Saxo isto observantur *pag.* 168. 2.

M. CORNELIVS. M. F. GAL
MARCELLVS. AVG. QVIN
MVRVM. A. PORTO. TOPILLA
AD TVRRIM PROXIMAM
PED. CXVI. ET. VLTRA
TVRRIM. P. XX. DD. F. C.
I. Q. P.

F. C. L. Fecit Contra Legem. *Gratiosus.*

Fraudationis Caussa Latina. *Diaconus. Manutius.*

Fraudationis Caussa Latitare. *Magno.* Fraudationis causa latitat, qui hoc animo latitat, ut Creditores fraudet. ideo *l.* 7. §. *sed & is qui. ff. Quibus ex Caus. in Possess. Sed & is qui fraudationis caussa latitat, non tamen propter creditores, & si hac latitatio creditores fraudet, in ea tamen erit causa, ne hunc possideri bona ejus possint: quia non hoc animo latitat, ut fraudet creditores. Animus enim latitantis quæritur, quo animo latitet, ut fraudet, an alia ex causa.*

F. CL. Fraude Clientis. *Diaconus. Manutius.*

F. C. M. Faciendum Curavit Marito, *vel* Mœrens.

rens. Faciundum Curavit Monumentum. Fecit Conjux Marito.

Fide Cogita Memor. *Probus Ernstii.*

FCM. Factum. *Ms: Rhodii.*

F.C.R. Faciendum Curavit Requietorium. Faciendum Curavere Requietorium. In Saxo isto lego *pag.* 426. 10.

D. M
AVRELIAR. IVLIANETI
QVE.VIX.AN.VII.M.III.D
VIII. AVR. BVRRIANVS
MIL. CHO. V. PR. PATER
ET. AELIA. IVLIA. MAT
PARENTES. FILIAE CA
RISSIME. F. C. R

Requietorium enim quandoque expressum habere antiquos cippos videbitur in progressu.

FCR. Fecerunt. *Manutius.*

FC RP. Fiscum Reipublicæ. *Papias.*

F.C.R.P.C. Fidei Commissum Reipublicæ Causa. Fiscum Reipublicæ Caussa. *Manutius.*

FC.R.P.C.L. Fiscum Reipublicæ Causa Locatur. *Gratiosus.*

F.C.SVO.B. Fecit Conjugi Suo Bono. In sepulcralibus conjugatorum.

FCTAS. Facultas. *Magno.*

F. D. Factum Dedicavit. In numinibus dicatis & votivis saxis.

Fecit Deus. *Probus. Diaconus. Manutius.*

Fecit Dicare. *Gratiosus.*

Fecit Dives. *Diaconus. Ms: Ferraris. Manutius.*

Fide Data. *Trebellius. Manutius. Calvians.*

Fidem Dedit. *Gratiosus.*

Fides Data. *Probus. Ms: Zabarella. Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius. Calvinus.*

Filia Dedit. *Manutius.*

Flamen Dialis. *Gratiosus. Manutius.* Flamen Dialis, *Panvinio* auctore *Descript. Civit. Roman. lib.* 2. inter omnes Flamines, quas ipse XV. enumerat, maximæ dignatis fuit, utpote qui a Jove dictus, nam *Dialis ἀπὸ τοῦ Διὸς, hoc est, a Jove, qui Διὸς dicebatur, quasi Jovialis.* Huic multæ cæremoniæ demandatæ fuere, quas recenset citato loco *Panvinius* ex *l.* 10. *cap.* 15 *Noct. Atticar. Auli Gellii*, ad quos lubens lectorem remitto.

Fraude Donavit. *Manutius.*

FD. Fidejussor. *Papias.*

Fundum. *Magno.*

Fundus. *Manutius.*

FD. AG. Fundi Agri. *Manutius.*

Fundum Agri. *Probus Ernstii. Diaconus. Gratiosus. Manutius.* Ad quod observat perbelle, diligentissimus *Ernstius cap.* 6. *Notar. Prob.* quod Fundus Grammaticis est minor agro, ideo recte dictum a Probo *Fundus Agri.* Jurisconsultis vero major est fundus agro, ut satis constat ex *l. Fundi.* 211. junctis *leg. Quæstio.* 115. *& l. Locus.* 60. *ff. de Verb. Signif.*

FD. C. Fide Commissum. *Diaconus. Manutius.*

FD.CM. Fidei Commissum. *Papias.*

F.DD. Fieri Dederunt.

F.D.D. Factum Decreto Decurionum.

F.D.S. Fecit De Suo. Filius De Suo.

F.D.M. Factum Dis Manibus.

Fecit Dis Manibus. *Scaliger.*

Fides Danda Merito. *Gratiosus.*

Filiæ Dedit Monumentum, *vel* Filio, *seu* Fatri. In sepulcralibus.

Fundatum Dis Manibus. *Gratiosus.*

FD. M. Fides Mundi. *Diaconus. Ms: Ferrarii. Manutius.*

F.D.Q.M. Flamen Dialis Quirinalis Martialis. *Sarainas.* Post Dialem Flaminem, quem primum a Numa institutum animadvertit *Panvinius in Descript. Civit. Roman. lib.* 2. Martialis succedit, quem Patricium, & majorem Flaminem fuisse tradit, ideo Martialis dictus, quia Marti immolabat: nam Flamines omnes a Diis, quibus sacra faciebant, cognomenta sortiti sunt. Unde & Quirinalem in honorem Romuli, post mortem Quirini dicti, Numa etiam instituit, huncque Patricium, & Majorem, quos, una cum Martiali, Diali Flamini adscivisse auctor est *Alexander ab Alexandro Gen. Dier. lib.* 6. *cap.* 12.

F.E. Factum Edicto. Facto Ejus. *Manutius.*

Factum Est. *Probus. Ms: Ferraris. Magno. Papias. Manutius.*

Fecit Erigi.

Fides Ejus. *Probus. Ms: Zabarella. Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius.*

Filius Ejus. *Diaconus. Manutius.*

Fieri Elegit.

FE. Familiæ. *Diaconus. Ms: Ferraris. Manutius.*

Fecerunt. *Gratiosus. Manutius.*

Feliciter. *Sarainas. Manutius.*

Femina. *Manutius.*

Fore. *Papias.*

Fortem. Fortis. *Manutius.*

FE. Fundaverunt. *Diaconus.*

F'E. Fortem. *Diaconus. Manutius.*

FFA. Femina. *Diaconus. Ms: Ferraris. Papias.*

FEB. Februarius. *Probus. Appianus Lazius. Manutius.* Februarius mensis dictus, eo quod populus extremo mense anni februaretur, idest, lustraretur, scripsit *de Verb. Signif. Festus; vel a Junone Februata, quam alii Februalem, Romani Februlam vocabant: quod ipsi eo mense sacra fiebant, ejusque feria erant Lupercalia, quo die mulieres februabantur a Lupercis amiculo Junonis, idest, pelle caprina; quam ob causam is quoque dies februatus appellabatur. Quæcumque denique purgamenti caussa, in quibusque sacrificiis adhibebantur, Februa appellabantur, id vero quod purgabatur dicebatur Februatum.* unde 2. *Fastor. Ovidius:*

Februa Romani dixere piamina patres:
Nunc quoque dant verbo plurima signa fidem.

Februorum. *Magno.*

FEBR. Februarius. *Probus. Manutius.*

F.E.C. Faciundum Ei Curavit. Filio Erigi Curavit.

FEC. Fecere. *Papias.*

Fecerunt. *Papias. Manutius.*

Fecialis Feciales qui nam essent, ex *Varrone* 4. *de Ling. Lat.* licet intelligere. *Feciales, quod fides publica inter populos præerant: nam per hos fiebat, ut justum conciperetur bellum (& inde desitum) & ut fœdere fides pacis constitueretur. Ex his mittebant, antequam conciperetur, qui res repeterent: & per hos etiam nunc fit fœdus, quod fidus scribit Ennius dictum.*

Fecit. Frequentissime in lapidibus.

Felicitas. *Gratiosus.*

FECER. Fecerunt. *Goltzius.*

FECER. DD. Fecerunt Dederunt, *vel* Dedicaverunt.

FECERVM. Fecerunt. Ita lego in Saxo *Roma subterranea Tom.* 2. *lib.* 4. *cap.* 37.

GAVDENTIO FECERVM DM
FRATRI QVI VIXSIC. ANNIS
XXVIII M VIII D XVII

FEC. IN. P. Fecit In Pace. In monumentis primorum Christianorum, cum duobus sequentibus.

FEC.

FEC. IN. P. DEP. Fecit In Pace Depositus.

FECR. Fecerunt. In Saxo *Romæ subterraneo* loco mox allato.

TI. CL. MARCIANVS. ET
CORNELIA. HILARITAS
CORNELIAE. PAVLAE. PAR
FECR. QVAE. VIX. ANN. X. DIEB.
VIII. DEC. X. KAL. AVG. MAX
ET. VRB. COS.

F. E. D. Factum Esse Dicetur. *Probus. Manutius.* Quod in edictis perpetuis antiquorum.

Factum Esse Dicitur. *Diaconus. Ms: Zabarella. Sarasnas. Appianus. Lazius. Manutius.*

F. ED. Factum Edicto. *Diaconus. Manutius.*

F. E. H. Filius Et Heres. *Sarasnas. Manutius.*

FEL. AVG. Felicitas Augusti. In nummis Hadriani cum Felicitatis typo, cujus symbolum sunt apud antiquos, figura stans dextra caduceum, sinistra cornucopiæ tenens, quæ in omnibus ferme Imperatorum numismatibus occurrit.

FELIC. Feliciter.

FELIC. SAEC. Felicitas Sæculi. In nummis Antonini Pii.

FELICISS. Felicissimæ. Felicissimo. Felicissimus.

FELICIT. AVG. Felicitas Augusti. In nummis Antonini Philosophi.

FEL. IVL. OLIS. Felix Julia Olyssipo. Si recte, ut legendum non sit *Ulyssipo*, quæ Lusitaniæ caput, totiusque Europæ, ne dicam Orbis, celebratissimum emporium.

FEL. P. R. Felicitas Populi Romani. In Impp. Numismatibus.

FEM. Femina. *Probus. Diaconus. Ms: Ferrarii. Manutius.*

F. EQVOR. PROB. Feriæ Equorum Probandorum. *Manutius.*

FER. Fecerunt. *Ms: Ferrarii. Gratiosus. Manutius.*

Feralia. *Manutius.* Dicta erant Feralia *Varrone auctore de Ling. Lat. lib. 5. ab inferis, & ferendo, quod ferrent tum epulas ad sepulcrum, quibus jus ibi parentare.* Ideo 2. *Fastor. Ovidius.*

Est honor & tumulis animas placare paternas,
Parvaque in extructas munera ferre pyras.
Parva petunt manes, pietas pro divite grata est
Munere, non avidos Styx habet ima deos.
Tegula porrectis satis est velata coronis,
Et sparsa fruges, parvaque mica salis.

Habet tamen *Festus*, quod *Feralia erant Diis Manibus sacrata festa, a ferendis epulis, vel a feriendis pecudibus appellata.* Celebrabantur Feralia nono Kalendas Martii, qui erat Februarii dies vigesimus primus; quo tempore & Hymenæi solemnitates erant vetitæ, atque ceteris Diis non immolabatur. unde loco citato *Ovidius*:

Conde tuas, Hymenæe, faces, & ab ignibus atris
Aufer, habent alias mœsta sepulcra faces.
Di quoque templorum foribus celentur opertis;
Thure vacent aræ, stentque sine igne foci.
Nunc animæ tenues & corpora functa sepulcris
Errant; nunc posito pascitur umbra cibo.

FER. Fecerunt. *Diaconus.*

FERAL. Feralia.

FERAL. F. Ferales Feriæ. *Gruterus.*

FER. LAT. C. Feriarum Latinarum Caussa. *Latina Feria, Varroni de Ling. Lat. lib. 5. dies conceptivus dictus, a Latinis populis, quibus ex Albano monte, ex sacris carnem petere fuit jus cum Romanis, a quibus Latinis Latina dicta.* Ferias Latinas institutas narrat *Dionysius Halicarnasseus Antiq. Roman. lib. 4.* a Tarquinio Superbo Rege, loco concilii designato in excelso monte, qui Albanæ imminebat urbi. Quod factum dicitur, ut sempiternum cum Latinorum civitatibus fœdus foret: eo namque quotannis Latini Populi convenientes, Jovi Latiali sacra faciebant, conviviaque celebrabant. Cumque in eis taurus immolaretur communiter ab omnibus; unaquæque fœderatarum Civitas, suam accipiebat portionem, erantque omnes quinquaginta, tribus minus. Si vero harum alicui sua tauri pars deficiebat, aut non rite exhibebatur, denuo feriæ Latinæ instaurabantur indicto Latiali, hoc est, Latinarum sollemni festo, ut satis ex Livio constat. Consules autem Romani quo tempore Latinis feriis operam dabant; tunc Præfectus Urbis, Latinarum Feriarum causa, Romæ designabatur, prout aliquando Dictator cum Magistro Militum, ut Fasti docent. Istis certum non erat tempus, sed conceptivum, indicebantur tamen a Consule, priusquam paludatus Urbe excederet: ominosum quippe credebant, si ante indictas Latinas Ferias Consul Urbe exiret, ait *Dio Hist. lib. 46.*

FER. NEP. Feriæ Neptuni. *Manutius,* Feriæ Neptuni Neptunalia erant; *a Neptuno ejus Dei Feria Neptunalia dicta. Varro de Ling. Lat. lib. 5.* Hæ, ut constat ex *Tertulliano de Spectacul. cap. 6.* in commune celebrabantur, die scilicet octavo Kalendas Augusti, nempe Julii vigesimo primo.

F. E. S. Fecit Et Sibi. Fecit E Suo. In sepulcralibus sæpe.

F. ET. S. Fecit Et Sacravit. Si in Deorum lapidibus.

Fecit Et Sibi. Fecit Et Suis. In sepulcralibus.

F. F. Fabrefactum. *Sarasnas. Appianus. Lazius. Manutius.*

Fabrefactura. *Appianus.*

Fabricari Fecerunt. *Trebellius. Manutius.*

Fabricaverunt. Fecerunt. *Lazius.*

Fidem Facit. *Manutius*

Fidem Fecit. *Probus. Ms: Zabarella. Appianus. Lazius. Manutius.*

Fieri Fecit. *Probus Ernstii. Gratiosus. Sarasnas. Manutius.*

Filia Fecit. *Probus. Sarasnas. Manutius.*

Filii. De duobus.

Filius Familiæ. *Papias.*

Filius Familias. *Probus. Diaconus. Ms: Zabarella Ferrarii. Gratiosus. Lazius. Manutius.* Quod in Triumvirorum Monetalium nummis.

Flando Feriundo. *Probus. Ms: Zabarella. Appianus. Lazius. Manutius.*

Flaviæ Filius. Flavius Fecit. *Manutius.*

Femina Fortis. *Manutius.*

Fortunæ Felici. *Diaconus. Manutius.*

Fratris Filius. *Ms: Zabarella & Ferrarii. Gratiosus. Manutius.*

Fundaverunt. *Lazius.*

Furtum Fecit. *Probus Ernstii.* Si in actionibus.

FF. Fabrefactum. *Probus. Diaconus. Ms: Zabarella. Lazius. Manutius.*

Fabricaverunt. *Probus. Ms: Zabarella. Magno. Appianus. Manutius.*

Fecerunt. *Probus. Ms: Zabarella.* Omnesque fere notarum interpretes, & frequentissime in antiquorum saxis, præcipue sepulcralibus, & quidem extrema eorum parte.

Fefellerunt. *Diaconus. Manutius.*

Filius Familias. *Appianus.*

Fratres. *Sarasnas.*

Fundaverunt. *Probus. Ms: Zabarella. Sarainas. Appianus.*

FF. Fecerunt. *Diaconus. Manutius.*

Fratres. *Ms: Rhodii. Magno.*

Fundaverunt. *Magno. Manutius.*

FF ꝯ. Fecerunt. *Ms: Ferrarii*

F. F°. Fratris Filius. *Nagno.*

ꟻ. ꟻ. Honesta Eemina. *Sarainas.*

F. FA. Filius Familias. *Probus. Ms: Zabarella. Gratiosus. Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius.*

FFA. Femina. *Sarainas. Manutius.*

FFA̅. Femina. *Ms: Rhodii.*

F. FAE̅ Filius Familiæ. *Magno.*

F. FAM. Filius Familias. *Diaconus. Gratiosus. Manutius.*

F. FAM̅. Filius Familias. *Magno.*

FEB. Fabricaverunt. *Ms: Rhodii.*

F. FBC. Fabrefactum. *Manutius.*

Fecit Fabricari. *Ms: Rhodii.*

Fecit Fabricatio. *Diaconus. Manutius.*

F. F. B. C. Fieri Fecit Bene Consultus. *Gratiosus.*

F. F. C. Filio Faciundum Curavit, *vel* Fratri, *aut* Feminæ. *Manutius.* Quod in calce lapidum sepulcralium observatur sæpius.

FF. C. Ferme Centum.

F. F. Ɔ. L. Filiorum Duorum Cajæ Libertæ. *Scaliger.* In notis istis ad *Gruterum* Saxum *pag.* 635. 5.

SILICIA. F. F. Ɔ. L. SILICIVS MEDI
ZOSIME CVS. AB. OCVLIS

At si post tantum virum meæ conjecturæ locus datur, numquid legendum? *Silicia Flaviorum Conliberta Zosima.*

FFD. Fundaverunt. *Ms: Rhodii.*

F. FE. Fortunæ Felici. *Manutius.*

F. F. E. Fiat Fides Ejus. *Probus Ernstii. Trebellius. Manutius.*

F. FF. Fabricari Fecerunt. *Probus. Manutius.*

F. F. F. Ferro Flamma Fame. *Probus. Ms: Zabarella. Appianus. Lazius. Manutius.*

Flavii Filius Fuit. *Probus. Ms: Zabarella. Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius.*

Flavius Filius Fecit. *Manutius.*

Fortior Fortuna Fato. *Probus. Ms: Zabarella. Appianus. Lazius. Manutius.*

Fortius Fortuna Fatum. *Probus. Sarainas. Appianus. Lazius. Calvinus.*

Fortis Fortuna Fatum. *Manutius.*

F. FI. Fratris Filius. *Sarainas.*

F. FL. Fratris Filius. *Probus. Diaconus.* Ceterique.

F. F. LATOR. Flandi Feriundi Latores. *Gualtherius.*

FF. P. Filii Posuere. Fratres Posuere. In sepulcralibus non raro.

Filius Posuit.

Fratribus Posuit. *Scaliger.*

FF. PP. FF. Fortissimi Piissimi Felicissimi.

F. F. P. P. F. F. Felicissimi Fortissimi Patris Patriæ Florentissimo Filio. Felicissimi Fortissimi Pussimi Principis. *Scaliger.*

F. F. Q. Fieri Fecit Quæstor. *Gratiosus.*

Filiis Filiabusque. In sepulcralibus.

F. FR. Fabriles Fratres. *Papias.*

Fieri Fecerunt. *Gratiosus.*

F. FS. Filius Familias. *Sarainas. Manutius.*

F. F. S. Fieri Fecit Sibi. In sepulcralibus.

F. H. Fecerunt Heredes. Fecit Heres. *Manutius.* in extrema sepulcralium lapidum parte.

Fecerunt Hoc. Si recte a me legantur duæ hæ litteræ in Saxo *pag.* 865. 16.

TI. CLAVDIO PHOEBO
VIX. ANN. XXXV.
NATALIS DE SVO
P. PONTIVS. MAXIMVS. ET
C. PONTIVS. PAVLVS. ET
C. PONTIVS. PONTIANVS
F. H

Filius Heredi. *Manutius.*

Filius Heres. *Probus. Sarainas. Appianus. Lazius Manutius.*

Femina Honesta. Fuit Heres. *Manutius.*

F. HC. Familiæ Herciscundæ. *Papias.* De Jure Familiæ Herciscundæ satis disceptant Juris Consulti *lib.* 13. *Digest. Tit. Famil. Hercisc. lib.* 3. *Cod. Tit. Eod.*

F. HCD. Familiæ Herciscundæ. *Magno.*

F. H. F. Fieri Heredes Fecerunt. *Scaliger.* Quod frequentissimum in sepulcralibus, vel *Filius Hoc Fecit*, aut, *Frater.*

F. H. IN. Fortunam Hic Invenies. *Probus. Ernstii.*

F. H. IV. Fortunam Hic Invenies. *Diaconus. Manutius.*

F. I. Fide Jussa. *Manutius.*

Fide Jussor. *Probus. Ms: Ferrarii.*

Fieri Instituit. *Scaliger.* Quod in sepulcralibus.

Fieri Jussit. *Probus. Ms: Zabarella. Appianus. Lazius. Manutius. Scaliger.* Sæpe in Mortuorum Saxis.

Fundavit Ibi. *Gratiosus.*

FI. Feci. *Papias.*

Fide Jussor. *Gratiosus.*

Filius. *Ms: Rhodii. Sarainas. Appianus Manutius.*

FI. Fide. *Magno.*

FIA̅. Filia. *Ms: Rhodii.*

FIA. R. R. Filia Regis. *Probus Ernstii.*

F. I. A. P. Felix Julia Augusta Pia. Vide in Coloniis, & in Barcinonensi præcipue.

FI. B. Fide Bona. *Probus Ernstii. Diaconus. Ms: Ferraris. Papias. Manutius.*

Fides Bona. *Gratiosus.*

FIC. Fidei Commissum. *Ms: Ferrarii. Manutius.*

Fiscum. *Diaconus. Ms: Ferrarii. Manutius.*

FI. C. Fidei Commissum. *Diaconus. Gratiosus.*

Fiduciæ Caussa. *Ms: Ferrarii.*

FICA̅. Fiducia. *Magno.*

FIC. R. P. C. Fidei Commissum Reipublicæ Causa. *Manutius.*

Fiscum Reipublicæ Caussa. *Diaconus. Manutius.*

FID. Fide. *Sarainas. Manutius.*

Fidei. *Sarainas.*

Fides. *Probus. Ms: Zabarella. Appianus. Lazius.*

Fiducia. *Papias.*

FID. D. Fide Dignus. *Diaconus. Manutius.*

FID. EXERCIT. Fides Exercituum. *Erizius.* In nummis Imperatorum sæpe.

FID. F. Fidelis Filius. Fidelis Frater. *Manutius.*

Fideliter Factum. *Diaconus. Manutius.*

FID. IM. Fides Imperatoria. *Diaconus. Manutius.*

FID. INTEM. Fides Intemerata. *Diaconus. Manutius.*

FID. INTER. Fides Interposita. *Passeratius. Laurentius.*

FID. M. Fides Mea. *Diaconus. Manutius.*

Fides Militum. In Impp. nummis non raro.

FID. P. C. Fides Patrum Conscriptorum. *Diaconus. Manutius.*

FID.

FID. P. R. Fides Populi Romani. *Diaconus. Manutius.*
F. I. D. P. S. Fieri Jussit De Pecunia Sua. *Scaliger.* Quæ in votivis & sepulcralibus Saxis sæpe habentur, atque in eorum extremitatibus.
FID. R. Fide Regia. *Diaconus. Manutius.*
FID. R. P. Fides Reipublicæ. *Diaconus Manutius.*
FID. S Fidelis Servus. *Manutius.*
Fides Senatus. *Diaconus.*
FID. SER. Fidelis Servus. *Diaconus.*
FIDUC. HER. Fiduciarius Heres. Fiduciarium Heredem. Quod habeo ex Saxo, nunc Patavii desiderato, & a *Grutero* collecto. *pag.* 553. 3.

L. MEMMIO. IDEN. HEBRENI MIL. CLASS. 7. SABINI. QVI. VIXIT. ANN. XXX MILITAVIT. ANN. XII. HERED. EIVS. FECER IARSIA. FRATER. SVVS. PAVIVSQ. CVRFILIA. PER L. CORANVM. VRSINVM. FIDVC. HER

Fiduciarius vero heres ille est, qui simulate & ad tempus scriptus est heres, ut scilicet hereditatem vero ac perpetuo heredi restituat, quod clarum ex *l.* 46. & 67. *ff. Ad Senatus Consult. Trebellian.*
FIG. Figulina. *Manutius. Scaliger.*
Figulus. Figura. *Diaconus. Manutius.*
FI. I. Fidejussores. *Probus Ernstii.* Qui *ad Caput* 6. ejusdem, notat, & caute, *forte F. II. aut Scribe Fidejussor.*
Fieri Instituit; *vel* Jussit.
FIL. Filia. Filiæ. Filii. Filio. Filius. Frequentissime in lapidibus, pro ratione in iis nominatorum, conditione, & statu.
FIL. DULCISS. Filiæ Dulcissimæ. Ut plurimum in monumentis sepulcralibus, in quibus affectus parentum erga filios proditur.
FIL. ER. Filii Eorum, *vel* Filiis.
FILIBUS. Filiis. Ut claret ex monumento *Romæ subterranea Tom.* 2. *lib.* 4. *cap.* 16.

MATER CRISPINA FILIBUS
DIONISIO. ASILEO. BENEMEREN
TIBUS

F. I. L. IN. F. Fieri Jussit Locus In Fronte. *Sarainas. Manutius.* In sepulcralibus, in quibus *Frons* anteriorem monumenti partem designat.
FIL. KAR. F. Filio Carissimo Fecit.
FIL. MATR. PIIS. Filius Matri Piissimæ In sepulcralibus, ubi affectus filiorum erga parentes commemoratur
FIL. MER. Filia Merens. Filio Merenti.
FIL. PIISS. POS. Filio Piissimo Posuit.
FIN. POMER. TERMIN. Fines Pomerii Terminaverunt. *Scaliger. Manutius.* Habuerunt siquidem antiqui cippos, juxta urbis pomoerium locatos, ad ejusdem fines dignoscendos.
FION. Fidejussionem. *Papias.*
FIR. Fidejussores. *Diaconus. Ms. Ferrarii. Papias. Manutius.*
F. I. S. Fecerunt In Senatu. *Manutius.*
Fieri Jussit Sibi.
F. ITEMQ. D. D. Fecit Itemque Dedicavit. In Aris, aliisque Diis dedicatis lapidibus.
ꟻIX. ANN. XXXIX. MEN. I. D. VI. HOR. SCIT. NEM. Vixit Annis Triginta novem Mense Uno Diebus Sex Horas Scit Nemo. F inversum esse Digamma Æolicum initio hujus litteræ observatum est.
F. KAR. Filia Karæ. Filio Karo. In sepulcralibus saxis a Parentibus filiis positis.
F. L. Favete Linguis. *Probus Ernstii.* Sacra enim Romani ab hac dicendi Formula auspicabantur. *Cicero primo de Divinat. Quæ publice fierent, Romani, ut faverent linguis, imperabatur.*
Fecit Locum. *Manutius.*
Fecit Locus. *Sarainas.*
Feminæ Lectissimæ.
Flavii Liberta, *vel* Libertus. *Rubens.*
FL. Filia. *Probus.*
Filius. *Lazius. Manutius.*
Flamen. *Manutius.*
Flaminia. *Appianus. Lazius.*
Flaminius. *Probus. Manutius.*
Flavia. *Probus. Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius. Scaliger.* Cum tamen nota sit Tribus.
Flavius. *Probus.* & cum eo omnes.
Flaviæ. *Manutius.* idest, Legionis.
FLA. Filia. *Manutius.*
Flabro. *Probus Ernstii.* Qui ex *Servio* ad *Virgilium Georgic. lib.* 2. notat, *Flabra* numquam singulariter dicta.
Flavius. *Sarainas. Manutius.*
FLABIAE. Flaviæ videlicet. Ita indicat Saxum *Romæ subterranea Tom.* 1. *lib.* 4. *cap.* 26.

FLABIAE ALEXANDRIA. F
C. F

FLACC. Flaccus. *Sarainas. Manutius.* Flaccos antiqui illos cognominavere, quibus flaccidæ, hoc est, languentes erant aures. Ideo *Afranius in Divortio* Nonio Marcello auctore, ad indicandum fortitudinis languorem hæc habet: *Disperii, perturbata sum, jam flaccet fortitudo. Et Ennius in Thyeste: Inflaccebunt conditiones, repudiato & reddito.* Cognomen illud usitatissimum apud Romanos, ideo *Glandorpii* observatione *in Cognom. Indic.* commune fuit Aviniis, Aviliis, Calpurniis, Flaviis, Fulviis, Turiis, Horatiis, Hordeoniis, Munatiis, Pomponiis, Valeriis, & Verriis.
FLAM. Flamen. *Probus. Manutius.*
Flamina. *Magno.*
Flaminius. *Probus. Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius.*
Flamma. *Manutius.*
FLAM. COL. IMMUN. PROV. BAETIC. Flamen Coloniarum Immunium Provinciæ Bæticæ. Non tantum Diis Deabusque suis antiqui fana erexerunt, sacerdotesque decreverunt; verum etiam Civitatibus, Coloniis, Municipiis, Provinciisque, ut passim antiqui testantur lapides, utque abunde observavi *de Monument. Patavin. lib.* 1. *sect.* 6. Ceterum Hispaniæ Bæticæ Colonias immunes quatuor enumerat *Plinius Hist. Nat. lib.* 3. *cap.* 1. *Tucci, qua cognominatur Augusta Gemella. Itucci, qua Virtus Julia. Attubi, qua Claritas Julia. Urso, qua Genua Urbanorum.* Primam, oppidum non vulgare esse scribit *Philippus Ferrarius Lexic. Geograph.* sed nomen ejus reticet. Secundam interiisse penitus observat. Tertiam *Espejo* nunc dictam asserit, ut & *Carolus Stephanus.* Quartam *Ossuna* nunc denominatam hi auctores docent.
FLAMINIO. COL. TARRAC. Flaminica Coloniæ Tarraconensis. Flaminica uxor Flaminis, de qua, præter ceteros, abunde *Alexander ab Alexandro Gen. Dier. lib.* 4. *cap.* 13.
FLAM. DERT. Flamen Dertonæ.
FLAM. DIALIS. Flamen Dialis.
FLAM. ET. IIVIRAL. COL. APVL. Flamen Et Duum Viralis Coloniæ Apuli. *Zamosius.*
FLAM. FERON. Flaminica Feroniæ. Feroniam Deam coluerunt Liberti & Libertinæ, pro facultatibus suis; nam pecuniam aliquando dare, ad Feroniæ donum sacrandum cogebantur. Feroniam

Feroniam eandem ac Junonem fuiſſe, cum multis credit *Lilius Gyraldus de Diis Gent. Syntag.* 1. *&* 3. quam multis Italiæ locis ſub hoc nomine cultam monet, non tantum intra urbes & fana, ſed etiam in lucis; ideo eum lectori non pigeat conſulere, cum de hac Dea plura more ſuo diligenter prodat.

FLAM. HADR. Flamen Hadrianalis. Flamen iſte quando inſtitutus, ex *Spartiano* palam eſt, qui Hadriani Imperatoris vitam deſcribens, ſub finem ita habet: *Acta ejus irrita fieri Senatus volebat; nec appellatus eſſet divus, niſi Antoninus rogaſſet. Templum denique ei pro ſepulcro apud Puteolos conſtituit, & quinquennale certamen, & flamines, & ſodales, & multa alia, quæ ad honorem quaſi numinis pertinerent. Quare multi putant Antoninum Pium dictum.*

FLAM. LIG. Flamen Liguralis. *Probus Ernſtii.* Flamen Liguriæ. Quod ſcilicet Provinciæ Liguriæ Flamen eſſet.

FLAM. MART. Flamen Martialis.

FLAM. MVT. Flamen Mutinæ. Flaminica Mutinæ.

FLAM. PERP. Flaminica Perpetua. *Lipſius.*

FLAM. PERP. DOM. AVG. Flaminica Perpetua Domus Auguſtæ.

FLAM. P. H. C. P. H. C. Flamini Provinciæ Hiſpaniæ Citerioris Provincia Hiſpania Citerior. *Scaliger.*

FLAM. PROV. NARB. Flamen Provinciæ Narbonenſis.

FLA. R. Filia Regis. *Diaconus. Ms: Ferrarii. Manutius.*

FL. AR. Flator Argenti. *Gratioſus.*

FLATVRAR. Flaturarius. Quod & expreſſum. Flaturarii metallorum flatores.

FLAV. Flavia. Tribus ſcilicet.

Flávialis, *id eſt*, Flaminis. *Manutius.* Imperatoribus Deorum numero adſcriptis, præter ceteros honores, Flamines decernebantur, nominibus Impp. quibus dicabantur, appellati; ideo Flavialis Flamen, genti Flaviæ, ex qua Veſpaſianus, Titus, & Domitianus Imperatores oriundi, adſignatus fuit, ſicuti & collegium Flavialium, quod idem Domitianus Patri & Flaviæ genti conſecraverat. Unde Statius:

——— eſt hic, agnoſco, miniſter,
Illius æterna modo qui ſacrariа genti
Condidit, atque alio poſuit ſua ſydera cælo

Flavianus. *Magno.*

FL. AVG. Flavius Auguſtus. *Ms: Ferrarii.*

FL. AVR. MAX. Flavia Aurelia Maxima. Fauſta, magni Conſtantini uxor ſecunda, ita vocata in ſuis nummis.

F. L. B. Fecit Liberto Benemerenti, *vel* Bono. In ſepulcralibus Libertorum.

Fundavit Laribus Bonis. *Gratioſus.*

FLB. Flabro. *Ms: Ferrarii.* Videantur quæ ad notam FLA. cum *Ernſtio* obſervata ſunt.

Flabrum. *Diaconus. Manutius.*

FLCA. Falcidia. *Magno.* Legem Falcidiam tuliſſe P. Falcidium Trib. Pl. anno V. C. DCCXII. ſcribit, ex Dione Antonius Auguſtinus *de Legib.* Ea autem cavebatur, ut heres quartam partem bonorum ſibi relictorum, ſi graviter oneratus eſſet legatis, acciperet, cetera legatariis relinqueret; ideo Falcidia pro quadrante hereditario paſſim uſurpatur, quia ab herede, cui ſupra dodrantem legatum fuit, retinetur. Ita *l.* 1. *ff. Ad leg. Falcid. & Inſtitut. Tit de leg. Falcid.*

FL. CL. Flavius Claudius. Conſtantinus Junior in ſuis nummis dictus eſt.

FL. Ð. Flamen Dialis. *Magno.*

FL. DIV. T. Flamen Divi Titi. *Scaliger.*

F. L. F. Fieri Lugens Fecit, *vel* Libens *aut* Locum. In Saxo *pag.* 833. 11. De meliori explanatione peritiores ſententiam proferant. Inſcriptio hæc eſt:

FL. TERTVLIA. ME
SA. F. L. F. MARITO

FL. FEL. Flaviæ Felicis. Legionis ſcilicet.

FL. F. FL. N. Flavii Filius Flavii Nepos.

FL. FM. Filius Familias. *Papias.*

FLI. Flavius. *Manutius.*

F. L. I. N. T. A. L. CO. M. ORD PR. Felix Liber Injunctus Notariis Tribunis A Laterculo Continens Mandata Ordine Primicerii. Obſervavit hanc inſcriptionem *Pancirollus cap.* 92. *Notit. Imper. Orient.* eratque a tergo Libri Primicerii Notariorum; qui quidem liber ab aliquo ipſi Primicerio, ait ille, non dabatur; ſed capiebat mandata, quæ ipſe magiſtratibus tradebat, & ob id ejus fuit inſigne. Ceterum Laterculum duplex, Majus & Minus. Minus illud erat, in quo inferiorum quarundam dignitatum notitia continebatur, ac militarium præcipue. Majus, quod ceterarum dignitatum notitiam complectebatur. De iſtis ſcite *Bulengerus de Imp. Roman. lib.* 2. *cap.* 12.

FL. IVL. Flavia Julia. Helena, Magni Conſtantini mater dicta fuit, in nummis, ut &

Flavius Julius. Conſtans Magni Conſtantini filius.

F. L. LIB. LIBERTAB. Q. SV. OMNIB. Fecit Libens Libertis Libertabuſque Suis Omnibus. In Libertorum monumentis, hoc eſt, in familiaribus ſepulcris; Liberti ſiquidem familiæ partem conſtituebant non parvam.

F. L. L. P. S. Fecit Libentiſſime Pecunia Sua. *Scaliger.* Tum in votivis, tum in ſepulcralibus.

Fecit Libertis Libertabus Poſteris Suis. In ſepulcralibus tantum.

F. L. M. Fecit Libens Merito. Votivis & ſepulcralibus commune.

FLM. Familia. *Ms: Rhodii.*

FL. MAX. Flavia Maximiana. Theodora Imperatrix dicta in nummis ei dicatis; ita & Helena Juliani uxor.

FLMC. Flaminica. *Papias.*

FLO. Floralia. *Gruterus. Roſinus.*

Flori. *Saramas. Manutius.*

FLOR. Floralia. *Scaliger.* Romani Kalendarii hæc eſt nota. Floralia *inſtituerunt Romani anno V. C. DXVI. ex oraculis Sibyllæ, ut omnia bene deflorescerent*, ait *Plinius Hiſt. Nat. lib.* 18. *cap.* 29. Ludi iſti per obſcœnas celebrabantur mulieres, omni profligato pudore. Unde 4. *Faſtor. Ovidius*:

Cum Phrygis Aſſaraci Tithonia, fratre relicto.
Suſtulit immenſo ter jubar orbe ſuum;
Mille venit variis florum Dea nexa coronis,
Scena joci morem liberioris habet.

Celebrabantur Floralia quarto Kalendas Majas, qui Aprilis dies vigeſimus octavus, eratque nefaſtus primo. De Floralibus præter alios abunde *Roſinus Antiquit. Roman. lib.* 5. *cap.* 15.

FL. P̱. Flamen Perpetuus. *Magno.*

FL. QI. Flamen Quirinalis. *Magno.*

FLS. Flavius. *Diaconus. Ms: Ferrarii. Manutius.*

FL. VAL. Flavius Valerius. Severus Cæſar in ſuis nummis ſic dictus.

F. L. V. A. L. CO. S. T. R. L. IVSS. D. Felix Liber Vindicandus A Laterculo Continens Sacros Titulos

Titulos Rerum Largitionum Jussione Divina. *Pancirollus in Notis Imp. Orient. cap. 74.* Quas notas tradit inscriptas fuisse libro mandatorum, qui tradebatur Comiti Sacrarum Largitionum.

FL. V. A. D. E. MAG. MEM. IVSS. D. Felix Liber Venit A Laterculo Edendus Magistro Memoriæ Jussione Divina. *Pancirollus in Notit. Imp. Orient. cap. 159.* ubi hasce notas dixit fuisse pro insignibus libri Magistri Scriniorum Occidentis.

F. L. V. A. LL. P. N. EIVS. IVSS. DD. Felix Liber Veniens a Laterculo Primicerii Notariorum Jussu Divino. *Pancirollus* loco citato, qui addit, hanc inscriptionem inventam fuisse a tergo Codicis mandatorum Præsidis Thebaidis.

F. L. V. A. L. MAG. EP. IVSS. DD. Felix Liber Veniens A Laterculo Magistro Epistolarum Jussu Dominorum. *Pancirollus in Notit. Imp. Orient. cap. 92.* ubi Magistri epistolarum expendit insignia.

F. L. V. A. L. P. N. E. N. IVSSV. AVG. Felix Liber Veniens A Laterculo Principis Nostri Ejus Numini Jussu Augustali. *Pancirollus*, ubi *cap. 121. Not. Imp. Orient.* describit insignia Præsidis Thebaidis.

F. M. Fati Munus. *Probus. Ms: Zabarella. Magno. Papias.* & ceteri fere omnes.

Fecit Monumentum. *Diaconus. Manutius.* Quod usitatissimum in sepulcralibus.

Fecit Memoriam. *Probus. Diaconus. Ms: Ferrarii. Manutius.*

Fecit Merens. Fecit Merenti. Fecit Merito. In sepulcralibus aliquando.

Fides Mea. *Manutius.*

Fieri Mandavit. *Probus. Ms: Zabarella. Sarainas. Appianus. Manutius.*

Filius Marci. *Sarainas. Manutius.*

Flamen Martialis. *Manutius.*

F. MART. CAR. MONET. Feriæ Martis Carnæ Monetæ. *Rosinus.* Feriarum Martis, Carnæ, ac Monetæ meminit *Ovidius Fastor. lib. 6.* quas tamen ad Kalendas Junias refert; quamvis in Kalendario, quinto nonas Junias designentur, qui ejusdem mensis secundus:

Prima dies tibi, Carna, datur. dea Cardinis hac est:
Numine clausa aperit, claudit aperta suo.

Subdit postea:

Arce quoque in summa Junoni templa Monetæ,
Ex voto memorant facta, Camille, tuo.

Atque mox:

Lux eadem Marti festa est; quem prospicit extra
Appositum dextra porta Capena Via.

F. MAXSV. Fabius Maxumus.

F. M. D. D. D. Fecit Monumentum Datum Decreto Decurionum. Si recte intelligo Saxi Patavini notas, collectas *pag. 895. 1.*

VETVRIA
M. F. GEMELLA
C. DORCATIVS
VERVS
F. M. D. D. D

F. M. I. Fati Munus Impleat. *Probus. Manutius.*

Fati Munus Implevit. *Probus. Magno.* ceterique.

Fieri Monumentum Jussit, vel Instituit.

F. M. I. Fati Munus Implevit. *Ms: Ferrarii.*

F. M. IT. Fati Munus Implevit. *Diaconus. Manutius.*

F. M. S. Fecit Monumentum Sibi. *Grotefend.*

Fieri Mandavit Sibi.

F. N. Fides Nostra. *Probus. Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius. Ernstius*, qui ad *cap. 9. Prob.* hæc habet: *Malim Fide Nostra*, ut scilicet formula esset fidejussoria, qua fidejussores stipulanti responderent, *Quantam pecuniam credidero, fide nostra esse jubetis?* Respondebatur: *Fide Nostra. l. Lucius. ff. de Fidejussor.*

FN. AGR. Fines Agrorum. *Diaconus. Ms: Ferrarii. Manutius.* Hinc agrimensores agrorum *Finitores* dicuntur; quia finium agrorum rectores.

F. N. C. Fidei Nostræ Commisit. Fidei Nostræ Commissum. *Probus. Ms: Zabarella. Appianus. Lazius. Manutius.*

F. O. Fratri Optimo. *Probus Ernstii.*

FO. Facto. *Papias.*

Forte. *Ms: Rhodii. Magno. Papias. Sarainas.*

Fortes. *Magno.*

Forti. *Manutius.*

Forum. *Diaconus. Ms: Ferrarii. Gratiosus.*

FOB. Fusionibus. *Magno.*

FOED. Fœderati. *Servius.*

FONT. Fontinalia *Gruterus. Rosinus.* In Kalendario Romano, in quo *Fontanalia Manutius* perperam legit; nam *Fontinalia*, *Varrone* auctore *lib. 5. De Ling. Lat.* erant dicta *a fonte, quod is dies feriæ ejus; ab eo autem tum, & in fontes coronas jaciebant, & puteos coronabant.* ad hæc in Conjectaneis ad eundem addit *Scaliger, ejus scil. fontis, cujus delubrum erat juxta portam Capenam, unde & ipsa Fontinalis dicta est.* quod & *Festus* docuit: *Fontinalis Fontium sacra, unde & Romæ Fontinalis porta.* Hæc sollemnitas colebatur tertio idus Octobris, qui dies ejusdem mensis tertiusdecimus, eratque Nefastus primo.

FOR. Foras. *Probus. Sarainas. Manutius.*

Foris. *Probus. Manutius.*

Forma. Fors. *Manutius.*

Forte. *Probus. Ms: Zabarella. Gratiosus. Sarainas. Appianus. Manutius.*

Fortis. *Sarainas.*

Forum. *Probus. Ms: Zabarella. Appianus. Lazius.*

Fortuna. Fortunata. *Probus. Ms: Zabarella. Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius.*

FOR. B. Forum Boarium. *Sarainas. Manutius.*

FOR. COR. Foro Cornelii. *Scaliger.*

Forum Cornelii. Forum Cornelii Æmiliæ, seu Galliæ Togatæ urbs, vulgo *Imola.*

FORD. Fordicidia. *Gruterus. Manutius.* Si nota in Kalendario Romano sit. *Fordicidia*, ait *Varro de Ling. Lat. lib. 4. a fordeis bobus. Bos Forda, quæ fert in ventre, quod eo die publice immolabantur boves prægnantes in curiis complures.* Celebrabantur Fordicidia decimo septimo Kalendas Maji, qui decimus quintus Aprilis. unde *Ovidius 4. Fast.*

Tertia post Veneris cum lux surrexerit Idus;
Pontifices, forda sacra litate bove.
Forda ferens bos est, fecundaque dicta ferendo:
Hinc etiam fetus nomen habere putant.

Eratque dies iste Nefastus primo.

FOR. FEL. Fortunæ Felici. *Manutius.* In nummis Impp. & Commodi præcipue.

FOR. FL. Forum Flaminii. *Sarainas. Manutius.* Forum Flaminii Umbriæ olim urbem fuisse a Longobardis eversam, tradit *in Lex. Geograph. Ferrarius*, qui locum adhuc reperiri putat in corrupto

 nomine

nomine *Forflammo*. Nonnulli credunt Forum Flaminii Fulignum esse, licet diversas fuisse urbes istas ex *Plinio* percipiatur *Hist. Nat. lib.* 3. *cap.* 14. nam & Fulignates, & Foro Flaminienses distinctos recenset.

FOR. I. Forum Julii. Quod a Cæsare ædificatum ab eo nomen accepit. *Dio Hist. lib.* 43. *Forum Cæsar extruxerat, quod ab ipso nomen obtinuit Romano pulchrius.*

Forum Julium. *Appianus. Lazius.* Forum Julium, quod & Carnia veteribus, nunc vulgo *Patria del Friuli*, Venetiarum dominii pars non ultima.

FORINAR. ROM. DD. Forinarum Romæ Dearum, *vel* Dedicavit. Forinas Deas mihi prorsus ignotas fateor. Furinam, furum Deam cui & Flamen Furinalis ministrabat, & Furinalia habebantur, scilicet feriæ publicæ VIII. Kal. Sextilis, qui Julii dies vigesimus quartus, cognosco. Hoc unum tantum additum cum *Varrone* observo 5. *de Ling. Lat.* quod & suo ævo vix nomen Furinæ paucis notum erat. Verum ut de notis & essentia inscriptionis eruditiores judicium adducant, saxum ecce collectum *pag.* 333. 1.

P. POETELLIVS. P. L
SYRVS
LANISTA. AD. AR. FORIN
AR. ROM. DD. VIX
ANN. XLIIX
H. S. E

FOR. L. Forum Livium. *Appianus. Lazius.* Forum Livium Galliæ Togatæ urbs est insignis, vulgo *Forli*.

FORODRVENT. ForoDruentinorum.

FORONOVANOR. ForoNovanorum. Duorum istorum municipiorum mentio est in magno fragmento Parmensi collecto *pag.* 492. 5. Forum Druentinorum, numquid sit Forum Truentinorum, ambigo, an istud sit, quod a *Plinio Hist. lib.* 3. *cap.* 15. in octava regione Italiæ reponitur, & quod nunc *Carolo Stephano*, ex *Leandro* auctore, *Brentenoro* vulgo appellatur, civitas in colle supra Cæsenam sita non ignobilis. licet *Ferrario in Lex. Geograph.* non Britinorium oppidum, sed locus quidam illi vicinus censeatur, qui *Tre* ab incolis communiter dicitur.

Forum Novum, seu Forum Novanorum a *Plinio* descriptum venit *Hist. lib.* 2. *cap.* 13. in regione Italiæ quarta. Ferrarius tamen duo hujus nominis municipia describit, unum, quod idem ac illud Plinii, in Sabinis, alterum in Gallia Cispadana & agro Parmensi ad Tarum Fluvium, nunc *Fornovo*, quod ex antiquis lapidibus confirmat.

FOR. RED. Fortunæ Reditum. *Sarainas. Manutius.*

Fortunæ Reduci. *Probus. Ms: Zabarella. Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius.* Habentur hæ notæ in nummis Impp. sæpissime.

FOR. RE. EX. S. C. Fortunæ Reduci Ex Senatus Consulto. In Augusti Nummis.

FOR. T. Forum Transitorium. *Sarainas. Manutius.* Forum Nervæ Romæ Transitorium dictum fuisse asserit *Alexander ab Alexandro Gen. Dier. lib.* 2. *cap.* 12. Verum Forum istud cœpisse Domitianum, auctor est mihi *Suetonius* in eo *cap.* 5. *Novam autem excitavit ædem in Capitolio Custodi Jovi, & forum quod nunc Nervæ vocatur.* Quod autem Forum Nervæ Transitorium esset appellatum, monet *Lampridius in Alexandr. Sever.* scribens de eo: *Statuas colosseas, vel pedestres nudas, vel equestres, divis Imperatoribus in foro Divi Nervæ, quod Transitorium dicitur, locavit omnibus cum titulis & columnis æreis, quæ gestorum ordinem continerent.* Transitorium autem fuit dictum *Bartholomæo Marliano* auctore *Topograph. Urb. Rom. lib.* 5. *cap.* 14. quod inde in tria fora transitus pateret.

FORT. FEL. Fortunæ Felici. In nummis Commodi.

FORT. P. R. Fortitudo Populi Romani. *Ursinus.*

FORT. PRIM. Fortunæ Primigeniæ. Primigeniam Fortum coluerunt Romani *Plutarcho* auctore *in Quæst. Rom. Quæst.* 106. *An quia multorum est Romanorum opinio, quod, Servio Tullio, ex ancilla, ut fertur, nato Roma regnum Fortuna beneficio obtigit? Aut potius quod ipsi Romæ sui ortus initia suggessit Fortuna? Aut causam res habet magis ad naturalium rerum contemplationem referendam? nimirum omnium rerum principium esse fortunam & naturam, & ex eventis fortuitis constitui, quando fortuitu eventa ordinem inter se sortiantur.* Nisi potius cum *Dione Hist. lib.* 55. Primigeniam Fortunam Romani colerent, utpote *quæ omnia ante oculos, ac post se posita cernat, atque expendat, moneatque debere unumquemque meminisse, a quibus majoribus ortus, qualisque ipse sit.* Primigeniæ Fortunæ Romæ templum duplex, unom in Capitolio a Servio Tullio dicatum; alterum in Quirinali, quod vovit, *Livio* teste *Hist. lib.* 29. P. Sempronius Sophus Consul anno V. C. DXLIX. secundo bello Punico, si eo die hostes fudisset; quodque postea consecravit *Q. Martius Ralla duumvir ad id ipsum creatus*: voverat enim ipsum *decem annis ante Punico bello P. Sempronius Sophus.* Ita *Livius Hist: lib.* 34.

FORT. RED. CAES. AVG. Fortunæ Reduci Cæsaris Augusti. In nummis argenteis Augusti. *Dio Hist. lib.* 54. *Ob reditum ejus, ac propter ea quæ absens egisset, multa ac varia in honorem ejus decreta sunt, quorum ille nihil accepit, nisi quod Fortunæ Reduci aram consecrari, diemque sui reditus inter ferias referri, & Augustalem dici passus est.*

FOS. Fossor.

FO. S. V. P. XX. ET. INV. MM. LDDBLE. Fode Sub Via Pedes Viginti, Et Invenies Monumentum Laudabile. *Diaconus. Manutius.*

F. P. Fama Publica. *Diaconus. Manutius.*

Fastus Primo. Si duæ hæ litteræ in Kalendario antiquo occurrant. Dies Fastus primo erat, in quo antemeridianis horis Prætori fari licebat, pomeridianis autem minime.

Fecit Patri. In monumentis affectus filiorum erga parentes testantibus.

Fecit Publice. Femina Proba. Ferrariis Pistoribus. *Manutius.*

Fidei Promissor. *Probus Ernstius. Diaconus. Ms: Ferrarii. Manutius.*

Fides Promissa. *Diaconus. Sarainas. Manutius.*

Fides Publica. *Grassosius.*

Filio Posuit. In sepulcralibus, Parentum erga filios amorem indicantibus.

Filius Patri.

Forma Publica. *Probus Ernstius. Diaconus. Ms: Ferrarii. Sarainas. Manutius. Scaliger.*

F. P. C. Filio Ponendum Curavit. Filius Ponendum Curavit. Fratri Ponendum Curavit, *vel* Frater, *aut* Filia, *seu* Filiæ.

F. P. D. Fieri Persona Devota. Fecit Potestatem Denunciandi. Filio Pecuniam Donavit. Filio Potestatem Denunciandi. Filio Pecuniam Donavit. Filio Potestatem Dedit. *Manutius.*

Filio Pater Dedit. Filius Patri Dedit.

Fratri Pecuniam Donavit. Fratri Potestatem Dedit. *Manutius.*

F. P. D. D. L. M. Fecit Publice Decreto Decurionum Locum Monumenti. *Sarainas.*

F. P. H. C.

F.P.H.C. Filius Patri Hoc Curavit, *vel* Filio Pater. In ſepulcralibus.

F.P.H.SB.TA. Foris Porta Hac Sub Tabula. *Diaconus. Manutius.*

F.P.I. Filio Pooi Juſſit.

F.PO. Filia Poſuit, *vel* Filius.

F.P.P. Filius Patri Poſuit. & e contra. Fecit Propria Pecunia. In lapidibus mortuorum.

F.PP.R. Forum Populi Romani. *Probus Ernſtii. Diaconus. Manutius.*

F.P.V.K.AVG. Filia Poſuit Quinto Kalendas Auguſti, *vel* Filius.

F.Q. Flamen Quirinalis. *Manutius.*

F.R. Finibus Regundis. *Probus. Ms: Ferrarii. Manutius.* Ad hæc *Ernſtium* lector conſulat *notis ad Caput 6. Probi.*

Finium Regundorum. *Diaconus. Magno. Gratioſus. Manutius.*

Forum Regum. *Diaconus. Manutius.*

FR. Fortis. *Gratioſus.*

Forum. *Probus. Ms: Zabarellæ. Papias. Sarainas. Manutius.*

Formales. *Ms: Rhodii.*

Frater. *Probus. Diaconus. Ms: Ferrarii. Manutius.*

Fratres. *Sarainas. Manutius.*

Fronte. *Probus. Ms: Zabarella. Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius.* In ſepulcralibus ſaxis, in quibus Monumentorum pars anterior deſignatur.

Frumentarius. *Scaliger.* In monumentis militum. Frumentarii iidem ac exploratores; nam ipſi pariter aliorum actiones operationeſque perquirebant. *Spartianus* in Hadriano: *Erat curioſus non ſolum domus ſuæ, ſed etiam amicorum; ita ut per Frumentarios occulta omnia exploraret, nec adverterent amici, ſciri ab Imperatore ſuam vitam, priuſquam ipſe hoc Imperator oſtenderet.* Ideo Frumentarius Legiònis, quod aliquando in ſaxis legitur, explorator Legionis fuerat. Frumentarios tamen frumenti mercatores aliquando dictos ex *Plauto* colligo *Pſeudolo Act.* 1. *Scen.* 2.

Principio, Hedulium, tecum ago, quæ amica es Frumentariis,
Quibus cunctis montes maxumi ac acervi frumenti ſunt domi.

FR. Forum. *Diaconus. Magno. Ms: Ferrarii. Manutius.*

Frater. *Manutius.*

FR. Fidejuſſor. *Magno.*

FR.A. Frater Amantiſſime. *Auguſtinus. Briſſonius.* qui, hoc titulo fuiſſe donatos obſervat ab Imperatoribus Rectores Provinciarum, ad diſtinctionem Præfecti Prætorio, qui *Pater* ab iiſdem vocabatur *de Formul. lib.* 3. Hæc nota occurrit ſæpe in Principum reſcriptis, & Codice Theodoſiano potiſſimum.

Frater Ave. *Gualtherius.*

FRA. Frater. *Ms: Rhodii. Sarainas. Manutius.*

Fraude. *Manutius.*

FRA. C. Fraude Creditoris. *Diaconus. Manutius.*

FRA.ET.FIL.TIT.POS. Frater Et Filius Titulum Poſuere. In ſepulcralibus.

FRAT.CARISS.F. Fratri Cariſſimo Fecit. Frater Cariſſimus Fecit.

FRATB. PIENT. Fratribus Pientiſſimis.

FR.C.L. Fraudationis Cauſſa Latura. *Probus Ernſtii.* cui tamen lubens accedo, ut legendum ſit *Fraudationis Cauſſa Latitat*, ut in *l.* 50. *ff. de Pecul.* juncta *l.* 7. §. 1. & 5. *ff. Quib. Ex Cauſ. in Poſſeſ. eat.*

FR. COR. Forum Cornelii. *Probus. Manutius.*

FR.D. Frumenti Dandi. *Scaliger.* In officiorum & magiſtratuum ſaxis.

FRD. Fraude. *Sarainas. Manutius.*

FRES. AVRR. Fornaces Aurificum. *Diaconus. Ms: Ferrarii. Manutius.*

FR.F.F. Fratris Filius. *Diaconus. Ms: Zabarellæ. Gratioſus. Sarainas. Lazius. Manutius.*

Fratri Fecit, *vel* Frater.

FR.I. Forum Julium. *Probus. Ms: Zabarellæ. Sarainas. Manutius.*

F.R.I.S.P. Fieri Requietorium Juſſit Sua Pecunia, *vel* Sumptu Proprio. Si in ſepulcralibus.

Fortuna Romana Invictos Subegit Populos. *Gratioſus.*

FR.L. Forum Livium. *Probus. Ms: Zabarellæ. Sarainas. Manutius.*

FR. LEG. Frumentarius Legionis. In militaribus.

FR. LEG. II. ITAL. P.F. Frumentarius Legionis Secundæ Italicæ Piæ Felicis. In militaribus.

FRMS. Fortiſſimus. *Probus Ernſtii. Diaconus. Manutius.*

FRONT. Fronto. *Auguſtinus.* Quibus alta fuerat frons, *Frontones* cognominati ſunt antiquis. Cognomen iſtud, *Glandorpio* teſte *in Cognom. Indic.* fuit commune Æterninis, Aufidiis, Corneliis, Juliis, gentibus Romanis. addit & Cajis. Verum cum Cajus fere ſemper prænomen, non autem nomen gentilicium noverim, in gentibus tantum, quæ a nitore Romano alienæ ſunt, admitto.

F.R.P.C. Fiſcus Reipublicæ Cauſſa. *Ms: Rhodii. Sarainas. Manutius.*

FR.POM. Forum Pompeji. *Manutius.*

Forum Pompilii. Forum Pomponii. *Probus. Manutius.*

Forum Popilii. Flaminiæ olim urbs clara, nunc oppidum peramplum, vulgo *Forlimpopoli.*

FRS. Forti. *Probus Ernſtii. Diaconus. Ms: Ferrarii. Manutius.*

Fratris. *Manutius.*

FR. S. Forum Sempronium. *Probus. Manutius.*

Forum Sempronii. *Ms: Zabarellæ. Sarainas. Appianus.* Forum Sempronii civitas Umbriæ clara Italice *Foſſombrone.*

Fratris Salutem. *Manutius.*

Fratri Suo.

FRT. Forſitan. *Probus Ernſtii. Diaconus. Ms: Ferrarii. Manutius.*

FRV. Fraude. *Ms: Rhodii.*

FRVG. Frugalis.

Frugi. *Landus.* Frugi cognomen Piſonum fuit, vel quia Piſo quidam in omni re frugalis eſſet, ut videtur *Alexandro ab Alexandro Gen. Dier. libro* 1. *cap.* 9. vel quia L. Calpurnius Piſo ob mores hoc cognomen ſibi adeptus ſit, ut *in Piſonianam* habet Aſconius Pedianus: frugi enim pro homine prudente & circumſpecto quandoque a Plauto accipitur non uno in loco, ſed præcipue in *Trinum. Act.* 5. *Scen.* 2.

——— CH. *Nihil evenit, ne time.*
Bene re geſta ſalvos redeo: ſi tu modò frugi eſſe vis.

quandoque etiam pro viro continenti, ut in *Aſinaria Act.* 5. *Scen.* 1.

ART. *At ſceleſta ego, præter alios meum virum fui rata*
Siccum, frugi, continentem, amantem uxoris maxume.

FRVGIF. Frugiferæ. Frugifera Ceres, quia frugum Dea, appellata fuit.
FRVM. Frumentarius. In militaribus.
F. S. Fecit Sibi. Fecit Suis. Ut plurimum in sepulcralibus.
Forum Sempronii. *Appianus. Lazius.*
FS. Familias. *Sarainas. Manutius.*
Frater. *Manutius.*
Fratres. *Probus. Ms: Zabarella. Sarainas. Appianus. Lazius.*
Filia. Filiis. Fossor. Fossoribus.
FS. Fratres. *Diaconus. Manutius.*
FSC. Fuscum. *Ms: Rhodii.*
F. S. D. Filio Salutem Dicit. Fratri Salutem Dicit. *Manutius.*
F. S. E. Factum Sic Est. *Diaconus. Papias. Manutius.*
Fecit Sibi Et. Suis nempe.
Fieri Sibi Elegit.
FS. E. Factus Est. *Probus Ernstii. Diaconus. Manutius.*
F. S. E. L. M. Factum Sic Est Lege Manilia. *Gratiosus.*
Fecit Sibi Et Liberis Monumentum, *vel* Libertis. In sepulcralibus titulis.
F. S. E. S. Fecit Sibi Et Suis. In defunctorum saxis.
F. S. S. Fecit Sibi Suis. Fecit Suprascriptis. In iisdem saxis.
FSS. Falsitas. *Ms: Rhodii. Sarainas. Manutius.*
F. S. S. L. Fecit Sibi Sepulturæ Locum. aliquando in sepulcralibus.
F. S. V. PS. XX. IN. M͞M. LOBL. Fode Sub Via Passus Viginti Invenies Monumentum Laudabile. *Probus Ernstii*, qui *ad Caput* 9. *Notar. Probi.* notat recte scriptum LOBL. sic enim veteres O. pingebant pro AV.
F. T. Fecit Titulum. In sepulcralibus.
FT. Fecerunt. *Manutius.*
Fundaverunt. *Papias. Gratiosus.*
F. T. C. Familia Testimonii Caussa. *Probus Ernstii.*
Familia Testis Caussa. Famula Testis Caussa. *Diaconus. Manutius.*
Fieri Testamento Curavit. Fieri Titulum Curavit. In sepulcralibus.
F. T. C. S. Fecit Testamento Coactus Sacellum. *Gratiosus.*
Fieri Testamento Curavit Sibi, *vel* Titulum. In sepulcralibus.
F. T. M. CO. Fecit Titulum Monumento Conjugis. *Gratiosus.*
Fecit Titulum Maritus Conjugi, *vel* Marito Conjux.
FT. S. Facta Sunt. *Papias.*
F. V. Fecit Vivens. Frequentissime in lapidibus sepulcralibus.
FV. Filius. *Papias.*
Fuerit. *Magno.*
Fundus. *Gratiosus.*
FV̄. Fuit. *Magno.*
FVA. Fulvia. *Magno.*
FV. AG. Fundus Agri. *Papias. Gratiosus.*
FVAT. Fecerat. *Magno. Papias.*
F. V. C. Fidei Vestræ Commissum. *Sarainas. Appianus. Manutius.* Si in edictis perpetuis una cum sequenti:
Fraudisve Caussa. *Probus. Ms: Zabarella. Appianus. Lazius. Manutius.*
Fieri Vivens Curavit. Si in sepulcralibus, ut & sequens.
F. V F. Fieri Vivens Fecit.
FVIT. Fuerit. *Papias.*

FVL. Fulvius. *Sarainas. Manutius. Scaliger.*
FVLMIN. FVLG. Fulminatori Fulguratori. Epitheta satis clara Jovis qui monumentis Diis dedicatis.
FVNC. Functus. *Probus. Ms: Zabarella. Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius.* Functus pro Defunctus, præcipue apud Jurisconsultos, ut in *l.* 54. *ff. de Castrens. Pecul.*
F. V. R. C. E. P. E. M. Fines Ultra Rigorem Cipporum Et Parietis Et Maceriæ. *Gutherius.* In Gippis, qui fines designant.
FVR. Furius. *Sarainas. Manutius.*
FVRR. Furinalia. *Manutius. Scaliger.*
F. V. S. Fecit Vivens Sibi. Si in sepulcralibus. Fecit Voto Suscepto. Si in Votivis. Ita hoc in saxo *Gruterus pag.* 40. 7.

DIANAE
TITVS MEMIVS
F. V. S

FVS. Faustus. *Ms: Rhodii. Sarainas.* Faustum prænomen a favore sumptum fuisse tradit Valerius Maximus, vel qui auctor *Epitomes de Nominum Ratione.* Ego tamen potius cognomen dicerem, ut satis ex antiquis monumentis patet.
F. V. S. L. M. Fecit Voto Suscepto Libens Merito. Si in Votivis.
Fecit Vivens Sibi Locum Monumenti. Si in sepulcralibus, in omnibus tamen ultimam lapidum partem tenent.
FVTORO. Futurum. Quod indicat monumentum collectum a *Grutero pag.* 311. 2.
FVQ. Functio. *Papias.*

G.

G Gades. *Probus. Manutius.*
Gajus. *Omnes Notarum explicatores.* Gajus enim prænomen fuit a gaudio parentum. ita Auctor *Epitom. de Nom. Ratione.* Istud tamen prænomen aliquando pro nomine gentilitio usurpatum littera C. observavi: notat enim *Terentius Scaurus de Orthographia, usum præstitisse Cajum per C. & Cneum per Cn. signanda, quamvis utrinsque syllabæ sonus G. exprimat*, quæ frequens antiquis.
Gaude. *Ms: Rhodii.*
Gaudium. *Probus. Diaconus.* & fere cuncti.
Gellia. *Manutius.*
Gellius. *Probus. Ms: Zabarella. Manutius.*
Genere. *Sarainas.*
Genius. *Probus. Sarainas. Appianus. Manutius.*
Gens. *Probus. Diaconus. Manutius.*
Genus. *Probus. Diaconus.* & fere omnes.
Gesta. *Gutherius lib.* 1. *cap.* 36. *de Offic. Dom. Aug.* scribens, quod G littera in pluribus rescriptis & variis titulis singulariter scripta *Gesta* significabat, subditque: *Meam opinionem tuetur, quod ex lege Honorii ad Julianum Proconsulem Africæ l. fin. Cod. de Re Judic. l.* 55. *Cod. Theodos. de Hæretic. Gesta quæ sunt translata in publica monumenta, perpetuam habent firmitatem. Gesta ergo quæ in publico lata sunt, faciunt fidem, quia ex his fides constat*, atque mox: *Quare in omnibus his Rescriptis, quibus littera G appensitur, quod statutum est ex veteribus monumentis, sensus auctoritate, instrumentis, contractibus, quibus Gestorum fides constare videtur, significatur.*
Gestus. Gloria. *Sarainas Manutius.*
Gracchus. *Manutius.* Gracchi cognomen ortum duxisse videtur a facundia, quam æmuli loquacitatem

citatem dixerunt. ita *Nicolaus Perottus in Cornucopia*, similitudine deducta a Graculis avibus. Cognomen hoc, licet Semproniis communissimum atque insigne, eo tamen Novios etiam usos in *Indice Cognominum* observat *Glanderpius*.

Gratia. *Probus. Diaconus. Ms: Rhodii. Magno. Sarainas. Manutius.*

Gratis. Gratus. Gula. *Manutius.*

Gravis. *Probus.*

Quadringenta. *Antiquus Codex de Notis Numerorum.*

G. *Si in termino inveneris, fui nominis auctores, limitem tortuosum ostendit.* Auctores de limitibus agrorum.

ꝗ

Ꞡ Loco G. antiqui ponebant. ita *Probus.*

Ƶ

G'. Gens. Genus. *Diaconus. Manutius.*

Gᵚ. Gaudium. *Ms: Rhodii. Magno.*

Ḡ. Quadraginta Millia. *Antiquus Codex de Notis Numerorum.*

GA. Galeria. Tribus scilicet. *Scaliger.* Galeriam Tribum ordine decimam observat *Panvinius Descript. Civit. Roman. lib. 2.* quam a Galeso flumine dictam credit Galesam, postea Galeriam, cui subscribunt *Sigonius lib. 1. de Antiq. Jur. Civ. Romanor cap. 5.* & *Joannes Rosinus Antiquit. Roman. lib. 6. cap. 15.*

Gaudium. *Gratiosus.*

Gratia. *Papias.*

Gravis. *Ms: Rhodii. Manutius.*

G͞A. Gravis. *Probus Ernstii. Diaconus. Ms: Ferrarii. Manutius.*

GAB. Gabinius. *Gratiosus.* Gabinius denominatus ab oppido Gabiis, unde apud *Varronem lib. 4. de Ling. Lat.* Gabinius ager.

GAL. Galeria. Tribus scilicet. *Brissonius. Manutius. Scaliger. Servius. Angelonus.*

Galliæ. *Sarainas. Manutius.*

Gallus. *Ursinus.* Gallus ille, qui ex Galliis trahebat ortum, necnon, qui Sacerdos Martis Deum, quorum primus Archigallus dictus, hocque a flumine illo Gallo, cujus qui aquas *bibebant, furere incipiebant, ut se privarent virilitatis parte. Festus.*

GALL. Gallicæ. *Probus Ernstii.*

GALLICA. V. C. CON. Gallicano Viro Clarissimo Consule. Hic consulatum gessit anno V. C. MLXVIII. una cum Septimio Basso, Constantino Magno imperante & Aurelio Valerio Licinio, anno eorum quarto, juxta *Panvinianam* supputationem habitam *Fastorum lib. 2.*

GAL. VAL. Galerius Valerius. Maximianus & Maximinus Imperatores in suis nummis ita dicti, de quibus Occo consulatur.

GAS. Gravitas.

GA. V. Gravitas Vera. *Probus Ernstii. Diaconus. Ms: Ferrarii. Manutius.*

Gravitas Vestra. *Diaconus. Ms: Rhodii. Manutius.*

G. AVG. Genio Augusti. *Probus. Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius.* In nummis Impp. sæpe.

GA. VAL. Gajus Valerius. *Ms: Rhodii.*

GAV. V. Gravitas Vestra. *Diaconus. Manutius.* Gravitatis Vestræ. Gravitatis Suæ. Gravitatis Tuæ titulis, Imperatores Provinciarum Præsides ac Rectores decoraverunt. Gravitatis Vestræ exemplum habetur in *l. 27. ff. de Liberali Caussa: Divi Fratres, Proculo & Mutiano rescripserunt: Cum Romulus de cujus statu quæritur, pupillaris ætatis sit, an exigente Varia Hedone matre, & consentiente tutore, ad tempus pubertatis, causa differenda sit, Vestra Gravitatis est ex fide personarum, quod utile est pupillo, constituere.* Gravitatis Suæ mentio est in *l. 18. Cod. de Pact. Si creditores vestros ex parte debiti admisisse quemquam vestrum, pro sua persona solventem, probaveritis, aditus Rector Provinciæ pro sua Gravitate, ne alter pro altero exigatur, providebit.* Et in *l. 4. Cod. Si Advers. Rem. Judic. Cum & minores vos esse affirmetis & indefensos, nullum vobis præjudicium fieri Præses provinciæ pro Sua Gravitate curabit.* Gravitatis vero Tuæ meminit *l. 1. Cod. de Bon. Vacant. lib. 10. Scire debet Gravitas Tua, intestatorum res, qui sine legitimo herede decesserint, fisci nostri rationibus vindicandas.* Nota ergo ista in rescriptis Principum facile occurrit.

G. B. Genio Bono.

Gens Bona. *Probus. Diaconus. Papias. Manutius.*

G. B. D. M. P. Genio Bono Dicavit Monumentum Publice, *vel* Memoriam.

Gentem Barbaram Dii Male Perdant. *Gratiosus.*

G. C. Gajus Cæsar. *Magno.*

G. CS. Gajus Cæsar. *Probus. Ms: Rhodii. Papias. Manutius.*

G. D. Gens Dolosa. *Probus. Diaconus. Manutius.*

Genio Dicatum.

Germanicus Dacicus. In nummis Trajani.

Gratis Dedit. *Manutius.*

GD. Gaudium. *Probus. Diaconus. Papias. Manutius.*

GDM. Gladium. *Ms: Rhodii. Sarainas. Manutius.*

GE. Gens. *Papias. Gratiosus.*

Gerebat. *Sarainas. Manutius.*

GEL. Gellius. *Appianus. Lazius.*

GEM. Gemina. *Scaliger. Gualtherius. Servius.* Legionis nota in militaribus.

Geminus. Gemellus. *Ursinus.*

GEMIN. Geminus. *Sarainas. Manutius.*

GEN. Genio. Genius.

Gentes. *Probus.*

GEN. AVG. FELIC. Genio Augusti Felici. *Angelonus.* extantque in nummo Commodi.

GEN. CORꝶ. Gente Corneliorum. *Probus. Manutius.*

GEN. PLVT. S. Genio Plutoni Sacrum. In Deorum monumentis.

GEN. POP. ROM. Genio Populi Romani. In nummis Maximiani.

GENS. Gentes. *Diaconus. Manutius.*

GENT. Gentilium. *Sarainas. Manutius.*

GER. Germanico. *Probus. Manutius.*

Germanicus. *Probus.* & omnes ceteri. Germanici cognomen multi assumpsere Imperatores post Neronem Claudium Drusum: nam & Domitianus & Trajanus Germanici cognominati fuere; sed inter ceteros *Dione* auctore M. Aurelius Antoninus: *Cum Marcomannis in aliquo prælio bene successisset, ab iisque Vindex Marci legatus interfectus esset, tres ei statuas posuit. illis vero superatis, Germanicus appellatus est. Germanos enim eos, qui in superioribus locis habitabant, appellamus.* Caracalla vero & ipse, *cum Germanos subegisset, Germanicum se appellavit; vel joco, vel serio, ut erat stultus & demens, asserens, si Lucanos vicisset, Lucanicum se appellandum.* ita in ejus vita Spartianus.

GER. DAC. Germanico Dacico. *Sarainas. Manutius.* Cognomina hæc in Trajani Imperatoris nummis & lapidibus inveniuntur.

GERM. Germanicus. *Probus. Diaconus.* & omnes.

GERMANIC. Germanicus. *Manutius. Goltzius.*

GERMAN. INDVTI. Germana Indutia. *Santamantius.*

GER. MAX. Germanico Maximo. *Angelonus.*
GER. MAX. DAC. MAX. SARM. MAX. Germanicus Maximus. Dacicus Maximus. Sarmaticus Maximus. Julius Verus Maximinus cognominatus venit, ut saxa probant, & præcipue unum a *Grutero* collectum *pag.* 151.5.
GERM. DAC. Germanico Dacico. *Probus.*
GER. P. Germania Provincia. *Scaliger.*
GER. SAR. Germanicus Sarmaticus.
G. F. Gaji Filius. Quandoque, sed raro.
Gemina Fidelis. *Scaliger.* hoc est, Legio.
Germanicus Frater. *Magno.*
Gloria Filiorum. *Manutius.*
Gula Filiorum. *Diaconus. Manutius.*
G. FEL. Geminæ Felicis. *Gualtherius.* Legionis scilicet: nam Legionum hi fumosi tituli sunt.
G. FF. Germanus Filius. *Magno.*
GG. Gemina. *idest*, Legio. *Pancirollus.*
Gesserunt. *Probus. Ms: Zabarella & Rhodii. Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius.*
Gessit. *Manutius.*
Gignit. *Papias.*
GG. Gesserunt. *Diaconus. Magno. Manutius.*
G. GEN. GER. Gaudium Generis Germanici. *Diaconus. Manutius.*
G. H. Gens Humana. Gloriosi Homines. *Gratiosus.*
G. I Gloria Infinita. Gratia Judicum. *Gratiosus.*
G. IN. Gens Iniqua. *Diaconus. Manutius.*
G. L. Gaja Liberta. *Manutius.*
Gaji Libertus.
Gajus Libertus. *Ms: Zabarella. Sarainas. Manutius.*
Genio Loci. *Manutius.* quandoque in Diis dedicatis.
GL. Gaja Liberta. Gajus Libertus. *Probus Ernstii.* Suspecta mihi tamen lectio absque interpunctione.
Gloria. *Probus. Ms: Zabarella. Magno. Papias.* & ceteri.
GLAD. Gladiatorum. *Manutius.*
GLA. INTERF. Gladio Interfecit. *Manutius.*
GLA. N. L. Gloria Nominis Latini. *Sarainas.*
GLA. R. S. Gloria Romani Senatus. *Sarainas.*
GLA. S. H. INT. E. Gloria Sua Hic Intus Est. *Diaconus. Sarainas. Manutius.*
GL. C. Gloria Censorum. Gloria Consulis. *Manutius.*
Gloria Consulum. *Probus Ernstii. Manutius.* Placet tamen *Ernstio in notis cap.* 7. *Probi.* legendum esse, & recte quidem, *Gloria Consulis*, vel notas ita mutandas *GL. COSS.*
GL. D. Gloria Decus. *Magno.*
GL. E. R. Gloria Exercitus Romani. *Probus. Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius.*
GL. EX. R. Gloria Exercitus Romani. *Manutius.*
G. L. F. Genio Loci Factum.
Genio Loci Fecerunt. *Manutius.*
GL. HVM. Gloria Humana. *Sarainas. Manutius.*
GLI. Gloria. *Diaconus. Manutius.*
GL. N. L. Gloria Nominis Latini. *Probus. Appianus. Lazius. Manutius.*
GL. P. Gloria Parentum. *Probus. Diaconus.* & omnes ceteri.
Gloria Patriæ. Gloria Populi. *Probus. Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius.*
GL. PP. Gloria Parentum. *Probus Ernstii.*
GL. P. R. Gloria Populi Romani. *Probus. Manutius.*
GL. R. Gloria Romanorum. *Probus. Sarainas. Manutius.* Habenturque præcipue in Nummis Imperatorum ultimi ævi.

GL. RR. Gloria Romanorum. *Sarainas. Manutius.*
GL. R. S. Gloria Romani Senatus. *Manutius.*
GL. S. Gallus Sempronius. *Probus. Manutius.* Quod mihi suspectum.
GLS. Garrulus, *Ms: Rhodii.*
GL. VR. RO. Gloria Urbis Romæ. *Probus. Manutius.*
G. M. Genio Malo. Bonos malosque Genios habuisse antiquos, satis superque *Plutarchus* indicat *de Oracul. Defect.* ubi de Malis ait: *Non Empedocles tantum, o Heracleo, scriptum reliquit, esse quosdam pravos genios: sed Plato etiam, Xenocrates, atque Chrysippus, sed & Democritus, dum precantur omines sibi obtingere felices.* Libro vero de *Isid. & Osirid.* Bonos, commodos Genios vocat cum Hesiodo:

> *Castos, custodes hominum, rerumque datores Lautarum, quod sint regalis honoris adepti.*

Siquidem *de Anim. Tranquillit.* idem Philosophus protulit: *Empedoclis probandam esse sententiam, qui unumquemque nostrum, postquam est natus, arripi gubernarique a duplicibus Fatis & Geniis docet.*
Gens Mala. *Probus. Papias. Manutius.*
GM. Germanicus. *Sarainas. Manutius.*
Germanus. *Ms: Rhodii. Papias. Manutius.*
GM'. Germanus. *Probus Ernstii.*
GM. Germanus. *Magno.*
GM. F. Germani Filius. *Papias.*
Germanicus Fecit. *Manutius.*
Germanicus Frater. *Sarainas.*
Germanus Frater. *Diaconus. Ms: Rhodii. Papias. Manutius.*
GM. FI. Germani Filius. *Diaconus. Manutius.*
Germanus Filius. *Ms: Rhodii. Manutius.*
GM'. FI'. Germanus Filius. *Diaconus.*
G. M. V. Gemina Minervia Victrix. In lapidibus, in quibus Legionum fit mentio.
GN. Gens. *Probus Ernstii. Diaconus. Manutius.*
Genius. *Probus Ernstii.*
Genus. *Diaconus. Papias. Manutius.*
Gnæus. *Priscianus. Ms: Zabarella.* & ceteri Notarum explicatores. De Gnæo prænomine dictum littera C. nota CN. hoc unum tantum hic addam, quod hominibus & feminis commune fuerit: ideo apud *Gruterum pag.* 874. 5. Cocceius quidam Gn. Cocceiæ Irenæ conjugi monumentum erexit.
GN. F. A. N. Gnæi Filius Auli Nepos. In Fastis.
GN. F. AP. N. Gnæi Filius Appii Nepos.
GN. F. C. N. Gnæi Filius Caji Nepos.
GN. F. D. N. Gnæi Filius Decimi Nepos.
GN. F. GN. N. Gnæi Filius Gnæi Nepos.
GN. F. L. N. Gnæi Filius Lucii Nepos.
GN. F. K. N. Gnæi Filius Kæsonis Nepos.
GN. F. M. N. Gnæi Filius Marci Nepos.
GN. F. M'. N. Gnæi Filius Manii Nepos.
GN. F. N. N. Gnæi Filius Numerii Nepos.
GN. F. P. N. Gnæi Filius Publii Nepos.
GN. F. Q. N. Gnæi Filius Quinti Nepos.
GN. F. SER. N. Gnæi Filius Servii Nepos.
GN. F. SEX. N. Gnæi Filius Sexti Nepos.
GN. F. SP. N. Gnæi Filius Spurii Nepos.
GN. F. TI. N. Gnæi Filius Tiberii Nepos.
GN. F. T. N. Gnæi Filius Titi Nepos.
GN. MAG. IMP. Gnæus Magnus Imperator. In nummis æreis & argenteis gentis Pompejæ, Magni Pompeji propriis.
GN. N. Genus Nostrum. *Probus. Diaconus. Manutius.*
Gnæi Nepos.
GN. N. H. M. Q. Genus Nostrum Hoc Monumento Quiescit. *Gratiosus.*

GN. N.

GN. N. T. M. D. D. Genio Numioi Totelari Monumentum Dedicatum, *vel* Do Dedico, *aut* Merito Dedicatum.

GN. R. S. Genio Romani Senatus.

Genus Romani Senatus. *Probus. Diaconus. Sarainas. Manutius.*

GN. S. Genio Sacrum. Gnæi Sacro. *Manutius.* At primæ explicationi assuesco, secundæ minime.

GNT. Gentes. *Papias.*

G. O. Gloria Orbis. *Gratiosus.*

GORD. Gordianus. *Magno.*

GOTH. Gothicus. *Diaconus. Sarainas.*

GOTH. M. Gothicus Maximus.

GOTH. MAX. Gothicus Maximus. *Rubeus.* Gothicum fuisse appellatum. Gratianum Saxa monstrant ob gravia cruentaque bella cum Gothis gesta, descripta præcipue ab *Ammiano Marcellino Hist. lib.* 31.

G. P. Galliæ Procurator. *Manutius.* Imperio vigente, innumeros fuisse Procuratores saxa historiæque docent, ut *Pancirollus Notit. Imp. Orient.* & *Occid.* ac *Wolfgangus Lazius Commentar. Reipub. Roman.* satis explicant.

Genio Parentum. Genio Patriæ. Genio Populi. Gloria Parentum. Gloria Patriæ. Gloria Populi. *Manutius.*

Græcia Peragrata. *Erizius.*

Gula Pareotum. *Diaconus. Manutius.* Quod meo judicio ineptum.

G. P. F. Gemina Pia Fidelis. *Scaliger.* In militaribus: sunt enim legionis nomen & epithetum.

G. P. R. Genio Populi Romani. *Manutius. Goltzius.* Io Imperatorum nummis post Gallienum & trigiota tyrannos non raro.

Gloria Populi Romani. *Manutius.*

G. R. Genus Regium. *Probus. Ms: Zabarella & Rhodii*, & alii.

Genus Regum. *Probus. Sarainas. Manutius.*

Genus Rerum. *Probus. Appianus. Lazius. Manutius.*

G. R°. Genus Regium. *Manutius.*

Genus Regum. *Magno. Manutius.*

Genus Rerum. *Manutius.*

G°. R. Genus Regium. *Diaconus.*

GR. Gerit. Gratis. *Probus. Diaconus. Ms: Zabarella*, ac ceteri.

Gressus. *Ms: Rhodii.*

Grex. In monumentis aurigantium, scilicet idem ac Factio.

GR. Gerit. *Magno.*

Gravitas. *Ms: Rhodii.*

GRA. Gratia. *Ms: Rhodii. Magno. Papias.*

GRA. Gracchus. *Probus. Manutius.*

GRAC. Gracchus. *Ms: Zabarella. Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius.*

GRACCH. Gracchus. *Manutius.*

GRANS. Gratianus. *Magno.*

GRAT. AG. Gratias Agit. In Votivis.

GR. AT. RS B. Genitor Autem Reservatur Bonus. *Diaconus. Manutius.*

GRC. Gracchus. *Diaconus. Manutius.*

Græcus. *Probus Ernstii. Manutius.*

GR. D. Gratis Datum. *Diaconus. Manutius.*

Gratis Dedit. *Probus. Ms: Zabarella. Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius.*

GR. E. Gratias Ejus. *Probus Ernstii.*

GRE. Græcus. Greges. *Gratiosus.*

GR. ER. Gratia Ejus. *Diaconus. Manutius.* Si tamen recte; ni melius legatur *Gloria Exercitus.*

GRI. Gerit. *Diaconus. Manutius.*

G. RM. HI. RQ. Genus Regium Hic Requiescit. *Diaconus.*

GR. P. Gloria Parentum. *Magno.*

GR. R. S. B. Gerit Rem Senatus Bene. *Manutius.*

GRS. Gradus. *Sarainas. Manutius.*

GR. V. Grex Veneta. Io Aurigantium saxis. Idem ac *Factio Veneta.*

G. S. Genio Sacro. *Probus. Manutius.*

Genio Sacrum. *Probus. Ms: Zabarella* ac ceteri. Hocque in Votivis.

Genio Senatus.

Gloria Sua. *Manutius.*

GS. Gajos. *Scaliger.* Sed raro.

Genus. *Diaconus. Manutius.*

Gesseruot. *Probus. Papias. Gratiosus. Manutius.*

Gentes. *Papias.*

Gessit. *Diaconus. Manutius.*

GS. Gesserunt. *Diaconus.*

Gravitas. *Magno.*

GT. Gentem. *Probus. Manutius.*

Gentes. *Probus. Diaconus. Gratiosus. Manutius.*

G. T. Genius Tutelaris.

Gravitas Tua. *Papias.* In rescriptis Principum.

G. T. Gravitas Tua. *Magno.*

G. T. A. Genius Tutelaris Ægypti. *Ursinus.*

Genus Totius Africæ. *Angelonus.*

GT. R. S. B. Gerit Rem Senatus Bene. *Manutius.*

GV. Genus. *Diaconus. Manutius.*

Gravis. *Manutius.*

G. V. Genio Urbis.

Gravis Valerius. *Diaconus. Manutius.* Sed forte melius *Gneus Valerius.*

Gravitas Vestra. In Principum rescriptis.

G. VAL. Gajus Valerius. *Magno. Papias.* Si tamen prænomen Caji per G. notabatur.

GVILS. Guhelmus. *In Roma subterranea.*

GVS. Gavisus. *Ms: Rhodii. Sarainas.*

Genus. *Probus Ernstii.*

GVS. Gavisus. *Manutius.*

G V. S. H. Genio Urbis Sacrum Hoc.

GX. Grex. *Probus Ernstii. Diaconus. Papias. Manutius.*

°.°. Gravitas Vestra. *Papias.* Dummodo recte.

H.

H Habet. *Scaliger.*

Hac. *Terentius. Scaurus. Sarainas.*

Hæc. *Sarainas.*

Hadrianus. *Manutius.*

Hastati. *Ugo.* Antiquorum pedites in militia triplici nomine distinguebantur. Hastatorum scilicet, Principum, & Triariorum. In prima acie hastati locabantur, post quos Aquila, totius Legionis signum, ante Principes disponebatur; ob id Hastati etiam Antesignani dicti. Dicebantur vero Hastati, quia primi hastis pugnabaot, *Varrone* auctore, *de Ling. Lat. lib.* 4.

Heredes. *Probus. Ms: Zabarella. Papias. Sarainas, Manutius.*

Hereditas. *Appianus. Lazius. Manutius.*

Heredum. *Papias.*

Heres. *Probus. Ms: Zabarella*, cum ceteris. Quod frequentissimum in sepulcris hereditariis, scilicet quæ heredem suscipiebant.

Hic. *Probus. Ms: Zabarella. Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius.*

Hoc. *Probus. Diaconus. Ms: Rhodii*, ac ceteri.

Hodie. *Manutius.*

Homo. *Probus. Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius.*

Honestas.

Honestas. *Probus: Ms: Zabarella. Appianus. Lazius. Manutius.*

Honestus. *Probus. Magno. Manutius.*

Honor. *Probus. Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius.*

Honore. • In illorum lapidibus, qui honore contenti impendium remittebant.

Honorem. *Scaliger.*

Honori. *Probus.*

Honos. *Sarainas. Manutius.*

Hora. *Probus. Papias. Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius.*

Horis. Passim in sepulcralibus saxis, pueris, & juvenibus erectis; in quibus, non tantum annos, & menses, sed dies & horas vitæ eorundem sculpebant.

Hostilius. *Manutius.*

Hostis. *Grassosus. Manutius.*

Hujus. *Manutius.*

Ducenta. *Antiquus Codex de Notis Numerorum.*

H. *Si in termino inveneris, grandes longitias limitum ostendit, & rariora signa invenies.* Io auctoribus limitum agrorum.

Ħ. Heredes. *Ms: Rhodii.*

Heres. *Diaconus. Manutius.*

Honestas. *Probus. Ms: Rhodii. Manutius.*

Hora. *Probus. Ms: Zabarella & Rhodii. Manutius.*

Ducenta millia. *Antiquus Codex de Notis Numerorum.*

H'. Habet. Hoc. Heres. Hujus. *Diaconus. Manutius.*

oH. Hoc. Honor. Honori. Hora. *Manutius.*

ꟸ. Hoc. *Probus. Ms: Zabarellæ.*

Honor. *Probus. Ms: Zabarella. Magno.*

Honori. *Probus.*

Hora. *Probus. Ms:* *Zabarellæ.*

Ꜧ. Hæc. *Diaconus.*

Ḣ Hora. *Magno.*

Ϝ *vel* C. loco H. *Probus Ernstii.* Qui consulendus ad ea, quæ notat *cap.* 8. *Notar. Prob.*

H. A. Hoc Age. *Probus Ernstii.* Hoc Age inclamabatur a Præcone, Magistratu aliquo rem divinam, vel auspicia captante. *Plutarchus in Numa: Cum Consul auspicatur, vel immolat, HOC AGE proclamant. Qua voce, eos qui consistunt admonent, ut componant se ad id quod agitur.* Et in Coriolano: *Cum Magistratus & Sacerdotes quid res divina faciunt, antecedens præco magna voce clamat, HOC AGE. Qua voce rebus divinis jubent intentos esse.* Sed hoc age, non tantum in divinis, & magnis rebus attentionem mandabat; sed & in omnibus fere negotiis & actionibus, apud antiquos in usu fuit. Ideo *Horatius l.* 1. *Epist.* 8.

—— —— dum tua navis in alto est,
Hoc age, ne mutata retrorsum te ferat aura.

Et *Plautus* sexcentis propemodum locis, cum aliquis attentionem desiderabat, *Hoc age*, usus est. Ita *Cistellar. Act.* 4. *Scen.* 5.

Sed quaso ambages, mulier, mitte, atque hoc age:
Eloquere, unde hac sunt tibi esto crepundia.

Et *Captiv. Act.* 2. *Scen.* 3.

Tu hoc age; tu mihi nunc herus es, tu patronus, tu pater.
Tibi commendo spes, opesque meas.

Hæc dicendi formula videtur signum fuisse conjuratis in mortem Caji Caligulæ. Siquidem *Suetonius* in eo *cap.* 58. ait ipsius *a tergo Chaeream cervicem gladio cæsim graviter percussisse, præmissa voce, HOC AGE.*

Hoc Anno. *Panvinius.*

HA. Hadrianus. *Probus. Manutius.*

Hora. *Diaconus. Manutius.*

H A.C. Heres Amico Curavit. *Scaliger.* Habenturque in sepulcralibus hereditariis.

HADR. Hadriano. *Angelonus.*

Hadrianus. *Ms: Zabarella. Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius.*

H.A.E.C. Hanc Ædem Ei Condidit. Hanc Aream Ei Constituit. Si in sepulcralibus.

Hanc Aram Erigi Curavit. Si in Votivis. Verum ingenii mei tenuitatem metiens, monumentum, cum notis istis, hic exscribo, e *pag.* 808 7. ut doctiores, aut meliorem eligant explicationem, aut saltem propius ad eam accedant.

D. M
MESSIAE
CALLITYCHES
ARTEMIDORVS
CONIVG. KARISS.
H A.E.C. ANNI.TVI
XXVII

H. AEDF. Q C.P. AMR. PRFC. Hoc Ædificium Quod Cernis Prudens Amator Perfecit. *Diaconus. Manutius.*

HAE. M. Heredem Meum. *Diaconus.*

HAES. PRC. Heredes Principis. *Diaconus.*

H. A'.G.F. Heres Agens Gratias Fecit. Heres Animo Grato Fecit. In sepulcralibus.

Ḣ.A I.R. Honore Accepto Impendium Remisit. *Brissonius, Scaliger.* Honore accepto impendium remittebant optimi illi viri, quibus Patriæ, aut Coloniæ decreto publico aliquod monumentum æternitati consignandum decernebatur. De quo videatur *Brissonius de Formul. lib.* 8.

Honore Accepto Impensam Remisit. *Lazius. Scaliger. Lipsius.* In monumentis, honoris gratia alicui erectis.

H.A L.R. Hac Autem Lege Rogavit. In Legibus & Plebiscitis.

Hoc Animo Libens Restituit. Hoc Amico Locavit Requietorium. Honore Acceptus Locum Remisit. De fide explicationis notarum hujus monumenti *pag.* 306. 2. ambigo. unde eam hic, melioris sententiæ loco, exhibeo:

L. PORCIO. QVIRIN
SATVRNINO
PONTIF. QVAE. PRO. HON
L. XX N P. VT AES. ALIEN
REIP. CARTAMITAN. LIB
AMICI. FAC. CVRAVERVNT
L. PORCIVS. SATVRNIN
H. A. L. R

Suspicor tamen de integritate inscriptionis; nam & in quarta ejus linea, sestertii deesse notam credo, nisi L. hanc suppleat.

H. AQ. Hic Aquiescit. *Scaliger.* In sepulcralibus.

HASTA. Hastatus. In militaribus.

HASTA.PVR.II. Hastis Puris Duabus. Hastæ donabantur a Romanis Imperatoribus illis, qui hostem percusserant; neque tamen in legitima & tantum communi pugna, sed si quis extraordinem, aut in singulari pugna ejusmodi facinus patrasset, ut

ut ex *Polybio* notat *Lips. de Milit. Roman. lib.* 4. *Dial.* 17. Puræ hastæ dicebantur, quia sine ferro, ut ad illud *Virgilii* 6. *Æneid.*

Ille, vides, purâ juvenis qui nititur hasta.

Servius notat. Hæ inter militaria præmia non postremæ fuere; ideo monumentis militum, quot puras hastas meruissent, insculptum frequenter.

H. B. Heres Bonus. *Manutius.*
Heres Bonorum. *Probus. Magno.*
Homo Bonus. *Manutius. Scaliger.*
Hora Bona. *Probus. Ms: Zabarella & Rhodii.* ac fere reliqui omnes.
H. B. Hora Bona. *Probus. Manutius.*
Heres Bonorum. *Probus.*
HB. Habet. *Manutius.*
Ibi. *Sarainas.* Si recte.
Ubi. *Ms: Rhodii.* Quod mihi tamen suspectum.
H. B. E. Hora Bona Est. *Gratiosus.*
H. B. F Heres Benemerenti Fecit. In sepulcralibus aliquando.
Homo Bonæ Fidei. *Probus. Ms: Zabarella. Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius.*
Homo Bonus Fecit. *Trebellius. Manutius.*
H. B. M. E. Heres BeneMerenti Erexit. Sic omnes istas litteras explico in Saxo *pag.* 1030. 3.

D. M
CAECILI CELERIS
MIL. CLASSIS. PR
MISENENSIS. NATIO
BESSVS. MIL. ANN
XXV. VIX. ANN. XLV
H. B. M. E

H. B. M F. Heres Bene Merenti Fecit. Sepulcralium lapidum vulgatissima formula, expressa quandoque, una cum duabus subsequentibus explicationibus.
H. B. M. F. C. Heres Bene Merenti Faciundum Curavit.
H. B. M. P. Heres Bene Merenti Posuit.
H. B. S. IV. Hic Bona Sita Invenies. *Manutius.*
H. B. V. P. Hereditatis Bonorum Ve Possessio. *Magno.*
Heres Bonorum Ve Possessor. *Probus Ernstii. Diaconus. Gratiosus. Manutius.*
H. C. Heredem Cognitorem. Heredem Cognovit. Heredes Curaverunt. *Manutius.* De Herede Cognitore videatur *Calvinus in Lexico Juridico*, & post eum *Ernstius ad caput* 8. *Notar. Prob.*
Hic Conditur. In sepulcralibus.
Hispania Citerior. Hispaniæ Citerioris.
Hoc Curavit.
HC. Hoc. *Papias.*
Hunc. *Diaconus. Ms: Rhodii. Papias. Sarainas. Manutius.*
HC. Hac. *Papias.*
Hunc. *Probus Ernstii.*
HC. AM. N. Hunc Amicum Nostrum. *Probus Ernstii. Diaconus. Papias. Manutius.*
H. C. CV. Hic Condi Curavit. In sepulcralibus.
H. C. D. D. Huic Collegio Dedicaverunt. *Scaliger.*
H. C. E. Hic Condita Est. *Probus. Ernstii. vel* Hic Conditus Est. In sepulcralibus.
H. C. I. R. Honore Contentus Impensam Remisit. *Brissonius.*
HC. L. Hunc Locum. *Diaconus. Papias. Manutius.*
HC. LOR. Hunc Lectorem. *Probus Ernstii.* Cui difficulter assentior.

HC. LR. Hunc Lectorem. *Papias.*
HC. LRE. Hunc Lectorem. *Manutius.*
HC. L. RO. Hic Locus Romanus. *Manutius.*
Hunc Locum Romanorum. *Diaconus. Manutius.*
HC. L. S. P. S. Hunc Locum Sacrum Pontifices Statuere. *Gratiosus.*
Hunc Locum Sepulturæ Posuit Sibi. Hunc Locum Sibi Posuit Sepulturæ. In sepulcralibus.
H. COG. Heredem Cognitorem. Heredem Cognovit. *Diaconus. Manutius*
HC V. Hæc Vovit. *Gratiosus.*
Hic Voluit.
Hunc Virum. *Diaconus. Gratiosus. Manutius.*
HC. V. Hunc Virum. *Probus Ernstii.*
H. D. Hæc Dos. Heredibus Dicavit. *Manutius.*
Hereditas Divisa. *Magno.*
Hic Dedit. *Manutius.*
Hic Dedicamini. *Sarainas.*
Hic Dedicavit. *Probus. Ms: Zabarella. Papias. Appianus. Lazius. Manutius.*
Hic Dicavit. Hic Donavit. *Probus. Manutius.*
Hic Dies. *Manutius.*
His Diebus. *Papias.*
Hoc Dedit. Hoc Dicavit. Hoc Donavit. Hoc Die. Homo Devotus. *Manutius.*
Hygiæ Donum. *Jacobus Philippus Tomasinus de Donariis seu Tabellis votivis.* Hygiam Æsculapii filiam finxerunt antiqui. Hæc *Plinio* teste *Hist. Nat. lib.* 31. *c.* 8. eadem ac Salus; cujus, cum patris statua, in æde Concordiæ, Romæ, Nicerati sculptoris opus conspiciebatur.
H. D. Hic Dedicavit. *Magno.*
H. D. A. V. I. C. D. E. Hoc Die Ara Victoriæ In Curia Dedicata Est. *Diaconus. Manutius.*
H. D. D. Heredes Dono Dedere. Hoc Dono Datum. *Manutius.*
Honori Domus Divinæ. In Votivis, seu honoris gratia dicatis. Divina Domus Imperialis fuit: postquam enim divinos honores Imperatores adepti fuerant, Divinæ Domus & Constitutiones Cæsarum appellabantur.
H. DD. Hic Dedicant. *Probus. Diaconus. Ms: Zabarella. Manutius.*
Hic Dedicarunt. *Manutius.*
Hic Dedicaverunt. *Probus. Ms: Zabarella & Rhodii. Appianus. Lazius. Manutius.*
Hic Dedicavit. *Probus. Diaconus. Manutius.*
Hic Dedicatum. *Manutius.*
Hoc Dono Datum. *Diaconus. Manutius.*
H. DD. E. M. N. Hoc Dedicatum Est Mortuis Nostris. *Gratiosus.*
HDI Heredi. *Papias.*
H. D. M. Hæc Domus Martis. *Manutius.*
Hæc Domus Mortis. *Probus Ernstii. Diaconus. Manutius.* Domus Mortis, idest, Sepulcrum, ait *Ernstius ad cap.* 8. *Notar. Prob.* quæ & *Domus Defunctorum* dicta a Jurisconsultis *l.* 4. *Cod. de sepulcr. violat.* & *Ædificium Manium l.* 4. *Cod. Theod. eod. Titul.*
Heres Dedit Monumentum.
Hoc Dari Mandavit. *Manutius.*
HDNS. Hadrianus. *Magno.*
HDR. Hadrianus. *Probus Ernstii. Trebellius. Manutius.*
H. D. S. Heredibus Dicavit Sepulcrum. Hoc Dicavit Sepulcrum. *Trimagius.*
Heres De Suo. Hic De Suo, *vel* Hoc.
HE. Heredibus. *Sarainas. Manutius.* Unde. *Ms: Rhodii. Sarainas.* Dummodo explicatio constet.
H. E. D. Hic Est Depositus. *Probus Ernstii.*
HE. M. Heredem Meum. *Manutius.*
HE. M. F. S. P. Heredem Meum Filium Statuo Publium. *Gratiosus.*

Heres Monnmentum Fieri Procuravit. Heres Monumentum Fecit Sua Pecunia.

HEM. M. Heredem Meum. *Diaconus. Manutius.*

H.E.M. TBNR. Hæc Est Memoria Tribunorem. *Diaconus. Manutius.*

HE. M. TBNR. Heic Memoria Tribunorum. *Probus Ernstii.*

H.E.P. Heredes Ejus Posuerunt. *Manutius.*

Hic Est Positus.

HE. Q. M. Heredem Que Meum. *Probus.*

HER. Herede. *Manutius.*

Herede. *Gratiosus.*

Hereditas. Heres. *Sarainas.*

Herennius. *Angelonus.*

HERC. AVG. Herculi Augusto.

HERC. CO. Herculi Conditori. In numis Pertinacis.

HERC. GAD. Herculi Gaditano. In Hadriani numis.

HERC. ROM. COND. Herculi Romæ Conditori. In numis Commodi, qui sic ex adulatione appellatus. *Herodianus: Eo Vecordia, petulantiaque processit, ut paternum primo cognomen repudiaret, ac pro Commodo, Marci filio, Herculem se Jovis filium jusserit appellari, depositoque Principum Romanorum cultu, Leonis pellem substerneret, manuque clavam gestaret, simul purpureas sibi atque auro intextas vestes circumdaret, non sine omnium irrisione: quippe eodem habitu, & feminarum luxum, & heroum virtutem repræsentabat.*

HERC. SACR. Herculi Sacrum. In Votivis.

HERCVL. ROM. AVG. Herculi Romano Augusto. In Commodi numis.

HERED. B. M. F. CV. Heredes Benemerenti Faciendum Curaverunt. In Hereditariis sepulcris sæpissime, una cum sequentibus.

HERED. EX. T. F. C. Heredes Ex Testamento Fieri Curaverunt. *Scaliger.*

HER. EX. HS XI. Heres Ex Sestertiis Undecim.

HER. F. Heredem Fecit. *Magno.*

HER. FAC. CVR. Heredes Faciundum Curavere. Heres Faciundum Curavit.

HER. FEC. Heres Fecit. Omnia supra scripta in sepulcralibus frequentissime.

HERM. Hermes. *Manutius.*

Hermonius. *Sarainas. Manutius.*

HERR. Heredes.

HER. S. Herculi Sacrum. *Sarainas. Manutius.* In Votivis.

Herculis Sacrum. *Diaconus. Manutius.*

Heres Sacra. *Sarainas. Manutius.*

H. E. S. Hic Est Sepultus. Hic Est Situs. Ut plurimum in sepulcralibus Saxis.

H. E. S. S. T. T. L. Hic Est Sepultus Sit Tibi Terra Levis.

HES. PRC. Heredes Principis. *Manutius.*

H. E. T. F. C. Heres Ex Testamento Fieri Curaverunt. *Sarainas.* Sepulcralium lapidum notæ frequentissimæ, hereditariorum præsertim, una cum sequenti formula.

H. E. T. F. I. Heredem Ex Testamento Fieri Jussit. Hoc Ex Testamento Fieri Instituit. Hic ex Testamento Fieri Jussit.

H. ET. L. Heredes Et Liberti. *Scaliger.* In hereditariis & familiaribus monumentis.

HETR. Hetruscus. *Angelonus.* In numis Decii Imperatoris.

H. E. V. Heredem Esse Voluit. *Magno.*

H. EX. T. Heres Ex Testamento. Hoc Ex Testamento. In sepulcralibus, cum sequentibus.

H. EX. T. E. Heres Ex Testamento Erexit.

H. EX. T. EST. Heres Ex Testamento Est. *Probus Ernstii.*

H. F. Heredes Fecerunt. *Probus. Brissonius.*

Heres Fecit. *Brissonius. Manutius.*

Hic Faciundum.

Hic Fecit. *Manutius.*

Hic Fundat. *Probus. Manutius.*

Hic Fundavit. *Probus. Gratiosus.* & ceteri.

Hodie Fecit. Honesta Filia. *Manutius.*

Honesta Femina. *Probus. Ms: Zabarella. Magno.* & fere omnes.

Honesta Filia. *Manutius.*

Honesta Fortuna. *Probus. Manutius.*

Honesta Frons. Honeste Fecit. Honestus Filius. Honestus Frater. Honestus Fur. *Manutius.*

H. F. Hic Fundavit. *Magno.*

H. F. C. Heredes Fieri Curaverunt. Passim in sepulcris hereditariis.

Heres Faciundum Curavit. *Brissonius.*

Hoc Fraude Creditoris. *Manutius.*

H. FF. Hic Fabricaverunt. Hic Fundaverunt. *Sarainas. Manutius.*

H. F. H. F. S. M. Honesta Femina Hic Fundavit Sacellum Marito. *Gratiosus.*

Honesta Femina Hoc Fecit Sibi Monumentum.

H. F. H. N. M. Heredes Fecerunt Hoc Nomini Mortui. *Manutius.*

Heredes Fecerunt Hoc Nostrum Monumentum. Verum, quia de mea sententia ambigo, Saxum ecce *pag.* 949. 8. cum notis istis, ut peritiores decernant:

D. M
L. PACCIO RHODONI
PACCIA. TYCHE. LIB
PATRONO. BENEMERENTI
ET
TROPHIMO. VERNAE. SVO
ET. LIBERTIS. LIBERTABVSQVE
NOSTRIS. POSTERISQ
EORVM
H. F. H. N. M

Nisi potius sit legendum: *Hoc Factum Nostrum Monumentum.*

H. F. Honesta Femina. *Ms: Rhodii.*

H. F. S. C. A. Hanc Fieri Sibi Curavit Aram. In sepulcralibus aliquando.

Heredes Fecerunt Sumptu Communi Aram. *Scaliger.*

H. G. Hæc Gens. *Manutius.*

H. H. Hæc Hora. Heredes Honesti. Hic Hodie. *Manutius.*

Honestus. Homo. *Sarainas.*

HH. Heredes. *Papias.*

Heredibus. *Sarainas. Manutius.*

HH. Heredis. *Diaconus. Magno. Manutius.*

H. HA. P. Hic Habet Pecuniam. *Diaconus. Manutius.*

H. H. A. P. S. Hic Habuit Actionem Populi Sui. *Gratiosus*

Hic Habuit Actionem Ponendi Sepulcrum.

H. HB. Hanc Habet. *Gratiosus.*

H. H. B. M. F. Heredes Benemerenti Fecerunt.

H. H. E. B. M. F. Heredes Ejus Benemerenti Fecerunt. Hoc Heredes Ejus Benemerenti Fecerunt. In mortuorum cippis,

H HER. Honesti Heredes, *Manutius.*

H. H. F. M. F. D. Heredes Facultatum Mearum Filios Dico. *Gratiosus.*

Heredes Filios Meos Facere Damno. In sepulcralibus, in quibus legata sculpta leguntur.

H. H.

H. H. M. S. Heredes Hoc Monumentum Sequitur; *vel* Sequuntur. In sepulcris hereditariis.
H. HO. Homo Honestus. *Manutius.*
H. HON. Homo Honestus. *Diaconus. Manutius.*
H. H. P. Heres Hic Posuit.
Hic Habet Pecuniam. *Probus Ernstii. Gratiosus.*
H. H. P. P. Hispaniarum Provinciarum. *Scaliger.* Quod de duabus accipiendum notat.
H. H. S. S. Heredes Hoc Sepulcrum Sequentur. *Manutius.*
Heredes Sequuntur. Posse legi etiam singulas istas credo, ut ex Saxo *pag.* 833 10.

TERTIAE VXORI
OPTVMAE. ONESI
MVS. Ξ T PRINCEPS
FECERVNT. H. H. S. S.

H. I. Herele Juravit. *Probus. Ms: Zabarella. Manutius.*
Hereditario Jure. *Probus. Diaconus*, & alii omnes.
Heres Juravit. *Appianus. Lazius.*
Hic Jacet. Quod frequentissime in sepulcralibus.
Hoc Invenies. *Papias.*
Homo Justus. Hostis Injustus. *Manutius.*
HI. Hibi. *Sarainas.* Dummodo constet.
Hujus. *Manutius.*
H. Γ. Hic Invenies. *Probus Ernstii. Diaconus. Manutius.*
H̄ I. Hereditario Jure. *Magno.*
HIC. ADQ. Hic Adquiescit. Aliquando in sepulcralibus.
HIC. IN. EDEF. RGL. Hic Invenies Ædificium Regale. *Probus Ernstii.*
HIC. IN. AEDF. REGL. Hic Invenies Ædificium Regale. *Diaconus. Manutius.*
HIC. LOC. HER. N. S. Hic Locus Heredem Non Sequitur. *Manutius.*
HIC. LOC. HER. NON. SEQ. Hic Locus Heredes Non Sequitur. *Probus. Manutius.* In sepulcralibus frequentissime, ac in eis sepulcris præcipue, quorum usus ad heredes non dimanabat.
HIEROF. HEC. Hierofanta Hecates. Pontifex Hecates erat. Pontifices namque Græce Hierofantas dictos cum *Dionysio Halicarnasseo* observo, qui de Pontificis institutione differens *lib.* 2. *Antiq. Roman.* hæc prodit: *Hos igitur sacerdotes, sive quis vocaverit ἱεροδιδασκάλους, sive ἱερονόμους, sive ἱεροφύλακας, sive, ut nos censemus, ἱεροφάντας, a veritate non aberrabit.*
H. I. HI. Hereditariu Jure Hujus. *Sarainas.*
H. I. I. Heredes Jussu Illorum. *Scaliger.*
H. II. Hora Secunda. *Lazius.*
HILAR. AVG. Hilaritas Augusti. In nummis Commodi.
HILAR. P. R. Hilaritas Populi Romani. In nummis Adriani.
HILAR. TEMP. Hilaritas Temporum. In nummis Didiæ Claræ.
HIL. SER. CVR. Hilarus Servus Curavit. *seu* Hilarius.
HISP. V. Hispaniam Vicit. *Manutius.*
H. IVS. Heres Institutus. *Magno.*
H. Io. Hereditatis Institutio. *Papias.*
H. VIRO. Duum Viro. Ut in hoc Saxo *pag.* 345. 6.

P. AELIO. P. F. FABIANO
PATRI. AED. II. VIRO
PRAEFEC. C. CAESARIS
PRAEF. ITERVM. PONT
SACRORVM. FLAMENI
DIVI. AVGVSTI.

A H. K. N. Have Carissime Nobis. *Cujacius* & *Brissonius*; qui 3. *de Formul.* observat, Principum Constitutiones & Rescripta quandoque hac dicendi formula in fronte signata. Ita *l.* 2. *Tit.* 1. *Cod. Theod. de Offic. Rect. Provinc.* habet *Have Antemi Carissime Nobis.* prout & *l.* 6. *Tit.* 35. *ejusd. Cod. de Privil. eor. qui in Sacr. Palat. Milit.* ad eundem hoc idem habet, ne huc referam Constitutiones omnes hac formula notatas, quæ sparsim in toto Theodosiano Codice prostant.
H. L. Hac Lege. *Manutius.*
Hic Locus. *Probus. Ms: Zabarella. Sarainas. Manutius.*
B Hoc Legavit. Hoc Loco.
Honesto Loco. *Probus. Ms: Rhodii. Papias. Lazius. Manutius.*
Honesto Locus. *Sarainas.* Si constet.
Hunc Locum. *Manutius.*
H. L̄. Honesto Loco. *Magno.*
H. L. D. Heres Libens Dedit.
Hic Locum Dedit. *Appianus. Lazius.*
Hoc Libens Dedit, *vel* Dedicavit.
Huic Locum Dedit. *Appianus. Lazius.*
Hunc Locum Dabit. *Probus. Manutius.*
Hunc Locum Dedit. *Probus. Ms: Zabarella.*
C *Sarainas. Manutius.*
Hunc Locum Donabit. *Manutius.*
Hunc Locum Donavit. *Probus.*
H. L. ET. M. H. N. S. Hic Locus Et Monumentum Heredes Non Sequitur. *Servius.* In sepulcralibus non hereditariis.
H. L. F. S. F. S. Hunc Locum Fecere Sacerdotes Filiis Suis. *Gratiosus.*
Hunc Locum Fecit Sibi Filiis Suis. Hunc Locum Fieri Sibi Fecit Sepulturæ.
H. L. H. N. S. Hic Locus Heredes Non Sequitur. *Probus. Appianus. Lazius. Manutius.* Adquæ,
D apud *Appianum*, lego: *Nota, quod heredes non sequebantur Monumentum, sed Monumentum Heredes.*
H. L. H. N. T. Hunc Locum Heredes Non Transcendunt. *Sarainas. Manutius.*
Hunc Locum Heredes Non Teneant.
H. L. M. Hic Locus Monumenti. *Sarainas. Manutius.*
Hoc Libens Mandavit.
H. L. N. Honesto Loco Natus. *Probus. Diaconus*, cum ceteris.
H. L̄. N. Honesto Loco Natus. *Magno.*
H. LOC HER. NON. SEQ. Hic Locus Heredes Non Sequitur. *Ms: Zabarella.*
H. L. R. Hac Lege Rogatum.
E Hanc Legem Rogatam. *Scaliger.*
HS. Sestertius Nummus. *Scaliger.*
H. L. S H. N. S. Hunc Locum Scripti Heredes Non Sequuntur, *vel* Hunc Locum Sepulturæ. *Scaliger.*
Hunc Locum Sui Heredes Non Sequantur. *Bartholomæus Burchelatus in Sermonibus Epitaphiorum, & in Commentariis Historiæ Tarvisinæ.*
H. M. Hoc Mandavit. *Manutius.* } In sepul-
Hoc Monumentum. *Pierius. Manutius.* } cralibus.
F Honesta Mulier. *Probus. Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius.*
Honesta Missione. *Manutius.* In militaribus.
Honestæ Mulieris.
Hora Mala. *Probus. Diaconus*, cum reliquis.
Hora Mortis. *Diaconus. Manutius.*
H. M. Mulier. *Probus. Appianus. Lazius. Manutius.*
HM. Hymnus. *Passeratius. Laurentius.*
H. M. Honesta Mulier. Hora Mala. *Manutius.*
H. M. AD. H. N. T. Hoc Monumentum Ad Heredes

redes Non Transit. *Appianus. Lazius.* In sepulcralibus saxis, in quibus heredes omnes a sepulcro arcebantur.

H. M. AD. H. N. TRAN. Hoc Monumentum Ad Heredes Non Transit. *Probus. Ms: Zabarella. Manutius.*

H.M.D.A. Hoc Mandavit Dari Augustus. *Diaconus. Manutius.*

Huic Monumento Dolus Abest. *Scaliger.*

Huic Monumento Dolus Abesto. In sepulcralibus saxis, quæ dolum a monumentis abfuisse mo-nebant.

B

H. M. D. M. A. Huic Monumento Dolus Malus Abest. *Scaliger.*

Huic Monumento Dolus Malus Abesto. *Probus. Lazius. Brissonius. Gutherius.*

H.M.D.M. AB. Huic Monumento Dolus Malus Abesto. *Probus. Ms: Zabarella. Manutius.*

H. M. D. M. A. E. Huic Monumento Dolus Malus Absens Esto. *Scaliger.*

H. M. D. M H. Huic Monumento Dolus Malus Abesto. H pro A accepta, ut in Saxo *pag.* 814. 2.

D. M
L. PACCIVS. ATHENIO
ET. VLPIA. ARETHVSA. SE VIVI
CONPARAVERVN. SIBI. ET. SVIS
LIBERTIS. LIBERTABVSQVE
POSTERISQVE. EORVM
H. M. D. M. H

C

Dummodo fabrile, vel typographicum, in saxo mendum non sit.

H. M. E. Hic Monumentum Elegit. Hoc Monumentum Erexit.

Homini Memoriæ Egregiæ. *Scaliger.*

D

H. M E H. I. N. S Hoc Monumentum Ejus Heres Institutus Non Sequitur. In sepulcralibus.

H. M. E. H. N. R. Hoc Monumentum Exterum Heredem Non Recipit. *Brissonius.* in eis monumentis, a quibus extraneis tantummodo arcebantur heredes.

H. M. E. H. N. S. Hoc Monumentum Exterum Heredem Non Sequitur. *Brissonius.*

H. M. E. HS. ⅃. ⅃. ⅃. M. N. Hoc Monumentum Erexit Sestertiorum Vigintiquinque Mille Nummum. *Augustinus.*

H. M. E. N. R. Hoc Monumentum Est Nepos Regis. *Manutius.*

E

Hoc Monumentum Exterum Non Recipit.

Hora Mala Eorum Nuptiæ Relatæ. *Manutius.*

H. M. ET. LOCIS. S. S. D. M. A. Huic Monumento Et Locis Suprascriptis. Dolus Malus Abesto. *Manutius.*

H. M. ET. L. S. H. N. S. Hoc Monumentum Et Locum Sepulturæ Heredes Non Sequuntur. *Probus Erustii.*

H. M. ET. L. S. S. H. N. S. Hoc Monumentum Et Locum Sacrum Sui Heredes Ne Sequantur. Hoc Monumentum Et Locum Sepulcri Sui Heredes Ne Sequantur. *Vel* Hoc Monumentum Et Legem Sepulcri, *aut* Hoc Monumentum Et Libertatem Sepulcri, &c. *Trinagius.*

F

H. M. EX. NON. RECEP. }
H. M. EXT. N. REC. } Hoc Monumentum Exteros Non Recipit. In sepulcris familiaribus.

H. M. EX. T. H. N. S. Hoc Monumentum Ex Testamento Heredem Non Sequitur. *Manutius.*

H. M. EXT. N. R. Hoc Monumentum Exteros Non Recipit. *Scaliger.*

A

H. M. EXT. N. REC. Hoc Monumentum Exteros Non Recipit. *Diaconus. Manutius.*

H. M. EXTR. H. N. SEQ. Hoc Monumentum Extraneos Heredes Non Sequitur.

H. M. F. Heres Monumentum Fecit. *Manutius.*

H. M. G. N. S. Hoc Monumentum Gentiles Non Sequitur. *Scaliger.* Gentiles hic accipendos puto ex eodem genere prognatos. Notæ quandoque in sepulcralibus occurrunt.

HM. H. Homines Honesti *Papias.*

H. M. H. Hic Monumentum Habet.

H. M. H. E. N. S. Hoc Monumentum Heredes Ejus Non Sequitur. *Ms: Zabarella.*

Hoc Monumentum Heredes Ejus Non Sequuntur. *Probus. Appianus. Lazius. Manutius.*

Hoc Monumentum Heredes Exteri Non Sequuntur. *Manutius.*

Hoc Monumentum Heredes Exteros Non Sequitur. *Scaliger.*

Hoc Monumentum Heredem Extraneum Non Sequetur. Quod & expressum in lapidibus mortuorum occurrit, ut in illo *pag.* 998. 5.

H. M. HER. S. Hoc Monumentum Heredes Sequitur. In hereditariis sepulcris.

H. M. H. EX. T. N. S. Hoc Monumentum Heredes Ex Testamento Non Sequitur. *Probus.*

H. M. H. N. V. Hoc Monumentum Heredes Non Accipit. Dummodo admittatur mea, ad hasce notas, conjectura in saxo *pag.* 999. 4.

T. VALERIVS. T L
PAMPHILVS
SIBI ET SVIS
IN. FRON. P. XIII. IN. AG. P. XIII
H. M. H. N. V.

H. M. H. N. S. Heres Monumentum Hoc Non Sequitur. *Landus.*

Hoc Monumentum Heres Non Sequitur. *Probus. Ms: Zabarella. Scaliger. Manutius.* Vulgatissima monumentorum, heredes excludentium, formula; ubi observatione dignum censeo, quod Monumenta aliquando sequebantur. vel non sequebantur heredem, aliquando heres sequebatur, vel non sequebatur monumentum.

Hoc Monumentum Heredes Non Sequitur. *Lazius. Brissonius. Simeonius. Servius. Angelonus.*

Hoc Monumentum Heredes Ne Sequantur. *Trinagius.*

Hoc Monumentum Heredes Non Sequuntur. *Diaconus. Saraina. Lazius. Manutius. Burchiellatus.*

H. M. H. N. S. E. Hoc Monumentum Heredes Non Sequitur Exteros. Si modo ad rem hujusce Saxi *pag.* 818. 5. notas explico.

M. POPILIO. EPINICO. V. A. XLV
ROSCIA. ELATE. CONIVGI. CA
RISSIMO. ET. ROSCIVS. TROPHI
MVS. AMICO. BENEMERENTI
FECER
ET. SIBI. ET. SVIS. L. L. P. E
H. M. H. N. S. E

H. M. H. N. S. N. H. H. Hoc Monumentum Heredes Non Sequitur, Neque Heredes Heredum. Lego in Saxo, quod hic exhibeo pro meliori sententia. habetur *pag.* 813. 5.

ONTALIA
NASSIS. SIBI. ET
GRATAE. POMPEIAE. L
CONIVGI
ANDRECCONI. MATRI
FRONTACCO. F. PROCVLAE. F
H. M. H. N. S. N. H. H.

H.M.H.

H.M.H.N.S.N.EX. Hoc Monumentum Heredes non Sequuntur Neque Extranei. *Gratiofus.*
Hoc Monumentum Heredes Nostri Sequuntur Non Exteri.

H.M.H.S. Hoc Monumentum Heredes Sequetur. *Manutius.*
Hoc Monumentum Heredes Sequitur. *Probus. Scaliger. Gutherius.*
Hoc Monumentum Heredes Sequuntur. *Manutius.* Quae tamen, non tantum monumentis hereditariis Antiquorum insculpebantur, sed aliquando etiam in nostris, ut deprehenditur in *Memorabilibus Hist. Tarvisina*, *Burchelato* auctore:

Astrorum Cursu medica Clarissimus arte
Hic Zan Franciscus gloria prima domus.

H. M. H. S

H. M. IN. F. P. X. IN. A. P. X. Habet Monumentum In Fronte Pedes Decem In Agro Pedes Decem. Ut scilicet agnosceretur, quantus locus esset sepulturae destinatus; qui proinde religiosus. Hanc notarum formulam in sepulcralibus lapidibus *legem monumentorum* denominat *Brissonius de Formul. lib.* 7. in hanc sententiam: *Caeterum Monumentis sua quoque leges dicta, titulisque inscribis consueverant. Primum enim, ne religio totum solum occuparet, in quo monumentum adificatum erat, definiri solebat modus, spatiumque loci religiosi, ut scretur, quid puri loci relinqueretur. Ejus res ergo scribebant: In Fronte pedes tot. In Agro pedes tot.* In monumentis, hac formula nulla frequentior, quae frontem, & agrum monumenti designabat. Ideo Vetus *Horatii* Interpres ad illa Carmina *Sat.* 8. *lib.* 1. *Sermon.*

Mille pedes in fronte, trecentos cippus in agrum
Hic dabat, Heredes Monumentum ne sequeretur.

adnotavit: *In fronte, in latitudine; in agrum, in longitudinem. solebat autem privatis monumentis praponi cippus, eique inscribi: Hoc Monumentum Heredes non sequitur. vel hi Characteres: H. M. H. N. S. notati in cippo, lapide in agro erecto, in quo voluntas testatoris, & ea esset incisa, qua agri modum & fines ex utroque spatio designabat.*

H. M. M. Hic Memoria Mirabilis. *Diaconus. Manutius.*

H.M.M.H.M.N.S.F. Humanitatis Male Merens Hoc Monumentum Nomine Suo Fecit. *Scaliger.*

H.M.P. Hanc Memoriam Posuit. *Manutius.*
Hic Memoriae Posuit. *Probus. Ms: Zabarella. Appianus. Lazius. Manutius.*
Hic Monumentum Posuit.
Hoc Memoriae Posuit. *Manutius.*
Hoc Monumentum Posuit. *Probus. Appianus. Lazius. Manutius. Scaliger.*

H. M. P. CO. E. F. Hoc Monumentum Posuit Conjugi Et Filiis. *Gratiofus.*

H. M. P. P. Hanc Memoriam Posuere. Hoc Monumentum Posuere. Hoc Monumentum Publice Posuere.

H.M.P.P.S. Hoc Monumentum Posuere Sibi, *vel* Publice Posuere Sibi. Ita, si recte, hasce notas lego in saxo isto *pag.* 858. 7.

C. AQVINIVS. CRESCENS
ET. FVRIA. EPICTESIS. FECE
RVNT. SIBI. ET. LIBERTIS. LI
BERTABVSQVE. POSTERISQVE.
EORVM. H. M. P. P. S.

HMS. Humilis. *Ms: Rhodii. Saraina. Manutius.*

H.M.S.M. Hic Mater Sua Mortua. *Diaconus. Saraina. Manutius.*
Hic Monumentum Sibi Mandavit. Si de loco monumenti intelligatur.
Hoc Mandavit Sibi Mater. *Manutius.*
Hoc Mandavit Sibi Monumentum. Si de forma Monumenti accipiatur.
Hora Mala Sumpsit Moram. *Diaconus. Saraina. Manutius.*

H.M.SM. Hic Matres Summae. *Probus Ernstii.*

H. M. S. S. E. H. N. S. Hoc Monumentum Sententia Senatus Exterum Heredem Non Sequitur. *Manutius.*
Hoc Monumentum Sive Sepulcrum Exteros Heredes Non Sequitur. *Brissonius. Scaliger.*

H.M.S.S.E.N.S. Hoc Monumentum Seu Sepulcrum Exterum Non Sequitur. *Gualtherus.* In sepulcralibus cum omnibus subsequentibus.

H.M.S.S.H.H.EX.N.S. Hoc Monumentum Sententia Senatus Heredes Exteros Non Sequitur. *Manutius.*
Hoc Monumentum Sive Sepulcrum Heredes Exteros Non Sequitur.

H. M. SS. HH. EX. N. S. Hoc Monumentum Suprascriptorum Heredum Exteros Non Sequitur. Si modo recta sit explicatio harum notarum in saxo *pag.* 357. 3.

D. M

M. ANTONIVS. IANVARIVS
HONORATVS. AVGVSTALIS
MISENIS. VIX. ANN. L
TESTAMENTO. PONI. IVSSIT
M. ANTONIVS. ALEXANDER
PATRONO. INDVLG. CONSVMANDVM
CVR. LIB. LIBERTAB. Q. E
H. M. SS. HH. EX. N. S

H. L. T. P. PIIS. Hoc Matri Titulum Posuit Pissimae. *Gratiofus.*

H. M. V. Hic Monumentum Voluit. Hoc Mandavit Vivens.
Honestae Memoriae Vir. *Magno.*

H. M. V. S. P. Hoc Mandavit Vivens Sua Pecunia.
Hoc Monumentum Vivens Sibi Posuit. *Saraina. Manutius.*
Hoc Monumentum Vivi Sibi Posuerunt. *Probus Ernstii.*
Hoc Monumentum Vivus Sibi Posuit. *Manutius.*

H. M. VV. FECIT. Hoc Monumentum Universis Fecit. Quod legendum opinor in Saxo praegrandi exhibito *pag.* 533. 2.

HNR. Honorius. *Papias.*

H. N. D. M. A. Heredi Non Datur Monumenti Actio.

H. N. S. Heres Non Sequitur. Frequentissima in sepulcralibus Formula heredes ab eis excludens.

H.N.S.N.L.S. Heredem Non Sequitur Noster Locus Sepulturae. Heredes Non Sequitur Nec Libertos Suos. In sepulcralibus.

H.O. Hoste Occiso. Hostem Occidit. In militaribus.

HO. Homo. *Probus. Papias. Saraina. Manutius.*
Honestus *Probus.*
Honor. *Papias.*
Hora. *Gratiofus.* Quod vulgatius in Monumentis illis,

tis illis, in quibus ultra annos, menses & dies, hora etiam vitæ notabatur.

Ꝑ. Honor. *Ms: Rhodii. Magno.*

HOC. M. H. N. F. P. Hoc Monumentum Heredes Nobis Fecerunt Ponere. In sepulcralibus, cum infrascriptis omnibus, usque ad notas HOH.

HOC. M. H. ꝑ. F. P. Hoc Monumentum Habet In Fronte Pedes. *Scaliger.*

HOC. M. H. NON. SEQ. Hoc Monumentum Heredes Non Sequetur. *Manutius.*

Hoc Monumentum Heredes Non Sequentur. *Diaconus.*

Hoc Monumentum Heredes Non Sequitur; *vel* Non Sequuntur.

HOC. SAX. SVB. ASC. DED. EST. Hoc Saxum Sub Ascia Dedicatum Est. In sepulcralibus.

HO. H. Homo Honestus. *Ms: Zabarella, Papias. Manutius.*

HO. H̄. Homo Honestus. *Diaconus.*

H. O. I. Honesto Optimo Jovi. *Sarainas. Manutius.*

Ꝑ M. Hora Mala. *Ms: Rhodii.*

HOM. OPT. Homo Optimus.

HON. Honestus. *Appianus. Lazius.*

Honore. *Manutius.*

HON. EQVO. PVBL. Honoratus Equo Publico. In militaribus & colonicis saxis.

HON. NOB PR. Honorio Nobilissimo Principe. *Comes Jacobus Zabarella, In Arruntiis Italia editis.*

HONO. Honorem.

HONOR. Honorius. *Magno.*

HON. VSVS. Honore Usus. *Scaliger.* In saxis honorificis.

HOR. Horatia Tribus sc. *Brissonius.* Horatiæ Tribus nullum antiquorum auctorum meminisse, licet eam multa antiqua saxa prodant, ait *Panvinius Descript. Civit. Roman. lib.* 2. Antiquam tamen putat; quia cum nomen deprompsisset a gente Horatia, ejus memoriam circa quadringentesimum Urbis annum desiisse affirmat, ipsique locum, in ordine Tribuum, decimum septimum assignat.

HOR. NOC. IX. Hora Noctis Nona.

HOR. NVL. Horas Nullas.

HOROLOGIAR. Horologiarium. Turrim, vel quodlibet eminens cum Horologio Horologiarium dici credo. Horologiarii mentio est in Inscriptionibus a *Grutero* collectis *pag.* 6. 6.

HOR. VI. Hora Sexta. *Probus. Appianus. Lazius. Manutius.*

Horis Sex. *Probus. Ms: Zabarella. Manutius.*

HOS. Hospes. *Probus. Manutius.*

Hostis. *Probus. Ms: Zabarella. Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius.*

HO S. Hora Secunda. *Probus Ernstii.*

HOSS. Hostes. *Appianus. Lazius.*

H. O. S. Hic Hora Secunda. *Diaconus. Manutius.*

Hic Ordinavit Sepulcrum. *vel* Hoc.

Hic Ossa Sita. Hic Ossa Sua. *Manutius.*

HO V. Horis Quinque. Hora Quinta.

Hunc Virum. *Papias.* Si constet.

H. P. Hasta Posita. *Probus Ernstii.* Hasta ponebatur, ait *Ernstius ad caput* 8. *Notar. Prob.* ubi venditiones sub hasta fiebant.

Hasta Pura. Hastis Puris. In Militaribus. Hasta pura donabantur milites.

Hereditatis Possessio. *Magno.*

Hic Ponit. *Manutius.*

Hic Positus.

Hic Possint. *Probus.*

Hic Posiunt. *Probus. Appianus. Manutius.*

Hic Posuit. *Probus. Ms: Zabarella. Sarainas. Appianus, Lazius. Manutius.*

Honesta Persona. *Probus. Diaconus,* & reliqui omnes

Honesta Puella. *Diaconus. Manutius.*

Honestus Puer. *Magno.*

Hora Pessima. *Probus. Ms: Zabarella & Rhodii. Magno.* & ceteri.

Hora Prima. *Sarainas.*

H. P9. Hic Posuit. *Magno.*

H. P. C. Heres Ponendum Curavit. *vel* Hic. Honor Publicus Curandus. *Manutius.*

H. P. C. ⅃. D. D. D. Heres Ponendum Curavit Locus Datus Decreto Decurionum, *vel* Loco Dato. Locus in Colonia publice datus, dabatur Decreto Decurionum.

H. PI. Hora Pessima. *Manutius.*

H. R. Hic Requiescit. *Ms: Zabarella. Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius.*

Honesta Ratio. *Probus. Ms: Zabarella,* & fere omnes.

HR. Hereditas. *Probus. Manutius.*

Heres. *Probus. Diaconus. Manutius.*

Hora. *Manutius.*

H. RC. Honestæ Recordationis. *Magno.*

H. R. E I. Q. M. E. A. Hanc Rem Ex Jure Quiritum Meam Esse Ajo. In Actionibus antiquorum. Prisca hæc erat vindicationis formula, qua quis rem aliquam sibi vindicabat; de qua re Titulus extat *ff. de Rei Vindicat.*

H. R. I. P. Hic Requiescit In Pace. *Probus. Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius.* Suntque notæ frequentes monumentorum Christianorum.

H. R. I. R. Honore Receptus Impensam Remisit. *Scaliger.* Honore recepto remittebat impendium ille, qui aut statua, aut aliquo alio publico monumento donatus a sua Colonia, tanta existimatione contentus, decreti honoris impensam vetabat.

H. S. Hæc Sic. *Diaconus. Appianus. Lazius.*

Hæc Scit. *Probus. Sarainas. Manutius.*

Hæc Sunt. *Papias.*

Herculi Sacrum. *Probus. Ms: Zabarella. Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius.* In Deorum lapidibus.

Heredem Solvi. *Probus Ernstii.* In edictis perpetuis.

Heredes Socii. Heredes Sui. Heredes Sunt. *Probus. Manutius.*

Heres Scriptus. *Papias.*

Heres Sit. *Manutius.*

Hic Sepultus. *Probus.*

Hic Sit. *Manutius.* Qui notam esse edictorum perpetuorum observat.

Hic Sita. Hic Situs. Passim in sepulcralibus.

Hoc Satis. *Diaconus. Manutius.*

Hoc Sibi.

Hoc Sie. *Manutius.* Eratque ista edictorum perpetuorum nota.

Hoc Sit. *Manutius.*

Hoc Sepulcrum.

Hora Sacra. *Probus. Appianus. Lazius. Manutius.*

Hora Secunda. *Probus. Diaconus. Ms: Zabarella. Appianus. Lazius. Manutius.*

Hostia Sacrilega. *Papias. Diaconus.*

Huic Sepulcro.

H. Ṡ. Hæc Sunt. *Diaconus. Manutius.*

H-S. Sestertium. *Probus. Ms: Zabarella. Appianus. Manutius.*

Sestertius. De varietate Sestertiorum & differentia licet jam dictum; *Budæus* tamen *de Asse & Partib.* & bonarum litterarum splendor ac stupor *Fridericus Gronovius de Sestertio*, de eis fuse agunt, ad quos proinde lubens lectorem remitto.

HS. Sestertium. *Ms: Zabarella.*

H. S. Duo Semis. *Comes Jacobus Zabarella.*

HS;

HS. Habendas. *Sarainas.*

Honestas. *Papias. Mannius.*

Hos. *Probus Ernstus. Diaconus. Papias. Mannius.*

H. S. B. Hic Situs Bonus. *Diaconus. Mannius.*

H-S. CCCC. Sestertia } Sestertiis } Quatuorcentum. Nullam quippe hucusque observavi notam magnum a parvo Sestertio distinguentem.

H-S. ↂ. Sestertiis Decem Mille.

H-S. ↂ ↂ. } H-S. ↂ ↂ } Sestertiis Viginti Mille.

H-S. ↂↂↂ. Sestertiis Triginta Mille.

H-S. ↂↂↂ ↁ ∞ ∞. Sestertiis Triginta Septem Mille. Nam sicut integra nota ↂ decem mille significat, ita dimidiata ↁ quinque mille.

H. S. C. P. S. Hic Sibi Curavit Poni Sepulcrum. Hoc Sepulcrum Condidit Pecunia Sua. Hoc Sibi Condidit Proprio Sumptu.

H. S. DD. Sacrum Dederunt. *Sarainas. Mannius.*

Hoc Sibi Dedit, *vel* Dedicavit.

H. S. E. Hic Sepulta Est.

Hic Sepultus Est. *Diaconus. Gratiosus. Sarainas. Mannius.*

Hic Sita Est. *Scaliger. Gualtherus.* Si in mulierum cippis.

Hic Situs Est. *Probus. Ms: Zabarella.* & reliqui. Si in virorum saxis.

Hic Sors Ejus. *Appianus. Lazius.*

H. S. E. C. C. H. Hic Situs Est Curantibus Heredibus. Hos Sibi Erexit Cum Ceteris Heredibus.

H. SEDEM. S. V. P. Hanc Sedem Sibi Viventes Posuere. Ita enim indicat monumentum sepulcrale in *Gruteriano* opere *pag.* 681. 5.

EVTYCHVS. ET
ENORIA. NATA
H. SEDEM. S. V. P

H. S. EI. F. L. Hoc Sumptu Ejus Fieri Legavit. Hasce notas, quas inexplicatas disertissimus *Scaliger* reliquit, ita explicare audeo, dummodo ad rem. saxum propterea, ut doctiores expendant, hic exhibeo, collectum *pag.* 1107. 9.

T. CVRTIACVS. T. F. LEM
BON. VET. LEG. VIII. C. P. F
. H. S. EI. F. L.

H. S. E. S. T. T. L. Hic Situs Est Sit Tibi Terra Levis. *Scaliger.*

H. S. E. T. F. I. Hic Situs Est Testamento Fieri Jussit. Communissima sepulcralium lapidum formula, qua quis testamento sepulcrum sibi ordinabat.

H. S. E. T. F. I. H. F. C. Hic Situs Est Testamento Fieri Jussit Heredes Faciundum Curavere. Ut ex hoc deprehenditur Saxo habito *pag.* 540. 1.

C. DANNIVS. C. F
VOL. SECVNDVS
VIANNA. MILES. LEG
XIIII. GM. V. A. XXX
STIP. XII H. S. E. T
F. I. H. F. C

interpunctione inter F & I addita, quæ apud *Gruterum* non observatur, prout nec etiam inter C & F. sine qua prorsus inexplicabiles extarent notæ illæ omnes.

H. S. F. Hic Situs Fuit. In sepulcralibus.

Hoc Sacellum Fecit. In Deorum saxis.

Hoc Sepulcrum Fecit. Hoc Sibi Fecit. In sepulcralibus cum infrascriptis.

Hoc Solus Fecit. *Scaliger.*

H. S. F. H. T. F. Hic Situs Fuit Heredes Titulum Fecerunt.

Hoc Sibi Fecit Heredes Titulum Fecerunt. *Scaliger.*

H. S. F. L. S. P. D. D. Hoc Sibi Fecit Locus Sepulturæ Permissus Decreto Decurionum. *Scaliger.*

Hoc Sibi Fieri Locum Sepulturæ Procuravit Decreto Decurionum.

Hic Situs Fuit Locum Sua Pecunia Dedit.

H. S. F. S. T. T. L. Hic Situs Fuit Sit Tibi Terra Levis.

H. S. H. H. N. S. Hoc Sepulcrum Heredes Non Sequitur. Hoc Sepulcrum Heredes Habeant Nomine Suo. Quænam sit, ut prudentes judicent, en Saxum *pag.* 923. 4.

DIS MANIB
VS. SEVERA
MAIVGEN
H. S. H. H. N. S

H. S. H. N. S. Hoc Sepulcrum Heredes Non Sequantur. Hoc Sepulcrum Heredes Non Sequetur. *Mannius.*

Hoc Sepulcrum Heredes Non Sequitur. *Ms: Zabarellæ.*

Hoc Sepulcrum Heredes Non Sequuntur. *Probus. Appianus. Lazius. Mannius.*

H. S. H. N. S. COM. Hoc Sepulcrum Heredes Non Sequitur Communes. Hoc Sepulcrum Heredibus Non sit Commune. Harum, quæ præstet interpretatio, ex monumento videbunt doctiores, quod longissimum occurrit in *Gruteriano* Inscriptionum opere *pag.* 308. 2.

H S. IN. FR. P. Habet Sepulcrum In Fronte Pedes. Ubi mensura sepulcri erat designata.

H-S. ↁ Sestertiis Quinque Mille.

H-S. ↁ ∞ ∞ ∞ CCC. Sestertiis Octomille Trecentis.

H-S. ↁ. Sestertiis Quinquaginta mille.

H-S III. M. N. Sestertium Tria Millia Nummum. *Probus Ernstus. Mannius.* Quod & expressum quandoque occurrit, licet numero diverso, ut habet Saxum *pag.* 608. 4.

H-S. IX. ∞. Sestertiis Novem mille.

H. S. L. Hoc Sibi Legavit. In sepulcralibus.

Hostia Sacræ Legis. *Papias.*

H-S. L. M. N. Sestertium Quinquaginta Millia Nummum. *Lipsius.*

Sestertios Quinquaginta Millia Numero. *Servius.*

H-S. L. M̄. N̄. Sestertia Quinquaginta Millia Nummum.

H S. ꓶ. H. F. C. Hoc Sibi Locum Testamento Fieri Curavit.

H-S. N̄. IIII. Sestertiis Nummum Quatuor, *vel* Numero.

H-S. N̄. ∞ DC. Sestertiis Nummum Mille Sexcentis.

H-S. ⊖⊖⊖ZI. V. Sestertiis Termille Sexcentis Victoriatis. Quod an rationi consonum necne, lapidis fragmentum lector consulat apud *Gruterum pag.* 806. 10. Victoriatus nummus ideo dictus, quia Victoria signatus. *Plinius Hist. Nat. lib.* 33. *Qui nunc Victoriatus appellatur, lege Clodia percussus est. Ante enim hic nummus, ex Illyrico advectus, mercis loco habebatur. Est autem signatus Victoria,*

& inde

& inde nomen. Victoriatus quanti æstimaretur *Macianus I. C. de Asse* docet: *Victoriatus enim nunc tantundem valet, quantum Quinarius olim, ac peregrinus nummus loco mercis, ut nunc Tetradrachmum & Drachma, habebatur. Denarius primo asses decem valebat, unde & nomen traxit. Quinarius dimidium ejus, id est, quinque asses; unde & ipse vocatur. Sestertius duos asses & semissem, quasi semis tertius, Græca figura ἕβδομον ἡμιτάλαντον: nam sex talenta & semitalentum eo verbo significantur. Lex etiam duodecim Tabularum argumento est, in qua duo pedes & semis, sestertius pes vocatur. Nunc Denarius sexdecim, Victoriatus & Quinarius octo, Sestertius quatuor asses valet.*

H.S.P.C.S.N. Sestertios Parvos Centum Semis Numero. Nisi male accipiam hasce notas in monumento *pag.* 110.9.

H.S.P.D.V. Hanc Sedem Posuere Doctissimo Viro. Hoc Sepulcrum Posuit Devotus Vir. *Manutius.*

Hoc Sua Pecunia Dedit Vivens, *vel* Dicavit.

H. SPL. M. AV. Hæc Sepultura Modo Aucta. *Diaconus. Saraînas. Manutius.*

H SP. MIV. Hæc Sepultura Minervæ. *Probus Ernstii.*

H. SS. Hic Suprascriptus.

HSS. Honestas. *Saraînas.*

Honestus. Hostes. *Manutius.*

Hostibus. *Probus Ernstii. Saraînas. Manutius.*

HSS. Honestus. *Manutius.*

Hostes. *Diaconus. Manutius.*

Hostibus. *Manutius.*

HS.S. Hostes Sacrilegi. Hostia Sacrilega. *Manutius.*

H.S.S Hic Sepulti Sunt. *Probus. Ms: Zabarellæ. Saraînas. Appianus Lazius. Manutius.* In sepulcralibus cum subsequentibus.

Hic Siti Sunt. *Scaliger.*

Hoc Sibi Sepulcrum. *Saraînas. Manutius.*

H.S.S.S. Sestertia Suprascripta. Sestertios Suprascriptos.

H S. S. SS. V. T. L. Hic Siti Sunt Sit Vobis Terra Levis. Quæ an recta sit lectio, penes eruditum indagatorem judicium erit ex monumento *pag.* 343. 5.

H S.S S. V. T. L. Hic Siti Sunt Sit Vobis Terra Levis. In saxis indicantibus plurium sepulturam.

H. S. T. N. E. Huic Sepulcro Titulus Non Est. *Scaliger.* In sepulcralibus.

H.S.V.F.M. Hic Sibi Vivens Fieri Mandavit. *Manutius.* Si de loco intelligatur.

Hoc Sibi Vivens Fecit Monumentum. Si de forma monumenti accipiatur.

Hoc Sibi Vivens Fieri Mandavit. *Probus. Diaconus. Ms: Zabarella*, & reliqui.

Hoc Sibi Vivus Fieri Mandavit. *Manutius.*

H.S.V.M.N. Hoc Sibi Vivens Monumentum Nuncupavit. Notæ istæ in magno observantur monumento *pag.* 1088. 4. quod pro recta interpretatione lector expendere poterit.

H. S. V. S. P. Hanc Sedem Vivi Sibi Posuere. *Manutius.*

Hoc Sepulcrum Vivens Sibi Posuit. Hoc Sibi Vivens Sua Pecunia.

H-S $\overline{\text{XMX}}$ N̄. Sestertiis Viginti Mille Nummum Occurrunt quandoque in legatis perpetuis, occasione sepulcri legati, cum subsequentibus.

H-S. XXX. Sestertiis Triginta.

H.S. ∞ ↀ N. Sestertiis Novem Mille Nummum. Nam Millenarii nota ∞ decem mille præmissa, mille illi detrahit.

H-S. ∞ N̄. Sestertiis Mille Nummum. *Pierius.*

H-S. ∞ ∞ ∞ CCCCL. Sestertiis Termille Quatuorcentum Quinquaginta.

IMP. CAES. C. VIB. TREB. Imperator Cæſar Cajus Vibius Trebonianus. Aliquando vocatur in ſuis nummis, Trebonianus Galus, ille, qui poſt Decios, patrem & filium, ex Duce limitis Mœſiæ, a Legione Imperator dictus fuit, quique per biennium Imperium tenuit.

IMP. CAES. DIVI. F. III. VIR. R. P. C. Imperator Cæſar Divi Filius Triumvir Reipublicæ Conſtituendæ. Auguſtus dicitur in nummis ei cuſis, Triumviratu vigente.

IMP. CAES. DIVI. VESP. F. DOMITIAN. COS. Imperator Cæſar Divi Veſpaſiani Filius Domitianus Conſul. Legitur in quibuſdam Domitiani nummis, qui poſt Titum fratrem, humani generis delicium, Imperium per XV. annos nequiſſime adminiſtravit.

IMP. CAES. D. CLO. SEP. ALB. Imperator Cæſar Decimus Clodius Sptimius Albinus. Extat in aliquibus Clodii Albini Imperatoris numiſmatibus, quem licet Severus Imperii conſortem declaraſſet, paulo poſt tamen ejus juſſu interficitur. Hic autem quare Albinus cognominatus ſit, perbelle oſtendit littera patris ejus Ælio Baſſiano data die natalis illius, quam in Clodio Albino Capitolinus refert his verbis: *Filius mihi natus eſt VII. kalend. Decembris, ita candidus ſtatim corpore, ut linteamen quo exceptus eſt, vinceret. Quare ſuſceptum eum Albinorum familiæ, quæ mihi tecum communis eſt, dedi, Albini nomine impoſito. Fac ut Remp. & te, & nos, ut facis, diligas.*

IMP. CAES. DOMITIAN. AVG. GERM. COS. XI. CENS. POT. P. Imperator Cæſar Domitianus Auguſtus Germanicus Conſul Undecimum Cenſoria Poteſtate Perpetuus. Habent aliqui Domitiani nummi. Cenſoriam poteſtatem aſſumebant Imperatores, non quia re vera Cenſores electi, ſed quia Cenſuria auctoritate uti poſſe volebant.

IMP. CAES. L. AEL. AVR. Imperator Cæſar Lucius Ælius Aurelius. In quibuſdam Commodi nummis occurrunt, qui poſt M. Aurelium Antoninum patrem per annos XIII. divexavit Imperium.

IMP. CAES. L. SEP. SEV. PERT. AVG. Imperator Cæſar Lucius Septimius Severus Pertinax Auguſtus. Apparet in aliquibus Septimii Severi Imp. nummis, qui occiſo Pertinace, ad Imperium evectus, per annos XVII. ipſum adminiſtravit. Hic, licet Severus cognominatus, inter Divos relato ab eo Pertinace, Flamineque, & Sodalibus Helvianis additis, *ſe quoque Pertinacem vocari juſſit*, ait Spartianus in ipſo.

IMP. CAES. M. ANT. Imperator Cæſar Marcus Antonius. Sic fuere in ſuis nummis appellati Gordiani illi tres, qui Imperium tenuere pater & filius non ultra ſex menſes, nepos per annos ſex. Hos omnes Antonios dictos, non Antoninos, ut perperam a quibuſdam nominantur, monet ita in Helagabalo Lampridius: *Et quoniam hic ultimus Antoninorum fuit, neque poſtea hoc nomen in Repub. loco Principum frequentatum eſt, etiam illud addendum eſt, ne quis error oriatur, quum duos Gordianos narrare cœpero, patrem ac filium, qui ſe de Antoninorum genere dici*

volebant; non nomen in illis primum fuit, sed prænomen; deinde, ut plerisque in libris invenio, Antonii dicti sunt, non Antonini. Cujus sententiam hisce verbis in Gordianis Capitolinus confirmat: *Litteris & moribus clarus fuit, præter nobilitatem, quam, ut nonnulli, ab Antoninis, ut plurimi, ab Antoniis duxit.*

IMP. CAES. M. AVR. ANT. AVG. P. Imperator Cæsar Marcus Aurelius Antoninus Augustus Pius. In quibusdam nummis Antonini cognomento Caracallæ, qui post Severum patrem Imperium gessit per annos VI. quique *Caracallæ nomen accepit a vestimento, quod populo dederat, demisso usque ad talos, quod ante non fuerat.* Ita in eo Spartianus; vel ut videtur *Dioni Cassio Hist. lib.* 28. quia, *proprium genus indumenti, in modum penulæ, excogitavit, barbarum, discissumque & consutum ex multis partibus, quo indutus erat semper, ex quo & Caracallus cognominatus.*

IMP. CAES. M. AVR. ANTO. ELAGAB. Imperator Cæsar Marcus Aurelius Antoninus Elagabalus. In quibusdam illius nummis, qui imperatorium fœdavit thronum, post Macrinum, per trienniom & menses aliquot. Hic *Lampridio* teste, *prius dictus est Varius, postea Heliogabalus, a Sacerdotio Dei Heliogabali*, qui Sol fuit; Capitolini quippe monitu, *in Macrino Heliogabalum Phœnices vocant Solem.*

IMP. CAES. M. AVREL. Imperator Cæsar Marcus Aurelius. Antoninus, Cognomento Philosophus nominatur in quibusdam ejus nummis, qui sanctissime Imperavit, post Antoninum Pium patrem, annos XIX.

IMP. CAES. M. CASS. LAT. Imperator Cæsar Marcus Cassius Latienus. Posthumus pater, in quibusdam ejus nummis dicitur, qui Gallieno insaniente apud Gallos, per septennium Imperium usurpavit.

IMP. CAES. M. CLOD. Imperator Cæsar Marcus Clodius. Pupieni nomen aliqui habent nummi, qui cum Balbino, velut Gordiani tertii cum ipso tutore, Imperium, post Gordianos Africanos, per biennium tenuit.

IMP. CAES M. DID. IVLIAN. AVG. Imperator Cæsar Marcus Didius Julianus Augustus. In suis quibusdam nummis habet, Julianus ille, qui, post Pertinacis necem, Imperii nundinator pessimus extitit, quique mense secundo & die quinto emptum Imperium cum morte commutavit.

IMP. CAES. M. DID. SEVER. IVLIAN. AVG. Imperator Cæsar Marcus Didius Severus Julianus Augustus. Ita idem in suis nummis.

IMP. CAES. P. SEP. Imperator Cæsar Publius Septimius. Antoninus Geta, Septimii Severi filius, Caracallæ frater in nonnullis ejus nummis est appellatus, donec fratre interempto, paucis diebus ipsius consors in Imperio fuit.

IMP. CAES. P. LIC. Imperator Cæsar Publius Licinius. Et Valeriani patris, & Gallieni filii quidam nummi habent. Valerianus, post Æmilianum, Imperator dictus, ac in Persidem profectus, a Sopore Rege superatus, & captus, apud ipsum ignobili servitute consenuit. Nam quamdiu vixit, Rex ejusdem provinciæ, inclinato eo, pede cervicem ejus premens, equum conscendere consuevit. Gallienus vero, cum solus Imperium teneret, tot tantisque vitiis se implicuit, ut sub eo triginta Imperii usurpatores insurrexerint, quos XV. annorum imperio funditus extirpare non potuit.

IMP. CAES. T. AEL. HADR. Imperator Cæsar Titus Ælius Hadrianus. Antoninus Pius dictus est in aliquibus ejus nummis. Hic ab Hadriano Imp. adoptatus, optime per annos XXII. vel ut aliis videtur XXIV. Romani Imperii rexit habenas, atque *Augustus, Piusque est appellatus a Senatu, propterea quod initio Principatus sui multis reis factis, postulatisque nonnullis nominatim ad supplicium, neminem punivit.* Ita *Dio Hist. lib.* 10.

IMP. CAES. TRAIAN. AVG. GERM. Imperator Cæsar Trajanus Augustus Germanicus. In quibusdam suis nummis nominatus est Ulpius Trajanus, qui a Nerva adoptatus, mirifice post illum imperavit annos XIX. cum dimidio.

IMP. CAES. TRAIAN. HADRIAN. OPT. AVG. G. D. PARTH. Imperator Cæsar Trajanus Hadrianus Optimus Augustus Germanicus Dacicus Parthicus. Ita Hadrianus dictus in aliquibus ejus nummis, qui a Trajano adoptatus, Plotinæ auxilio, ab eo Imperium administravit annos XXI. dempto mense uno.

IMP. CAES. TRAIAN. HADRIAN. OPT. P. F. AVG. GERM. DAC. Imperatori Cæsari Trajano Hadriano Optimo Pio Felici Augusto Germanico Dacico. Alii Hadriani Imp. nummi habent, ex quibus Hadrianum Trajani patris sui cognomina usurpasse constat. *Trajanus siquidem de Dacis triumphavit & Dacicus cognominatus est.* & *Nisibi Batnisque captis, Parthicus etiam cognominatus est. Sed cognomine Optimi multo magis, quam cæteris omnibus gloriari videbatur; ex quo natura, moresque ejus suavissimi magis quam arma cognoscerentur.* Scripsit *Dio Cassius Hist. lib.* 68.

IMP. CAES. VESPAS AVG. P. M. TR. P. P P. Imperator Cæsar Vespasianus Augustus Pontifex Maximus Tribunitia Potestate Pater Patriæ. Aliqui nummi Imperatoris Vespasiani exhibent, qui post Vitellium Imperator declaratus, per decennium Imperium recte administravit.

IMP. CAES. VLP. NER. Imperator Cæsar Ulpius Nerva. Trajanus aliquando in suis nummis est vocitatus.

IMP CAE. TRA DAC. AVG Imperator Cæsar Trajanus Dacicus Augustus. In nummis ejusdem.

IMP. C. C IVN. Imperator Cæsar Cassius Junius. Posthumi filii nonnulli habent nummi, qui cum patre in Galliis & imperavit & occisus est.

IMP. C. C. M. AVR. Imperator Cæsar Cajus Marcus Aurelius. Probi quidam nummi habent. Hic a militibus, inde a Senatu, post Taciti mortem Imp. declaratus, nondum quinquennio expleto, occiditur.

IMP. C. CN. SAL. Imperator Cæsar Cnæus Salvius. Santamantii nummi habent; alter Imperii Tyrannus in Galliis, Diocletiano imperante.

IMP. C. C. VAL. Imperator Cæsar Cajus Valerius. Diocletianus, in aliquibus ejus nummis dictus.

IMP. C. C. VIB. Imperator Cæsar Cajus Vibius. In Volusiorum aliquibus nummis hæc reperiuntur, qui cum patre Treboniano Imperium non ultra biennium tenuit.

IMP. C. C. VIB TREB Imperator Cæsar Cajus Vibius Trebonianus. In hujus Imperatoris quibusdam nummis.

IMP. C. D. CAEL. Imperator Cæsar Decimus Cælius. Balbinus in quibusdam ejusdem nummis vocatur, qui cum Pupieno, velut tertii Gordiani tutore, imperavit.

IMP. C. FL. VAL. Imperator Cæsar Flavius Valerius. Communes sunt istæ notæ aliquibus nummis Constantii, & Severi. Constantius vero ille fuit, qui a Maximiano adoptatus, apud Gallos imperavit, obiitque Eboraci XIII. Imperii sui anno. At Severus a Galerio Maximiano, addito collega Maximino, Cæsar & Augustus est appellatus, qui que biennio post, laqueo cervicibus fractis, vitam finivit.

IMP.

IMP. C. FVL. Imperator Cæsar Fulvius. Dictus observatur Quietus Macriani filius, qui cum patre, sub Gallieno imperium usurparunt.

IMP. C. GAL. VAL. Imperator Cæsar Galerius Valerius Maximinus ille nominatur in nonnullis ejus nummis, qui Galerii Armenrarii ex sorore natus, ad imperium ab avunculo evectus, cum adversus Licinium io Oriente res novas moliretur, ab eo, prælio superatos, ne vivus in ejus manus veniret, laqueo sibi fauces præclusit, imperii sui anno VII.

IMP. C. L. DOM. Imperator Cæsar Lucius Domitius. Aurelius aliquibus suis nummis dicitur, qui post Quintillum Imperator dictus, per septem annos imperio potitus, postea interfectus est.

IMP. C L. SEP. SEV. PERT. AVG. Imperator Cæsar Lucius Septimius Severus Pertinax Augustus. In nonnullis Severi Imp. oummis.

IMP. C. M. A. Imperator Cæsar Marcus Aorelius. Aliquot Maximiani illios nummi habeot, qui com Diocletiano imperavit, atque jussu Constantii Chlori generi sui, quem adoptaverat, cuique mortem meditatus erat, laqueo occubuit.

IMP. C. M. ANN. Imperator Cæsar Marcus Annius. Extat io nummis quibusdam Floriani, Taciti Imp. fratris, qoi post ejus mortem osurpato imperio, mense secundo interfectus est.

IMP. C. M. A. VAL. Imperator Cæsar Marcus Aurelius Valerius. Maxentius dicitur io suis nummis, qui Constantino Magno imperante, noo abnuente Senatu, per sexennium Imperium rexit.

IMP. C. M. AVR. Imperator Cæsar Marcus Aurelius. Quintillus est in suis numis appellatus. Hic Claudio Gothico Imperatore defuncto, imperium per solos dies decem & septem tenuit. Fuit pariter hæc dicendi formula communis in oummis ei, & Claudio ejus fratri, qui Gallieoi morientis sententia Imperator designatus, duobus post aonis imperii optime administrati, fatis cessit, & Probo post Floriano Imperatore declarato, Caro, Carino, & Numeriano patre, & filiis sibi invicem post Probum brevi tempore successoribus.

Imperator Cæsar Marcus Aureolus. Victoriati habent nummi. Hic sub Gallieno tyrannorum alter.

IMP. C. M. AVR. CL. Imperator Cæsar Marcus Aurelius Claudius. Quintilli nummi aliqui.

IMP. C. M. AVR. SEV. Imperator Cæsar Marcus Aurelius Severus. In Alexandri oummis.

IMP. C. M. AVR. VAL. Imperator Cæsar Marcus Aurelius Valerius. In Maximiano.

IMP. C. M. CASS. LAT. Imperator Cæsar Marcus Cassius Latienus. Io Posthumi patris nummis.

IMP. C. M. CL. Imperator Cæsar Marcus Claodius. Tacitus dicitur in quibusdam ejus nummis; qui Aureliano extincto, Imperator declaratus, Imperium ultra sex menses non tenuit.

IMP. C. M. IVL. Imperator Cæsar Marcus Julius. Appellatur in nummis quibusdam Philippus Imperator, Gordiani tertii in Imperio successor, quod ultra quinquennium non administravit.

IMP. C. M. OP. SEV. Imperator Cæsar Marcus Opelius Severus. Macrini aliqui nummi habent. Is ad Imperiuo evectus, post Antonini Caracallæ, cujus ipse procuraverat necem, una cum filio Antonino Diadumeniano, ultra annum Imperio non est potitus.

IMP. C. M. Q. Imperator Cæsar Mesius Quintus. Trajani Decii nummi nonnulli habent. Ad imperium iste, post Marcum Julium Philippum vocatus, electoqoe sibi filio Imperii coosorte, ultra biennium non imperarunt.

IMP. C. M'. ACIL. Imperator Cæsar Manius Acilius. Anreolum unum sub Gallieno Tyrannorum dictum oummi sui aliqui monstrant. per octennium Imperium usurpavit.

IMP. C. P. HEL. PERT. Imperator Cæsar Publius Helvius Pertinax. Quidam hujus Imp. nummi habent, qui post Commodum sexagenarius ad Imperium vocatus, licet acri ingenio, & in rebus publicis diligentissimus, nihilominus quarto Imperii mense a Prætorianis, qui eum Imperatorem acclamaverant, obtruncatur.

IMP. C. P. LIC. Imperator Cæsar Publios Licinius Et Valerius, & Gallienus, in nonnullis suis nummis appellati sunt; prout etiam Licinius Licinianus, qui a Galerio Maximiano imperii consors declaratus, licet avarus, asper, & libidinosus, per annos tamen XV. imperavit.

IMP. C. P. VAL. LIC. Imperator Cæsar Publius Valerius Licinius. Ita Licinius in aliquibus suis nummis.

IMP. C. Q. NON. REGILIAN. Imperator Cæsar Quintus Nonius Regilianus. In Ægypto Gallieno imperante Tyrannus, ubi etiam brevi temporis spatio interemptus est.

IMP. CS. Imperator Cæsar. *Magno.*

IMP. CS. A. Imperator Cæsar Augustus. *Diaconus.*

IMP. C. SEX. IVL. Imperator Cæsar Sextus Julius. Saturninus in nummis suis, qui a militibus ad Imperium suscipiendum coactus, ab iisdem paulo post interficitur.

IMP. D. F. P. P. Imperator Divi Filius Pater Patriæ. In aliquibus Aogusti nummis.

IMP. DOM. AVG. GERM. Imperator Domitianus Augustus Germanicus. In variis Domitiani nummis.

IMP. DOM. N. Imperante Domino Nostro.

IMPER. RECEPT. Imperio Recepto. Hulsius ad aureum Ti. Claudii Imp. nummum, in quo castra prætoria, & miles armatus ante signum militare; pertinentque ad nummum hunc, quæ *Suetonius* io eo scripsit: *Latentem, discurrens forte gregarius miles, animadversis pedibus, studio sciscitandi, quisnam esset, agnovit, extractumque, & præ metu ad genua sibi accidentem, Imperatorem salutavit. Hinc ad alios commilitones fluctuantes, nec quidquam adhuc quam frementes perduxit. Ab his lectica impositus, & quia servi diffugerant, vicissim succollantibus, in castra delatus est, tristis ac trepidus, miserante obvia turba, quasi ad pœnam raperetur insons. Receptus intra vallum, inter excubias militum pernoctavit, aliquanto minore spe quam fiducia.*

IMPIET. Impietatem. *Magno.*

IMP. II. VII. EPVL. Imperatore Bis Septem Vir Epulonum. *Augustinus.*

IMP. IM. Imperio Ipsarum. *Scaliger.* In votivis lapidibus.

IMP. ITER. Imperator Iterum.

IMPL. Imperiale. *Diaconus. Manutius.*

Imperialis. *Probus Ernstii. Diaconus. Papias. Manutius.*

Implevit. *Manutius.*

IMP. L. AVR. VER. Imperator Lucius Aurelius Verus. A Marco Aurelio Philosopho ad Imperium accitus, post Parthici belli triumphum, una cum Marco acti, unde & cognomina Armeniaci, & Parthici ambo meruerunt, adversus Germanos profectus, inter Altinum & Concordiam apoplexia correptus interiit.

IMPLE. Imperialis. *Diaconus.*

IMP. M. CLOD. Imperator Marcus Clodius. Pupienus aliquando in nummis suis.

IMP. M. IVL. Imperator Marcus Julius. Philippi pater & filius in nummis.

IMP. N. Imperatori Nostro. *Scaliger.*
IMP. P. M. Imperator Pontifex Maximus. Vicus in argenteo Julii Cæsaris nummo, in cujus aversa parte *Lucius Æmilius Buca.*
IMPP. Imperatores. De duobus omnes fere expositores.
IMPP. CAESS. DD. INVICTISS. Imperatores Cæsares Domini Invictissimi. De duobus.
IMP. POS. Imperio Posuit. Frequenter in votivis.
IMPPP. Imperatores. De Tribus omnes notarum explicatores.
Imperatoribus. *Goltzius.*
IMP. SER. SVLP. Imperator Servius Sulpitius. Galba in aliquibus suis nummis, qui post Neronem Imperator a militibus dictus, ab iisdem Imperii mense septimo obtruncatur. Hic observandum duco, ut, quoties nota hæc SER. in nummis istius Imperatoris occurrit, significet semper prænomen Servii: cujus rei causa, qui Sergium in eo legent, nunquam recte legent.
IMP. SEV. ALEXAND. AVG. Imperator Severus Alexander Augustus. In ejus nummis aliquando.
IMP. SEX. DICT. PERP. Imperator Sextum Dictator Perpetuus.
IMPT. Imperat. *Papias.*
IMP. T. AEL. CAES. HADR. Imperator Titus Ælius Cæsar Hadrianus. Antonini Pii nummi aliqui habent.
IMP. T. CAES. VESP. AVG P. M. TR. P. P. P. Imperator Tuus Cæsar Vespasianus Augustus Pontifex Maximus Tribunicia Potestate Pater Patriæ. In Titi nummis aliquando.
IMP. TER. Imperator Tertium.
IMP. T. VESP. AVG. REST. Imperator Titus Vespasianus Augustus Restituit. Erizius, ad Claudii nummum a Tito restitutum, in quo Spei typus.
IMPVB. DVLCISS. Impuberæ Dulcissimæ. Impuberi Dulcissimo. In monumentis puerorum.
IMP. VII. Imperator Septimum. *Angelonus.*
IMP VIII. COS. III P. P. Imperator Octavum Consul Tertium Pater Patriæ. *Hulsius.*
IMP. XII. ACT. Imperator Duodecimum Actiacus. Apollo scilicet, prout nummi Augusti indicant, in quibus Apollo lyram tenens. Hos ob Actiacam victoriam cusos diligentissime monstrat *Santamantius T. 1. Comment. Historic.* Gallice scriptorum.
IM. S. Impensa Sua. *Scaliger.*
I. M. S. Inferis Manibus Sacrum. Jovi Maximo Sacrum. Isidi Magnæ Sacrum. Junoni Magnæ Sacrum. In votivis.
I. M. T. In Medio Templi. *Gratiosus.*
I. M. TPL. In Medio Templo. *Probus. Diaconus. Manutius.*
IM. V. I. S. L. Immolata Victima Jovi Sacravit Locellum. *Gratiosus.*
Immolata Victima Jovi Sancte Litavit.
I. N. Justis Nuptiis. Justus Nuntius. *Manutius.*
IN. Inimicitia. Inimicus. *Gratiosus.*
Inscripsit. Intercessium. Interdum. Interea. *Manutius.*
IN. AG. P. In Agro Pedem. *Manutius.*
In Agro Pedes. *Probus. Sarainas. Manutius.*
In Agro Pedum. *Manutius.*
IN. AG. P. X. In Agro Pedes Decem. *Appianus. Lazius. Scaliger.*
IN. AG. P. XV. IN. F. P. XXV. In Agro Pedes Quindecim In Fronte Pedes Vigintiquinque.
IN. AGR. In Agro. *Scaliger.*
IN. AGR. LONG. P. X. S∽. In Agro Longum Pedes Decem Semis. Nisi nota illa S∽. Quadrantis potius fuerit.

IN. AGR. P. In Agro Pedem. *Manutius.*
IN. AGR. P. XX. In Agro Pedes Viginti. *Probus.*
IN. A. P. In Agro Pedem. *Manutius.*
In Agro Pedes. *Manutius. Servius.*
In Agro Pedum. *Manutius.*
IN. A. P. IIII. IN. L. P. X. In Agro Pedes Quatuor, In Longum Pedes Decem, *vel* Latum. Quæ omnes supraſcriptæ formulæ, in lapidibus antiquorum, mensuram sepulcri denotant.
IN. B. M. In Bona Memoria. *Diaconus. Manutius.*
INC. Initio. *Diaconus. Manutius.*
IN. CAPIT. In Capitolio. *Manutius.*
INCL. Incola. Incolæ. *Sarainas. Manutius.*
INCOMP. Incomparabili. *Manutius.*
Incomparabiles. *Gratiosus.*
IN. CONIVG. In Conjugio. In sepulcralibus, affectus conjugum indicio.
IN. CONTRA. COLOMNA. In Contra Columnam. Lego in Monumento *Roma Subterranea T. 1. lib. 3. cap. 3.* quæ linguæ Latinæ excidium abunde demonstrant.

HIC IACET NOMINE MATRONA. C. F. IN. PACE
VXOR CORNELI PRIMICERI CENARIORVM
FILIA PORFORI PRIMICERI MONETARIO
RVM QVE VIXIT FL MAN XXIII QVE RECESSIT
DIE MERCVRIS ORA VIII ET DEPOSITA DIE
IOVIS IDVVM MAIARVM IN CONTRA
COLOMNA VII CONS FL. HERCVLANI. V. C

IN. CONVB. In Connubio. Connubium pro nubendi potestate, accipiunt Jurisconsulti. Ita in *l. 45. §. Hoc caput. ff. de Rit. Nuptiar. l. 11. §. Quare. ff. de Divortio.* & *l. 1. ff. de Concubinis. Isidorus* vero *Origin. lib. 10. cap. 8.* vult, *connubium, non a nupta, sed a nubendo formatum.* Subditque, *Connubium dici, cum æquales in nuptias coeunt, utputa cives Romani pari utique dignitate;* traditque postea, Connubium non esse, *quoties civis Romanus cum Latina jungitur.*
IND. Indictio. *Manutius.*
Indictione. *Scaliger.*
INDICT. XI. Indictione Undecima.
IN. DM. In Domino. In Monumentis *Romæ Subterraneæ.*
IN. DM. XP. In Domino Christo. In iisdem.
I. N. E. Justum Non Esse. *Manutius.*
I. N. EE. Justum Non Esse. *Diaconus. Manutius.*
IN. E L. F. E. In Ejus Locum Factus Est. *Scaliger.* Suntque Fastorum notæ, alicujus successionem designantes, in Consulatu, Prætura, Censura, aut Dictatura ob mortem naturalem, vel violentam, seu ob alicujus voluntariam abdicationem.
IN. F. In Fronte. *Manutius.*
INF. Inferat. *Manutius. Servius.*
INF. AER. PP. R. Inferat. Ærario Populi Romani. *Manutius. Scaliger.*
INF. AER. PP. HS. M. N. Inferat Ærario Populi Romani Sestertios Mille Nummum. Qua dicendi formula pœnas statuebant violatoribus sepulcrorum, seu iis, qui suæ voluntati obsistebant.
IN. FA. P. VI. S. IN. AG. P. IX. ∴ ∽. In Faciem Pedes SexSemis In Agro Pedes Novem Semis. Nam idem fuit in sepulcris facies, ac frons.
IN. F. IN A. V. L. P. X. In Fronte In Agro Versus Longe Pedes Decem. *Probus Ernstu.*
IN. FLVMEN. TIBERE. In Flumen Tiberis. *Tomo primo Romæ Subterraneæ lib. 2. cap. 19.*
IN. FO. In Foro. In Fundo. *Diaconus. Manutius.*

IN.

IN. FO. P. In Foro Posuit.
IN. F. P. In Fronte Pedes. *Probus. Rubens. Servius.*
IN. F. P. LAT. In Fronte Pedes Latitudinis. *Saratinus.* Lubentius tamen legerim, *Latum*.
IN. F. P. Q. XV. In Fronte Pedes Quadrati Quindecim.
IN. F. P. R. IN. A. P. VI. In Fronte Pedes Retro In Agro Pedes Sex.
IN. F. P. VII. IN AG. P. R. S. In Fronte Pedes Septem In Agro Pedes Retro Semis.
IN. F. P. V. ꝸꝸ. In Fronte Pedes Quinque Semis. Nisi nota potius trientem denotet; ut scilicet quatuor trientes unciam unam constituant.
IN. F. P. XIII. IN. AGR. P. XX. In Fronte Pedes Tredecim In Agro Pedes Viginti.
IN. FR. L. P. X. ꝸ= In Fronte Latum Pedes Decem cum Triente. Nisi nota, semis indicet.
IN. FRO. P. In Fronte Pedes. In Fronte Pedum. *Manutius.*
IN. FR. P. In Fronte Pedes. *Probus. Diaconus. Manutius.*
In Fronte Pedum. *Manutius.*
IN. FR. P. IIX. In Fronte Pedes Octo. *Scaliger.*
IN. FR. P. RETR. P. In Fronte Pedes Retro Pedes. Retro enim idem ac in agro.
IN. FR. P. V. In Fronte Pedes Quinque. *Ms. Zabarella.*
IN. FR. P. VI. In Fronte Pedes Sex. *Appianus. Lazius.*
IN. FR. P. VI. LAT. VII. In Fronte Pedes Sex Latum Pedes Septem. *Probus.*
IN. FR. P. XV. S. In Fronte Pedes Quindecim Semis.
IN. FR. P. XX. In Fronte Pedes Viginti. *Probus.*
IN. FR. P. XX. IN. AGR. P. XX. In Fronte Pedes Viginti In Agro Pedes Viginti. *Ms: Zabarella.*
IN. FR. P. XXXVII. S. In Fronte Pedes Triginta Septem Semis. *Trinagius.*
IN. F. T. In Foro Trajani. In Foro Transitorio. *Papias.*
ING. Ingerit. *Papias.*
IN. H. In Honorem. *Scaliger.*
IN. HC. MM. S. P. S. In Hoc Monumento Sunt Pecuniæ Sacræ. *Diaconus.*
IN. HC. MM. S. P. S. F. In Hoc Monumento Sunt Pecuniæ Sine Fine. *Diaconus. Manutius.*
IN. H. D. D. Instituto Heredes Dedicaverunt. *Manutius*, ad hoc saxum, meo judicio minus ad rem:

I. H. D. D
T. ALBANIVS
PRINCIPIA
NVS. EVOK
AVG. N

In Honorem Deorum. *Scaliger.*
In Honorem Domus Divinæ. Idem auctor; quod in hoc monumento omnium maxime ad rem puto, lego enim: *In Honorem Domus Divinæ Titus Albanius Principianus Evokatus Augusti Nostri.*
IN. H. D. D. AVGG. In Honorem Deorum Augustorum. In Honorem Domus Divinæ Augustorum. In Honorem Dominorum Augustorum. Quod melius, me judice, ad hanc inscriptionem *pag.* 1072. 10.

SALVOS REDIRE	IN. H. D. D	SALVOS REDIRE
Hic sedet Fortuna, dextra cornucopia, læva gubernaculum tenens.	AVGG L. VECTIVS SEMPRONIANVS AVG. L	*Hic sedet mulier, dextra palmam, sinistra globum complexa.*

IN. H. D. D. I. O. M. In Honorem Deorum Dearum Jovi Optimo Maximo.
IN. H. DD. MM. SS. In Honorem Deorum Magnorum Sacrorum. *Lipsius.*
IN. HERM. TVEND. In Hermam Tuendum. Hermæ lapides erant, quibus insculptum Mercurii caput, siti in biviis, triviis, quadriviis. Iis etiam milliaria quandoque denotabantur; unde antiquitus quilibet lapis, & statua in viis posita Herma dicebatur. Hermæ vero nomen transiit quinetiam ad monumentorum cippos, & lapides, ut ad hanc vocem observat *Josephus Laurentius* in *Amalth. Onomast.* quod & mihi suadet Saxum, ex quo notam deprompsi, *pag.* 449. 5. cujus hæc sunt verba:

PETRONIO. IVCVN
VI. VIR. SENI
PETRONIA. MIRA. L. F. PATRONO
QVAE. H-S. CCCC. LEG. POSSESSORIB
VICI. BARDOMAG. IN. HERM
TVEND. ET. ROSA. QVODANNIS
ORNANDVM

IN. H. H. In Hoc Honore. *Scaliger.* Notæ Fastorum.
IN. H. L. S. E. In Hac Lege Scriptum Est. *Scaliger.*
IN. HO. R. P. MART. TE. D. D. In Honorem Reipublicæ Marti Templum Dedicavit. In Deorum Saxis.
IN. H. S. In Hoc Sepulcro. *Manutius.*
IN. H. T. SVNT. COM. OR. H. S. In Hoc Titulo Sunt Comprehensa Ornamenta Hujus Sepulcri. *Scaliger.*
INL. Inlustris.
INL. Inlustris. *Scaliger.*
IN. L. ADMIRB. Invenies Locum Admirabilem. *Probus Ernstii. Diaconus. Manutius.*
INCL. PP. Inlustris Patritius. In Monumentis *Roma Subterranea.* De formulis Patriciatus atque titulo, Illustris Cassiodorus *Variar. lib.* & *Pancirollus in Notit. utramque* fuse.
Inlustres Patritii.
IN. LM. Intra Limen. *Gratiosus.*
INL. MA. T. Inlustris Magnificentia Tua. *Magno.* Magnificentiæ titulo decoratos Primates Imperii, præcipue Valentiano & Theodosio imperantibus, observatur. Ita *lege* 2. *Cod. de Offic. ejus qui vicem &c. & legg.* 12. 17. *lib.* 6. *Cod. Theodos. Tit. de Agent. in Reb.*
IN. LOC. In Loco.
IN. L. P X. In Latus Pedes Decem.
IN. LVC. D. D. VIA. CAMP. In Luco Deæ Diæ Via Campana.
IN. MAG. M. E. In Magistratu Mortuus Est. *Sigonius.* Addebanturque in Fastis, nominibus illorum, qui nondum magistratu expleto diem obierant.
IN. MAG. M. E. IN. E L. F. E. In Magistratu Mortuus Est In Ejus Locum Factus Est. Erantque in Fastis, nominibus illorum addita, qui & in magistratu mortui fuerant, & in eo successorem habuerant.
IN. MAG. OCCIS. E. In Magistratu Occisus Est. *Goltzius.* Fastorum notæ, additæ nomini alicujus in magistratu occisi.
I. M. I. S. D. A. In Memoria Ista Sunt Divitiæ Augusti. *Diaconus. Manutius.*
IN. M. M. E. In Magistratu Mortuus Est. *Scaliger.*
IN. MA. M. E. IN. EIVS. L. F. E. } In Magi-
IN. M. M. E. IN. E. L. F. E. } stratu

ſtratu Mortuus Eſt In Ejus Locum Factum Eſt.
IN. M. O. E. In Magiſtratu Occiſus Eſt. *Scaliger.*
IN. OMNIB. CASTISS. In Omnibus Caſtiſſimæ. Inſculptum a marito monumento defunctæ conjugis.
IN. P.
IN. PA. } In Pace. In *Roma ſubterranea* ſaxis.
IN. PE. In Pace. In Hoc Saxo *Rom. Subter. T.* 1. *lib.* 3. *cap.* 22.

CHIRIACI. IN. PE

IN. P. D. NON. F. Id Poteſtatem Deorum Non Fuiſſet. Ut patet in ſaxo, de quo *lib.* 1. *ſect.* 9. mei operis, *De Monument. Patavin.* quo lectorem remitto, ut de recta explicatione judicet.
IN. PR. O. E. In Prælio Occiſus Eſt. *Scaliger.*
IN. PROEL. OCCIS. E. In Prælio Occiſus Eſt. *Goltzius.* Faſtorum ſunt notæ, nominibus additæ Conſulum, Prætorum, Dictatorumve, aut Imperatorum, in prælio interfectorum.
IN. PRTO. In Prato. *Ms: Rhodii.*
I. NQ. Injuſtis Nuptiiſque. *Saraunas.*
I. N. Q. Injuſtis Nuptiis Quæſitor. *Manutius.*
Injuſtis Nuptiis Quæſita. *Probus. Ms: Zabarella. Appianus. Lazius.*
I. N. Q. Q. Injuſtis Nuptiis Quæſita. Quæſitus. *Gratioſus. Appianus. Manutius.*
Juſtis Nuptiis Quæſita. Quæſitus. *Manutius.*
Juſtus Nuntius Quæſitos Quæſitus. *Manutius.* Omnes has dicendi formulas in Legibus & Plebiſcitis obſervatas noto.
INFR. AR. Infra Aram. *Diaconus. Manutius.*
IN. R. P. In Republica.
IN. R. P. S. FVNC. In Republica Sua Functo.
IN. S. In Suis. In ſuos.
IN. SEQVENT. AN. DES. E. In Sequentem Annum Deſignatus Eſt. *Goltzius.* Ex Faſtis notæ depromptæ, quibus aliquis in annum ſequentem, ad magiſtratum Reipub. ſuæ deſtinabatur.
IN. SING. H. In Singulos Homines. *Scaliger.*
IN. S. R. In Senatu Romano. *Papias. Appianus. Lazius. Manutius.*
IN. SN. RO. In Senatu Romano. *Ms: Zabarella.*
INT. Initio. *Diaconus. Manutius.*
Intercerſus. Dies ſcilicet. *Diaconus.*
INT. Intus. *Diaconus. Manutius.*
INTEG. FA. L. Integræ Famæ Liberta. Optimæ Libertæ encomium, in ejuſdem monumento *pag.* 332. 7. a me exhibito notis B. M. P. I.
INTEG. FAM. Integræ Famæ. Cujuſcunque mulieris dignum epithetum in ſepulcralibus.
INTERAMN. Interamna. *Angelonus.*
Interamnates.
INTER. BLETISAM. MIROBR. ET. SALM. Inter Bletiſamenſes., Mirobrigenſes, Et Salmaticenſes. Sic explico ex Saxo *Ledeſma* in Hiſpaniis, ad Alphonſi Caſtri mentem, ut *Gruterus* tradit, olim Bletiſæ dictæ, *pag.* 99. 2.

IMP. CAESAR. AVG. PONTIF
MAXIM TRIBVNIC. POT. XXVIII.
COS. XII. PATER. PATR
TERMINVS. AVGVSTAL. INTER
BLETISAM. ET. MIROBRI. ET. SALM

Bletiſa, unde Bletiſamenſes, ut ex Vaſco *Ferrarius* notat in *Lex. Geograph.* oppidum. fuit Hiſpaniæ Tarraconenſis, cui nunc *Ledeſme* nomen. Mirobriga, unde Mirobrigenſes, urbs Hiſpaniæ ejuſdem, quæ nunc *Ciudad Rodrigo.* ita Joannes Mariana, quæ juxta cum Bletiſa, haud procul Salmatica, urbe nunc etiam præclara, diſtat.
INTERF. Interfecit. *Manutius.*
Interfuit. Interfuerunt.
INTER. LANC. OPP. ET. IGAEDIT. Inter Lancienſes. Et Igæditanos. Lancea Urbs Hiſpaniæ Luſitanicæ eſt, quæ nunc *Viſeo*, teſte *Jacobo Vaſconcello* apud *Ferrarium in Lexic. Geograph.* ex qua Lancienſes, apud *Plinium Hiſt. lib.* 4. *cap.* 22. Igædita, unde Igæditani, urbs pariter Luſitaniæ in Lancienſium finibus, nunc *Idanhia la Veſa*, ut Joanni Marianæ videtur, Ferrario teſte. Alterum vero locum, cujus nota OPP. utique me ignorare fateor. neque enim caſtrum eſſe poteſt Opta, nunc dictum *Huete* communiter, cum ſit in Hiſpania Tarraconenſi, Toletum verſus, & lapis omnium trium oppidorum confinia deſignet; unde ſi Lancienſes & Igæditani in Hiſpania Luſitanica ſunt, utique in finibus Optæ oppidi non erant. Niſi conjectura veriſimili ſic has notas explicaverimus: Inter Lanceam Oppidum Et Igæditam.
INTER. PACENS. ET. EBORENS. Inter Pacenſes Et Eborenſes. Pacenſis urbs, Pax Auguſta, Colonia Romanorum in Luſitania, nunc *Badajoz* vulgo nuncupata, in confinio Eboræ. Ebora vero, quæ Liberalitas Julia, Colonia, nunc *Evora*, urbs Luſitaniæ inſignis. de quibus *Plinius Hiſt. Nat. lib.* 4. *cap.* 22.
IN. TR. In Theatro. *Gratioſus.*
INTS. Introeuntes. *Diaconus. Gratioſus. Manutius.*
INT. S. AR. E. M. S. Intus Sub Ara Eſt Memoria Sacra. *Diaconus. Gratioſus. Manutius.*
INT. S. B. E. Intus Sunt Bona Ejus. *Diaconus. Manutius.*
INT. VRB. Introitus Urbis. *Erizius.* In æreo Auguſti nummo, in quo Corona civica, & S. C. quis exiſtimat cuſum, cum Apollonia Romam Auguſtus rediret.
Intra Urbem. *Santamantius.* In Gallieni nummo, cum Corona civica, *Tom.* 2. ubi fuſe demonſtrare conatur, Auguſti numiſma cum hiſce notis, Gallieni. non Auguſti fuiſſe, contra Erizii mentem.
IN. TVT.
IN TVTEL. } In Tutelam. *Scaliger.*
IN. TVT. NS. N. D. In Tutelam Noſtri Nominis Dedit *Saraunas. Manutius.*
INV. AVG. Invicto Auguſto. *Probus Ernſtii.* qui conſulatur ad *caput* 9. *Notar. Probi.*
IN. V. I. S. Inluſtris Vir Infra Scriptus. *Scaliger.*
IN. X9O. In Chriſto.
I. O. In Omnibus. *Gratioſus.*
I. O. ET. D. DQ. Jovi Optimo Et Diis Deabuſque. *Manutius.* In Deorum monumentis, cum ſubſequentibus.
I. O. M. Jovi Optimo Maximo. *Gratioſus. Scaliger. Rubens. Caſtilioneus.* In Votivis.
I. O. M. C. Jovi Optimo Maximo Conſervatori. Quod & expreſſum aliquando in Votivis.
I. O. M. D. Jovi Optimo Maximo Dicatum. *Scaliger.*
I. O. M. D. CON. Jovis Optimi Maximi Deorum Conſentium. Lego in monumento iſto *p.* 12. 5.

PRO. SAL. AVGG
EX. IVSSV
I. O. M D. CON
M. CAES. CHRESIM
AVG. RAVEN
CVM
SACCIDIA. FELICITA
CONIVGE ET
CAESIA. CHRESIME
FILIA

Conſentes

Consentes Dii quinam essent, dictum C. nom CONSENTIB.

I. O. M. D. D. Jovi Optimo Maximo Dedicatum. Jovi Optimo Maximo Dedicavit. Jovi Optimo Maximo Dis Deabus. In Diis dedicatorum titulis sæpissime.

I. O. M. D. D. SAC. Jovi Optimo Maximo Dis Deabus Sacrum. Jovi Optimo Maximo Dis Deabus Sacellum.

I. O. M. D. I. Jovis Optimi Maximi Divino Jussu. *Scaliger.* In Votivis.

I. O. M. ET. GENIO. P. R. ET. VENALIC. Jovi Optimo Maximo Et Genio Populi Romani Et Venaliciorum. Lego ad aram Romanam *pag.* 1006. 5. Venalicii fuerunt dicti, ut est omnibus compertum, tum Negotiatores cuncti, a vendendo scilicet nomine deducto, tum Servi ipsi, qui vendebantur. Unde hominum venditores, Venaliciarii nominabantur, & qui hoc exercebant negotium, Venaliciariam exercere dicti sunt, ut *l.* 75. *§. ult. ff. de Legat.* 3.

I. O. M. H. AVG. Jovi Optimo Maximo Honori Augusto *Scaliger.*

I. O. M. H. AVG. SACR. Jovi Optimo Maximo Honesto Augusto Sacrum. *Manutius.* Ad illius lapidis notas, quas explicat *Scaliger*, notis proxime allatis; cui lubens subscribo. quod Saxum exhibent *Manutius*, & *Gutherus*; ille quidem, *de Veter. Notar. Explic.* hic *pag.* 9. 5. quos lector consulat.

I. O. M. H. COL. HEL. Jovi Optimo Maximo Helvio Colonia Helvia. *Santamantius Comment. Histor. Tom.* 2. Gallice editorum, ad Severi Imperatoris nummum, in quo Templum dicatum, ut ipse putat, Helvio Pertinaci Imp. Optimo, cujus nomen, & memoriam Severus Imp. veneratus est, asserente in eo *Spartiano*, quod *Funus censorium Pertinacis imagine duxit, eumque inter divos sacravit, addito Flamine & Sodalibus Helvianis.* De colonia autem Helvia, ut jam dictum, fuse eruditissimus amicus meus, nunquam meo satis laudatus calamo, Pompejus Compagnonus, in *Regia Picena.*

I. O. M. IM. Jovi Optimo Maximo Immortali. *Probus. Ms: Zabarella. Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius.*

I. O. M. I. R. Jovi Optimo Maximo Junoni Reginæ. Explico notas istas in ara votiva *pag.* 1063 2.

I. O. M. I. R
A. E. L. CRE
SIMVS. SE
DA. T. IA B
A. SS. I. N A
V. S. L. L. M

Quam informem, & hoc pacto interpunctam inscriptionem ita compono:

I. O. M. I. R
AEL. CRE
SIMVS. SE
DATIA B
ASSINA
V. S. L. L. M

I. O. M. S. Jovi Optimo Maximo Sacrum, *Probus. Ms: Zabarella. Manutius.*

I. O. M. SACR. VOT. P. SVSC. PRO. SAL. ET. RED. Jovi Optimo Maximo Sacrum Vota Publica Suscepta Pro Salute Et Reditu. *Erizzus.* Ad Augusti nummum argenteum, in quo Mars galeatus, dextra signum militare, sinistra baculum gerens, creditque ipse, hæc vota suscepta fuisse, cum, Bruto & Cassio devictis, Augustus Romam rediret.

I. O. M SPONS. SEC. AVG. Jovi Optimo Maximo Sponsori Securitati Augusti. *Santamantius Comment. Histor. Tom.* 1. ad Commodi Imp. nummum, in quo Juppiter nudus, fulmen sinistra tenens, dextra ipsius Imperatoris humero innixa, ita ut videatur ipsi Commodo Juppiter Securitatem spondere.

I. O. M. S. P. Q. R. V. S. PR. S. IMP. CAES. QVOD. PER. EV. R. P. IN. AMP. ATQ. TRAN. S. E. Jovi Optimo Maximo Senatus Populusque Romanus Votis Suscepti Pro Salute Imperatoris Cæsaris, Quod Per Eum Respublica In Ampliore Atque Tranquilliore Statu Est, *Erizzus.* Ad argenteum Augusti nummum, cum omnibus hisce notis, in corona civica; de quibus apud *Suetonium* in Augusti vita, & *Ursinum* ad L. Mescinii Rufi Triumviri nummum argenteum; necnon & apud *Philonem Judæum*, *Legatione ad Cajum.*

IO. OPT. MAX. D. D. Jovi Optimo Maximo Dedicatum.

IOV. ET. HERCVL. CONSER. AVGG. Jovi Et Herculi Conservatori Augustorum.

JOVI. AVGG. Jovi Augustorum. *Hulsius* in *Serie Roman. Impp.* ad Imperatoris Diocletiani aureum nummum; in quo figura coronata, sedens, dextra Victoriolam cum serto, sinistra hastam puram tenens.

IOVI. FVLMIN. FVLG. Jovi Fulminatori Fulguratori. *Cicero* 2. *de Nat. Deor. Augures nostri; cum dicunt Jovem Fulgentem, Tonantem, dicunt, Cœlo Fulgente & Tonante.*

IOVI. O. M. OB. C. S. Jovi Optimo Maximo Ob Cives Servatos.

IOV. TON. Jovi Tonanti. *Erizius. Angelonus.* ad argenteum Augusti numisma, in quo templum, cum Jove stante; de quo sic *Suetonius in Aug. cap.* 29. *Publica opera plurima extruxit, ex quibus vel præcipua, Forum, cum æde Martis Ultoris, Templum Apollinis in Palatio, ædem Tonantis Jovis in Capitolio.* Atque mox: *Tonanti Jovi ædem consecravit, liberatus periculo, cum expeditione Cantabrica per nocturnum iter lecticam ejus fulgur perstrinxisset, servumque prælucentem exanimasset.*

JOVI. T. VICT. CONSER. DD. NN. ET. CAES. Jovi Tonanti Victori Conservatori Dominorum Nostrorum Augusti Et Cæsaris. *Santamantius.* In nummis.

JOVR. DEIC. Juri Dicundo.

I. P. Indulgentissimo Patrono. *Probus E ussii.*

In Pace. *Manutius.*

In Platea. *Magno.*

In Populo. *Gratiosus.*

In Possessione. *Probus. Ms: Zabarella. Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius.*

In Possessionem. *Manutius.*

In Provincia. *Sarainas. Manutius.*

In Publico. *Magno. Manutius.*

Intra Posuit. *Probus Ernstius. Manutius.*

Intra Provinciam. *Probus Ernstius. Papias. Manutius.*

Jus Pontificium. *Manutius.*

Jus Potentium. *Sarainas. Manutius.*

Jus Præcepti. Jus Prætoris. *Diaconus. Manutius.*

Jus Prætorium. *Papias.*

Justa Persona. *Probus. Ms: Zabarella. Appianus. Lazius. Manutius.*

Justus Possessor. *Probus. Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius.*

I°. P. Intra Posuit. *Diaconus. Manutius.*

I. P°. Intra Provinciam. *Diaconus. Ms: Rhodii. Manutius.*

J. P.

✠. P. Intra Provinciam. *Ms: Zabarella.*
IP. A. Imperator Augustus. *Papias.*
IPC. Impositione. *Probus.*
I. PC. Jus Perpetuum. *Papias.* Si tamen constet.
Jus Præcepti. *Probus Ernstii.*
I. PCE. Jus Præcepti. *Diaconus. Manutius.*
IP. CS. Imperator Cæsar. *Diaconus. Manutius.*
I. PINA. In Piscina. *Gratiosus.*
I. PNA. In Piscina. *Probus Ernstii. Diaconus. Manutius.*
I. P. N. M. P. XV. Julia Paterna Narbonensis Martia Pedes Quindecim. *Scaliger.* In monumentis Coloniæ Narbonensis.
IPO. Impositio. *Gratiosus.*
I. P. S. Jovi Pagnico Sacrum. *Probus Ernstii.* Paganicus Juppiter, quia forte Paganicis Feriis venerandus. Paganicæ namque feriæ *agricultura causa suscipiebantur*, ait, *Varro de Ling. Lat. lib.* 5. erantque a *b* aganalibus feriis diversæ; hæ quippe solius cujuslibet pagi erant, teste *Varrone* loco citato.
I. PS. In Piscina. In Positione. *Manutius.*
In Possessione. *Diaconus. Ms: Rhodii. Manutius.*
I. P̄S. In Possessione. *Magno.*
IPS. Impositione. *Papias.*
I. PT. In Positione. *Diaconus.*
In Potestatem. *Manutius.*
I. PTE. In Pariete. *Probus Ernstii. Diaconus. Manutius.*
I. PTO. In Puteo. *Probus Ernstii. Diaconus. Ms: Rhodii. Gratiosus. Manutius.*
I. PRTO. In Prato. *Sarainas. Manutius.*
I. Q. Jure Quiritum. *Magno. Manutius.* Ad quæ *Ernstius* diligentissimus, *capite* 9. *Notar. Probi.*
Jus Quiritum. *Papias.*
I. Q. P. IdemQue Probavit. *Scaliger.* Occurruntque hæ notæ in lapidibus dedicatis, vel in monumentis aperum, aut locorum publicorum, ut patet in saxis, cum notis F. C. I. Q. P.
I. QRC. In Quercu. *Ms: Rhodii. Sarainas. Manutius.*
I. R. Jovi Regi. Quod & expressum in saxis legitur, & præsertim *pag.* 1065. 4.
Junoni Reginæ. *Scaliger.*
Jure Romano. *Probus. Sarainas. Manutius.*
Jure Rogavit. *Probus. Manutius.* In Legibus & Plebiscitis.
Juribus Romanis. *Laxius. Manutius.*
Juribus Romanorum. *Appianus. Manutius.*
Jus Romanum. *Laxius.*
Jus Romanorum. *Probus. Appianus. Laxius.*
I. R̄. Juribus Romanorum. *Probus. Ms: Zabarella.*
IR̄. Jure. *Magno.*
IR. Irruo. Irrumpo. *Gratiosus.*
✠ RM. Interim. *Magno.*
I. S. Ibi Sunt. *Gratiosus.*
Ii Sunt. *Diaconus. Manutius.*
In Senatu. *Probus. Ms: Zabarella. Gratiosus. Sarainas. Appianus. Laxius. Manutius.*
In Suis. In sepulcralibus saxis, alicujus pietatem indicantibus, ut inter plurima, ex isto patet *pag.* 682. 2.

Q. FABIVS. Q. F. QVIRIN
FABIANVS. ILVRCONENS
IDEM. PATRICIENS. ANN
XXXXIIII. PIVS. I. S. H. E
S. T. T. L

Jovi Sabatio. *Probus*, ad quem *Ernstius Notar. cap.* 9. quærit, an Juppiter iste aliquis sit ex trecentis Jovibus Varronis; an legendum sit potius *Jovi Stratio*, qui tanquam Imperator exercitus, vel militaris apud Veteres colebatur. Cui secundæ sententiæ lubens subscribo; siquidem Bacchum, non autem Jovem, Sabatium cognominatum docet *Lilius Gregorius Gyraldus Hist. Deor. Syntag.* 8. ad quem rei hujus plenius cognoscendæ causa lectorem remitto.
Jovi Sacrum. *Probus.*
Judicatum Solvi. *Probus. Papias. Appianus. Manutius.* Si in Edictis perpetuis.
Judices Sunto. *Manutius.*
Judicio Senatus. *Probus. Ms: Zabarella. Appianus. Laxius. Manutius.*
Judicium Solius. *Probus. Manutius.*
Judicium Solvit. *Probus. Ms: Zabarella*, ac reliqui. Si in Edictis perpetuis.
I. S. C. In Senatus Consulto. *Probus. Diaconus. Ms: Zabarella. Appianus. Laxius. Manutius.*
Judex Sacrarum Cognitionum. *Manutius. Scaliger.*
Judicio Sunt Creati. *Manutius.*
I. S. C. D. N. M. Q. E. D. D. Judex Sacrarum Cognitionum Devotus Numini MajestatiQue Ejus Dedicavit. Ita ultimo ævo Imperatorum, ministri illis fœde adeo adulabantur; erant enim omnes istæ notæ, Cæsaribus ac Imperatoribus dicatis lapidibus, inscriptæ, ut abunde ex isto *pag.* 286. 4. palam est:

D. N VALENTI
MAXIM. PRINCIPI
SEMPER AVGVST
L VOCONTIVS. VICASIVS. V. C
PRAEF. VRBI. ITER. PRAEF
LEG. VI. PRAEF PR. PR. PROV
GAL. PROC. XX. HER. EIVSDEM
I. S. C. D. N. M. Q. E. D. D

I. SCL. In Scala. *Ms: Rhodii. Sarainas. Manutius.*
I. S. D. Inferis Sacrum Diis. *Manutius.*
In Seris Dis. In Serus Diis. *Probus. Manutius.* Quam dicendi formulam ignorare me fateor, cum typographicum errorem hic non agnoscam; nisi legendum potius *Jovi Sacrum Dedit*, seu *Junoni*.
IISDE. COSS. Iisdem Consulibus.
I. S. F. In Senatu Fuerunt. *Probus Ernstii. Diaconus. Manutius.*
I. S. H. E. S. T. T. L. In Suis Hic Est Sit Tibi Terra Levis. In sepulcralibus, quarum singulis præmittas *Pius*.
I. S. L. M. Ipse Sibi Locum Monumenti. In sepulcralibus.
I. S. L. M. Ipse Solvit Libens Merito. In votivis monumentis, ut abunde saxa monstrant.
I. S. M. R. Juno Sospita Magna Regina. *Erizius. Ursinus*, ad nummum argenteum gentis Thoriæ, plebejæ, apud Romanos, in quo visitur Junonis Sospitæ caput, cujus simulacrum, ut *de Nat. Deor.* scribit Cicero, Lanuvii colebatur, *cum pelle caprina, hasta, scutulo, & cum calceolis repandis.* Cur autem Juno, & Magna, & Regina, & Sospita dicta, satis probatur a *Lilio Gregorio Gyraldo Hist. Deor. Syntag* 3.
I. SN. In Senatu. *Ms: Rhodii. Magno.*
I. SN. F. In Sententia Fuerunt. *Gratiosus.*
I. SN. R. In Senatu Romano. *Probus. Diaconus. Magno. Manutius.*
I. S. R. C. E. In Senatu Romano Consultum Est. *Gratiosus.*
I. S. S. Inferius Scripta Sunt. *Probus. Ms: Zabarella. Manutius. Scaliger.*

ISTETIT.

ISTETIT. *Pro* Stetit. In *Roma Subterranea Tom.* 1. *lib.* 3. *cap.* 22. cujus hoc est monumentum:

SEVERINAE FILIAE BENEME
RENTI FECI QVE ISTETIT
IN SECVLO ANNIS Ñ II E DIES NX

I. S. V. P. Impensa Sua Vivus Posuit. *Scaliger.* Impensa Sua Vivi Posuere. Ipsi Sibi Viventes Posuere. Quæ omnia huic Saxo consona apparent *pag.* 994. 2.

D. M
ET. MEM
VERERIAE
ET. LVTTI
MARCINI
CIVIS. LVG
DVNENSIS
I. S. V. P

IT. Intra. *Papias. Gratiosus.*
Iterum. *Panvinius. Scaliger.*
Item. *Sarasnas.*
TI. Item. *Manutius.*
I. T. Intra Tempus. *Probus. Ms: Zabarellæ. Rhodii. Magno. Papias. Appianus. Lazius. Manutius.*
Jure Testamenti. *Probus. Ms: Zabarella. Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius.*
ɣ. T. Intra Tempus. Jure Testamenti. *Probus.*
IT. Item. *Magno.*
Inter. Interdum. Institutus. *Papias.*
ITA. Interea. *Papias. Gratiosus.*
ITA. LEG. Ita Legavit. *Augustinus.*
IT. AR. Intra Aream. *Gratiosus.*
IT. AR. S. L. E. D. Intra Aream Sacrarii Locellum Est Dedicatum. *Gratiosus.*
Intra Aream Sacer Locus Est Dedicatus.
I. TBA. In Tabula. *Ms: Rhodii. Sarasnas. Manutius.*
I. T. C. Intra Tempus Constitutum. *Probus. Ms: Zabarella. Rhodii. Magno. Papias. Lazius. Manutius.*
ɣ. T. C. Intra Tempus Constitutum. *Probus*
IT. COSS. Iterum Consulibus.
I. T. C. V. N. T. D. Intra Tempus Constitutum Victoriam Nobis Tribuerunt Dii. *Gratiosus.*
ITE. Interest. *Papias. Gratiosus.*
ITHM. Item. H pro E, ut observavimus, ad literam B, voce *Benemerenti.*
ITER. Iterum. *Angelanus.*
ITER. HONOR. IN. CVR. FVNCT. Iterum Honoribus In Curia Functus.
ITE. TR. C. CAES. Iterum Cæsar Interfuit. Triumpho Cæsaris. *Gratiosus.*
I. THTR. In Theatro. *Probus Ernstii.*
IT. II. CL. Intra Duos Colles. *Diaconus. Gratiosus. Manutius.*
IT. II. SPCL. Intra Duo Sepulcra. *Probus Ernstii. Diaconus. Gratiosus. Manutius.*
IT. LM. Intra Limen. Intra Limites. *Diaconus.*
I. T. P. In Tuo Tempore. *Papias.*
IT. P. Intra Pedes. *Manutius,*
Intus Pedes.
ITP. Interposuit. *Papias.*
I. TPL. APL. In Templo Apollinis. *Probus Ernstii. Diaconus. Gratiosus. Manutius.*
IT. P. VI. Intra Pedes Sex. *Diaconus. Manutius.*
Juxta Pedes Sex. *Probus Ernstii.*
IT. P. XIII. Intra Pedes Tredecim. *Diaconus. Gratiosus.*
ITQ. Itaque. *Magno.*

ITA. AR. Intra Aream. *Probus Ernstii*
I. T. T. In Tuo Tempore. *Probus Ernstii.*
IT. T. H. OP. S. A. Intra Tempus Hoc Optima Sunt Agenda. *Gratiosus.*
I. T T. S. D. I. V. Q. D. Q. In Tuo Templo Sacellum Dicabitur Jovi Universisque Diisque. *Gratiosus.*
I. V. Justus Vir. *Probus. Sarasnas. Appianus. Lazius. Manutius.*
IV. Jus. *Gratiosus.*
IV. Quatuor. *Probus. Manutius.*
IVD. Judex. *Papias. Gualtherius.*
Judicium. *Probus. Ms: Zabarella. Magno. Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius.*
Judicio. *Manutius.*
IVDA. Judicia *Magno.*
IVD. CAP. Judæa Capta. In nummis æreis, argenteis, & aureis Vespasiani & Titi Impp. in quibusdam captivus sedens ad tropæum, in aliis stans symbolum Hierosolymæ devictæ, cum scilicet Vespasianus & Titus de Judæis, Hierosolymitanis, Palæstinis, & Syria triumpharunt.
IVD. IIII. DEC. Judex Quartæ Decuriæ. Tres Judicum Decurias ante Augusti tempus extitisse constat e *Suetonio*, qui in eo narrat, quod *ad tres judicum Decurias, quartam addidit, ex inferiore censu, quæ Ducenariorum vocaretur, judicaretque de levioribus summis.*
IVD. EX. V. DEC. Judex Ex Quinta Decuria. Hujus Decuriæ auctorem, Caligulam *Suetonius* facit in eo: *Ut levior labor judicantibus foret, ad quatuor priores, quintam Decuriam addidit.* Circa istas Judicum Decurias observat *Alexander ab Alexandro Gen. Dier. lib.* 2. *cap.* 22. quod *Decuriæ Judicum, quæ ex ordine equestri deligebantur, pluribus discreta nominibus fuere; quippe alii Tribuni ærii, alii Selecti, nonnulli appellati sunt Judices.* Selectos vero ceteris frequentiores saxa exhibent, in quibus ut plurimum legitur, Selectus e quarta, Selectus e quinta Decuria.
IVDO. Judicio. *Magno.*
IVD SACR. COGNITION. Judex Sacrarum Cognitionum.
I. V. E. E. RP. F. S. V. C. Ita Ut Eis E Republica Fideve Sua Videbitur Censuere. *Scaliger. Brissonius*, qui *de Formulis lib.* 2. adnotavit hanc fuisse dicendi formam, qua plerumque Senatus consulta claudebantur.
IVG. Jugali. In Deorum Lapidibus ac Junonis præcipue, ut in Saxo *pag.* 24. 15.

IVNONI. IVG
SEX. CALPVRNIVS
SEX. F. VETVRIA
IVVENATIVS
IIII. VIR. QVINQVE
D. D

Jugalis, propter jugum, quod in matrimonio ponebatur conjugandis; unde & Juno Jugalis. Ita *Servius* ad illud *Virgilii Æneid. lib.* 3.

Nec cui me vinclo vellem sociare jugali.

IVL. Julia. Tribus scilicet, quæ aliis noviter non fuit addita, *Dione* teste *Hist. lib.* 44. inter diversos Julio Cæsari decretos honores Senatus voluit, *unam Tribum, forte adhoc ipsum delectam, Juliam cognominari.*
Julii. *Papias.*
Julius. *Magno. Manutius. Scaliger.* Mensem Quinctilem, quia in eo Julii Cæsaris natalis competebat,

petebat, Senatus decrevit in illius honorem Julium vocandum. *Dio Hist. lib.* 44.

IV. L. ADMRBL. Invenies Locum Admirabilem. *Diaconus. Manutius.*

IVLANVS. Julianus *Magno.*

IVL. ANTON. M. F. Julius Antonius Marci Filius. In nummis argenteis gentis Antoniæ.

IVL. AVG. MAT. CAES. Julia Augusta Mater Cæsarum. Hæc illa est Julia Septimii Severi uxor, M. Aurelii Antonini, cognomento Caracallæ, & Antonini Getæ Cæsarum & Imperatorum mater.

I. VLL. In Valle. *Ms: Rhodii. Sarainas. Manutius.*

IVL. P. AREL. Julia Paterna Arelate. *Scaliger.* Arelate Colonia Julia Paterna dicta, quia à C. Julio Cæsare deducta, ad distinctionem illarum, quas deduxit Augustus, quæ dictæ Juliæ Augustæ.

IVN. Junia. *Rubens.* Junia gens Romæ patritia & plebeja. Patritia defecit in L. Junio Bruto, qui Reges urbe ejecit: liberos enim non reliquisse scribit *Dionysius Halicarnassens Hist. lib.* 5. Hanc originem traxisse ostendit *Streinius de Gentib. & Famil. Rom.* a Junio Æneæ comite ejusdem *Dionysii* auctoritate *Hist. lib.* 4. Plebeja vero Reipublicæ Romanæ ævo floruit in varias divisa familias, sc. in Silanos, Brutos, & Bubulcos.

Junias. *Magno.*

Juniorum. *Sarainas. Manutius.*

Junius. *Rubens.*

IVN. D. D. OV. N. II. Junioribus Dis Deabus Oves Numero Duas, *vel* Nefrendes.

IVNI. Junior. *Ursinus.* In sacrificiorum lapidibus, Deæ Diæ præcipue.

IVN. HAST. Juniorum Hastatorum. In militaribus.

IVN. LVN. REG. SACR. Junoni Lunæ Reginæ Sacrum. Ita lego in saxo *pag.* 25. 8.

IVN. LVN
REG. SACR
P. VITVLLIVS
PHILOLOGVS
VI. VIR. AVG
INFERIO

Ut scilicet hoc in epigrammate Juno & Lucina idem essent, nempe Lucina parturientium Dea; cum secundo *de Nat. Deor.* habeat *Cicero: Luna a lucendo nominata est, eadem enim est Lucina. itaque ut apud Græcos Dianam, eamque Luciferam, sic apud nos Junonem Lucinam in pariendo invocant.*

IVNON. ET. PROSERPIN. Junoni Et Proserpinæ. *Probus. Appianus. Lazius. Manutius.*

IVNONIB. Junonibus. Ut in Saxo *pag.* 24. 2. quod etiam ibi numeris tertio, quarto, & quinto expressum legitur.

IV. NON. M. Quarto Nonas Majas.

IVNO. R. ET. MINER. SAC. Junoni Reginæ & Minervæ Sacrum. In Deorum cippis.

IV. PR. Jus Præcepti. *Gratiosus.*

IVRD. Juridicus. In lapidibus, in quibus magistratuum est mentio.

Jurisdictio. *Probus. Ms. Zabarella. Sarainas. Manutius.*

IVR DIC. Jure Dicundo. *Scaliger.* In lapidibus Coloniarum, in quibus duo, vel quatuor viri Juri dicundo recensentur.

IVRIDIC. Juridicus. *Gualtherius.* Juridici dicti, qui Italiæ, seu per Italiam, Juri dicundo a Principe erant præfecti. Hos sub Hadriano Imp. qui primus hoc munus instituit, Consulares dictos, facile est ex Spartiano cognoscere, qui eum *Quatuor Consulares per omnem Italiam judices constituisse* scribit. Quos postea Juridicos appellatos, diverso nomine, sed non diversa auctoritate, sub M. Antonino Philosopho, ex Julio Capitolio, hisce verbis intelligitur: *Datis Juridicis, Italiæ consuluit, ad id exemplum, quo Hadrianus Consulares viros reddere jura præceperat.* At Juridicos non tantum per Italiam, sed extra quinetiam missos saxa indicant, in quibus mentio est *Juridici per Ægyptum, Assyria* & *Gallacia.*

JVRID. PER. FLAM. ET. VMBR. Juridico Per Flaminiam Et Umbriam.

IVR. MILIT. Jure Militari.

IVR. REG. Juridicus Regionis.

IVT. FLM. Juxta Flumen. *Ms. Rhodii. Sarainas. Manutius.*

IV. T. Quatuor Tituli. *Gratiosus. Manutius.*

Quatuor Tribuni. *Manutius.*

I.V.T. TARRACON. Julia Victrix Tyrrhenica Tarraco. Cur Tarraco Tyrrhenica dicta, monet Augustinus *in Dialogis Hispan.*

IVV.
IVVEN. } Juvenis. Juventus. *Probus.*

Juventutis. *Sarainas.*

IVVEN. M. Juvenum Moderator.

IVVEN. MED. Juvenes Mediolanenses.

IXI. Duodecies. *Magno.*

Nonus Decimus. *Diaconus. Papias. Gratiosus.*

Mille. *Probus Ernstii.*

I. XII. Novem Decies. *Diaconus.*

In Duodecies. Jus Duodecies. *Probus Ernstii.*

IXIX. Duodevigesies. *Diaconus. Gratiosus.*

Duodeviginti. *Diaconus.*

IXXI. Duodevicies. *Magno.*

IXI. Juxta Lacum. *Ms: Rhodii. Sarainas. Manutius.*

IXT. PRIM. Juxta Parietem. *Ms: Rhodii. Sarainas. Manutius.*

K.

K Kæso. *Scaliger.*

K. Kæso. *Panvinius de Lud. Circens. lib.* 1. *cap.* 13. ubi lapidem explicat aurigantium, in quo equorum enumerantur colores.

Kæso. *Goltzius. Scaliger. Cæsones appellantur, ex utero matris exesti, ait, Festus,* scilicet ex ventre secto extracti. Prænomen hoc quandoque fuisse loco cognominis indicant antiqua Saxa, & præcipue istud *pag.* 535. 1.

D. M. S
M. CAELIO L. F
MVTILO
VETER. LEG. XXX
V. V
M. T. CAESI. M. F
KESONES. HERED
EX. TESTAMENTO. FEC
ADIECT. H-S. IX ∞

Kæsus. *Papias.*

Kaja. *Scaliger.*

Kalendæ. *Velius Longus de Orthographia. Scaurus. Probus. Ms: Zabarella. Magno. Papias. Appianus. Lazius. Manutius. Scaliger.*

Kalendas. *Goltzius. Gustherius.*

Kalendis. *Sarainas. Manutius.*

Kalumnia.

Kalumnia. *Scaurus. Velius Longus. Papias. Lipsius. Manutius. Hugo.*

Kandidato. *Gualtherius.*

Kandidatus. *Scaliger.* Candidati erant, qui candida veste sine toga, quum comitia habebantur, singulas tribus prensabant & circuibant, suffragia pro se ipsis rogando. plura de candidatis præter cæteros *Alexander ab Alexandro Gen. Dier. lib. 4. cap. 3.* præter ea, quæ de illis habent omnes de Comitiis auctores; mitto Candidatos Quæstores, de quibus suo loco.

Kapite. *Sarainas. Manutius.*

Kaput. *Scaurus. Velius. Probus. Diaconus. Papias. Sarainas. Manutius.*

Kardo. *Probus. Sarainas. Manutius.* Cardo quid esset, patet ex Julio Frontino *de Limitibus Agrorum*, qui ait: *Primum duos limites duxerunt, unum ab Oriente in Occasum, quem vocarunt Decumanum: alterum a Meridiano ad Septentrionem, quem Cardinem appellaverunt. Decumanus autem dividit agrum dextra & sinistra; Cardo citra & ultra. Quare Decumanus, a decem potius, quam a duobus vocatur, cum omnis ager eo fine in duas dividatur partes, & ut Dupondium, & Duoviginti, quod dicebant antiqui, nunc dicitur Dupondium, & Doviginti; sic ex Duodecimanus factus est Decumanus. Cardo nominatur, quod directum a cardine Cœli est; nam sine dubio Cœlum vertitur in Septentrionali Orbe.* Ideo *Isidorus Origin. lib. 15. cap. 14.* scribit, quod *Limites maximi in agris sunt duo, Cardo & Decumanus. Cardo, qui a Septentrione directus a cardine Cœli est: nam sine dubio Cœlum vertitur in Septentrionali Orbe. Decumanus est, qui ab Oriente in Occidentem per transversum dirigitur, qui pro eo quod formam X. faciat, Decumanus est vocatus.* Non semper tamen hunc servasse Cœli situm, Cardinem & Decumanum limites, ostendit Frontinus citato loco. Non me fugit tamen, & *Cardinem locum esse*, ut etiam cum *Isidoro* allato loco loquar, *in quo ostium vertitur, & semper movetur, dictum* ἀπὸ τῆς καρδίας, *quod quasi cor hominem totum, ita ille cuncta januam regat & moveat.*

Karissima. *Appianus. Lazius. Manutius.*

Karissime. *Magno. Papias.* Sæpe in rescriptis Principum ultimi ævi.

Karissimus. *Probus. Diaconus. Manutius.*

Karo. *Probus.*

Karthago. *Sarainas. Manutius.*

Karus. *Manutius.*

Kastra. *Diaconus. Appianus. Lazius Manutius.*

Kato. *Velius.*

Klarissimus. *Probus Ernstius.*

Kœlius. *Diaconus. Ms: Rhodii. Magno. Papias. Manutius.*

Kondemnati. *Manutius.*

Quinquaginta. *Antiquus Codex de Notis Numerorum.*

Ꝁ. Karissima. *Probus. Diaconus. Ms: Zabarella,* & reliqui fere omnes. Io mulierum monumentis.

Kaja. *Scaliger.*

K̄. Kalendæ. *Diaconus. Ms: Rhodii.*

Kalendis. *Diaconus.*

Karissimi. Kastra. *Ms: Rhodii.*

Centum Quinquaginta Millia. *Antiquus Codex de Notis Numerorum.*

KA. Karissima. *Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius.*

Karissime. *Velius.*

Kastra. *Magno. Sarainas. Manutius.*

K̄A. Kaduca. *Papias.*

Ꝁ. Kastra. *Probus.*

K°. Kastra. *Ms: Zabarella.*

KAD. P. S. Kadomi Pecunia Signata. *Hulsius* ad Honorii Imp. nummum æreum, in quo Imperator paludatus conspicitur, dextra labarum, sinistra globum, & ad pedes captivum tenens; ibique observat, illas nummi notas significare forsitan *Kadomi Pecuniam Signatam*, quæ Galliæ urbs est, hodie *Caen* vulgo dicta.

KA. F. I. Kæso Fabius Inscripsit. Kalendis Februariis Inscripsit. *Servius.*

Karissimæ Fieri Jussit, *vel* Karissimo. Sæpe in sepulcralibus.

KA. FI. Kastra Fixit. *Papias.*

K. AG. Kalendæ Augusti. *Magno.*

KAL. Kalendæ. *Probus. Manutius. Scaliger.*

Kalendas. *Goltzius. Scaliger.* Passimque, ubi Kalendarum mentio occurrit.

KAL. IAN. Kalendis Januarii, *vel* Januariis. *Probus.* In more autem positum fuit apud Romanos, ut observat *Hercules Ciofanus* ad *Ovidii Ibin*, Kalendis Januarii læta & jucunda verba profari. unde *Ovidius Fast. lib. 1.*

Prospera lux oritur, linguis, animisque favete;
Nunc dicenda bono sunt bona verba die.

ad quæ forte alludit & *Tibullus lib. 2. Eleg. 2.*

Dicamus bona verba, venit natalis ad aras;
Quisquis ades lingua vir mulierque fave.

Ex quo instituto, majores nostri, nosque mutuati sumus novi anni initium faustum atque auspicatum precari.

K̄. AP. Kalendis Aprilis. *Diaconus. Ms: Rhodii. Magno.*

KA. P. Kastra Posuit. *Papias.*

K. APR. Kalendis Aprilis.

K. APR. N. Kalendis Aprilis Nefastus. *Rosinus.* Nefastus dies erat apud Romanos, in quo Prætori tria illa verba solemnia Do, Dico, Addico, effari vetitum erat, hoc est, jus reddere. de quo fusius littera N.

KAR. Kardo. *Sarainas Manutius.*

Karissima.

Karissimus. *Probus. Ms: Zabarella. Sarainas. Appianus. Manutius.*

Karo.

Karthago. *Probus. Ms: Zabarella. Magno. Sarainas. Appianus. Manutius.*

KARC. Karceris. *Scaliger.*

KAR. C. Karthago Civitas. *Probus Ernstii. Diaconus. Papias. Manutius.*

KARISS. Karissimæ.

KARISSIM. Karissimo.

KAR. M. } Kardo Maximus. *Appianus. Lazius.*
KAR. MAX. }

KARN. Karnutum.

K̄ARO. Karthago. *Diaconus. Manutius.*

K. AVG. Kalendæ Augusti. *Probus. Ms: Rhodii. Manutius.*

Kalendis Augusti. *Probus. Manutius.*

K. B. Karitas Bona. *Papias.*

K. B. M. Karissimæ Bene Merenti. *Servius vel* Karissimo. In sepulcralibus.

K. C. Kalumniæ Causa. *Diaconus. Manutius.*

Kapite Cæsus. *Probus. Diaconus. Ms: Rhodii. Magno. Sarainas. Manutius.*

Kapite Censitus. *Probus.*

Kapite Census. *Diaconus. Papias. Appianus. Lazius. Manutius.*

Kapite Censum. *Probus. Appianus. Lazius.*

Karthago Civitas. *Probus. Ms: Zabarella. Rhodii.* nesque alii.

K. CON. ɵ. Karissimæ Conjogi Defunctæ. Ita lego in Saxo sepulcrali *pag.* 813. 4

D. M
ONOTINVS AC
RVFINAE K
CON. ⊖
ANN. XXXV
S. S. V. F

K. D. Kalendæ Decembris. *Manutius.*
Kapite Decedit. *Papias.*
Kapite Diminutus. *Probus. Diaconus*, cæterique notarum explicatores.
Kapite Donatus. *Diaconus. Manutius.*
Kaſtra Dedicamus. Kaſtra Dedicantia. Kaſtra Dedicavit. Kaſtra Dedititia. *Appianus. Lazius.*
K D. D. Kaſtra Dedicamus. *Manutius.*
Kaſtra Dedicantia. *Ms: Rhodii. Manutius.*
Kaſtra Dedicaverunt. Kaſtra Dedicamus. *Manutius.*
K. DD. Kaſtra Dedicamus. *Probus.*
Kaſtra Dedicantia. *Probus. Ms: Zabarellæ. Rhodii. Saraınas.*
Kaſtra Dedicaverunt. *Probus.*
Kaſtra Dedicavit. *Probus. Diaconus. Ms: Zabarella. Saraınas.*
Kaſtra Dedititia. *Magno.*
K̄. DEC. Kalendis Decembris. *Ms: Rhodii. Magno.*
K̄. F. Kæſonis Filius.
Kalendas Februarias. *Magno.*
Kalendis Februariis. *Diaconus.*
Kardo Finalis. *Probus. Diaconus. Ms: Zabarellæ.* omneſque cæteri. Cardo finalis, ex obſervatione *Ernſtii* ad *caput* 10. *Notar. Probi.* eſt limes per agrum currens, cum Plinio; cum Livio, limes Imperii Romani.
Kariſſimæ Filiæ. Kariſſimo Filio. Kariſſimæ Feminæ.
K. FABI. AMBVST. Kæſo Fabius Ambuſtus. In argenteis nummis gentis Fabiæ.
K. F. A. N. Kæſonis Filius Auli Nepos.
K. F. AP. N. Kæſonis Filius Appii Nepos.
K. F. C. N. Kæſonius Filius Caji Nepos.
K. F. CN. N. Kæſonis Filius Cnæi Nepos.
K. F. D. N. Kæſonis Filius Decimi Nepos.
K. FEB. N. Kalendis Februariis Nefaſtus. *Rosinus.*
K. FEBR. Kalendæ Februarii. *Manutius.*
K̄. FES. Kalendis Februariis. *Diaconus.*
K. FI. Kaſtra Fixit. *Probus Ernſtii.*
K. F. K. N. Kæſonis Filius Kæſonis Nepos. *Goltzius.*
K. F. L. N. Kæſonis Filius Lucii Nepos.
K. F. M. N. Kæſonis Filius Marci Nepos.
K. F. M'. N. Kæſonis Filius Manii Nepos.
K. F. N. N. Kæſonis Filius Numerii Nepos.
K. F. P. N. Kæſonis Filius Publii Nepos.
K. F. Q. N. Kæſonis Filius Quinti Nepos.
K. FR. Kalenæ Februarii. *Ms: Rhodii.*
K. F. SER. N. Kæſonis Filius Servii Nepos.
K F. SEX. N. Kæſonis Filius Sexti Nepos.
K. F. SP. N. Kæſonis Filius Spurii Nepos.
K. F. T. N. Kæſonis Filius Titi Nepos.
K. F. TI. N. Kæſonis Filius Tiberii Nepos.
K. FX. Kaſtra Fixit. *Diaconus. Manutius.*
K. I. Kalendæ Januarii. *Probus. Appianus. Lazius. Manutius.*
KI. Kariſſimi. *Diaconus. Manutius.*
K. IA. Kalendæ Januarii. *Probus. Manutius.*
Kalendis Januarii. *Diaconus. Manutius.*
K. IAN. Kalendæ Januarii. *Probus. Ms: Zabarellæ. Rhodii. Appianus. Lazius. Manutius.*
Kalendas Januarias. *Magno.*

Kalendis Januarii. *Diaconus. Saraınas. Manutius.*
K. IAN. F. Kalendæ Januarii Faſtus. *Rosinus.* Diebus Faſtis Prætori fari licebat tria verba ſollemnia, hoc eſt, jus reddere.
K. IVL. Kalendæ Julii. *Ms: Rhodii. Manutius.*
Kalendas Julias. *Magno.*
K. IVN. Kalendæ Junii. *Ms: Rhodii. Manutius.*
Kalendas Junias. *Magno.*
KK. Kalumniæ Cauta. *Papias. Appianus. Lazius.*
Kariſſima. *Diaconus. Manutius.*
Kariſſimæ.
Kariſſimi. *Diaconus. Ms: Rhodii. Magno. Papias. Saraınas. Manutius.*
K. K. Kalumniæ Kauſa. *Probus. Iſidorus. Manutius.*
KK ST. CNC. SPLC. Cara Sunt Cernenda Sepulcra *Diaconus.*
K. L. Kæſonis Libertus.
Kariſſimæ Libertæ. Kariſſimo Liberto. Aliquando in Libertorum cippis.
KL. Kalendæ. *Ms: Zabarellæ. Papias. Saraınas. Appianus. Manutius.*
Kalendis. *Probus.*
KL̄. Kalendis. *Ms: Zabarella.*
KLD. Kalendas. *Diaconus.*
KL. DEC. Kalendis Decembris. *Diaconus.*
KLEND. Kalendis.
K. L. III. Kaput Legis Tertium.
K. L. IIII. Kaput Legis Quartum. In legibus & plebiſcitis per capita diſtinctis, ac præcipue in eis de Aquæductibus apud Frontinum.
KL. NOV. Kalendis Novembris.
KL. OCT. Kalendis Octobris.
KL. SEP. Kalendis Septembris.
K. L. V. Kaput Legis Quintum.
K. M. Kardo Magnus. *Saraınas.*
Kardo Marinus. *Diaconus. Ms: Rhodii. Manutius.*
Kardo Maximus. *Probus. Diaconus. Ms: Zabarella. Papias. Saraınas. Manutius.*
K.M̄. Kardo Maximus. *Magno.*
K̄M. Kariſſimus. *Diaconus.*
K̄. MA. Kalendis Maji. *Diaconus. Ms: Rhodii.*
K. MAR. Kalendæ Martii. *Diaconus. Ms: Rhodii. Manutius.*
K. MAR. N. P. Kalendæ Martii Nefaſtus Primo. *Rosinus.* Hoc eſt: mane Prætori fari non licebat, poſt prandium licebat.
KME. Kariſſime. *Papias.*
K. MN. Kapitis Minutionem. *Papias.*
K. MR. Kara Memoria. *Diaconus. Manutius.*
Kœlius Mortis. *Probus Ernſtii.*
K̄MT̄. Kœlimontanus. *Magno.*
K. N. Kæſonis Nepos. *Scaliger.*
Kalendæ Novembris. *Manutius.*
Kariſſime Nobis. *Briſſonius. Pancirollus*, qui in *Theſaur. Variar. Lect. lib.* 1. *cap.* 76. hæc habet: *Sed & Principes ſuos magiſtratus Cariſſimos vocabant, ut Verinum appellat Conſtantinus l.* 1. *Cod. de Feriis. & Gratianus & Valentinianus Hypatium & Lampadium l. Diu. Cod. de Suſcept. Prap. & Arcar. lib.* 10. quod & abunde confirmatur a *Briſſonio de Formul. lib.* 3.
K. N. B. Kariſſime Nobis Bale. pro Vale. B enim loco V ab antiquis uſurpatum ſæpiſſime indicant lapides non tantum, ſed & Principum Reſcripta: ita *leg. Si quis. Cod. de Accuſat.* legitur: *Habe Criſpine Cariſſime nobis.* & *l. Domin. Cod. de Appellat. Habe Heraclida Cariſſime nobis*, pro Ave ſcilicet.
K. NOV. Kalendæ Novembris. *Ms: Rhodii. Manutius.*
Kalendas Novembris. *Magno.*

KO.

KO. Kardo. *Ms: Rhodii. Magno. Papias. Manutius.*
K. OCT. Kalendæ Octobris. *Manutius.*
Kalendas Octobris. *Magno.*
KOM. Kompositum. *Ms: Rhodii. Sarainas. Manutius.*
KOMSS. Kommissum. *Manutius.*
KOS. Korpus. *Ms: Rhodii.*
KOSM. Kommissum. *Ms: Rhodii. Sarainas.*
K.P. Kardo Positus. *Probus. Diaconus*, & alii.
Karissime Parens. *Brissonius.* Ita etiam magistratus suos Imperatores aliquando vocasse fuse *Brissonius de Formul. lib.* 3. monet, suntque Rescriptorum, ac Constitutionum Principum notæ.
Kastra Peregrina. *Manutius.*
Kastra Posuit. *Probus. Ms: Zabarella. Appianus. Lazius. Manutius.*
Kastra Ponti. *Diaconus. Manutius.*
Kastra Posuit. *Probus. Ms: Zabarella*, & cæteri.
K.P. Kastra Posuit. *Ms: Rhodii.*
KP. Kaput. *Ms: Rhodii.*
K.PR. Kohors Prætoria.
K.PS. Kastra Peregrina. Kastra Posuit. *Diaconus. Manutius.*
K.Q. Kalendæ Quintiles. *Probus. Ms: Zabarella. Magno*, & alii.
Kalendas Quintilis. *Papias.*
Kalendis Quintilis. *Probus. Diaconus. Sarainas. Manutius.*
K.QL. Kalendæ Quintilis. *Ms: Rhodii.*
K. QVIN. Kalendas Quintilis.
K. QVINCT. Kalendæ Quintiles. Kalendis Quintilis. *Manutius.*
KR. Karissimus. *Manutius.*
Karitas. *Papias.*
Karthago. *Manutius.*
Khorus. *Probus Ernstii. Diaconus. Manutius.*
KRA. C.M. Kara Cave Me. *Diaconus.*
Karissimæ Conjugi Maritus.
KR. AM. N. Karus Amicus Noster. *Probus Ernstii. Diaconus.*
KR.C Kara Civitas. *Manutius.*
Karissimæ Conjugi. Carissimo Conjugi. In sepulcralibus.
KR.M. Kara Memoria. *Probus Ernstii. Diaconus. Manutius.*
Karissimæ Mulieri. Karissimo Marito.
KRM. Karmen, *idest*, Tonus *vel* Sonus. Ita *Diaconus* & *Manutius.*
KR. ST. CND. SPLC. Kara Sunt Cernenda Sepulcra. *Probus Ernstii.*
KR.T. Karitas Tua. *Papias.*
KS. Casus. *Ms: Rhodii.*
Khaos. *Probus. Diaconus.*
K.S. Kalendæ Sextiles. *Probus. Ms: Zabarella. Magno. Appianus. Lazius. Manutius.*
Kalendas Sextilis. *Papias.*
Kalendis Sextilis. *Probus. Diaconus. Sarainas. Manutius.*
Karus Suis. *Manutius.* Quod hoc monumento confirmat *pag.* 695. 10.

MARTIALIS ANN
IIII. K. S
H. S. E. S. T. T. L
L. ANNIVS
MODERATVS

Koujugi Suæ.
K S. Kalendæ Sextilis. *Ms: Rhodii.*
KA. Kasa. *Ms: Rhodii.*
KS.AM.N. Karus Amicus Noster. *Manutius.*

K.SEPT. Kalendæ Septembris. *Ms: Rhodii. Magno. Manutius.*
K. SEXT. Kalendæ Sextiles. Kalendis Sextilis. *Manutius.*
KS. R. N. Karus Rex Noster. *Diaconus. Manutius.*
K.T. Kapite Tonsus. *Probus. Sarainas. Manutius.*
K.Θ. Keraunos Thanatos. Fulguritæ vestis & funestæ inscriptio; ita *Passeratius. Laurentius.* Θ funestum fuisse signum apud antiquos monuimus ad litteram A. nota A. Θ. XVI.

L.

LAs. In *Probo Ernstii*, in quo legitur: *As nummus est libralis, & notatur per L vel ꝗ.*
Lælia. *Probus. Ms: Zabarella. Appianus. Lazius. Manutius.*
Laribus. *Sarainas. Manutius. Lar erat, qui a familia colebatur*; ita *Cato de Re Rust. lib.* 2. propterea Lares dii domestici; atque ideo Lares pro ædibus ipsis. unde *Plautus Trinum. Act.* 1. *Scen.* 2.

Larem corona nostrum decorari volo.

Lares etiam, *Diomede Grammatico* auctore, Grundiles dicebantur, quia Romulus constituerat eos in honorem Scrofæ, quæ 30. porcos pepererat. Grunnire enim olim erat, quod hodie grunnire. Sed non tantum domesticos, verum etiam viales Lares venerata est Antiquitas, siquidem *Arnobio* teste *lib.* 3. *Adversf. Gent. arbitrabatur vulgus, vicorum atque itinerum Deos esse, ex eo quod Græci vicos cognominabant Lauras.* quare Charinus apud *Plautum Mercatore Act.* 5. *Scen.* 2.

—— —— —— CH. *invoco*
Vos Lares viales, ut me bene tutetis.

Sed de Laribus plura, imo quæcumque ad eos spectant, *Gregorius Gyraldus Hist. Deor. Syntagm.* 15.
Latioi. *Sarainas.*
Laudabile. Lector. *Papias. Manutius.*
Legavit. *Manutius.*
Lege. *Sarainas. Manutius.*
Legio. *Scaliger.* Si in militaribus saxis. *Legio quod legebantur milites in delectu. Varro lib.* 4. *de Ling. Lat. nam ab legendo legio.* idem *lib.* 5. *Romani Legiones habebant, in quibus sena millia, interdum amplius militare consueverunt. Vegetius de Re Milit. lib.* 2. *cap.* 2. Sed de Legionibus plura, inter multos, idem auctor *lib.* 2. *capp.* 2. 3. 4. 5. 6. 7. *Pancirollus in Not. Imp. Orient. cap.* 35. & *Joannes Antonius Valtrinius* accurate de *Re Militari lib.* 3 *cap.* 1. Observo tamen, non semper Legionem militum denotasse agmen, sed frequentem hominum turbam, de convivis, & amatoribus intelligo apud Plautum cum *Menæchmo Act.* 1. *Scen.* 3.

ER. *Animemi, Menæchme, salve.* PE. *Quid ego?*
ER. *Extra numerum es mihi*
PE. *Idem istuc aliis adscriptivis ad Legionem fieri solet.*
ME. *Ego istic mihi hodie apparari jussi apud te prandium.*
ER. *Hodie id fiet.* ME. *In eo uterque pro illo potabimus,*
Uter ibi melior bellator erit inventus cantharo,
Tua est Legio.

Lego. *Sarainas.*
Lex. *Papias. Sarainas. Manutius.*

 Libens.

Libens. Tantummodo in votivis aliquando.
Libera. *Manutius.*
Liberta *Appianus. Lazius. Manutius.* Si in monumentis libertorum.
Liberti. *Manutius.*
Libertus. Omnes notarum explicatores.
Libra. *Augustinus. Zabarella.*
Licet. *Papias.*
Lilius. *Sarainas. Manutius.*
Limen. Lis. *Manutius.*
Livius. *Sarainas. Manutius.*
Locavit. *Manutius.*
Locus. *Diaconus. Papias. Gratiosus. Sarainas. Manutius.*

Lollius. *Trebellius.* Lollia gens plebeja feroque Consularis: nam solummodo sub Augusto Consulem habuit M. Lollium Paulinum, illius Lolliæ Paulinæ patrem, quæ Cajo Imp. nupta profusissimum, in mundo muliebri, luxum jactavit, & de quo *Plinius Hist. lib. 9. cap. 35.*

Longum. *Scaliger.*
Lucus. *Manutius.*
Ludus. *Sarainas. Manutius.*
Ludus. *Sarainas. Manutius.*
Lucia. *Probus. Ms: Zabarella. Sarainas. Manutius. Servius.*

Lucius. Omnes notarum explicatores. *L nota prænominis, cum sola posita Lucium significat*, scripsit *Diomedes Grammaticus lib. 2.* & *Beda libello de Orthographia.* ad prænomen tandem denotandum inter duo puncta L. locandum vult *Ausonius in Epigram. 34.*

Lucius una quidem, geminis sed dissita punctis
Littera: prænomen sic L. nota sola facit.

Lucii prænominati, erant, qui prima luce nascebantur. *Varro de Ling. Lat. lib. 5.* & Valerius Maximus, seu quisquis sit auctor *Epitom. de Nom. Rat.* Prænomen hoc licet frequentissimum & vulgatissimum, ad ignominiosam memoriam obliterandam: a quibusdam gentibus Romanis repudiatum fuit. nam teste *Suetonio in Tiberio*, Claudia gens patritia, *cum prænominibus, cognominibusque variis distingueretur, Lucii prænomen consensu repudiavit, postquam e duobus gentilibus eo præditis alter latrocinii, cædis alter convictus est.* Aliquando etiam prænomen istud nominis gentilitii & cognominis loco fuisse saxa docent. Lucium vero nomen gentilitium, præter alia, hæc monumenta confirmant *pag. 37. 12. & 643. 10.*

APOLLINI GRANIO
Q. LVCIVS SABINIANVS
PROCOS. AVG

C. LVCIVS PHILOMVSV
AMPVLLARIVS
FRVGI. HIC. EST
SEPVLTVS

Cognomen vero hæc produnt *pag. 716. 5. & 793. 5.*

D. M
M. VLPIO LVCIO FILIO DVLCISSIMO.
QVI. V. A. III. M. X. D. XV.
FECER
M. VLPIVS. VNIO. ET. VLPIA FELICITAS

D. M
C. IVL. LVCIVS. FECIT. SIBI
ET. IVLIAE. λICAMIDRIDI
COIVGI. SVAE. ET. FILIORVM
LIBERTIS. LIBERTABVSQ. SV
IS. POSTERISQ. EORVM

Lucus. Luco.
Lumen. *Probus.*

Lustrum. *Gruterus Scaliger. Lustrum nominatum, ait Varro de Ling. Lat. lib. 5. tempus quinquennale, a luendo, hoc est, solvendo, quod quinto quoque anno vectigalia & ultro tributa per Censores persolvebantur.* Observo tamen non uno in loco apud *Plautum*, lustra pro ganeis & lupanaribus accepta, ut *Cassina Act. 2. Scen. 3.*

Ecquid te pudet? ST. *Omniaque in vis.* CL. *Ubi in lustra jacuisti?*

Et ut alia quam plurima mittam loca, *Bacchide Act. 4. Scen. 4.*

MN. *Dic modo.* CH. *atque id pollicetur se daturum aurum mihi*
Quod dem scorteis, quodque in lustris comedim & congræcem, pater.

Lyciæ. *Scaliger*
Quinquaginta. Quod omni ævo usitatissimum. *Pierius Hieroglyph. lib. 37.* observat, quod hac nota cum quinquaginta significabant, majoribus nostris *visum est inde facere ad commoditatem, quam ex compendio aucupabantur, quinquaginta notandis, signum illud ex una obliqua linea pro quatuor recta, & quinta adalligata surrigere, ut staret qua pendebat in latus; qua stabat, in planum digereretur. ita ex L notata sunt quinquaginta.*

Sestertius Nummus ab unico L. designari notat *Scaliger in Indicibus Gruterianis cap. de Notis explicatis.*

L. *Si in termino inveneris, sua norma factiorum designat, limitem gammatum, & in longinquo arcam finalem ostendit, & convallia ejus fundi finem vindicant Auctores de limitibus agrorum.*

Ⱡ. Quinquaginta Millia. *Antiquus Codex de Notis Numerorum.*

Ⱡ. Licuit. *Probus Ernstii.* In actionibus.
Ⱡ. Lector. Lex. *Diaconus.*
Locus. *Magno.*
Libertus.
⅃. Lucia. *Scaliger.* Ex istis Saxis *pagg. 130. 7. & 754. 7.*

III
VOTVM
⊥
TILIA
MAT

M. AMPRONIO. T. AMPR. F
QVI. VIXIT. AN. XXII
M. II. D. V. ⊥. CELIA VES
MARITO. B. M. F

Dummodo tamen Theta non sit, licet inversum; ut mulierem a viro distinguat; ita ut *Tita Tilia*, & *Tita Celia ves* legendum sit.

λ. Loco L. in monumentis non raro, ut *pag. 874. 2.* Loco A. ut *pag. 900. 9.* Et ita duplicatum λλ loco M. ut eadem *pag. 874. 2.* Porta vero *de Furtiv. Litter. Not. lib. 1. cap. 4* observat, quod *quum pueritiam denotare volebant*, λ *lamda littera veteres utebantur.*

Quinquaginta. *Hugo.*
7. Legio. Libertus. *Scaliger.*
Centuriam vero, & Centurionem vidimus littera C.
L. A. Libens Animo. *Scaliger.* In votivis & sepulcralibus.
LA. C. Latini Coloni. *Probus. Ms: Zabarella. Gratiosus. Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius.*
Latini Coloniani. Latini Coloniarii. *Probus. Manutius.* Quod tamen ineptum prorsus, & alienum a puritate prisci Latini sermonis.
LACTORAT. Lactoratenses. Hoc est, Lactoratii Cives. Lactoratum, Lactura; Antoninus, antiqui lapides Lactoratum; urbs Galliæ Aquitanicæ, vulgo nunc *Lectore*.

L. A. D. Libens Animo Dedit, *vel* Dedicavit. In votivis & fepulcralibus.

Locus Alteri Datus. *Probus. Ms. Zabarella. Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius.*

L. ADQ. Locus Adquifitus. *Probus Ernftii. Diaconus. Papias. Gratiofus. Manutius.*

L. ADQ Locus Adquifitus. *Magno.*

L. AEL. Lucius Ælius. *Probus. Manutius.*

L. AEL. AVR. COMM. AVG. P. FEL. Lucius Ælius Aurelius Commodus Auguftus Pius Felix. In Commodi Imp. quibufdam nummis.

L. AFRA. Lucius Afranius. In nummis argenteis gentis Afraniæ plebejæ; quæ tamen confularis, confule ex eadem cognomento Stellione.

L. AG. Lex Agraria. *Probus. Gratiofus. Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius.* Agrarias leges multas apud Romanos obfervo; de quibus præ ceteris *Dionyfius Halicarn. Hift. lib. Valerius Maximus lib. 5. c. 8. Polybius lib. 8. Cicero in Lucullo, & in Bruto. Livius Hift. lib. 6. Antonius Auguftinus. de Legib. & Senat. Confult. atque in Lexico Juris Calvinus*; ne huc omnes auctores, qui de his fcripferunt advocem.

LA. I. AD. Lapides Juffere Adfcribi, *vel* Adfculpi. *Manutius.*

L. AIMIL. L. F. Lucius Aimilius Lucii Filius. In nummis argenteis gentis Aimiliæ, feu Æmiliæ.

L. AIMIL. M. F. PR. P. Lucius Aimilius Marci Filius Proprætor. In iifdem ejus gentis nummis.

L. AN. Lucius Annius. *Manutius.*

Quinquaginta Annis. *Probus. Ms: Zabarella. Sarainas. Manutius.*

L. ANICI. L. F. Lucius Anicius Lucii Filius. In nummis argenteis gentis Aniciæ, quæ etfi Romæ plebeja, non tantum extitit confularis, fed ad Imperii culmen evecta fuit, ut abunde ex Juftinianis Imperatoribus conftat.

L. ANTES. GRAC. Lucius Anteftius Gracchus. In nummis gentis Anteftiæ plebejæ Romæ, fed tamen confularis, quæ eadem ac Antiftia.

L. AP. Ludi Apollinares. Ludi Apollinis. *Manutius.*

Ludus Apollineus. *Probus. Ms: Zabarella.*

Ludus Apollinis. *Probus. Ms: Zabarella. Sarainas. Appianus. Lazius.* De Apollinaribus ludis videatur littera A, nota APOLLIN.

Lucius Apulejus.

L. APRON. IMP. Lucius Apronius Imperator. In nummis argenteis gentis Aproniæ, cum Papia communibus.

L. AQ. Locus Adquifitus. *Sarainas.*

LAR. Lares. Laribus.

Laurentinalia. Ita *Manutius* & *Gruterus in Kalend. Romano. Goltzius in Antiquit. Thefaur.* & *Rofinus Antiquit. Roman lib. 4. cap.* 16. Quod fi notæ hujus admittatur explicatio, fuerunt Laurentinalia, *Varronis* fide *lib. 5. de Ling. Lat. Accalia feria publica. Laurentina is dies, quem quidam infcribendo Laurentalia appellant, ab Acca Laurentia, cui Sacerdotes noftri publice parentant fexto die, qui Acca dicitur, & dicunt hunc diem Tarentini Accas Tarentinas. Hoc facrificium fit in Velabro, qua in Novam viam exitur, ut ajunt, quod ad fepulcrum Accæ.* Hæc Larentalia *Feftus* nominat; de quibus plura *Plutarchus in Problemat. Aulus Gellius Noct. Attic. lib. 6. cap. 7. Macrobius Saturnalium lib. 1. cap.* 10. Horum dies celebratus fuit decimo Kalendas Januarii, qui vigefimus tertius Decembris, eratque nefaftus primo.

LAR. AVG. S. / LARIB. AVG. SAC. } Laribus Auguftis Sacrum. In votivis.

L. ARRVNTI. L. F. Lucius Arruntius Lucii Filius. In nummis aureis gentis Arruntiæ, cum Fabia & Antonia communibus.

LAR. SAL. Laribus Salutaribus. In Deorum Lapidibus.

LAT. Latina. *Sarainas. Manutius. Scaliger.* Ideft, Colonia Latina.

Latitudine. Latum. *Manutius.*

LATIC. Laticlaviali. *Zamofcius.* Laticlavius, feu Latus Clavus veftis fuit Senatoria, a præclariffimo viro *Octavio Ferrario de Re Veftiar lib. 3. capp. 12. & 13.* ita accurate defcripta, & expenfa, ut reliquum mihi nihil fit, quam eruditiffimi viri lucubrationes magna femper veneratione profequi, atque eum litterariæ Reipublicæ incremento Neftoreos eidem annos precari.

LAT. P. X. Latum Pedes Decem. Antiqua enim faxa quandoque, non tantum duabus communiffimis notis *In Fronte*, *In Agro* fepulcri menfuram defignabant; fed & aliquando latitudinem. Frontis exprimebant, ut patet ex monumento *pag.* 609. 1. in cujus extremo legitur:

IN. FR. P. XV. IN. AGRO
PED. XVIII. ANTE. FRON
TEM. LAT. P. X

L. AVREL. COMM. AVG. P. FEL. Lucius Aurelius Commodus Auguftus Pius Felix. In nummis Commodi.

LAVR. LAV. Laurens Lavinas. Lauro Lavinium. Quod & expreffum pariter in faxis, & potiffimum in illo *pag.* 409. 3. Lauro Lavinium urbs eft Latii, Laurento proxima. Ita *Stephanus Lexic. Hift. Geograp. Poet.* Coloniam Romanorum fuiffe, ex *Frontino de Coloniis* intelligitur. *Laurum Lavinia, lege & confecratione veteri. Nam & ager ejus ab Imperatoribus, Vefpafiano, Trajano, & Hadriano, in Lavinius eft affignatus. Iter populo non debetur.* Verum de ejus deductione non liquido conftat; immo *P. Merula, Cofmograph. part. 2. lib. 4. cap.* 9. hanc coloniam inter deductas incerto tempore omnino recenfet.

LAVS. IVL. CORINT. Laus Julia Corinthus. *Santamantius.*

L. AVTRON P. F. Lucius Autronius Publii Filius. In nummis argenteis gentis Autroniæ.

L. B. Lucius Bonus. Lucius Brutus. *Sarainas. Manutius.*

LB. Lectoribus. *Papias.*

Libens. *Gratiofus.*

Liberi. *Probus. Diaconus. Papias.*

Liberta.

Libertis. *Manutius.*

Libertus. *Gratiofus.*

L. BAEB. Lucius Bæbius. In nummis argenteis gentis Bæbiæ.

L. BIB. Lucius Bibulus. *Probus. Manutius* Bibuli cognomen, quod a bibacitate deductum opinor, commune Calpurniis & Publiciis fuit, tefte *Glandorpio in Cognominum Indice.*

L. B. M. D. Libens Merito Dicavit. In votivis.

Liberto Bene Merenti Dedit, *vel* Libertæ. In fepulcralibus libertorum faxis.

Locum Bene Merenti Dedit. *Probus. Ms: Zabarella. Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius.* In fepulcralibus.

L. B. M. F. Liberto Bene Merenti Fecit, *feu* Libertæ. *Gualtherius.* In fepulcralibus.

L. BO. Lex Boaria. *Probus. Manutius.* Quam legem prorfus ignoro.

Liberto Bono, *vel* Libertæ. In fepulcralibus.

L. B. M P. Liberto Bene Merenti Pofuit; *vel* Libertæ. In Libertorum cippis non raro.

Locus

Locus Bene Poſſeſſus. *Probus Ernſtii. Diaconus. Ms: Rhodii. Magno. Papias. Sarainas. Manutius.*

L. B. P. N. IN. Locus Bene Poſſeſſus Non Infeſtetur. *Gratioſus.*

LB. S. Libens Solvit. In votivis.

LBT. Liberta. Liberti. Libertus.

Libertas. *Papias.*

L. C. Latini Conſules. *Diaconus. Sarainas. Manutius.*

Latini Cives. *Diaconus. Manutius.*

Latini Coloni. *Probus Ernſtii. Manutius.*

Lege Cavetur. *Probus Ernſtii. Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius.* In Legibus & Plebiſcitis.

Libens Curavit.

Liberatis Cauſſa. *Probus Ernſtii. Diaconus. Gratioſus.*

Loco Conceſſo, *vel* Conceſſus. *Scaliger.* In votivis & ſepulcralibus, quando ſcilicet, ut ſepulcri, vel voti locandi, publice locus dabatur.

Lucius Catius. *Probus. Manutius.*

Lucius Cornelius. *Probus. Ms: Rhodii. Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius.*

LC. Locus. *Probus Ernſtii. Diaconus. Gratioſus. Manutius.*

ɿ. Ͻ. Legitima Conjux. *Trebellius.*

L. CAECIL. L. F. C. N. PR. COS. Lucius Cæcilius Lucii Filius Caji Nepos Pro Conſul. In nummis argenteis gentis Cæciliæ.

L. CAECIL. L. F. Q. N. Lucius Cæcilius Lucii Filius Quinti Nepos. In iiſdem nummis hujus gentis.

L. CAEL. Lucius Cælius. *Probus.*

L. CAES. Lucius Cæſius. In argenteis nummis gentis Cæſiæ.

L. CALPVRNI. Lucius Calpurnius. In nummis argenteis gentis Calpurniæ.

L. CASSI. Lucius Caſſius. In argenteis gentis Caſſiæ nummis, cum ſequenti:

L. CASSI. L. F. Q. N. Lucius Caſſius Lucii Filius Quinti Nepos.

L. CASSI. LONGIN. Lucius Caſſius Longinus. In nummis æreis gentis Caſſiæ.

L. Ͻ. Ͻ. Ͻ. Locus Datus Decreto Decurionum. *Scaliger* ad monumentum *pag.* 390. 2. in quo cum ob antiquitatem linea recta in D obliterata ſit, loco ejus ſic inverſum Ͻ. obſervatur.

P. CLAVDIO. PALLANTI
HONORAT. REPENTINO
AϽLECTO
INTER. TRIBVNICIOS
LEG. PR. PR. PROVINCIAE
AFRICAE. PRAETORI
LEG. PR. PR. PROVINCIAE
ASIAE LEG. AVG. LEG. X. G
C. IVLIVS. MAGNVS. ϽEC. COL
KARN. EQVO. PVBLICO
EX. V. ϽECVR.
DIGNISSIMO
L. Ͻ. Ͻ. Ͻ.

LC. D. Locus Divinus. Lucrum Divinum. *Manutius.*

Lucum Divinum. *Probus. Appianus. Lazius. Manutius.*

Lucus Divinus. *Probus.*

LC. DIV. Locus Divinus. *Manutius.*

Lucrum Divinum. *Probus. Ms: Zabarella. Sarainas. Manutius.*

Lucum Divinum. Lucus Divinus. *Probus. Manutius.*

L. CEN. Lucius Cenſorianus. *Probus. Manutius.*

Lucius Cenſorinus. *Manutius.*

L. CENSORIN. Lucius Cenſorinus. In Marciæ gentis nummis argenteis, quæ licet patricia minorum gentium extiterit, hoc eſt, illarum numero, ex quibus, bello Sabino confecto, centum patres electi fuere, ut *Panvinius de Antiq. Nomin.* tradit; nihilominus familias habuit plebejas, in Philippos, Cenſorinos, Libones, Rutilos, diſtinctas, ut *Urſinus* notat ad gentem Marciam, quia patricia ſolos Coriolanos habuit; at Marcia plebeja, Conſulatu, Cenſura, ac Dictatura claruit. quin imo C. Marcius Rutilus, primus de plebe dictus Dictator fuit, *Livio teſte Hiſt. lib.* 7. qui iterum Cenſor, inde Cenſorinus fuit cognominatus, a ſeveritate Cenſuræ, quæ poſtea ipſi & genti cognomen donavit, licet & Portiis commune, ut habet *Glandorpius in Cognom. Indic.*

L. C. I. C. I. C. I. O. M. S. Liberatus Capitali Interdicto Cajus Julius Cæſar Jovi Optimo Maximo Sacravit. *Fortunius Licetus de Lucern. Antiquor. lib.* 6. *cap.* 93. notas haſce omnes in antiqua lucerna ſculptas, ita interpretatus; vel *Liberatus Clodii Inſidiis Cajus Julius Cæſar Jovi Optimo Maximo Sacravit.* Idem loco citato.

L. CIN. Lex Cincia. *Probus. Manutius. Gratioſus.*

Lex Cinæ. *Manutius.*

Lucius Cincius. *Probus. Manutius.*

Lex Cinthia. *Sarainas. Appianus. Lazius.* Verum Lex Cinæ, & Lex Cinthia mihi minus probantur, cum nuſquam eas latas noverim. Extat vero Lex Cincia, quam tulit Marcus Cincius Tribunus Plebis, anno V. C. DXLIX. de donis & muneribus, qua cavebatur, cui liceret munus accipere. *Auguſtinus de Leg. & Senat. Conſul.*

L. Ͻ. L. Lucii ConLibertus.

L. C. M. Centum Millia. *Antiquus Codex de Notis Romanorum.*

L. C. MEMMIES. GAL. Lucius Cajus Memmieſu Galli. *Urſinus.* In nummis argenteis gentis Memmiæ, ut ſcilicet unico numiſmate duo fratres exprimerentur.

L. C. M. I. Lucius Cornelius Monumentum Juſſit. *Sarainas.*

L. COE. Lucius Cœlius. *Probus. Manutius.*

C. COIL. Lucius Coilius *ſeu* Lucius Cœlius, quod idem. In argenteis nummis gentis Cœliæ.

L. COSCO. M. F. Lucius Coſconius Marci Filius. In argenteis gentis Conſconiæ nummis.

L. COT. Lucius Cotta. In nummis argenteis gentis Aureliæ, ſed plebejæ. Cotias autem ab iracundia & torvitate dictos volunt, Græca voce, *κοτεῖς* quæ eſt indignatio. unde illud:

Iraſci faciles Cottas, vultuque ſeveros
Fama refert, domus nomen & inde datum.

Glandorpius in Onomaſtic. Roman.

L. C. PR. S. N. Latini Conſules Propitii Sacraverunt Nobis. *Gratioſus.*

L. CRASS. L. F. Lucius Craſſus Lucii Filius. In nummis argenteis gentis Liciniæ. in qua Craſſorum familia potiſſimum emicuit, ab obeſitate corporis mutuato cognomine.

LC. S. Locus Sacer. *Diaconus. Manutius.*

Locum Sacravit. *Gratioſus.*

Locus Sepulturæ. In ſepulcralibus.

Lucrum Sacrum. *Probus. Diaconus. Ms: Zabarella. Appianus. Lazius. Manutius.*

Lucum Sacrum. *Ms: Zabarella. Appianus. Lazius. Manutius.*

Lucus Sacer. *Probus. Manutius.*

LCS. Lucius Caſſius. *Probus Ernſtii.*

Lucius

Lucius Consul. *Ms: Rhodii.*

LC.SN. Locus Senatus. *Probus. Diaconus. Manutius.*

L. CVP. Lucius Cupiennius. In nummis argenteis gentis Cupienniæ.

L. D. Larum Divinorum. *Scaliger.* Ideſt, Domus Divinæ, ſive Auguſtæ.

Laudes Dat. *Manutius.*

Legem Dat. *Probus Ernſtii. Saraınas. Manutius.*

Legem Dedit. Legem Dico. *Manutius.*

Libens Dedit. Frequentiſſime in votivis & ſepulcralibus.

Libera Domus. *Manutius.*

Libero Damno. *Urſinus.*

Liberti Dominus. Liberti Domus. *Manutius.*

Libertus Dedit. In ſepulcralibus, in quibus Libertorum erga Dominos amor exprimitur.

Liberto Dedit, *vel* Libertæ. In ſepulcralibus, in quibus Dominorum erga Libertos amor viciſſim ſignificatur.

Locum Dedit. Locum Dedicavit. *Probus Ernſtii.*

Locum Decrevit. Locum Dedicationis. *Manutius.*

Locum Dedititium. *Appianus. Lazius.*

Locum Deditum. *Probus. Ms: Zabarella. Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius.*

Locum Dedit. *Diaconus. Sarainas. Manutius.*

Locum Divinum. *Sarainas.*

Locum Donavit. *Manutius.*

Locus Datus. *Manutius.* In monumentis, in quibus loci, publico decreto adſignati, mentio eſt.

Locus Dedicationis. Locus Dedicatus. *Manutius.*

Locus Deditus. *Probus Ernſtii.*

Locus Divinus. *Ms: Zabarella. Appianus. Lazius. Manutius.*

Lucrum Deditum. *Probus Ernſtii.*

Lucrum Dedititium. *Probus. Ms: Zabarella. Manutius.*

Lucrum Divinum. Lucum Divinum. *Manutius.*

LD. Laudandum. *Probus. Diaconus. Papias. Manutius.*

Ludus. *Papias.*

L. D. A. B. M. Locum Dedit Amico Bene Merenti, *vel* Locus Datus. In ſepulcralibus, ſi viri monumentum; *Amica*, ſi mulieris.

Locum Dedit Aulus Benemerenti. *Probus. Ms: Zabarella. Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius.*

LD. AP. F. S. Ludi Apollinares Facti Sunt. *Grasseſus.*

L. DD. Libens Dedicavit, *vel* Dono Dedit.

Livius Dedit. Livius Dedicavit. *Manutius.*

Locum Dedere.

Locus Dedicatus. *Diaconus. Papias.*

Locus Dedititius. *Magno.*

Locus Deditus. *Ms: Rhodii.*

Locus Dono Datus. *Diaconus.*

Lucius Dedit. *Sarainas.*

L. D. D. D. Libens Dono Dedit. *Appianus. Lazius.*

Locum Diis Dedicavit. *Sarainas. Manutius.*

Locum Dono Dedit. *Manutius.*

Locum Dono Dederunt. *Sarainas. Manutius.*

Locus Decreto Datus

Locus Dono Datus. *Probus. Manutius.*

L. D. D. C. — Locus Datus Decreto Coloniæ. Si locus de publico dabatur.

L. D. D. COLLEG. — Locus Datus Decreto Collegii. *Scaliger.* Cum Collegium locum monumenti decernebat.

L. D. D. D. Lapis Datus Decreto Duriorum. *Appianus.* Quod in monumentis colonicis frequentiſſime.

Libens Datum Decreto Decurionum. *Probus. Ms: Zabarella. Manutius.*

Libens Dono Dedit Dicavit. *Probus. Ms: Zabarella. Manutius.*

Locum Datum Decreto Decurionum. *Velſerus. Zabarella.*

Locum Dedicationis Dono Dederunt. *Diaconus. Manutius.*

Locus Datus Decreto Decurionum. *Probus. Diaconus. Appianus. Lazius. Scaliger.* Quod vulgatiſſimum in lapidibus, in quibus loci de publico dati, in Colonia, vel pro monumenti loco, ſeu ſtatuæ erigendæ, aut voti ſolvendi fuit mentio.

L. D. DD. Locum Dono Dedere. *Probus. Ms: Zabarella. Appianus. Lazius.*

Locum Diis Dedicavit. *Appianus. Lazius.*

L. D. D. D. Locus Datus Decrem Decurionum. Quod conſtat ex hoc monumento *pag.* 32. 3.

SOLI
L. CASSIVS. L. L
IANVARIVS
V. S. L. M
L. D. D. D

L. D. D. D. C. I. Locus Datus Decreto Decurionum Coloniæ Ipſius, *vel* Collegii Ipſius. Ut facile eſt colligere ex ſaxo *pag.* 484. 6.

L. D. D. D. K. IVL. Locus Datus Decreto Decurionum Kalendis Juliis.

L. D. D. D. P. Locus Datus Decreto Decurionum Piſaurenſium, *vel* Publice. *Manutius.* Quod magis ad rem.

L. D. D. D. S. Locus Datus Decreto Decurionum Sibi.

L. D. EX. D. D. Locus Datus Ex Decreto Decurionum.

L. DDI. Lucus Divinus. *Ms: Rhodii.* Si modo conſtet.

L. D. D. IIIIII. VIROR. Locus Datus Decreto SexVirorum. Datus ſcilicet, non a toto Decurionum Senatu, ſed a ſupremo Coloniæ magiſtratu.

L. D. D. N. ARARIC. Locus Datus Decreto Nautarum Araricorum. Ita ex ſaxo *pag.* 495. 9.

SPLENDIDISS
PERPETVAM. VACATIO
DECREV
L. D. D. N. ARARIC

L. DIV. Locus Divinus. *Probus. Manutius.*

Lucrum Divinum. *Probus.*

Lucus Divinus. *Probus. Diaconus. Ms: Zabarella. Sarainas. Manutius.*

L. DOMIT. CN. F. CN. N: AENOBARB. Lucius Domitius Cnæi Filius Cnæi Nepos Ænobarbus. In nummis argenteis gentis Domitiæ.

S. D. P. Liberto Dominus Poſuit. Libertus Domino Poſuit.

Locum Dedit Publice. *Manutius.*

Locus Datus Publice. *Scaliger.*

L. D. S. Libens De Suo. *Scaliger.* Tum in votivis, tum in ſepulcralibus, cum infraſcriptis.

Locus Datus Sibi. Locus Decreto. Locus De Suo.

L. D. S. C. Libens De Suo Conſtituit, *vel* Curavit.

Locum Dedit Sepulturæ Cauſa. *Probus Ernſtii.*

Locus Datus Senatus Conſulm. *Manutius. Scaliger.* Siquidem locus, qui decrem Decurionum publice in Coloniis dabatur, Romæ Senatus Conſulto honoris gratia deſignabatur.

Locus Datus Sententia Collegii. *Scaliger.* Quandoque in lapidibus, a Collegiis publice datis.

Locum De Suo Constituit, *vel* Curavit. Aliquando in sepulcralibus.

L. D. S. D. Libens De Suo Dedit. Libertus Domino Suo Dedit. Locum De Suo Dedit. In sepulcralibus non raro.

L. DVI. Locus Divinus. *Magno. Manutius.*

L. E. Liberi Ejus. *Papias.*

LE. Legio.

Lenis. Lepido. Levis. *Gratiosus.*

LECTIC. Lecticarius. Lecticarii erant Servi, qui quoties pedibus ambulare Domino non libuisset, cum lectica gestabant, sed suppositis cervicibus, ut eruditissimus noster *Pignorius* observat *de Servis.*

LECTIST. Lectisternium. Lectisternium erat, cum sacrorum, sive parentalium gratia, lecti in templis, aut ante statuas Deorum sternebantur, ad discumbendum in epulo publico, quod ex marmorea tabula palam fit *pag.* 754 4.

LECT. ORNAM. ET. PROTECTOR. Lecti Ornamentum Et Protectorium. In sepulcralibus aliquando.

L. E. D. Lege Ejus Damnatus. *Probus. Ms: Zabarella. Manutius.*

Lege Ejus Data. *Sarainas.*

Lege Ejus Datus. *Manutius.*

Lex Ejus Damnata. *Sarainas. Manutius.*

Lege Ejus Damnatus. *Manutius.*

L.E. D. Legem Dat. Legem Dedit. *Sarainas.*

LEG. Legato. *Augustinus.*

Legatum.

Legatus. *Ursinus. Manutius. Scaliger.*

Legavit. *Sarainas. Manutius. Scaliger.*

Lege. *Manutius.*

Legem. *Sarainas.*

Legio. Passim in Militaribus cippis, prout omnes notarum explicatores monent.

Legionis. *Sarainas. Scaliger.*

Legione. *Sarainas.*

LEG. ADI. P. F. Legio Adjutrix Pia Fidelis.

LEGAT. AVG. Legato Augusti. *Angelonus.* Legati, ait *Varro de Ling. Lat. lib. 4. qui lecti publice, quorum opera consilioque uteretur peregre magistratus; quive nuntii senatus, aut populi essent.* Legatos varios saxa exhibent, ad quæ lectorem remitto. Legatos vero Cæsarum, aliis præstantiores; Præsidum quippe nomen sibi vindicarunt *l. 1. ff. de Offic. Præsid.* quia Cæsarum provincias cum imperio obtinebant; ac propterea qui Cæsaribus subditas regebant provincias, Legati Cæsaris dicebantur *l. 4 ff. de Offic. Adsess.*

LEG. AVG. Legio Augusta. Legiones ab Imperatoribus denominatas Lipsius monet. Ideo Augusta, ab C. Julio Cæsare Octaviano Augusto.

Legio Augustalis. *Rubens.*

Legato Augustali. *Gallus.*

LEG. AVGG. NN. Legatus Augustorum Nostrorum.

LEG. AVG. LEG. XVI. F. F. Legato Augustali Legionis Decimæ Sextæ Flaviæ Fidelis. *Angelonus.*

LEG. AVG. PR. H. C. Legato Augustali, *seu* Augusti Provinciæ Hispaniæ Citerioris.

LEG. AVG. PR. PR. Legatus Augustalis Prætorii Peregrini. *Lazius,* qui *Comment. Reip. lib. cap.* hæc scripsit: *Per litteras LEG. AVG. PR. PR. nobis intelligitur Legatus Augustalis Prætoris Peregrini;* quod confirmare conatur hisce tribus monumentis:

1

FORTVNAE AVG
SAC
P. CALPVRNIVS PROCVLVS
LEG. AVGG
PR. PR

2

MERCVRIO
CVIVS SEDES A TERGO
SVNT
APPIVS. CL. LATERANVS
XV. VIR. SACR. FAC
COS. DESIGN
LEG. AVG. PR. PR
LEG. III. ITAL
V. S. L. M

3

DIIS
CONSERVATORIBVS
GEMINIVS. CAPEL
LIANVS
LEG. AVG. PR. PR. SOD
TITIVS

Verum enim vero, sicuti Prætorem Peregrinorum Romæ fuisse non me fugit, ita Prætorium Peregrinorum prorsus mihi ignotum fateor, cum præcipue, nec Sextus Rufus, nec P. Victor, qui Romanam urbem in regiones divisam exhibuerunt, nullum in ea Prætorium Peregrinorum assignent, licet diligentissime Curias, Porticus, Fora, Basilicas, Ædes, Templaque omnia monumentis tradiderint; adde, quod nullus eorum, qui Romanorum militiam & castrametationem descripserunt, usquam Peregrinorum Prætorii meminerint. Quare, tanti viri pace, non, *Legato Augusti Prætorii Peregrinorum;* sed *Legato Augusti Pro Prætore,* juxta omnes fere notarum explicatores, hasce notas intelligo.

LEG. AVG. PR. PR. PROVINC. CILIC. Legato Augusti Pro Prætori Provinciæ Ciliciæ.

LEG. AVG. PR. PR. PROVINC. GALAT. Legato Augusti Pro Prætori Provinciæ Galatiæ. *Angelonus.* Ciliciam enim & Galatiam, Imperiales provincias fuisse, in quas scilicet Imperatores legatos destinaverant, omnibus palam est.

LEG. GR. V. Legatus Gratuito Quinquies. *Scaliger.*

LEG. I. Legio Prima. Legiones a delectu numerabantur; atque ita prima Legio, quæ prima lecta, secunda, quæ secunda, & sic de singulis. quod confirmatur a *Dione Hist. lib.* 38. scribente, *Cæsarem, Decimam legionem (sic enim secundum ordinem delectuum Romanæ legiones nominabantur, hodieque eadem ratione cognomina sortiuntur) cohortem prætoriam sibi delegisse.* Primum hanc legionem insignem apud Romanos fuisse compertum, tum ex Cornelio Tacito, qui passim ejusdem in Annalibus & Historiis meminit, sed præcipue *Annal. lib.* 1. ubi ad eam Agrippinam sic loquentem inducit: *Tu tot præliorum socia, tot præmiis aucta, egregiam duci vestro gratiam referitis;* tum ex Julio Capitolino, qui eam a Pertinace quandoque ita rectam notat, priusquam ad Imperium eveheretur: *Marcus Imperator prætorium eum fecit, & primæ Legioni regendæ imposuit.* Istam per Germanias habuisse stativa, ex Tacito & Capitolino constat, qui Pertinace eam regente, *statim Rhætias & Noricum ab hostibus vindicasse scribit.*

LEG. I. ADI. Legio Prima Adjutrix. *Gualtherus.*

LEG. I. ADI. P. F. Legio Prima Adjutrix Pia Felix, *vel* Fidelis. De legione prima adjutrice in *l. Jus Castrens. Cod. de Castrens. Pecul.* & in *l. Cornicular. Cod. de Apparitor. Præfect. Prætor.* Hanc a Galba institutam, ex Cornelio Tacito *Hist. lib.* 2. intelligitur: *Prima Adjutrix non antea in aciem deducta, sed ferox, & novi decoris avida.* Atque etiam ex *Dione Hist. lib.* 55. qui eam auxiliariam nominat, atque in Pannonia inferiori locat: *Galba primam auxiliariam in inferiori*

riori Pannonia degentem &c. Legionem Primam Adjutricem, Piam, Felicem, & Pannonicam dictam vult *Lazius Comment. Respub. Roman. lib.* 5. *cap.* 8. eamque durasse usqne ad declinans Imperium, atque sub Imperatoribus Orientis memoratam, abunde citatæ leges fidem faciunt.

LEG. I. ADI. P. F. ANT. Legio Prima Adjutrix Pia Felix Antoniana. Antonianam quoque dictam Legionem primam Adjutricem, in honorem Antoninorum, Veri & M. Aurelii, ex hoc monumento palam est *pag.* 103. 6.

VICTORIAE
AVGG. NN
ET. LEG. I
ADI. P. F
ANTONIANAE
P. MARCIVS. P. F
SEXTIANVS
EPHESO
P. P. D. D

LEG. I. ADIVT. Legio Prima Adjutrix.

LEG. I. ADI. VI. P. VI. F. Legio Prima Adjutrix Sextum Pia Sextum Felix, *vel* Fidelis. In nummis æreis minutis Gallieni. Legiones variis titulis a Senatu, vel beneficii, vel virtutis gratia, decoratas, ex *Dione* constat qui *Hist. lib.* 60. scriptum reliquit, quod Claudius, eum ad Imperium eveheretur, ob metum, *effecit*, inquit, *ut urbanæ legiones, septima & undecima, Claudianæ Fideles & Piæ a Senatu quoque nominarentur.* Ex quibus conjecto, pro lubitu, aut Senatus, aut Imperatorum, legiones sibi tertium, quartum, sextum assumpsisse, Piæ, Fidelisque titulos.

LEG. I. AVG. VI. P. VI. F. Legio Prima Augusta Sextum Pia Sextum Fidelis. In nummis æreis Gallieni minutis.

LEG. I. ITAL. Legio Prima Italica. Italicam Legionem ab Italica Hispaniæ oppido dictam, quod ibi conscripta foret, notat *Pancir. in Not. Imp. Orient. cap.* 14. Hanc instituisse Neronem, auctor est *Dio Hist. lib.* 55. *Nero*, inquit, *legionem primam, Italicamque nuncupatam instituit in inferiori Mysia hyemantem*; in urbe Durosteri *Ptolemæus* addit *Geograph. lib.* 3. *cap.* 10. quæ nunc Bulgariæ pagus, *Dora* vulgo. Meminit hujus Legionis *Tacitus hist. lib.* 1. 2. licet numerum reticeat; quia scilicet cæteræ Italicæ legiones nondum fuerant institutæ; quod postea addit *lib.* 3. Cæterum Legiones primas Italicas tres describit *Lazius de Repub. Roman. lib.* 5. *cap.* 8.

LEG. I. ITAL. VI. P. VI. F. Legio Prima Italica Sextum Pia Sextum Fidelis.

LEG. I. MINER. Legio Prima Minervia. Legionem hanc in illarum numero refert *Rosinus Antiq. Roman. lib.* 10. *cap.* 4. quæ a Diis nomen accipiebant, hoc est, a Minerva; ideo legionibus Romanis additam a Domitiano, Minervæ addictissimo, credit *Pancirollus in Not. Imp. Orient. cap.* 35. Huic priusquam ad Imperium eveheretur, Hadrianus præfuit, ita in eo, monente Spartiano: *Secunda expeditione Dacica, Trajanus eum primæ legioni Minerviæ præposuit, secumque duxit*; ideoque ipsam in Dacia hyemasse credit *Pancirollus* loco citato.

LEG. I. MINER. P. F. Legio Prima Minervia Pia Fidelis.

LEG. I. MIN. FI. P. VIC. Legio Prima Minervia Fidelis Pia Victrix.

LEG. I. MIN. VI. P. VI. F. Legio Prima Minervia Sextum Pia Sextum Fidelis. In nummis Gallieni minoribus.

LEG. I. M. P Legio Prima Minervia Pia.

LEG. I. M. P. F. Legio Prima Minervia Pia Fidelis. Quanquam non me latet, legiones Macedonicas, & Martias dictas, cum tamen harum nulla, quod sciam, Prima fuerit appellata. Prima Minervia, in istis notis lego.

LEG. I. PARTH. Legio Prima Parthica. Cui nomen a devicta provincia datum *Rosinus* notat *Antiq. Roman. lib.* 10. *cap.* 4. Hujus auctorem *Dio Hist. lib.* 55. Severum facit, eamque in Mesopotamia una cum Tertia Parthica hybernantem sic scribit: *Severus Parthicas, primam & tertiam in Mesopotamia instituit & locavit.* Atque ob id Lipsio placet, legiones Gallicas, Cyrenaicas, Scythicas, Macedonicas, Ægyptiacas, Germanicas, Italicas dictas a locis hybernorum.

LEG. II. Legio Secunda. Legionis Secundæ meminit *Tacitus Annal. lib.* 1. & 14. atque *Historiar. lib.* 3. 4. & 5. Hanc sub Vitellio conscriptam crediderim, cum 4. *Histor.* scribat idem: *Legiones Victrices VI. & XVIII. Vitellianorum una & vicesima, e recens conscriptis secunda.*

LEG. II. ADIVT. Legio Secunda Adjutrix. Hanc legionem inter eas recenset *Pancirollus in Not. Imp. Orient. cap.* 35. quæ sub Augusto vigebant. Dissentit tamen *Dio*, qui *Hist. lib.* 55. a Vespasiano institutam prodit, in Pannonia inferiori hybernantem. *Vespasianus*, inquit, *secundam Auxiliariam in Pannonia inferiori*, supple instituit, ut ex eo in enumeratione legionum conjicitur; nisi tamen aliquod sit discrimen, quod non credo, inter Adjutricem & Auxiliariam. Legionis Secundæ Adjutricis, Spartiani fide, Tribunus Hadrianus fuit, de eo sic scribentis: *A Trajano abductus a patria & pro filio habitus, nec multo post decemvir litibus judicandis datus, atque inde tribunus Secundæ Adjutricis legionis creatus fuit.*

LEG. II. ADI. VI. P. VI. F. Legio Secunda Adjutrix Sextum Pia Sextum Fidelis. In Gallieni æreis minutis.

LEG. II. ADIVT. P. F.
LEG. II. AD. P. F. } Legio Secunda Adjutrix Pia Fidelis.

LEG. II. A. P. F. ANT. Legio Secunda Adjutrix Pia Fidelis Antoniniana. Ut & Prima ideo sic appellata, quia Antonino Pio Imperatori addicta.

LG. II. AVG. Legio Secunda Augusta. Ita dicta, quia ab Augusto instituta, *Rosinus Antiq. Roman. lib.* 10. *cap.* 4. Secunda legio Augusta in Britannia hyberna habuit, teste *Dione Hist. lib.* 55. quod & *Geograph. lib.* 2. *cap.* 3. *a Ptolemæo* confirmatur, in loco nunc vulgo *Leskerd* nominato, licet *Pancirollus* eum in Germania locet; propterea *Lazius Comment. Respub. Roman. lib.* 5. *cap.* 8. eandem ac Britannicam dictam censet, quod scilicet in Britannia præsidium agebat; qui etiam de ea plura opere citato *lib.* 5. cap. 9.

LEG. II. ITAL Legio Secunda Italica. Cujus auctor fuit Marcus Antoninus, quam per Noricum disposuit. *Dio Hist. lib.* 55. Instituit *Marcus Antoninus secundam in Norico, tertiam in Rhetia, quæ etiam Italicæ vocarentur.* De ista plura *Lazius Comment. Respub. Roman. lib.* 5. *cap.* 9.

LEG. II. ITAL. P. F. Legio Secunda Italica Pia Fidelis.

LEG. II. ITAL. P. F. VL. Legio Secunda Italica Pia Fidelis Ultrix.

LEG. II. ITAL. VI. P. VI. F. Legio Secunda Italica Sextum Pia Sextum Fidelis. In parvulis Gallieni nummis æreis.

LEG. II. MAC. VI. P. VI. F. Legio Secunda Macedonica Sextum Pia Sextum Fidelis. In iisdem Gallieni nummis.

LEG. II. PARTH. Legio Secunda Parthica. Hanc, ut & primam, a Severo institutam auctor est *Dio* loco toties citato, ubi & in Italia hybernantem ostendit. Verum hanc Severianam insuper dictam Saxa monstrant, atque præcipue illud *pag.* 527. 5.

AVRELIO. DASVMIO. MIL
LEG. II. PARTHICAE. SEVE
RIANAE. P. F. AETERNES. AVR
ROMVLVS. MIL. LEG. S. S. ET. AE
MILIA. LVCIFERA. COIVX
ET. CRESCENTIO. LIBERT.
BENEMERENTI. FECERVNT

Floruit hæc etiam sub Juliano Imperatore, quæ in Persia, una cum duabus secundis, Flavia & Armeniaca, quendam collem propugnavit. Ammianus Marcellinus *Hist. lib.* 30. *Munimentum impendio validum, in colle mediocriter edito positum, ad cujus tutelam tres legiones sunt deputata, secunda Flavia, secundaque Armeniaca, & Parthica, & Parthica itidem secunda.* De ea *Lazius* loco citato.

LEG. II. PART. VI. P. VI. F. Legio Secunda Parthica Sextum Pia Sextum Fidelis. In nummis Gallieni præcitatis.

LEG. II. PART. VII. P. VII. F. Legio Secunda Parthica Septimum Pia Septimum Fidelis. In supradictis.

LEG. II. P. P. F. F. A. Legio Secunda Parthica Pia Felix Fidelis Augusta. Si locus conjecturæ restat ad hujus cippi militaris notas *pag.* 569. 8.

D. M
M. VLPIO. SILVIO
STR. A. P. R. PROC. V. V
EX. LEG. II. P. P. F. A. VA
LERIANVS

LEG. II. TRAIAN. Legio Secunda Trajana: Hanc & Ægyptiam dictam ex *Dione* loco alias citato noto, qui his ejus verbis auctorem Trajanum prodit: *Trajanus secundam Ægyptiam & trigesimam, Germanicam* (adde *instituit*, quod ex superius allatis colligitur) *quibus a suo nomine nomen imposuit.* Hujus, ex ipso nomine Ægypti, stativa in in Ægypto fuisse licet constet, nihilominus *Pancirollus in Not. Imp. Orient. cap.* 35. *Stephanus Pighius Hercule Prodicio.* & *Lazius lib.* 5. *c.* 9. id satis confirmant.

LEG. II. TR. FOR. Legio Secunda Trajana Fortis. Eadem ac superior, *Pancirollus*, *Pighius* locis citatis.

LEG. III. Legio Tertia. Tertiæ legionis meminit *Tacitus Annal. libb.* 13. & 15. necnon *Histor. l.* 1. 2. 3. 4. 5. non sine maxima semper ejusdem veneratione. Huic quandoque Valerianum & Probum, priusquam ad imperium eveherentur, Vopiscus in Probo tradit, ubi & quanti apud Romanos Imperatores fuerit legio tertia æstimata, ex hac epistola Valeriani constat: *Res gesta tua, Probe carissime, faciunt, ut serius tibi tradere majores exercitus videar, & cito tamen tradam. Recipe in fidem tuam legionem tertiam felicem, quam ego adhuc nulli, nisi provecto jam credidi; mihi autem eo tempore credita est, quo & me canosum qui credebat, cum gratulatione vidit.* In Hispania hybernasse aliquando ex *Tacito* compertum, qui *Hist. lib.* 4. Legiones, tertiam ac primam ex Hispania accitas, ad Vitellii auxilium scribit. Verum & in Norico aliquando stativa habuisse ex Antonino observo, qui in Itinerario habet, *Lauriaco M. P. XXV. Leg III.* fuit enim Lauriacum Norici urbs satis ampla, cujus nunc vulgo nomen est *Lorck*, exiguus vicus sub mœnibus oppidi *Ens*, ad confluentem ejusdem nominis amnis, de quo *Philippus Cluverius in Vindelicia & Norico.*

LEG. III. ADIV. Legio Tertia Adjutrix. Hujus legionis fit mentio in Saxo Moguntiæ a *Grutero* exscripto *pag.* 564. 6.

C. VALERIVS
CL. CLAVDESSA
VA. MIL. LEG. III
ADIV. AN. XXV
STIP. VIII
H. S. E

D. M. V

Dummodo tamen, pro tertia adjutrice, secunda non sit legendum, ita ut tertia linea, fortasse typographi incuria, redundet: nam de tertia adjutrice legione nullam hucusque apud antiquos auctores notitiam deprehendi; si tamen fuerit, cum militis Valerii in Germania obitum Saxum prodat, utique fas erit, in Germania ipsam stativa habuisse.

LEG. III. AVG. Legio Tertia Augusta. Alebatur hæc legio *Dione* teste *Hist. lib.* 55. qui & ibidem Augustum auctorem ejus facit; ideoque Augustam dictam, in Numidia, prout etiam confirmat *Ptolemæus Geograph. lib.* 4. *cap.* 4. & *Pancirollus* loco sæpius citato; quam duarum legionum alteram credo, quibus Africa custodiebatur. *Tacitus Annal. lib.* 4. *Lazius lib.* 5. *cap.* 10.

LEG. III. CYREN. Legio Tertia Cyrenaica. Cujus stativa, *Dionis* fide, in Arabia erant, vel in Ægypto, teste *Pancirollo.* Hanc autem a loco, ubi instituata, vel a devicta provincia nomen accepisse *Rosino* placet, *Antiquit. Roman. lib.* 10. *cap.* 4.

LEG. III. GALLIC. Legio Tertia Gallica. Quæ *Dione* referente, in Phœnicia agebat; licet *Pancirollus* in Hispania eam hybernasse notet, & *Lazius* loco citato Norico eandem collocet.

LEG. III. ITAL. F. GORDIAN. Legio Tertia Italia Fidelis Gordiana. Ita fortasse dicta, quia Gordianis Impp. devota & fidelis.

LEG. III. ITALIC. Legio Tertia Italica. Hanc Antoninum instituisse, eamque in Rhætia locasse *Dio* notat loco alias citato.

LEG. III. PARTH. Legio Tertia Parthica. Cujus auctorem *Severum*, cum *Dione* vidimus, qui ipsam in Rhætia disposuit.

LEG. III. PARTHIC. P. F. Legio Tertia Parthica Pia Fidelis. Eadem ac superior.

LEG. IIII. A. V. Legio Quarta Augusta Victrix. Si tamen meæ conjecturæ locus ad monumentum *pag.* 525. 2. cum legionis quartæ Augustæ nulla, quod sciam, apud auctores antiquos mentio habeatur.

LEG. IIII. CYREN. Legio Quarta Cyrenaica.

LEG. IIII. FLAV. Legio Quarta Flavia. Vespasianum, legionem quartam Flaviam instituisse, eamque a sua gente denominasse, atque in Syria disposuisse scribit *Dio Hist. lib.* 55.

LEG. IIII. FL. FEL. Legio Quarta Flavia Felix. Eadem ac superior ex *Pancirolli* observatione.

LEG. IIII. SCYTH. Legio Quarta Scythica. Augusto imperante Legio quarta Scythica in Syria stativa habuit. ita *Dio* loco sæpius citato. Huic quandoque præfuisse Severum Spartianus monet, sic de eo loquens: *Legioni IIII. Scythica deinde præpositus est circa Massiliam.* De hac *Lazius lib.* 5. *cap.* 11.

LEG. IV. Legio Quarta. Legioni Quartæ præfuit Albinus, priusquam ad imperium perveniret. *Egi Tribunus Dalmatas; egi & legionem Quartanorum, & Primano-*

& Primanorum. Ita de eo Capitolinus. Habuit etiam hæc legio Tribunum alium, qui pariter ad imperium pervenit, Maximinus scilicet: quippe Alexander Severus Maximinum *statim Legioni Quartæ ex tyronibus, quam ipse composuerat, dedit.* Quartæ legionis meminit *Tacitus Annal* 15. & *Hist. lib.* 1. ubi eam imagines projecisse Galbæ, atque in Senatus populique Romani verba jurasse narrat. Eandem Martiam, a Marte dictam, ex *Appiano* notat *Pancirollus in Not. Imp. Orient. cap.* 35.

LEG. V. Legio Quinta. Hujus legionis mentionem facit *Aulus Hirtius de Bel. Alexandr. Tacitus Annal. libb.* 1. 4. & 15. necnon *Histor. libb.* 2. 3. 4. & 5. modo Quintanorum, modo Quintam legionem nominans. Huicque stativa in Germania Antoninus *in Itinerario* assignat, locaque appellat Burango & Nevensio, de quibus *Cluverius German. Antiq. lib.* 2. *cap.* 16. fuse.

LEG. V. ALAVD. Legio Quinta Alauda. Meminit hujus leginnis *Suetonius*, eum ipsius auctorem hisce verbis Cæsarem facit in ejus vita, *cap.* 24. *Qua fiducia ad legiones quas a Rep. acceperat, alias privato sumtu addidit: unam etiam ex Transalpinis conscriptam vocabulo quoque Gallico (Alauda enim appellabatur) quam disciplina cultuque Romano institutam, & ornatam postea universam civitate donavit.* Eam itaque ex Gallis militibus conflatam constat, ubi & stativa habuisse fas est credere. Fuit vero Alauda dicta, quia ejus milites galeam, instar capitis illius avis erectam habebant. *Pancirollus in Notit. Imp. Orient. cap.* 35. Alaudam namque Gallice galeritam, a capite dictam notat *Plinius Hist. lib.* 11. *cap.* 27. subdens: *Postea Gallico vocabulo etiam legioni nomen dederat Alauda.* De hac Legione *Lazius lib.* 5. *cap.* 12.

LEG. V. ALAVD. P. FEL. Legio Quinta Alauda Pia Felix.

LEG. V. AVG. Legin Quinta Augusta. De qua nulla apud antiquos auctores, quod sciam, mentio; verum enim vero, cum legionem octavam Augustam fuisse palam sit, utique quintam etiam fuisse credendum.

LEG. V. C. SEVI. Legio Quinta Caji Sevi. Quod nomen Tegularii esse notat *Pighius in Hercul. Prodic.* ad hanc notam, hisce verbis: *Quintam enim Macedonicam in tegulis veterum Castramentorum his notis expressum reperimus: L. V. MAC. in aliis, cum sola numerali nota, velut sæpius a Tacito recensetur, & adjectis Tegulariorum nominibus, qui figulinis illis præfuere, sic LEG. V. C. SEVI. vel LEG. V. P. SATRI.*

LEG. V. MAC. Legio Quinta Macedonica. Ideo sic nominata, vel quia ex Macedonibus conflata, vel a devicta provincia, ut *Rosino* videtur, *Antiq. Roman. lib.* 10. *cap.* 4. Hanc stativa, ex *Dione Hist. lib.* 55. in Dacia habuisse patet; scribit enim ille, quod inter multas legiones, quæ sub Augusto per Imperium Romanum habebantur, fuit & *Quinta Macedonica in Dacia.* De eadem *Lazius* loco citato.

LEG. V. MACED. Legio Quinta Macedonica.

LEG. V. MAC. VII. P. VII. F. Legio Quinta Macedonica Septimum Pia Septimum Fidelis. In Gallieni præcitatis nummis.

LEG. V. MARC. Legio Quinta Marcia. Ex *Ms: Vossii Glossario*, fuit *Legio Martia, quasi numerus militum Marti consecratus.* Quinta Marcia in Syria hybernasse creditur, cum Valerianus Imperator Claudium Gothicum ejus tribunum vocet, epistola ad Zosimionem Procuratorem Syriæ, in qua modum salarii illius mandat; quam ex Trebellio Pollione in Claudio huc referre minime abs re futurum credo, ut pateat, quanti, declinante Imperio, Tribuni legionem æstimarent.

Epistola Valeriani ad Zosimionem Procuratorem Syriæ.

CLaudium Illyricianæ gentis virum, Tribunum Martiæ Quintæ legionis fortissimæ dedimus, virum devotissimis quibusvis ac fortissimis veterum præferendum. Huic salarium de nostro privato ærario dabis, annuos frumenti modios tria millia, hordei sex millia, laridi libras duo millia, vini veteris sextarios tria millia quingentos, olei boni sextarios centum quinquaginta, olei secundi sextarios sexcentos, salis modios viginti, ceræ pondo centum quinquaginta, fœni, paleæ, aceti, oleris, herbarum, quantum satis est, pellium tentoriarum decurias triginta, mulos annuos sex, equos annuos tres, camelos annuas decem, mulas annuas novem: argenti in opere annua pondo quinquaginta, philippeos nostri vultus annuos centum quinquaginta, & in strenis quadraginta septem, & trientes centum sexaginta. Item in eaveos & scyphos pondo undecim. Tunicas russas militares annuas, sagochlamydes annuas duas, fibulas argenteas inauratas duas, fibulam auream, cucumam Cypream unam. Balteum argenteum inauratum unum, annulum bigemmeum uncialem, brachialem unam unciarum septem. Torquem libralem unum, cassidem inauratam unam. Scuta chrysographata duo, loricam unam, quam refundat. Lanceas Herculeanas duas, aclydes duas, falces duas, falces fœnarias quatuor. Cocum, quem refundat, unum: mulionem, quem refundat, unum. Mulieres speciosas ex captivis duas. Albam subsericam unam, cum purpura Maura. Notarium, quem refundat, unum, Structorem, quem refundat, unum. Accubitalium Cypriorum paria duo. Interulas puras duas: togam, quam refundat, unam. Latum clavum, quem refundat, unum. Curam prætorii, unum. Aquarium unum. Piscatorem unum. Dulciarium unum. Ligni quotidiani pondo mille, si est copia; sin minus, quantum fuerit, & ubi fuerit: coctilium quotidiana batilla quatuor. Balneatorem unum, & ad balneas ligna; sin minus, lavetur in publico. Jam cætera, quæ propter minutias suas scribi nequeunt, pro moderatione præstabis, &c. Tot tantaque, declinante Imperio, Tribuni legionum salaria fuere, cum crescente Republica, stipendii loco sola gloria fuerit.

LEG. V. M. P. Legio Quinta Macedonica Pia. Legin Quinta Marcia Pia.

LEG. V. M. P. C. Legio Quinta Macedonica Pia Constans. Legio Quinta Marcia Pia Constans. Legiones, tum Fidelium, tum Felicium, tum Constantium, tum Victricium, vel pro lubitu & ambitionis causa, vel Senatus decreto, sive annuentibus Cæsaribus, epitheta & titulos sibi ambitiose arrogabant.

LEG. V. PARTH. Legio Quinta Parthica. Meminit hujus legionis *Ammianus Marcellinus Hist. lib.* 18 eamque Amidam Mesopotamiæ urbem custodientem his verbis refert: *In ipso autem Amida meditullio, sub arce fons dives exudat, potabilis quidem, sed vaporatis æstibus nonnumquam fœtens. Cujus oppidi præsidio erat semper Quinta Parthica legio destinata, cum indigenarum turma non contemnenda.*

LEG. VI. Legio Sexta. Plura de hac *Tacitus Annal.* 2. 13. & 15. necnon *Historiar.* 3. & 4. ac præcipue quinto, ubi ait, Principem Galbam Sextæ Legionis auctoritate factum. Hanc & Victricem dictam, ex eodem *Hist. lib.* 4. patet, atque in Syria hybernasse *Annal.* 2. his verbis: *Domitius Laodiceam urbem Syriæ adpulsus, hyberna Sextæ Legionis petiit.* Verum enim vero *Antoninus in Itinerario* Sextam Legionem Burcinatii, seu, ut legit *Cluverius German. Antiq. lib.* 2. *cap.* 36. Burginatii statuit, apud Batavos Caninefates. *Ptolemæus* vero *Geogr. lib.* 2.

lib 2. *c*. 3. Eboraci eam in Britannia locat, ubi varias stationes, pro diversitate temporum habuisse facile est credere.

LEG. VI. AVG. Legio Sexta Augusta.

LEG. VI. CLAVD. P. F. Legio Sexta Claudia Pia Fidelis. Quam a Claudio Imperatore, vel institutam, seu titulis & honoribus decoratam conijcere licet, cum ejusdem Imperatoris nomen præferat. De ea *Lazius lib*. 5. *cap*. 13.

LEG. VI. FERR. Legio Sexta Ferrea. Hanc Ferratam vocat *Pancirollus* loco pluries citato, cujus in Hispania stativa. Verum *Dio Hist. lib*. 55. in Judæa eandem hisce verbis locat: *Sexta duæ, una in inferiori Britannia, altera in Judæa, Ferrea vocabulo insignis*.

LEG. VI. FERR. F. C. Legio Sexta Ferrea Fidelis Constans.

LEG. VI. GALLIC. Legio Sexta Gallicana. Huic præfuit Aurelianus Imperator, antequam Imperio potiretur, ut ex Vupisco in vita ejusdem patet: nam *Aurelianus apud Moguntiacum, tribunus Legionis sextæ Gallicanæ, Francos irruentes, cum vagarentur per totam Galliam, sic adflixit, ut trecentos ex his captos, septingentis interemptis, sub corona vendiderit*. Quo loco, abs re me facturum non puto, si ipsius Aureliani epistolam, qua militarem disciplinam & licentiam disponit & coercet, huc referam, ut ex ea palam fiat, qualis Antiquorum militum disciplina ac modestia fuerit, Aureliano præcipue imperante, qui ad Vicarium suum, eodem Vopisco teste, ad militarem compescendam licentiam, hæc scripsit: *Si vis Tribunus esse, imo si vis vivere, manus militum contine. Nemo pullum alienum rapiat, ovem nemo contingat. Uvam nullus auferat; segetem nemo deterat; oleum, sal, lignum nemo exigat; annona sua contentus sit. De præda hostis, non de lacrymis provincialium habeat: arma tersa sint, ferramenta samiata, calceamenta fortia. Vestis nova vestem veterem excludat. Stipendium in balteo, non in popina habeat. Torquem brachialem, & annulum apponat: equum sagmarium suum defricet, captum animal non vendat, mulam centuriatum communiter curet. Alter alteri quasi servus obsequatur: a medicis gratis curentur: aruspicibus nihil dent: in hospitiis caste se agant: qui litem fecerit, vapulet*. Epistola mehercle prorsus aurea, & quæ nostri seculi effrenem & tumultuariam licentiam, ac scelus in Deos & homines graviter perstringit & damnat. De Sexta Gallica, seu Gallicana legione *Lazius lib*. 5. *cap*. 13.

LEG. VI. VICT. Legio Sexta Victrix. De qua supra, nota LEG. VI.

LEG. VI. VICT. P. F. Legio Sexta Victrix Pia Fidelis, *vel* Felix.

LEG. VII. Legio Septima. De Legione Septima mentio est apud Cæsarem *lib*. 7. *de Bell. Gall*. Septimam etiam Legionem memorat *Tacitus Hist. lib*. 2. sed ab ista diversam, cum eam a Galba conscriptam prodat, unde & Septimam Galbianam vocat; ubi & eandem Patavii quandoque commoratam narrat. Cæterum ex Itinerario Antonini, Legionem Septimam Durnomagi stativa habuisse compertum. De quo oppido satis *Cluverius in German. Antiq. lib*. 2. *cap*. 17. Septimam vere Galbianam, ex *Dione*, in Hispania quandoque hybernasse patet.

LEG. VII. CLAVD. Legio Septima Claudia. Ideo sic dicta, quia Claudium a Camilli insidiis liberavit. stativa ejusdem, *Dio* & *Pancirollus* in Mæsia ponunt; hujusque meminit *Tacitus Hist. lib*. 3. non uno in loco, quam & Geminam quandoque dictam saxa produnt, ut ex sequentibus notis patet.

LEG. VII. CL. GEM. P. FIDEL. Legio Septima Claudia Gemina Pia Fidelis, seu, ut aliis placet, *Gemella*. *Dio Hist. lib*. 60. de Claudio: *Tum effecit, ut urbana legiones, septima & undecima, Claudiana Fideles & Piæ a Senatu nominarentur*. De hac *Lazius lib*. 5. *cap*. 14.

LEG. VII. CL. P. F. Legio Septima Claudia Pia Fidelis.

LEG. VII. CL. VI. P. VI. F. Legio Septima Claudia Sextum Pia Sextum Fidelis. In nummis parvis æreis Gallieni.

LEG. VII. GEM. Legio Septima Gemina. Hanc in Gallis sub Cajo Cæsare stipendia meruisse, ejusque sæpe meminisse observat *Pancirollus in Not. Imp. Orient. cap*. 48. qui ideo sic eam dictam vult, quia ex duabus exhaustis una Legio fuisset conflata. Ipsamque a septima Claudia distinctam notat. De ea fuse *Lazius lib*. 5. *cap*. 14.

LEG. VII. GEM. FEL.
LEG. VII. G. F.
LEG. VII. G. FEL.
} Legio Septima Gemina Felix.

LEG. VII. GEM. ANT. P. FEL. Legio Septima Gemina Antonina Pia Felix. Ideo sic dicta, quia Imperatori Antonino addicta & dicata: quod satis est intelligere ex prægrandi illo monumento *pag*. 260. 1. nulla quippe major adulatio, quam militum erga Imperatores.

LEG. VIII. Legio Octava. De Octava Legione *Tacitus Annalium lib*. 1. *Histor. lib*. 2. ubi etiam Othoni consensisse scribit, ut etiam tertio, non uno in loco ejusdem meminerit.

LEG. VIII. AVG. Legio Octava Augusta. Octavam Augustam in Germania superiori stativa habuisse *Dio* testis est, *Hist. lib*. 55. quæ tamen a *Ptolemæo Geograph. lib*. 2. *cap*. 9. in Germania Belgica statuitur, atque inter Vangiones, haud procul Argentorato.

LEG. VIII. AVG. P. F. Legio Octava Augusta Pia Felix, *vel* Fidelis. De qua satis *Lazius lib*. 5. *cap*. 15.

LEG. VIII. C. P. F. Legio Octava Classica Pia Fidelis, *vel* Felix. Si Saxi *pag*. 1107. 6. notas non male intellexerim:

T. CVRTIACVS. T. F. LEM
BON. VET. LEG. VIII. C. P. F.
H. S. EI. F. L

Classicam dico, ea ratione, qua Casaubonus, ad decimum Galbæ vitæ caput, apud *Suetonium* notat, scilicet, *quod parum honesta apud Romanos olim nautica militia. At classiarii isti & remiges, beneficio Neronis facti justi milites, in unam legionem fuerant conjecti*.

LEG. VIII. GEM. FEL. Legio Octava Gemina Felix.

LEG. VIII. HISP. Legio Octava Hispanica, *vel* Hispanorum. Quia in Hispania, vel ex Hispanis conflata.

LEG. IX. Legio Nona. Hujus meminit *Tacitus Annal*. 1. ejus milites Nonanos appellans, & decimoquarto, ubi fas est credere, eam in Britannia degisse, cum tumultui Coloniæ Cameloduni occurrisse scribat Poetilium Cerealem, Legionis Nonæ Legatum. De ea pariter *Suetonius* in Cæsare, scribens, quod *nonam legionem apud Placentiam, quanquam adhuc in armis Pompejus esset, totam cum ignominia missam fecit, ægreque, post multas & supplices preces, nec nisi exacta de sontibus pœna, restituit*.

LEG. X. Legio Decima. De qua *Tacitus Annal. lib*. 2. ubi constat eam quandoque in Syria stativa habuisse, in urbe Cyrro, dum scribit: *Cyrri demum, apud hyberna Decimæ Legionis convenere*. Quod & confirmare videtur, tum *Annal*. 14. quo Decumanos

manos milites, Artaxatam illius provinciæ urbem obsidione cinxisse narrat. Hæc illa est Legio, de qua C. Julius Cæsar *de Bello Gal. lib.* 1. scripsit, adversus Gallos, se cum sola Decima legione obviam iturum, quam sibi Prætoriam cohortem fecerat, cuique & indulsit plurimum, ob virtutem, illi maxime confidens. Quare ex *Dione Historiar. lib.* 38. intelligitur, quod *Decimam legionem Cæsar cohortem prætoriam sibi delegit, quod illarum benevolentiam peculiarem quandam semper senserat.* At legio ista an sit eadem, ac de qua *Suetonius in August. c.* 24. scribit, *Decimam legionem contumaciùs parentem cum ignominia totam dimisit*, utique affirmare non ausim, præcipue cum Vopiscus *in Probo* scripserit, milites Decumanos magni semper habitos fuisse apud Principes, tanquam, *qui quadam felicitatis prærogativa præsules, nisi futuros Principes habere non noverant.* prout etiam ambigo, an eadem fuerit Decima illa legio, cujus stativa *Antoninus in Itinerario*, Arantii apud Batavos Caninefates statuit. de quo loco *Cluverius German. Antiq. lib.* 1. *cap.* 36. abunde. Cæterum de legione Decima *Lazius lib.* 5. *cap.* 12. abunde.

LEG. X. A. }
LEG. X. AVG. } Legio Decima Augusta.

LEG. X. FLAV. Legio Decima Flavia. Ideo sic dicta, quia Vespasiano Imp. iostituta, vel ipsi addicta fuerit; nam legiones ab Imperatoribus denominatas, habeo ex Lipsio. sic Augusta, Claudia, Flavia.

LEG. X. FR. ANT Legio Decima Fretensis Antonina. Ut Imperatoribus devotas se profitereotur, Legiooes, præter proprium nomen, etiam alicujus Imperatoris sibi adsciscebant; prout ista, cujus stativa io Hispaniis Augusti ævo fuisse observat *Pancirollus in Not. Imp. Orient. cap.* 35. Hanc legionem & Judaicam *Lazius* nominat *lib.* 5. *cap.* 17.

LEG. X. FRET. Legio Decima Fretensis. Fretensis eadem ac Forteosis, *Pancirollus in Not. Imp. Orient. cap.* 38. his verbis: *Fortenses, a Fortia oppido Sarmatia Asiatica denominati, alias Fretenses dicti. Quidam Comagenos Eufratenses esse putant: & prima dempta syllaba, Fratenses, seu Fretenses appellatos. Sed Marcellinus Fortenses vocat lib.* 18. *Tricesimani*, inquit, *Decimanique Fortenses.*

LEG. X. G. Legio Decima Gemina. Eadem ac Gemella, *Pancirolli* observatione *in Not. Imp. Orient. cap.* 48. Cur vero Gemella dicta sit, Cæsar docet 3. *de Bel. Civil.* cum de Pompejo loquens, qui multas legions cooscripserat, sic scribit: *Unam ex Sicilia veteranam, quam factam ex duabus Gemellam appellavit.* Duas decimas Gemellas legiones fuisse ex *lib.* 55. *Hist. Dionis* colligere est, qui stativa ipsarum designans, hæc scribit: *Decima Gemella in Pannonia superiori, ac in Mysia alia decima.* Illam quam *Dio* in Pannonia superiori locat, Antonini fide *in Itiner.* cui adstipulatur *Ptolemæus Geograph. lib.* 2. *cap.* 15. Vindobonæ degebat, hoc est, *Vienna Austria*, quam *Ptolemæus* loco citato *Legionem X. Germanicam* nominat.

LEG. X. GEM. A. C. Legio Decima Gemina Augusta Claudia. Ita ex *Dione* lego, qui hujusce legionis stativa describens *Hist. lib.* 55. sic habet: *Decima Gemella in Pannonia superiori, ac in Mysia alia decima; Undecima in Mysia inferiori, Claudia cognomento. hæ duæ legiones a Claudio sunt nominata, quod adversus eum, in seditione Camilli non rebellassent.*

LEG. X. GEM. GORDIAN. Legio Decima Gemina Gordiana.

LEG. X. GEM. OPT. Legioois Decimæ Geminæ Optio. Optiones quid essent, ita docet *Festus de Verb. Signific. Optio qui nunc dicitur, antea appellabatur accensus. Is adjutor dabatur Centurioni, a Tribuno militum, quia ex eo tempore, quem velint, Centurionibus permissum est optare, & nomen ex facto sortitus est.* Verum *Vegetius de Re Milit. lib.* 2. *cap.* 7. vult *Optiones ab optando appellatos, quod antecedentibus ægritudine præpeditis, hi tanquam adoptati eorum atque vicarii solebant universa curare.* Ergo Optiones, militum genus censeo, de quibus scite ac eleganter *Lipsius de Milit. Roman. lib.* 2. *Dialog.* 8.

LEG. X. GEM. P. F. Legio Decima Gemina Pia Felix. Hanc ab Augusto institutam *Pancirollus* tradit *Not. Imp. Orient. cap.* 48. diversamque esse scribit ab illa decima Gemina, quæ præ ceteris Cæsari dilecta fuit. De ista *Lazius lib.* 5. *cap.* 17.

LEG. X. G. V. Legio Decima Gemina Valens, *seu* Victrix.

LEG. X. G. P. Legio Decima Gemina Pia. Legionis Decimæ Geminæ Præfectus. Legio Decima Germanica Pia. *Lazius.*

LEG. X. SALVT. Legio Decima Salutaris. Cujus hoc, est Saxum *pag.* 598. 5.

T. COELIO
T. F. CELERI
A. CVR. AMIC
AVG. PRAEF
LEG. X. SALVT
MEDIOM. CIV
B. M. P

LEG. X. VENER. Legio Decima Veoerea, forsitan. Sunt enim notæ monumenti *pag.* 549. 10.

C. LANIVS
C. F. ANI. DE
LEG. X. VENER
C. LANIVS. C. L
EROS. AERE
DE . SVO

Duarum harum legionum oullum vestigium apud antiquos hucusque inveni; quinimo nec in Notitia Imperii tam Orientis, quam Occidentis, quicquam de eis observavi. feliciora itaque ingeoia, in meæ tenuitatis subsidium hoc arcanum beneficio posteritatis aperieot.

LEG. XI. Legio Undecima. De qua *Tacitus Hist. lib.* 2. qui eam ex Veteranis fuisse mooet. *Veterana Undecima ac Tertia decima;* & *lib.* 3. ubi cum Vespasiano contra Vitellium fuisse prodit. Istam & Claudiam dictam vidimus cum *Dione* supra, notis LEG. X. GEM. A. C.

LEG. X. AVG. Legio Undecima Augusta.

LEG. XI. CL. Legio Undecima Claudia. De qua supra.

LEG. XI. CL. VI. P. VI. F. Legio Undecima Claudia Sextum Pia Sextum Fidelis. In ouinmis minoribus Gallieni.

LEG. XI. CL. P. F. Legio Uodecima Claudia Pia Fidelis, *vel* Felix.

LEG. XI. G. P. F. Legio Undecima Gemina Pia Felix, *vel* Fidelis.

LEG. XII. Degio Duodecima. Hujus Legionis apud Cæsarem mentio habetur *de Bello Gal. lib.* 7. & *lib.* 1. *de Bel. Civil.* atque peoes *Tacitum Annal. lib.* 15. *& Histor. lib.* 5.

LEG. XII. FOLM. Legio Duodecima Fulminatrix. Hæc gloriosa illa est Legio, quæ ex totis Christianis constabat ævo etiam M. Antooini Philosophi

losophi Imp. cujusque precibus, ipsi Imperatori, cunctoque exercitui Romano, aqua & victoria a Deo impetrata est; ut narrat, licet obscure, ethnicus auctor *Julius Capitolinus*, hisce verbis in eo: *Fulmen de cælo precibus suis contra hostium machinamentum extorsit, suis pluvia impetrata, quum siti laborarent.* Et *Dio Nicæus Hist. lib.* 71. Fama est, *Arnuphim magum Ægyptium, qui una cum Marco erat, Mercurium illum qui est in aere, aliosque dæmonas quibusdam artibus magicis invocavisse, ac per eos pluviam extorsisse.* Quæ omnia etiam a *Dione* ethnico scriptore, tum obscure, tum falso narrata, a *Xiphilino*, ut proprio nitori ac genoinæ veritati restituerentur, hisce verbis descripta sunt: *Hæc quidem a Dione dicuntur, sed is mihi mentiri videtur (volens, an invitus, nescio, volentem magis arbitror) quum non ignoret Legionem militum, quæ κεραυνοβόλος appellatur proprio nomine (ejus enim mentionem facit in catalogo cæterorum militum) ex nulla alia causa (neque enim alia circumfertur) quam ex ea quæ in eo bello accidit, id nomen accepisse. Quæ causa etiam tunc Romanis saluti & Barbaris exitio fuit. Non enim Arnuphis magus erat, quum nusquam memoriæ proditum sit Marcum magorum societate aut præstigiis fuisse delectatum. Quod igitur in hac re dico, tale est: Quum Marcus Legionem unam haberet ex militibus Melitenis (hi omnes Christum colunt) ad eum Præfectus prætorianorum venit, nescientem in illo prælio, quid consilii caperet, timentemque toti exercitui; eique fertur dixisse, nihil esse, quod ii qui Christiani nominantur, precibus impetrare non possint, esseque Legionem unam in exercitu hominum hujus generis. Qua re cognita, Marcum ab iis petiisse, ut Deo suo supplicarent. Quod quum fecissent, Deum eos exaudisse subito, percussisseque hostes fulmine, ac Romanos pluvia recreasse. His rebus Marcum vehementer obstupefactum, edicto Christianos honore affecisse, ipsamque legionem κεραυνοβόλον appellasse.* De ista *Lazius lib.* 5. *cap.* 19.

LEG. XII. G. P. FE. Legio Duodecima Gemina Pia Felix.

LEG. XIII. G. Legio Decima Tertia Gemella. *Dio*, qui eam in Dacia locatam scribit. *Hist. lib.* 55.

Legio Decima Tertia Germanica. *Lazius. Servius.*

Legio Decima Tertia Gemina. Legionis Decimæ tertiæ frequens est mentio apud Cæsarem, sed præcipue 5. & 7. *Belli Gal.* Ejusdem meminit *Tacitus Annal.* 2. necnon *Hist.* 2. qui inter veteranas Legiones, juxta cum undecima, ipsam recenset, & etiam *Hist.* 3. dum narrat *Septimam Galbianam, & Tertiam decimam Geminam, cum Vedio Aquila legato, Patavium alacres venisse.* Istam Germanicam, Pannonicam, Geminam, & Veteranam ex *Tacito* dictam monet *Lazius Comment. Reipub. Roman. lib,* 5. *cap.* 20. ad quem lectorem remitto, ut qui fuse de ipsa agit.

LEG. XIII. G. A. Legio Decimatertia Gemina Attilii. *Lazius* loco mox citato, scribens: *Idest, Attilii Histri, qui Pannoniæ præfuit sub Claudio.*

Legio Decimatertia Gemina Augusta.

LEG. XIII. GE. GA. Legio Decimatertia Germanica Galbæ. Idem *Lazius* ibidem in hæc verba: *Idest, Galbæ Cæsaris, qui ante Imperium Pannoniæ præsedit.*

LEG. XIII. GEM. Legio Decimatertia Gemina. quam & Antonianam dictam Saxa indicant, quorum unum habetur *pag.* 528. 8.

D. M
MARINA. SECVN
DINA. VIX. ANN. LIII
L. AVRELIA. SATVR
VIX. ANN. XXI
L. AVRELIVS. INGENVVS
MILES. LEG. XIII. GEM
ANTONIANAE
MATRI. ET. SO
RORI. POSVIT

LEG. XIII. GEM. CAMILL. Legio Decimatertia Gemina Camilliana. *Lazius* loco paulo ante citato: *Camilliane, idest, a Scriboneo Camillo, qui contra Claudium Cæsarem invasit Imperium.*

LEG. XIII. GEM. MIL. Legio Decimatertia Gemina Miliaria.

LEG. XIII. GEM. MV. Legio Decimatertia Gemina Mutiana. *Lazius* ibi scribens: *Idest, a Mutiano Præfecto Illyrici, cujus auspicio Vespasianus ad Imperium fuerat sublimatus.*

LEG. XIII. GER. Legio Decimatertia Germanica

LEG. XIII. G. F Legio Decimatertia Gemina Felix, *vel* Germanica Fidelis.

LEG. XIII. G. FAB. Legio Decimatertia Gemina Fabina. *Lazius*, qui adnotavit: *Hoc est, a Tito Fabiano Pannoniæ præside, cujus meminit Tacitus lib.* 81. *& sub finem* 21.

LEG. XIII. G. FE. Legio Decimatertia Gemina Felix. *Lazius* qui habet: *Idest, Felicis, quem Norico præfuisse, Tacitus libro decimo nono tradit.*

LEG. XIII. G. GORD. Legia Decimatertia Gemina Gordiana.

LEG. XIII. G. IMP. C. C. Legio Decimatertia Gemina Imperatoris Caji Cæsaris. *Lazius.*

Legio Decimatertia Imperatoris Claudii Cæsaris.

LEG. XIII. G. IMP. NERON. TIB. Legio Decimatertia Gemina Imperatoris Neronis Tiberii.

LEG. XIII. G. P. F. Legio Decima Tertia Gemina Pia Felix, *vel* Germanica Pia Fidelis.

LEG. XIII. G. POET. ET. OLIM. Legio Decimatertia Gemina Pœtoviensium Et Olimacensium. *Lazius libb. & capp.* jam citatis. Pœtovione in Pannonia hanc Legionem hybernasse ex *Tacito* licet accipere, qui initio tertii libri Historiarum, consilia Flavianorum adversus Vitellianos dum narrat, hæc habet: *Meliore fato fideque Flavianarum partium duces consilia belli tractabant. Pœtovionem in hyberna tertiadecima Legionis convenerant.*

LEG. XIII. G. VAL. Legio Decimatertia Gemina Valentis. *Lazius* ibidem: *Idest, Valentis illius, quem prælio Bebriacensi interfuisse cum legionibus Tacitus scribit.*

Legio Decimatertia Gemina Valens. Hoc est, a fortitundine, & vigore.

LEG. XIII. G. VE. AQ. Legio Decimatertia Gemina Vedii Aquilæ. Vedium Aquilam hujus legionis fuisse legatum vidimus cum *Tacito*, notas LEG. XIII. G.

LEG. XIII. IVN. Legio Decimatertia Junii. *Lazius* capitibus allatis: *Idest, Junii, quem Piso in consortium, ascitus a Galba, adsumpsit.*

Legio Decimatertia Juniorum.

LEG. XIIII. GEM. Legio Decimaquarta Gemina. Hanc legionem *Dio Hist. lib.* 55. in superiori Pannonia locatam notat: ejusdem frequentissimam mentionem habet *Tacitus*, & quidem summa cum ipsius laude, *Annal* 1. & 14. & *Hist.* 2. 3. 4. & 5. Ista etiam a Cæsare memoratur *de Bell. Civil. lib.* 1. vultque *Pancirollus in Notit. Imp. Orient. cap.* 51. hujus milites gestasse in alba parma Aquilam cærulei coloris aliquantum diluti, orbi item cæruleo, sed densioris insidentem, intra quem alius circulus ruber erat, in cujus medio aureus umbelicus, quæ symbola *Hieroglyph. lib.* 19. *Pierius* diligenter explicat.

cat. Legionem decimamquartam Germanicam dictam notat *Lazius lib. 5 cap.* 21. eo forte quod *Ptolomaeus Geograph. part.* 2. *lib.* 2. *cap.* 15. Legionem Germanicam quartamdecimam in Pannonia superiori statuit.

LEG XIIII.GEM.MART.VICT. Legio Decima quarta Gemina Martia Victrix. *Lazius. Angelonus. Occo*, qui *de Impp. Romanor. nummis* : *fol. mihi* 345. de hac Legione consulendus merito est.

LEG. XIIII GEM.SEV. Legio Decimaquarta Gemina Severi, *seu* Severiana.

LEG. XIIII.G.M.V. Legio Decimaquarta Gemina Martia Victrix.

LEG. XV. APOLLIN. Legio Decimaquinta Apollinaris. *Dio Hist. lib.* 55. eam ab Apolline cognominatam, & in Cappadocia hybernantem, notat. Istius non rara est mentio apud *Tacitum Annal.* 1. & 15. ex quo intelligitur Quintamdecimam Legionem in Pannonia ejus aevo degisse: nam in Corbulonis castris, & *Quintadecima Legio ducente Mario Celso e Pannonia adjecta est.* Habet de ea pariter historiarum primo, ubi narrat Camurium XV. Legionis militem, impresso gladio, jugulum Galbae hausisse; necnon tertio, quarto & quinto praecipue, ubi hanc cum Tito in Judaeam missam intelligitur.

LEG. XV.C. Legionis Decimae Quintae Centurio. *Trinagius.*

LEG. XVI. Legio Decimasexta. Hujus Legionis meminit *Tacitus Annalium primo* & *Historiarum primo, tertio & quinto.*

LEG.XVI.FLAV. Legio Decimasexta Flavia. Quam inter additas a Vespasiano enumerat *Pancirollus in Not. Imp. Orient. cap.* 35. quamque Flaviam Firmam cognominatam scribit *Lazius Comment. Reip. Roman. lib.* 5. *cap.* 34. eamque declinantis Imperii temporibus, Arcadio scilicet & Honorio Imperantibus, Surae degisse, ex *Scoto* notat.

LEG.XVI. FR. Legio Decimasexta Fretensis, cujus mentio est in amplo illo monumento *pag.* 407. 1.

LEG.XVII. Legio Decima Septima. Nulla notitia hujus legionis apud *Tacitum* est, contra *Lazii* sententiam *Comment. Reipub. Rom. lib.* 5. *cap.* 23. nam *Tacitus Annalium primo*, dum refert initium illius seditionis, concitatae a militibus, quos e Colonia Hostiensi Otho in Urbem acciri jusserat, non Legionis, ut *Lazio* videtur, sed cohortis Decimaeseptimae mentionem facit hoc pacto: *Parvo interim initio, unde nihil timebatur, orta seditio, prope Urbi exitio fuit. Septimamdecimam cohortem, colonia Hostiensi, in Urbem acciri Otho jusserat &c.* nihilominus Decimaeseptimae Legionis Saxum mentionem habet, ut est *pag.* 639. 6.

CN. CVRIONI
SABINO
LEG. XVII. MIL.
P. METELLVS
CALVINVS
CONTVBERNALI
DVLCISS. POS

LEG. XVIII. FIRM. Legio Decimaoctava Firmanorum. Legio decimaoctava a *Tacito* saepius nominatur *Historiar. libb.* 1. 2. 3. & 4. Ejusdem numeri quatuor recensentur Legiones a *Lazio Comment. Reipub. Roman. lib.* 5. *cap.* 24. Decimamoctavam scilicet Italicam, de qua *Livius Hist. lib.* 37. Decimamoctavam Germanicam, quam *Antoninus in Itinerario*, apud Ambianos ad Noviomagum locaverat, quamque censet *Lazius* loco citato, eam cujus frequens est mentio apud *Tacitum*. Decimamoctavam Britannicam, quam victricem appellari, eum *Tacito* notat, & Decimamoctavam Hispanicam Primigeniam cognominatam, sive Tyronum, eamque vetustissimam dicit, utpote, quae sub Caesare meruerit in Hispaniis contra Pompejum, prout ille *de Bel. Civil. lib* 4. testatos est.

LEG. XVIII. PRIMIG. Legio Decimaoctava Primigenia. De qua mox dictum cum *Lazio*.

LEG. XIX. Legio Decimanona. Haec memoratur a *Tacito Annalium primo* scribente, unam illarum fuisse, quas insigni clade, Varrone Legato, fuderunt Germani Arminio Duce. Quatuor pariter Decimasnonas Legiones recenset *Lazius lib.* 5. *cap.* 25. Decimanona Augusta, sive Gallica, quae sub Caesare Dictatore Rheni limites tuebatur. Decimanona Victrix, Nicephorica a *Ptolemaeo* appellata *Geograph. lib.* 2. *capit.* in Britannia inter Vireconium & Lividonium ab eo collocata, quamquam subdat *Lazius* in aliquibus *Ptolemaei* exemplaribus, non Legionis XIX. sed XX. mentionem fieri, prout in meo quoque percipitur. Decimanona Italica, cujus meminit *Livius Hist. lib.* 37. Et Decimanona Rhaetica cognomine Rapax de qua *Tacitum Hist. lib.* 3. haec adnotasse scribit: *Relictis castris, abrupto ponte Hostiliam rursus, inde Cremonam pergunt, ut legionibus Prima Italica & Undevicesima Rapaci jungerentur.* Verum *Lazii*, ex *Tacito*, auctoritas mihi prorsus suspecta: nam in multis *Taciti* codicibus, non Legionem Undevicesimam Rapacem, sed Unam & Vicesimam Rapacem, cujus hoc fuit cognomen, legi. Apud *Tacitum* quippe *Histor.* 2. ita habetur: *Forte inter Padum, viamque patenti campo, duae Legiones congressae sunt: pro Vitellio Una & Vicesima, cui cognomen Rapaci, vetere gloria insignis*, & eodem libro: *Postremo agmine Una & Vicesima Rapax & prima Italica incessere.* Cum tertio Historiarum verba a *Lazio* allegata sic inveniam: *Relictis castris, abrupto ponte, Hostiliam rursus, inde Cremonam pergunt, ut Legioni prima Italicae, & uni & vicesimae Rapaci jungerentur.* Non itaque Decimanona, sed Vigesima prima Legio Rapax cognominata fuit, ut suo loco cognoscetur.

LEG. XIX. GEM. Legio Decimanona Gemina. Praeter eas, quas *Lazius* adnotavit, Decimamnonam Geminam Legionem fuisse Saxa docent, quam conjectare licet in Germania stativa habuisse ex Maguntino monumento, in quo ejus est mentio *pag.* 538. 4.

C. CORNELIVS
C. F. POL. ASI.
MIL. LEG. XIX. GEM
V. AN. XL. STIP. XXIII.
H. S. E
LIBERTI. TRES. EX
T. F. C

LEG. XX. Legio Vigesima. Quam *Dio Hist. lib.* 55. Valerianam & Victricem appellat, cujus stationes in superiori Britannia. de ea *Tacitus primo Annalium* saepe, necnon & decimoquarto, ac Historiarum primo & tertio. Vigesimam Legionem quam Nicephoricam, hoc est, Victricem appellat, *Ptolemaeus* in Britannia statuit inter Devana & Viroconium. *Lazius. lib.* 5. *cap.* 26. quinque legiones vigesimas recenset. Vigesimam Italicam, in qua bello Punico secundo, teste *Livio Hist. lib.* 37. Volones conscripti fuere. Vigesimam Pannonicam cognomento Praetoriensem. Vigesimam Britannicam a *Ptolemaeo*, ut mox vidimus, descriptam. Et Vige-

Vigesimam Hispanicam cognomento Geminam, quarum postremarum notæ infrascriptæ in monumentis frequentes.

LEG. XX. BRITANNIC. Legio Vigesima Britannica. Eadem quæ & apud *Ptolemæum* Nicephorica.

LEG. XX. G. PROV. H. C. Legio Vigesima Gemina Provinciæ Hispaniæ Citerioris. Quæ in ordine quinta a *Lazio* memorata.

LEG. XX. VAL. VICT. Legio Vigesima Valeriana Victrix. De qua hæc *Dio Hist. lib.* 55. *Vigesima Valeriana, quæ & Victrix in Britannia superiori versantes: quos ipsos, ut mihi videtur, cum ea legione, cui nomen est Vigesima, ac hiberna in superiori sunt Germania, ac non ab omnibus Valeriana dicitur, neque hodie id nomen retinet; ipse acceptos servavit.* Hanc legionem Valeriam Victricem *Pancirollus* nominat loco sæpius allato.

LEG. XX VICT. Legio Vigesima Victrix.

LEG. XX. V. V. Legio Vigesima Valeriana Victrix, *vel* Valens Victrix.

LEG. XXI. Legio Vigesima Prima. Hæc illa est Legio quæ & Rapax cognominata, ut vidimus cum *Tacito*, notis LEG. XIX. inter *Colonem & Castra Ulpia Veteris* apud Belgas istam Antoninus locat. Tres Legiones Vigesimæ primæ recensentur a *Lazio*. Vigesima prima Gallica, cujus auctorem Cæsarem facit, & de qua A. *Hirtius de bello Alexandrino*. Vigesima prima Rapax, quæ eadem de qua in Legione XIX. Et Vigesima prima Mœsica, quæ ab Antonino *in Itiner.* Dorosdori & Anxiopoli municipiis Mœsiæ statuitur. Ita *Lazius*, verum vero qui *Itinerarium* consulet, observabit *Dorosdoro LEG. XXI. CL.* quæ legio *Legio Vigesima prima Claudia*, ita ut non Mœsica, sed Claudia dicta fuerit Legio, quæ *Dorosdoro* degebat.

LEG. XXI. RAP. Legio Vigesima Prima Rapax.

LEG. XXI. RAPAC. Legio Vigesima Prima Rapacum. Quæ si diversa ab antecedenti, de ea *Tacitus lib.* 2. & *Lazius lib.* 5. *cap.* 27.

LEG. XXII. Legio Vigesimasecunda. De qua habet *Tacitus Hist.* 4. & 5. ubi constat maxime Vespasiano, & filiis fuisse addictam. Tres numero Vigesimas secundas Legiones Romanos habuisse *Lazius* observavit *lib.* 5. *cap.* 28. Vigesimam secundam Italicam a Cæsare ut ipsi videtur conscriptam, quamque putat, de qua A. *Hirtius de Bello Alexandrino*. Vigesimam secundam Germanicam cognomento Primigeniam piam fidelem, quæ apud ipsum ea est, de qua *Tacitus Hist. lib.* 4. Et Vigesimam secundam Ægyptiacam, illam scilicet ex ejus sententia, de qua quinto Historiarum idem *Tacitus*, quamque confundit cum Vigesima secunda Italica prima, ab eodem memorata.

LEG. XXII. ANTONIANA. P. P. F. Legio Vigesima secunda Antoniana Primigenia Pia Fidelis. Hæc Legio sic dicta, fœda adulatione Antonini Helagabali, nequissimi Imperatoris, cujus secundo consulatu, monumentum hoc fuit sculptum; exscriptum a *Grutero pag.* 87. 4.

DEAE. EPONAE. M. OPELIVS. RESTIO
MILES. LEG. XXII. ANTONIANAE. P. P. F
IMMVNIS. COS. CVRA. SALENS. VICO
SALONOR. DD. XXII. KAL. SEPTEMBR
D. N. ANTONINO. AVG. II. ET. SACER
DOTE. II. COS. V. S. L. M

Gesserunt autem ambo consulatum, juxta Panvinianam supputationem anno V. C. DCCCCLXXII. Christi CCXX.

LEG. XXII. C. F. Legio Vigesima Secunda Claudia Felex, *vel* Constans Fidelis.

LEG. XXII. C. V. Legio Vigesima Secunda Claudia Victrix, *vel* Constans Valens.

LEG. XXII. PRIMIG. Legio Vegesima Secunda Primigenia. Didius ille Julianus, qui sibi pretio Imperium comparavit, *Post praeturam, Legioni præfuit in Germania, Vicesima Secunda Primigenia.* Ita in eo Spartianus.

LEG. XXII. PRIMIG. P. F. Legio Vigesima Secunda Primigenia Pia Felix, *vel* Fidelis.

LEG. XXII. P. P. F. }
LEG. XXII PR. P. F. } Legio Vigesima Secunda Primigenia Pia Felix, *vel* Fidelis.

LEG. XXII. VIC. Legio Vigesima secunda Victrix. Quæ forte ab aliis diversa, ut tribus *Lazii* quarta hæc facile addi possit; de qua extat monumentum *pag.* 548. 8.

DIS. MANIBVS
M. IVNIO. CVRIONE
EQ. R. LEG. XXII. VIC
TVR. VERISSIMI. VIXIT
AN. LVIIII. M. VII. D. III
P. IVNIVS. ANSVS
H. F. C.

LEG. XXIII. Legio Vigesima Tertia. Hanc unicam apud Romanos fuisse observavit *Lazius lib.* 5. *cap.* 29.

LEG. XXIIII. GEM. MART. VICTR. Legio Vegesimaquarta Gemina Martia Victrix. Quam & unam *Lazius* notat, eamque ab Augusto exauctoratam, devicto Antonio. Non est tamen hoc loco prætereundum, cognomen Geminæ, quod hucusque tot Legionibus commune vidimus, inditum fuisse, ut observavit *Dio Hist. lib.* 55. ab Augusto, secutisque Imperatoribus, quando scilicet, aut omnino illis dissipatis, aut inter ceteras dispositis, denuo remittebantur, & conjungebantur; unde Geminarum appellatio.

LEG. XXIX. Legio Vigesimanona. Cujus mentio est apud A. *Hirtium de Bello Africano*, eam in exercitu Cæsaris describentem, juxta cum XXVI. & XXIIX.

LEG. XXX. Legio Trigesima Quatuor Trigesimas Legiones colligit *Lazius lib.* 5. *cap.* 29. Trigesimam Hispanicam, vel Africam, quam eandem credit ac de qua A. *Hirtius de Bello Alexandrino*, non uno loco agit. Trigesimam Germanicam, quæ & Ulpia Trajana, eo quod, auctore *Dione Hist lib.* 55. Trajanus Imperator suum illi nomen indidit, quamque Antoninus *in Itinerario*, & *Ptolemæus lib.* 2. *Geograph. cap.* 9. haud procul a Veteribus Castris, ad Castra Ulpia, inter Belgas locant. Trigesimam Mœsicam, cui Antoninus Beroen municipium Mœsiæ assignat. Et Trigesimam Syriacam, vel Mesopotamicam, inclinante Imperio, primum conscriptam, & de qua *Marcellinus Hist. lib.* 18. sub finem.

LEG. XXX. V. }
LEG. XXX. VLP. } Legio Trigesima Ulpia.

De qua mox dictum.

LEG. XXX. V. V. Legio Trigesima Ulpia Victrix *seu* Valens.

LEG. XXXV. V. Legio Trigesima Quinta Ulpia. *Lazius*; quod tum ex *Scoto, in Codice Prafecturarum*; tum ex duobus monumentis, altero quidem Græcii, altero Celejæ eruto confirmare conatur. Verum ad ea monumenta si quis accesserit, non trigesimam quintam, sed trigesimam Ulpiam, palam inscriptum viderit; nisi *Gruterus*, ex *Velseri, Appiani*, & *Boissardi Schedis*, quod non crediderim, mendosa ea exceperit. Duo itaque illa Saxa, quibus *Lazius* innititur, hæc sunt *pag.* 482. 4. 5. In quorum primo cujus initium:

T. VA-

T. VARIO. CLEMENTI
AB. EPISTVLIS. AVGVSTOR. &c.

legitur palam, TRIB. LEG. XXX. VLP.

In altero, sub eodem nomine, T. VARII CLEMENTIS expressum legitur, TRIBVNO MIL. XXX VLPIAE.

LEG. XXXV. PVDIC. Legio Trigesima Quinta Pudica. Cujus extat hoc monumentum *pag.* 525. 6.

D. M
ET. QVIETI. AETERNAE
AVLINI. ANTONI. VET
LEG. XXXV. PVDIC. TITIAE
PRIVATAE. CONIVGI. EIVS
VIVI. SIBI. ET. POSTERISQVE
SVIS. PONENDVM. CVRAVER
ET. SVB. ASCIA. DEDICAVER

Nisi tamen Pudicæ Epitheton, Titiæ potius conveniat. quod si verum, unque rarissimum est; apud antiquos siquidem, gentilitio nomini, tum virorum, tum mulierum, nonnisi prænomen anteponebatur. Epitheta quippe mulierum propria, ut Carissimæ, Pissimæ, Optimæ, Castissimæ, & hujusmodi sexcenta, semper nomini gentilitio postponebantur.

LEG. XXXVI. Legio Trigesima sexta. Quam memorat A. *Hirtius de Bello Alexandrino*, variis in locis.

LEG. PRIM. ITAL. VOLVNT. Legio Primigenia Italica Voluntariorum. Voluntarii milites, vel sunt, qui non coacti, sed sponte nomen conscribendum dabant; vel quos conscripserat Antoninus Philosophus. de quibus litera C. nota COH. VOLVNT.

LEG. PROV. Legatus Provinciæ.

LEG. PROV. GAL. NARB. Legatus Provinciæ Galliæ Narbonensis. Prætores & Proconsules, crescente Imperio, Præsides & Legatos denominatos fuisse, antiqua saxa satis demonstrant.

LEG. SS. Legio Suprascripta. Legionis Suprascriptæ.

LEG. V. M. P. C. Legio Quinta Macedonica Pia Constans. In Militaribus. de qua vide Notam, LEG. V. MAC.

LEIB. B. M. Liberto Bene Merenti.

LEL. Lelius. *Sarasnas. Manutius.*

L. E. LI. M. C. S. Lubens Et Libens Merito Cum Suis *Scaliger.* Frequenter in sepulcralibus.

L. EM Locus Emptus. *Probus. Diaconus.* Et ceteri explicatores.

LEM. Lemonia. Tribus scilicet. *Manutius. Goltzius. Scaliger. Gallus. Lemonia. Tribus*, quam *Panvinius Descript. Civit. Roman.* ordine Septimam statuit, *a pago Lemonio appellata est, qui est a porta Capena, via Latina.* dicit *Festus.*

Lemuria. *Rosinus.* Si nota fuerit in kalendario Romano. Lemuria a Lemuribus denominabantur. *Lemures* autem, ut *Nonius Marcellus* monet, ex *Varrone* primo de Vita Populi Romani, *larvæ nocturnæ, & terrificationes imaginum, & bestiarum erant, quibus temporibus, in sacris fabam jactabant noctu, ac dicebant*, se Lemures domo extra januam ejicere; quod & innuisse videtur *Ovidius Fastor.* 5. cum in Lemuribus recensendis sic cecinit:

Cumque manus puro fontana perluit unda,
Vertitur & nigras accipit ore fabas.
Aversusque jacit; sed dum jacit, Hæc ego mitto,
His, inquit, redimo meque, meosque fabis.

Hinc Lemurum originem & celebritatem ad Romulum referens, ad fratris occisi umbram placandam; quod cum Mense Majo ageretur, ex eo duxit originem communissimum illud dicterium, ad nos etiam perductum, malum esse nubere Mense Majo. Pergit itaque *Ovidius:*

Romulus obsequitur, lucemque Remuria dixit
Illam, qua positis justa feruntur avis.
Aspera mutata est in lenem tempore longo
Littera, quæ toto nomine prima fuit.
Mox etiam Lemures animas dixere silentum,
Hic sensus verbis, vis ea vocis erat.
Fana tamen veteres illis clausere diebus,
Ut nunc ferali tempore operta vides.
Nec viduæ tædis eadem, nec virginis apta
Tempora: quæ nupsit, non diuturna fuit.
Hac quoque de causa, si te proverbia tangunt,
Mense malum Majo nubere, vulgus ait.

Lemuria autem triduum celebrabantur, sed interpolatis diebus, ut ibi monet idem Poeta.

Sed tamen hæc tria sunt sub eodem tempore festa,
Inter se nulla continuata die.

Primus ideo hujus solemnitatis dies celebrabatur septimo Idus Maji, hoc est, ejusdem mensis nono. Secundus quinto Idus, hoc est, undecimo. Tertius, tertio Idus, hoc est, tertiodecimo ejusdem mensis, erantque omnes nefasti.

LENT. COS. Lentulus Consul. In nummis argenteis gentis Corneliæ Patriciæ, in qua Lentuli cognomen sibi ascivit, qui Lentium sator assiduus.

LENT. MAR. COS. Lentulus Marcellinus Consul. In nummis argenteis gentis Corneliæ, in quam per adoptionem transierat Claudius ille Marcellus, cujus hoc fuit numisma; ideoque Cn. Cornelius Lentulus, Marcellus dictus; nam in alienam adoptatus familiam, adoptantis omnia assumebat nomina, suo nomine gentilitio, cognominis vice postremo loco accepto. Sed cum mos iste disponendi nomina in adoptionibus, varius fuerit, lectorem ad *Panvinium* libens remitto, qui *de Antiq. Nomin.* libro, capite *de Eorum, qui adoptabantur cognominibus, variisque eorundem appellationibus*, fuse juxta ac erudite elegantissimum hoc antiquitatis monumentum exhibet.

LEP. Lepidus. In nummis argenteis gentis Æmiliæ. Morum lepiditas, Lepidi cognomen Romanis præbuit, quæ cum potissimum in Æmilia gente elucesceret, huic soli Lepidi cognomen proprium fuit.

LEP. IMP. Lepidus Imperator. In ejusdem nummis argenteis, necnon Æmilii Lepidi Triumviri Reipublicæ Constituendæ.

L. ET. L. FEC. Libertis Et Libertabus Fecit.

L. F. Libens Fecit. Libertus Fecit. Lubens Fecit, *vel* Lugens. Passim in sepulcralibus.

Lucii Filius. Ubique in antiquorum saxis, cum gentilitium sequatur nomen.

Lucius Flaminius. Lucius Flavius. *Probus Ernstid. Manutius.*

Lustrum Fecere. *Golzius. Gualtherius.* Apponebantur in Fastis Censorum nominibus, si Lustrum exegerant, duo scilicet; nam si unus, Censor dictus.

Lustrum Fecit.

L. FAB. L. F. HISP. Q. Lucius Fabius Lucii Filius Hispaniensis Quæstor. *Ursinus* In gente Fabia.

L. FAB. L. F. HISP. Lucius Fabius Lucii Filius Hispaniæ Quæstor. *Ursinus.* In argenteis Nummis gentis Fabiæ.

L. F. A. N. Lucii Filius Auli Nepos.
L. F. AP. N. Lucii Filius Appii Nepos.
L. FARSVLEI. Lucius Farsulejus. *Ursinus.* In hujus gentis nummis.
L. F. C. Libens Fieri Curavit.
Libertis Faciundum Curavit, *vel* Libertus. *Manutius.*
Locum Fieri Curavit. Lugens Faciundum Curavit.
L. F. C. N. Lucii Filius Caji Nepos.
L. F. CN. N. Lucii Filius Cnæi Nepos.
L. F. D. N. Lucii Filius Decimi Nepos.
L. F. EGERI. N. Lucii Filius Egerii Nepos. Egerii prænomen, ab inopia originem duxisse refert *Livius Hist. lib.* 1. scribens, Lucumoni Damarati Corinthii filio duos fuisse liberos: *Nomina his, Lucumo atque Aruns fuerunt. Lucumo superfuit patri, bonorum heres; Aruns prior quam pater moritur uxore gravida relicta. nec diu manet superstes filio pater, qui cum, ignorans nurum ventrem ferre, immemor, in testando, nepotis decessisset, puero post avi mortem in nullam sortem bonorum nato, ab inopia Egerio inditum nomen.*
L. F. F. O M. M. D. S. Libens Fieri Fecit Omni Meliori Modo De Suo. *Rubeus.* In sepulcralibus.
L. FIL. Lucii Filius. *Probus. Ms. Zabarella. Manutius.*
L. F. K. N. Lucii Filius Kæsonis Nepos.
L. FLAC. P. F. Lucius Flaccus Publii Filius. In nummis argenteis gentis Valeriæ.
L. FLAVI. C. F. Lucius Flavius Caji Filius. In Flaviæ gentis nummis.
L. F. LG. P. PRVM. IVSS. DD. Liber Felix Legendus Præsidibus Provinciarum Jussu Dominorum. *Pancirollus.*
L. F. L. N. Lucii Filius Lucii Nepos.
L. F. MAM. N. Lucii Filius Mamerci Nepos. De Mamerci prænomine hæc *Festus: Mamercus prænomen est Oscum, eo quod hi Martem Mamertem appellant.* Hoc antiquitus familiarissimum Æmiliorum prænomen fuit; paucis tamen immutatis progressu temporis, ejusdem gentis etiam fuisse cognomen, *Fasti* & saxa monent. Fasti quidem in Mamerco Aimilio M F. Mamercino, qui Urbis conditæ CCCXVI. & CCCXIX. Dictator renunciatus fuit. Saxa vero, in T. Titurio quodam cujus monumentum extat *pag.* 891. 5.

T. TITVRIVS. T. F. SABINVS
T. TITVRIVS. T. F. PAL. MAMER
CVS. TITVRIA. SABINA
TITVLVM. FECERVNT
H. M. D. M. ABEST

L. F. M. N. Lucii Filius Marci Nepos.
L. F. M'. N. Lucii Filius Manii Nepos.
L. F. N. N. Lucii Filius Numerii Nepos.
L. F. Q. Lucii Filii Quæstoris. *Augustinus.*
L. F. Q. N. Lucii Filius Quinti Nepos.
L. F. SER. N. Lucii Filius Servii Nepos.
L. F. SEX. N. Lucii Filius Sexti Nepos.
L. F. SP. N. Lucii Filius Spurii Nepos.
L. F. TI. N. Lucii Filius Tiberii Nepos.
L. F. T. N. Lucii Filius Titi Nepos.
L. FV. Lucius Furius. *Probus. Manutius.*
L. F. V. F. Locum Fieri Vivens Fecit. Locum Filiis Vivens Fecit. In sepulcralibus, pro collocatione saxi.
L. F. VOL. N. Lucii Filius Volusi Nepos.
L. F. VOLER. N. Lucii Filius Voleronis Nepos.
L. F. VOPIS. N. Lucii Filius Vopisci Nepos.

L. FVRI. CN. F. Lucius Furius Cnæi Filius. In nummis argenteis gentis Furiæ.
LG. Legamus. *Ms. Rhodii.*
Legatum. Legatus. *Manutius.*
Legavit. *Probus. Diaconus. Ms. Zabarella*, & alii omnes.
Legem. *Ms. Rhodii. Papias. Saraïnus.*
Leges. *Probus. Diaconus. Manutius.*
LG. D. Legatum Dedit. *Magno.*
Legem Dat. *Ms. Zabarella. Rhodii. Papias. Appianus. Lazius. Manutius.*
Legem Dedit. *Diaconus. Magno. Appianus. Lazius. Manutius.*
Lege Dicta. *Manutius.*
Legio Decima. *Probus. Ms. Zabarella. Appianus. Lazius. Manutius.* Quibus tamen minime assentior; siquidem uti per D. prænomen Decimi semper fuit ab antiquis signatum, ita per X. non autem per D. Decimam legionem prisci denotarunt.
Legem Dixit. *Probus Ernstii.*
LG. EG. Legem Egisse. *Diaconus. Manutius.*
L. GELL. Q. P. Lucius Gellius Quæstor Proprætore. *Ursinus.* In nummis argenteis gentis Gelliæ.
LO. F. S. Legem Fecit Suam. *Diaconus. Manutius.*
LG. P. Legem Promisit. *Probus Ernstii.*
L. G. P. F. Ludi Galliei Publice Fecerunt. Si recte in hoc Saxo apud *Gruterum pag.* 58. 6.

MARTI. VICT
GLADIATORES
L. G. P. F

LG. PM. Legem Promisit. *Diaconus. Papias. Manutius.*
LG. S. F. Legem Suam Fecit. *Probus Ernstii. Papias. Manutius.*
LG. S. I. Legem Servari Jussit. *Probus Ernstii. Diaconus. Papias. Manutius.*
I. G. S. P. Legem Servare Præcepit. *Probus Ernstii.*
L. H. Libertus Heres.
Locum Heredibus. *Manutius.*
Locum Hunc. Locus Heredum. *Probus. Diaconus. Ms. Zabarella. Saraïnus. Appianus. Lazius. Manutius.*
L. H. D. Libens Hoc Dedit. Libens Heres Dedit.
Locum Hunc Dedit, *vel* Donavit. *Manutius.*
L. H. F. C. Libertus Heres Hoc Faciundum Curavit. Libens Hoc Faciundum Curavit. Locum Hunc Fieri Curavit. In sepulcralibus passim pro ratione personarum, & œconomiæ inscriptionis.
L. H. L. D. Libens Hunc Locum Dedit. Libertus Hunc Locum Dedit. In sepulcralibus.
Locus Hic Lege Datus. *Zamoscius.*
Locus Hic Libet Datus. *Scaliger.*
Lugens Hic Locum Dedit. In monumentis, parentum filiis defunctis positis.
L. HOSTIL. MANCIN. Lucius Hostilius Mancinus. In nummis argenteis gentis Hostiliæ. Mancini apud Romanos, ut & nostro ævo, dicti, qui sinistra utebantur, quod cognomen, *Glandorpii* observatione, *in cognominum Indice*, nunquam Hostilia gens deposuit.
L. HORTEN. L. F. Lucius Hortensius Lucii Filius. In nummis argenteis gentis Hortensiæ.
HS ∞ ↀ. N. Sexterttii Novem Mille Nummum.
L. I. Legem Indixit.
Lex Julia. *Saraïnus. Manutius.* Leges Juliæ apud Romanos pene innumeræ, quas diligentissime collegit,

collegit, & expendit *Joannes Calvinus in Lexico Juris*, quem de hisce lector consulere poterit.

Locus Inaccessus. *Gratiosus.*

LI. Lis. *Papias.*

LIA. Livia. *Sarainas. Manutius.*

L. I. ADF. Locus Inter Adfines. *Ms: Rhodis.*

LIB: Liber. *Papias.*

Liberalia. *Gruterus. Rosinus. Scaliger.* Si in Kalendario: *Liberalia, Liberi festa, quæ apud Græcos dicuntur Διονύσια*, scripsit *Festus.* Liberalia erant dicta, *Varrone* auctore 5. *de Ling. Lat. quod per totum oppidum eo die sederent sacerdotes Liberi, hedera coronati, anus cum libeis & foculo, pro emptore sacrificante.* Cur autem femina anus hedera coronata hoc faceret, *Ovidius* 3. *Fastor.* sic cecinit:

Femina cur præsit? non est rationis operta:
Femineos thyrso concitat ille choros.
Cur anus hoc faciat, quæris? vinosior ætas
Hæc erat & gravidæ munera vitis amat.
Cur hedera cincta est? hedera est gratissima Baccho.
Hoc quoque cur ita sit, dicere nulla mora est.
Nysiadas Nymphas, puerum quærente noverca
Hanc frondem cunis opposuisse ferunt.

Sollemnis Liberalium dies celebrabatur quotannis decimo septimo Kalendas Aprilis, qui Martii decimus, eratque nefastus primo. Hoc etiam die togam liberam pueri Romæ induebant, ut apud *Ovidium* loco citato videre est, qui post varias hujus rei causas, hanc prodit:

Sive quod es Liber, vestis quoque libera per te
Sumitur & vitæ liberioris iter.

Liberalitas. *Erizzus.* In Impp. nummis.

Liberta. *Appianus. Lazius. Manutius.*

Liberti. *Probus. Manutius.* Libertæ ac Liberti, utriusque sexus Servi fuerunt, qualibet manumissione in libertatem restituti.

Libertis.

Libertus. *Probus. Ms: Zabarella* & alii.

Librarius.

Librarum. *Sarainas. Manutius.*

Libris. *Sarainas.*

LIB. ANIM. VOT. Libero Animo Votum, *vel* Libens. Adde *Solvit*, quod in votivis Saxis quandoque expressum occurrit.

LIB. ARK. Liberto Arkario. Arkarii namque in familia, apud Romanos, erant illi, qui Arcæ curam gerebant, de quibus scite elegantissimus *Pignorius* nostras *de Servis.*

LIB. AVG. Liberalitas Augusti. *Erizzus.* Frequenter in numismatibus Imperatorum. Quidquid Imperatores Populo largiebantur, Liberalitas Augustorum erat; quæ quoties ab uno sæpius conferebatur, primæ, secundæ, tertiæ, quartæ Liberalitatis titulo in nummis signabatur, ut sequentes confirmant notæ.

LIB. AVG. II. Liberalitas Augusti Secunda. In nummis Caracallæ.

LIB. AVG. III. Liberalitas Augusti Tertia. In nummis Alexandri Severi.

LIB. AVG. VII. Liberalitas Augusti Septima. In nummis Caracallæ etiam.

LIB. AVG. VIND. MA. AVR. C. X. Liberto Augustali Vindicta Manumisso Aureis Centum Decem. *Manutius.*

LIBB. Libertis. Libertabus. Quod de duobus intelligitur, tum viris, tum feminis.

LIBB. MER. Liberti Merentes.

LIB. B. MER. FEC. E M. Libertæ Benemerenti Fecit Et Mihi, *vel* Liberto. In Libertorum sepulcris.

LIB. CARISS. Libertæ Carissimæ. Liberta Carissima. In mulierum Saxis.

Liberto Carissimo. Libertus Carissimus. Si in Virorum cippis.

LIB. COS. Librarius Consulis.

LIBE. Liberta. Libertus.

LIBER. Libertabus. Libertis. *Manutius.*

Libertatibus. *Sarainas.*

Libertus. *Angelonus.*

LIBERAL. AVG. Liberalitas Augusti. In nummis Antonini Pii.

LIBER. D. Libere Donata. *Sarainas. Manutius.*

Libertis Donavit. *Manutius.*

Libertus Dedit, *vel* Dedicavit.

LIBER. L. F. P. O. M. D. S. Libertus Libens Fieri Procuravit Omni Modo De Suo, *vel* Libertus Locum Fieri, &c. In sepulcralibus.

LIBER. ET. SER. FAM. CLAVD Libertis Et Servis Familiæ Claudiæ. Mihi tamen suspectum Saxum; nam Gentis, non Familiæ Claudiæ, dicebant antiqui.

LIBHRTIS LIBHRTAB. POSTHRIS. QVH. Libertis Libertabus Posterisque. H. pro E. cujusmodi in Saxo, exhibito littera B, notat BHNH MHRHNTI.

LIB. ET. HER. Liberto Et Heredi; *vel* Libertus Et Heres.

LIB. ET. HER. EX. TES. F. Libertus Et Heres Ex Testamento Fecit. In sepulcralibus.

LIB. ET. PROC. PV. Libertus Et Procurator Publicus.

LIB. H. EX. T. Libertus Heres Ex Testamento.

LIB. IIII. Liberalitas Quarta. In nummis Antonini Pii.

LIB LIB. POST. EOR. Libertis Libertabus Posteris Eorum In sepulcralibus familiarum, cum sequentibus.

LIB. LIB. P. Q. E. Libertis Libertabus PosterisQue Eorum.

LIB. LIBQ. POSTQ. EOR. Libertis Libertabusque Posterisque Eorum. *Probus. Manutius. Scaliger.*

LIB. LIBQ. P. Q. E. Libertis Libertabusque PosterisQue Eorum.

LIB. N. H. T. S. Libertus Nobis Hunc Titulum Scripsit.

Libertus Noster Heres Testamento Statuitur. *Gratiosus.*

LIB. OFF. Libertus Offarius. Libertus Officialis. Libertus Officinator. Libertus Officiosus. De Libertis Offariis, Officialibus, Officinatoribus, & Officiosis, plura & erudita *Pignorius de Servis.* Observo tamen hanc notam potius Libertum Officinatorem implicare, quam ceteros. Officinatores quippe varios invenio in saxis, Officinatores scil. monetæ, & Officinatores a statuis.

LIB. PVB. Libertas Publica. In nummis Hadriani.

LIBR. Librarius. Librarii in familia, servi fuerunt, qui scribebant; cum tamen scribendi ratio apud Romanos diversa esset, varii etiam Librarii fuere, qui & Antiquarii dicti, ex observationibus *Pignorii de Servis*, compertum his verbis: *Librarii, quos nonnulli Antiquarios dicunt, a libris arborum appellati sunt; quia in dedolatis a ligno codicillis, aut in corticibus arborum, ante usum chartæ, vel membranarum antiqui scriberant.*

LIB. LEG. Librarius Legati. Librarius Legionis. Legionis Librarius erat ille, penes quem liber, in quo illius Legionis omnes milites descripti erant; vel ut *Vegetio* videtur *lib.* 2. *cap* 2. Librarii Legionis, rationes ad milites pertinentes in libros referebant.

LIB. QVAES. Librarius Quæstoris, *vel* Quæstorius.

LIB. TABVL. Librarius Tabularii.

LIB. TRIB. Librarius Tribuni, *vel* Tribunitius.

L. IG. Loca Incerta. *Diaconus. Magno. Papias. Sarainas. Manutius.*

LIC. Licinius. *Goltzius.*

LIC. COR. SAL. Licinius Cornelius Saloninus. Fuit hic Valeriani Imperatoris filius, Gallieni frater, post Julium Saloninum Gallienum ad Imperium evectus.

LICT. CVR. Lictor Curiatus. *Manutius.* Non est qui nesciat, Lictorem, servum fuisse publicum, ex collegio viatorum, officio ligandi distinatum, ac proinde lictorem dictum.

L. I. D. A. Lex Julia De Adulteriis.

Lex Julia Divi Augusti. *Diaconus. Manutius.*

L. I. D. A. C. Lex Julia De Adulteriis Coercendis. *Probus. Gratiosus. Sarainas. Appianus. Manutius.*

L. I. I. Locus Injuriæ. *Diaconus.*

Locus In Jure. *Ms: Rhodio. Magno. Sarainas.*

L. ꝫ ꝫ. ADF. Locus Inter Adfines. *Magno.*

L. IT. F. Locus Inter Fines. *Diaconus. Manutius.*

L. ITI. Lucius Itius. In nummis argenteis gentis Itiæ.

LITIB. I. Litibus Judicandis. *Sarainas. Manutius.*

LITR. Litteræ. *Diaconus. Manutius.*

LITTR. Litteratus. *Manutius.*

LIV. Quinquaginta Quatuor.

L. IV. Lex Julia. *Appianus. Lazius. Manutius.*

L. IV. D. AVG. Lex Julia Divi Augusti. *Probus Erustis.*

L. IVL. Lex Julia. *Ms: Zabarellæ.*

Lucius Julius. In quibusdam nummis gentis Juliæ

L. IVLI. Lucius Julius. In ejusdem gentis nummis.

L. IVL. L. F. SEX. N. Lucius Julius Lucii Filius Sexti Nepos. In nummis argenteis gentis Juliæ.

L. IV. REP. Lex Julia Repetundarum. *Probus. Manutius.* Legem hanc tulit C. Julius Cæsar, *pertinetque ad eas pecunias, quas quis in Magistratu, potestate, curatione, legatione, vel quo alio officio, munere, ministeriove publico cepit, vel cum ex cohorte, cujus eorum est.* Ita *l. 1. ff. Ad Legem Jul. Repetund.*

L. K. Lustrum Kapitolinum. *Gualtherius.*

L. L. Laudabiles Loci. *Diaconus. Papias. Manutius.*

Laudabilis Locus. *Manutius. Scaliger. Hugo.*

Laurentum Lavinatum. *Scaliger.* In monumentis Coloniarum.

Libens Lubens. In votivis aliquando.

Libentissime. *Scaliger.* In votivis.

Libertis Libertabus. In sepulcralibus.

Livii Libertus. *Probus. Sarainas. Manutius.* Quod non laudo; nam prænomen semper, non autem gentilitium nomen in monumentis Liberti notam præcessisse saxa monstrant.

Lucii Liberta. *Ms: Zabarellæ.* Si nomen mulieris sequatur.

Lucii Libertus. Si nomen viri.

Lucius Libertus. *Probus. Manutius.*

LL. Dupondius. Duarum Librarum. *Manutius.* Ex *Probo* vero *Erustis* Dupondius nummus est libralis, & notatur per L.L.

Lælius. *Probus. Manutius.*

Læti. *Manutius*

Laudabiles. *Probus.*

Legibus. *Probus. Sarainas. Manutius.*

Liberti. Ubi de duobus.

Lubenterque. *Manutius.*

L. Ɔ. Lucii Liberta.

L. ɼ. Lucii Liberta. Saxum exhibet *pag.* 1138. 36.

C. F. VARIAS
S. L. ɼ. CORDVLA

H-. Sestertia. notat *Scaliger.*

L. LENT. Lucius Lentulus. In argenteis nummi gentis Corneliæ.

L. LENT. C. MAR. COS. Lucio Lentulo. Cajo Marcello Consulibus. In nummis argenteis gentis Neriæ, ex qua Nerius quidam quæsturam urbanam administravit, sub istis consulibus, qui fuerunt, juxta Panvinianum supputationem, C. Claudius M. F. M. N. Marcellus, & L. Cornelius P. F. Lentulus Crus, anno V. C. DCCIV. Cæsaris infestissimi hostes, ut patet ex *A. Hirtio Octavo de Bello Gallico* his verbis: *Propterea quod insolenter adversarii sui gloriarentur, L. Lentulum & C. Marcellum Coss: creatos, qui omni honore & dignitate Cæsarem expoliarent.*

L. L. FA. Q. L. SPECV. Libertis Libertabus FamiliæQue Libertorum Speculatoriorum. Legio in Saxo *pag.* 871. 3.

FIRMIVS
FAVST. V. F
L. L. FA. Q. L
SPECV

L. LICI. Lucius Licinius. In nummis argenteis gentis Liciniæ.

L. LICIN. L. F. CRASS. Lucius Licinius Lucii Filius Crassus. In nummis argenteis ejusdem gentis.

L. L. L. Lucii Lælii Locus. *Sarainas.*

Lucii Liberti Locus. *Probus, Sarainas. Manutius.*

Luciorum Liberta. Luciorum Libertus. Duorum scilicet, quod suadet Saxum *pag.* 967. 5.

CATIAE
L. L. L
RVSTICAE

Liberti tres. Lucii tres. *Manutius.*

L. L. L. L. I. E. Lucius Duorum Libertorum Libertus Jussu Ejus. *Scaliger.*

L. L. L. M. M. Lacerat Lacertum Largii Mordax Memmius. *Probus. Manutius.* Explicatione a Cicerone mutuata, tum *de Oratore* 2. tum pro *Lege Manilia*, scribente, *omnibus parietibus inscriptas fuisse litteras, tria L. L. L. duo M. M. Hoc est Lacerat Lacertum Largi Mordax Memmius.*

L. L. L. P. O. M. S. Liberis Libertis Libertabus Posteris Omnibus Monumento Scriptorum. *Scaliger.* In sepulcralibus.

Liberti Tres Patrono Optime. Merito Sacrum. *Manutius.*

L. L. M. Libentissime Merito. *Scaliger.* Quæ votivis & sepulcralibus cippis communia.

λ. λ. M. Libentissime Merito. Ut in hoc votivo Saxo *pag.* 16. 6.

I. O. M
MONIVNA
IESVLCANI
IOVANIVS
V. S. λ. λ. M

L. L. M. M,

L. L. M. M. Libentissime Merito. Quod patet ex lapide votivo *pag.* 86. 1.

DEO
SANCTO. BELA
TVCADRO
AVRELIVS
DIATOVA. ARĀ. E.
X. VOTO. POSVIT
L. L. M. M

L. L. P. Libentissime Posuit. Tum in votivis, tum in sepulcralibus.

Libertis Libertabus Posuit. In sepulcralibus tantum, cum sequentibus.

L. L. P. E. Libertis Libertabus Posteris Eorum. *Manutius.*

L. L. P. Q. Libertis Libertabus PosterisQue. *Probus.*

L. L. P. Q. E. Libertis Libertabus PosterisQue Eorum.

L. L. P. S. Libertis Libertabus Posteris Suis. Libentissime Pecunia Sua, *vel* Proprio Sumptu.

L. L. Q. E. Libertis LibertabusQue Eorum. *Probus.*

L. L. Q. F. Libertis LibertabusQue Fecit.

Lucius Luccius Quinti Filius. *Trebellius.*

L. L. Q. P. Q. E. Libertis Libertabus PosterisQue Eorum.

L. L. Q. S. P. Q. S. Libertis LibertabusQue Suis PosterisQue Suorum.

L. L. RVBRI. Lucii Rubrii. Hoc est, duo, ut ex Saxo *pag.* 1006. 5. compertum:

I. O. M. ET
GENIO. P. R. ET. VENALIC
C. C. LAPPI. MVTILVS. ET
RVFVS. ET
L. L. RVBRI. ANTIOCHVS
ET. HYMNVS
VOTVM. SOLVERVNT. L. M.
L. VERGINIO. RVFO. COS
C. MEMMIO. REGVLO.

HS. Sestertius. *Probus. Manutius.*

L. L. S. Libentissime Solvit. In votivis.

Libertis Libertabus Suis. In sepulcralibus.

LLS, HS Sestertius. *Probus Ernstii.* Cujus hæc sunt: *Sestertius nummus est duarum semis librarum & notatur per LLS. vel HS. legendum tamen credo Sestertium, quod erat nummus duarum librarum semis; non autem Sestertius, qui denariorum duorum semis nummus habebatur.*

LL. SS. Libertis Suis. *Manutius.* Libertis Suprascriptis.

L. LVC. Q. F. Lucius Lucejus Quinti Filius. *Probus. Sarasnas. Appianus. Lazius. Manutius.*

L. LVCC. Q. F. Lucius Luccejus Quinti Filius. *Manutius.*

L. LVCRET. Lucius Lucretius. In nummis argenteis gentis Lucretiæ.

L. LVCVL. EX. S. C. Lucius Lucullus Ex Senatus Consulto. In argenteis nummis gentis Liciniæ, in qua Luculli cognomen magnum.

L. L. V. S. L. M. Libens Libens Vivens Sibi Locavit Monumentum. Libens Libens Voto Suscepto Libero Munere. *Rubeus.* In votivis.

Libentissime Voto Suscepto Libero Munere. In votivis.

L. M. Legavit Memoriam. In sepulcralibus.

Legavit Monumentum. Lege Mandavit. *Manutius.* In sepulcralibus aliquando.

Libens Merito. *Scaliger.* In votivis.

Libero Munere. Liberti Monumentum. Litteræ Missæ. *Manutius.*

Locavit Monumentum. In sepulcralibus, cum infrascriptis omnibus, usque ad illud: *Lucius Murena.*

Locum Monumenti. *Probus. Manutius.*

Locus Monumenti. *Sarasnas. Appianus. Lazius. Manutius.*

Locus Monumento. *Probus. Ms: Zabarella. Manutius.*

Locus Mortui.

Locus Mortuorum. *Probus. Ms: Zabarella. Appianus. Lazius. Manutius.*

Lucius Muræna. *Probus. Magno. Papias. Sarasnas. Appianus. Lazius. Manutius.* Murænæ cognomen, quamvis Liciniæ gentis aliquis, ob Murænarum cultum, Liciniorum Murænarum familiæ nomen dederit; attamen Ablaviis & Varronibus commune fuisse observat *Glandorpius in Cognominum Indice.*

L. MAG. Lucius Magius. Magia gens apud nos non ignota, cum Lucium Magium Rhetorem, socerum habuisse T. Livium, Urbis nostræ præclarum ornamentum, pateat.

L. MAN. Lucius Manlius. *Probus. Manutius.*

L. MANL. A. F. Lucius Manlius Auli Filius.

L. MANLI. ACID. Lucius Manlius Acidinus.

L. MANLI. PROQ. Lucius Manlius Proquæstor. Quæ omnes notæ in argenteis nummis gentis Manliæ prostant.

L. M. D. Libens Merito Dedit. *Scaliger.* Quod commune votivis & sepulcralibus. Libens Merito Dedicavit. In votivis tantum.

Liberto Monumentum Decrevit. Locum Manibus Decrevit. *Manutius.*

Locus Manibus Dicatus. *Diaconus.*

Locum Monumenti Decrevit. *Manutius.*

Locum Monumenti Dedit. *Scaliger.*

Locus Monumenti Dicatus. *Sarasnas.*

Locus Morti Diutius. *Manutius.*

Locus Morti Deditus. *Probus Ernstii. Diaconus. Manutius.*

Locus Mortuis Deditus. *Papias.*

Locus Mortuo Deditus. *Ms: Rhodii.*

Docus Mortuo Dedicatus. *Magno.*

L. M. E. Lex Mecum Est. *Diaconus.*

Locum Monumenti elegit.

L. MEMM. GAL. Lucius Memmius Gallus.

L. MEMMI. Lucius Memmius. In nummis argenteis gentis Memmiæ.

L. METEL. L. F. C. N. Lucius Metellus Lucii Filius Caji Nepos. In nummis argenteis gentis Cæciliæ, in qua Metelli cognomen illustre. *Metelli, ait Festus, dicuntur, in re militari, quasi mercenarii. Attius Annalium vigesimo septimo, Calones, famulique, Metellique, Caculæque, a quo genere hominum Cæcilia familia cognomen putatur ductum.*

L. MINVC. Lucius Minucius. In argenteis nummis hujus gentis.

L. M. L. Lucius Murænæ Locus. *Sarasnas. Manutius.*

L. M. Lucius Muræna. *Probus. Diaconus. Ms: Zabarella. Rhodii. Manutius.*

L. M. P. Libens Merito Posuit. In votivis & sepulcralibus.

Locus Male Positus. *Ms: Rhodii. Manutius.*

Locus Male Possessus. *Magno. Papias.*

Locum Monumenti Posuit. In sepulcralibus.

L. M. S. Libens Merito Solvit. In votivis.

Locus

Locus Monumenti Sibi. In ſepulcralibus.

L. M. T. F. I. Locum Monumenti Teſtamento Fieri Juſſit. *Probus Ernſtii.*

L. MV. Lucius Muræna. *Probus. Saraınas. Manutius.*

L. M. V. C. Locum Monumenti Vivens Curavit. In ſepulcralibus.

L. MVMMI. L. F. Lucius Mummius Lucii Filius. In nummis argenteis gentis Mummiæ.

L. M. V. S. Libens Merito Votum Solvit. In votivis.

Locavit Monumentum Voto Suſcepto. *Trinagius.*

L. M. XXII. P. VIC. Legio Minervia Vigeſima Secunda Pia Victrix. *Santamantius.*

L. N. Latini Nominis. *Probus. Manutius.*

Librarius Notarius. *Scaliger.*

Lucii Nepos.

L. NER. Lucius Nerva. *Auguſtinus.*

Lucius Nerius. In nummis gentis Neriæ.

L. NN. FAV. Lucius Nonius Fauſtus. *Probus. Manutius.* Si recta tamen explicatio; gentilitia namque nomina hoc modo ſignata hucuſque non obſervavi.

L. NVMITORI. Lucius Numitorius. In nummis argenteis hujus gentis.

L. O. Legas Omnibus. *Saraınas. Manutius.*

Libertis Omnibus. Liberto Optimo.

LO. Locus. *Gratioſus.*

Lotionis. *Manutius.*

LOC. Locus. In Roma ſubterranea.

LOC. D. EX. D. D. Locus Datus Ex Decreto Decurionum.

LOC. EMP. EST. *. ꝺ N. ARGENT. Locus Emptus Eſt Denariis Decemmille Nummis Argenteis.

LOC. H. S. C. P. S. Locum Hunc Sepulturæ Curavit Proprio Sumptu. Explico in Saxo *pag.* 884 15.

POMPON
DIANAE. LOC. H. S. C. P. S
GRAECIA. P. F. RVFA

LOC. I. Locum Inſtituit. Ex Monumento *pag.* 863. 11.

Q. CAESIVS. SECVNDVS
Q. CAESIO. LVCANO. LOC. I. ET
FAMILIARIBVS

LOC. MꝚ. CCLVIII. IN. C. Locus Martyrum Ducentum Quinquaginta Octo in Chriſto. Auctor *Roma ſubterranea.*

LOC. MON. Locus Monumenti, *vel* Locum.

LOC. MON. DED. Locum Monumenti Dedit. *Manutius.*

LOC. SEPVL. Locus Sepulturæ.

Locus Sepulcri. *Rubens.* Paſſim in ſepulcralibus.

L. OL. D. D. DQ. Locum Olarum Duarum Dedit DonavitQue. *Probus Ernſtii.*

L. OL. D. Liberta Ollam Dedit, *vel* Libertus. Infimum cinerum conditorium olla, quæ loco urnarum ſervis dabatur aliquando.

LONG. P. Lat. P. Longum Pedes Latum Pedes. *Manutius.*

LONG P. VII. LAT. P. III. Longum Pedes Septem Latum Pedes Tres. *Probus.*

LONG. P. ∞ CLXV. Longum Pedes Mille Centum SexagintaQuinque.

L. OPEIM. Lucius Opeimius. Opimius ſcilicet. In nummis æreis Opimiæ gentis.

LO. SN. Locus Sanctus, *Gratioſus.*

LO. S. N. SV. P. A. Loco Sacelli Nemo Statuam Ponere Audeat. *Gratioſus.*

LOVM. Locum. In Roma ſubterranea.

L. P. Lege Punitus. *Probus. Ms: Zabarellæ. Saraınas. Appianus. Lazius. Manutius.*

Libens Poſuit. *Scaliger.* Tum in votivis, tum in ſepulcralibus.

Libertus Poſuit.

Loco Privato. Loco Publico. *Manutius.*

Locus Pius. *Saraınas. Manutius.*

Locus Populi. *Probus. Manutius.*

Locus Promptus. *Appianus.*

Locus Propitius. *Probus. Diaconus. Ms: Zabarellæ. Saraınas. Appianus. Lazius. Manutius.*

Locus Proprius. *Probus. Ms: Zabarella. Magno. Papias. Saraınas. Manutius.*

Locus Publicus. *Saraınas. Manutius.*

Lucius Piſo. *Saraınas. Gratioſus. Manutius.* Piſonis cognomen, Calpurniæ genti dedit primus ille, qui optime piſa ſerere cœpit; vel ut *Alexandro ab Alexandro Gen. Dier. lib.* 3. *cap.* 11. videtur, uſum invenit, fruges igne toſtas in pilas miſſas pinſendi.

LP. Libripens. *Ms: Rhodii. Magno.* Libripens quis fuerit explicat *Cajus lib.* 1. *Inſtit. T.* 6. §. *Item per Emancipationem.* dum ait, libripendem illum fuiſſe, qui ſtateram tenebat in emancipationibus. Unde a *Priſciano lib.* 6. Libripens a *pendendo* dicitur. Veteres namque, primum ære gravi, non ſignato utentes, in emptionibus & venditionibus, pretium non numerabant, ſed appendebant, libripende ipſo pendente. At Libripens apud alios, proprie dicebatur militum ſtipendiorum, hoc eſt, ſtipis ponderandæ penſator & apud *Janum Laurembergium in Supplemento Antiquarii, Libripens ζυγοστάτης ponderibus præfectus fuit.*

LP. Lapis. *Papias.*

L. PAPI. Lucius Papius. In nummis argenteis gentis Papiæ.

L. PASSIEN. Q. F. CRISPIN. Lucius Paſſienus Quinti Filius Criſpinus. In æreis nummis gentis Paſſienæ. Criſpini, a leni capillorum criſpitudine dicti, ut ab eadem denſiori Criſpi, a qua blandientis voce Criſpini cognomen depromptum eſt.

L. P. C. D. D. D. Locus Publice Conceſſus Datus Decreto Decurionum. *Scaliger.* Cum honoris loca publice dabantur.

L. P. C. R. Latini Priſci Cives Romani. *Probus. Ms: Zabarellæ. Gratioſus. Saraınas. Appianus. Manutius.*

L. P. S. C. Locum Poni Sibi Curavit. Locum Proprio Sumptu Curavit, *vel* Pecunia Sua.

L. P. D. Locus Publice Datus. *Probus. Ms: Zabarella. Appianus. Lazius. Manutius.*

L. P. D. D. Locus Publice Dono Datus. Locus Publico Decreto Datus.

L. P. D. D. Locus Publice Datus Decreto Decurionum. *Probus Ernſtii. Saraınas. Manutius. Scaliger.* In locis ſepulcralibus publico decreto conceſſis.

Locus Plebi Datus Decreto Decurionum. *Gualtherius.*

L. P. F. F. Locus Publice Fieri Fecit. *Manutius.*

L. P. F. F. V. A. VI. Lugens Pater Filio Fecit Vixit Annos Sex. In Monumentis puerorum.

L. PI. Loca Periculoſa. *Magno. Papias.*

L. P. IN. FRON. XV. Latum Pedes In Fronte Quindecim. Non longum, ſed latum lego, quia Frontem ſemper latitudinem monumenti denotaſſe, obſervatum eſt.

L. PL. Lex Plebeja. *Probus. Manutius.*

Loco

Loca Periculosa. *Probus Ernstii. Ms: Rhodii. Manutius.*

Locus Publicus. *Probus Ernstii. Diaconus. Ms: Rhodii. Magno. Papias. Manutius.*

L. PL. Loca Periculosa. *Diaconus.*

L. PLAET. CAEST. Lucius Plætorius Cestianus. In nummis argenteis Plætoriæ gentis, Juniæ communibus.

L. PLAETORI. L. F. Q. Lucius Plætorius Lucii Filius Quæstor. *Ursinus.* In nummis argenteis ejusdem gentis.

L. PLANC. PR. VRB. Lucius Plancus Prætor Urbis. In nummis argenteis gentis Juliæ, Munatiæ communibus. Planci enim in gente Munatia clari extiterunt. Planci, qui iidem ac Ploti & Plauti dicti, quia planis pedibus: quod cognomen, non tantum Munatiis, verum etiam Attiis & Rubelliis proprium fuisse ex *Glandorpio* patet.

L. PL. DD. N. Loco Plebejo Dedicatum Numini. *Gratiosus.*

Locus Publice Dedicatus Numini.

L. P°. Locus Proprius. *Ms: Rhodii.*

L. P. O. COM. E. V. Loca Publica Omnibus Communia Esse Volumus. *Gratiosus.*

L. PORCI. LICI. Lucius Porcius Licinius. In nummis argenteis Porciæ.

L. PORCIL. Lucius Porcilius. In nummis argenteis gentis Porciliæ.

L. POS. Lucius Posthnmius. *Probus.*

L. POST. A. F. Lucius Posthumius Auli Filius.

L. POST. ALB. Lucius Posthumius Albinus.

L. POST. SP. F. L. N. ALBIN. Lucius Posthumius Spurii Filius Lucii Nepos Albinus. Suprascriptas omnes notas legere est in nummis argenteis Posthumiæ gentis, in qua Albini cognomen, a candore, ut vidimus, deductum, inclytum & frequentissimum fuit, licet commune Clodiis, Cejoniis, & Luccejis, *Glandorpio* teste *in Cognom. Indice*: qui addit, Brutos cognominatos Albinos; cum tamen non me fugiat, Brutum quoque cognomen, non autem gentilitium nomen fuisse, cujus rei causa ab eo dissentio.

L. PR. Loca Privata. *Magno.*

Loco Privato. *Probus. Sarainas. Appianus. Manutius.*

Loco Proprio. *Manutius.*

Locus Privatus. *Probus. Diaconus. Ms: Zabarella. Appianus. Lazius. Manutius.*

Locus Proprius. *Diaconus.*

L. PR. C. Latini Prisci Cives. *Appianus. Lazius.*

L. PR. C. R. Latini Prisci Cives Romani. *Diaconus. Manutius.*

L. PR. IV. P. C. Loca Privata Jure Possideant Cives. *Gratiosus.*

LPS. Lapsus. *Papias.*

L. P. S. Locum Posuit Sibi.

L. PV. Loca Privata. *Ms: Rhodii. Papias.*

Loco Publico. *Probus. Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius.*

Locus Publicus. *Probus. Ms: Zabarella. Manutius.*

Lucius Publilius *Manutius.*

L. PVB. Loco Publico. *Probus. Ms: Zabarella. Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius.*

Locus Publicus. *Probus. Ms: Zabarella. Manutius.*

Lucius Publius. *Probus Ernstii.*

L. P. V. LAT. P. III. Longum Pedes Quinque Latum Pedes Tres. *Scaliger.*

L. Q. ET. LIB. LibertisQue Et Libertabus. LibertisQue Et Libertabus. *Probus. Manutius.*

L. Q. F. Lucius Quinti Filius. *Ms: Zabarella.*

L. Q. P. LibertisQue Pedes. LibertisQue Posteris. *Manutius.*

LibertisQue Posuit.

L. QQ. Locus Acquisitus. *Ms: Rhodii.* Si explicatio constet.

L. Q. S. Locus Qui Supra. *Probus. Ms: Zabarella. Papias. Appianus. Lazius. Manutius.*

Locus Quæsitus Senatui. *Probus. Manutius.*

Locus Quo Supra. *Probus. Diaconus. Ms: Rhodii. Magno. Sarainas. Manutius.*

L. Q. S. E. Locus Qui Supra Est. *Diaconus. Manutius.*

L. Q. S. E. S. Q. Loco Quod SuperEst Signatum Quiescit. *Gratiosus.*

Loco Quod Sibi Est Signatum Quiescit.

L. R. Lege Rogatur. Lege Rogatus. *Manutius.* In Legibus & Plebiscitis.

Lex Romana. *Probus. Ms: Zabarella. Sarainas. Appianus. Manutius.*

Locum Redditum. *Manutius.*

Locus Religiosus. *Diaconus. Magno. Papias. Sarainas. Manutius.*

Lucius Roscius. *Ursinus.*

Lucus Religiosus. *Manutius.*

L. R. DD. N. T. A. Locum Religioni Dedicatum Nemo Turbare Audeat. *Gratiosus.*

Locum Rite Dedicatum Nemo Tangere Audeat.

L. R. I. Lex Regis Justa. *Diaconus. Manutius.*

L. ROSCI. Lucius Roscius. In nummis argenteis gentis Rosciæ.

L. R. Q. Locus Religiosus Quæsitus. *Sarainas. Manutius.*

L. R. V. Lex Romana Vetat. *Sarainas. Lazius. Manutius.*

L. RV. Lex Rusticana. *Probus. Manutius.*

L. RVBRI. DOSSEN. Lucius Rubrius Dossenus. In æreis nummis, & argenteis gentis Rubriæ, Dosseni cognomen manasse putat *Ursinus* in hanc gentem, a Dosso, quod pro Dorso antiqui dixerunt, unde Dosseni forte illi, qui amplo erant Dosso, ut & Dorsones.

L. RVSTI. Lucius Rustius. In nummis argenteis gentis Rustiæ.

L. RVTIL. Lucius Rutilius. In argenteis nummis gentis Rutiliæ.

L. S. Laribus Sacrum. *Probus. Ms: Zabarella. Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius.* In Deorum sacris lapidibus.

Laribus Sacrorum. *Probus. Ms: Zabarella. Manutius.*

Latini Socii. *Manutius.*

Libens Solvit. *Scaliger.* In votivis plurimum, sed & in sepulcralibus aliquando.

Liberto Suo. *Probus. Manutius.*

Locus. Sacer. *Probus. Ms: Zabarella. Papias. Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius.*

Locus Sepulcri. Locus Sepulturæ. In sepulcralibus non raro, eorumque frontibus.

Lucius Samius. *Probus. Manutius.*

Lucus Sacer. *Sarainas. Manutius.*

Ludi Sacri. *Manutius.*

L. S. A. Libens Solvit Animo.

Lucius Sextius Aurelius. *Scaliger.*

L. SAB. PROC. D. D. Lucius Sabinus Proculus Dono Dedit. Ut ex monumento patet *pag.* 248. 5.

DIVI. ADRI. P. P. MEMO
L. SABI. PROC. D. D

Quæ omnia sic lego: *Divi Adriani Patris Patriæ Memoria Lucius Sabinus Proculus Dono Dedit*, seu *Dedicavit.*

assentior, cum de mulierum hereditatibus, non autem de sacellis faciendis lex Voconia agat.

Lucius Voconius De Sua Fecit Pecunia, *vel* De Suo Fieri Procuravit.

LVPER. Lupercalia. *Manutius. Gruterus. Rosinus.* Si nota occurrat in Kalendario Romano. Lupercalia Romæ fuere celebrata decimoquinto Kalendas Martii, qui dies Februarii decimus quintus. Horum nomen ex eo ortum tradit *Varro de Ling. Lat. lib.* 5. quod scilicet *in Lupercali, Luperci sacra facerent. Rex enim cum ferias menstruas Nonis Februariis ediceret, hunc diem Februatum appellabat. Februum, Sabini purgamentum, & id in Sacris nostris verbum. Nam & Lupercalia Februatio, ut in Antiquitatum libris demonstravi.* Unde *Ovidius Fastor.* 2.

Februa Romani dixere piamina patres;
Nunc quoque dant verbo plurima signa fidem.

Lupercale vero quid esset, hisce verbis innuit Pompejus Trogus *Epitom. Histor. Justin. lib.* 43. *Post hunc*, de Saturni loquitur regno, *tertio loco regnasse Faunum ferunt, sub quo Evander ab Arcadia urbe, Pallanteo in Italiam, cum mediocri turba popularium venit; cui Faunus & agros & montem, quem ille postea Palatium appellavit, benigne assignavit. In hujus radicibus, templum Lyceo, quem Græci Pana, Romani Lupercum appellant, constituit. Ipsum Dei simulacrum nudum, caprina pelle amictum est; quo habitu nunc Romæ Lupercalibus decurritur.* Ideo *Ovidius* loco citato:

Tertia post Idus, nudos aurora Lupercos
Adspicit, & Fauni sacra bicornis erunt.

At cum Romanos, nudos celebrasse Lupercalia tradant, Trogus & Ovidius, a quibus & quomodo celebrarentur, jucundum fore credo intelligere ex Plutarcho, in Cæsare, sic loquente: *Lupercalia agebantur, quæ multò tradunt fuisse festum olim pastorum. Congruunt aliquatenus cum Arcadicis Lyceis. Nobiles juvenes frequentes & Magistratus nudi per urbem discurrunt, hirsutis scuticis, obvios per ludum & jocum cædentes. Multæ quoque principes feminæ ex composito offerunt se illis, ac manus ferientibus, sicut in ludo litterario, offerunt, creduntque id ad facile puerperium prægnantibus & infœcundis proficere ad conceptum.*

LVPER. N. P. Lupercalia Nefastus Primo. *Rosinus.*

LV. P. F. Ludos Publicos Fecit.

L. V. R. Lucius Valerius Rufus. *Papias.*

L. V. S. Libens Votum Solvit. *Probus Ernstei.*

Locum Viva Sibi. *Scaliger.*

Locum Vivens Sibi.

LVS. Lusia.

Lusius. *Sarainas.*

LVSTR. Lustrum. *Golzius.*

LVSTR. FEC. Lustrum Fecerunt. In Fastis, Censorum nominibus, si Lustrum egissent; secus, Lustro non peracto, *Lustrum non fecerunt*, ipsorum nominibus addebatur.

LVSTR. MISS. Lustrum Missum. Hoc est, purgatio facta.

LX. Lector. *Manutius*, ni errat.

Lex. *Manutius.*

Sexaginta. *Probus. Diaconus. Manutius.*

L. X̄. G. Legio Decima Gemina.

L. XX. N. P. Sestertia Viginti millia Nummum Pendit. *Scaliger.*

LXX. Septuaginta. *Manutius.*

LXXX. Octuaginta. *Manutius.*

M.

M. Maceria. *Sarainas. Manutius.* Quid & quotuplex Maceria antiquitus fuerit, satis superque docet, hisce verbis, *Varro de Re Rustic. lib.* 1. *Quartum fabrile sepimentum, est novissimum, Maceria. Hujus fere species quatuor, quod fiunt e lapide, ut in agro Tusculano; quod ex lateribus coctilibus, ut in agro Gallico; quod ex lateribus crudis, ut in agro Sabino; quod ex terra ac lapillis compositis informis, ut in Hispania & agro Tarentino.*

Macula. *Manutius.*

Magister. *Scaliger. Servius.*

Magistratu. *Golzius.* In Fastis, quando post nomen & cognomen alicujus in magistratu defuncti, M. adjicitur.

Magnus. *Sarainus. Manutius.* Cn. Pompeji ob magnas ejus res gestas cognomen fuit, licet eodem usi sint, *Glandorpio* teste, Fonteji & Posthumii; verum progressu temporis, Magnus prænominis locum tenuit. Lampridius in Alexandro Severo: *Magne Alexander, dii te servent; si Antonini nomen repudiasti, Magni prænomen suscipe.*

Male. *Sarainas. Manutius.*

Mallius. *Diomedes Grammaticus lib.* 2. his verbis: *M. nota prænominis, cum sola scripta, Marcum significat, sed adjecta ad extremam lineam virgula, Mallium.* Typographicum tamen mendum in Diomede suspicor; nam ad extremam lineam virgula adjecta, non Mallium, sed Manium significare scit quilibet, vel leviter harum antiquitatum notina tinctus. Manium ergo apud Diomedem, Mallii loco restituatur.

Malus. Mundo. *Manutius.*

Manibus. Passim in fronte inscriptionum mortuorum, hisce litteris D. M.

Manumissus. *Manutius.*

Manus. *Probus. Manutius.*

Marca. In mulierum lapidibus, si nomen gentilitium mulieris, M. præcedat.

Marci. In omnibus saxis, ubi Marci scil. Filius, vel Nepos.

Marcus. Si littera M. loco prænominis fuerit. Donabantur Marci prænomine, teste auctore *Epitomes de Nominum Ratione*, Martio mense nati. Prænomen hoc vulgatissimum licet apud Romanos, tamen a gente Manlia, uti ignominiosum repudiatum, ex *Livio* noto, *Hist.* 7. sic scribente: *Gentis Manliæ decreto cautum fuit, ne quis deinde Marcus Manlius vocaretur;* quia scilicet prænomine Marci donatus fuerat Manlius ille, qui Reipublicæ tyrannidem affectaverat. Hoc vero nomen cognominis loco usurpatum in antiquis monumentis quandoque noto. Ita *pag.* 700. 5. & 986. 8.

NAENIA
M. L. VITICVLA
SIBI. ET
C. PONTIO. C. L.
MARCO

D. M. S
M. PETRONIO
MARCO. VIX. ANN.
V. ET. DIES. XI. SVPER
M. PETRONIVS
SVAVIS. ET
SEXTILIA. LVCRETIA

Sed & Marco cognomen dedit Herodianus in Severo, dicens: *Tum Bassianus, qui tunc honores Imperatoris adeptus, Severus Antoninus, accepto Marci cognomine, vocabatur.*

Marius. *Beda. Sarainas.* Verum Bedæ expositio *Libello de Orthographia*, si tamen ejus est, mihi prorsus suspecta; nam Marcum M. unicum significare semper observavi, Marium nunquam.

Marti. *Scaliger.*

Martius. *Manutius.*
Martius. *Probus. Diaconus. Manutius.*
Mater. *Manutius. Scaliger. Angelonus.*
Maximus. *Sarainas. Manutius.*
Mecum. *Manutius.*
Meam. *Diaconus. Manutius.*
Meis. Memmius. *Manutius.*
Memoria. *Ms: Rhodii.*
Memoriæ. *Papias. Sarainas. Manutius.* Quandoque in fronte alicujus monumenti.
Menſa. *Sarainas. Manutius.*
Menſe. *Manutius.*
Menſes. Menſibus. Paſſim in monumentis, puerorum præcipue, quorum vita, non ſolum annis, ſed menſibus, diebus & horis aliquando deſignabatur.
Menſis. *Sarainas. Manutius.*
Mercede. Metellus. *Manutius.*
Meum. *Diaconus. Manutius.*
Mihi. *Papias.*
Miles. Militavit. Frequentiſſime in militum cippis, cum quis alicujus cohortis miles fuiſſet, aut quot annos aliquem militaſſe antiqui indicare volebant.
Militiæ. *Sarainas. Manutius.*
Mille.
Millia. *Sarainas.*
Minucius. Mirabile. *Manutius.*
Miſſio. *Sarainas.*
Miſſione. Miſſus. In eorum militum monumentis, quibus aliquem juſſu, vel honoraria miſſione miſſum denotare volebant.
Modo. *Sarainas. Manutius.*
Moneta. *Manutius.*
Monumentum. Ubique in ſepulcralibus ſaxis.
Moram. Mordax. Mors. Mos. *Manutius.*
Mortuus. *Goltzius.* In Faſtis plerumque, in quibus mors alicujus in Magiſtratu ſculpebatur.
Mucius. *Probus. Sarainas. Lazius. Manutius.*
Mulier. *Probus. Papias. Sarainas. Appianus. Manutius.*
Mundus. Municeps. Munius. *Manutius.* Silentii nota M. fuiſſe obſervavit, ex *Calcagnino, in Amaltheo Onomaſtico Joſeph. Laurentius.*
M. *Si in termino inveneris, fines quadras deſignat & in proximo ſigna finalia invenies: Auctores de Limitibus agrorum.*
ꟽ. Marca. *Scaliger.* Prænomen mulieris; quod tamen improbat *Varro de Ling. Lat. lib.* 8. ſcribens, poſſe dici *Marcum Numerium, Marcam Numeriam.* Verum non ſemper Marcæ & Numeriæ prænomina improbata fuiſſe, Saxa ſuadent. Marcæ *pagg.* 522. 10. & 885. 14.

M. AELIA P. L. F. POSTV
TERTVLLA MENIA
L. CAECILIVS M. AVRE
VXORI FE LIAE. B. M. F

Numeriæ *pag.* 680. 4.

C. DIDIO
CONCORDIANO
V. A. VI. M. VIII. D. XX
C. DIDIVS. CELER
N. IVNIA. MARCELLINA
PARENTES

Mulier. *Probus. Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius.*
M̄. Animi. Manibus. *Manutius.*
Manius. Conſentius Grammaticus.
Meum. *Ms: Rhodii.*

Mihi. *Magno.*
Mille. Millia. *Antiquus Codex de Notis Numerorum.*
Moleſtus. *Papias.*
Municipium. *Gruterus.*
Mus. *Papias.*
M̄'. Miles. *Magno.*
M,. Manius. *Manutius.*
M'. Manius. Ab omnibus expoſitoribus hæc nota ſic legitur, frequentiſſimeque cum ea quæ hunc ſuccedit, Manium indicare, in Faſtis ac Monumentis antiquorum obſervavi. Manius illorum prænomen fuit, Valerio teſte, in Epitome alias citata; *qui mane editi erant, vel ominis cauſa, quaſi boni. Manum enim antiqui bonum dicebant.* Prænomen iſtud licet vulgatiſſimum apud Romanos, aliquando tamen & nominis gentilitii, tum in viris, tum in mulieribus locum habuiſſe adnotavi; quinimo & cognominis. Virorum gentilitium nomen Manium fuiſſe hæc monſtrant Saxa. Primum *pag.* 804. 2. Alterum pag. 964. 14.

D. M
C. MANIO
PRIMIGE
NIO. MA
RIA. IANVA
RIA. CVM. QVO
VIX. AN. XXXVI
M. III. COIVGI
B. M. F

D. M
C. MANI. MONIMIANI
VIX. AN. XV. D. XVII.
SEXTARIA. PRIMITIVA
MATER
FILIO. PIISSIMO
AVIDIAE. T. L. INGENVAE
MATRI. ET
CAECILIAE. C. F. TERTVLAE
SORORI
AVIDIA. C. F. LVCVLLA
POSVIT

Mulierum vero, *pag.* 966. 3. hac inſcriptione:

MANIAE
M. F
PROCVLAE
PROBVS
LIBERTVS

Cognominis autem loco fuiſſe Manium, patet ex hoc Saxo *pag.* 248. 9.

IMP. CAESARI
DIVI. TRAIANI. PARTH
DIVI. NERVAE. NER. P
TRAIANO. HADRIANO. AVG
PONT. MAX. TR. POT. III
COS. III
L. AQVILIVS. MANIVS
AED. PR. II. VIR. Q
OB. HON. AVGVR
D. D

Quam inſcriptionem, licet *Gruterus* notet habuiſſe eam *Scaligerum* a Vorſtio Medico, Philoſophiæ profeſſore Lugduni Batavorum, non ſine errore mihi forte typographico; ſuſpecta tamen ex illis notis NER. P. cum in Saxo ſculptum forſitan fuiſſet NEP. abſque R. Hadrianus namque Imperator, per adoptionem Trajani Filius & Nervæ Nepos extitit. Ideo eam ſic lubens legerim: *Imperatori Cæſari Divi Trajani Parthici Divi Nervæ Nepoti Trajano Hadriano Auguſto Pontifici Maximo Tribunitia Poteſtate Tertium Conſul Tertium Lucius Aquilius Manius Ædilis Prætor Duumvir Quinquennalis Ob Honorem Auguratus Dedicavit.*
Meus. *Ms: Rhodii.*

Munici-

LV. Lucus. *Gratiosus.*

Quinquaginta Quinque. *Probus. Ms: Zabarella. Sarasuas. Manutius.*

L. VAL. Lucius Valerius. *Probus. Magno.*

L. VAL. RF. Lucius Valerius Rufus. Rufi cognomen color Rufus dedit, fuitque hoc frequentissimum apud Romanos, ut videre est apud *Glanderpium in Cognominum Indice*, ubi observat ille plurimas gentes eo usas fuisse.

L. VAL. RV. Lucius Valerius Rufus. *Magno.*

L. VAL. RV. TR. PL. Locellus Valerii Rufi Tribuni Plebis. *Gratiosus.*

Lucius Valerius Rufus Tribunus Plebis.

LVCAR. Lucaria. *Rosinus. Gruterus. Manutius.* Si in Kalendario. *Lucaria*, cum *Varrone lib. 5. de Ling. Lat.* ex *Josephi Scaligeri* castigatione, dicebantur, *a luce, quod propter lucem amissam is cultus institutus* fuerit; cum Festo vero, a *luco*, siquidem *Lucaria Festa in luco colebant Romani, qui permagnus inter viam Salariam & Tiberim fuit pro eo, quod victi a Gallis fugientes ex prælio, ibi se occultaverant.* Hujus solemnitatis dies, qui Nefastus primo habebatur, decimoquarto Kalendas Sextilis, qui Julii decimusnonus: inde duobus diebus post repetebatur sollemnitas, ut ex Kalendario constat, duodecimo scilicet Kalendas Sextilis, qui Julii vigesimus primus.

LVCR. Lucretia. *Probus.*

Lucretur. Lucreti. *Manutius.*

Lucretius. *Probus. Manutius.*

LVCR. L. F. Lucretia Lucii Filia.

LVD. Ludi. *Ms: Zabarellæ. Appianus. Lazius. Manutius.*

Ludus. *Ms: Rhodii. Magno. Manutius.*

LVD. A. Ludi Appollinares. *Magno. Manutius.* In kalendario. Ludorum istorum orginem ex *Livio* mutuo, qui *Hist. lib.* 25. hunc in modum scribit, ex carminibus Martii cujusdam vatis illustris: *Hostem Romani si ex agro pellere vultis, vomicamque quæ gentium venit longe, Apollini vovendos censeo ludos: qui quotannis comiter Apollini fiant. cum populus dederit ex publico partem, privati uti conferant pro se quisque. Iis ludis faciendis præerit prætor is, qui jus populo, plebique dabit summum. Decemviri, Græco ritu, hostiis sacra faciant. Hæc si recte faxitis, gaudebitis semper, fietque res vestra melior; nam is divus extinguet perduelles vestros, qui vestros campos pascunt placide. Ad id carmen explanandum, diem unum sumpserunt. postero die S. C. factum est, ut Decemviri libros de Ludis Apollinis, reque divina facienda inspicerent. Ea cum inspecta relataque ad Senatum essent, censuerunt Patres, Apollini ludos vovendos faciendosque; & quando ludi facti essent, duodecim millia æris prætori, ad rem divinam, & duas hostias majores dandas. Alterum Senatusconsultum factum est, ut Decemviri sacrum Græco ritu facerent, hisce hostiis Apollini, bove aurato, & capris duabus albis auratis; Latonæ, bove femina aurata. Ludos prætor in Circo maximo cum facturus esset, edixit, ut populus per eos ludos, stipem Apollini, quantam commodum esset, conferret. Hæc est origo Ludorum Apollinarium, victoriæ, non valetudinis ergo, ut plerique rentur, votorum; factosque populus coronatus spectavit, matronæ supplicavere; vulgo apertis januis in propatulo epulati sunt.* Hæc Livius, citato loco; cui, paucis mutatis, vel prætermissis, adstipulatur *Macrobius Saturnal lib.* 1. *cap.* 17. Ludos autem Apollinis scenicos fuisse, ex Festo liquet, in verbo *Salva res est*, dum scribit: *Quare Parasiti Apollinis in scena dictitent, causam Verrius in libro quinto, quorum prima est P. littera, reddidit, quod C. Sulpitio, C. Fulvio Consulibus, M. Calpurnio Pisone Prætore Urbis faciente ludos, subito ad arma exierint, nuntiato adventu hostium, victoresque in theatrum redierint, solliciti, ne intermissi religionem adferrent, instaurati qui essent, inventum esse ibi C. Pomponium libertinum mimum, magno natu, qui ad tibicinem saltaret. Itaque gaudio non interrupta religionis editam vocem nunc quoque celebrari, Salva res est, cum saltat Senex.* quæ postea in ludis istis celebrandis proferebatur quotannis. Apollinarium ludorum solemnitas celebratur pridie nonas Quintilis, qui ejusdem mensis dies quartus, & Nefastus totus.

Ludus Apollinis. *Diaconus. Ms: Rhodii. Papias. Gratiosus. Manutius.*

LVD. APOLLIN. Ludi Apollinares. *Manutius. Gruterus. Rosinus.*

LVD. CIR. Ludi Circenses. *Manutius.* Notæ sunt Kalendarii. Scripsit de Ludis Circensibus opus elegantiss. & eruditiss. Panvinius, ut frustra quicquam ejusdem scriptis addere fuerit, nisi quod illi Romæ celebrati fuerint nono Kalendas Octobris, qui Semptembris dies vigesimus tertius, pariter, ob Augusti natalem diem, solemnis; Augustum quippe hac die natum, præter Kalendarium, *Suet.* refert *in ejusdem vita capite* 5. Isti Romani, & Magni fuere, ceterisque antiquiores; siquidem, *Asconio* teste *in prim. Cicer. Verr. Romani ludi sub Regibus instituti sunt, Magnique appellati, quod magnis impensis dati sunt: tunc enim primum ludis impensa sunt ducenta millia nummum. Alii ideo Magnos Ludos dictos putant, quod Conso, consiliorum secretorum Deo, idest, Neptuno, latentium regi, & rerum conditarum, & Diis magnis, idest, Laribus urbis Romæ dati sunt, quibus ajunt raptas Sabinas esse, ut videatur, propter hoc dicere Virgilius:*

——— magnis Circensibus actis.
Nam & Magni & Circenses iidem sunt.

LVD. MART. IN. CIRC. Ludi Martis In Circo. *Manutius.* In Kalendario, Ludi Martis fuerunt, quorum decursionibus & venationibus celebrati sunt in Circo, Tiberi Circum alluente, in Augusti Foro, ut ex *Dione* constat, *Hist. lib.* 56. Horum dies solemnis fuit quarto Idus Maji, qui ejusdem mensis duodecimus, inciditque inter secundum & tertium Lemurum diem, fuitque nefastus primo. Istos ludos Marti ultori dicatos, ob signa recepta, devictis Parthis ab Augusto, *Ovidius* his 5. *Fast.* monet:

Signa decus belli Parthus Romana tenebat,
Romanaque Aquilæ signifer hostis erat.
Atque pudor mansisset adhuc, nisi fortibus armis
Cæsaris Ausoniæ protegerentur opes.
Ille notas veteres, & longi dedecus ævi
Sustulit, agnorunt signa recepta suos.
Quid tibi nunc solita mitti post terga sagitta?
Quid loca? quid rapidi profuit usus equi?
Parthe refers aquilas, victos quoque porrigis arcus,
Pignora jam nostri nulla pudoris habes.
Rite Deo templumque datum, nomenque Bisulto,
Et meritus voti debita solvit honor
Sollemnes ludos Circi celebrate, Quirites:
Non visa est fortem scena decere Deum.

Sed de his plura apud *Panvinium de Lud. Circens.*

LVD. PAL. Ludi Palmares. *Probus Ernstii.*

LVD. PLEB. IN. CIRC. Ludi Plebeji In Circo. *Rosinus. Manutius.* In notis Kalendarii. De istis *Asconius in primam Cicer. Verr.* scripsit, *Plebejos Ludos* (illos fuisse) *quos, exactis Regibus, pro libertate Plebis fecerunt, aut pro reconciliatione Plebis, post secessionem, in Aventino.* Istos, *Rosini* observatione *Antiquit. Romanar. lib.* 5. *c.* 20. ædiles plebis edebant in Circo, quotannis, a die XVII. Kalendas

Municipium.

Mus. *Magno.* Verum, non mus animal, sed abbreviatio.

M. Manius. *Goltzius.*

Mucius. *Ms: Zabarella.*

M'. Molestus. *Ms: Rhodii.*

M. A. Marcus Æmilius. Marcus Aurelius. *Manutius.*

MA. Macuvius. *Probus. Ms: Zabarella. Sarasnas. Appianus. Lazius. Manutius.*

Magnus. Manu. *Sarasnas. Manutius.*

Mallilum. *Scaliger.*

M. A. A. Municipium Albæ Augustæ. *Scaliger.* Alba Augusta, Galliæ Narbonensis urbs, vulgo *Aubenas*, ut Dalecampio placet.

MAC. AVG. Macellum Augusti. In nummis æreis Neronis, in quibus pulcherrimum ædificium spectatur. Ad eos *Angelonius* adnotavit, nullam hujus Macelli se apud antiquos scriptores invenisse notitiam, ut propterea credat legendum; non *Macellum Augusti*, sed *Magna Augusti*, domus scilicet illa aurea; de qua *Suet.* in ejus vita, licet de Neronis Macello hæc habeat *Hist. lib.* 61. *Dio Cassius* his verbis: *Tunc sacrificium pro accepta salute (sicuti dicebat) fecit, Forumque obsoniorum (quod uno verbo Macellum dicitur) dedicavit.*

MACH. F. P. Machinarii Fori Piscarii. *Scaliger.* Scio Machinarios dictos illos artifices, qui ab optimo ingenio vulgo *Ingegneri* dicti. ita Machinarius mensor, de quo in *l.* 7. *ff. Si Mensor.* ille est, qui norma in metiendo utitur; prout qui probat opera fabrorum materiariorum. Verum cum Asinum Machinarium inveniam in *l.* 58. *§. Predius. ff. de Legat.* 3. illum credo, quo uti possumus ad omnes tractorias, seu vectorias Machinas. Quare, Machinatores Fori Piscarii, forte piscium vectores.

M'. ACIL. Manius Acilius. In nummis æreis gentis Aciliæ.

M'. ACIL. M'. F. C. N. Manius Acilius Manii Filius Caji Nepos. In argenteis ejusdem generis nummis.

MAE. Mæcia. Tribus scilicet. *Brissonius. Manutius.* Mæciam tribum ordine vigesimam Octavam recenset *Panvinius lib.* 2. *Descript. Civit. Romap.* additamque eam cum Scaptia, anno V. C. CDXXII. ut ex *Livio Hist. lib.* 8. compertum. Hanc dictam Mæciam, a quodam castro Latinorum ita appellato, scribit *Festus.*

MAEC. Mæcilia. Hoc est, Tribus. *Scaliger.* Verum, cum Panvinius diligentissimus antiquitatum indagator, omnes tribus tam ordinarias, quam extraordinarias, & superadditas accurate expendisset, nec de Mæcilia quicquam scripserit, legerim utique, pro Mæcilia, Mæciam, cum explicationi nota sit accommodata.

M. AEM. Marcus Æmilius. *Probus. Sarasnas. Appianus. Lazius. Manutius.*

M. AEMIL. LEPID. III. VIR. Marcus Æmilius Lepidus Triumvir.

M. AG. Militis Ager. *Diaconus. Ms: Rhodii. Magno. Papias. Manutius.*

Militum Agri. *Probus Ernstii.*

MAG. Magister. *Magno. Manutius. Scaliger.*

Magistratu. *Goltzius.* Frequentissime in Fastis, ad illorum nomina, qui in magistratu aliquo diem suum obierant.

Magistratus. *Probus. Ms: Rhodii. Sarasnas. Appianus. Lazius. Manutius. Ernstius*, qui ad hanc notam videatur *cap.* 12. *Notar. Prob.*

MAG. Magistratus. *Papias.*

MAG. D. D. Magister Domus Divinæ.

MAG. EQ. Magister Equitum. *Probus. Ms: Zabarella. Sarasnas. Appianus. Lazius. Manutius. Goltzius.* Occurit in Fastis, quoties Dictatoris & Magistri Equitum mentio est. Quid vero Magister equitum esset, satis superque patet ex Auctoribus plerisque de Magistratibus Romanorum.

MAG. ET. DECV. Magistris Et Decurionibus. *Scaliger.*

MAGG. SEPIN. Magistris Sepinatium. Sepinum oppidum in Samio, Romanorum Colonia fuit, de qua hæc Frontinus de Coloniis: *Sepinum oppidum muro ductum, colonia ab Imperatoribus Nerone & Claudio est deducta. Iter populo debetur pedibus L. Ager ejus in Augusteis centuriis est assignatus.* Quid autem esset Magister Sepinatium, non ita facilis, meo judicio, est cognitionis; si tamen vera sunt, quæ de Dictatore prodit *Alexander ab Alex. Gen. Dier. lib.* 8. *cap.* 23. scilicet. *Dictatorem dici, qui apud veteres Magister populi vocabatur*, conjectare ausim, eandem Magistri Coloniæ vel Municipii, ac Dictatoris Romæ dignitatem & auctoritatem fuisse; quod & mihi suadet familiaris usus hujus vocis in Coloniis & Municipiis, in quibus, Magister Juvenum, Collegii Augustalium habebatur.

MAG. IV. Magister Junior. *Gualtherius.* melius forte, *Juvenum.*

MAG. IVV. Magister Juvenum. *Manutius.*

MAG. M. Magister Magistratus. *Manutius.*

MAG. MIL. Magister Militiæ. *Probus Ernstii. Ms: Rhodii. Magno.*

MAG. ML. Magister Militum. Magistratus Militum. *Diaconus. Manutius.*

MAG. MVN. Magister Munerum. *Manutius.* Magister Municipii.

MAG. MVN. RAVEN. Magister Municipii Ravennatis.

MAGN. PROCOS. Magnus Proconsul. In nummis argenteis gentis Pompejæ, Pompejo Magno cusis.

MAG. PIVS. IMP. ITER. Magnus Pius Imperator Iterum. In ejusdem gentis & personæ nummis aureis.

MAG. QVIN. Magister Quinquennalis. *Manutius.*

MAG. QVINQ. COLL. FABR. TIG. Magister Quinquennalitius Colegii Fabrum Tignariorum. *Scaliger.* Magistri Collegiorum munus quale esset, ex *Asconio in Pisonianam* constat: *Solebant*, inquit, *magistri Collegiorum ludos facere sicut magistri vicorum faciebant compitalitios pratextati.* Ex quibus opinor, Magistros Collegiorum in Coloniis, illa obiisse munera, quæ Magistri vici in Urbe, pro Ludis Compitalitiis.

M. A. G. S. Memor Animo Grato Solvit. *Scaliger.* In Votivis quandoque.

MAG. AVG. Magister Augustalis. *Reinesius.* Integrum cujuscunque Coloniæ corpus constabat e Decurionibus, Augustalibus, & Colonis. Augustales legebantur a Decurionibus, & munus pro usu, publicum gerebant. Curabant autem in primis sacra Coloniarum sollemnia; unde Sacerdotales etiam appellati. Curabant earumdem apparatum ludorum, & editionem; necnon de causis etiam privatorum, delictis, & criminibus, non quidem jure magistratus, sed lege & constitutione Principis cognoscebant, Ideo in saxis, *Augustalis Juridicundo.* Magister autem Augustalis fuit, qui collegium Augustalium moderabatur, juxta cum collegis, quos modo sex fuisse, constat ex lapidibus. Hinc Duumvir, Quartumvir, Sevir Augustalis, in eisdem frequentissime.

MAG. VIC. Magister Vici. Magistri Vicorum. Magister Vicorum, qui & Vicomagister, quinam esset, nomen prodit; nam quia Vicorum Urbis curam gerebant, Magistri Vicorum sunt appellati.

Hi

Hi Publii Victoris de Regionibus Urbis fide, quatuor per singulos vicos electi, Augusto ortum debent ex *Suetonio cap.* 30. in eodem: *Spatium Urbis in regiones vicosque divisit, instituitque, ut illas annui magistratus sortito tuerentur. ad hoc magistri e plebe cujusque vicinia electi.* Ad quæ observat Torrentius, *Augustum Urbem in regiones vicosque primum non divisisse; sed cum antea sic divisa esset, quis quamque regionem aut vicum curaret, constituisse.*

MAG. X. VIR. Magister DecemVir.

MAI. Major. *Probus Ernstii. Diaconus. Ms: Rhodii. Papias. Manutius.*

M. AIMILI. M. F. Marcus Aimilius Marci Filius.

M. AIMIL. M. F. L. N. Marcus Aimilius Marci Filius Lucii Nepos.

M. AIMIL. M. F. Q. N. PROPR. Marcus Aimilius Marci Filius Quinti Nepos Proprætor. Tribus istis diversis modis gentis Æmiliæ nummi argentei signati inveniuntur.

MALAC. Malacitanus.

MAM. Mamercus. *Panvinius. Goltzius.*

MAMA. Matertera. *Magno.*

M^a. M^a. Matertera. *Ms: Rhodii.*

MAM. F. MAM. N. Mamerci Filius Mamerci Nepos. *Goltzius.* Atque in Fastis potissimum, ac Prænomen hoc observatum fuit nota L. F. MAM. N. qua etiam occasione, hoc aliquando cognominis loco fuisse adnotavi. nunc vero his, quæ dixi, addo, idipsum, tum in viris, tum in mulieribus, pro nomine gentilitio repertum, ut Saxa nonnulla produnt, ac præcipue istud *pag.* 434. 4.

C. MAMERCIO. SP. F
IANVARIO. Q. AED. PRAET
II. VIR. Q. ET
P. PACCIVS. IANVARIVS
FILIO. NATVRALI. ET
MAMERCIA. GRAPTE
MATER. INFELICISS. FILIO
ET. COGNATAE. PIISSIMIS
FECERVNT

MAM. F. M. N. Mamerci Filius Mamerci Nepos.

MAN. Manibus. Manius. *Manutius.*

MANG. Mangones. *Panvinius. Gruterus.* Mango a Callistrato dictus, qui liberum hominem emit, rapit, & vendit. Farnabius vero, ad illud *Martialis Epigr. lib.* 1. *n.* 59.

Millia pro puero centum me Mango poposcit.

Notat, *Mangones prius dictos* [illegible] *&* [illegible]*: postea longius tractum nomen, & puerorum altores dictos, qui formosos pueros exsecabant frangebantque in Venerem. Et Nicolaus Perottus in Cornucopia*, ad idem epigrammatis eundem versum, Mangones non mercatores, sed venalitiarios appellatos fuisse tradit, quod & Saxa abunde confirmant.

MANI. Manibus. *Manutius.*

Manilius. *Saracnas. Manutius.*

Marcius. *Manutius.*

MAN. IRAT. H. Manes Iratos Habeat. Frequens sepulcrorum formula, qua precabantur Antiqui iratos manes, eorum violatoribus; hinc vulgatissima illorum imprecatio monumentis insculpta: *Manes iratos habeat, quicumque de hoc sepulcro violarit.*

MAN. L. Manifestus Locus. *Passeratius. Laurentius.*

M. ANT. IMP. Marcus Antonius Imperator.

M. ANT. IMP. AVG. III. VIR. R. P. C. Marcus Antonius Imperator Augur Triumvir Reipublicæ Constituendæ. Augur, non Augustus, ut quibusdam visum, nota hac in nummis Marci Antonii intelligendus; siquidem & Augur Romæ hic fuit, & Augusti cognomen, post mortem ejus, Munatius Plancus pro C. Julio Cæsare Octaviano excogitavit.

M. ANTO. COS. IMP. IIII. Marcus Atonius Consul Imperator Quartum.

M. ANT. IMP. R. P. C. Marcus Antonius Imperator Reipublicæ Constituendæ.

M. ANTON. IMP. Marcus Antonius Imperator. Quæ variæ dicendi formulæ observantur in nummis aureis & argenteis gentis Antoniæ, ac M. Antonii Triumviri præcipue.

MA. OPP. Manifestum Oppidum. *Passeratius. Laurentius.*

M'. AQVIL. M'. F. M'. N. Manius Aquilius Manii Filius Manii Nepos. In nummis argenteis gentis Aquiliæ.

MAR. Marcius. Marcus. *Manutius.*

Maritus. In conjugatorum lapidibus.

Marius. *Cosentius.*

Marmorea. *Scaliger.*

MAR. CARISS. Maritus Carissimus.

MARC. AVG. Mercurio Augusto. *Scaliger.*

MAR. FEC. Maritus Fecit.

MARIT. Marita. Maritæ. Non raro in antiquorum monumentis, tum abbreviatum, tum expressum, legitur. Marita pro uxore invenitur, ut *pagg.* 908. 2. *&* 794. 11.

C. A. MVRENAE
C. F
CELERINAE
FLAM. FERON
MVNICIP. SEPTEMP
I. TIFENNIVS. FELIX
MARIT. OPTIMAE

D. M
IVLIAE. PIETATI
MARITAE. OPTIMAE
C. IVLIVS. SYMFOR
FECIT

Maritus. *Probus. Manutius.*

MARIT. OP. FAC. CVR Marito Optimo Faciundum curavit. In conjugatorum cippis.

MAR. OLL. D. Marito Ollam Dedit.

MART. Martia. Legio videlicet, quam *Lazius lib.* 5. *Comment. Respub. Roman. cap.* 5. sic cognominatam credit, vel ob signum Martis, vel ob audaciam & fortitudinem, notatque ex *Appiano lib.* 4. *Belli Civil.* duas fuisse, ambasque mari submersas. Labente tamen imperio, alias Legiones Martias cognominatas observare est, nempe primam, quartam, & quintam; temporibus Arcadii, & Honorii, in Arcadicis finibus degentes.

Marti. In kalendario Romano occurrit, hoc est, Marti sacrum; de quo infra.

Martias. Martiis. Nempe, Kalendas Martias. Kalendis Martiis.

MART. CAR. MONET. Marti Carnæ Monetæ. In Kalendario antiquo sunt notæ hæ, scil. Sacrum Marti, Carnæ Deæ, & Junoni Monetæ; quæ sollemnia celebrata fuerunt Romæ kalendis Juniis, quibus Marti immolabatur extra portam Capenam. Unde *Ovidius Fast. lib.* 6.

Lux eadem Marti festa est, quem prospicit extra
Appositum dextra porta Capena via.

Junoni Monetæ eadem dies erat sollemnis, quia, *Macrobio* teste, *Saturnal Sermon. lib.* 1. *cap.* 12. ædes Junonis Monetæ kalendis Juniis dedicata. De

istius

istius sollemnitatis origine hæc loco citato *Ovidius*:

Arce quoque in summa Junoni templa Monetæ
Ex voto memorant facta, Camille, tuo.
Ante domus Manli fuerat, qui Gallica quondam
A Capitolino repulit arma Jove.

Carnæ quoque deæ dies dicata; cujus sollemnitatis originem, & sacrificium describit in hæc verba *Macrobius* loco proxime citato: *Nonnulli putaverunt, Junium mensem a Junio Bruto, qui primus Romæ Consul factus est, nominatum; quod hoc mense, idest, Calendis Juniis pulso Tarquinio, sacrum Carnæ deæ in Cælio monte voti reus fecit. Hanc Deam vitalibus humanis præesse credunt. Ab ea denique petitur, ut jecinora & corda, quæque sunt intrinsecus viscera, salva conservet; & quia cordis beneficio, cujus dissimulatione Brutus habebatur, idoneus emendationi publici status extitit; hanc diem, qua vitalibus præest, templo sacravit, cui pulte fabaria & larido sacrificatur, quod vires, maxime his rebus, corporis roborentur.*
Verum sicut in sacrificio convenit cum *Macrobio Ovidius*, dum canit:

Pinguia cur illi gustentur larda kalendis,
Mistaque cum calido sit faba farre, rogas?
Prisca Dea est, aliturque cibis, quibus ante solebat:
Nec petit adscitas luxuriosa dapes.

Ita Carnam, Deam Cardinum, non autem vitalium partium, ut *Macrobio* videtur, *Ovidius* agnoscit, his verbis:

Prima dies tibi, Carna, datur: dea Cardinis hac est.
Numine clausa aperit, claudit aperta suo.

MART. PAC. Marti Pacifero. In nummis Commodi.

MART. VICT. Marti Victori.

MAR. VLT. Mars Ultor.

MART. VLTO. Marti Ultori. In nummis Augusti. Ultori Marti Augustus ædem constituit in in foro suo. *Suetonius cap.* 29. in eodem, eamque celebravit *Ovidius* hisce versibus *Fast. lib.* 5.

Fallor? an arma sonant? non fallimur, arma sonabant,
Mars venit, & veniens bellica signa dedit.
Ultor ad ipse suos cælo descendit honores,
Templaque in augusto conspicienda foro.
Et deus est ingens, & opus. debebat in Urbe
Non aliter nati Mars habitare sui.
Digna Giganteis hæc sunt delubra tropæis:
Hinc fera Gradivum bella movere decet.
Seu quis ab eoo nos impius orbe lacesset;
Seu quis ab occiduo sole domandus erit.
Perspicit armipotens operis fastigia summi,
Et probat invictos illa tenere deos.

MARIVS. Maritus. In Roma Subterranea.

MAR. VLT. Mars Ultor. Ita variis notis sculptum videtur in Imperatorum nummis, Martis Ultoris nomen.

MAT. Mater.

MAT. AVGG. MAT. SEN. MAT. PAT. Mater Augustorum Mater Senatus Mater Patriæ. Ut fœde blandirentur Juliæ Severi uxori, Caracallæ ac Getæ matri, tum in nummis, tum in lapidibus illius adulatores sculpserunt.

M. ATIL. Marcus Atilius.

M. ATILI. A. F. CALATIN. Marcus Atilius Auli Filius Calatinus. In argenteis nummis gentis Atiliæ.

M. ATIL. M. F. L. N. Marcus Atilius Marci Filius Lucii Nepos.

MAT. MAT. Matri Matutæ. *Manutius*. De qua in nota proxime sequenti.

MAT. P. FEC. ET. S ET. S. P. Q. E. Mater Pussima Fecit Et Sibi Et Suis Posterisque Eorum. *Probus*.

MATR. Matralia, *Manutius. Gruterus. Rosinus.* Si in Kalendario Romano. Celebrabantur Matralia Romæ a matronis, in honorem Matris Matutæ. Ideo *Festus*, *Matralia*, *Matris Matutæ festa* esse scripsit. Matrem vero Matutam antiquos, ob bonitatem appellasse notat Paulus in Festo, his verbis: *Mater Matuta, manes, mane, matrimonium, materfamilia, matertera, matrices, matrices dictæ videntur, ut ait, Verrius, quia sunt bonæ.* Hanc Ino fuisse, Cadmi filiam, ex *Ovidio* observat *Rosinus Antiquit. Roman. lib.* 2. *cap.* 19. qui multa de hac Dea ibidem memorat. Matronæ, servis exclusis, Matutæ sacrum celebrabant tertio idus Junii, qui ejusdem mensis dies undecimus; eratque nefastus, libo in testa cocto oblato, ut ex *Varrone de Ling. Lat. lib.* 4. his constat: *Testatium, quod in testa calida coquebatur, ut etiam nunc Matralibus faciunt matronæ.* Verum *Ovidius* de his omnibus fuse *Fastor. lib.* 6.

MAT. SS. Mater Suprascriptorum.

M. AVR. Marcus Aurelius. *Probus. Appianus. Lazius. Manutius.*

MAVR. CAES. Mauritania Cæsariensis. Mauritania duplex, Cæsariensis una; Tingitana altera. Cæsariensis, quæ mari mediterraneo alluitur, nomen accepit a Julia Cæsarea, urbe regia. Nunc in Regna *Algerianum & Tremesin* distincta. Tingitanum ad Oceanum occidentalem sita, a Tingi urbe primaria nomen mutuata est, quæ modo Regna *Fesse & Marochi* includit; at duæ istæ amplæ provinciæ, communi nomine *Barbaria* appellantur.

M. AVRELI. Marcus Aurelius. In gemis Aureliæ nummis argenteis.

MAVRITAN. CAES. Mauritania Cæsariensis.

M. AVR. M. F. FAB. Marcus Aurelius Marci Filius Fabia. Fabia hic nomen est Tribus, quæ sicuti nomen gentilitium semper sequitur, interpositis aliquando patris atque avi prænominibus; ita cognomina anteit.

MAVRIC. Mauricius. *Saramas. Manutius.* Quod nomen utique inter antiqua saxa, sicuti nec ejusdem notam, locum minime habere opinor.

MAX. Maximus. Omnes notarum explicatores, si viri cognomen indicet.

Maxima. Si mulierum. De maximi cognominis origine hæc *Hist. lib.* 2. *T. Livius: Q. Fabius & P. Decius Censores facti. Fabius simul concordiæ causa, simul ne humillimorum in manu comitia essent, omnem forensem turbam excretam, in quatuor tribus conjecit, urbanasque eas appellavit; adeoque eam rem acceptam gratis animis ferunt, ut Maximi cognomen, quod tot victoriis non pepererat, hac ordinum temperatione pareret.* Cognomen istud, quod magnum ob decus, Fabiis omnibus fere in usu fuit, ab aliis gentibus Romanis etiam usurpatum, *in Cognominum Indice Glandorpius* notat, nempe ab Artoriis, Cæsoniis, Carviliis, Claudiis, Juniis, Laberiis, Manliis, Pupienis, Trebelliis, Valeriis.

MAX. CS. Maximus Cæsar. *Ms. Rhodii. Magno. Papias. Manutius.*

MAX. ET. VRB. COS. Maximo Et Urbano Consulibus. In Roma subterranea. Maximus & Urbanus consulatum gesserunt, Imperii Alexandri Severi anno duodecimo, Urbisque conditæ, juxta Panvinianos Fastos, DCCCCLXXXVII. Observandum tamen, quod consulatus Maximi sanè alius, secundus a Cassiodoro, a Cuspiniano tertius,

tius, atque a Fastis Græcis quartus dicitur, ex *Comment. in lib. 2. Fastor. Panvinii.*

MAX. POT. Maximæ Potestatis. *Manutius.*

Maximus Pontifex. *Diaconus. Ms: Rhodii. Magno. Papias. Manutius.*

MAX. SEN. Maxima Senectute. *Manutius.*

MAXX. Maximi. De duobus. *Manutius.*

M. B. Memoriæ Bonæ. Merenti Bene. In sepulcralibus aliquando.

Mulier Bona. *Probus. Ms: Zabarella. Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius.*

Municipii Bergomatium. *Scaliger.* Ubi de hoc Municipio fit mentio.

W. B. Mulier Bona. *Probus. Sarainas. Manutius.*

M. BARBAT. Q. P. Marcus Barbatus Quæstor Proprætore. *Ursinus.* In nummis argenteis gentis Antoniæ, cum Valeria communibus.

M. BAEBI. Q. F. TAMPIL. Marcus Bæbius Quinti Filius Tampilus. In nummis argenteis gentis Babiæ.

M. B. M. Matri Bene Merenti. In cippis sepulcralibus parentum.

Mensam Bonæ Memoriæ.

Monumentum Bene Merenti. In sepulcralibus.

M. B. M. F. Marito Bene Merenti Fecit, *vel* Matri, *aut* Mulieri. Monumentum scilicet. In sepulcralibus conjugatorum, vel parentum, aut alicujus mulieris.

M. C. Marcus Calpurnius. Marcus Cato. *Probus. Trebellius. Manutius.*

Marcus Censor. Marcus Cicero. *Probus. Ms: Zabarella. Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius.*

Mater Caji. *Angelonus.*

Memoriæ Caussa. In sepulcralibus.

Mille Centum. Si numeri locum habeant notæ.

Monumentum Condidit. *Probus. Sarainas. Appianus. Lazius. Brissonius. Manutius.*

Monumentum Consecravit. *Probus. Appianus. Lazius. Manutius.*

Monumentum Confectum. *Sarainas.*

Monumentum Constituit. *Probus. Manutius.*

Monumentum Curavit. In sepulcralibus.

Mortis Caussa. *Papias.*

Municipi Conobacensi. *Manutius.*

MC. Mancipatio. *Papias.*

Mancipio. *Probus. Diaconus. Manutius.*

Mihi. *Ms: Rhodii. Sarainas. Manutius.*

Mille Centum. Si numeri nota sit.

MC. Mancipium. *Magno.*

M. CAECIL. Q. F. Q. N. Marcus Cæcilius Quinti Filius Quinti Nepos. In nummis argenteis gentis Cæciliæ.

M. CAL. Marcus Calidius. In nummis argenteis gentis Calidiæ.

M. CAL. I. Municipium Calagurris Julia. *Augustinus.* De hac civitate dictum littera C. ubi de Calagurritana Colonia.

M. CALID. Marcus Calidius. In nummis argenteis gentis Calidiæ, cum Flavia communibus.

M CALPVRN. L. F. Marcus Calpurnius Lucii Filius. In nummis argenteis gentis Calpurniæ.

M. C. D. Memoriæ Caussa Dedit. *Gualiberius.*

Memoriæ Caussa Donatum. *Scaliger.* In sepulcralibus.

M. C. F. Memoriæ Caussa Factum. In sepulcralibus saxis, cum sequentibus.

Mortis Caussa Fecit. Mortis Caussa Fuit. *Diaconus. Manutius.*

Monumentum Curavit Faciundum, *vel* Fieri.

M. C. I. Municipium Calagurris Julia. *Occo in Tiberio.* Ubi hujus municipii fit mentio.

M. CIC. Marcus Cicero. *Probus. Manutius.*

M. CIPI. M. F. Marcus Cipius Marci Filius. In nummis argenteis gentis Cipiæ.

M. ɔ. L. Marci Conlibertus. In libertorum notis.

M. CLAVD. M. F. MARCEL. Marcus Claudius Marci Filius Marcellus. In nummis argenteis gentis Claudiæ, plebejæ tamen; nam Marcelli plebeji fuerunt. Marcelli cognomen in Marco Claudio Marcello, hisce verbis, explicat Plutarchus: *Primo ei ex ea familia Marcelli cognomen fuit, quod auctore Possidonio, a Marte deductum, Bellicosum significat.* Ad quæ *Sigonius de Nomin. Roman.* addit: *Puto autem Marcellum dictum esse, quasi Martellum, idest, parvum Martem.* Christianus vero *Bechmannus de propria Signific. Vocum*, Marcellum dictum vult, *quasi arcentem malum & quasi maria percellentem.* Quidquid vero sit de hujus cognominis etymologia, licet in plebeja gente Claudia gloriosum adeo fuerit, ut eo omnes constantissime usi sint, nihilominus & Asinus commune fuisse monet *Glandorpius in Cognomin. Indice*, necnon Eppiis, Graniis, Mindiis, Noniis, Pomponiis, Quintiliis, Variis, Vectiis & Ulpiis.

M. C. M. Memoriæ Caussa Manumissus. *Diaconus. Manutius.*

Mortis Caussa Manumissus. *Probus Ernstii.*

MCM. Mecum. *Ms: Rhodii. Sarainas. Manutius.*

M. COH. Miles Cohortis. *Scaliger.*

M. COMM. ANT. AVG. BRIT. Marcus Commodus Antoninus Augustus Britannicus.

M. COMM. ANT. P. BRIT. Marcus Commodus Antoninus Pius Britannicus.

M. COMM. ANT. P. FELIX. AVG. BRIT. P. P. Marcus Commodus Pius Felix Augustus Britannicus Pater Patriæ. Ita in nummis ejus denominatus est Commodus Imperator.

M. CORN. C. F. C. N. Marcus Cornelius Caji Filius Caji Nepos. In nummis argenteis gentis Corneliæ.

M. C. P. Maceria Centum Pedum. *Sarainas. Manutius.*

Memoriæ Caussa Posuit. *Scaliger.*

Monumentum Curavit Ponendum. In sepulcralibus.

M. CRAS. P. F. Marcus Crassus Publii Filius. In nummis argenteis gentis Liciniæ, in qua Crassi cognomen, a forma corporis deductum celebre fuit; non tamen ejusdem gentis proprium fuit, sed commune Calphurniis, Claudiis, Fontejis, Otaciliis & Papiriis, teste *Glandorpio in Cognomin. Indic.*

M. CS. Marcus Cæsar. *Diaconus. Probus Ernstii. Ms: Rhodii. Magno. Papias. Manutius.*

M. C. T. Mala Conjux Tua. Mali Caussa Tui. Monumentum Curavit Testamento. Mulieris Caussa Tuæ. *Manutius.*

M. C. V. Manu Consertum Vocavit. *Probus Ernstii. Diaconus. Manutius.* Et ad has notas *Ernstius* ipse ad *caput Notar. Probi.*

Monumentum Curavit Vivens. In sepulcralibus.

M. D. Manibus Diis. *Ms: Rhodii. Sarainas. Manutius.*

Manu Divina. *Papias.*

Matri Deum, *vel* Dearum. In Deorum saxis.

Memoria Dignus. *Manutius.*

Merenti Dedit. Quandoque in sepulcralibus.

Militum Dacorum. *Scaliger.*

Monumentum Dedit, *vel* Dedicavit, *seu* Donavit. *Manutius.*

MD Mandatum. *Papias.*

M. D. D. Merce Deductus. *Manutius.*

Monumentum Dedicavit, *vel* Dono Dedit.

M. D. H.

M. D. H. Mandavit Dari Hoc. Mortis Domus Hæc. *Manutius.*

M. D. H. A. Mandavit Dari Hoc Augustus. *Manutius.*

M. DIG. Memoria Dignus. Mercede Dignus. Morte Dignus Mulier Digna. *Manutius.*

M. D. M. Magnæ Deum Matri. *Pignorius. Zabarella.* In votivis & Dis dedicatis lapidibus. Cur Magnam Deum Matrem, Matremque Idæam vocarint Cybelen antiqui, docet *Albericus Philosophus de Deor. Imaginib.* fusius tamen *Lilius Gregorius Gyraldus Hist. Deor. Syntag.* 4.

M. D. M. I. Magnæ Deum Matri Idææ. *Scaliger.* In Deorum saxis, eum infrascriptis.

Magnæ Deum Matri Isidi. *Augustinus. Gualtherius.*

M. D. M. ID. Magnæ Deum Matri Idææ. *Manutius.*

M. D. M. SACR. Magnæ Deum Matri Sacrum.

M. D. O. Mihi Dare Oportet. *Probus. Diaconus. Manutius.*

M. D. SVO. FEC. Monumentum De Suo Fecit. *Manutius.* In sepulcralibus.

M. E. Memoriam Erexit. *Scaliger.* In sepulcralibus.

Mortuus Est. *Manutius.* In saxis mortuorum.

ME. Mecum. *Gratiosus.*

Meis. *Saraينas. Manutius.*

Menses.

Meus. *Gratiosus.*

M. Molestus. *Diaconus.*

MECV. Mecum. In Roma subterranea.

MED. Medicus. Medius. Medicus cognominatus fuit L. Aurelius Verus Imperator, Media devicta, ut ex monumentis & potissimum ex hoc *pag.* 253. 2.

MEDIC. COH. VI PR. Medicus Cohortis Sextæ Prætoriæ. Legiones & Cohortes suos habuisse medicos, ad Militum curam, non est qui nesciat.

MED. OCVLAR. Medicus Ocularius. Medici antiquitus in familia urbana, teste *Pignorio de Servis*, censebantur. Ocularii vero solos oculos curabant. Scribonii quippe Largi testimonio, *Epistola ad C. Julium Calixtum*, ævo suo, unius partis sanandæ scientia præditi, plenum medicorum meruerunt nomen, inter quos Ocularii non infimi.

MEDITR. Meditrinalia. *Manutius. Gruterus. Rosinus. Meditrinalia, dies dictus a Medendo; quod, ut Flaccus Flamen Dialis dicebat, hoc die solitum vinum novum & vetus libari, & degustari, medicamenti caussa. Quod facere solent etiam nunc multi, cum dicunt, Novum vetus vinum libo: novo veteri morbo medeor.* Scripsit *Varro de Ling. Lat. lib.* 5. quibus addit Festus: *A quibus verbis, etiam Meditrina Dea nomen captum, ejusque sacra Meditrinalia dicta sunt.* Hujus solemnitatis dies celebratur quinto Idus Octobris, qui ejus mensis erat undecimus.

M. EGN. Marcus Egnatius. In nummis æreis gentis Egnatiæ.

MEL. COH. IIII. PRAE. Miles Cohortis Quartæ Prætoriæ. Suspicor tamen mendum in nota MEL. loco MIL.

M E. M. Mortua Est Mulier. *Manutius.*

Municeps Ejus Municipii. *Probus, Saraينas, Appianus, Lazius. Manutius.*

Municeps Ejus Municipii. *Manutius.*

M. E. M. D. D. E. Municipibus Ejus Municipii Dare Damnas Esto. *Probus. Saraينas. Appianus.* Hæ notæ in legibus & plebiscitis antiquorum observabantur; sed præcipue in eorum monumentis, in quibus aliquis Municipibus suis quotannis aliquid legaverat.

MEN. Menenia. Tribus scilicet.

Mentina Tribus. Trinagius. Verum male apud eundem, atque alios, qui cum eo sentientes, pro Menenia tribu, Mentinam legunt, ut mox ostendam.

MENEN. Menenia. Tribus. *Panvinius. Brissonius. Scaliger.* Hanc Tribum, Meneniam, non Mentinam nuncupandam monet *Panvinius lib.* 2. *Descript. Civit. Roman. Menenia Tribus, quæ ex hoc corrupto Josephi loco, Antiquitatum lib.* 13. *L. Manlius L. F. Menenia in Mentinam se transformaverat, nunc demum, vetusta inscriptionis auxilio, qua Feltriæ extat, prope Ecclesiam Cathedralem, pristino splendori restituta est. Inscriptio autem talis est:*

C. FIRMIO. C. F
MENEN. RVFINO
EQ. PVB. LAVREN
LAV. DEC. FLAMIN
PATRONO. COLLE
GIORVM. FAB. CENT
DENDR. FELTRIAE
ITEMQVE. BER. VENS
COLLEG. FABR. ALTI
NATIVM. PATRONO

Cæterum hanc Tribum a gente Menenia, eo scilicet tempore, quo ipsa Romæ floruit, denominatam, tradit *Panvinius* loco citato.

MENS. Mensam.

Menses. *Probus Ernstii. Manutius.*

Mensibus. *Probus.*

MENSES. VNDECI. DIES. DODICI. Menses Undecim Dies Duodecim. In Romæ Subterraneæ hoc monumento *T.* 1. *lib.* 3. *cap.* 22.

OLIMPIVS. BIXIT. AN
NOS. TRES. MENSES. VN
DECI. DIES. DODICI
IN. PACE

MENSIS. SEPTE. Menses Septem. In Roma Subterranea *T.* 1. *lib.* 3. *cap.* 22.

PAVLINVS. ROMANO
IN. PACE. QVI. VIXIT. ANN. III
ET. MENSIS. SEPTE

M. EOR. Mater Eorum. *Manutius.*

M. EQ. Magister Equitum *Lazius. Manutius.* Sæpe in Fastis, post Dictatoris nomen.

MER. Mercator. Mercurio. *Manutius.*

Mercurius. *Saraینas.*

MERC. Mercator. Mercatus. Mercurio. *Manutius.*

Mercurialis. In Sacerdotum Monumentis, quod & aliquando expressum.

MERC. ET. AVG. Mercurialis Et Augustalis, Hoc est, Sacerdos.

MERC. SAC. Mercurio Sacrum.

MERCVR. AVG. SACR. Mercurio Augusto Sacrum. In Deorum lapidibus Antiqui, Deorum, Dearumve nominibus, Augusti, seu Augustæ addebant epitheton, in adulationem summarum potestatum, quas Diis æquare consueverant; & cum Diis suis supplicare videri vellent, simul Augustos suorum temporum adorare & colere. Ita *Thomas Reinesius In Epistolis.* Hinc Deos suos Imperatoribus aspectu similes efformabant, ut abunde confir-

mat Hercules ille æneus Commodianus, qui adhuc hodie Romæ Commodi vultu visitur.

MERCVR. R.
MERCVR. RED. } Mercurio Reduci. In votivis lapidibus, in quibus vota, pro felici reditu nuncupata, solvebantur. Sic *Fortunæ Reduci. Neptuno Reduci*, videre est in Imperatorum numismatibus plerisque & antiquis saxis.

MERCVRIS. Mercurii. Diei scilicet. In Roma Subterranea.

MERETI. *Pro* Merenti. In Roma Subterranea.

MERK. Mercatus. Mercurialia. *Goltzius.* Ambigunt siquidem, *In Thesaur. Antiquit. Gruterus In Monumentis*, & *Rosinus Antiquit. Roman. lib. 4. c. 9.* circa hanc notam, utrum scilicet Mercatus, seu Mercurialia, sint intelligenda; neque de hoc quicquam certi statuunt, nisi quod, sive Mercatus, sive Mercurialia, durabant a die pridie Idus Julii, qui mensis illius decimus quartus, usque ad decimum quartum kalendas Sextilis, qui Julii decimus nonus; erantque isti dies omnes Comitiales. Mercatus quinetiam, seu Mercurialia celebrabantur iterum duodecimn kalendas Octobris, qui dies Septembris vigesimus, atque per triduum, ut ex Kalendario patet.

MERK. D. Mercedonius Dies. *Probus Ernstii.* Mercedonius dies idem ac Mercedinus, ut videtur *Lilio Gyraldo de Ann. & Mens.* qui & intercalaris. Dies, vel menses interjecti, ut Lunæ tempus Soli congrueret, intercalares vocati. Hos & Mercedinos dictos Plutarchus notat *in Numa*, ut & *in Julio Cæsare*, ubi, pro Mercedino, Mercedonius legitur. De hoc die fuse, ac scite *Julius Cæsar Scaliger de Emendat. Tempor. 2. & 4.*

MER. S. Mercurio Sacrum. *Probus. Ms: Zabarella. Sarainas. Manutius.*

MER. AN. XXXVIIII. Meruit Annis Trigintanovem. Meruit, hoc est, militavit, vel stipendia confecit; siquidem, qui antiquitus militabat, stipendia merebat. Hoc tamen notatu dignum censeo, inter tot antiqua militum saxa a *Grutero* collecta, istud solum a me hucusque observatum, cui pro *militavit*, *meruit*, insculptum sit, habeturque *pag. 520. 3.*

C. ANNIVS. C. F. POM. GALLLVS
DOMO. ARRETIO. Ɛ. LEG. IIII
SCHYTH. MILITAVIT. IN
PR. AN. XVII.
EVOC. AN. II
Ɛ. IN. LEG. IIII. SCHYTIC
AN. XVIIII. VIXIT
AN LX. MERV. AN. XXXVIIII
H. S. E. ATIMETVS. L
EX. TESTAMENTO. F. C.

MES. Menses.

Mesius. *Angelonus.*

MES. APR. Mensis Aprilis. *Probus. Manutius.*

MES. AVG. Mensis Augusti. *Probus. Manutius.*

MES. DEC. Mensis December. *Probus. Manutius.*

MES. F.
MES. FEBR. } Mensis Februarius. *Probus Manutius.*

MES. I.
MES. IAN. } Mensis Januarius. *Probus. Manutius.*

MESIBVS. Mensibus. Roma Subterranea.

MES. IVL. Mensis Julius. *Probus. Manutius.*

MES. IVN. Mensis Junius. *Probus. Manutius.*

MES. MAI. Mensis Majus. *Probus. Manutius.*

MES. MAR.
MES. MART. } Mensis Martius. *Probus. Manutius.*

MES. NOV. Mensis November. *Probus. Manutius.*

MES. OCT. Mensis October. *Probus. Manutius.*

MES. Q.
MES. QVINCT. } Mensis Quinctilis. *Probus. Manutius.*

MESS. Meoses.

MES. SEPT. Mensis September. *Probus. Manutius.*

MES. SEX.
MES. SEXT. } Mensis Sextilis. *Probus. Manutius.*

MET. Metius. *Probus. Manutius.*

M. ET. Ɔ. L. Marci Et Cajæ Liberta, *vel* Libertus.

MEVAN. NAT. Mevania Natus. Mevania, urbs olim, oppidum nunc satis amplum in Umbria, ad Clitumnum flumen, in via Flaminia, vulgò *Bevagna*, Propertii natalibus illustris, qui eam mirum in modum suis carminibus commendavit.

ME. V. D. XX. Mecum Vixit Dies Viginti.

M. F. Malæ Fidei. *Diaconus. Manutius.*

Mala Fides. *Manutius.*

Mala Fide. *Diaconus. Papias. Manutius.*

Marci Filius. Omnes expositores, succedentibus duabus istis litteris nomen gentilitium viri.

Marci Filiæ. Si mulieris nomen gentilitium sequatur.

Male Fidus. *Diaconus. Papias. Sarainas. Manutius.*

Me Fecit. *Sarainas.*

Mera Fides. Mihi Fecit. Monumentum Fecit. *Manutius.*

Mucii Filius. *Sarainas. Manutius.* Quibus tamen non assentior, cum filii vox prænomini, non autem nomini gentilitio antiquitus addita fuerit. Mucium vero gentilitium esse nomen omnibus compertum est.

M̄. F. Male Fidus. *Ms: Rhodii.*

MF. Maleficus. *Magno.*

Manifestum. *Papias.*

Manifesto. Manifestus. *Probus Ernstii.*

M. FA. Mala Familia. *Manutius.*

Marcus Fabius. *Probus. Manutius.*

M. FABI. C. F. Marcus Fabius Caji Filius. In nummis argenteis gentis Fabiæ.

M. FABRIN. Marcus Fabrinius. In nummis æreis gentis Fabriniæ.

M. F. A. N. Marci Filius Auli Nepos.

M'. F. A. N. Manii Filius Auli Nepos.

M. FAN. C. F. Marcus Fanius Caji Filius. In nummis argenteis gentis Faniæ.

M. F. AP. N. Marci Filius Appii Nepos.

M'. F. AP. N. Manii Filius Appii Nepos.

M. F. C. Memoriam Fieri Curavit. *Scaliger.*

Merenti Faciendum Curavit. *Manutius.*

Monumentum Fieri Curavit. *Manutius.*

M. F. C. N. Marci Filius Caji Nepos.

M'. F. C. N. Manii Filius Caji Nepos.

M. F. CN. N. Marci Filius Cnæi Nepos.

M'. F. CN. N. Manii Filius Cnæi Nepos.

M. F. D. N. Marci Filius Decimi Nepos.

M'. F. D. N. Manii Filius Decimi Nepos.

M. F. ET. REST. Memoriam Fecit Et Restituit.

MF. F. Manifestum Fecit. *Probus. Diaconus. Papias.*

M. F. I. Monumentum Fieri Instituit.

Monumentum Fieri Jussit. *Manutius.*

.M. FI.

M. FI. Mala Fide. *Sarainas. Manutius.*
Male Fidus. *Probus Ernstii.*
M. FI. Mala Fide. *Magno.*
M. FID. P. Malæ Fidei Possessor. *Papias.* Occurruntque hæ notæ in Legibus & Plebiscitis antiquorum; vel hæ solæ M. F. P.
M. FI. P. Malæ Fidei Possessor. *Magno.*
M. F. K. N. Marci Filius Kæsonis Nepos.
M'. F. K. N. Manii Filius Kæsonis Nepos.
M. F. L. Monumentum Fieri Licebit. *Probus Ernstii.*
MF. L. Manifestus Locus. *Magno. Papias.*
M. FLAC. Marcus Flaccus. In nummis argenteis gentis Fulviæ.
M. F. L. N. Marci Filius Lucii Nepos.
M'. F. L. N. Manii Filius Lucii Nepos.
M. F. MAM. N. Marci Filius Mamerci Nepos.
M'. F. MAM. N. Manii Filius Mamerci Nepos.
M. F. M. N. Marci Filius Marci Nepos.
M'. F. M'. N. Manii Filius Manii Nepos.
M. F. N. N. Marci Filius Numerii Nepos.
M'. F. N. N. Manii Filius Numerii Nepos.
M'. FONTEI. Manius Fontejus. In nummis argenteis gentis Fontejæ.
MF. OPP. Manifestum Oppidum. *Diaconus. Magno. Papias. Manutius.*
M. FVRI. L. F. Marcus Furius Lucii Filius. In nummis argenteis gentis Furiæ.
M. F. P. Malæ Fidei Possessor. *Probus. Diaconus. Sarainas. Manutius.*
* Mater Filio Posuit.
Monumentum Fecit Publice. *Sarainas. Manutius.*
M. F. P. N. Marci Filius Publii Nepos.
M'. F. P. N. Manii Filius Publii Nepos.
M. F. Q. N. Marci Filius Quinti Nepos.
M'. F. Q. N. Manii Filius Quinti Nepos.
M. F. SER. N. Marci Filius Servii Nepos.
M'. F. SER. N. Manii Filius Servii Nepos.
M. F. SEX. N. Marci Filius Sexti Nepos.
M'. F. SEX. N. Manii Filius Sexti Nepos.
M. F. SP. N. Marci Filius Spurii Nepos.
M'. F. SP. N. Manii Filius Spurii Nepos.
MFFI. F. Manifesti Furti. *Magno.*
M. F. TI. N. Marci Filius Tiberii Nepos.
M'. F. TI. N. Manii Filius Tiberii Nepos.
M. F. T. N. Marci Filius Titi Nepos.
M'. F. T. N. Manii Filius Titi Nepos.
ME. TR. Manifestum Territorium. Manifestum Titulum. *Manutius.* At in voce *Titulo*, mihi suspecta Manutii expositio: nam R. litera nihil cum eo habet commune, quin potius notæ Diaconi proxime sequenti est accommodata.
MF. TT. Manifestum Territorium. Manifestum Titulum. *Diaconus.*
M. FVL. Marcus Fulvius. *Angelonus.*
M. FVL. Q. F. FLAC. Marcus Fulvius Quinti Filius Flaccus.
M. FVLVI. M. F. Marcus Fulvius Marci Filius. In nummis argenteis gentis Fulviæ.
M. Fy. Mala Fide. *Ms: Rhodii.*
M. Fy. P. Malæ Fidei Possessor. *Ms: Rhodii.*
MG. Magis. *Magno. Manutius.*
Magister. *Papias. Sarainas. Manutius.*
M. GEL. Marcus Gelius. *Augustinus.*
M. G. L. Q. Magno Gaudio Locavit Quietorium. *Manutius.*
Memor Gratus Libertatis Quæsitæ. *Rubeus.* Cui lubens accederem, in hoc lapide votivo *pag.* 1010. 8.

SOLI DIVINO
L. APISOCIVS. SVCCISVS
PRO. SE. ET. PRO. PATRONIS
M. G. L. Q.

Nisi forte melius:
Merito Gratias Libens Quæsivit.
MG. M. Magister Militum. *Papias.*
MG. MV. Magister Munerum. *Manutius.*
MGN. PIVS. IMP. Magnus Pius Imperator. In nummis æreis gentis Pompejæ, Magno Pompejo sculis.
MGRA. Magistra. *Manutius.*
M. H. Magnus Homo. *Probus. Ms: Zabarelæ. Sarainas. Manutius.*
Malus Homo. *Probus. Papias. Manutius.*
Mala Bona. Mandavit Hoc. Monumentum Hoc. Mortis Hora. Mulier Honesta. *Manutius.*
M. H. AD. H. N. T. Monumentum Hoc Ad Heredes Non Transit. *Manutius.* In sepulcralibus lapidibus, monumenta non esse hereditaria significantibus.
M. H. E. Mihi Heres Erit. *Probus. Diaconus. Manutius.*
Mihi Heres Esto. In antiquorum testamentorum tabulis.
Monumentum Hoc Est. *Manutius.*
M. HF. E. F. ET. N. Mihi Heredes Erunt Filii Et Nepotes. *Gratiosus.*
M. HEL. Marcus Helvius. *Augustinus.*
M. H. E. N. R. Mala Hora Eorum Nuptiæ Relatæ. Monumento Hoc Est Nepos Regis. *Manutius.*
Monumentum Hoc Exterum Non Recipit. Monumentum Heredem Extraneum Non Recipit. In sepulcralibus cippis, a quibus exteri Heredes excludebantur.
M. HERENNI. Marcus Herennius. In nummis argenteis gentis Herenniæ.
M. H. EX. N. R. Monumentum Heredem Exterum Non Recipit.
Monumentum Hoc Exteros Non Recipit. *Manutius.*
M. H. EX. T. H N. S. Monumentum Hoc Ex Testamento Heredes Non Sequuntur. In monumentis propriis, a quibus heredes arcebantur.
M. H. F. C. Monumentum Heres Faciundum Curavit. Monumentum Hic Fieri Curavit. Monumentum Hic Faciundum Curavit, *vel* Hoc. *Manutius.*
M. H. H. S. Monumentum Hoc Heredes Sequuntur. *Manutius.*
Monumentum Hoc Heres Sequitur. In monumentis Hereditariis, in quibus quandoque Heres monumentum sequebatur, & quandoque monumentum heredem.
M. H. H. N. S. Monumentum Hoc Heres Non Sequitur. In non hereditariis monumentis.
M. H. N. S. Monumentum Heres Non Sequitur. *Manutius.*
M. HO. Malus Homo. *Magno.*
M. H. P. Memoriam Hanc Posuit. Monumentum Hoc Posuit. *Manutius.*
M. H. S. F. Monumentum Hoc Sibi Fecit, *vel* Suis. In monumento hoc Patavino:

T. LVCILLVS
T. L. APTVS
M. H. S. F

M. H. S. M. Mala Hora Sumpsit Moram. Mandavit Hoc Sibi Mater. Mater Hic Sunt Mortua. *Manutius.* Nisi in hac ultima explicatione, *Sua*, vel *Sum*, potius sit legendum.
Memoriam Hanc Sibi Mandavit. Monumentum Hoc Sibi Mandavit. Aliquando in sepulcralibus cippis post mortem alicujus, jussuque ejus erectis.
M. I. Matri Idææ.

Maximo Jovi. *Probus. Ms: Zabarella. Sarainas. Manutius.* In votivis & Diis dedicatis lapidibus.
Monumentum Instituit.
Monumentum Jussit. *Manutius.*
Mulier Improba. *Manutius.*
MI. Mihi. *Probus. Papias. Gratiosus.*
Miles. *Probus. Gratiosus.*
Militavit.
Mi. Mihi. *Magno.*
M. Mihi. *Diaconus. Ms: Rhodii.*
M.I.F.PETIT. Militiæ Jus Filiis Petitori. *Scaliger.* In hoc Romano monumento legit *pag* 531. 9.

D. M
M. AVR. M. F. SECVNDINO. VET. AVG
N. EX. COH. III. PR. M. I. F. PETIT. EX
PANNONIO. AELIA. VALENTINA
SOROR. ET. AVR. SECVNDVS. FILIVS
HEREDES. BENEMERENTI. FECERVNT

MIICVM. Mecum. *Diaconus. Manutius.*
MIIS. Menses Mensibus. *Diaconus. Manutius.*
MIIS. VII. DIIIB. XI. Mensibus Septem Diebus Undecim. Duplici II. pro E usurpato.
MIL. Miles. Omnes explicatores ubique in militum saxis, ut &
Militavit.
Militum. *Sarainas. Manutius.*
Millia. *Probus. Manutius.*
MIL. AL. Miles Alæ. Miles Alarius.
MIL. CLASS. Miles Classis Miles Classicus.
MIL. CL. PR. RA. Miles Classis Prætoriæ Ravennatis. *Manutius.*
MIL. CCH. Miles Cohortis.
MIL. COH. X. IV. VRB. Miles Cohortis Decimæ Juventutis Urbanæ. *Trinagius.*
MIL. COH. XI. VRB. Miles Cohortis Undecimæ Urbanæ. Prætorianos milites eosdem ac Urbanos, ex Herodiano in Severo facile est cognoscere. *Datis itaque clam ad Tribunos Centurionesque litteris, hortatur, multa pollicitus, Persuadeant militibus Urbanis, ut sibi dicto audientes sint.* Fueruntque hi Prætoriani illi, qui Pertinacem interfecerunt, quosque per ignominiam Severus exautoravit, ut apud eundem patet.
MIL. DVPL. Miles Duplarius De Duplariis militibus dictum satis littera D. nota DVPL. ALAE.
MIL. FRV. / MIL. FRVM. } Miles Frumentarius. De Frumentariis militibu, & quid esset Frumentarius legionis, actum littera F. nota nota FR.
MIL. IN. COH. Militavit In Cohorte. *Scaliger.*
MILIT. Militari. *Erizius.*
Militaribus. Militavit. Milites. *Manutius.*
Militum. *Goltzius.*
MILITAVET. *Pro* Militavit. In Roma subterranea.
MILITI. CL. PR. ANTONINIAN. RAVENN. Militis Classis Prætoriæ Antoninianæ Ravennatis. Nam ut adularetur Antoninis, quandoque Classis Ravennatis Antoninianæ cognomen miles accepit, licet Augustum auctorem habuerit.
MILITI. CL. PR. MIS. militi Classis Prætoriæ Misenatis.
MIL. K. PR Miles Cohortis Prætoriæ.
MIL. LEG. Miles Legionarius. *Probus.*
Miles Legionis.
MIL. LEG. SS. Miles Legionis Suprascriptæ.
MIL. LEG. SS. B-F. PRAEF. Miles Legionis Suprascriptæ Beneficiarius Præfecti. In militaribus.

MIL. I. SS. Milites. *Gutherius.*
MILSS. Milites.
MIL. SS. Miles Suprascriptus.
MIL. SV. TR. PL. Militavit Sub Tribuno Plebis. *Gratiosus.*
MI. ME. H. DD. S. Mihi Meisque Hoc Dedicavit Sacellum. *Gratiosus.*
MI. ME. H. DD. S. Mihi Meisque Hoc Dedicavit Sacellum. *Gratiosus.*
Mihi Meisque Hoc Dedicavi Sepulcrum.
MIN. Minervæ.
Minieiæ. *Manutius.*
Minor. *Probus. Diaconus. Ms: Rhodii. Magno. Papias. Manutius.*
Minucia. Tribus scilicet. *Scaliger.* Dummodo nota in lapidibus locum Tribus habeat. Tribum hanc recenset *Panvinius lib. 2. Descript. Civit. Roman.* inter illas, quæ sociali bello additæ; nomenque a gente Minucia mutuatum re minime absurdum monet.
MIN. AVG. Minerva Augusta. In nummis Commodi.
MINER. FAVT. Minervæ Fautrici. In nummis Posthumi Tyranni.
MINER. P. F. Minervæ Piæ Felicis. Idest, Legionis. Ita *Manutius.* At si legionis nomen, Minervæ, utique legendum.
MINER. VICT. Minervæ Victrici. Sæpe in Imperatorum nummis.
MINERV. SANCT. Minervæ Sanctæ. In nummis Getæ.
M. INTER. Morte Interventus. *Probus. Manutius.*
MIN. VIC. Minervæ Victrici. In nummis Commodi.
MIRO. Mirobrigensis. Hoc est Domo Mirobriga, in saxis cum nota patriæ loco.
MIS. Missus. *Gualtherius.* In Palæstritarum cippis, pro eo *quem victum arena dimisit, Principis arbitrio.* Ita *Gualtherius cap.* 14. *Sicular. Tabular.* cui favet Siculum saxum *pag.* 334. 4.

FLAMMA. SIC. VIX. ANN. XXX
PVGNAT. XXXIIII. VICIT. XXI
STANS. VIIII. MIS. IIII. NAT. SVR
HVI. DELICATVS. COARMIO
MERENTI. FECIT

MISS. Missione. Misimus. Missis, *Sarainas. Manutius.*
MIT. Milites. *Probus Ernesti.*
M. I. V. Marcus Junius Valerius. *Scaliger.* Quem non improbo, quanquam duo monumenta gentilitia mihi suadeant legendum: *Marcus Junius Valens.*
M. IVNI. Marcus Junius.
M. IVNI. SILAN. Marcus Junius Silanus. In nummis argenteis gentis Juniæ.
M. IVVENTI. T. F. T. N. Marcus Juventius Titi Filius Titi Nepos. In nummis argenteis gentis Juventiæ.
MK. Moneta Karnutensis. *Santamantius.*
M. L. Mandandi Lege. Mandavit Lege. *Manutius.*
Marci Liberti. *Probus. Manutius.*
Marci Libertus. Omnes legunt, si litteræ nomen gentilitium sequantur.
Marcus Libertus. *Sarainas. Manutius.*
Merito Libens. Tum in votivis, tum in sepulcralibus.
Miles Legionis. *Manutius.* In monumentis militum.
Militis Locus. Omnes fere notarum explicatores.

Militum

Militum Locus. *Probus.*

Mille Quinquaginta. Missæ Litteræ. Monumenti Locus. Monumentum Legavit. Monumentum Liberti. Munere Libero. *Manutius.*

Mʼ. L. Manii Libertus.

ML. Maleficus Miles. *Diaconus. Manutius.*

Mille Quinquaginta. Multum. *Manutius.*

ML. Malum. *Papias.*

M LAETORI. PLANCIA N. Marcus Lætorius Plancianus. In nummis argenteis gentis Lætoriæ.

ML. B. M. CO. OP. Mulieri Bene Merenti Conjugi Optimæ. *Gratiosus.*

ML. CL. PR. RA. Miles Classis Prætoriæ Ravennatis. *Sarainas. Manutius.* Quod frequentissimum in illorum militum saxis, qui Ravennam prope, loco, a stationibus Classiariorum militum *Classis* dicto, degebant.

Multum Clemens Præsens Rarus. *Manutius.* Quod tamen nihil sapit antiquitatis.

M L. D. Merito Libens Dedicavit. In votivis.

Monumentum Liberto Decrevit. *Manutius.*

Monumentum Libens Dedit. In sepulcralibus, in quibus aliquando *Lugens* loco *Libens.*

M. L. D. D. Merito Libens Dedicavit, *vel* Dono Dedit. In votivis.

Monumenti Locum Dono Dedit. In sepulcralibus.

M. L. D. D. D. Monumenti Locus Datus Decreto Decurionum. In sepulcris publice, honoris gratia, assignatis.

M. LEP. C. REG. INST. Marcus Lepidus Civitatem Regii Instauravit, *vel* Civitatem Regensium. *Probus. Sarainas. Manutius.* Regium in Gallia Cispadana Marcum Æmilium Lepidum Triumvirum instaurasse, eique nomen Regii Lepidi dedisse, omnibus palam est.

M. LEPID. IMP. ITER. PRO. COS. III. VIR. R. P. C. Marcus Lepidus Imperator Iterum Pro Consul Triumvir Reipublicæ Constituendæ. In nummis argenteis gentis Æmiliæ M. Aimilio Lepido, cum Augusto & M. Antonio cusis.

M. LEPID. M. F. Marcus Lepidus Marci Filius. In ejusdem gentis Æmiliæ nummis argenteis.

M. LEP. L ARR. COS. Marco Lepido Lucio Arruntio Consulibus. Hi fuere M. Aimilius. L. F. Lepidus & M. Arruntius L. F. Nepos, qui consulatum gessere, juxta Panvinianam supputationem, anno V. C. DCCLVIII. a Christo nato septimo, Imperii Augusti quadragesimo octavo; qui tamen Arruntius non ita recte L. Arrius appellatur *in Indicibus Gruterianis cap.* 22.

M. LEP. L. NON. COS. Marco Lepido Lucio Nonio Consulibus. Horum duorum Consulum, quorum mentio in hac theatrali tessera apud *Gruterum pag.* 334. 8.

I N G E N V O S
A R R V N T I
SP. K. OCTOB
M. LEP. L. NON. COS

nusquam meminisse observo, nec *Cassiodorum*, neque *Fastos Siculos*, *Cuspinianum*, *Sigonium*, ac *Panvinium*, qui Verrii Flacci Fastos Consulares exhibent & expendunt. unde de eorum consulatus tempore, utique quicquam certi statuere non erubuerim; dummodo suffecti Consules non fuerint, de quibus nulla, aut rarissima eorum in Fastis notitia & mentio.

M. LEP. T. STAT. COS. Marco Lepido Tito Statilio Consulibus. Sunt isti M. Aimilius Mʼ. F. Lepidus & T. Statilius T. F. T. N. Taurus, qui ex Panvinii Fastis consulatum tenuerunt anno V. C. DCCLXIII. Christi XII. Imperii Augusti quinquagesimo tertio.

M. LIVI. M. F. Marcus Livius Marci Filius. In nummis argenteis gentis Liviæ.

M. LOLLI. M. F. Marcus Lollius Marci Filius. In nummis æreis gentis Lolliæ.

ML. PMO. Militum Primo. *Probus Ernstii.*

ML. PR. Miles Prætoriæ. *Manutius.*

Miles Prætorianus. Miles Prætorii.

Multum Præsens. Multum Primum. *Manutius.*

ML. Q. E. Melius Quicumque Erit. *Probus Ernstii. Diaconus. Manutius.*

MLS. Miles. *Papias. Manutius.*

MLT. Milites. *Diaconus.*

MLM. Multum. *Saramas. Manutius.*

MLTN. Multum. *Ms: Rhodii.*

MLTS. Milites. *Ms: Rhodii. Saramas. Manutius.*

M. LVCILI. RVF. Marcus Lucilius Rufus. In nummis argenteis gentis Luciliæ, cujus appellationem a Lucio prænomine desumptam tradit *Sigonius de Nomin. Roman.*

M. L. VII. G. F. Miles Legionis Septimæ Geminæ Felicis.

M. M. Magister Magistratus. Magister Militum. Magister Munerum. *Manutius.*

Magnæ Matri. *Zabarella.* In votivis & Deorum lapidibus.

Monumentum Marci. *Manutius.*

Mulier Mala. *Probus. Manutius.*

Municipium Mediolanense. *Scaliger.*

MM. Manumissum. *Papias.*

Marci duo. *Manutius.* Ubi de duobus, cum prænomine Marci.

Memoriæ. Meritissimo. *Scaliger.* In sepulcralibus.

Militem. *Probus. Diaconus. Manutius.*

Milites. *Probus. Ms: Zabarella. Magno. Appianus. Lazius. Manutius.*

Militibus. Monumentum. *Sarainas. Manutius.*

MM. Matrimonium. *Magno. Papias.*

MM. A. Monumentum Accepit. *Probus Ernstii. Ms: Rhodii. Papias. Manutius.*

M. ACC. Monumentum Accepit. *Magno.*

M. MAN. Marcus Manilius. *Saramas. Manutius.*

Marcus Manlius. *Probus. Appianus. Lazius. Manutius.*

Mʼ. MANILI. Manius Manilius. In nummis æreis gentis Maniliæ, quam gentem a Manio prænomine denominatam prodit *Sigonius de Nomin. Roman.*

M. MAR. Marcus Marcellus. *Probus. Manutius.*

M. MARC. Marcus Marcellus. In nummis gentis Claudiæ plebejæ.

M. MARCEL. M. F. M. N. Marcus Marcellus Marci Filius Marci Nepos. In nummis argenteis ejusdem gentis.

M. MAX. M. F. Manius Maximus Marci Filius. In nummis argenteis gentis Valeriæ.

M. M. D. Matri Monumentum Dedit, *vel* Marito.

Matri Magnæ Deæ. Matri Meritæ Dat. *Probus Ernstii.*

Merenti Monumentum Dedit.

M. MESSAL. Mʼ. F. Marcus Messala Manii Filius. In nummis argenteis gentis Valeriæ. Messalæ cognomen sibi adeptus est Valerius ille, qui Messanam cœpit. *Macrobius Saturnal. Serm. lib.* 1. *cap.* 6. *Sic Messala tuus, Aviene, dictus cognomento Valerii Maximi, qui postquam Messanam Urbem Siciliæ*

Siciliæ nobilissimam cœpit, Messala cognominatus est. Quod cognomen postea ad Junios & Vipsanios pervenisse patet, ex *Indice Gland.*

M. M. ET. Ʒ. L. Marcorum Duorum Et Cajæ Libertus. *Scaliger.*

M. METTI. Marcus Mettius. In nummis argenteis gentis Mettiæ.

M. M. F. Marito Monumentum Fecit, *vel* Matri. Meritissimo Monumentum Fecit, *seu* Merenti. In sepulcralibus.

Mutius Marci Filius. *Diaconus. Manutius.*

MM. H. CON. PO. Monumentum Hoc Conjugi Posuit. *Gratiosus.*

M. M. HONOR. Meritissimus Memoriæ Honoratus.

M. MIL. Magister Militiæ. *Sarainas. Manutius.* Magister Militum. *Manutius.*

M. MINAT. SABIN. PR. Q. Marcus Minatius Sabinus ProQuæstor. In nummis argenteis gentis Minatiæ.

M. MINUC. P. F. Q. N. Marcus Minucius Publii Filius Quinti Nepos. In nummis argenteis gentis Minuciæ.

M. M. L. Marcorum Libertus. Duorum scilicet. *Scaliger.* Ex Saxo *pag.* 35. 5.

SOLI
INVICTO
M. AEMILIUS
M. M. L. CHRYSANTUS
MAG. ANNI. PRIMI. ET
M. LIMBRICIUS. POLIDES
DEC. ET. SODALITIO. EIUS
D. S. D. D

MM. L. Momenti Loco. *Magno.* Ubi forte legendum, *Monumenti Loco.*

Monumenti Locus. *Probus Ernstii. Diaconus.*
Monumentum Loci. *Ms: Rhodii. Sarainas.*

MM. LATN. Memoriam Latinorum. *Manutius.*
Memoriæ Latonæ. *Probus Ernstii, Diaconus. Manutius.*

MM. LE. Memoria Legatorum. *Probus Ernstii. Diaconus. Manutius.*

M. MM. More Majorum. *Probus Ernstii.*

M. M. M. LIB. Marcorum Libertus. Trium scilicet. *Scaliger.*

MMN. Matrimonium. *Probus Ernstii. Diaconus. Manutius.*

MMNII. Matrimonii. *Papias.*

M. M. P. Momentum Petit. *Magno.*
Monumentum Petit. *Diaconus. Papias. Manutius.*
Monumentum Posuit. *Diaconus. Ms: Rhodii. Manutius.*

M. M. P. Malo Mancipio Potestate. *Manutius.*
Manu Mancipio Potestate. *Calvinus.*
Marito Monumentum Posuit, *vel* Matri. Merenti Monumentum Posuit, *seu* Meritissimo. In sepulcralibus.

MM. RG. Memoria Regis. *Probus Ernstii. Diaconus. Gratiosus. Manutius.*
Monumentum Regis. *Manutius.*

M. MS. Manu Mancipis. *Papias.*
MMS. Manumissus. *Papias.*

M. M. M. V. Memoriæ Suorum Vivens. Monumentum Sibi Suis Vivens. Si constet notarum hujus Saxi explicatio *pag.* 918. 6.

M. M. S. S. V
MARILLI. FILIV

MM. T. Memento. *Sarainas. Manutius.*

Monumentum. *Magno.*
Monumentum. *Diaconus. Ms: Rhodii. Manutius.*

M. M. T. FEC. Marito Monumentum Titulum Fecit, *vel* Matri. Monumentum Memoriam Titulum Fecit, *vel* Testamento. Quarum explicationum quæ magis ad rem sit, judicet lector ex magno monumento *pag.* 1139. 13.

M. MUTIL. PR. P. Marcus Mutilus Proprætor. In nummis argenteis gentis Papiæ, Aproniæ communibus, ut ex *Goltzio* videre est, in Fastis ad annum V. C. DCLX. & DCLXI. Papiæ namque gentis cognomen Mutilus fuit, & ipsi quidem proprium, ut ex *Indice Glandorpiano* constat.

M. N. Marci Nepos. Semper in lapidibus, non tantum patris, sed avi prænomen habent.

Memoriæ Nostræ. *Manutius.*

Meo Nomine. *Probus. Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius.*

Millia Nummum. *Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius. Scaliger.* Cum duæ hæ litteræ Sestertii notam sequuntur.

M'. N. Manii Nepos.

M. N. Millia Nummum. *Probus. Ms: Zabarella. Manutius.*

MN. Municeps. Municipalis. *Passeratius. Laurentius.*

MNE. Moneta. *Sarainas.*
Monetæ. *Manutius.*

MNF. Manifestum. *Magno.*

MNF. L. Manifestus Locus. *Probus. Diaconus. Ms: Zabarella. Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius.*

MNM. Manumissum. *Diaconus. Papias. Manutius.*
Manomissus. *Probus Ernstii.*

MN. MN. Municeps. Municipalis. *Probus Ernstii. Diaconus. Manutius.*

MN. OPP. Manifestum Oppidum. *Probus Ernstii.*

MNR. Munera. *Ms: Rhodii.*

MNT. Moneta.

MN. TT. Manifestum Territorium. *Probus. Ernstii.*

M. O. Mani Optimæ. Matri Optimæ. *Manutius.*

MO. Modi. *Probus Ernstii. Papias. Manutius.*
Modo. *Probus Ernstii. Magno.*
Moneta Monumentum. *Probus Ernstii. Manutius.*
Mors. *Passeratius. Laurentius.*

MOD. Modia. *Sarainas.*

MON. AVG. Moneta Augusti. In nummis Commodi & Severi.

MONET. Monetæ. Junonis scilicet Monetæ, cujus ædis dedicatio celebrabatur Romæ, teste *Macrobio Saturnal. lib.* 1. *cap.* 12. Kalendis Junius.

MON. H. M. N. S. Monumentum Heredes Meos Non Sequitur.

MONIM Monimentum.

M. O. P. Marito Obsequens Posuit. *Probus. Ernstii.*

M. OPEIM. Marcus Opeimius. Opimius scilicet. In nummis argenteis gentis Opimiæ.

M. OPEL. SEV. Marcus Opelius Severus. *Sarainas. Manutius.* Macrinus Imperator, in aliquibus ejus nummis dictus.

M. OP. EL. SEV. Marcus Opimius Electus Severus. *Sarainas. Manutius.* Explicatio tamen mihi prorsus suspecta, ex interpunctione inter OP. & EL. quæ nulla esse debet.

M. P. Mortem Ponit. *Probus Ernstii. Diaconus.*

MORT. Mortuus. *Goltzius.*

M. OST. P. Moneta Ostiæ Percussa. *Sarainas. Manutius.*

M.P.

M. P. Male Positus. *Diaconus. Magno. Papias. Manutius.*

Male Posuit. *Probus Ernstii.*

Marcus Pacuvius. *Probus. Appianus. Lazius. Manutius.*

Mauro Pullo. *Panvinius de Lud. Circens.* Ubi lapidem equorum Circensium expendit, cui currentium equorum nomina cum suis coloribus insculpta videntur.

Maximus Princeps. *Probus. Manutius.*

Memoriam Posuit. *Rubens.*

Mensæ Posuit. *Probus. Manutius.* Nisi pro *Mensa*, *Mensam* legendum fuerit.

Mensam Posuit. *Appianus. Lazius. Manutius.*

Mensa Posita. *Sarainas. Manutius.*

Mille Passus. Millia Passuum.

Mœrens Posuit. *Rubens.*

Monumentum Posuit. *Manutius.*

Morte Punit. *Papias.* ni rectius, *Morte Punitus.*

Mulier Pessima. *Manutius.*

M. Male Positus. *Ms: Rhodii.*

W. P. Mulier Pessima. *Manutius.*

M.PA. Marcus Pacuvius. *Ms: Zabarella. Sarainas. Manutius.*

M.P.C. Memoriam Ponendam Curavit. Monumentum Ponendum Curavit. In sepulcralibus.

M. P.D. Majorem Partem Dici. *Probus Ernstii. Diaconus. Manutius.*

M.P.ſſ. Millia Passuum Duo. *Scaliger.*

M.PLAETOR.CEST. Marcus Plætorius Cestianus. In nummis argenteis gentis Plætoriæ, quæ, *Ursino* teste, eadem ac Lætoria.

M. PLAVTI.L.F. Marcus Plautius Lucii Filius. In nummis argenteis gentis Plautiæ.

M. P. M. Milliare Plus Minus. *Pighius.*

M.POBLICI. LEG. PROPR. Marcus Poblicius Legatus Pro Prætore. *Ursinus.* In nummis argenteis gentis Publiciæ, ejusdem ac Publiciæ.

M. POP. Marcus Popilius. *Probus. Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius.*

M. POPILI. M. F. Marcus Popilius Marci Filius. In nummis argenteis gentis Popiliæ.

M. POS. Mensam Posuit. *Probus Ernstii. Lazius. Manutius.*

Mensa Posita. *Sarainas. Manutius.*

Monumentum Posuit.

M. POT. Maximus Pontifex. *Probus Ernstii.*

M.P.P. Monumentum Pie Posuit. *Manutius.*

M. P. TR. POT. Maximus Pontifex Tribuniciæ Potestatis. *Magno.*

M.P.V. Millia Passuum Quinque. *Scaliger.*

Monumentum Posuit Vivens, *vel* Memoriam.

M. PVER. DOM. AVG. Magister Puerorum Domus Augustæ.

M.P.VI. Millia Passus Sex. *Gualtherius.*

M.P.XI. Mille Passus Undecim. *Manutius.*

Millia Passuum Undecim. *Scaliger.*

Monumentum Pedes Undecim. *Sarainas.*

M.R. Mauro Rufo. *Manutius.* In lapide illo, *de Ludis Circensibus*, explicato, ubi nomina & colores equorum aurigantium.

Miles Rarus. *Sarainas.*

Miles Romanus. *Probus. Ms: Zabarella. Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius.*

Militiæ Ravennatis. *Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius.*

Militiæ Regiensis Militiæ Regiensium. Militum Regiensium. Mortuus Rex. *Manutius.*

Municipium Ravennas, *vel* Ravennatium. *Scaliger.*

Munus Regis. *Manutius.*

MR. Marcus. *Diaconus. Ms: Rhodii. Manutius.*

Mater. *Papias.*

Mereat. *Manutius.*

M.R. Militiæ Ravennatis. *Probus Ernstii. Manutius.*

Municipium Ravennate.

M.R. Militiæ Ravennatis. *Probus.*

Municipium Ravennate. *Pierius.*

MRC. Mercurio. *Ms: Rhodii.*

MRCO. Mercurio. *Probus Ernstii.*

MR.CON.B. M. P. Maritus Conjugi Bene Merenti Posuit, *vel* Mœrens.

Memoriæ Conjugi Bene Merenti Posuit. *Gratianus.*

MR. C.P. Murum Cum Porta. *Probus Ernstii. Diaconus. Manutius.*

M.REG. Militiæ Regiensium. *Probus. Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius.*

Militum Regiensium. *Probus.*

M. RF. Marcus Rufus. *Diaconus. Papias. Manutius.*

M. S. Manibus Sacrum. *Manutius.* Passimque in sepulcralibus.

Memoriæ Statuit. Memoriæ Suæ. *Manutius.*

Merito Solvit. In votivis.

Mysia Superior. *Scaliger.*

Monumentum Statuit. *Manutius.*

Monumentum Statuerunt. *Augustinus.*

Mortem Subiit. *Manutius.*

Municipi Suo.

MS. Magis. *Papias.*

Majestati. *Scaliger.*

Menses. *Probus Ernstii. Appianus. Lazius. Manutius.*

Mensis. *Sarainas.*

Mensibus. *Sarainas Appianus. Lazius. Manutius.*

Meus. *Papias.*

Molestus. *Probus Ernstii. Magno.*

Mos. *Diaconus. Papias. Manutius.*

Mus. *Diaconus. Manutius.* Quod ob contractas voces in VS desinentes contingere puto.

MS. Menses. Mensibus. *Probus.*

Molestus. *Diaconus.*

M. S. A. Moneta Sacra Augusti. *Santamantius.* In nummis Vetranii præcipue.

M. SAC. AVGG. ET. CAESS. NN. Moneta Sacra Augustorum Et Cæsarum Nostrorum. In nummis Imperatorum temporibus, Diocletiani & Maximiani præsertim.

M.S.C. Monumentum Sibi Constituit, *vel* Curavit.

M.SCAVR. AED. CVR. Marcus Scaurus Ædilis Curulis. In nummis argenteis gentis Æmiliæ, in qua Scauri cognomen familiare. Scaurorum vero cognomen a crurum vitio manavit. Festo enim auctore, Scauri erant dicti, quibus tali pedum porrecti & tumentes erant. At *Horatio in Sermon. lib.* 1. *Satyr.* 3. qui talis pravis male fulti incedebant.

At pater ut nati, sic nos debemus amici,
Si quod sit vitium, non fastidire. Strabonem
Appellat pœtum pater; & pullum, male parvus
Si cui filius est: ut abortivus fuit olim
Sisyphus. hunc Varum, distortis cruribus; illum
Balbutit Scaurum, pravis fultum male talis.

Ad quæ *Cruquius* notat, *Scauros*, qui talos habent extritos, ita ut in eis vere tali non sint; sed potius quidam malleoli prominentes in imo pedum flexu. Fuit Scaurorum cognomen, non ab Æmiliis tantum usurpatum, sed etiam ab Attiliis, Aureliis & Terentiis,

tiis, ut *in Indice Cognominum* observavit *Glandorpius.*

M. S. D. Mortui Securi Dormiunt. *Manutius.*

Municipibus Suis Dedit.

M.S.D.D. Municipes Sui Decreto Decurionum. *Scaliger.*

Municipes Sui Dedicaverunt. Municipibus Suis Dono Dedit.

M. SEMP. / M.SEMPRON. } Marcus Sempronius. In nummis argenteis gentis Semproniæ.

M. SERGI. Marcus Sergius. In nummis argenteis gentis Sergiæ.

M.SERVILI.C.F. Marcus Servilius Caji Filius. In nummis argenteis gentis Serviliæ.

M. SILA. Marcus Silanus. In nummis argenteis gentis Juniæ.

M.S.P. Memoriæ Suæ Posuit. *Probus. Ms: Zabarella. Sarainas. Appianus. Lazius. Brissonius. Manutius.*

Monumentum Sibi Posuit, *vel* Suum. *Manutius.*

MSR. Miserunt. *Ms: Rhodii.*

M.S.S. Marti Segomoni Sacrum. *Probus Ernstii.*

Monumentum Sibi Suis.

M.S.S.E.H.N.S. Monumentum Sententia Senatus Exterum Heredem Non Sequitur. *Manutius.* Verum quia recipiendi, vel arcendi, non sententia Senatus, sed proprio arbitrio quilibet a sepulcro suo aliquem arcere, vel admittere poterat; ideo lubentius legerim:

Monumentum Sive Sepulcrum Externum Heredem Non Sequitur, *seu* Monumentum SupraScriptum Exterum Heredem Non Sequitur. De quibus explicationibus sententiam si cui ferre sit animus, consulat monumentum *pag.* 801. 5.

M.S.S.H.N.S. Monumentum Sive Sepulcrum Heredem Non Sequitur, *vel* SupraScriptum. Quod nihil aliud indicare posse mihi suadet Saxum *pag.* 826. 9.

SEMPRONIAE. TYCHE
CONIVGI. CASTISSIMAE
ANTONIVS. SEVERVS
MARITVS
ET.LIBERTIS.LIBERTABVSQVE
POSTERISQVE. EORVM.
M. S. S. H. N. S.

Ut scilicet conditoris sepulcri mens palam esset, sepulcrum scil. se constituisse, non hereditarium, sed familiareque; liberti namque & libertæ ex familia dicebantur.

M.T. Marcus Tullius. *Probus Ernstii. Ms: Rhodii. Sarainas. Appianus. Lazius.*

Mortis Tempore. *Magno. Papias.*

MT. Mater. *Ms: Rhodii. Magno. Sarainas. Manutius.*

Milites. *Papias.*

MT. Mentem. *Papias.*

M.T.C. Marcus Tullius Cicero. *Probus. Sarainas. Manutius.*

M.TER. Manifestum Territorium. *Probus Ernstii. Passeratius. Laurentius.*

M. T. F. E. Malo Tuo Factum Est. *Diaconus. Manutius.*

MTR. Mater. Matertera. *Probus Ernstii.* Et ad eum *Nota cap.* 12.

M. TREBO. Marcus Trebonius. *Zamoscius.*

M. TVLLI. Marcus Tullius. In nummis argenteis gentis Tulliæ.

M.V. Manibus Vivens. *Sarainas. Manutius.*

Minervæ Victricis. In Legionibus.

Monumentum Vivens. *Sarainas Manutius.*

MV. Mucius. *Probus. Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius.*

Munus. *Gratiosus.*

M. VALER.M.F.M.N. CORVIN. Marcus Valerius Marci Filius Marci Nepos Corvinus. In nummis argenteis gentis Valeriæ, in qua Corvini cognomen insigne, ob Marcum Valerium cum Gallo pugnantem; cui cum in pugna corvus galeæ insidens opem tulisset, victoria de hoste reportata, Corvini cognomen sibi & genti Valeriæ illustre peperit. *Livius Hist. lib.* 7.

M.VAR. Marcus Varguntejus. In nummis argenteis gentis Varguntejæ.

MV.AVG.BILBIL. Municipium Augusta Bilbilis. *Augustinus.* Bilbilis urbs olim Hispaniæ Tarraconensis, nunc deleta, & solus vicus, cui nomen *Banbola*, seu *Bambola*. De hoc Municipio fuse *Antonius Augustinus Antiquit. Roman. & Hispan. Dialogo* 7.

MV.CAL. Municipium Calagurris, *sive* Calagurritanum. Municipes Calagurritani.

MV.E.M. Municeps Ejus Municipii. *Ms: Zabarella.*

MV.F. Mucii Filius. *Probus. Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius.*

M.VI. Mensibus Sex. *Probus. Manutius.*

MVL. Mulier.

MVL. B. Mulier Bona. *Diaconus. Ms: Zabarella & Rhodii. Magno. Papias. Manutius.*

MVLIEB. Muliebrem. *Probus. Manutius.*

MVL. M. Mulier Mala. *Diaconus. Ms: Rhodii. Papias. Sarainas. Manutius.*

MVL. P. Mulier Pessima. *Diaconus. Ms: Rhodii. Papias. Sarainas.*

M.VLP.HAD. Marcus Ulpius Hadrianus.

M.V.M. Marcus Valerius Maximus. Vel quid simile, quod prænomen, nomen gentilitium, cognomenque alicujus significet. In Saxo quippe hoc apud *Gruterum pag.* 88. 4. alicujus nomen has litteræ denotant:

DEO. SANCT
O. ENDOVEL
LICO. M. V.M
ANIMO. LIBE
NS. VOTVM
SOLVIT

MVN. Munerabilis. *Diaconus. Manutius.*

Munere. *Sarainas. Manutius.*

Municeps. *Probus. Ms: Zabarellæ. Manutius.*

Municipes. *Probus. Diaconus. Appianus. Lazius. Manutius.*

Municipia. *Probus. Ms: Zabarella. Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius.*

Municipium. *Diaconus. Sarainas. Manutius.*

MVN.AVG.GAD. Municipium Augustum Gaditanum. Gades, Bæticæ Hispaniæ notissima urbs, vulgo *Cadiz*. In municipalibus lapidibus, cum omnibus infrascriptis, ubi nota MVN. alicujus civitatis nomen anteit.

MVN.CAL.IVL. Municipium Calagurris Julia. *Augustinus.*

Municipium Calagurritanum Julium. *Occo.*

MVNC. TAR. LIB. Municipii Tarvisini Libertus. Ita notas istas in Saxo *pag.* 86. 13. explico.

ISID.

ISID. · REG

L. PVBLICIVS. EVTYCHES

MVNC. TAR. LIB

Ut scilicet & liberti publici antiquitus quinetiam haberentur, prout publici servi.

MVN.EBOR. Municipes Eborenses. Municipium Eborense. De Ebora dictum, littera I. notis INTER PACENS. ET EBORENS.

MVNIC.CAER. Municipes Cæretani. Municipium Cæretanum. Fuit Cære vetustissimum Tusciæ oppidum, nunc vulgo *Cervetere*. Fuit & Cæretanorum emporium, nunc *Porto di Cere*; & Cærete, oppidum in Sabinis nunc *Cerveto*.

MVNIC. CAERIT. Municipium Cærites, *vel* Cæritanum. Cærites, nunc *Porto di Cere*, ut videtur *Ferrario in Lexico Geographico*.

MVNIC. CONSABVR. Municipes Consaburenses. Municipium. Consaburenses. Municipium Consaburense. Consaburum & Consabrum oppidum est Hispaniæ Tarraconensis, vulgo *Consuerga*.

MVNIC. ET. INCOL. Municipes Et Incolæ. *Manutius*.

MVNIC. ET. IN. COL. Municipes Et In Colonia. *Manutius*. Sed interpunctio IN. COL. non ita fortasse constat; nam INCOL Incolæ legendum.

MVNICIP. AMMAI. Municipium Ammaitanum. Ammia, quæ & Amæa, teste *Ferrario in Lex. Geograph*. Lusitaniæ urbs est, quæ nunc Portus Alacris, vulgo *Portalegre* vocatur.

MVNICIBVS. Municipibus. Dummodo non sit in nota typographicum mendum.

MVNICP. ARRETI. Municipes Arretini. Municipium Arretinum. Arretium, quæ & Aretium, urbs etiamnum Hetruriæ insignis, vulgo *Arezzo*.

MVNICP. PRIVERN. Municipes Privernates. Municipium Privernate. Privernum, Latii urbs olim, antiquissima, oppidum nunc, *Piperno* communiter dictum.

MVNICIP. SALACIEN. Municipes Salacitani. Municipium Salacitanum. Salacio, oppidum olim Lusitaniæ, nunc pagus, cui nomen *Alcazar de Sal*.

MVNICIP. TOLLENTIN. Municipes Tollentinates. Municipium Tollentinate. Tollentinum, Piceni etiamnunc urbs, vulgo *Tollentino*.

MVNIC. NOMENT Municipes Nomentani Municipium Nomentanum. Nomentum, antiqua urbs, olim in Sabinis, ad Anienem fluvium, quæ nunc ibidem pagus.

MVNIC. NVMANAT. Municipes Numanates. Municipium Numanate.

Municipium Numanatium. *Gallus*. Urbs olim in Piceni finibus, floruitque, donec a Gothis funditus eversa, vulgo *Humana*.

MVNIC. SASSIN. Municipes Sassinates. Municipium Sassinate. De Sarsina & Sassina urbe dictum, littera C. notis C. C. M. S.

MVNIC. STOBE. Monicipium Stobe. *Samamantias*. Stobi urbs olim Macedoniæ, nunc oppidum, vulgo *Starachino*. *Ferrarius in Lex. Geograph.*

MVEIC. VRGAVON. Municipium Urgavonense. Hispaniæ Bæticæ urbs, vulgo *Ariona*.

MVNL. Munerabilis. Munere. *Manutius*.

MVNN. Municipes.

MVNP. Municipes. Municipia. *Probus*. *Ms: Zabarella*. *Manutius*.

Municipium. *Manutius*.

MVNR. Munerabilis. *Diaconus*.

MVN.RAVEN. Municipes Ravennates. Municipium Ravennate.

MVN.SASS. Municipes Sassinates. *Manutius*.

Municipii Sassinatis. *Scaliger*.

Municipium Sassinate.

M.VOLTEI.M.F. Marcus Voltejus Marci Filius. In nummis argenteis gentis Voltejæ.

M.V.S. Merito Votum Solvit. In votivis.

Monumentum Vivens Sibi. *Saramas*. *Manutius*.

MV.TVR. Municipium Turiaso. *August*.

Municipium Turiasorum. *Occo*. Turiaso urbs Hispaniæ est Tarraconensis, vulgo *Tarazona*, ut videtur *Ferrario, in Lex. Geograph.* vel *Tyriassona*, ut placet *Carolo Stephano in Lexico* pariter *Historico Geographico*. De hac urbe *Antonius Augustinus Antiquit. Roman. & Hispan. Dialog.* 7.

M X. Menses Decem. *Probus*.

M.X.D.II. Menses Decem Dies Duo.

MXM. Maximum. *Papias*.

N.

N. Nam. *Probus*. *Diaconus*. *Magno*. *Papias*. *Saramas*. *Manutius*.

N. Natione. *Scaliger*. In illis monumentis, quibus aliquis naturalis patriæ non tantum, sed & provinciæ notitiam designare intendebat.

Natus. *Saramas*. *Manutius*. *Scaliger*.

Ne. *Manutius*.

Nec. *Probus*. *Diaconus*. *Papias*. *Manutius*.

Nefastus. Dies scilicet *Diaconus*. *Pierius*. *Manutius*. *Gruterus*. *Scaliger*. Erant autem *Nefasti dies*, ait *Varro de Ling. Lat. lib.* 5. *per quos nefas fari prætorem, Do, Dico, Addico. Itaque non poterat agi. Necesse erat aliquo eorum uti verbo, cum lege quid peragebatur. Quod si tamen prudens id verbum emittebat, aut quem manumiserat, ille nihilominus erat liber, sed vitio; ut magistratus vitio creatus nihilo secius magistratus. Prætor, quia tum fatus erat, si imprudens fecerat, piaculari hostia facta piabatur: si prudens dixerat, Quintus Mucius abnegabat eum expiari, & ut impium, non posse dicebat.*

Nefrendes. *Guiberius*. Qui *lib.* 1. *cap.* 5. *de Jure Manium*, Tabulam locorum fulmine tactorum, a Fratribus Arvalibus positam expendens scribit: *Nefrendes interpretatus sum, quod nondum aliquid frendant, idest, comminuant; frendere enim, cum Scauro Grammatico, dentibus frangere significat.* Unde ad hoc Verbum Festum: *Nefrendes arietes dixerunt, quod dentibus frendere non possint. Alii dicunt nefrendes infantes esse nondum frendentes, idest, frangentes.*

Negas. *Saramas*.

Nego. *Manutius*.

Nepos. Ubi avi mentio in saxis.

Neptis. *Manutius*.

Neptuno. *Saramas*. *Lazius*. *Manutius*.

Neptunus. *Probus*. *Appianus*. *Lazius*.

Neque. Nero. *Saramas*. *Manutius*. Nero cognomen, Sabina lingua, fortem significat. *Suetonius in Tiber. cap.* 1. de Atta Claudio, ejus gentis principe, ex Regillis Romam profecto, hoc docet: *Inter cognomina autem, & Neronis assumpsit, quo significatur lingua Sabina, fortis ac strenuus.* Nero tamen, quod origine cognomen, temporis lapsu prænomen evasit, quod patet non tantum ex *Suetonio* scribente: *Patrem Claudii Cæsaris Drusum, olim Decimum, mox Neronem prænomine, Livia cum Augusto gravida nupsisset, intra mensem tertium peperit.* Sed ex antiquis lapidibus etiam, in quibus hoc idem observatur, ut videre est in hoc *pag.* 61. 1.

IMP. CAESAR. DIVI. F. AVGVSTVS
PONTIFEX. MAXIMVS
IMP. XIII. COS. XI. TRIB. POTEST. XV.
EX. STIPE. QVAM. POPVLVS ROMANVS
ANNO. NOVO. APSENTI. CONTVLIT
NERONE. CLAVDIO. DRVSO COS
T. QVINCTIO. CRISPINO
VOLCANO

Restitutam inde Neronis vocem paulo post suæ primæ origini videre est ex *Suetonio* tum in Nerone, sic scribente: *In gratiam multitudinis, Neronis cognomen, quod ei primum in theatris tribuebatur, non repudiatur.* Tum in Othone his verbis: *Ac super cæteras gratulantium, adulantiumque blanditias, ab infima plebe appellatus Nero, nullum indicium recusantis dedit: immo, ut quidam tradiderunt, etiam diplomatibus, primisque epistolis suis ad quosdam provinciarum Præsides, Neronis cognomen adjecit.*

Nigro. *Panvinius*, ubi de coloribus equorum: *de Ludis Circensibus* loco alias citato,

Nihil. Nihilum. Nisi. Nobili. Nobis. Noli. *Sarainas. Manutius.*

Nomen. *Diaconus. Papias. Manutius.*

Nominis. *Probus. Sarainas. Manutius.*

Nomine. *Sarainas.*

Nomino. *Lazius.*

Non. *Probus. Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius.*

Nonaginta. *Antiquus Codex de Notis Numerorum.*

Nonis. *Manutius.* Cum alicujus mensis nomen præcesserit.

Nonius. *Diaconus. Sarainas. Appianus. Manutius.*

Nos. *Diaconus. Papias. Sarainas. Manutius.*

Nostra. *Papias.*

Noster. *Probus. Appianus. Lazius. Manutius.*

Nostro. *Appianus Lazius. Manutius.*

Nostrum. *Papias. Sarainas.*

Nox. *Manutius,*

Num. *Papias.*

Numerarius. *Scaliger.* Hoc est, Miles, & cum N. occurret post Militis nomen in lapidibus. Numerarius miles, forte miles cohortis fuerit. Cohortes enim aliquando Numeros dictas observo, cum *Sozomeno Hist. Tripart. lib.* 1. his verbis: *Romanorum cohortes, quæ nunc Numeri nuncupantur, singulæ fecerunt tabernaculum proprium.* Et *l.* 11. *ff. de His, qui notant. infam. Exercitum autem, non unam cohortem, neque unam aliam,* (forte *alam*) *dicimus, sed Numeros multos militum.* Non me fugit tamen, & in Regionibus, Numerarios fuisse, quorum erat munus in libros referre, qui singulis diebus excubassent, vel alia munia obiissent, ut scirent, qui in muneribus debebant succedere; hosque puto Numerarios fuisse milites, de quibus fit mentio in antiquis saxis, & apud *Pancirollum in Not. Imp. Orient. cap.* 40. Scio etiam in Domo Augusta Numerarios fuisse, ita dictos, vel ut *Isidoro* placet, *Origin. lib.* 6. *c.* 4. *quia publicum nummum ærariis inferebant.* Vel quia tabulas publicas administrando, rationes pariter publicas supputabant; unde iisdem a numerando Numerariorum nomen, prout & aliquando Tabulariorum, ut habetur in *l. ult. Cod. de Fabric lib.* 11. *& in l.* 4. *Cod. de Numerar. & Actuar. lib.* 12. De istis fuse *Pancirollus in Notit. Imp. Orient. capp.* 15. *&* 78. & *Jacobus Gutherius de Offic. Dom. Aug. lib.* 2. *cap.* 14. *& lib.* 3. *cap.* 2.

Numeravit. *Manutius.*

Numeria. *Servius.* Numeria mulieris prænomen, de quo satis dictum littera M. cum Marcam neque Numeriam dixisse antiquos, ex *Varrone* observavi *de Ling. Lat. lib.* 8.

Numerius. *Diomedes; Goltzius. Scaliger.* Scribit quippe *Diomedes lib.* 2. *quod N. nota prænominis sola, Numerium significat; præposita item C. Cnæum, quem antiqui Gnæum dicunt.* Numerii prænominis originem, & usum Romæ ita *Festus* indicat: *Numerius prænomen, nunquam ante fuisse in patritia familia dicitur, quam is Fabius, qui unus post sex & trecentos, ab Etruscis interfectos, superfuit, inductus magnitudine divitiarum uxorem duxit, Otacilii Maleventani, ut tum dicebatur, filiam, ea conditione, ut qui primus natus esset, prænomine avi materni, Numerius appellaretur.* Huicque subscribit Auctor Epitomes de Nominum ratione. A Numerii prænomine, licet nec a *Sigonio*, nec a *Panvinio* observatum, Numeriam gentem denominatam fas est credere: *Cicero enim in Orat. pro P. Sextio Numerium, Serranum, Æmilium, quisquilias seditionis Clodianæ nominat.* Ad quæ notat *Manutius*, duos primos fuisse Plebis Tribunos, eo anno, quo Cicero patriæ restitutus est, de quibus hæc in *Pisonianam Asconius noster observat: Duos scilicet Tribunos, de quibus sæpe jam diximus, quos de lapide emptos ait, quia mercede id faciebant, Sex Atilium Serranum, & Q. Numerium.*

Numero. *Sarainas. Scaliger.*

Numerus. *Manutius. Servius.*

Numini. *Manutius.*

Numisma. *Probus. Manutius.*

Numismatis. *Sarainas. Lazius. Manutius.*

Nummorum. *Sarainas. Manutius.*

Nummus. *Sarainas. Lazius. Manutius.*

Nunc. *Sarainas. Manutius.*

Nuptiæ. *Manutius.*

Nus. *Magno.* In verbis contractis.

N. *Si in termino inveneris, proximam aquam significat, & quadras, fines habentes aqua, a septentrione, arcam marmoream invenis.* Auctores de Limit. Agrorum.

N'. Nascitur. *Probus Ernstii. Diaconus. Magno.*

Nec. *Ms: Rhodii. Magno.*

Nisi. Noster. *Diaconus. Manutius.*

Nocturnus. Noster, *Probus Ernstii.*

Ñ. Nam. *Papias.*

Nauta.

Nepos. *Probus.*

Neptis. *Manutius.*

Non. *Probus. Diaconus. Ms: Rhodii. Magno. Papias. Manutius.*

Nonaginta millia. *Antiquus Codex de Notis Numerorum.*

Noster. *Probus. Manutius.*

Nostro. *Ms: Zabarella.*

Numerator. *Diaconus. Manutius.*

Numero. Si nota numeralibus literis præposita.

Numerum. *Manutius.*

Numisma. *Probus. Manutius.*

Numismatis. *Ms: Zabarella. Appianus. Manutius.*

Nummorum. *Probus. Manutius.*

Nummus. *Ms: Zabarella. Appianus. Manutius.*

Undecim Millia. *Rubens.*

N/. Nam. *Ms: Rhodii. Magno.*

NAC. Nactus. *Probus. Ms: Zabarella, Appianus. Lazius. Manutius.*

N. AGR. AM. P. XV. Numeratur Agri Ambitus Pedes Quindecim. *Scaliger.*

NAHART. Nahartium. *Angelonus.*

N. APR. Nonis Aprilis. *Manutius.*

NAR. Narbonensis. *Probus Ernstii.*

NAT. Natalis. *Probus. Ms: Zabarella. Sarainas. Manutius.*

Natalitia. *Appianus. Lazius. Manutius.*

Natalis. *Appianus. Angelonus. Manutius.*

Natalitio. *Lipsius.*

Natio. *Probus. Manutius.*
Natione. *Probus. Sarainas. Manutius.*
Nativitate. *Sarainas.*
Natta. In nummis argenteis gentis Pinariæ, quod cognomen alicui Pinariorum forte indidit tumor ille dolore carens, in corporis alicujus parte protuberans.
Natus. *Sarainas. Manutius.*
NAT. ALEX. Natione Alexandrinus.
NAT. DELM. Natione Delmata.
NAT. GALL. Natione Gallus.
NATIO. Natione.
NAT. LVD. SECVL. VIII. OBIIT. SEQVENT. Natus Ludis Secularibus Octavis Obiit Sequentibus. Quæ indicarent cujus est monumentum centum vixisse annos, si ludos seculares semel in seculo agebantur.
NATOR. Natorum. *Probus. Ms: Zabarella. Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius.*
NAT. PAN. Natione Pannonicus.
NAT. SRVS. Natione Syracusanus. *Gualtherius capite* 14. *Sicular. Tabular.* sic scribens: *Lego, natione Syracusanus, quibus studiis cum nimis Syracusani essent deditti, Palæstritæ apud Ciceronem* 3. *in Verrem denominantur.* Agit enim ille loco citato de Palæstritis.
NAV. Naves. *Probus. Ms: Zabarella. Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius.*
Navibus. *Probus. Ms: Zabarella. Sarainas. Manutius.*
Navis. Nauta. *Manutius.*
NAVIC.. Navicula. *Probus. Manutius.*
Navicularius. *Manutius.*
N. B. Nigro Badio. *Panvinius.* Ubi de coloribus equorum. *de Lud. Circens. lib.* 1. *cap.* 13.
Numeravit Bivus. *Scaliger.* Idest, Vivus.
NB. Nobilis. *Papias.*
Nobis. *Probus Ernstii. Diaconus. Magno. Papias.*
N̄B̄. Nobis *Ms: Rhodii.*
NB. G. Nobili Nenere. *Probus Ernstii.*
NBL. Nobilis. *Diaconus. Manutius.*
N. C. Nero Cæsar. *Diaconus. Magno. Papias. Manutius.*
Nobis Clusus. *Manutius.*
Nobilis Cæsar. Nobilissimus Cæsar. In nummis & lapidibus Imperatorum ultimi ævi.
Non Certe. *Probus Ernstii.*
Non Clam. *Manutius.*
Non Credo. *Probus Ernstii. Diaconus. Magno. Papias. Manutius.*
NC. Nunc *Ms: Rhodii. Magno. Sarainas. Manutius.*
N̄C̄. Nunc. *Diaconus.*
N. C. A. P. R. Nobis Concessum A. Populo Romano. *Sarainas. Manutius. Erizius. Vicus. Angelonus* Has omnes litteras observare licet in aliquibus Imperatorum nummis, Augusti, Claudii & Agrippinæ præsertim, ut forte indicarent, ait *Erizius*, populi Romani decreto nummos illos, in Principum illorum honorem cusos: *Dione* siquidem auctore *Histor. lib.* 60. *Quoniam Urbs imaginibus replebatur (licebat enim omnibus, qui vellent, pictura, ære, lapideque suam effigiem publicare) plerasque earum loco movit Claudius, interdicto, ne quis in posterum privatus, injussu Senatus id ageret.*
N.C.C. Non Calumniæ Causa. *Grassosus. Manutius.*
N.C.K. Non Calumniæ Causa. *Probus Ernstii.*
N.CL. Nero Claudius. *Probus. Ms: Zabarelle. Magno.* Ac reliqui.
N.C.M.M. Numerius Cajus Marci Duo. *Scaliger.* Addens, supple, hic situ sunt. Sic enim explicat ille quatuor hasce litteras *pag.* 929. 11. ita dispositas:

N. C
M. M

N. C. N. P. Non Clam Nec Pecunia. *Manutius.*
Nec Clam Nec Precario. *Probus Ernstii. Diaconus. Grassosus.* Jurisconsultorum formula, ubi de violentiis loquitur, præcipue §. *Quor. Vis. Inst. Tit. de Interdict.*
N.D. Neci Datum. *Pierius.* Qui *Hieroglyph. lib.* 34. sic ait, *Neci datum intellige, sine vulnere mortuum, ut puta veneno, aut fame.*
Non Dicatus. Nostro Dicatus. Numini Dedicatus. *Manutius.*
N.D.D. Numini Dedicavit, *vel* Dono Dedit.
N.D.F.E. Ne De Familia Exeat. Hisce literis Familiarium monumentorum lapides quandoque erant insculpti, ut significarent institutoris mentem monumentum de familia sua non fuisse exiturum.
NE. Nec. Nemo. *Grassosus.*
Nepos. Neptis. Neptunus. *Manutius.*
N. E D. Notus Ex Dies. *Probus Ernstii. Diaconus. Papias. Manutius.*
NEG. Negavit. *Probus.*
Negotiator. *Probus. Ms: Zabarella. Manutius. Ernstius Notis ad caput* 13. *Probi.*
NEG. Negotio. *Papias.*
NEGOT. Negotiator.
Negotiatores. *Papias.*
Negotiatori. *Manutius.*
NEG. VIN. Negotiator Vinarius. In Artium & Negotiatorum lapidibus.
N.E.I. Non Esse Justum. *Manutius.*
N.E.P. Natus Est Puer. *Manutius.*
N'.E.P. Natus Est Puer. *Diaconus. Manutius.*
NEP. Neptunalia. *Manutius. Gruterus. Scaliger. Rosinus.* Neptunalia, a Neptuno dicebantur; quia ejus Dei feriæ. *Varro de Ling. Lat. lib.* 5. quo etiam tempore & ludi Neptunales agebantur, qui *Tertulliano* teste, *de Spectacul. cap* 6. publice celebrabantur, diesque istorum erat octavus Kalendis Sextilis, hoc est, Julii vigesimus.
Neptunus. *Sarainas. Manutius.*
NEP. RED. Neptuno Reduci. *Probus. Ms: Zabarella. Appianus. Lazius. Manutius.* In nummis Impp. votis Neptuno pro illorum reditu nuncupatis.
NEP. S. / NEP. SAC. } Neptuni Sacellum. *Probus. Appianus. Lazius. Manutius.*
Neptuni Sacrum. *Sarainas.*
Neptuno Sacrum. *Appianus. Lazius. Manutius.*
NEPT. Neptunalia. *Probus. Gruterus. Manutius. Scaliger. Rosinus.*
Neptunus. *Diaconus. Manutius.*
NEPTVN. Neptunalia. *Ms: Zabarella. Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius.*
Neptunus. *Manutius.*
NEPTV. AVG. Neptuno Augusto.
NER. Nero. *Scaliger.*
NERI. Q. VRB. Nerius Quæstor Urbis, *vel* Urbanus. In nummis argenteis gentis Neriæ.
NER. TRA. Nerva Trajanus. *Probus Ernstii.*
NESC. Nescaniensis. Nescania Hispaniæ Bæticæ oppidum fuit, nunc teste Morali, excisum penitus, cujus cives Nescanienses dicti.
N. E7. Necesse Est. *Magno.*
N.F. Numerii Filius *Gallus.*
NF. Nefastus Dies. *Diaconus.*
N. FABI. C. F. Numerius Fabius Caji Filius; &

N. FABI. M. F. Numerius Fabius Marci Filius. In nummis argenteis gentis Fabiæ.

N. F. A. N. Numerii Filius Auli Nepos.

N. FA. NN. Nobili Familia Natus. *Probus. Manutius.*

N. F. AP. N. Numerii Filius Appii Nepos.

N. F. C. Nostræ Fidei Commissum. *Probus. Ms: Zabarella. Sarasnas. Appianus. Lazius. Manutius.*

Nostrum Fidei Commissum. *Manutius.*

N. F. C. N. Numerii Filius Caji Nepos.

N. F. CN. N. Numerii Filius Cnæi Nepos.

N. F. D. N. Numerii Filius Decimi Nepos.

N F. K. N. Numerii Filius Kæsonis Nepos.

N. F. L. N. Numerii Filius Lucii Nepos.

N. F. M. N. Numerii Filius Marci Nepos.

N. F. M'. N. Numerii Filius Manii Nepos.

N. F. N. Nobili Familia Natus. *Probus. Ms: Zabarella. Sarasnas. Appianus. Lazius. Manutius.*

N. F. N. N. Numerii Filius Numerii Nepos.

N. F. P. N. Numerii Filius Publii Nepos.

N. F. Q. N. Numerii Filius Quinti Nepos.

N. F. SER. N. Numerii Filius Servii Nepos.

N. F. SEX. N. Numerii Filius Sexti Nepos.

N. F. SP. N. Numerii Filius Spurii Nepos.

N. F. T. N. Numerii Filius Titi Nepos.

N. F. TI N. Numerii Filius Tiberii Nepos.

N. F. VOL. N. Numerii Filius Voleronis Nepos.

N. F. VOP. N· Numevii Filius Vopisci Nepos.

N. G. Nobili Genere. *Probus. Sarasnas. Lazius.*

N. G. N. Nobili Genere Natus. *Manutius.*

N. H. Natus Homo. *Probus. Sarasnas. Manutius.*

Notus Homo. *Probus. Ms! Zanarella. Appianus. Lazius. Manutius.*

N. HO. Natus Homo, *vel* Notus. *Manutius.*

N. H. V. N. AVG. Nuncupavit Hoc Votum Numini Augusto. *Scaliger.* vel Neptuno.

N. I Nomine Ipsius. *Scaliger.* Idest, Suo.

Numinis Jussu. In votivis.

NI. Nil. *Gratosus.*

Nisi. *Ms: Rhodii. Magno. Papias.*

N̄I. Nihil. *Ms: Rhodii.*

Nostri *Diaconus.*

N. Nostri. *Manutius.*

N. I. D. Numinis Jussu Divino. In votivis.

Numum Mille Decurionibus. *Scaliger.*

N. I. F. L. Nomine Ipsius Fecit Locum. Aliquando in sepulcralibus.

N. IIII. Nomina Quatuor. Numero Quatuor. *Gutherius.*

N. IM. D. V. V. Numini Immortali Deo Viro Votum. *Gratosus.*

NIMF. SACR. Nimfis Sacrum.

N. I. O. T. Numini Jovis Optimi Tonantis. *Gruterus.*

Numini Jovis Olympii Tonantis. *Scaliger.*

N. K. Nigro Kælio. *Panvinius de Ludis Circens.* Ubi de equorum coloribus.

N. K. C. Non Calumniæ Causa. *Probus. Diaconus. Ms: Zabarella. Appianus. Lazius. Manutius.* In Actionibus.

N. L. Nominis Latini. *Probus. Diaconus.* Atque ceteri fere omnes.

Nonius Lucius *Diaconus. Manutius.*

Non Licet. *Probus. Ms: Zabarella. Sarasnas. Appianus. Lazius. Manutius.*

Non Licuerit. Non Liquere. *Manutius*

Non Liquet. *Asconius. Probus. Pierius. Landus. Sigonius. Manutius. Hugo.* In ferendis judiciis Romani tres tabulas in usu habuere; prima A. insculpta absolutionem denotabat; altera C. signata, damnationis sententiam ferebat; tertia, quæ N. L. scilicet *Non Liquet*, protrahendi judicium erat; quia Non liquet, nec absolvendi, nec condemnandi, sed ampliandi signum fuit. Asconius in Verrinam: *Si videbatur judicibus bona causa, absolvebant reum: si mala, non statim damnabant, sed hac excusatione parcebant; nam cum condemnandi nota esset C. littera; absolvendi A. ampliandi signum N. L. dabant, quo significabant, Non liquere; unde ampliatio nascebatur.*

Non Legem. *Manutius.*

Non Lege. *Diaconus. Manutius.*

Non Longe. *Probus. Diaconus. Papias. Manutius.*

Nostrarum Latinarum. *Manutius.*

Numerii Libertus.

Numero Quinquaginta.

N. LC. Non Licet. *Probus Ernstii. Diaconus. Papias. Manutius.*

N L. F. Numerii Lucii Filiæ. *Scaliger.*

N̄L̄Ī. Nihil. *Magno.*

N. LIC. S. VI. N. Non Licet Sepulcra Violare Nobis. *Gratosus.*

Nemini Liceat Sepulcrum Violare Nostrum.

N. L. M. F. ET. TV. Nobis. / Nostrum / Novum } Locum Monumenti Fecit Et Titulum. In sepulcralibus aliquando.

N. L. N. Nobili Loco Natus. *Manutius.*

N. LON. P. D. Non Longe Pedes Decem. *Hemelarius.*

NL. P. Nihil Potest. *Papias.*

N. L. P. H. D. D. Nobis / Noster. } Locus Publice Hic Dono Datus, *vel* Dedicatus.

N. M. Nam Malum. Nomen Muri. *Diaconus. Manutius.*

Non Minus. *Probus. Diaconus. Ms: Rhodii. Magno. Papias. Manutius.*

Non Multum. *Papias.*

Nonius Macrinus. *Probus. Manutius.*

NM. Nomenix. *Sarasnas. Manutius.* Quæ vox mihi prorsus ignota, nisi male e Græca voce νόμος deprompta sit, quæ lex, aut mos, Latinis; hinc νομικὸς legalis & ad legem pertinens, seu ad leges, νόμιμος legitimus, æquus, justus, atque νομίζω, lege sancio.

Nm. Nostrum. Num. *Diaconus. Manutius.*

N. MACR. Nonius Macrinus. *Sarasnas. Appianus. Lazius. Manutius.*

N. ME. VI. Natus Menses Sex. *Scaliger.*

N. M. N. S. Novum Monumentum Nomine Suo. *Scaliger.*

N. MONVM. Novum Monumentum. *Scaliger.*

N. M. Q. Numini Majestatique. *Manutius.*

N. M. Q. E. D. Numini Majestatique Ejus Dicatissimus. *Scaliger.* Occurruntque hæ litteræ in lapidibus, Imperatoribus dicatis, non raro.

N. M. T. Q. C. S. Noli Me Tangere Quia Cæsaris Sum. *Sarasnas. Manutius.*

N. N. Nam Nascitur. *Papias.*

Neque Negas. *Sarasnas. Manutius.*

Non Enim. *Probus Ernstii. Diaconus. Manutius.*

Non Nocet. *Papias.*

Non Nostri. *Manutius.*

Nostri Nepos. Nostri Nominis. *Sarasnas. Manutius.*

Duorum Numeriorum. *Scaliger.* Ita duo N. N. explicans, hoc in Saxo *pag.* 19. 19.

DIIS. N. N
CONSERVATORIBVS
PRO. SALVTE
ARIAE. SVAE
N. NONIVS
MACRINI. CONSECR

Verum,

Verum, si datur post tantum virum alteri sententiæ locus, *Nostris* potius duo N. N. in illo lapide explicaverim, ita ut totius monumenti hic sit sensus: *Diis Nostris Conservatoribus Pro Saluta Arsa Sua Numerius Nonius Macrinus*, quippe illud in Saxo scilicet meo judicio redundat, *Consecravit*.

NN. Nostri. *Probus. Manutius. Rubens.*
Nostris. *Sarainas. Manutius.*
Nostrorum. *Sarainas. Manutius. Rubens.*
Nostrum. *Magno.*
Nunc. Numquam. Numquid. Nusquam. *Papias.*
NN. Nostri. *Probus.*
Nostrorum. *Probus. Ms: Zabarella.*
NN. AVGG. Numinibus Augustorum. *Probus Ernstii.*
NN. AVGG. IMPP. Nostrorum Augustorum Imperatorum.
N.N.E.P. Nam Natus Est Puer. *Papias.*
NNO. Nostrorum. *Papias.*
NN. PP. Nostrorum Principum. *Probus Ernstii. Manutius.*
N. NQ. N. Numerat Neque Numero. *Probus Ernstii. Diaconus. Manutius.*
NNR. Nostrorum. *Diaconus. Manutius.*
NO. Non. *Papias.*
Nos. *Probus Ernstii. Diaconus. Gratiosus.*
Noster. *Magno. Gratiosus.*
Nostro. *Manutius.*
N̄O. Nostro. *Diaconus.*
N°. Nos. Noster. *Ms: Rhodii.*
NOB. Nobili. *Manutius.*
Nobilis. *Probus. Ms: Zabarella. Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius.*
Nobis. *Appianus. Lazius.*
Novembris. *Sarainas. Manutius.*
NOBB. Nobiles. *Probus. Sarainas. Manutius.*
Nobilibus. *Probus. Ms: Zabarella. Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius*
NOBB. CAESS. Nobiles Cæsares. Nobilissimi Cæsares.
NOB. C. Nobilis Cæsar, *vel* Nobilissimus.
NOVEMBRES. Novembris. In Roma subterranea.
NOB. F. N. Nobili Familia Natus. *Diaconus. Ms: Rhodii. Magno. Papias. Manutius.*
NOB.G. Nobili Genere. *Probus. Ms: Zabarella & Rhodii. Magno. Papias. Appianus. Manutius.*
Nobilis Generatus. *Diaconus. Manutius.*
NOB. G. N. Nobili Genere Natus. *Diaconus. Ms: Rhodii. Magno. Sarainas. Manutius.*
NOBILISS. AC. BEATISS. Nobilissimo Ac Beatissimo.
NOBILISS. CAES. COS. PROCOS. Nobilissimo Cæsari Consuli Proconsuli.
NOBILIT. AVG. Nobilitas Augusti. In nummis Commodi.
NOB. P. Nobilissimus Puer. *Magno.*
NOBR. Novembris. In Roma subterranea.
NOMEMBRES. Novembris. In Roma subterranea.
NON. Nonarius. *Manutius.*
Nonarum. *Probus. Ms: Zabarella. Appianus. Lazius. Manutius.*
Nonas. *Goltzius.*
Nonis. *Sarainas.*
NON. Nonarum. *Diaconus. Manutius.*
NON. AP. / NON. APL. } Nonis Aprilis. *Manutius.*
NON. APRIL. Nonis Aprilis. *Probus. Manutius.*
NON. IAN. Nonis Januariis.
N°. N°. Nostrorum. *Ms: Rhodii.*
NON. TRAS. H. L. Non Transilias Hunc Locum. *Scaliger.*

N̄OR̄. Nostrorum. *Diaconus. Manutius.*
NOS. Nostro. *Manutius.*
N̄OT̄. ĒCC̄. R̄OM̄. Notarius Ecclesiæ Romanæ. In Roma subterranea.
NOV. Novembris. *Manutius.*
N. P. Nec Precario. *Manutius.*
Nefastus Primo. *Rosinus.*
Nihil Posset. *Probus Ernstii. Diaconus. Papias. Manutius.*
Nihil Potest. *Probus Ernstii. Diaconus. Manutius.*
Non Paret. *Probus Ernstii.*
Non Patet. Non Potest. *Diaconus. Manutius.*
NP. Nefastus Dies. *Diaconus. Manutius.*
Intercisus Dies. *Gruter.*
N. P. C. Nomine Proprio Curavit. *Scaliger.* Tum in votivis, tum in sepulcralibus; quod satis superque monstrat hoc Saxum *pag.* 351. 7.

D. M. V. F
Q. ALSVTIVS
III. VIR
N. P. C

N. P7. Non Possunt. *Magno.*
NQ̄. Namque. *Probus Ernstii.*
Nequam. *Probus.*
Neque. *Probus. Diaconus. Ms: Rhodii. Manutius.*
N. Q. Namque. *Magno. Papias. Sarainas. Manutius.*
Nequam. *Manutius.*
Neque. *Probus. Manutius.*
Numquam. *Diaconus. Lazius. Manutius.*
Nusquam. *Ms: Zabarella. Sarainas. Lazius. Manutius.*
NQ. Nusquam. *Magno.*
N. Q. AN. Numerat Qui Annumerat. *Diaconus. Manutius.*
NQ. N. Numquid Non. *Diaconus. Manutius.*
N. Q. N. Numerati Qui Numerant. *Probus Ernstii.* Qui videndus *in caput* 13. *Not. Probi.*
N. Q. V. Nominant Qui Vivant. *Papias.*
N. R. Natione Romanus.
Nigro-Ruso. *Panvinius.* De coloribus equorum.
Non Restituere. *Manutius.*
Non Restituerunt. *Probus. Diaconus. Manutius.*
Non Retulerunt. *Manutius.*
N̄. R̄. Nobilis Ravennas. *Probus. Manutius.*
NR. Nero. *Probus.* Ceterique fere omnes notarum explicatores.
NR. CL. Nero Claudius. *Diaconus. Manutius.*
N̄. RHOD. ET. ARAR. Nautæ Rhodani Et Araris.
N. S. Nisi Si. *Magno.*
Nomine Suo.
Non Sequitur. *Manutius.*
Novum Sepulcrum.
N. S̄. Non Sequitur. *Manutius.*
NS. Noster. *Diaconus. Magno. Manutius.*
NS̄. Numerus.
N̄. Nisi. *Magno.*
N. S. E. Non Sic Est. *Probus Ernstii. Diaconus. Papias. Manutius.*
Nostrum Sepulcrum Est. *Sarainas. Manutius.*
N. S̄F̄. E. Nam Satisfactum Est. *Probus Ernstii. Diaconus. Manutius.*
Non Satisfactum Est. *Manutius.*
N. S. H. M. Non Sequitur Heredes Monumentum. *Manutius.*
NS. P. Natus Puer. *Probus Ernstii.*
N. T. Nostri Temporis. *Probus. Manutius.*
NT. Nominatus. *Diaconus. Manutius.*

N. T. M.

N. T. M. Numini Tutelari Municipii. *Scaliger.*
N. T. M. SAC. Numini Tutelari Municipii Sacrum.
N. TRAN. H. L. Non Transilias Hunc Locum.
N. V. Non Vacat. Non Valet. *Diaconus. Manutius.*
Non Vir. *Manutius.*
Non Vis. *Probus Ernstii. Papias. Manutius.*
Non Vult. *Manutius.*
Numero Quinario. *Sarainas. Manutius.*
Nunc Vult. *Manutius.*
Nuncupato Voto. In votivis.
NV. Numa. *Probus Ernstii. Manutius.*
Nunc. Numquam. Numquid. Nusquam. Nullus. Numina. *Gratiosus.*
NV. Non Vis. *Diaconus.*
N. V. Non Vis. *Magno. Papias.*
N. V. FIL. Nostræ Urbis Filio. *Santamantius.* In nummis Romuli, sub Maxentio imperium usurpantis.
NVM. DOM. AVG. Numini Dominorum Augustorum. *Pancirollus.*
Numini Domus Augustæ. *Scaliger.*
NVMVL. Numularius. Quod & quandoque expressum occurrit. Numularios antiqui dixerunt, permutatores nummorum, qui majoris pretii nummis acceptis, nummulos, idest, minusculam monetam, per partes reddebant: aut certæ regionis acceptam pecuniam alterius pecunia permutabant: quod licet non publica auctoritate facerent, tamen *Numularios quoque non esse iniquum cogi rationes reddere*, *Pomponius* scripsit in *l. 9. ff. de Edend.* Numularii quoque fuerunt dicti, qui pecuniam probabant, ut constat ex *l. 39. ff. de Solut. & Liber.* hosque credo fuisse Præfecto Urbi commissos, penes quem de eorum proba negotiatione cura erat; ut in *l. 1. §. Iniste. ff. de Offic. Præfect. Urb.* Numulariorum meminit *Gutherius de Offic. Dom. Aug. lib. 3. cap. 19.* & *Lazius Commeat. Reipub. Roman. lib. 2. cap. 13.* apud quem, cujusdam Telavii numularii inscriptionem mendosam sic ex *Grutero pag. 250. 1.* suæ antiquæ puritati restituo:

D. M
T. FLAVIVS. GENTHLICVS
NVMVL. DE BASILICA. IVLIA
NATIONE. BESS. SIBI. ET. CONIVGI
LIBERIS. LIBERTIS. LIBERTABVSQ
DEINCEPS. DE. DOMO. SVA. DESCENDENTIB
VIVVS. FECIT
HIC. IN. IIII. STABVL. AGITAVIT. NVM
. . . .

N. V. N. D. N. P. O. Neque Vendetur Neque Donabitur Neque Pignori Obligabitur. *Probus. Manutius.* Erasque Sanctio sepulcralis, qua Donatio, Venditio, Oppigneratio vetabantur.
N. VO. Non Vero. *Magno.*
NVP. Nuptiæ. *Manutius.*
Nuptias. *Probus. Ms: Zabarella. Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius.*
N̄. VS. Non Vis. *Ms: Rhodii.*
NV. V. Nunc Vult. *Sarainas.*
N. VV. H. INF. S. Neminem Volumus Hoc Inferri Sepulcro. *Gratiosus.* In sepulcrorum particularium notis.

O.

Ob. *Sarainas. Manutius.*
O. Obtulit. Quandoque in Votivis, ut meo judicio, in hoc Saxo. *pag. 38. 12.*

APOLLINI
M. AVFVSTI
VS. CATVS. O

Officina. *Manutius. Licetus.*
Officium. *Manutius.*
Omnibus. *Diaconus. Gratiosus. Sarainas. Manutius.*
Omnino. *Manutius.*
Omnis. *Diaconus. Sarainas. Manutius.*
Opera. *Papias. Manutius.*
Opertum. *Sarainas. Manutius.*
Oppidum. *Manutius.*
Opinio. *Probus. Sarainas. Manutius.*
Oportet. *Probus. Diaconus. Ms: Rhodii.* Et reliqui.
Optime. *Sarainas. Manutius.*
Optimo. *Probus. Ms: Zabarella.* Et ceteri.
Optimus. *Probus. Manutius.*
Optio. In monumentis Militum sæpe. *Optio, est Optatio*, ait *Festus*; *sed in re militari, Optio appellabatur is, quem decurio, aut centurio optabat sibi rerum privatarum ministrum, quo facilius obiret publica officia.* Optio, qui ultimo Romani Imperii ævo dicebatur, antea vocatus est accensus; ita idem Auctor. *Optiones* vero, inquit Nonius Marcellus, *in cohortibus dicebantur, qui erant honesti gradus, ut optatos, quod est, electos; & adoptatos, quod, ascitos, Var. de vita Po. Roman. lib. 3. existimat appellatos. Referentibus Centurionibus, adoptati in cohortes subibant, ut semper plena essent legiones; a quo Optiones in turmis decurionum, & in cohortibus centurionum appellati.* Fuerunt & Optiones, publicorum debitorum exactores, ut patet ex *l. 9. Cod. de Jur. Fisci. lib. 10.* juncta *l. 3. Cod. de Apochis Publicis. lib. 10.* Atque inter hos esse, immunes illos credo, de quibus mentio *l. 6. ff. de Jur. Immunit.* De Optionibus fuse *Gutherius de Offic. Dom. Aug. lib. 3. cap. 9.*
Opus. *Sarainas. Manutius.*
Orbe. *Papias.*
Orbis. *Manutius.*
Ordo. *Probus. Sarainas. Manutius.*
Os. *Probus. Diaconus. Ms: Rhodii. Sarainas. Manutius.*
Ostendit. Ostentat. *Diaconus. Manutius.*
Undecim. *Antiquus Codex de Notis Numerorum.*
O. *Si in termino inveneris a septentrionali parte, sylvam demonstrat, & per ipsam sylvam rivus currit, & transversum signa demonstrat.* Auctores de Limit. Agrorum.
Ō. Omne. *Papias.*
Oportet. *Magno.*
Undecim Millia. *Antiquus Codex de Notis Numerorum.*
ꝺ. Omnibus. *Probus Ernstii.*
-O-. Operto. Opertum. *Probus Ernstii. Diaconus.* Qui addunt: *Et nomen militis appositum, ipsum obiisse demonstrat.*
Ꝋ. Ostentat *Probus Ernstii.*
O'. Oportet. *Diaconus. Manutius.*
Os *Magno.*
Ostendit. *Diaconus. Manutius.*
ŌA. Omnia. *Probus Ernstii.*
ϴ. AN. Mortuus Annorum.
O. A. Q. Omnis Ad Quos. *Probus*
Omnis Ad Quot. *Manutius.*
O. B. Omni Bonitate. *Manutius.*
OB. Obiit. *Manutius.*
Obiter. *Probus. Sarainas. Manutius.*
Oblato. *Manutius.*
Obriacum. *Diaconus. Manutius.* De typographico mendo tamen hic metuo; unde legendum potius crediderim, vel

Obri-

Obriziacum. *Magno*, vel

Obryzum. Hoc est, aurum purum, merum, & purissime coctum; ideo sic dictum, *Isidoro* auctore 16 *Etymolog. cap.* 17. *Quod obradiet splendore; est enim coloris optimi.* Obryzum anrum, *aurum ad obrussam* dixit *Suet. cap.* 44. in Nerone: *Exegit ingenti fastidio & acerbitate nummum asperum, argentum pustulatum, aurum ad obrussam.* Ad quæ Salmasius observat, obryzi auri, apud veteres Latinos nullam fuisse mentionem, sed auri ad obrussam exacti. Obrussam enim dixere, auri experimentum, quod igne fit.

Orbem. *Diaconus. Manutius.*

Orbis. *Manutius.*

OB. Obediens. *Papias.*

OB. AN. L. Obut Anno Quinquagesimo. *Scaliger.*

OB. CIV. S. Ob Cives Servatos. *Manutius.* Quæ notæ frequentissimæ In nummis Augusti, Tiberii, Caji, Claudii, Galbæ, Vitellii, ac Vespasiani, intra coronas civicas, atque in æreis præcipue. Adulatio antiquorum, certe fœdissima erga malos etiam Principes. Ad hasce coronas respexit *Ovidius* 4. *Trist. Eleg.* 1. canens sic:

Causa superposita scripto testata corona,
Servatos cives indicat hujus ope.

OB. CIV. SER. Ob Cives Servatos. *Probus. Manutius. Goltzius. Angelonus.*

OB. C. S. Ob Cives Servatos. *Probus. Ms: Zabarella. Appianus. Lazius. Manutius.*

OB. H. Ob Honorem. *Gualtherius.*

OB. HON. Ob Honorem. *Scaliger.*

OB. HON. AVGVR. Ob Honorem Auguratus.

OB. HON. AVGVST. Ob Honorem Augustalitatis. *Scaliger.*

OB. HON. IIVIR. Ob Honorem Duum Viratus.

OB. M. E. Ob Merita Ejus. *Probus. Sarainas. Manutius.*

OB. MER. DEDER. Ob Merita Dederunt.

OB. M. P. ET. C. Ob Merita Pietatis Et Concordiæ. *Probus. Sarainas. Manutius.*

OB. M. P. ET. CC. Ob Merita Pietatis Et Concordiæ. *Manutius.*

O BN. Omnia Bona. *Probus Ernstii. Diaconus. Manutius.*

O. BO. Omnia Bona. *Passeratius. Laurentius.*

OB. R. B. G. S. P. Q. R. Ob Res Bene Gestas Senatus PopulusQue Romanus. *Gratiosus.*

OBSEQVENTISS. Obsequentissimæ. Obsequentissimo.

OB. SISC. Obryzum Sisciæ. Obsignatum Sisciæ. *Hulsius.* In nummis Valentis. Obryzum Sisciæ, idest, aurum purum, vel nummus auri puri Sisciæ. Siscia urbs Pannoniæ superioris olim, nunc pagus est, *Ioanne Sambuco* teste, vulgo *Sisseg.*

O. C. Omnis Civitas. *Manutius.*

Ope Consilio. *Magno.* Quorum verborum vis penes juris peritos habetur *l.* 53. *ff. de Verb. Signifi.* §. *hem Dubitatum.* & apud *Cujacium*, ad easdem.

Ora Concilii. *Diaconus. Manutius.*

Ordo Clarissimus. *Manutius.*

Ore Concilii. *Diaconus. Manutius.*

OC. Occasus. Occidens. Oculus. Occultus. *Gratiosus.*

Occursum. *Diaconus. Papias. Manutius.*

OCCIS. Occisus. *Goltzius.* Quæ nota frequens in Fastis, cum alicujus in magistratu mors indicatur Romanis.

OCCVB. Occubuit. *Manutius.*

O. CON. Obrizatum Constantinopoli. *Manutius.*

A Operas Conduxit. *Probus. Manutius.*

OCR. OCRIC. Ocriculana. *Brissonius. Scaliger.* Tribus scilicet. Ocriculanam Tribum, quamvis inter illas quæ extra numerum, reponat *Panvinius in Descript. Civit. Roman. lib.* 2. eam tamen ex numero XXXV. fuisse credit, licet quænam fuerit, dubium relinquat; ab Ocriculo tamen Sabinorum urbe antiqua, nunc pago, Via Flaminia, vocatam, satis superque nomen indicat.

OC. CS. Occiso Cæsare. *Probus Ernstii.*

O. C. S. Ob Cives Servatos. *Probus. Sarainas. Manutius.*

B OCT. Octavianus. *Grassosus.*

Octobris. *Goltzius.*

OCT. KAL. NOBR. Octavo Kalendas Novembris. In Roma subterranea.

OCVL. Ocularius *Goltzius.*

OCVL. CAR. VERG. Oculnius Carisius Virgilius. *Vrsinus.* In nummis argenteis gentis Oculniæ Carisiæ Virgiliæ.

OD. Odium. Odor. *Gratiosus.*

Ordine. *Papias.*

Ordo. *Diaconus. Manutius.*

O. D. M. Opera Donus. *Probus Ernstii. Diaconus. Magno. Manutius.* Quæ tamen expositio mihi suspecta: explicandas enim tres hasce litteras puto, ex *Joannis Calvini* sententia, *in Lexico Juris.*

C Opera Donum Munus. Quæ verba quid in legibus valeant, satis compertum in *l.* 53. *ff. de Verb. Signif.* §. *Cum Vero.*

O. D. S. M. Optime De Se Merito. *Manutius. Scaliger.* Frequentissime in sepulcralibus monumentis parentum, amicorum, benemeritorum.

OE. Oportere. *Magno. Papias.*

O. E. B. Q. C. Ossa Ejus Bene Quiescant Condita. *Scaliger.* In sepulcralibus aliquando.

O. E. R. Ob Eam Rem. *Probus. Diaconus. Manutius.*

D OF. Offensa. Offensus. *Gratiosus.*

Officina. *Licetus.*

Officinarius. *Scaliger.*

Officinator. Officinatores dicendos censet *Gutherius de Offic. Dom. Aug. lib.* 3. *cap.* 19. monitores & operariorum præfectos, quos moneant, & segniores castigent, eosque exerceant, quibus sunt præpositi; Venetiis in Arce Navali, vulgo *Proti.* Officinatores autem fabros credit *Pignorius de Servis.* Ita ut Officinator monetæ, ejusdem sit faber, ut Officinator statuarum; quod abunde confirmat *in Lexico Vitruviano*, ad illa verba *Vitruvii lib.* 6. *Cum subtiliter officinatoris probabitur exactio*, *Bernardinus Baldus* his verbis: *Hoc vocabulo, Vitruvius omnes artifices, qui manu operantur, expressit, ut fabros lignarios, cæmentarios, sculptores, pictores & alios istis similes. Nomen ab Officina.* Ergo Officinator Monetæ, de quo mox, faber fuerit monetalis.

E O. F. B. Oportebit Fide Bona. *Probus Ernstii. Diaconus. Papias. Manutius.*

OFF. Officiales. Officialis. Officinæ. *Manutius.*

Officium. *Probus. Diaconus. Papias.*

Officinator.

F OFFIC. MON. Officinator Monetæ. *Gutherius.*

OFFIC. MONET. ARGENTAR. Officinator Monetalis Argentarius. Argenteæ scilicet monetæ faber.

OFFIC. TESSERARIOR. Officinator Tesserariorum.

O. F. N. D. Omni Fide Numini Dedicat. Opus Fecit Numini Devotus. *Gutherius.*

O. G. Omnes Gentes. *Gratiosus.*

Omnis Gens. Omnis Generatio. *Manutius.*

O. H F. Ob Honorem Fecit. Omnibus Honoribus Functus. Ossuarium Hoc Fecit.
O. H. IN. R. S. F. Omnibus Honoribus In Republica Sua Functus.
O. H. IN. R. S. F. H. G. Omnibus Honoribus In Republica Sua Functo Poni Hic Curavit.
OHO. Homo. *Ms: Rhodii. Magno.*
OHO. H. Homo Honestus. *Ms: Rhodii Magno.*
O. H. S. S. Ossa Hic Sita Sunt. *Probus. Manutius.*
O. L. Operas Locavit. *Probus. Manutius.*
Ostendit Locum. *Gratiosus.*
OL. Olla. Postremi usus vas fuit, servorum, pauperumque, cineribus condendis.
Olim. *Papias*
OL. Oleum. *Papias.*
OL. D. D. Ollam Dono Dedit.
OL. D. D. Q. Ollam Dedit DedicavitQue. Ex Saxo *pag.* 598. 9.

L. CALPVRNIO. L. L. FVLL. NO
MENCLATORI. AVG. L. CALPVR
NIVS. L. L. EVPHROSYNVS. AMIC
OPTIMO. OL. D. D. Q.

O. LEG. Optio Legionis. In militaribus.
O. LIB. LIB. Omnibus Libertis Libertabus. In sepulcralibus, libertis etiam communibus.
OL. III. Ollæ Tres. Ollas Tres. In sepulcralibus egenorum, quorum cineres ollis condebantur.
OLLI II. LI. *Sarainas. Manutius.*
OLL. IIII. D. D. Ollas Quatuor Dono Dedit, *vel* Dedicavit.
OLLVS. Ille. *Sarainas. Manutius.*
O. L. O. C. Opere Locato Opere Conducto. *Calvinus in Juris Lexico.* Quæ verba in Jure significare ostendit opus perfectum; ut patet ex *l. 5, ff. de Verb. Signific.*
OLPD. Olympiadis. *Papias.*
OLYM. Olympiadis. *Sarainas. Manutius.*
O. M. Optime Merito. *Manutius.*
Optumo Maximo. *Appianus. Lazius.*
Optimus Maximus. *Probus. Ms: Zabarella. Sarainas. Manutius.*
OM. Omnes. Omnia. *Gratiosus.*
Omnibus. *Probus Ernstii.*
Omnium. *Diaconus. Manutius.*
OMA. Omnia. *Diaconus. Ms: Rhodii. Papias. Sarainas. Manutius.*
OMB. Omnibus. *Ms: Rhodii. Magno. Sarainas. Manutius.*
O. M. D. S. Optime De Se Merito. Quandoque in sepulcralibus.
OMNIB. H. IN. RE. S. F. } Omnibus Honoribus In Republica Sua Functus. tum
OMNIB. H. IN. RE. P. SVA. FVNC. } in Coloniarum, tum municipiorum saxis.
OMNIB HONORIB. M. F. Omnibus Honoribus Municipii Functo, *seu*,
OMN. IN. RE. P. HON. FVNC. Omnibus In Republica Honoribus Functo. Non raro in lapidibus, honoris gratia alicujus memoriæ donatis.
OMNO. Omnino. *Sarainas.*
OMPN. Omnipotens. *Papias.*
O. MQ. Optimo MaximoQue. *Papias.*
O. M. S. Optimo Maximo Sacrum. Sic hujus Saxi notas explico *pag.* 1023. 3.

D. M
CONST
ANTIO. P
F. INV. AVG
O. M. S

Si fallat conjectura, doctiorum opem imploro.
OMS. Omnibus. *Diaconus. Manutius.*
O. M. T. Optimo Maximo Tonanti. *Scaliger.* In votivis, Jovique dedicatis lapidibus.
OM. V. F. Omnibus Vivis Fecit. *Diaconus. Manutius.*
Omnibus Vivens Fecit, *vel* Vivus. *Manutius.*
O. N. Officina Nostra. *Manutius.*
ONA. Omnia. *Diaconus. Manutius.*
O. N. F. AD. HS. N. LX. MIL. D. F. D. I. P. Omnes Nobis Faciant Ad Sestertiorum Numorum Sexaginta Millia Decurionum Fide Dividenda In Publicum. Quas omnes notas habet Saxum *pag.* 802. 8. quæ licet a me sic explicentur, Saxum tamen exhibeo, ut de ejus explicatione prudentiores judicium ferant:

L. MAG. MACIANO.
CL. SEVERA. MARITO.
KARISSIMO. ET. CORN
VALERIO. FIL. PIENTIS
SIMO. ET. MAG. PRISCI
NIANO. SOCERO. B. M
ET. SIBI. ET. IN. MEMO
RIAM. EOR. ET. SVI. COLL
N. B. AD. ROSAS. ET. PRO
FVSIONES. O. N. F. AD
HS. N. LX. MIL. D. F. D. I. P

ON°. Omnino. *Probus Ernstii. Manutius.*
ONTM. IMPL. Ornamentum Imperiale. *Diaconus. Manutius.*
O. O. Ordo Optimus *Manutius.*
OO. Omnes. *Diaconus. Manutius.*
Omnino. *Diaconus. Sarainas. Manutius.*
Oportebit. *Diaconus.*
Oportet. *Manutius.*
Oportuit. *Diaconus. Sarainas. Manutius.*
Ō. Ō. Oportuit. *Ms: Rhodii. Magno.*
ŌŌ. Omnino. *Ms: Rhodii. Magno.*
ee. Defunctis. Ut Manifeste indicat, Saxum *pag.* 708. 2.

D. M
SVPERINIO. RVSTICO
ET. SVPERINIAE. SVPE
RAE. INCEVINIA
IVNIA. MATER. FILIS. DVL
CISSIMIS. ee. ET. SEBI
VIVA. F. C

O. O. TS. Ornamentis Omnibus Textus. *Diaconus. Manutius.*
O. P. Optimo Patri *Sarainas. Manutius.*
Optimus Pater. *Manutius.*
Optimo Principi. *Ms: Zabarella. Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius.*
Optimus Princeps. *Manutius.*
OP. Oppidum. *Manutius.*
Opinio. *Papias. Appianus. Lazius. Manutius.*
Opiter. *Probus. Diaconus. Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius.* Opiter, antiquorum prænomen fuit, illi inditum, *qui patre mortuo avo vivo genitus erat.* Ita auctor *Epitomes de Nomin. Rat.* Quod prænomen binis litteris semper notatum fuisse monet *Sigonius* & *Panvinius.*
Oportere. *Diaconus. Manutius. Porta.*
Oportet. *Probus. Ms: Zabarella. Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius.*

Optimo.

Optimo. *Probus. Sarasnas. Appianus. Lazius. Manutius.*

Optimus. *Gratiosus.*

Opus. *Probus. Diaconus. Papias. Sarasnas. Manutius.*

OP. Oppidum. *Manutius.*

OP'. Opus. *Ms: Rhodus. Magno.*

OPAL. Opalia. *Manutius. Gruterus. Rosinus. Opalia dicebantur dies festi, quibus Opi supplicabant.* Ait *Festus*, eo quod, *Varrone auctore lib. 5. de Ling. Lat.* Opis feriæ tunc essent. Dies Opalibus deputatus, inter Saturnalia erat, cum primum, *Macrobii Saturnal. Sermon. lib. 1. cap.* 8. monitu, *Saturno pariter & Opi fuerit adscriptus. Hanc autem Deam Opim Saturni conjugem crediderunt; & ideo hoc mense* (Decembri scilicet) *Saturnalia, itemque Opalia celebrari, quod Saturnus, ejusque uxor, tam frugum, quam fructuum repertores esse credantur.* Opaliorum dies notatur in Kalendario, ad Decimum quartum Kalendas Januarii, qui mensis Decembris decimus nonus, fuitque nefastus primo.

OP.CI. Oppidum Civile. Oppidum Constructum. *Manutius.*

O.P.D. Ollæ Publicæ Datæ. *Scaliger.*

OP.DOL. Opus Dolare. *Scaliger.*

OP.ET.S.P. Optimæ Et Sanctæ Patronæ. Optimo Et Sancto Patrono. *Probus. Manutius.*

OP.EX.FIG. Opus Ex Figulina.

O.P.F. Optimo Patri Fecit. *Appianus. Lazius.* Optimo Patrono Fecit. Optimo Patruo Fecit. *Ms: Zabarella. Manutius.*

OPIC. Opiconsiva. *Manutius. Gruterus. Rosinus.* Opiconsiva in Capitolio celebrata kalendarium Romanum indicat. *Opiconsiva dies erat, a Dea Opeconsiva, cujus in Regia sacrarium; quod ideo actum, ut eo, præter Virgines Vestales & Sacerdotem publicum, introiret nemo. Is cum eat, suffibulum haud habeat. scriptum id dicitur a suffiendo, ut subligaculum.* Ita *de Ling. Lat. lib. 5. Varro.* Erat autem dies iste Nefastus primo, celebrabaturque octavo kalendas Septembris, qui Augusti vigesimus quintus.

OPIF. Opiferæ. Quod Cereris Epitethon.

OP.M. Optimo Maximo.

OP.MAX. Optimo Maximo. *Manutius.*

OPP. Oppidum. *Probus. Diaconus.* Ceterique Notarum explicatores.

Oportere. *Probus Ernstii.*

OPP. Oppressus. *Papias.*

OP.P. Optimo Principi.

Opus Pontis. *Manutius.*

Opus Principis. *Sarasnas. Manutius.*

OPP.CI. Oppidum Civile. Oppidum Constructum. *Manutius.*

OPP.C.I. Oppidum Civile Institutum. *Sarainas.*

OP.FORT. Optio Fortis. In Militaribus.

OPPOS. Oppositum. *Manutius.*

OPPOS.I. Oppositum Juris. *Sarainas.*

O.PRIN. Optimo Principi. *Probus. Manutius.*

OP.PRIN. Optimo Principi. *Probus. Ms: Zabarella. Appianus. Lazius. Manutius.*

OPT. Oportet. *Diaconus. Manutius.*

Optimæ. *Angelonus.*

Optimo.

Optimus. *Manutius.*

Optio.

OPTIM. Optimæ. Optimo.

OPTION. Optioni. *Gallus.*

OPTIO.7. Optio Centurionis. In militaribus sæpe.

OPT.MAX. Optimus Maximus. *Manutius.*

OPT.P. Optimo Principi. *Diaconus. Manutius.*

OPT.PRIN. Optimo Principi. *Manutius.*

OPVS.DOL.EX.FIG. Opus Dolatum Ex Figulina. *Gutherus.*

OR. Ordo. *Probus. Gratiosus. Sarasnas. Manutius.*

Ornato. *Probus. Sarasnas. Manutius.*

Ornamentum. *Gratiosus.*

Ornatus. *Manutius.*

ORB.PAR. Orbati Parentes. *Probus. Sarainas. Manutius.*

OR.C. Ore Consilio. *Probus Ernstii.*

ORD. Ordinis. *Probus. Manutius.*

ORD.DEC. Ordo Decurionum. *Servius.* Ordo Decurionum, collegium ipsum Decurionum, & curiam significabat; propterea Decurionum collegium, Ordo simpliciter appellabatur; hinc in ordinem regredi, habetur in *l. 15. ff. Ad Municip. & de Incol.* Ab ordine removeri, & in ordinem restitui dicitur in *l. 2. ff. de Decurion.* & in ordinem allegi, ut in *l. 13. ff. eod.* erat in ordinem Decurionum regredi, restitui, allegi, vel ab ordine Decurionum removeri. Sic ordines Dertosanorum, Barcinonensium, Clusinorum & similium sequentium, erant ordines Decurionum illarum urbium.

ORD.BARC. Ordo Barcinonensium. Hoc est, Decuriones Barcinonenses.

ORD.CLVS. Ordo Clusinorum. Clusium antiquissima Hetruriæ urbs, ac ex primis Tuscorum Coloniis, nunc ferme deserta.

ORD.DERTOS. Ordo Dertosanorum. Dertosa Hispaniæ Tarraconensis urbs est, vulgo *Tortosa.*

ORD.FELTR. Ordo Feltrensium. Feltria Venetorum est urbs, in Alpibus Tridentinis.

ORD.ILLIBER. Ordo Illiberitanorum. Illiberi *Plinio*, Hispaniæ Bæticæ urbs fuit, nunc excisa; locus tamen ejusdem, ut in *Lex. Geographic.* notat *Ferrarius*, *Elvire* communiter nunc vocatur.

ORD.LACT. Ordo Lactoratensium.

ORD.MENTESAN. Ordo Mentesanorum. Mentesa, Mentisa, *Antonino* & *Ptolemæo*, *Livio* Mentissa, urbs Hispaniæ fuit, in Oretanis finibus, nunc funditus eversa.

ORD.MVN.EPOR. Ordo Municipii Eporediensis. Eporedia, Eporredia *Plinio*, *Straboni* vero Eporædia, urbs est nunc etiam subalpinæ Galliæ, in finibus Salussiorum, ad Durium fluvium, vulgo *Jurea.*

ORD.NES. Ordo Nescaniensium.

ORD.RET. Ordine Retrogado. *Scaliger.*

ORD.SPOL. Ordo Spoletinorum. Spoletum, clarissima Umbriæ urbs.

ORI. Ordo. *Manutius.* Si modo subsistat.

OR.M. Ordo Militaris. *Manutius.*

Ordo Militiæ. *Sarasnas. Manutius.*

Ordo Militum. *Probus. Manutius.*

Ornamentis Militaribus.

OR.MIL. Ordo Militaris. Ordo Militiæ. *Manutius.*

Ordo Militum. *Probus. Manutius.*

Ornamentis Militaribus.

OR.MM. Ordo Militum. *Sarasnas.*

ORN. Ornamenta. *Sarasnas. Manutius.*

Ornamento. Ornavit. *Diaconus. Manutius.*

ORNAM.DECVR. Ornamentis Decurionalibus.

ORN.FLAMIN.EXORN. Ornamentis Flaminicis Exornatus.

ORN.IMP. Ornatus Imperialis. *Diaconus. Manutius.*

Ornamentum Imperiale. *Manutius.*

OR.O.T. Ornamenta Omnia Textus. *Probus Ernstii*

OR.SEPT. Ordo Septempedanorum. Septempeda,

peda, urbs Piceni est, ad Potentiam fluvium, vulgo *San Severino.*

ORTM.IMPL. Ornamentum Imperiale. *Probus Ernstii.*

OR.V. Horas Quinque. Horis Quinque. In Roma subterranea.

OS. Omnis. *Gratiosus.*

Omnes. *Papias.*

OS. Omnes. *Probus. Manutius.*

OS. C. Omnes Conciliat. *Probus Ernstii. Manutius.*

OSS. Ossibus. *Manutius.*

OSSAR. Ossarium, *vel* Ossuarium. Nam utrumque habent antiqua saxa. Ossarium locus erat, in quo defunctorum ossa condebantur, idest, sepulcra. Ita *l. 2. ff. de Sepulcr. Viol.*

OSSON. Ossonensibus. *Manutius.*

OST. Ostia. Ostium.

ΘT. Defuncto. Quod constat ex Saxo isto *pag. 705. 5.*

POMPEIA
LEPIDAE. SEG
ΘT. POMPEO
CELADO. F. SVO
H. M. H. N. S
IN. FRONTE. P. XV

OT. FN. Ostium Fenestræ. *Probus Ernstii. Diaconus. Manutius.*

OTIM. Optimæ. Scilicet.

O.V. Optimo Viro. Optimus Vir. *Manutius.*

Orbis, Universus. *Gratiosus.*

O.V.D. Omni Virtute Dedito. *Probus. Manutius.*

Omni Virtuti Dedito. *Sarainas. Manutius.*

OVF. Ouscotina. Tribus scilicet. *Laudus. Brissonius. Manutius. Scaliger. Gualtherius. Servius. Ousentina Tribus initio causa fuit nomen fluminis Ousentis, quod est in agro Privernate, inter mare & Terracinam. Livius Hist. lib.* 8. crescentibus civibus, anno V.C. CDXXXV. una cum Falerina, cæteris tribubus addita fuit; unde *Panvinius* eam ordine trigesimam recenset. *Postea*, ita *Festus*, *a Censoribus alii quoque diversarum civitatum eidem tribui sunt adscripti*, inter quos Mediolanenses, ut mox sequens nota confirmat.

OVF. MED. Ousentina Mediolano. *Scaliger.* Qui addit, *idest, tribu, ac patria.*

O.V.F. Omnia Vivens Fecit. *Probus. Ms: Zabarellæ. Appianus. Lazius. Brissonius. Manutius.*

Omnia Vivus Fecit. *Manutius.*

Omnibus Viva Fecit. *Reinesius.*

Omnibus Viris Fecit. *Probus. Sarainas. Manutius.*

Omnibus Vivens Fecit. *Probus. Manutius.*

Omnibus Vivis Fecit, Omnibus Vivus Fecit. *Manutius.*

Optimo Viventi Fecit. *Probus. Ms: Zabarella. Appianus. Lazius. Manutius.*

Optimo Viro Fecit. Optimus Vir Fecit. *Manutius.*

Ousentina. Licet punctis distinctæ tres illæ litteræ, nihilominus, Ousentinam Tribum significant, dummodo in lapidibus, Tribus locum teneant, quem post nomen gentilitium, & ante cognomen antiquos illi dedisse alibi jam monuimus. Mediolanum vero Ousentinæ Tribui adscriptum, non est qui neget.

P.

P. Pace. *Sarainas. Manutius.*

P. Pactum. *Papias. Sarainas. Manutius.*

P. Pallas. Parva. *Sarainas. Manutius.*

Passus *Probus. Ms: Zabarella. Appianus. Lazius. Manutius.*

Pater. *Probus. Diaconus. Sarainus. Manutius. Scaliger.*

Pati. *Manutius.*

Patria. *Manutius. Scaliger.*

Patriæ. *Diaconus. Sarainas. Manutius.*

Pax. *Manutius.*

Pecunia. *Sarainas. Manutius.*

Pedatum. In terminis, agrorum limites designantibus.

Pedes. *Probus.* Cæterique notarum explicatores; quod frequentissimum in monumentis, ad eorum latitudinem & longitudinem designandam.

Per. *Magno. Gratiosus. Manutius.*

Percussit. Percundum. *Manutius.*

Permissa. *Sarainas. Manutius.*

Perpetuo. *Scaliger.*

Perpetuo. Persona. *Sarainus. Manutius.*

Pes. *Papias. Manutius.*

Pessima. *Sarainas. Manutius.*

Petat. *Manutius.*

Petit. *Sarainas.*

Pie. Pietas. Piissimus. *Manutius.*

Pius. *Diaconus. Gratiosus. Sarainus. Manutius.* Pius, Ælii Aurelii Antonini gloriosum cognomen: *Sic idcirco appellatus*, ait in eo Spartianus, *quod socerum fessum ætate manu sublevaverit.* Qui tamen subdit: *Quamvis alii cognomentum hoc ei dicant inditum, quod multos Senatores, Adriano jam sævienti eripuisset; alii, quod ipsi Adriano magnos honores post mortem detulisset.*

Planci. *Manutius.*

Plane. *Sarainus. Manutius.*

Plebi. *Sarainas.*

Plebs. *Manutius*

Plurimum. *Sarainas.*

Plus. *Sarainas. Manutius.*

Pluviæ. *Manutius.*

Pœna. *Diaconus. Gratiosus. Manutius.*

Ponitur. *Diaconus. Manutius.*

Pontifex. *Manutius. Scaliger.*

Populus. *Sarainus. Manutius.*

Positus. *Manutius.*

Possessio. Possessor. Possit. Post. *Sarainas. Manutius.*

Posthumus. *Probus.*

Postulo. *Manutius.*

Posuit. *Probus. Sarainas. Manutius. Scaliger.* Frequentissime, imo fere semper in votivis, sepulcralibus, & honoris gratia dicatis saxis.

Potest. *Diaconus. Sarainas. Manutius.*

Potestas. *Sarainas. Manutius.*

Potestate. *Golizius.*

Præ. *Papias. Gratiosus. Sarainus. Manutius.*

Præeundum. *Sarainas.*

Præses. Præsens. Prætor. Prævaricator. *Manutius.*

Pridie. Primus. *Sarainas. Manutius.*

Princeps. *Manutius.*

Principes. *Hugo.* In militia. Principes fuere dicti, ut *Varroni* placet 4. *de Ling. Lat.* quia *a principio gladiis pugnarent*; vel ut *Vegetio de Re Milit. lib. 1. cap.* 20. & *lib. 2. cap.* 15. quia in prima acie dimicarent.

Principi. Prisci. Privato. Prius. *Sarainas. Manutius.*

Pro. Profectus. Promitto. *Manutius.*

Provincia. *Sarainas. Manutius.* Ut plurimum, cum alicujus Provinciæ nomen P. antecedit.

Provoco. Prudens. *Manutius.*

Publice. *Sarainas. Manutius.* Ubique in monumentis publice datis.

Publicus. *Diaconus. Papias. Manutius. Scaliger.*

In

In monumentis etiam publice destinatis; unde in eis non raro, Publicus locus Datus, vel Ponitur, aut Positus.

Publia. *Servius.* Prænomen mulieris usitatissimum; sic enim antiqui lapides.

Publius. *Probus.* Cæterique notarum explicatores, cum P. prænominis locum obtineat. Publius quippe, prænomen illorum fuit, *qui prius pupille facti erant, quam pranomina haberentur*; alii, *ominis causa ex pube.* Ita *Auctor* Epitomes de Nominum ratione. Hoc prænomen licet apud Romanos vulgatissimum, aliquando tamen & gentilitii nominis, inde & cognominis loco fuisse Saxa palam faciunt. Gentilitii nominis exemplum est in monumento *pag.* 738. 8.

D. M
L. PVBLICI. FELICIS
L. PVBLIVS. FAVSTVS
FILIVS. PATRI. B. M

Dummodo expungendus in monumento error non sit, qui forte typographicus, ita ut lapis habuerit, ubi L. PVBLIVS, L. PVBLICIVS: nam si pater Publicius fuit, facili negotio, imo certe Publicius etiam filius. At pro cognomine usurpatum Publii prænomen, patet in Saxo *pag.* 1146. 12.

D. M
POLITICI
PVBLII
POSVERVNT
CALLISTRAT
FRATER. ET
VICTORIA. COIVX
B. M

Puella.

Puer. *Manutius. Scaliger.* In monumentis Puerorum sæpe.

Pupillus. *Probus. Isidorus. Manutius. Pancirollus.*

Quadraginta. *Antiquus Codex de Notis Nummerorum.*

P̄. Præ. *Diaconus. Ms: Rhodil. Magno. Manutius.*

Præpes. *Diaconus. Manutius. Prapetes aves, Gellio* teste *Noct. Attic. lib. 6. cap. 6. ab Auguribus appellabantur, qua aut opportune pravolabant; aut idoneas sedes capiebant;* aut *qua ingentibus alis patula atque porrecta pravolabant, quoniam istas potissimum augures spectabant.*

Præses. *Manutius.*

Quadraginta mille. *Antiquus Codex de Notis Numerorum.*

Ꝑ. Per. *Diaconus. Ms: Rhodii. Manutius.*

Perscripsit. *Probus Ernstii.*

Pro. *Ms: Rhodii.*

Pᵒ. Pax. *Diaconus. Manutius.*

Post. *Ms: Rhodii. Magno.*

Pro. *Magno.*

ꝑ. Pro. *Probus. Diaconus. Papias. Manutius.*

ꝗ. Pupilla. *Isidorus.*

d. Pupilla. *Pancirollus.*

ꝗ. Possunt. Potentes. Potest. *Diaconus. Manutius.*

r. Primus. Littera Græca in magna inscriptione Latina apud *Gruterum pag.* 150. 7.

P. A. Patris Actio. *Probus. Papias.*

Pius Augustus.

Pluviæ Arcendæ. *Diaconus. Manutius.*

Posuit Aram. Quandoque in votivis.

PA. Pater. *Rubens.*

Papia. Tribus scilicet. *Scaliger.* Papiam Tribum inter illas reponit *Panvinius*, quæ post sociale bellum additæ; forteque a Papia gente, Italicarum nobilissima dictam putat, siquidem inter socialis belli duces, Papius Mutilus principem meruit locum, cujus gens postea civitate donata, Romæ etiam ad consulatum evecta est.

Pv. Pupilla. *Probus. Manutius.*

PACE. AVG. PERP. Pace Augusti Perpetua. In nummis Tiberii.

PACE. P. R. Pace Populi Romani. *Manutius. Angelonus.*

Pace Populo Romano. *Manutius.*

PA. DIG. Patritiatus Dignitas. *Manutius.* Patritiatus, non magistratus, sed ordinis nomen fuit: non enim unus fuit patritius, sed plures quasi Senatus Principes, ut qui florente Romana Republica, Consulares, Prætoriique fuerunt, quibus que & sella curulis & primæ sententiæ locus dabatur. Dignitatis hujus, vel temporibus Justiniani ortus debetur; vel saltem ipsius ævo sumpsit incrementum, quam de se bene meritis Imperatores, justæ remunerationis loco conferebant, ut auctor est *Cassiodorus Variar. lib.* 1. *Epist.* 3. De cujus honore, præter dandi Patritiatus formulam, quæ apud eundem legitur *lib.* 5. *n.* 2. plura etiam scribit, *lib.* 8. *n.* 9. & 10. Verum cum elegantem conferendi Patritiatus dignitatem *Calvinus in Juris Lexico*, verbo *Patritiatus*, recenseat, ex historia Pauli Foroliviani de Rebus Gestis Longobardorum, extante in Bibliotheca Vaticana, eam hic referre non injucundum fore opinatus sum: *Protospatarius veniens ante Imperatorem, osculabatur suum humerum, & dicebat: Maxime Imperator, adest, quem vocasti. Tunc stabat ad sinistram Imperatoris illius Hipparchus, quem nos dicimus prafectum, & dicebat ei Imperator: Cum Protospatario futurum Patritium adducito. Dum autem veniebat Patritius, in primis osculabatur pedes Imperatoris, deinde genu, ad extremum osculabatur ipsum: tunc osculabatur omnes Romanos circumstantes, & dicebant omnes: Bene venisti. Nobis nimium laboriosum esse videtur, concessum nobis a Deo ministerium solum procurare; quocirca te nobis adjutorem facimus, & hunc honorem tibi concedimus, ut ecclesiis Dei, & pauperibus legem facias, & inde apud altissimum judicem rationem reddas. Tunc induebat eum Imperator mantum, & ponebat ei in dextro indice annulum, & dabat ei bombacinum propria manu scriptum, ubi taliter continebatur scriptum: Esto Patritius, Misericors, & Justus. tunc ponebat ei in caput aureum circulum, & dimittebat.*

PAEDAG PVEROR. Pædagogus Puerorum. Pædagogi, apud antiquos, in servorum numero erant, *Pignorius de Servis*; ceteris tamen præstantiores in familia urbana, quia institutores, & magistri puerorum fuerunt. Nonius Marcellus, in verbo *educere: Educit obstetrix, educat nutrix, instituit padagogus, docet magister.* Observo tamen, non tantum puerorum institutores, pædagogos dictos; sed & voluntatis magnorum virorum directores. Veruntamen convitii loco usurpat *Suet. in Galba cap.* 14. *Regebatur trium arbitrio, quos inde & intra palatium habitantes, nec unquam non adharentes, padagogos vulgo vocabant.*

PAE. ET. ARR. COS. Pæto Et Arrio Consulibus. Qui cum non reperiantur in Fastis, in suffectorum consulum numero fuisse opinor, quibus inter eosdem non semper locus dabatur.

P̄. AEG. Præfectus Ægypti. *Probus Ernstii. Ms: Rhodii. Magno. Sarainas.*

Præses Ægypti. *Diaconus. Manutius.*

P. AEL. Publius Ælius. *Ms: Zabarella.*

P. AEL. AVG. LIB. Publius Ælius Augusti Li-

ſti Libertus. *Probus. Saraınas. Appianus. Lazius. Manutius.*

P. AEL. IVLIAN. Publius Ælius Julianus. *Zamoſcius.*

P. AEL. P. F. Publius Ælius Publii Filius.

P. AF. Præfectus Africæ. *Probus Ernſtii. Ms: Rhodii. Magno. Papias. Saraınas.*

Præſes Africæ. *Diaconus. Manutius.*

PA. F. Pater Filiæ, *vel* Filio.

P. A. F. A. Poſtulo An Fias Auctor. *Manutius.*

P. AF. P. Præfectus Africæ Provinciæ. *Magno.*

PAL. Palatina. Tribus ſcilicet. *Panvinius. Briſſonius. Auguſtinus. Gualtherius. Angelonus.* Palatina Tribus, a Palatino monte, ut omnibus apprime notum eſt, denominata, quarta Tribuum Urbanarum extitit, quæ fuere, Suburrana, Eſquilina, Collina, Palatina; ceteris tamen ignobiliores, quæ Ruſticæ appellabantur.

Palatini. *Manutius.* Qui in palatio militabant.

Palatino. *Saraınas. Manutius.*

Palilia. *Manutius. Palilia, dicta a Pale, quod & feria ei Deæ fierent. Varro de Ling. Lat. lib.* 5. Hæc, Victorini monitu, de Orthographia, *Parilia dicenda, non Palilia; quia non a Pale Dea, sed quod eo tempore omnia ſata, arboreſque, & herbæ parturiant, pariantque.* Parilibus diebus, Feſti ſententia, *Romulus Urbem condidit, quem diem feſtum præcipue habebant juniores.* Palilia tamen a Pale dicenda, ſuadet *Ovidius* 4. *Faſtor.* dum canit:

Nox abiit, oriturque aurora, Palilia poſcor;
Non poſcor fruſtra, ſi favet alma Pales.
Alma Pales, faveas paſtoria ſacra canenti,
Proſequor officio ſi tua facta meo.

Celebrata vero hæc ſollemnitas fuit Romæ, juxta Kalendarii Romani normam, undecimo Kalendas Maji, quæ Aprilis dies vigeſima prima; fuitque omnium maxima, utpote in qua Urbis Romæ natalis colebatur, ut ex *Ovidio* conſtat loco mox citato.

Palmatus. *Probus. Ms: Zabarella. Manutius.*

Palmenſi. *Simeonius.* Licet apud ipſum nota locum Tribus teneat, quod ineptum.

PALAT.
PALATIN. } Palatina. Tribus nempe. *Panvinius. Scaliger.*

PALMYR. Palmyrenſi. *Rubens.*

Palmyreno, *ſeu* Palmyrenus.

PALMYR. MAX. Palmyrenus Maximus. Sic Aurelianus Imperator cognominatus, Palmyrenis devictis, ut ex Flavio Vopiſco videre eſt.

PANN. Pannonia.

PANT. Pantomimus. *Manutius. Rubens.*

P. AO. Patris Actio. Principalis Actio. *Magno.*

PAP. Papia. Tribus videlicet. *Panvinius. Auguſtinus.* De qua dictum, nota PA. Non poſſum tamen arguere *Pierium Valerianum, de Antiq. Bellun. Serm.* 1. ad hanc inſcriptionem:

C. FL. HOSTILIVS
PAP. SERTORIANVS
LAVR. LAV. F. EQ. R. M
SIBI. ET. DOMITIAE
T. FILIAE. SEVERAE
CONIVGI. INCOMPARA
BILI
V. F
ΓPITOPI, XAIPE
OPECI AEI
MNHMON

Sic ſcribentem: *Puto vos non ignorare, verbis his explicandum eſſe: Cajus Flavius Hoſtilius Papinius Sertorianus.* Quamvis quilibet, vel antiquitatum notitia leviter tinctus, noverit legendum: *Cajus Flavius Hoſtilius Papia Sertorianus.* Siquidem in ſaxo, notam illam *Pap.* locum habere, ab antiquis Tribubus aſſignatum, ſatis abunde indicant omnes antiquæ epigraphæ Tribuum; licet eodem ſemper modo Tribuum notas legere *Pierius* conſueverit, ut paulo poſt MENEN. quæ *Menenia* Tribus eſt nota, pro *Menenio*, loco citato uſurpavit.

Papilius. *Saraınas.*

Papiria. Tribus. *Manutius. Scaliger.* Papiriam Tribum, quam ordine decimamnonam recenſet *Panvinius lib.* 2. *Deſcrip. Civit. Roman.* cum Feſto, a Papirio vocatam monet. Verum, cum Feſti verba fere omnia in codicibus ejus deficiant, interpretem Papiriam Tribum deſiderare, cum *Scaligero* ad Feſtum credo.

Papirius. *Manutius.*

PAPIR. Papiria. Tribus. *Briſſonius. Scaliger.*

PAR. Paraveram. *Saraınas. Manutius.*

Parentes. *Manutius.*

Parenti. Parentibus. In monumentis filiorum parentibus poſitis non raro.

Parentum. *Probus. Saraınas. Manutius.*

Parilia. *Gruterus. Roſinus. Scaliger.* Videas notam PAL.

Parthici. *Manutius.*

Parthicus. *Saraınas. Manutius.*

PAR. AR. AD. Parthicus Arabicus Adiabenicus. Ita cognominatus Severus, Parthis, Arabibus, Adiabenis devictis.

PAR. B. M. F. H. P. M. Parentibus Benemeritis Filius Hoc Poſuit Monumentum. *Gratioſus.*

PAR. CARIS. FAC. CVR. Parenti Cariſſimo Faciundum Curavit, *vel* Parentibus Cariſſimis. In monumentis, affectus filiorum, erga parentes exprimentibus.

PARETES. Parentes, ſcilicet, ut patet ex monumento Romæ ſubterraneæ *lib.* 4. *cap.* 37.

IANVARIO DVLCI ET BONO
FILIO OMNIBVS
HONORIFICENTISSIMO ET
IDONEO QVI VIXIT
ANNOS. XXIII. M. V. D. XXII
PARETES

Dummodo verbum iſtud aliquando notam ſuperius non habuerit, N. litteram deſignantem, quæ facili negotio fugit.

PAR. FEC. Parentes Fecerunt. *Manutius.* In lapidibus, affectus parentum erga filios demonſtrantibus.

PAR. FECR. Parentes Fecerunt. In Romæ ſubterraneæ ſaxis.

PAR. INF. P. Parentes Infeliciſſimi Poſuerunt. In monumentis, a parentibus filiis donatis, cum ſequentibus.

PAR. MOER. Parentes Mœrentes.

PAR. MOER. FIL. MER. P. C. Parentes Mœrentes Filio Merenti Ponendum Curaverunt.

PAR. OP. B M. Parenti Optimo Bene Merenti.

PART. Parthicus. Trajanum Imperatorem, primum Parthicum cognominatum obſervo, *Dione* teſte *Hiſt. lib. Niſibi, Batniſque captis, Parthicus cognominatus eſt Trajanus. Sed cognomine Optimi multo magis gloriari videbatur, ex quo natura, moreſque ejus ſuaviſſimi magis, quam arma cognoſcerentur.* Alter a Trajano, Parthicus poſtea dictus fuit Antoninus philoſophus, una cum Lucio Vero fratre, ut Capitolinus in ejus vita teſtatur; cum poſtea Imperatores multos, Parthicos cognominatos fuiſſe ſatis eorum indicent numiſmata.

PART.

PART. ARAB. ADIAB. Parthicus Arabicus Adiabenicus.

PARTH. Parthicus. *Probus. Appianus. Lazius Erizzus. Manutius.*

Parthico. *Rubeus.*

PARTH. MAX. Parthicus Maximus. *Scaliger. Gutherius.*

PART. MAX. Parthicus Maximus. *Scaliger.*

PAT. Patritius. *Diaconus. Ms Rhodii. Papias. Manutius.*

PAT. COL. Patrono Coloniæ. *Manutius. Scaliger.* Apud Romanos, patronos habuere clientes, liberti, municipia, coloniæ, provinciæ, nec non qui ope alicujus civitate donabatur, cum patronum habebat; ita *Adrianus Turnebus Advers. lib. 24. cap. 32.* Horum Patronorum Romulum auctorem scribit *Sigonius de Antiq. Jur. Ital. lib. 2. cap. 4.* ut enim, ait ille, Romulus, cives patritios, plebejorum tutores constituit, sic Coloniis, ac Sociis Populi Romani, quos vellent, ex civibus Romanis, sibi patronos deligendi copiam fecit, quorum opera in civitate uterentur, si quid esset quod ipsorum interesset, ac Romæ curandum esset. Privilegia Patronorum multa fuere; quæ omnia cum recenseat *Sigonius de Antiq. Jur. Civ. Roman. lib. 1. cap. 7.* cum lector consulat.

PAT. E. Pater Ejus *Magno.*

PAT. E. P. F. Pater Filio Ponere Fecit. Patri Filius Ponere Fecit. In sepulcralibus, tum filiorum memoriæ a parentibus positis; tum vicissim parentibus a filiis.

PAT. OPT. F. ET. S. Patri Optimo Fecit Et Sibi.

PATR. Patritiis. *Sarasus.*

Patritius. *Probus. Manutius.*

Patronus. *Gualtherius.*

PAT. R. Patritii Romani. *Diaconus. Manutius.*

PATR. B. M. S. P. Patritio Bene Merenti Senatus Posuit. *Gratiosus.*

Patri Benemerenti Sepulcrum Posuit, *vel* Patrono Bene Merenti. Patrono Bene Merenti Sua Pecunia

PATR. COL. Patrono Coloniæ. *Scaliger. Gualtherius.*

PATR. COL. ARIM. Patrono Coloniæ Ariminensis, *vel* Ariminensium.

PATR. COL. FABR. ET. CENT. Patrono Collegii Fabrorum Et Centonariorum. Nota namque COL. & Coloniæ & Collegii nota est. Collegii quidem, cum nomen præcedit alicujus vota, ut hoc in loco. Cæterum non tantum Municipia, Coloniæ, ac Provinciæ Patronos habuere, sed Collegia etiam; hoc tamen discrimine, quod Municipiorum, Coloniarum, ac Provinciarum Patroni cives fuere Romani, & quidem primores; Collegiorum vero, vel miles aliquis, vel illius urbis, in qua erant collegia, egregius quidam vir.

PATR. COL. CVR. RP. II. VIR MVNICIP. PROC. AVG. VIAE. OST. ET. CAMP. Patrono Coloniæ Curatori Reipublicæ Duumviro Municipii Procuratori Augustali Viæ Ostiæ Et Campanæ. Procurator Viarum, si idem, ut suspicor, ac Curator, Magistratus fuit, quem inter minores ordinarios Romanorum reponit *Panvinius Descript. Urb. Roman. lib. 2.* ab Augusto institutus, ut palam est ex *Suetonio* in ejus vita *cap. 37. Quoque plures partem administrandæ Reipublicæ caperent*, inquit, *nova officia excogitavit; curam operum publicorum, viarum, aquarum, alvei Tiberis, frumenti populo dividundi.* De Curatoribus Viarum hæc scitu digna observat *Lipsius Comm. ad 3. Annal. Taciti* his verbis: *Curatores ante Augustum fateor; sed nec perpetuum id, nec certum munus. Fecit utrumque Augustus. Quod ad IV. viros, scito discretum a Curatoribus eorum munus. Quatuorviri vias urbis curabant; Curatores eas, quæ extra Urbem. Sub Augusto, & Curatores viarum, & Quatuorviri, quorum munera, locis, regionibusque distincta: & dignitas sane Curatores, quia in vias illas grandes, extra Urbem, sumptus, & moles major.* De Curatoribus viarum suse quinetiam *Panvinius lib. 1. Descript. Urb. Roman.* ubi de Viis Romanis extra Urbem, & *Rosinus Antiquit. Roman. lib. 7. cap. 32.*

PAT. PAT. Pater Patriæ.

PATR. COL. IVL. AVG. PARM. Patrono Coloniæ Juliæ Augustæ Parmæ.

PATR. MVNICIP. HYDRVNTINOR. Patrono Municipii Hydruntinorum.

PATRO. COLL. FABR. COL. APVL. Patrono Collegii Fabrorum Coloniæ Apuli. *Zamoscius.*

PATRON. CIVIT. ASCVL. Patrono Civitatis Asculi.

PATRON. COL. Patrono Collegii. Patrono Coloniæ. Quod juxta inscriptionis œconomiam explanandum.

PATRON. MVN. Patrono Municipii.

PATR. PERAG. CVR. Patrono Peragendum Curavit. In servorum & libertorum monumentis Dominis potius.

Patronus Peragendum Curavit. In Patronorum libertis ac servis positis saxis.

PATR. REATIN. Patri Reatinorum, *seu* Patrono, ut constat ex saxo *pag. 96. 9.*

SANCO DEO
PAT. REATIN
SACRVM

Sancus Deus, quis fuerit, *Festus* his verbis explicat: *Propter viam fit sacrificium, quod est proficiscendi gratia, Herculi aut Sanco, qui scilicet idem est Deus.* Saucus ergo Hercules Reatinorum Pater; de quo accurate *Lilius Gyraldus Hist. Deor. Syntag. 1.*

PAT. SIG. LIB. D. POSVER. Paterami Signum Liberi Devoti Posuerunt. Lego in Saxo *pag. 69. 4.* quod hic exhibeo, ut de ejus explicatione judicium feratur.

LIBERO
AVG. SACR
ALFIVS. PRO
TVS. SAC
ET. LVCILIVS
MARTENSIS
PAT. SIG. LIB
D. POSVER

P. AVGVR. Publius Augur. *Scaliger.*

PAVL. Paula. Paulus.

P. BLAS. Publius Blasio. In nummis argenteis gentis Corneliæ, & quidem patritiæ, in qua Blasiones clari. Blæsus & Blasio cognomina forte eadem: *Sigonius de Antiq. Nomin. A lingua Balbi, & Blæsi. Sunt autem, qui R literam pronunciare non possunt, quo vitio laboravit Demosthenes. Unde illud in primo de Oratore: Demosthenes ita Balbus fuit, ut ejus artis cui studebat, primam literam dicere non posset. & in Priapo: Cum loquor, una mihi semper peccatur litera: nam T. P. dico semper, blæsaque lingua mea est. Eademque forte ratione Blasio, Corneliorum & Helviorum cognomen fuit.*

PBLC. Publicum. *Probus Ernstii. Diaconus. Manutius.*

P. B. M. Patri BeneMerenti. Patrono Bene Merenti. Posuit Bene Merenti. In sepulcralibus, ex Monumentorum scilicet diversitate & discrimine.

P. B.

P. B. M. F. Patrono Bene Merenti Fecit. *Manutius.*

P. C. Pactum Consuetum. *Manutius.*

Pactum Conventum. *Probus. Ms: Zabarella. Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius.* Legebanturque hæ duæ literæ sic in edictis perpetuis Prætorum antiquorum.

Patres Conscripti. *Probus. Diaconus.* Cæterique notarum explicatores; familiariterque occurrunt in orationibus antiquorum, coram Senatu habitis, edictisque perpetuis.

Patris Conventum. *Manutius.*

Patrono Coloniæ. *Probus. Ms: Zabarella. Manutius. Scaliger.*

Patrono Collegii.

Patrono Corporis. *Scaliger.* Corpus a Jurisconsultis, pro Collegiis & Universitatibus usurpatum patet ex *l. 3. §. A municipibus. ff. de Bonor. Possession. ex l. 1. §. Neque. ff. Quod Cujusque Universit. & ex l. 7. §. Item Municipes. ff. ad Exhibend.* Corporum namque tria genera statuunt. Ita *l. 30. ff. de Usucap. seu Usurp. Unum, quod continetur uno spiritu, & Græce ἡνωμένον vocatur, ut homo, tignum, lapis, & similia. Alterum quod ex continentibus, hoc est, cohærentibus constat: quod συνημμένον vocatur, ut est ædificium, navis, armarium. Tertium, quod ex distantibus constat, ut corpora plura, non soluta, sed uni nomini subjecta, veluti populus, legio, grex.* Cæterum P. C. Patronum Corporis significat, quotiescunque alicujus collegii artificum nomen sequitur.

Patronus Coloniæ. *Probus. Manutius.*

Pecunia Constituta. *Probus. Ms: Zabarella. Sarainas.* Cæterique explicatores, in edictis perpetuis.

Pedes Centum. *Sarainas. Manutius.* In sepulcralibus cippis indicant sepulcrorum magnitudinem; si in fluminum saxis, spatium inter eadem.

Pejus Cras. *Manutius.*

Per Consilium. *Diaconus. Manutius.*

Per Consulatum. Per Consules. *Diaconus. Manutius.*

Ponendum Curavit. Omnium frequentissime in sepulcralibus, cum unus scilicet.

Ponendum Curaverunt. *Scaliger.* Si plures.

Post Consulatum. *Diaconus. Magno. Sarainas. Manutius.*

Posuerunt Cippum. Posuit Cippum.

Præfecto Corporis. *Scaliger.*

Præfectus Castrorum. *Probus. Manutius.*

Præter Consulatum. *Papias.*

Prætor Creatus. *Manutius.*

Pro Consul. *Magno.*

Provinciæ Caput. *Probus Ernstii.* Hoc est, urbs metropolis. Ita notat glossa ad illa verba l. *7. ff. de Offic. Proconf. & Legat. Si in aliquam Civitatem, vel Provincia Caput advenerit.*

Publice Curavit. *Sarainas. Manutius.*

P'. C. Post Consulatum. *Ms: Rhodii.*

PC. Pecunia Constituta. *Probus. Manutius.*

Post Consulatum. In Roma Subterranea.

PC. Pacem. Pecudes. Pecunia. *Grattosus.*

Prisca. *Probus Ernstii. Diaconus. Papias. Manutius.*

PC. Proconsul. *Probus Ernstii. Diaconus.*

PC. Procurator. *Papias.*

PCA. Pecunia. *Papias.*

P. CANIDI. P. F. Publius Canidius Publii Filius. In nummis argenteis gentis Canidiæ.

P. C. ET. S. AS. D. Ponendum Curavit Et Sub Ascia Dedicavit. In sepulcralibus cippis.

P. C. ET. S. ASC. DDC. Ponendum Curaverunt Et Sub Ascia Dedicaverunt.

P. CI. Prætor Ciliciæ. *Geco.*

PC. IMP. Præfectus Imperii. *Probus Ernstii.*

P. C. L. Publius Cornelius Licinius. In ejus nummis, vocatus Valerianus Cæsar, Valeriani Imperatoris Filius.

Publii ConLibertus. In Libertorum saxis.

P. Ↄ. L. Publii Conlibertus.

PCL. Priscalis. *Probus Ernstii. Diaconus. Manutius.*

PC. L. Prisca Lis. *Manutius.*

Prisca Lex. *Magno. Papias.*

Prisci Latini. *Magno.*

PC. CL'. Præfectus Classis. *Diaconus. Magno. Papias.*

P. CL. R. Præfectus Classis Ravennatum. *Probus Ernstii. Diaconus. Magno. Manutius.*

Præfectus Classi Romanorum. *Manutius.*

PC. MSPT. Præfectus Classis Mesopotamiæ. *Diaconus. Manutius.*

P. C. N. Patrono Coloniæ Neapolitanæ. Patrono Coloniæ Nostræ. *Manutius.*

Posuerunt Communi Nomine. In mortuorum saxis.

PCNA. Pecunia. *Ms: Rhodii. Sarainas. Manutius.*

P. CON. Pactis Conventum. *Probus. Manutius.*

Patrono Coloniæ. *Manutius.*

P'. CONS. Post Consules. *Diaconus.*

P. CORNELI. Publius Cornelius. In nummis argenteis gentis Corneliæ.

P. COR. SAL. Publius Cornelius Saloninus. Ita dictus in nummis aliquando Valerianus, Gallieni filius.

P. COS. Post Consulatum.

Præter Consulem. *Papias.*

P. C. O. S. V. T. I. Ponendum Curavit Ostiarium Suum Vivens Titulum Jussit, *vel* Sibi Vivens Tumulum Instituit. Legi posse credo in hoc monumento *pag.* 641. 2.

ARTIS. CRETAR. DEF. QVI. VIXIT
AN. XXX. M. II. ET. AMATORIAE. ANI
MVLAE. MATRI. EIVS. VIVAE. Q. C. A
RAPTVLLIVS. AMATO. FRATRI. ET. MAT
RI. P. C. O. S. V. T. I

PCP. Princeps. *Manutius.*

Principem. *Probus Ernstii. Diaconus. Papias. Manutius.*

Principe. *Diaconus. Manutius.*

PC. PRAET. Præfectus Prætorii. *Diaconus. Manutius.*

Præfectus Prætorio. Præfectus Prætoribus. *Manutius.* Verum ultimam explicationem prorsus ineptam puto.

P. C. R. Pedes Centum Retro. *Sarainas. Manutius.*

Ponendum Curavit Requietorium. Nam Requietorium, quandoque expressum observatur.

P. CREPVS. Publius Crepusius. In nummis argenteis gentis Crepusiæ.

P. C. S. A. D. Ponendum Curavit Sub Ascia Dedicavit. In sepulcralibus.

PCT. Præceptum. *Probus Ernstii. Diaconus. Manutius.*

PCT. Præceptum. *Probus Ernstii.*

P. CVL. Præfectus Classis. *Ms: Rhodii.* Dummodo V non sit expungendum, & A post L reponendum.

P. D. Patritiatus Dignitas. Pecuniam Dedit. Persona Devota. Pro Delictis. *Manutius.*

Publice Dedit. *Probus. Ms: Zabarella. Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius.* Quod frequentissimum in votivis & sepulcralibus cippis.

PD. Prædium. *Probus Ernstii. Diaconus. Manutius.*

P. D. D. Posito Decreto Decurionum. Publice Dedicatum. *Scaliger.* In votivis & sepulcralibus. Publice Dedicavit, *vel* Dono Dedit.

PD. DC. Pondera Duodecim. *Probus Ernstii. Diaconus. Manutius.*

P. D. E. Publice Datus Est. *Probus Ernstii. Manutius.*

PDE. Possidere. *Diaconus. Manutius.*

Possideri. *Probus Ernstii.*

P. DEL. V. Pro Delictis Vindicandis. *Sarainas. Manutius.*

Pro Delictis Vindiciarum. *Probus. Sarainas. Manutius.*

PDE. L. V. Prædе Litis Vindiciarum. *Probus Ernstii.* In edictis perpetuis.

P. DM. Præfectus Damasci. *Probus Ernstii.*

P. D. S. Proposita Data Scripta. *Gutherius.* Tribus hisce literis Rescripta & Constitutiones Principum notabantur, ait *Brissonius de Formul. lib.* 3. Subscriptioque ista vulgaris ab eo appellatur, utpote quæ communi erat in usu. Multæ siquidem fuerunt subscriptiones in Rescriptis & Constitutionibus, quas omnes loco citato expendit, non tantum ille, sed & *Jacobus Gutherius de Offic. Dom. Aug. lib.* 1. *cap.* 36. apud quos intelligere est, quid subscriptiones istæ importarent.

P. D. S. M. Pecuniam Dedit Suo Munere. *Manutius.*

Publice Dedit Sibi Monumentum.

P. D. VI. AVG. Publius Decius Sevir Augustalis. *Scaliger.* Litera siquidem D. eo loco, omnimodo gentilitium denotat nomen, sive sit Decius, sive Decimus, Didius, Domitius, Duillius, quod quidem rarissimum apud antiquos, ad confusionem gentilitiorum nominum evitandam. Monumentum vero, cum his notis, observatur *pag.* 402. 3.

P. D. VI. AVG. CVI
OB. MERITA. ORDO
DERTOSAI. AEDI
HONOR. DECREVIT
P. VAL. PARDVS. LIBER
P. D. VI. AVG. PATRONO
OPTIMO

PD. XL. Pedes Quadraginta. *Gratiosus.*

P. E. Positum Est. *Gratiosus.*

Positus Est. Profectus Est. *Diaconus. Manutius.*

Posteris Eorum. *Manutius.*

Posteris Ejus. Quod frequentissimum in monumentis posteros admittentibus, dummodo hæ duæ litteræ extremo monumenti loco sint.

Publice Erexerunt. *Scaliger.* Aliquando in extrema monumentorum parte, honoris gratia dicatorum.

PE. Peditum. *Manutius.*

Pregrinum. *Magno.*

Potes. Potest. *Diaconus. Manutius.* Si tamen recte.

Præter. *Diaconus. Ms. Rhodii. Manutius.*

PE. Peditum. Potes. Potest. Præter. *Manutius.*

P. E. C. Pecunia Est Constituta. *Probus Ernstii. Diaconus. Manutius.*

PCE. Pecunia. *Probus Ernstii. Diaconus. Manutius.*

PEC. Peculio. *Sarainas. Manutius.*

Peculium. *Probus Ernstii. Manutius.*

Pecunia. *Probus. Diaconus.* Cæterique fere omnes.

PEC. PVB. C. Pecunia Publica Curavit. *Manutius.*

PECVLIAR. Peculiario. *Manutius.*

PED. Pedes. In omnibus fere saxis, quibus Pedum numerus designatur.

PED. C. XV. S. Pedes Centum Quindecim Semis.

PEDIQ. Pedisequa. Pedisequus. Pedisequi erant servi, pedes Domini sequebantur; ut Pedisequa, ancilla, quæ Dominæ.

PED. Q. BIN. Pedes Quadrati Bini. *Scaliger.*

PE. F. Publice Fecit. *Passeratius. Laurentius.*

P. EG. Præfectus Ægypti *Papias.*

PEG. Peregrinus. *Diaconus. Ms Rhodii. Manutius.*

PEG. Peregrinus. *Probus Ernstii.*

PEQ. Pecunia. *Scaliger. Gualtherius.*

P. EQ. R. M. Publico Equo Romano Meritus. *Pierius.* Ad quæ multa, *Antiquit. Bellun. Serm.* 1.

Publico Equo Romæ Meruit.

PER. Peregrinus. *Papias.*

Permissu.

Perpetuo. *Hemelarius.*

Pertinax. *Sarainas. Manutius.*

PER. AVG. Permissu Augusti.

Perpetuus Augustus. *Scaliger.*

PERM. Permissu. *Manutius.*

PERM. CAES. AVG. P. M. Permissione Cæsaris Augusti Pontificis Maximi. *Augustinus.*

PER. DIVI. AVG. COL. ROM. Permissione Divi Augusti Colonia Romulea, *vel* Romulensis. *Augustinus.* De Colonia Romulea dictum, litera C.

PERM. DIVI. AVG. MVNIC. ITAL. Permissu Divi Augusti Municipium Italicense. Italica, Hispaniæ Bæticæ urbs, vulgo *Sevilla la Veja*, trium Augustorum patria, Trajani nempe, Hadriani, & Theodosii senioris, de qua Augustinus *in Dialog. Antiq. Hisp. Dialog.* 8.

PERM. TRIB. PL. Permissa Tribunorum Plebis. *Manutius.*

PERP. Perpetua. *Erizzus.*

Perpetua. *Goltzius.*

PERT. Pertinax. *Probus. Ms. Zabarellæ. Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius.*

PET. Petit. *Sarainas. Manutius.*

P. ET. F. Pater Et Filius.

P. EX. R. Post Exactos Reges. *Passeratius. Laurentius.*

P. F. Pater Filio. *Manutius.*

Patris Filius. *Probus. Diaconus. Manutius.*

Pia Fide. *Sarainas. Manutius.*

Pia Fidelis. *Scaliger.* Si occurrant in militum saxis, in quibus legionum mentio.

Pius Felix. *Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius. Scaliger.* In Imperatorum lapidibus & nummis.

Ponere Fecit. Quandoque in sepulcralibus.

Potest Fieri. *Probus. Diaconus. Manutius.*

Præeunte Filio. *Scaliger.*

Proba Femina. Proba Filia. Promissa Fides. Publicæ Felicitatis. Publica Fama. Publica Forma. *Manutius.*

Publice Fecit. Publii Filius. *Probus. Ms. Zabarellæ. Appianus. Lazius.*

F. F. Potest Fieri. *Ms. Rhodii.*

P. FALC. Q. F. Publius Falco Quinti Filius. In nummis argenteis gentis Valeriæ, in qua Falcones clari, ita dicti, ex observatione *Alexandri ab Alexandro Genial. Dier. lib.* 1. *cap.* 9. *quod pollices pedum introrsus curvatos, Falconis instar haberent.* Nam & Falco, a falce, quam imitantur illius ungues & rostrum. Fuitque hoc cognomen Pompejis & Valeriis commune, ut *in Cognom. Indic.* notat *Glandorpius.*

P. F. A. N. Publii Filius Auli Nepos.

PF. ANN. Præfectus Annonæ. *Magno.*

P.F.AP.N. Publii Filius Appii Nepos.

PF.AVG. Præfectus Augustalis.

P.F.AVG. Pius Felix Augustus.

P.FBR. Præfectus Fabrorum, *vel* Fabrum. *Diaconus. Manutius.*

P.F.C.N. Publii Filius Caji Nepos.

P.F.CN.N. Publii Filius Cnæi Nepos.

P. F. D. Pater Filio Dedit. Patri Filius Dedit. In monumentis Filius a Parentibus positus, & contra.

Pecuniam Filio Donavit. Pecuniam Fratri Donavit. Persona Fecit Devota. Potestatem Filio Dedit. *Manutius.*

P.F.D N. Publii Filius Decimi Nepos.

P.FEL. Pius Felix. *Erizzus. Servius. Hermolaus.* Non raro in Impp. nummis.

P.F.F. Pater Filio Fecit. Patri Filius Fecit. Publice Fieri Fecit. Io sepulcralibus.

P.F.I. Publice Fieri Instituit, *vel* Jussit. In sepulcralibus & votivis aliquando.

P.FI. Primus Filius. *Ms: Rhodii.*

P.F.INV. AVG. O. M. S. Pio Felici Iovicto Augusto Optimo Maximo Sacrum. Io Imperialibus saxis.

P.F.K.N. Publii Filius Kæsonis Nepos.

P.FL. Patris Filius. *Magno.*

P.F.L.N. Publii Filius Lucii Nepos.

P.F.M. Patri Filius Mœrens. Posuit Filio Merenti. Io sepulcralibus.

P.FM. Pater Familias. *Probus Ernstii. Magno. Papias.*

P.F.M.N. Publii Filius Marci Nepos.

P.F.M'.N. Publii Filius Manii Nepos.

P.F.M.S.I.L.P. Pater Filio Monumentum Summo In Luctu Posuit. *Gratiosus.*

Pater Filio Monumentum Sua Impensa Libens Posuit, *vel* Patri Filius.

P.F.N.N. Publii Filius Numerii Nepos.

P.F.O. Patris Filius Optimus. *Diaconus. Manutius.*

Pio Felici Optimo. Io Imperatorum saxis.

PF. P. Præfectus Prætorio. *Gutherius.*

PF.P.II. Præfectus Prætorio Iterum.

P.F.P.N. Publii Filius Publii Nepos.

P.F.Q.N. Publii Filius Quinti Nepos.

P.F.ROMAN. Publicæ Felicitati Romanorum.

P.F.SER.N. Publii Filius Servii Nepos.

P.F.SEX.N. Publii Filius Sexti Nepos.

P.F.SP.N. Publii Filius Spurii Nepos.

P.F.T.N. Publii Filius Titi Nepos.

P.F.TI.N. Publii Filius Tiberii Nepos.

P.F.V. Pio Felici Victori. In Imperialibus.

PF. V. Præfecto Urbis.

PF.VIG. Præfectus Vigilum. *Magno.*

P.F.VOLER.N. Publii Filius Voleronis Nepos.

P.FVRI. P. F. Publius Furius Publii Filius. In nommis argenteis gentis Furiæ.

P.G. Præfectus Galliarum. Publice Gereodom. *Manutius.*

P.GAL. Præfectus Galliarum. *Magno. Sarainas. Manutius.*

Præses Galliarum. *Manutius.*

P. GAL. Publius Galba.

P.GALB.AE.CVR. Publius Galba Ædilis Curulis. Utraque enim nota reperitur in argenteis nummis gentis Solpiciæ, io qua Galbæ præclari. Galbæ cognominis originem obscuram scribit *Suetonius in Galba cap.* 3. his verbis: *Qui primus Sulpiciorum cognomen Galba tulit, cur, aut unde traxerit, ambigitur. Quidam putat, quod oppidum Hispaniæ frustra diu oppugnatum; illitis demum galbano facibus succenderet: alii, quod in diuturna valetudine, galbeo, idest, remediis lana involutis assidue uteretur; nonnulli, quod prapinguis fuerit visus, quem Galbam Galli vocant; vel contra, quod tam exilis, quam sunt animalia, quæ in esculis nascuntur, appellanturque Galbæ.* *Alexander* tamen *ab Alexandro Gen. Dier. lib.* 1. *cap* 9. Galbas denominatos vult a colore, vel ab indumento, sic scribens: *Galbas quoque a colore galbulæ avis credunt denominari: est enim passeris genus, luteis pennis. tametsi a galbeo indumento aliqui dictos asseverarent.* Erat autem Galbeum indumentum ornamenti genus, *Festo* auctore, ex observatione Turnebi *Adversar. lib.* 17. *cap.* 7. *armillæ, quibus etiam triumphantes utebantur, quæque adeo militibus donabantur virtutis ergo.*

P. GL. Præfectus Galliarum. *Ms: Rhodii.*

P.H Positus Hic. *Diaconus. Manutius.*

Publice Hic. *Manutius.*

P.H.C. Patrono Heres Curavit. *Manutius.*

Ponendum Hic Curavit.

Ponendum Hoc Curavit. In sepulcralibus sæpe, eorumque extremis.

Poni Hic Curavit.

Prætor Hispaniæ Citerioris.

Provincia Hispania Citerior. *Scaliger.*

Publice Heres Curavit. *Manutius.*

Publicus Honor Curandus. *Probus. Sarainas. Manutius.*

P.H.E. Positus Hic Est. *Probus Ernstii.*

PHI.LV.ME.NVS. *Hoc est*, Philumenus. Lego in hoc Saxo *pag.* 128. 6.

C. IVLIVS. PHI. LV. ME. NVS
AEDEM. ET. LAREM. RENOVA
VIT. EX. VOTO

P.HISP. Patrono Hispaniæ. *Manutius.*

Provincia Hispania.

P.H.M.N.H. Posuit Hoc Monumentum Nomine Heredis. Posteri Hoc Monumentum Non Habeant. Verum, quænam germana harum notarum sit explicatio, doctiorum judicio subjicio; quod ut melius prodeat, Saxum insculptum iis exhibeo *pag.* 599. 3.

D. M
HERMOGORO. FLORO. ET
EVCHARIDE. PACONIAE
LIB. KARISS
HERMOGORVS. FELIX. AVG
NOMENCLATOR
P. H. M. N. H

P.I. Patre Indulgentissimo. Populus Irrogavit. *Manutius.*

Ponere Jussit, *vel* Poni.

Princeps Juventutis. *Sarainas. Manutius.*

Principi Juventutis. *Lazius. Manutius.* Principes Juventutis dictos primum crediderunt aliqui, qui in Trojæ ludicro ductores turbæ puerorum, Romæ erant. A ludo ad publicum honorem nomen hoc primus transtulit Augustus: nam sicut ille ex cæteris patribus eminebat, ita suos libertos ceteris adolescentibus antestare curavit. hinc ab Augusto ad Imperatores ceteros fluxit mos, ut eorum filii Principes Juventutis vocarentur, eratque, ut notat Æmilius Ferretus, ad primum *Taciti Annalium*, *gradus Principis informandi, & veluti designati jam atque electi; quod hodie in Imperatoribus, Regis est Romanorum; in Regno Galliæ, Delphini; in Hispania, Principis.*

Publice

Publice Instituit. Publice Jussit.

Publicus Irrogavit. Publius Irrogavit. *Manutius.*

PI. Pius. *Gratiosus.*

PI. Primi. *Ms: Rhodii.*

PIA. M. H. S. E. S. T. T. L. Pia Mater Hic Sita Est Sit Tibi Terra Levis.

P. I. A. V. P. V. D. Prætorem Judicem ArbitrumVe Postulo Uti Des. In Prætoriis Romanorum edictis; siquidem hac dicendi formula postulabantur a Prætore Judices, qui de ea re, de qua agebatur, cognoscerent, ut recte observat *Brissonius* diligentissimus, *de Formulis lib.* 5.

PIC. Periculum. *Magno. Papias.*

Piceno. *Magno.*

Picentes. *Probus Ernstii.*

Picenum. *Probus Ernstii. Diaconus. Papias. Manutius.*

PIC. Prisca. *Ms. Rhodii.*

PIC: Periculum. *Probus Ernstii. Diaconus. Ms: Rhodii.*

PIC. ANN. Piceno Annonario. *Magno.* Piceni provincia in Annonariam & Suburbicariam dividebatur. Annonaria dicebatur illa, quæ Romano Populo Annonam exhibebat copiosam; prout & nunc, etiam annonæ ferax est. Suburbica, quæ & Urbicaria, vel quia ob Romanæ Urbis propinquitatem, ejusdem esset veluti Suburbium; vel quia Principes in ea multa possiderent prædia, ut diligenter observat *Pancirollus in Not. Imp. Occid. cap.* 2. necnon omni a me colendus veneratione amicus, Pompejus Compagnonus *Parte Prima Regia Picena*, Italice conscripta.

PICEN. Piceni. *Manutius.*

Picenum. Picentes. *Probus Ms: Zabarella. Appianus. Lazius. Manutius.*

PIC. L'. Prisca Lex. *Ms: Rhodii.*

PIC. ORB. Piceno Orbicario. *Diaconus. Manutius.*

P. I. C. P. P. R. V. Pace Janum Clusit Parta Populo Romano Ubique. Ita quidem *Manutius.* Verum pace tanti viri, inconcinna prorsus, atque confusa est harum litterarum dispositio: nam, ut suo patebit loco, in antiquis lapidibus, & Imperatorum nummis, Neronis præcipue, sic observantur disposita: P. P. R. V. P. I. C. quas non est qui nesciat sic legendas esse. *Pace Populo Ubique Parta Janum Clusit.* Quod raro contigisse Romæ testatur *Suetonius*, narrans, ab Augusto *Janum Quirinum semel atque iterum a condita Urbe, ante memoriam suam clausum, multo breviore temporis spatio, pace terra marique parta, tertio clusisse.*

PIC. VRB. Piceno Urbicario. *Magno.* Quod idem ac Suburbicarium, ut paulo altius dictum.

PIENT. Pientissimus. *Probus. Ms: Zabarella. Sarainas. Manutius.*

PIENTISS. Pientissimæ. Mulieri scilicet.

Pientissimus. *Probus. Appianus. Lazius. Manutius.*

PIET. Pietas. Cum simulacro Pietatis, in nummis argenteis Trajani Imperatoris.

Pietatis. *Manutius.*

PIGMENTR. Pigmentarius. *Probus Ernstii.* Pigmentarii iidem ac Pharmacopolæ, & medicamentorum propolæ, ut ex *l.* 3. *ff. Ad leg. Cornel. De Sicar.* constat. Nam *Senatusconsulto effectum est, ut Pigmentarii, si cui temere cicutam, salamandram, aconitum, pityocampas, buprestim, mandragoram, & id quod lustramenti causa dederint, cantharidas, pœna teneantur hujus legis.*

PIGNORIB. Pignoribus Scilicet.

PIISS. FORTISS. FELICISS. D. N. Piissimo Fortissimo Felicissimo Domino Nostro. In monumentis Imperatorum sæpe, post Gallienum, & Tyrannos præcipue.

P. II. ∞. L. Pondo Duo Semis Librarum. *Scaliger.*

P. II. S∴ Pondo Sestertio Semis Et Triente. *Gualtherius.*

PIL. Piladis. *Sarainas. Manutius.*

P. ILL. Præfectus Illyrii. *Manutius.*

P. IMP. OR. Præfectus Imperii Orientalis. *Diaconus. Manutius.*

PIQ. Postquam. *Manutius.* Ni error adsit.

P. IR. Populus Irrigavit, *vel* Publius. *Probus Ernstii.* Quod mihi parum probatur: ineptus quippe quidam Librarius forte hoc scripsit, pro *Populum Jure Rogavit*, ut mox patebit.

P. I. R. Populum Jure Rogavit. *Probus. Ms: Zabarella.* Ac fere cæteri omnes. Consul, cum ad Populum alicujus legis rogationem proponebat, verba hæc sollemnia, initio cujusque legis præmittebat: *Populum Jure Rogavit, Populusque Jure Scivit.* Ut scilicet juridica, & ordinata legis rogatio in conspectu esset. Nec vero initio duntaxat legum rogationes, ad Populum a Consulibus latarum, sed & Plebiscitorum quoque cum a Plebe, Tribuno Plebis interrogante, sciscebantur, idem adscribi moris erat, quemadmodum *Livius. lib.* 3. *Hist.* planum facit, his verbis: *M. Duillius Tribunus Plebis Plebem rogavit, Plebsque ita scivit. Brissonius de Formul. lib.* 2.

P. I. R. P. Q. I. S. Populum Jure Rogavit PopulusQue Jure Scivit. *Manutius. Brissonius.*

P. I. R. P. Q. I. S. I. F. P. R. E. A. D. P. Populum Jure Rogavit PopulusQue Jure Scivit, In Foro Pro Rostris Ex Ante Diem Pridie. *Probus. Sarainas. Appianus. Manutius. Brissonius.* Qui ad hæc consulendus, *de Formul. lib.* 2.

P. IRR. Pœnam Irrogavit. Populus Irrogavit. Publicus Irrogavit. *Manutius.*

P. I. S. Pia In Suis. Pius In Suis. In sepulcralibus sæpe.

Pius In Suos. *Manutius.*

Ponendum Jussit Sibi. *Servius.*

Posteris Item Suis. *Manutius.*

Publica Impensa Sepultus. *Scaliger.*

P. ISAVRIC. P. F. Publius Isauricus Publii Filius. In nummis argenteis gentis Serviliæ, in qua Isauricum, cognomen celebre.

PISAVR. PVBLIC. Pisaurenses Publice.

PISCAT. ORIN Piscator Orinator. *Reinesius.* Urinatores sunt periti natores, qui adposita circa pectus machina, in capita se dimittebant, ut urnæ in altum, vel attollendis anchoris, si hærebant, vel extrahendis rebus submersis & mercibus, vel venandis ostreis & purpuris, quod in usu nunc etiam est in bellis navalibus.

P. I. S. H. S. E. S. T. T. L. Pia In Suos Hic Sita Est Sit Terra Levis, *vel* Pius In Suos Hic Situs Est. Addebantur frequentes in monumentorum oris, ut parentum ac patronorum, in filios, servos, familiam, heredesque pietas constaret.

P̄. ISP. Præfectus Hispaniæ. *Diaconus. Manutius*

PISS. Piissima. Piissimæ. Piissimus.

P. IV. Poni Jussit, *vel* Ponere.

Principes Juventutis. *Manutius.*

Principi Juventutis. *Sarainas. Manutius.*

P̄. IVD. Præfectus Judææ. *Diaconus. Ms: Rhodii. Magno. Papias. Sarainas. Manutius.*

PIVG. Privilegiis. *Diaconus. Manutius.* Privilegium. *Magno.*

P. IVS. Ponere Jussit, *vel* Poni.

P. K. Parens Karissime. Imperatoribus in usu fuit, Rescriptorum, Constitutionumque initiis salutem adscribere. *Have Karissime Nobis*, addito etiam nomine aliquando illius, cui dabatur rescriptum;

ptum; sed in rescriptis Patriciorum, & Præfectorum Prætorio, loco *Have Kariſſime*, *Parens Kariſſime*, adnotabatur, vel *Parens Kariſſime Ave.* Imo nec Præfecti Prætorio tantum, sed & Præfecti Urbi hoc titulo donabantur, ut ex *l. 2. de Pact. in Cod. Theodoſ.* apparet & ex *Impp. Theodoſii & Valentiniani Nov. 1. & 2. de Invaſorib. Nov. de Corporat. Urb. Rom. & Nov. de Honorat.* ne alias hic quam plurimas advocem auctoritates. Hoc pariter Epithetum tribuerunt Imperatores & Magistris Officiorum; ut Impp. Theodosius & Valentinianus fecerunt *Nov. 1. de Tyronib. & Magiſtris Militum & Nov. 4. de Amota Militantib. Fori Præſcript.*

Pecunia Kartaginensis. Percussa Kartagini. *Santamantius.* Quæ explicatio si germana, locum habebit, ubi occurrunt notæ in nummis Imperatorum ultimi ævi, ac præcipue illius Alexandri, qui temporibus Licinii & Maxentii usurpavit Imperium, & cujus exhibet numisma *Santamantius Tom. 3. folio mihi* 440.

Prætori Kandidato. In monumento C. Salii Aristæneti in *Gruteriano* opere *pag.* 465. 6.

Pridie Kalendas. Frequentissime in lapidibus, ubi expressi menses

P. KA. Parens Kariſſime. *Magno. Gruterus.*

P. K A. Parens Kariſſime Ave. *Briſſonius. Gutherius.*

P K. AA. Parens Kariſſime Augustorum. *Briſſonius.*

P KAL. Pridie Kalendas.

P. K. Q K. Prætori Kandidato. Quæstori Kandidato. Lego in monumento T. FL. Postumii Titiani, in inscriptionum corpore *Gruteri pag.* 459. 7.

P. L. Posuit Libens. Posuit Lugens. In extremis lapidibus mortuorum.

Publii Libertus. *Probus.* Omnesque notarum Interpretes, si duæ hæ literæ gentilitio alicujus succedant nomini.

Publius Libertus. *Probus. Manutius. Rubens.*

PL. Placuit. *Magno.*

Plebs. *Ms: Zabarella. Gratioſus. Manutius.*

Plebis. *Probus. Saraınas. Manutius.*

Plus. *Manutius.*

P-L. Placuit. *Papias.*

PLC. Placuit. *Papias.*

P. L. C. Pecunia Lugduni Cusa. *Santamantius.* In nummis Delmatici.

Patronus Liberto Curavit, *vel* Patrono Libertus.

PLD. Placidus. In Roma subterranea.

PLE. Plebis. *Probus. Appianus. Lazius. Manutius.*

Plebs. *Ms: Zabarella.*

PLEB. Plebis. *Probus Ernſtii. Manutius.*

PLEB. VRB. ET. HON. V. Plebs Urbana Et Honore Usi. *Probus. Saramas. Manutius.*

Plebs Urbana Et Honesti Viri. *Manutius.*

P. LENT. P. F. CN. N. MARCELLIN. Publius Lentulus Publii Filius Cnæi Nepos Marcellinus. In nummis argenteis gentis Corneliæ, in qua Marcellinus iste e gente Claudia plebeja in Corneliam, per adoptionem transiit, quod patet ex Marcellini cognomine illi Lentulo addito, quod Claudiorum plebejorum peculiare, unicum & gloriosum fuit.

P. LENT. P. F. L. N. Publius Lentulus Publii Filius Lucii Nepos. In nummis argenteis gentis Corneliæ, cum sequenti.

P. LENT. P. F. SPIN. Publius Lentulus Publii Filius Spinther. Lucius ille Cornelius, Spinther cognominatus fuit, quia mimum assimilabat, cui hoc fuit forte nomen obtigit ab eventu, non ab armillis, quibus in utroque brachio utebantur mulieres, ut ex *Feſto*, ad hanc vocem, patet. Verum Spinther, pro Sphinter, vel a Spinthria infamis libidinis specie, vel ab ano, seu podice, qui & inde nomen habet.

P. L. F. Patrono Libertus Fecit, *vel* Patronus Liberto.

Publia Lucii Filia. *Servius.*

P. LGA. TP. Per Longa Tempora. *Probus Ernſtii. Diaconus. Manutius.*

P. LIC. M. F. P. N. Publius Licinius Marci Filius Publii Nepos. In nummis argenteis gentis Liciniæ.

P. L. L. Posuerunt Libentissime. Dummodo vera sit explicatio harum singularum, in hoc votivo lapide *pag.* 54. 8.

DEO. MERCVRIO SING
EX. VOTO. IVL. GALLICVS
ET. AVR. SIBVLLA. P. L. L

P. L. M. Posuit Libens Merito. In votivis & Deorum cippis.

Posuit Locum Monumenti. In sepulcralibus.

PL. M. Plus Minus. *Gualtherius.* In Roma subterranea.

PLN. Plenum. *Gratioſus.*

P. LN. Percussa Lugduni. *Santamantius.* In nummis Constantis & Constantii, Constantini Magni filiorum

P. LON. S. Pecunia Londinio Signata. *Velſerus.*

PLRS. Palerus. *Probus Ernſtii.* Qui tamen hoc improbat, ad *caput* 15. *Notar. Prob.*

Plerosque. *Diaconus. Manutius.*

PLT. Palatium. *Saramas. Manutius.*

Placitum. *Probus Ernſtii. Diaconus. Manutius.*

Placita. *Manutius.*

PLT. Platea. *Ms: Rhodii. Saramas.*

P. L. TPR. Per Longa Tempora. *Gratioſus.*

P. LVGD. Pecunia Lugdunensis.

Pecunia Lugduni. *Gutherius.*

Percussa Lugduni.

P. M. Passus Mille. *Rubens.*

Persona Mala. *Manutius.*

Plus Minus. *Probus. Ms: Zabarella. Manutius. Scaliger.*

Pontifex Maximus. *Probus. Ms: Zabarella. Saramas. Manutius. Goltzius. Scaliger.*

Post Mortem. *Scaliger.*

Posuit Merenti. Posuit Mœrens. Posuit Monumentum. In sepulcralibus.

Principi Militum. *Saramas. Manutius.*

L. M. Principi Militum. *Probus. Manutius.*

P. M. DICT. TER. Pontifex Maximus Dictator Tertium. In argenteis Cæsaris & Lepidi nummis.

P. M. III. VIR. ITER R. P. C. Pontifex Maximus Triumvir Iterum Reipublicæ Constituendæ. In nummis argenteis Lepidi.

PMS. Præstamus. *Probus Ernſtii.*

PMS. Præstamus. *Diaconus. Manutius.*

P. M. S COL. VIM. Provinciæ Mysiæ Superioris Coloniæ Viminatium. *Santamantius.*

P. MSPT. Præfectus Mesopotamiæ. *Probus Ernſtii.*

P. M. T. P. IMP. P. P. Pontifex Maximus Tribunicia Potestate Imperator Pater Patriæ. In monumentis & nummis Imperatorum non raro.

P. MVCI. P. F. Q. N. Publius Mucius Publii Filius Quinti Nepos. In nummis argenteis gentis Muciæ.

P. N. Pecunia Nostra. Pœnæ Nomine. *Manutius.*

Publii

Publii Nepos. Semper notæ cum istæ nomen patris alicujus in monumento sequuntur.

PNA. Pecunia Piscina. *Manutius.*

PNT. Ponte. *Probus Ernstii. Diaconus. Manutius.*

P.O. Patri Optimo. Pio Optimo. Posuit Ossuarium, *vel* Ollam, *vel* Optime.

PO. Poblilia. Tribus. *Scaliger.* Hæc Popilla, & Popillia dicta fuit, observatione *Panvinius lib.* 2. *Civit. Roman.* quam vigesimam septimam statuit. *Paulus Festi* abbreviator, *Popilliam Tribum a progenitrice traxisse vocabulum* auctor est. unde *Josephus Scaliger* in Castigationibus ad *Festum*: *Popilia Tribus, una triginta quinque Tribuum: tot enim fuerunt, dicta a Popilia feliei nomine, a quo & Tribus Pinaria, a sororis ejus nomine. Non dubium est ita scripsisse: nam quid manifestius, quam a Popilia femina dictam Tribum, cujus nomen auspicatissimum habebatur, ac bona scæva, ut tunc loquebantur.* Quod si verum, non a loco prope Pontinam, Tribus hæc nomen est adepta, ut *Panvinio* loco citato placet.

Populus. *Gratiosus. Manutius.*

Posuit. Frequentissime, in votivis & sepulcralibus saxis.

Potestas. *Probus Ernstii.*

Potest. *Sarainas.*

PO. Potest. *Probus Ernstii. Diaconus. Ms: Rhodii. Magno. Papias. Manutius.*

P°. Poterit *Magno.*

POB. Poblicius. *Ms: Zabarella. Sarainas. Manutius.*

Poblilia. Tribus scilicet. *Brissonius. Manutius. Scaliger.* Hæc eadem ac Popilla & Popillia & Publilia, juxta *Panvinii* sententiam.

POETOVIENS. Pœtovienses.

POL. Pollia. hoc est, Tribus. *Brissonius. Manutius. Scaliger.* Male tamen *Gualtherio.*

Polina. Polliam Tribum, ordine nonam censent, *Panvinius* & *Rosinus Antiquit. Roman. lib.* 6. *cap.* 15. eamque a loco aliquo nomen accepisse tradunt; qui tamen non expressus, nisi a Pallade nomen acceperit, quæ Πολιὰς dicta apud Athenienses fuit, seu quia civilis esset; nam Πολιτικὸς Græce civilem sonat.

POL. F. Pollioni Filio. *Sarainas. Manutius.*

POM Pompejus. *Probus. Appianus. Lazius. Manutius.*

Pomponia. Tribus. *Manutius.* Verum meo judicio, male: nam Pomptinam Tribum, apud Historicos invenio, Pomponiam minime.

Pomponius. *Manutius.*

Pomptina. *Brissonius. Scaliger. Gualtherius.* Tribus nempe, quæ & Pontina; de qua hæc *Festus.* *Pontina Tribus a Pontia urbe dicta, a qua & Pontina palus*, addit in Castigationibus *Scaliger*, quæ in Volscis erat. ab Urbe distans circiter XL. millia passuum. *Rosinus* tamen *Antiquit. Roman. lib.* 6 *cap.* 9. ex *Sigonio*, Pomptinam Tribum a Pometia urbe dictam observat; fuitque hæc Tribus juxta cum Popillia, deducta anno V. C. CCCXCVI. cui, & qui agrum Pontinum sortiti erant, & novi cives, qui in dies civitate donabantur, adscribebantur. Ita *Panvinius Descript. Civitat. Roman. libro* 2.

P. O. M. Parenti Optime Merito. *Manutius.*

Patri Optime Merito.

Patrono Optime Merito. *Manutius.*

POMP. Pompejus. *Ms: Zabarella.*

Pomptina. Tribus nempe.

P. O. M. S. Parenti Optime Merito Sacrum, *vel* Patri, *aut* Patrono.

POMPT. Pomptina Tribus. *Brissonius. Scaliger.*

PON. Pontifex. Pontus.

PON. MAX. TR. POT. P. P. COS. V. CENS. Pontifex Maximus Tribunicia Potestate Consul Quintum Censor. *Angelonus.* In nummis Vespasiani. Imperatorum quippe auctoritate, omnia Reipublicæ munera ipsis collata.

PONT. Pontifex. *Ms: Zabarella. Sarainas.*

Pontifici. Pontificum. *Manutius.*

Pontina Quæ & Pomptina Tribus.

PONT. COL. Pontifex Coloniæ. *Manutius.*

PONT. DOM. AVG. Pontifex Domus Augustæ.

PONTIF. Pontifici. *Probus. Manutius.*

PONTIF. Q. Q. Pontifex Quinquennalitius.

PONTIF. QQ. II. VIR. COL. APVL. Pontifex Quinquennalitius DuumVir Coloniæ Apuli.

PONTIF. SODAL. AVG. Pontifex Sodalis Augustalis. Pontifex Sodalium Augustalium. Pontifex Sodales Augustales in Augusti honorem institutos planum est; qui istis præerat, Pontifex Sodalium Augustalium dictus est.

PONT. MAX. Pontifex Maximus. Omnes notarum explicatores.

PONT. MAX. DICT. PERP. Pontifex Maximus Dictator Perpetuus. In nummis Cæsaris.

PONT. M. S. S. P. D. Pontifex Maximus Solus Sacella Potest Dare. *Gratiosus.*

Pontifex Maximuus Sacrum Sua Pecunia Dedit.

PONT. SAL. Pontifici Saliorum. *Manutius.* Qui collegio Saliorum præerat, Saliorum Pontifex fuit. Salii vero quinam essent, fuse explicant Antiquitatum Romanarum cuncti scriptores, sed præcipue *Rosinus lib. cap.* 20. & ante eum *Panvinius Descript. Civit. Roman. lib.* 2.

PO. ORB. Piceno Orbicario. *Papias.*

POP. Popillia. Tribus. *Manutius. Scaliger.* Quæ eadem ac Poblilia, & Popilla, ut dictum superius.

Popillius. Populus. *Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius.*

POP. Populus. *Papias.*

POP. DED. Populo Dedit. *Manutius.*

POPIL. COS. IV. MIL. FEC. Popilius Consul Quartum Militiam Fecit. Popilius Consul Jus Militare Fecit, *Manutius.* Quæ mihi tamen antiqui nihil sapiunt.

POPLIF. Poplifugium, *hoc est*, Populifugium. *Manutius. Scaliger. Dies Populifugia videtur nominatus*, ait *Varro lib.* 5. *de Ling. Lat. quod eo die repente tumultu fugerit populus: non multo enim post hic dies, quam decessus Gallorum ex Urbe, & qui tum sub Urbe populi, ut Ficulneates, ac Fidenates, & finitimi alii contra nos conjurarant. Aliquot hujus diei vestigia fugæ in sacris apparent, de quibus rebus in antiquitatum libris plura.* Hujus diei commemoratio, qui nefastus erat, habebatur tertio nonas Julii, nempe mensis ejusdem quinto

POP. ROM. HOSTIB. Populi Romani Hostibus.

POPV. MINTVR. Populus Minturnensis. Minturnæ, Colonia ad Lirim fluvium, in Campania olim fuit, nunc prorsus diruta, cujus situs, teste *Sanfelicio*, apud *Ferrarium in Lexico Geographico*, *La Scaffa del Garigliano*, communiter vocatur.

POQ. Postquam. *Papias.*

POR. Porcius. *Manutius.*

POR. C. F. Porcii Catonis Filius. *Diaconus. Manutius.* Catonis explicationem improbo: cognomina namque, unica litera signata nunquam observavi. unde legerim potius, *Porcius Caji Filius.*

PO. RO. Populi Romani. *Probus. Manutius.*

POR. OST. Portus Ostiensis. *Erizzus.* In nummis Neronis, in quibus Ostiæ portus sculptus observatur, licet Tiberius Claudius, non autem Nero ipsum extruxerit. *Suetonius in eo c.* 20. *Portum Ostiæ*

Ostia extruxit, circumducto dextra, sinistraque brachio, & ad introitum profundo jam solo mole objecta; quam quo stabilius fundaret, navim ante demersit, qua magnus obeliscus ex Ægypto fuerat advectus, congestisque pilis, superposuit altissimam turrim, in exemplum Alexandrini Phari, ut ad nocturnos ignes cursum navigia dirigerent.

PORT. Portunalia. *Gyraldus. Manutius. Scaliger. Rosinus. Portumnalia dicta a Portumno, cui eo die ædes in portu Tiberino facta, & feriæ institutæ. Varro lib. 5. de Ling. Lat.* quibus in Kalendario addit *Gyraldus, ad Pontem Æmilium*, hoc est, ex Adriani Turnebi observatione, apud *Rosinum Antiq. Roman. lib. 4 cap. 12.* Rem divinam huic numini faciebant ad Pontem Æmilium, ubi ejus erat ædes. Portumnalia celebrabantur decimo sexto Kalendas Septembris, qui mensis Augusti decimus septimus, eratque nefastus primo.

PORTIC. ET EXEDR. ET. SIG. AEN. Porticum Et Exedram Et Signum Æneum. Exedram, non unum semper locum significasse noto: *Gulielmus enim Philander ad cap. 11. lib. 5. Vitruvii* sic scribit: *Exedra a sedium frequentia dicta est. Ejus figuram referunt, quæ in Cœnobiis vocantur capitula.* Ad *Caput vero 5. lib. 6.* hæc notat: *Exedra enim & cellam significat, ad colloquendum.* quod auctoritate Ciceronis 3. *De Orat.* sic confirmat: *Cum dedita opera, quiescentibus aliis, in eam exedram venisset, in qua Crassus lectulo reposito recubuisset. Bernardinus Baldus perpetuo in Vitruvium Commentario*, observat, *Alexandrum ab Alexandro Gen. Dier. lib. 5. c. 11.* Exedram eum vocasse *Cubiculum columnis fultum, & epistyliis, pluribusque spatiis, quibus prospectus in viam erat, aliquando sub tecto;* Budæum item in Pandectas, ad *l. Si vero. ff. de His qui dejec.* exedram *pro cella studiaria.* Et *Accursium fenestram* exedram credidisse. Quare, in tanta opinionum varietate, concludit, domus nostras non habere exedras, ac proinde neque apud nostrates nomen. *Si tamen*, pergit ille, *locus quispiam seligeretur amœnus, pulcher, atque cathedris ornaretur, & in eo ad colloquendum, confabulandumve, pomeridianis horis amici convenirent, quis negaret appellari debere, & esse Exedram? Certe Græca origine, a sessione dictam patet, nempe, quod ibi frequentiores essent sedes, & anaclinteria, & grabatuli.*

PORTIC. F. COIR. Porticum Fieri Coiravit, *hoc est*, Curavit.

PORT. OST. Portus Ostiensis. *Ericius.*

POS. Posuit. *Probus.*

POS. MA. DVL. Posuit Marito Dulcissimo. Si conjux Marito.

Posuit Matri Dulcissimæ. Si filius Matri. In sepulcralibus.

POS. CON. Post Consulatum. In Roma subterranea.

POS. ET. D. D. Posuit Et Dedicavit. In Sacris & votivis.

POSQ. EOR. Posterisque Eorum. In sepulcralibus.

POSS. Posuerunt. Si plures.

POST Postea. Posterius. *Manutius.*

Postumius. *Sarasnas. Manutius.*

Postumus, *Manutius. Scaliger.* Postumos dixerunt antiqui, qui patre mortuo nascebantur; fuitque prænomen, Cominiis & Mimesiis familiare. Cominiorum quidem, ex *Livio*, qui *Hist. lib. 3.* sic ait: *Insequens annus Postumum Cominium & T. Lartium Consules habuit.* Mimesiorum, ex lapide *pag. 188, 1.*

POST. MIMESIVS. C. F
SARDVS. TR. MIL
Q. AED. PL. PR
LEGATVS. TI. CAESARIS
AVG. PROCOS. PRAEF
FRVMENTI. DANDI
EX. S. C

Pro cognomine tamen usurpatum, & quidem frequentissime, conjicere licet. Sic in Fastis, ne huc referam omnes, quibus Postumi cognomen fuit, ad annum V. C. DCCLIX. collega M. Æmilii L. F. Lepidi, legitur C. Nibius C. F. Postumus: Ciceronem vero orasse pro C. Rabirio Postumo; atque *lib. 7. Epist. Famil.* 8. meminisse T. Furfanii Postumi, familiaris sui, omnibus planum est. Immo *Glanderpius Cognominum Indice*, prætor istos, observavit, Postumi cognomen commune fuisse Acciis, Cejoniis, Juniis, Liviis, Pontiis, Sejis.

POST. CONS. Post Consulatum. In Roma subterranea.

POSVERVM. Posuerunt. Quod indicat Romæ subterraneæ Saxum. *Tom. 2. lib. 4. cap. 18.*

IVSTVS ET BIBANTIA PARENTES
POSVERVM AEPTITIO FILIO
BENEMERENTI QVI VIXIT
AN. XII. M. VIII. D. XXII

P.O.S. V.I.T. Posuit. Singulis literis punctis distinctis, ut patet ex monumento *pag. 704: 6.* quod aliquando observatur in antiquis lapidibus.

POT. Potabile. Idest, argentum. *Manutius.*

Potestas. Potestate. *Probus Ernstis. Ms. Zabarella. Sarasnas. Appianus. Lazius. Manutius.*

Potestatem. *Papias.*

Potorium. Idest, Argentum. *Manutius.*

PO. V. K. AVG. Posuit Quinto Kalendas Augusti.

P. P. Parentes Posuere. *Manutius.*

Pater Patriæ. *Probus. Ms: Zabarella. Sarasnas. Appianus. Manutius. Scaliger.*

Pater Patratus. *Probus. Ms: Zabarella. Sarasnas. Appianus. Manutius.* De Patre Patrato, qui Fecialium princeps erat, scripsere, inter ceteros, fuse *Pomponius Lætus de Sacerdot. Rom. cap. 9. Andreas Dominicus Floccus de Potest. Rom. lib. 1. cap. 10. Alexander ab Alexandro Genial. Dier. lib. 5. cap. 3. Onuphrius Panvinius Descript. Civit. Roman. lib. 2. cap. 21.*

Pater Patrum. *Scaliger.*

Patri Pietatis. Patrono Patronorum. *Manutius.*

Patrono Posuit.

Pecuniæ Publicæ Perpetuus. *Scaliger.*

Populo Postulante. *Manutius.*

Populum Plebem. *Sarasnas. Manutius.*

Populus. *Scaliger.*

Possideri. Præscribi. *Diaconus. Manutius.*

Posuit Præfectus. *Scaliger.*

Præfectus Prætorio. *Magno. Pancirollus. Manutius.* Frequentissime in Rescriptis & Constitutionibus Imperatorum.

Præpositus. *Scaliger.*

Præscribi Populum. Præscribi Plebem. *Manutius.*

Præses Provinciæ. *Manutius. Gutherius.*

Proconsul Provinciæ. *Manutius.*

Propria Pecunia.

Pro Portione. *Scaliger.*

Pro Prætor. *Manutius.*

Pro Prætore. Provincia Pannoniæ. *Scaliger.*
Provinciæ Præses. Publica Pecunia. *Manutius.*
Publice Posuit.
Publii Pater. *Rubeus.*
Publii. Duo scilicet hujus prænominis, ut constabit ex monumento, sub notis P. P. F. F.
PP. Papiria Tribus scilicet. *Scaliger.*
Papirio. Patres. *Sarainas. Manutius.*
Perpetuo. *Scaliger. Manutius.*
Perpetuus. *Papias. Sarainas. Manutius.*
Populi. *Servius.*
Posuere.
Præparat. *Manutius.*
Præposita. *Sarainas. Manutius. Gualtherius.*
Præpositus. *Scaliger.*
Præses. *Gutherius.*
Prætor. *Probus Ernstii.*
Primipilus. *Manutius.* De PrimoPilo, qui ex primo Principe Legionis Centurio Primi Pili evadebat, fuse inter ceteros agunt, *Vegetius de Re Milit. lib. 2. cap.* 8. & ad eum plura Godeschalcus Stewechius; tum *Alexander ab Alexandro Gen. Dier. lib. 1. cap. 5. Justus Lipsius de Milit. Roman. lib. 2. Dialog. 8. Rosinus Antiquit. Roman. lib. 10. cap. 7. & Joannes Valtrinius de Re Milit. Romanor. lib. 3. cap. 11.*
Proposita. *Gutherius. Brissonius.* Qui 3. *De Formulis* observat, hanc vocem *Proposita*, in earum fuisse numero, quibus Constitutiones & Rescripta Principum signabantur, quam & vulgarem fuisse notat. Unde in *Codice Theodos.* frequenter, extremo Rescripto, occurrit.
Proprætor. *Manutius. Gutherius.*
Pupillus. *Papias.*
P. P. Perpetua. *Diaconus. Manutius.*
Proposita. *Diaconus. Ms: Rhodii. Magno. Manutius.*
PP. Perpetuum. *Ms: Rhodii.*
Proposita. *Probus Ernstii.*
Propter. *Magno. Papias.*
PP. Perpetuus.
Perpetuum. *Diaconus.*
PP. Propter. *Ms: Rhodii. Papias.*
PPA. Propterea. *Diaconus. Manutius.*
PP. A. Perpetuo Augusto. *Papias.*
PP. A. Propterea. *Probus Ernstii.*
P. PAT. Pater Patratus *Diaconus. Sarainas. Manutius.*
PP. AVG. Perpetuo Augusto. *Probus Ernstii. Diaconus. Ms: Rhodii. Magno. Manutius.*
P. P. B. M. Patronæ Posuit Bene Merenti. *Probus Ernstii. vel* Patri, *aut* Patrono.
Propria Pecunia Bene Merenti. Supple posuit, aliquando in sepulcralibus.
PP. C. Patres Conscripti. *Probus. Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius.*
P. P. C. Pecunia Publica Curavit. *Manutius.*
Præfectus Prætorio Clarissimus. In Imperialibus rescriptis.
Propria Pecunia Curavit.
PP. DD. Patres Dedicaverunt. *Sarainas. Manutius.*
P. P. DD. Propria Pecunia Dedicavit. *Scaliger.* In sacris & votivis saxis.
P. P. D. P. Patri Patriæ Datum Publice. In Monumentis Imperatorum.
Perfecit Donavit Posuit. *Scaliger.*
Propria Pecunia Dedit Posuit, *vel* Perfecit.
P. PE. Post Pœnam. *Diaconus.*
Post Petram. *Probus Ernstii.*
P. P. F. Piæ Pollentis Felicis. *Scaliger.* In Militaribus.
Propria Pecunia Fecit. In votivis & sepulcralibus.

P. P. F. C. Propria Pecunia Faciundum Curavit. In cippis operum publicorum.
P. P. F. E. S. E. S. P. Q. E. Pater Piissimus Fecit Et Sibi Et Suis Posterisque Eorum. *Manutius.*
Propria Pecunia Fecit Et Sibi Et Suis Posterisque Eorum. In sepulcralibus.
P. P. F. F. Pia Parthica Felix Fidelis. *Scaliger.* In militaribus, in quibus legiones nominantur.
Propria Pecunia Fieri Fecit.
Publiorum Filii. Ut in Saxo isto, *pag.* 720. 6.

ATTILIAE. P. FILIAE. VRBICAE
P. P. ABIDII. P. P. F. F. TILITIVS
ATILIANVS. ET. VRBICVS
FIL MATRI PIISSIMAE
EYXPΩTI

PP. FF. Piis Felicibus. De duobus scilicet.
PP. G. Proposita Gesta. *Gutherius.* Cui notæ PP. hoc est, *Proposita*, superadditam quandoque G. fuisse notat *de Offic. Dom. Aug. lib. 1. cap. 26. Gesta*que significare existimat, innixus *leg. fin. Cod. de Execut. Rei Judic.* quæ sic habet: *Gesta, quæ sunt translata in publica monumenta, habere volumus perpetuam firmitatem. neque enim morte cognitoris perire debet publica fides.* Ideo gesta erant, quæ in publico lata. Hanc tamen signandi Rescripta formulam, utique inter rariores habendam censeo, utpote quæ non ita frequens in Principum Constitutionibus: non enim eam observavi, nisi *legg.* 12. 18. 19. 20. 24. 27. *Cod. de Rei Vindicat. legg.* 1. 4. *Cod. de Usufruct. & Habitat. & Minist. Serv. & leg.* 3. *Cod. Ne Fil. pro Patre, vel Pater &c.*
P. P. GALL. Præfectus Galliarum. *Lazius.*
P. P. HISP. C. Præses Provinciæ Hispaniæ Citerioris. *Manutius. vel* Curavit. *Idem.*
P. P. HISP. CIT. Præses Provinciæ Hispaniæ Citerioris. *Scaliger.*
P. P. H. T. Præses Provinciæ Hispaniæ Tarraconensis. *Scaliger.*
P. P. I. Posuerunt Propria Impensa. *Scaliger.*
PPT. Proprietas. Proprietati *Diaconus.*
P. P. L. Publiorum Liberta. Publiorum Libertus. Hoc est, duorum, ut satis superque probatur hoc in Saxo *pag.* 326. 12.

VENVLEIA. P. P. L. PHILEMATIVM
SIBI. ET. VIRO. SVO
M. PORCIO. M. L. POLLIONI
SCR. LIBR. AED. CVR. LICT. CVR
DE SVA PECVNIA FECIT

P. P. LEG. Primus Pilus Legionis. In Militaribus.
P. P. L. I. Pro Prædictæ Litis Judiciis. *Probus. Appianus. Manutius.* Notæ edictorum perpetuorum Prætoris.
P. P. L. V. Pro Præde Litis Vindicaverunt. *Sarainas. Manutius.*
Pro Præde Litis Vindiciarum. *Probus. Manutius. Brissonius.* Qui 5. *de Formul.* observat, quod hac dicendi forma, in judicio is, a quo hæreditas petebatur, satisdatorem requirebat apud antiquos: *Prædes* enim *Asconius*, sit 3. *In Ver. dicuntur satisdatores locupletes, pro re, de qua apud judicium iis est.*
P. PL. V. Populum PlebemVe. *Manutius.*
P. P. M. Posuerunt Merito. Posuerunt Monumentum.
P. P. O. Præfectus Prætorio Orientis. In rescriptis Imperatorum.

PPO. Populo.

P. P. O. C. V. Præfectus Prætorio Orientis Clarissimus Vir. In Imperialibus Rescriptis.

P'. POE. Post Pœnam. *Manutius.*

P. POR. Puplii Puer. *Scaliger.*

PubliPor. *Pignorius.* hoc est, Publii servus. nam *Festus*, & ad eum *Paulus*, hæc habent: *Quintipor, servile nomen frequens apud antiquos, a pranomine nomini addito, ut Marcipor.* Scilicet, a Quinto, Marcio, & Publio, Quintipor, Marcipor. Publipor. Plura de istis ac hujusmodi denominationibus *Pignorius de Servis.*

P. P. P. Pater Patriæ Patratus. *Lazius.*

Pater Patriæ Proconsul. *Ms: Zabarella. Manutius.*

Primus Pater Patriæ. *Ms: Zabarella. Saratnas Appianus. Lazius. Manutius.*

Pro Pietate Posuit. *Scaliger.*

Propria Pecunia Posuit. In votivis & sepulcralibus.

PPP. Publii. Tres scilicet.

P. P. P. B. M. Pietatis Plenus Posuit Bene Merenti. *Probus. Manutius.*

Propria Pecunia Posuit Bene Merenti. In sepulcralibus.

P. P. P. C. Primo Pilo Prætoriæ Cohortis. *Gallus.* In militaribus.

Propria Pecunia Ponendum Curavit. Tum in votivis, tum in sepulcralibus.

P. P. P. D. Propria Pecunia Ponendum Decrevit. In sepulcralibus proprio sumptu erectis.

Publica Pecunia Ponendum Decrevit. *Scaliger.* In lapidibus honoris gratia datis

P. P. P. P. E. S S. S. E. V. V. V. V. V. V. V. F. F. F. F. Primus Pater Patriæ Profectus Est Secum Salus Sublata Est Venict Victor Validus Vincens Vires Urbis Vestræ Ferro Fame Flamma Frigore. *Probus. Ms: Zabarella. Saratnas. Manutius.*

P. P. P. H. C. Præfectus Prætorio Provinciæ Hispaniæ Citerioris. *Scaliger.*

ProPrætor Provinciæ Hispaniæ Citerioris.

Propria Pecunia Ponendum Hic Curavit. In sepulcralibus aliquando.

P. P. P. H. T. Præfectus Prætorio Provinciæ Hispaniæ Tarraconensis. *Scaliger. vel* ProPrætor.

P. P. P. P. P. SVPER. Præfectus Prætorio Per Provinciam Pannoniam Superiorem. *Scaliger.*

PP. Q. R. PopulusQue Romanus. *Diaconus. Manutius.*

P. PR. Pro Prætore *Gualtherius.*

P. P. R. Pace Populi Romani. *Probus. Manutius.*

P. PR. Pro Parte. *Papias.*

P. PRT. Præfectus Prætorio. *Probus Ernstii.*

P. P. R. V P. I. C. Pace Populo Romano Ubique Parta Janum Clausit. In nummis Imperatorum.

P. P. S. Posuit Pecunia Sua.

Provinciæ Pannoniæ Superioris. *Scaliger.*

P. P. S V. S. L. M. Posuit Pecunia Sua Voto Suscepto Libens Merito. Quandoque in votivis.

P. P. SV. Posuit Pecunia Sua. *Manutius.*

PPT. Promptus. *Diaconus. Manutius.*

PP. Proponitur. *Papias.*

Proprietas. Proprietati. *Probus Ernstii. Manutius.*

P. P. T. Proponitur. *Diaconus.*

PPTER. Proprietati. *Papias.*

P. F V. C. Præses Provinciæ Vir Clarissimus. *Probus Ernstii. Diaconus. Magno. Manutius.*

P. PV. C. Præses Provinciæ Clarissimus. *Ms: Rhodii.*

P. P. V. F. Propria Pecunia Vivens Fecit, *vel* Voluit Fieri. Quæ communia votivis & sepulcralibus.

P. P. X. Per Provinciam Decimæ. *Scaliger.* Hoc est, procurator, prout in monumento *pag.* 13. 18.

I. O. M
C. ANTONIVS
IVLIANVS. PROC
P. P. X. V. S. L. M

P. P. XII. Pondo Duodecim. *Scaliger.*

P. Q. PopulusQue. *Manutius.*

PosterisQue.

PostQue. *Probus.*

ProQuæstor. *Manutius.*

PQ. Postquam. *Probus. Ms: Zabarella. Magno. Lazius. Manutius.*

P. Q. E. PosterisQue Eorum. *Saratnas. Manutius.*

P. Q. EORVM. Posterisque Eorum.

P. Q. I. S. PopulusQue Jure Scivit. *Manutius.* Quæ formula apud Romanos communis rogandarum Legum pars erat.

PopulusQue Jure Suscepit *Saratnas.*

P. Q R. PopulusQue Romanus. *Probus Ernstii. Ms: Rhodii. Magno. Papias. Manutius.*

P. Q. R. D. D. PopuloQue Romano Do Dico. *Manutius.*

PosterisQue Requietorium Dedicavit, *vel* Dedit.

P. Q. S. V. F. PosterisQue Suis Vivens Fecit. In sepulcralibus, eorumque margine.

P. Q. X. Pedes Quadrati Decem. *Scaliger.*

Pedes Quoquovorsum Decem.

P. Q XV. Pedes Quadrati Quindecim, *vel* Quoquovorsum. In sepulcralibus, ubi spatium monumenti designabatur.

P. R. Plectitur Rutilius. *Manutius.*

Populus Romanus. *Probus. Ms: Zabarella. Saratnas. Appianus. Lazius. Manutius.*

Possessori Redituum. *Probus. Diaconus. Manutius.*

Post Relatum. Principes Romani. Pro Rostris. Publica Res. Publius Rutilius. *Manutius.*

Posuit Requietorium. Quandoque in sepulcralibus.

PR. Pater. *Saratnas. Manutius.*

Præfectus. *Manutius. Trinagius. Servius.*

Præses. *Saratnas. Manutius.*

Præter. *Probus. Manutius.*

Præterire. *Ernstius.* Qui *ad caput* 15. *Notar. Probi*, observat, voce *praterire*, Censores equitibus imperasse, quos probabant equos, traducere.

Prætor. *Diaconus. Ms: Zabarella. Saratnas. Appianus. Lazius. Manutius.*

Prætorius. *Manutius.*

Pridie. *Saratnas. Manutius.*

Primipilus. Princeps. *Trinagius.*

Proconsul. *Probus Ernstii.*

PR. Prætor. *Ms: Rhodii. Magno.*

PR. A. Prætoria Antonii. In nummis argenteis Antonii Triumviri, in quibus Prætoria navis.

PRAE. AER. Prætor Ærarius. *Probus Ernstii.* Quanquam malim legere *Præfectus Ærarii*, cum ærario, quod sciam, nusquam Prætor datus, & nota PRAE. Præfectum etiam designatum doceat idem *Probus.*

PRAE. COH. VII. GALL. Præfectus Cohortis Septimæ Gallorum.

PRAEF. Præfectus. *Probus. Ms: Zabarella. Scaliger.*

PRAEF. A. BRACARAVG. Præfectus Annonæ Bracaraugustæ.

PRAEF.

PRAEF. AEDIL. POT. Præfectus Ædilitia Potestate.

PRAEF. AER MILITAR. Præfectus Ærarii Militaris. *Angelonus.*

PRAEF. ALAE. I. C. R. Præfectus Alæ Primæ Civium Romanorum.

PRAEF. ANN. Præfectus Annonæ. *Diaconus.*

PRAEF. AVXILIOR. Præfectus Auxiliorum.

PRAEF AVR. Præfectus Aurariarum. Aurariarum Præfectos vocat *Lazius Comment. Resp. Roman. lib. 2. cap.* 13. illos, qui aurifodinis præerant, quos varios recenset, prout in variis provincus aurum effodiebatur. *Gutherius* vero *de Offic. Dom. Aug. lib.* 3. *cap.* 18. istos Procuratores nominat, Aurariamque, non aurifodinam, sed tributi genus censet, a Constantino institutum. cui lubens assentio; fuit enim Auraria collatio quædam negotiatoribus indicta, ut constat ex *lib.* 13. *Cod. Theodos. Tit. de Lustral. Collat.* vel pensitatio, ex *l.* 2. *Cod. de Fund. Patrim. lib.* 11.

PRAEF. CLASS. ET. ORAE. MARIT. EX. S. C. Præfectus Classis Et Oræ Marinmæ Ex Senatus Consulto. In nummis aureis & argenteis Pompeji Magni; de quibus *Adolphus Occo*, in Pompejo.

PRAEF CLASS. PRAET. RAVENN. Præfectus Classis Prætoriæ Ravennatium.

PRAEF. COH Præfectus Cohortis. *Probus.*

PRAEF. COH I. PAN. Cohortis Primæ Pannoniorum. Quæ ex Pannonicis constabat militibus.

PRAEF. COH. PRIM. DAMASC. Præfectus Cohortis Primæ Damascenorum. Quia Damasceni milites ipsam constituebant.

PRAEF. EQ AL. BRITANN. MILIAR. Præfectus Equitum Alæ Britannicæ Miliariæ.

PRAEF. EQ. AL. II. PANN. Præfectus Equitum Alæ Secundæ Pannoniorum.

PRAEF. EQ COH. II. GALLOR. Præfectus Equitum Cohortis Secundæ Gallorum.

PRAEF. EQQ. Præfectus Equitum.

PRAEF. F. Præfectus Fabrorum *Sarainas.*

PRAEF. FAB. Præfectus Fabrum. *Probus. Manutius.*

PRAEF. FABR. Præfectus Fabrum, *vel* Fabrorum.

PRAEF. F. L. Præfectus Feriarum Latinarum. *Gutherius.*

PRAEF. FER. LAT. Præfectus Feriarum Latinarum. Præfectus Feriarum Latinarum habendarum eligebatur ex Patritiorum numero; de quo *Aulus Gellius Noct. Attic. lib.* 14. *cap.* 8. ambigit, an posset habere Senatum, variorumque ibidem hac de re sententias refert, quem studiosus lector consulere poterit. De Feriis Latinis vero dictum supra, ad notam FER. L. C. de quibus fusius præ cæteris, post Dionysium Halicarnassæum, & *Livium*, *Alexander ab Alexandro Gen. Dier. lib.* 5. *cap.* 7. *Wolfgangus Lazius Comment. Reip. Roman. lib.* 10. *cap.* 3. *&* 11. *cap.* 2. *&* *Joannes Rosinus Antiquit. Rom. lib* 4. *cap.* 17.

PRAEF. GERM. Præfectus Germanorum. *Augustinus.*

PRAEF. LE Præfectus Legionis. Præfectus Legionum. Præfuit Legi. *Manutius.*

PRAEF. M Præfectus Militum.

PRAEF. ORAE. MARIT. ET. CLAS. S. C. Præfectus Oræ Maritimæ Et Classis Senatusconsulto. In nummis argenteis Magni Pompeji.

PRAEF. PRAES. Præfectus Præsidii. *Probus. Ms. Zabarella.*

PRAEF. QQ. Præfectus Quinquennalis. *Gutherius.*

PRAF. V. Præfectus Urbis. *Ms. Zabarella.*

PRAEF. VEHIC. Præfectus Vehiculorum, *Gallus.* Vehiculorum Præfecti fuere, qui vehiculorum Castrorum, non autem publici cursus curam habebant, ut recte observat *Lazius Comment. Resp. Roman. lib.* 4. *cap.* 6. Hos & Magistros Vehiculorum dictos notat *Gutherius de Offic. Dom. Aug. lib.* 3. *cap.* 14.

PRAEF. VIG. Præfectus Vigilum. *Probus. Diaconus. Ms. Zabarella. Appianus. Lazius.* Cohortes Vigilum septem Augustus instituit ad ignes arcendos, ut *Suetonius* refert in ejus vita *cap.* 25. His qui præerat, Vigilum Præfectus fuit; de cujus officio & dignitate, præter ea quæ habent Jurisconsulti *Pandect. lib.* 1. 15. *& Cod. lib tit.* 45. *de Offic. Praef. Vigil.* fuse agunt *Cassiodorus Variar. lib.* 7. *Epist* 7. *Pomponius Laetus de Magist. Rom. cap.* 10. *Andreas Dominicus Floccus de Potest. Rom. lib.* 2. *cap.* 25. *Raphael Volaterranus Comment. Urban. lib.* 29. *Alexander ab Alexandro Genial. Dier. lib.* 3. *cap.* 15. *Pancirollus in Not. Imp. Orient. cap.* 27. *& Occident. cap.* 6. *& Joannes Rosinus Antiq. Roman lib.* 7. *cap.* 34.

PRAEF. URB. Præfectus Urbanus. Præfectus Urbi. *Manutius.*

Præfectus Urbis. *Probus. Diaconus. Appianus. Lazius. Goltzius.*

PRAEF. I. D. Præfectus Juri Dicundo. *Pancirollus.* De Præfectis Juri Dicundo, electione eorum & auctoritate, agit *Gutherius de Offic. Dom. Aug. lib.* 1 *cap.* 7.

PRAENESTIN. Prænestinus.

PRAEP. Præposito. Præpositus. Præpositus, nomen est commune omnibus, qui operibus, vel personis præsunt. Quot numero apud antiquos Præpositi fuerint, noverit, qui *Pancirollum.* consuluerit, *in Not. Imp. Occident.* & *Gutherius de Offic. Dom. Aug. lib.* 2. *cap.* 23.

PRAE PRAES. Præfectus Præsidii.

PRAE. PROVINC HISP. CITE. Præses Provinciæ Hispaniæ Citerioris.

PR. AER. Præfectus Ærario.

PRAES. Præsidium. *Gualtherius.* Hanc notam sic explicat *in Animad ad Antiq. Sicilia Tabul. cap.* 22. quod licet non improbem alio loco, non admitto tamen in saxo exhibito atque expensis ab eo, in quo lego *Præses.* Monumentum vero *Gualtherii*, est in *Gruteriano* opere *pag.* 1098.

PRAES. PROV. TING. Præses Provinciæ Tingitanæ.

PRAET. Prætor. *Manutius.*

PRAET. VRB. Prætor Urbanus. De Urbano Prætore, præter ea, quæ produnt *Dionysius* & *Livius*, fuse tractant *Pomponius Laetus de Magist. Roman. cap.* 24. *Andreas Dominicus Floccus de Potest. Roman. lib.* 2. *cap.* 19. *Alexander ab Alexandro Genial. Dier. lib.* 2. *cap.* 15. *Carolus Sigonius de Judiciis lib.* 1. *cap.* 7. *Panvinius in Fastis*, *ad annum U. C. CCCLXXXVIII. & in Descript. Civit. Roman. lib.* 2. quibus in locis, hujus dignitatis institutionem, numerum, varietatemque Prætorum sedulo describit, *Lazius Comment. Resp. Roman. lib.* 2. *cap.* 1. *Pancirollus in Not. Imp. Orient. cap.* 98. *Hottomannus ad caput* 14. *in Julio Cæsare*, *Rosinus Antiq. Roman. lib.* 7. *cap.* 11.

PRAE. VIGIL. Præfectus Vigilum. *Sarainas.*

PRAE. VRB. Præfectus Urbanus. *Manutius.*

Præfectus Urbi. *Sarainas. Manutius.*

Prætor Urbanus Prætor Urbis. *Manutius.*

PR. AID. Q. Prætori Aidili Quæstori.

PRB. Presbyter.

PRBO. Presbytero.

P. R. C. Post Romam Conditam.

Ponendumque Requietorium Curavit.
PR. C. Prætor Constitutus. *Probus. Manutius.*
ProConsule. *Angelonus.*
P. R. C. A. DCCCXLIIII. Post Romam Conditam Annis Octingentis Quadraginta quatuor.
PR. CER. Prætor Cerealis. De Prætore Cereali *Panvinius Descript. Civit. Roman. lib. 2.*
PR. CER. I. D. Prætor Cerealis Juri Dicundo. *Scaliger.*
PR. CI. Prætor Ciliciæ.
PR. CLD. Pridie Calendas. *Diaconus.*
PR. DM. Prætor Damasci. *Diaconus. Manutius.*
P. R. E. Post Reges Exactos. *Probus. Ms: Zabarella. Sarainas. Appianus, Lazius. Manutius.*
PRESB. Presbyter.
PRESBB. Presbyteri. *Diaconus. Manutius.*
P. R. EX. Post Reges Exactos. *Probus.*
PRF. Præfectus. *Diaconus. Manutius.*
PR. F. Primus Flavit. *Ursinus.*
PRF. PRT. Præfectus Prætorio. In saxo *pag.* 418. 8. lego, si recte:

Q. HERENNIO
POTENTI
PRF. PRT

PRG. Peregrinus. *Magno.*
PR. H. C. CV. Provinciæ Hispaniæ Citerioris Curatori. *Scaliger.*
PRI. Pridie.
Primæ. Ideft, Regionis. *Manutius.*
PRI. Patri.
PR. I. A. Prætorem Judicem Arbitrum. *Probus Ernstin. Diaconus. Manutius.*
PRID. Pridie.
PR. ID. Pridie Idus.
PR. I. D. A. Præfectus / Prætor } Juri Dicundo Auximi.
PR. I. D. AVX. Prætori Juri Dicundo Auximi. *Scaliger. Gallus.*
PRID. ID. DEC. Pridie Idus Decembris. *Probus. Manutius.*
PRID. K. MAR. Pridie Kalendas Martii. *Manutius.*
PRID. K. QVINT. Pridie Kalendas Quintilis, *Manutius.*
PRID. N. Pridie Nonas. *Probus.*
PRID. N. APR. / PRID. NON. APR. } Pridie Nonas Aprilis. *Manutius.*
PRIIIILLA. Primilla.
PR. II. VIR. Prætor DuumVir. *Velserus.*
PRI. K. Pridie Kalendas. *Manutius.*
PRI. KL. MAR. Pridie Kalendas Martii. *Manutius.*
PRIM. Primipilus.
Primum. *Goltzius.*
Primus. *Manutius.*
PRIM. DECENN. In nummis Imperatorum frequenter. Ut constaret, quot annis imperio essent potiti, id ipsum sibi de decennio in decennium, si non vere, ficte saltem prorogatum; cujus rei Augustus auctor habetur, ex *Dione Hist. lib.* 53. qui *quo longius Romanos a suspicione regia potestatis sibi propositæ abduceret, Imperium in suas provincias decennale suscepit, hoc etiam jactanter addito, quo breviori spatio eos pacare posset, eo citius se imperio destituturum; at quam primum decennium exivisset, aliud quinquennium, atque eo circumacto, rursum aliud quinquennium, post decennium, ac eo finito, aliud iterum decretum est: ita ut continuatis decenniis, per totam vitam Imperii summam obtinuerit. Quam ob causam posteriores quoque Imperatores, etsi non ad certum tempus, sed per omne vita spatium iis Imperium deferretur, singulis tamen decenniis festum pro ejus renovatione agebant.*
PRIM. PIL. Primipilus, *vel* Primopilus.
PRIMOP. / PRIMOPIL. } Primopilo. *Manutius.*
PRI. STIP. H. S. E. Primo Stipendio Hic Situs Est. In militaribus cippis; qua dicendi forma indicabatur, militem primo militiæ anno defecisse.
PRI. N. Pridie Nonas. *Probus. Manutius.*
PRINC. IVV. / PRINC. IVVEN. } Princeps Juventutis. Principi Juventutis. *Manutius.*
PRINC. IVVENT. Princeps Juventutis. *Ms: Zabarella. Appianus. Manutius.*
Principi Juventutis. *Probus. Sarainas.* Et alii.
PRIVER. Privernum. *Ercius.*
PRIVIG. PIISS. Privigno Piissimo.
PR. IVV. Præfectus Juventuti. *Scaliger.* Ad monumentum *pag.* 355. 5.
Præfectus Juvenum. Quibus scilicet juvenum cura erat demandata, ut in morum viam dirigerent.
PR. K. Prætor Kandidatus. Candidati Principis, erant Principis Quæstores, qui illius decreta, constitutiones, & epistolas in Senatu recitabant, ideo sic dicti, quia alba veste induti incedebant. De istis fuse *Pancirollus in Not. Imp. Orient. cap.* 27. & *Gutherius de Offic. Dom. Aug. lib.* 2. *cap.* 13. Prætores vero Candidatos eos credo, qui ex Candidatis Quæstoribus Prætores designabantur; siquidem Alexander Imperator, Lampridio teste in ejus vita, *Quæstores candidatos, ex sua pecunia jussit munera Populo dare; sed ut post Quæsturam Præturas acciperent, & Provincias regerent.* Fuerunt præterea, apud Principes & Præfectos Prætorio, Candidati duplares & simplares, quia duplas, vel simplas consequebantur annonas. De quibus *Gutherius de Offic. Dom. Aug. lib.* 2 *cap.* 15.
Pridie Kalendas. *Probus. Manutius.*
PR. KLD. Pridie Kalendas. *Manutius.*
PR. M. S. D. D. Pro Merito Suo Dono Dedit, *vel* Dedicavit. In saxis alicui, honoris gratia erectis.
PR. N. Pronepos.
Pronepoti. *Manutius.*
PR. N. Pronepos. *Scaliger.*
PRO. Provincia. *Ms: Zabarella.*
P. RO. Populus Romanus. *Magno.*
PRO. AVG. Providentia Augusti. In Imperatorum nummis.
P. R. OB. Populi Romani Oblatio. *Sarainas. Manutius.*
PROC. Proconsul. *Probus. Ms: Zabarella. Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius.* De Proconsulatus orgine, dignitate, ac potestate, post *Livium*, abunde Jurisperiti *Pandect. lib.* 1. *Tit.* 16. *Codic. lib.* 1. *Tit.* 53. *de Offic. Proconf. & Legat. Pomponius Lætus de Magist. Roman. cap.* 23. *Dominicus Flocens de Potest. Roman. lib.* 2. *cap.* 11. *Alexander ab Alexandro Gen. Dier. lib.* 2. *cap.* 27. *Vollaterranus Comment. Urban. lib.* 29. *Panvinius Comment. in prim. lib. Fast. ad ann. V. C. CDXXVIII. Pancirollus in Notit. Imp. Orient. cap.* 100 *Lazius Comment. Reipub. Roman. lib.* 2. *cap.* 16. *Rosinus Antiquit. Rom. lib.* 8. *cap.* 42. *Jacobus Gutherius de Off. Dom. Aug. lib.* 1. *cap.* 5. & 41.
Proconsuli.
Procurator. Procuratores esse, qui aliena negotia domini mandato administrant, tum in judicio, tum extra, non est qui nesciat. Ideo hoc nomen genericum multa sub se continere munera constabit.
PROC. ALEX. PELVSI. Procurator Alexandriæ

drise Pelusiacæ. Hic erat ex illorum numero, quos Procuratores Provinciarum vocat *Lazius Comment. Reip. Roman. lib.* 2. *cap.* 13. quique vectigalia & tributa Augustorum in Provinciis colligebant, atque ea in expensum acceptumque referebant; unde & Rationales dicebantur, prout videtur *Gutherio de Offic. Dom. Aug. lib.* 33. *cap.* 33. ubi observat, in Provinciis, eodem munere functos fuisse Procuratores istos, quo Præfecti Ærarii Romæ, primumque, ex Dione, Augustum in suas Provincias Procuratores misisse, qui propterea Cæsaris Procuratores dicti. Hos idem auctor *lib. eod. cap.* 34. diversos a Procuratore Cæsaris, vices Præsidis agente, fuse probat, quem lector poterit consulere. Cæterum, Procurator Alexandriæ, *Lazio*, citato loco, observatione, Ægypti Procurator fuit, ibi degens; quia tunc Alexandria Ægypti fuit metropolis.

PROC. ALIM. VIAE. FLAM. Procurator Alimentorum Viæ Flaminiæ. Qui per Viam Flaminiam ea curabat.

PROC. ALP. ATRECTIANAR. Procurator Alpium Atrectianarum.

PROC. A. RAT. Procurator A Rationibus. Idem qui Procurator Rationalis, de quo antea dictum est. Sed de Rationalibus satis apud *Pancirollum in Not. Imp. Orient. cap.* 3 *& Occident. cap.* 35.

PROC. AVG. Proconsul Augustalis. *Lazius.*

Procuratori Augusti. *Gallus.*

PROC. AVGG. E. V. Procurator Augustorum Egregius Vir. De titulo Egregii Viri, præ cæteris abunde *Pancirollus in Not. Imp. Orient. cap.* 4. ubi satis superque demonstrat, ad quos hic spectaret titulus, & post illum *Gutherius de Offic. Dom. Aug. lib.* 1. *cap.* 4.

PROC. AVG. XX. HERED. Procurator Augusti Vicesimæ Hereditatum. De hoc, ac de Vicesima Hereditatum, non minus fuse, quam erudite post alios Jurisconsultos *Gutherius de Offic. Dom Aug. lib.* 3. *cap.* 35.

PROC. AVG. VIAE. OST. ET. CAMP. Procurator Augusti Viæ Ostiensis Et Campanæ. *Gualtherius.* Procurator hic Curatorum alter erat viarum extra urbem, qui Viæ Ostiensis & Campanæ curam gerebat.

PROC. BYBL. Procurator Bybliothecæ. Hic in Familia Augusta, inter libertos numerabatur, penes quem erat Bybliothecæ cura, ut abunde *Pignorius de Servis.* Quod vero ex libertorum numero Procurator hic esset, satis indicat antiquus hic lapis *pag.* 584. 5.

TI. CLAVD. AVG. L
SCIRTI. PROC. BYBL
VETTIA. TYCHE
SCRIPTI

PROCC. Proconsoles. *Manutius.*

Procuratores. *Augustinus.*

PROCC. AVGG. Procuratores Augusti. *Manutius.*

Procuratores Augustorum.

PROC. AVRAR. Proconsul Aurariorum. *Lazius.*

Procurator Aurariæ. Hoc est, qui Aurariam collationem exigebat; de qua actum supra.

PROC. COL. FAN. Procurator Coloniæ Fanestris. *Manutius.*

PROC. DN. NR. Procurator Domioi Nostri.

PROC. EOR. Procurator Eorum.

PROC. FAM. GLAD. Procurator Familiæ Gladiatoriæ, *seu* Gladiatorom. De quo *Gutherius de Offic. Dom. Aug. lib.* 3. *cap.* 35.

PROC. FISC. ASIATIC. Procurator Fisci Asiatici. Idest, Procurator Rationalis per Asiam. Procurator enim Rationalis, Fisci etiam curam agebat. De hoc dictum supra, atque fuse inter alios potissimum *Gutherius de Offic. Dom. Aug. lib. cap.* 33.

PROC. IMP. CAES. AVG. PROV. LVSITAN. Procurator Imperatoris Cæsaris Augusti Provinciæ Lusitaniæ.

PROC. METALL. Procurator Metallorum.

PROCNS. PROV. NARB. Proconsul Provinciæ Narbonensis.

PRO. COS. }
PROCOS. } Proconsul. *Lazius.*

PROCOSS. Proconsules. *Probus.*

PROC. PROV. AFR. Procurator Provinciæ Africæ.

PROC. PROV. CRET. CYR. Procurator Provinciæ Cretæ Cyrenæ. *Hoc est*, & Cyrenæ.

PROC. P. P. X. Procurator Per Provinciam Decimæ.

PROC. P. P. X. V. S. L. M. Procurator Per Provinciam Decimæ Votum Solvit Labens Merito.

PROC. RAET. Procurator Rætiæ.

PROC. RAT. Procurator Rationalis. *Lazius.*

PROC. REG. NOR. Procurator Regionis Noricæ, *seu* Regni Norici.

PROC. VILLAR. Procurator Villarum. Villæ Publicæ, seu Augustorum is fuit Procurator.

PROC. XX. HERED. Procurator Vicesimæ Hereditatum. *Scaliger.*

PRO. H. C. Procurator Hispaniæ Citerioris. Provincia Hispania Citerior.

PROM. Promagister.

PRO. MAG. L. D. ProMagister Larium Divinorum. Is Magistri Larium Divinorum vices supplebat. Lares vero Divini, vel domus erat Augusta, vel ut *Gutherio* placet *de Offic. Dom. Aug. lib.* 3. *cap.* 29. locus Laribus dicatus, quibus Decuriones aliqui destinati erant, cum eorum Magistro.

PROMAG. XX. HERED. Promagister Vicesimæ Hereditatum. Dictum litera E. notis EX. D. D. PROMAG. L. D.

PRON. Pronepos. *Probus.* & reliqui.

PRONEP. Pronepos. *Probus. Manutius.*

PROP. Proposita. *Papias.*

PRO. P. Proditor Patriæ. *Manutius.*

ProPrætor. *Manutius.* Romani, qui in Provincias mittebantur, consulatu functi, Proconsules, qui Prætura, Proprætores dicebaotur. ob id Provincias, & Consulares, & Prætorias Romana Respublica habuit; Consulares, Proconsules; Prætorias Proprætores accipiebant. De Proprætoribus fuse præ ceteris *Joannes Calvinus Lexico Juris verbo, Propretores.*

PROPR. Proprætor. *Rubens.*

PRO. PR. ProPrætor. ProPrætores. *Scaliger. Goltzius.*

PRO. PR. PROV. PAN. SVPER. ProPrætor Provinciæ Paononiæ Superioris.

PROP. ROM. Proposita Romæ. In Principum Constitutionibus & Rescriptis, ut antea dictum.

PROPR. PROV. MAC. Proprætor Provinciæ Macedoniæ.

PROQ. Proquæstor. *Ursinus.* Qoi Quæstoris vices agebat, Proquæstor erat.

PROQ. AER. ET. ALIM. Proquæstor Ærarii Et Alimentorum.

PROQ. P. Proquæstore Publico. *Ursinus.*

PRO. S. Pro Salute. *Scaliger.*

PRO. SAL. Pro Salute. *Manutius.*

PRO. SAL. AVGG. Pro Salute Augustorum.

PROT. Protectori. Protectores, milites erant,

 tum

tum equites, tum Pedites, ex Prætorianorum numero, Domestici dicti, atque Spatharii, a posterioribus Græcis Principibus. Horum munus fuit corpus Imperatoris protegere; de quibus abunde *Lazius Comment. Reipub. Roman. lib. 4. cap. 13. Pancirollus in Not. Imp. Orient. cap. 89.* sed præcipue *Gutherius de Offic. Dom. Aug. lib. 2. cap. 15.* ubi ipsorum varietatem & distincta munera accurate recenset.

PROTECT. SCRIB. LIB. Protector Scriba Librarius.

PROT. Q. Propter Quintum. Propter Quod. *Manutius.*

PROV. Provincia. *Probus. Sarainas. Appianus. Lazius.*

Provinciæ. *Rubens.*

PROV. DEOR. Providentia Deorum. In nummis Imperatorum.

PROV. H. C
PROV. HISP. CIT. } Provincia Hispania Citerior.

PROVID. Providentia. In nummis Trajani.

PROVID. DEOR. Providentia Deorum.

PROV. TING. Provincia Tingitana.

PROV. VAL. BYZAC. Provincia Valeria Byzacena.

PROX. Proxeneta. *Lazius.* Proxenetæ sunt mediatores, seu conciliatores in contractibus; ut habetur *l. ult. ff. de Proxenet.* Hos *parurios* vocasse *Senecam* observat *in Nomenclatore Junius*, & *propolas* Pollux vocat. *Calvinus in Lexico Juris*, ad hanc vocem. *Italice Sensali.*

Proximus.

PROX. AB. EPIST. Proximus Ab Epistolis. *Gutherius.* Qui *de Offic. Dom. Aug. lib. 3. cap. 7.* fuse de Proximorum varietate agit, atque præsertim de hoc ab Epistolis.

PR. P. Præfectus Provinciæ. *Manutius.*

Præses Provinciæ. *Probus Ernstii. Diaconus. Magno. Papias. Manutius.*

ProPrætor. Propria Pecunia.

PR. F. Præfectus Provinciæ. Præses Provinciæ. *Manutius.*

ProPrætor. Propria Pecunia.

PR. PE. Prætor Peregrinus. *Probus Ernstii.*

PR. PER. Prætor Peregrinorum. *Manutius.* De isto Prætore agitur, ubi & de Urbano.

Princeps Peregrinorum. *Manutius.*

PR. P. F. Primigenia Pia Fidelis, *hoc est*, Legio. *Scaliger.* In militaribus cippis.

PR. P. F. PQ. C. Proconsul Publice Fecit Ponendumque Curavit. *Probus Ernstii.*

Propria Pecunia Faciundum Ponendumque Curavit.

PR. PIL. Primipilus. *Angelonus.*

PR. PR. Præfectus Prætoris. Præfectus Præturæ. *Manutius.*

Præfectus Prætorio.

ProPrætor. *Probus. Manutius. Scaliger. Gualtherius.*

ProPrætore. *Manutius.*

PR. R. P. E. V. Procurator Rei Privatæ Egregius Vir. *Gutherius.* Qui de hoc agit *de Offic. Dom. Aug. lib. 3. cap. 35.*

PR. PR. LEG. IIII. ITAL. ProPrætor Legionis Quartæ Italicæ. In militaribus.

PR. PR. LEG. PR. MINERV. ProPrætor Legionis Primæ Minerviæ.

PR. PR. PANN. INF. ProPrætor Pannoniæ Inferioris.

PR. PR. PROVINC. PANN. ProPrætor Provinciæ Pannoniæ.

PR. PROV. MOES. INF. Prætor Provinciæ Mœsiæ Inferioris.

PR. PR. PROV. MOES. SVP. ProPrætor Provinciæ Mœsiæ Superioris.

PR. P. V. Prætoriæ Piæ Victricis. *Manutius. Saliger.*

PR. Q. Prætori Quæstori. Prætori Quinquennalitio. *Scaliger.*

ProQuæstori. *Goltzius.*

PR. Q. AER. ET. ALIM. ProQuæstori Ærarii Et Alimentorum.

PR. Q. K. ProQuæstor Kandidatus.

PR. Q. Q. Prætor Quinquennalis. *Gallus.*

PRR. Prætores. *Probus. Diaconus. Ms. Zabarella.* Et alii fere omnes.

Proconsules. *Probus Ernstii.* Cui tamen non subscribo; siquidem, per duplex CC. non per geminum RR. duo Proconsules notabantur.

PR. R. Pro Rostris. *Gruterius.*

PRS. Posteris. *Probus Ernstii.*

Præses. *Probus. Diaconus. Ms. Zabarella. Appianus. Lazius. Manutius.*

Præsides. *Manutius.*

PRS. Præsens. *Magno.*

Præses. *Ms. Rhodii. Magno. Manutius.*

PR. S. Patri Suo. *Sarainas. Manutius.*

Prætoris Sententia. *Probus. Sarainas. Appianus. Manutius.*

PR. SEN. Pro Sententia. *Scaliger.*

PRS. P. Præses Provinciæ. *Probus. Ms. Zabarella. Appianus.*

PRS. Q. PosterisQue.

PRSS. Præsides. *Probus. Ms. Zabarella. Appianus. Lazius. Manutius.*

PRT. Præter. *Papias.*

Prætorii. *Diaconus. Manutius.*

PR. TR. BL. Præses Tribuni Plebis. *Manutius.*

Prætores Tribuni Plebis. *Probus. Diaconus. Manutius.*

Prætor Tribunus Plebis.

PR. TVT. Prætor Tutelaris. In lapidibus, in quibus Magistratuum fit mentio, quod & expressum aliquando.

PR. VIG. Præfectus Vigilum. *Scaliger.*

P. RVPIL. P. F. Publius Rupilius Publii Filius. In nummis argenteis gentis Rupiliæ.

PR. VR. Prætor Urbanus. *Ms. Zabarella. Sarainas. Appianus Lazius.*

PR. VRB. Præfectus Urbi. Prætor Urbanus.

PR. VRB REG. XIII. Prætori Urbano Regio Decima Tertia.

PR. VR. IO. OP. MAX. Prætor Urbis Jovi Optimo Maximo.

P. R. V. X. Populi Romani Vota Decennalia. *Hulsius.*

P. S. Pecunia Sua. *Manutius.* In votivis & sepulcralibus saxis.

Per Senilem. *Scaliger.* Hoc est, ætatem, ut in saxo *pag.* 1037. 7.

Plebiscitum. *Probus Ernstii. Diaconus. Appianus. Lazius. Manutius.*

Posteris Suis. *Manutius.* In sepulcralibus.

Posuit Sibi. *Probus. Ms. Zabarella. Appianus. Lazius. Manutius.* In sepulcralibus.

Præfectus Syriæ. Privato Sumptu. *Manutius.*

Proprio Sumptu. *Scaliger.* Tum in votivis, tum in sepulcralibus.

Proserpinæ Sacrum. *Manutius.* In votivis & Dis sacris.

Provincia Siviliæ. *Gualtherius.*

Publicæ Saluti. *Sarainas. Manutius.*

Publico Sumptu. *Manutius.*

PS. Passus. *Papias.*

Pessimus. *Sarainas. Manutius.*

Plebiscita.

Plebiscita. *Manutius.*
Plebiscitum. *Probus. Ms: Zabarella. Sarainas. Manutius.*
Possunt. Posui. *Diaconus. Manutius.*
Posuit. *Probus Ernstii. Diaconus. Ms: Rhodii. Sarainas. Manutius.*
Praeceps. *Diaconus. Manutius.*
Praefectus. Praeses *Manutius.*
Po. Penes. *Ms: Rhodii.*
P'. Publius. *Ms: Rhodii.*
PS. Praeceps. *Probus Ernstii.*
Possunt. *Magno.*
P.S.∴ Pedem Semis, cum Triente. Ni male intelligam hasce notas in basi praegrandi a *Grutero* exscripta *pag.* 207. in qua lex operum sculpta legitur.
P. SABIN. Publius Sabinus In nummis argenteis gentis Titurinae, in qua Sabini cognomen familiare, ad indicandam ipsius gentis, ex Sabinis originem.
P.S B. Proserpinae Sacrum Bustum. *Manutius.*
P.S.C. Pecunia Sua Curavit, *vel* Proprio Sumptu, *seu* Publico Sumptu. In sepulcralibus, atque in ipsorum marginibus.
PS. COHOR. Praefectus Cohortis. *Manutius.*
PS. COOR. Praefectus Cohortis. *Diaconus. Manutius.*
P.S. D N. Pro Salute Domini Nostri. *Scaliger.*
P.SEMP. P. F. TVDIT. Publius Sempronius Publii Filius Tuditanus. In nummis aereis gentis Semproniae, caput ad instar mallei, Tuditani cognominis origo fuit; siquidem, *Festo* au&ctore, *Tudites malleos, a tundendo dictis inde & cuidam cognomen Tuditano fuit, quod caput malleo simile haberet.* Ita & Atejus Capito.
P.SERVIL. M.F. Publius Servilius Marci Filius. In argenteis nummis gentis Serviliae.
P.S.ET.S. Posuit Sibi Et Suis. *Probus. Manutius.* In sepulcralibus.
P. S. F. Pecunia Sua Fecit. *Manutius. Scaliger.* Tum in votivis, tum in sepulcralibus.
Posteris Suis Fecit. In sepulcralibus.
Potestatem Suis Fecit. *Manutius.*
Proprio Sumptu Fecit. In votivis & sepulcralibus.
Publicae Saluti Fecit. *Ms: Zabarella. Manutius.*
Publice Sibi Fecit. *Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius.*
P. S. F. C. Patriae Saluti Faciundum Curavit. *Sarainas.*
Pecunia Sua Faciundum Curavit. *Manutius.* Quae & in monumentis Christianorum sunt nunc etiam in usu.
Perpetuae Saluti Faciundum Curavit. *Manutius.*
Proprio Sumptu Faciundum Curavit. *Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius. Zamosciu.* Votivis & sepulcralibus communia.
Pro Salute Faciundum Curavit. *Sarainas.*
Publicae Saluti Faciundum Curavit. *Probus. Ms: Zabarella. Appianus. Lazius. Manutius.*
Publice Sibi Faciundum Curavit. *Sarainas.* In sepulcralibus.
Publico Sumptu Faciundum Curavit. *Probus. Appianus. Lazius. Manutius.*
P.SI. Posuit Signum.
Praefectus Syriae. *Sarainas.*
P.SIR. Praefectus Syriae. *Probus Ernstii.*
P.SIS. Pecunia Scifciae.
Percussa Scifciae. *Santamantius.*
P. S. O. Pecunia Sua Ordinavit. Posuit Suis Omnibus. In sepulcralibus, cum sequentibus.
P.S.P. Pecunia Sua Posuit. *Manutius.*
Posteris Suis Posuit.
Proprio Sumptu Posuit. Publice Sibi Posuit, *vel* Suis.

P.S.P.C.R. { Pecunia Sua / Proprio Sumptu / Publice Sibi } Ponendum Curavit Requietorium. Requietorium expressum quandoque in saxis occurrit; ut in hoc *pag.* 1030. 8.

Q. FONTEIVS. CELER
VI. VIR. AVGVST
SIBI. ET
ANNIAE. HELPIDAE
CONIVGI. KARISS
REQVIETORIVM
FECIT
V. S. N. T. L. P

P.S.POS. { Pecunia Sua / Privato Sumptu / Proprio Sumptu / Publice Sibi } Posuit.

P.S.P.Q.P. Pro Se ProQue Patria. *Scaliger.*
P. S.P.Q.R. Pro Se Proque Republica.
P. S. Q. R. H. Publius Sestius Quinti Romani Heres. *Scaliger.*

P.S.R. { Pecunia Sua / Proprio Sumptu / Privato Sumptu / Publico Sumptu } Restituit.

P SS. Plebiscita. *Manutius.*
Posuit Suprascriptis.
PSS. Plebiscita. *Manutius.*
PSSN. Possessionem. *Papias. Manutius.*
P. STLITIB. IVD. Praefectus Stlitibus Judicandis. *Diaconus. Manutius.*
P. S. T. Q. H. Praecipito Sumito TibiQue Habeto. *Diaconus. Manutius. Brissonius.* Qui *de Formulis lib.* 7. haec ad has singulas habet: *Formula est legati, per praeceptionem ordinandi, qua in tabulis testamentariis quisque istis notis stringebatur.*
P. S. V. F. Pecunia Sua Vivens Fecit, *vel* Vivus Fecit. *Manutius.* Fuitque formula, cum subsequentibus, qua quisque indicabat viventem sibi constituisse monumentum.
Posteris Suis Vivens Fecit. Proprio Sumptu Voluit Fieri. Publice Sibi Vivens Fecit.
P. SYR. Praefectus Syriae. *Diaconus. Ms: Rhodii. Magno. Papias. Manutius.*
P. T. Pecunia Trevirensis. Percussa Treveri. *Santamantius.* In nummis Maximini.
Posuit Terminum. Posuit Titulum. *Manutius.*
PT. Pater. *Santamantius.*
Praeter. *Probus.*
PT. Propter. *Probus Ernstii.*
PT. AVGG. Pater Augustorum. *Augustinus.* In nummis Constantini.
PT. F. Pater Familias. *Ms: Rhodii. Sarainas. Manutius.*
PTM. Patrimonio. *Probus Ernstii.*
Puteum. *Manutius.*
PTM. Patrimonium. *Diaconus. Manutius.*
P. T. M. Publice Teneri Mandavit. *Manutius.*
P.T.Q. Propter Quid. *Probus Ernstii.*
Propter Quantum. Propter Quod. *Manutius.*
P. T. Q. C. Propter Quam Causam. *Probus Ernstii.*
PT. Q. R. Propter Quam Rem. *Diaconus. Manutius.*
P.TR. / P.TRE. } Pecuniam Treveri. *Ombenius.*
PTR. Q. EOR. Posterisque Eorum.

P. T. S. Posuit Titulum Sibi.
P. V. Pedes Quinque.
Perfectissimi Viri.
Perfectissimus Vir. De Viris Perfectissimis, dignitate, ac privilegiis, quibusque hic competeret titulus, fuse inter multos *Pancirollus in Notit. Utramque cap.* 3. & *Gutherius de Offic. Dom. Aug. lib.* 7. *cap.* 4.
Piæ Victricis. *Scaliger.* Hoc est, Legionis, in militaribus.
Populo Videtur. *Manutius.*
Populus Videtur. *Diaconus. Manutius.*
Post Quintum. *Manutius.*
Præfectus Vigilum. *Pancirollus.*
Præfectus Urbi. *Magno. Pancirollus, Manutius. Gualtherius.*
Præstantissimi Viri. *Scaliger.*
Prætor Quintum. *Manutius.*
Primarii Viri. *Scaliger.*
PV. Privatus. *Manutius.*
Provincia. *Papias.*
Pugna. *Papias.*
Publilia. *Panvinius.* Tribus, quæ Poblilia & Popillia. de qua jam dictum.
PV. Provincia. *Diaconus. Ms: Rhodis.*
PV. Provincia. *Magno.*
P. VATINI. P. F. COS. Publius Vatinius Publii Filius Consul. In nummis argenteis gentis Vatiniæ.
PVB. Publicius. *Appianus. Lazius.*
Publilia. *Panvinius. Manutius. Scaliger.*
Publilius. *Manutius.*
PVB CV. Publice Curavit.
PVB. IV. Publice Juravit. *Diaconus. Manutius.*
PVBL. Publice. *Manutius.*
Publilia. *Panvinius. Scaliger.*
PVBLIL. Publilia. *Panvinius. Scaliger.* Nempe Tribus.
PVBL. L. Publico Luctu. *Sarasinas. Manutius.*
Publii Libertus. Aliquando.
PVB OB. MER. DEDER. Publice Ob Merita Dederunt. In monumentis honoris gratia erectis.
PVD. Pudicitia. Pudor. *Manutius.*
P. V. D. Postulo Uti Des. *Manutius.* Formula, quam hæ notæ complectebantur, postulandi erat, in antiquorum actionibus.
Pro Voto Dat. *Manutius.*
Pro Voto Dedit. *Probus. Manutius.*
PVDIC. Pudica.
PVDICISS. FEMIN. Pudicissima Femina. Pudicissimæ Feminæ.
P. V E. Populo Visum Est. *Diaconus. Manutius.*
P. VENTIDI. P. F. PRO. COS. Publius Ventidius Publii Filius ProConsul. In nummis argenteis gentis Ventidiæ.
P. V. F. Ponere Vivens Fecit, *vel* Universis.
P. V F. A. Postulo Uti Fias Auctor. *Manutius.*
PVG. Privilegium. *Probus. Diaconus. Ms: Rhodis. Papias. Manutius.*
Pugna. Pugnator. Pugnavit. Pugili.
PVGNAR. V. Pugnarum Victor, *vel* Victrix.
PVGN. VIII. Pugnavit Octo. In lapidibus Gladiatorum.
PV. HO. Publice Honestatus. Publico Honore. *Manutius.*
P. VID. Populo Videtur. *Diaconus, Manutius.*
Populus Videtur. *Manutius.*
P. VI. S. Pedes Sex Semis. Ubi Pedum mensura notata est.
PVP. Pupienus. Pupillus. *Sarasinas. Manutius.*
Pupinia. *Panvinius.* Tribus scilicet.
PVPIN. Pupinia. *Panvinius. Scaliger.* Pupiniam Tribum, quæ observatione *Panvinii* & Papinia dicta, ab agro Pupinio denominatam tradit *Festus.* Pupinius vero ager in Latio, cis Tiberim, ad mare vergens, haud longe ab Urbe.
P. V. PRAEF. ANN. Perfectissimus Vir Præfectus Annonæ.
PVB P. R. Q. Publicus Populi Romani Quiritum. *Scaliger.* In Monumento a *Grutero pag.* 27 4. collecto, quod qui viderit notarum sensum habuerit.
PVR. Purpureo. Cognomen fortasse Purpurei alicui, quod splendidus & pulcher. Sic commentator antiquus, ad illud *Horatii Carm. lib.* 2.

> *Distinguet Autumnus racemos*
> *Purpureo varius colore.*

Purpureo inquit, *pulchro: nam purpureum pro pulchro sæpe ponitur.* Sic *Servius*, ad illud *Virgilii Æneid.* 1.

> *—— namque ipsa decoram*
> *Cæsariem, nato genetrix, lumenque juventæ*
> *Purpureum.*

Purpureum, pulchrum.
PVRPVR. Purpurarius. Purpurarii erant, qui purpuram parabant.
PVS. Posuimus. *Papias.*
P. V. S T. L. M. Posuit Voto Suscepto Titulum Libens Merito. Ita lego has notas in saxo *pag.* 1179. 7.

DEAE
DIANAE. SA
CRVM. AEL.
TIMO. P
V. S. T. L. M

PVT. CIV. Puteolanæ Civitatis.
P. V. V. L. S. Pro Ut Voverat Libens Solvit. *Scaliger.* In votivis aliquando.
P. X. Patris Actio. Pedes Decem. *Diaconus. Manutius.*
Pondo Decem. *Augustinus.*
P. X. ET. C. Publius Decimius Et Cajus. Si recte constet explicatio in Saxo *pag.* 868. 11.
P. XII. S. Pedes Duodecim Semis.
P. XX. Pedes Viginti.
P. YPSE. Publius Ypseus. In nummis argenteis gentis Plautiæ.

Q

Q. Qua. *Sarasinas. Manutius.*
Quadraginta. *Antiquus Codex de Notis Numerorum.*
Quadrati. *Scaliger.*
Quæ. *Probus. Diaconus.* Et alii.
Quæro. *Manutius.*
Quæsitus. *Sarasinas. Manutius.*
Quæstio. *Diaconus. Papias. Manutius.*
Quæstor. *Scaurus. Diomedes. Ursinus. Manutius. Velserus.* De Quæstorum origine, varietate, dignitate, & muneribus, non tantum agunt Dionysius, T. Livius & Cornelius Tacitus, sed & JurisConsulti *lib.* 12. *Cod. Tit.* 7. *Cassiodorus Variar. lib.* 5. *Epist.* 3. & *lib.* 6. *Epist.* 5. *lib.* 7. *Epist.* 13. & *lib.* 10. *Epist.* 6. *Pomponius Lætus de Magist. Roman. cap.* 17. *Andreas Dominicus Floccus de Potest. Roman. lib.* 3. *cap.* 13. *Volaterranus Comment. Urban. lib.* 29. *Alexander ab Alexandro Genial. Dier. lib.* 2. *cap.* 2. *Sigonius de Jur. Civ. Roman. lib.* 1. *cap.* 20. *de Antiq. Jur. Ital. lib.* 2. *cap.* 8. & *de Antiq. Jur.* Provin-

Provinciar. lib. 2. capp. 3. 4. 8. & 9. Panvinius Comment. in Princ. Fast. ad Ann. 245. Pancirollus in Not. Imp. Orient. cap. 72. & Occid. cap. 34. Lazius Comment. Reipub. Roman. lib. 2. cap. 14. Rosinus Antiquit. Roman. lib. 7. capp. 12. & 45. Gutherius de Offic. Dom. Aug. lib. 2. cap. 18. & lib. 3. cap. 32.

Qualis. Quamvis. Quando. *Manutius.*

Quatenus. *Papias.*

Quanti. *Sarainas. Manutius.*

Quantum. *Diaconus. Manutius.*

Quare. *Gratiosus. Sarainas. Manutius.*

Quartum. *Probus. Manutius.*

Quartus. *Probus. Appianus. Lazius. Manutius. Rubens.*

Quasi. *Sarainas. Manutius.*

Quas. *Diaconus. Manutius.*

Quæ. *Probus. Manutius.*

Quem. *Sarainas.*

Quemadmodum. *Manutius.*

Qui. *Diaconus. Magno. Sarainas. Manutius.*

Quia. *Diaconus. Sarainas. Manutius.*

Quibus. *Manutius.*

Quid. *Sarainas. Manutius.*

Quidem. Quietorium. *Manutius.*

Quinctilius. *Probus. Trebellius. Manutius.* Nomen gentilitium fuit, a Quinctio, gentilitio nomine depromptus.

Quinta. *Servius.* Hoc apud Romanos, prænomen & cognomen mulierum fuit. prænomen, cum gentilitium nomen præcedit; cognomen, cum id subsequitur. Quinta enim cognominabatur illa femina, quæ in aliqua gente, ordine quinta in lucem prodibat.

Quinctius. *Probus. Ms: Zabarellæ. Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius.* Nomen gentilitium fuit, a prænomime Quinti deductum.

Quintus. *Probus. Diaconus.* Cæterique notarum explicatores. Ab ordine nascendi impositum, Quinti prænomen fuit; siquidem *Sigonii* observatione, *de Nomin. Roman. Quintus, Sextus, Decimus, a numero dicti sunt, teste Varrone, ut qui quinto, sexto & decimo quoque loco esset natus, ii demum primis temporibus, Quintus, Sextus, & Decimus diceretur.* cui adstipulatur *Panvinius de Antiq. Nomin.* ubi Quinctiorum & Quintiliorum gentes hinc oriundas tradit.

Quingenarios, Quingentos. *Sarainas Manutius.*

Quingenta. *Antiquus Codex de Notis Numerorum.*

Quinquies. *Rubens.*

Quinquennalitio. *Scaliger.*

Quirinalis. Quirinus. *Sarainas. Manutius.*

Quirites. *Diomedes Grammaticus.* Qui *de Arte Grammat. lib. 2.* sic habet: *Q. notam prænominis, Quintum significare. Item honoris, Quæstorem indicare; nec minus populum, cum ea notamus Quirites.* cui adstipulatur *Beda de Orthograph.*

Quis. *Manutius.*

Quo. *Papias. Sarainas. Manutius.*

Quod. *Diaconus. Sarainas. Manutius.*

Quoniam. *Sarainas.*

Qur. *Papias.*

Q. *In termino, a Limite rivum notat.* Auctores de Limit. Agrorum.

Q°. Quæ. *Ms: Rhodii.*

Qui. *Scaliger.*

Q̄. Qua. *Papias.*

Quare. *Magno.*

Quatenus. *Diaconus. Manutius.*

Quæstori. *Manutius. Scaliger.*

Quæstio. *Probus Ernstii.*

Qui. *Magno.*

Quingenta Millia. *Antiquus Codex de Notis Numerorum.*

Quadrumo. *Probus Ernstii.*

Q. Quasi. *Ms: Rhodii. Manutius.*

Quam. Quem. *Magno.*

Quia. *Ms: Rhodii. Magno. Manutius.*

Quod. *Ms: Rhodii. Papias. Manutius.*

Qur. *Diaconus. Ms: Rhodii. Manutius.*

Q. Quæstio. *Ms: Rhodii. Manutius.*

Q. A. Quæstor Ædilis. *Scaliger.*

Quemadmodum. *Diaconus. Manutius.*

QA. Qua. *Diaconus. Ms: Rhodii. Magno. Sarainas. Manutius.*

Q^a. Qua. *Diaconus.*

QA^a. Quia. *Magno.*

Q. ADS. Quem Adserit. *Magno.*

QAE. Quæ. *Velius Longus.*

Q. AED. PL. PR. Quæstor Ædilis Plebis Prætor.

Q. A. IIII. VIR. A. P. Quæstor Ædilis QuartumVir Argento Publico.

Q. AL. Quæstor Alimentarius, *vel* Alimentorum.

Quinti Alumnus. *Reinesius.*

Q. ALI. Quæstor Alimentarius. *Manutius.*

Quæstor Alimentorum. *Scaliger.*

Quartus Alimentarius. *Manutius.* Quod ineptum puto.

Q. ALIM. Quæstori Alimentario *Manutius.*

Quæstori Alimentorum. *Scaliger.*

Q. AM. Quemadmodum. *Manutius.*

Q. A. M. Quemadmodum. *Probus. Papias. Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius.* Quibus notis utebatur Prætor in edictis perpetuis.

QAM. Quemadmodum. *Probus. Ms: Zabarellæ.*

Q. ANN. Quæstor Annonæ. *Servius.*

Q. A. NQ. N. Quando Ais Neque Negabo, *vel* Nego. *Probus. Manutius.* In actionibus antiquorum.

Q. ANT. BALB. PR. Quintus Antonius Balbus Prætor. In nummis argenteis gentis Antoniæ, in qua Balbi cognomen a vitio linguæ usurpatum. Est & in Acciis, Corneliis, Juliis, Luciliis, Octaviis, *Glandorpio* teste in *Indice Cognominum.*

QAPP. Quapropter. *Magno.*

Q^a. PP. Quapropter. *Diaconus. Manutius.*

QAPP. Quapropter *Ms: Rhodii.*

Q. ARC. Quæstor Arcarius. *Gutherius.* Qui *de Offic. Dom. Aug. lib. 3. cap. 32.* hunc fuisse dicit Quæstorem, Ærarii Curatorem, cum scilicet a Præfectis, ad Quæstores Ærarii cura transivit.

Q. ARC. PVB. ET. PEC. ALIMENTAR. Quæstor Arcæ Publicæ Et Pecuniæ Alimentariæ.

Q. AS. Quibus Auspiciis. *Gratiosus.*

Q. ASS. Quem Asserit. *Probus Ernstii. Sarainas. Manutius.*

Quem Assignat. *Manutius.*

Q. ASS Quem Asserit. *Ms: Rhodii.*

Q. AX. Q. F. Quintus Axius Quinti Filius.

Q. B. Qui Bixit. *Manutius. Scaliger.* Ob B & V affinitatem, de qua dictum supra litera B. In sepulcralibus.

QB9. Quibus. *Magno. Papias.*

Q. B. AN. XXX. Qui Bixit Annis Triginta. *Bixit*, loco *Vixit.* In cippis mortuorum.

Q. B. ATQ. F. EV. Quod Bene Atque Feliciter Eveniat. *Probus Ernstii.*

Q. B. F. Quæ Bene Fecit *Manutius.*

Quare Bonum Factum. *Ms: Zabarellæ.*

Quare Bonum Facis. *Probus. Manutius.*

Quare Bonum Factum. *Probus. Appianus. Manutius.*

Quære Bonum Factum. *Probus. Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius.*

Qui Bixit Feliciter. *Manutius.*

Q. B. M. V. Quæ Bene Mecum Vixit. *Probus. Ms: Zabarella. Appianus. Lazius. Manutius.* Notæ ſepulcrales, in monumentis conjugum.

Q. B. ME. V. Quæ Bene Mecum Vixit. *Sarainas. Manutius.*

Q. B. N. F. Quære Bonum Non Factum. *Diaconus. Manutius.*

Quare Bonum Non Factum. *Manutius.*

Q. C°. Quintus Cælius. *Magno.*

QC. Quaſi. *Probus Ernſtii. Diaconus. Manutius.*

Q Ɔ. Quinque Millia. *Probus Ernſtii.*

QQ Quia. *Papias.* Dummodo probe.

Q. CAEDICI. Q. F. Quintus Cædicius Quinti Filius. In argenteis nummis gentis Cædiciæ.

Q. CAEP. Quintus Cæpio. In argenteis nummis gentis Juniæ & Serviliæ, in quibus aliquis cæparum, vel cultor, vel guſtator inſignis, cognomen hoc ſibi & poſteris familiare fecit; niſi quis, ob animi atque corporis ſplendorem & nitorem, Cæpio cognominatus fuerit, deducto cognomine a Cæpionide gemma, de qua *Plinius Hiſt. Nat. lib. 37. cap. 10. Cæpionides in Æolidis Atarne, nunc pago, quondam oppido, naſcuntur multis coloribus translucentes, alias vitreæ, alias cryſtallinæ, alias jaſpidea. Sed & ſordidis tantus eſt uſtor, ut imagines reddant ceu ſpecula.*

Q. CAS. Quintus Caſſius. *Probus. Manutius.*

QQ ASS. Quem Aſſerit. *Diaconus. Manutius.*

Q. CATVL. Q. F. Quintus Catulus Quinti Filius. In nummis argenteis gentis Lutatiæ, in qua Catuli cognomen uſitatiſſimum, ac peculiare; quod tamen a Catulo, hoc eſt, parvo cane deductum non puto, nec ab illo genere vinculi, quod, *Feſto* auctore, interdum *canis* appellabatur; ſed a verbo Cato, quod apud Sabinos, *Varrone* teſte, ſolertes, acutos, ingenioſoſque homines denotabat, ex quo Catones & Catuli. Opinioni vero favet *Nicolaus Perrotus in Cornucopia*, ad illud Martialis epigramma tertium in ſpectaculis, ubi notat, quod a *Cato Catulus dictus, per diminutionem, propter ſagacitatem;* quod a *Varrone lib. 4. de Ling. Lat.* mutuatus fuerat, qui ſic ait: *Catulus a ſagaci ſenſu & acuto.*

QQ DIC. Quem Dicit. *Diaconus. Manutius.*

QƆ. L. Quinta ConLiberta, *vel* Quinti ConLibertus.

Q. C. M. P. I. Quintus Cæcilius Metellus Pius Imperator. *Urſinus. Zabarella.* In nummis argenteis gentis Cæciliæ.

Q. C. P°. Qua Cauſa Petis. *Diaconus. Manutius.*

QC P. Quem Petit. *Diaconus. Manutius.*

Q. C. P. R. B. R. Qui Cum Pace Repoſiti Bene Requieſcant. In ſaxo iſto Romæ ſubterraneæ *T. 1. lib. 2. cap. 10.*

LOC. DVLCITI ET EVTICHITIS
NOT. ECCL. ROM. Q. C. P. R. B. R.

Hoc eſt: *Locus Dulcitii Et Eutichetis Notariorum Eccleſiæ Romanæ. Qui Cum Pace Repoſiti Bene Requieſcant.*

Q. CREPER. M. F. Quintus Creperius Marci Filius. In argenteis nummis gentis Creperiæ.

QC. V. Quæ Vult. *Diaconus. Manutius.* Si recte.

Q. CVRT. Quintus Curtius. In nummis argenteis gentis Curtiæ.

Q. D. Quem Dicit. *Sarainas. Manutius.*

Quinquennalis Decurio. *Scaliger.*

QD. Quædam. *Magno. Papias.*

Quidem. *Probus Ernſtii. Diaconus. Manutius.*

Q. D. Quem Dicit. *Ms: Rhodii.*

Q. D. A. Quo De Agitur. *Manutius.*

Q. D. C. Qua De Cauſa. *Ms: Rhodii. Magno Papias. Sarainas. Manutius.*

Q. D. C. N. N. E. Qua De Cauſa Negandum Non Eſt. *Gratioſus.*

Q. D. C. V. Qua De Cauſa Venit. *Magno. Papias.*

Qua De Cauſa Vere. *Ms: Rhodii.*

Q. D. E. R. F. P. D. E. R. I. C. Quod De Ea Re Fieri Placeret De Ea Re Ita Cenſuere. *Manutius.*

Quid De Ea Re Pieri Placuerit De Ea Re Ita Cenſuerunt. *Scaliger. Calvinus. Tomaſinus.* Vulgatiſſima formula Legum rogandarum, & Senatusconſultorum apud Romanos, una cum ſequentibus.

Q. D. E. R. F. P. D. E. R. L. C. Quid De Ea Re Fieri Placet De Ea Re Lege Cavetur. *Sarainas.*

Q. D. E. R. F. P. D. E. R. V. I. C. Quod De Ea Re Fieri Placeret De Ea Re Univerſi Ita Cenſuerunt. *Probus. Gratioſus. Sarainas. Manutius.*

Q. DES. Quæſtor Deſignatus.

Q. DESIG. Quæſtor Deſignatus. *Auguſtinus.*

Q. DIC. Quem Dicit. *Probus Ernſtii.*

Q. DIC. Quem Dicit. *Magno. Papias. Manutius.*

Q. D. R. Qua De Re. *Ms. Rhodii. Magno. Papias. Manutius.*

Q. D. R. P. Qua De Re Peto. *Probus Ernſtii. Diaconus. Papias. Manutius.*

Qua De Re Placet. *Manutius.*

Q. D. R. P. A. S. Qua De Re Peto A Senatu. *Gratioſus.*

Q. D. R. P. G. V. Qua De Re Peto Gravitatem Viri. *Probus Ernſtii.*

Qua De Re Peto Gravem Virum. *Manutius.*

Qua De Re Peto Graves Viros. *Diaconus. Manutius.*

Qua De Re Peto Gravitatem Veſtram. *Magno. Cujacius.*

Qua De Re Peto Gravitatem Virum. *Diaconus. Manutius.*

Q. D. R. P. L. IV. Qua De Re Peto Laudabiliter Jura. *Probus Ernſtii. Diaconus. Manutius. Scaliger.* Qui in caſtigationibus & notis ad *Feſtum*, ſcribit, quod in judiciis hæc fuit antiquorum reſponſio; *nam qui exegerat ſacramentum, rurſus & ipſe ad ſacramentum adigebatur ab adverſario, amboque vocabantur conſponſores.*

Qua De Re Peto Liquido Jures. *Cujacius.*

Q. D. R. P. L. V. Qua De Re Peto Laudabilitatem Veſtram. *Magno. Cujacius.*

Q. D. S. S. Quæ Dedit Sibi Senatus. Quæ Dedit Suis Senatus. Quæ Dedit Sibi Suis. *Sarainas. Manutius.*

Quæſtor De Suo Sumptu. *Manutius.*

Qui Dedit Supra Scriptis.

Qui Dederunt Supra Scripta. *Scaliger.*

Q. E. Quæ Eſt. Qui Eſt.

Quur Ejus. *Manutius.*

Q. E. Querendum Eſt. *Probus Ernſtii. Diaconus. Papias. Manutius.*

Q. E. Quæ. *Diaconus. Manutius.*

Q. E. R. E. Qualis Ea Res Erit. *Diaconus. Manutius.*

Quando Ea Res Erit. *Appianus. Laczius.*

Quanti Ea Res Erit. *Probus. Sarainas. Manutius.*

Q. E. R. F. E. D. Quod Recte Factum Eſſe Dicitur. *Sarainas. Appianus.*

Quod Ei Recte Factum Eſſe Dicitur. *Idem.*

Quod Ejus Rei Factum Eſſe Dicetur. *Manutius.*

Q. E. D. R. F. P. D. E. R. V. I. C. Quod Ea De Re Fieri Placuere De Ea Re Univerſi Ita Cenſuerunt. *Appianus.*

Q. E. R. E. IV. D. Quanti Ea Res Erit Judicium Dabo. *Manutius.*

Q. E. R. E. T. P. J. R. D. T. Q. DT. D. D. P. F. Quanti Ea Res Erit Tantæ Pecuniæ Judicium Recuperato.

cuperatorium Dabo Testibusque Duntaxat Decem Potestatem Faciam. *Probus. Manutius. Hotomannus. Calvinus.* Quæ omnes literæ in edicto Prætoris, alteriusve magistratus, qui in Provincias Juri dicundo mittebatur, apparebant, ut scilicet quisque sciret de re petita, quomodo in judio Prætor gerere se deberet.

QE. VISXE. ANIS. IIII. Quæ Vixit Annis Quatuor. In Roma subterranea, ex hoc monumento *Tom. 2. lib. 4. cap. 34.*

EGREGIVS. FILIE. K. M
BONIFATE
☧ QE. VIXSE
ANIS. IIII
D. XI
MAMER. I. PACE. CES

Q. F. Quære Factum. Quæstor Felix. *Manutius.*

Quæ Fuit. Qui Fuit.

Quinti Filius. *Probus.* Cæterique omnes notarum explicatores, dummodo patris nomen literæ sequantur.

Quintus Fabius. *Sarainas. Manutius.*

Quod Factum. *Scaliger.*

Quod Felix.

Q. FABI. Quintus Fabius.

Q. FABI. MAX. Quintus Fabius Maximus.

Q. FABI. Q. F. MAX. AIMILIAN. Quintus Fabius Quinti Filius Maximus Aimilianus. Tribus suprascriptis dicendi formulis signati sunt nummi argentei gentis Fabiæ. Vox autem illa Aimiliani postremum hunc Fabium non esse natum, sed per adoptionem e gente Aimilia in Fabiam translatum denotat; siquidem inter varias formulas, quibus antiqui adoptionem exprimebant, hæc usitatior fuit, ut scilicet gentilitium adoptati nomen in ejus cognomen, addita particula ANVS, transmutaretur, ut clare in hoc Aimilio patet, qui in Fabiam gentem adoptatus, post omnia nomina adoptantis, suum gentilitium Aimilianum pro secundo cognomine habuit: ita Octavius cum in gentem Juliam adoptatus fuisset, C. Julius Cæsar Octavianus postea appellatus est.

Q. F. A. N. Quinti Filius Auli Nepos.

Q. F. AP. N. Quinti Filius Appii Nepos.

Q. F. D. N. Quinti Filius Decimi Nepos.

Q. F. E. I. S. F. Quod Factum Est In Senatu Fertur. *Sarainas. Manutius.*

Quod Factum Est In Senatu Fuerit. *Probus. Manutius.*

Q. F. E. I. S. F. D. C. S. Quod Factum Est Senatu Ferunt De Consulum Sententia. Notæ Legum, & Plebiscitorum.

Q. F. K. N. Quinti Filius Kæsonis Nepos.

Q. FLAC. Quintus Flaccus. In nummis argenteis gentis Fulviæ

Q. F. L. N. Quinti Filius Lucii Nepos.

Q. F. M. N. Quinti Filius Marci Nepos.

Q. F. M'. N. Quinti Filius Mami Nepos.

Q. F. N. N. Quinti Filius Numerii Nepos.

Q. F. P. D. E. R. I. C. Quod Fieri Placuit De Ea Re Ita Censuerunt. *Pancirollus. Manutius.* Placeret. *Scaliger.* Pars formulæ rogandarum legum, quandoquidem primam partem Romani integris signabant verbis, reliquum vero singulis denotabant.

Q. F. P. N. Quinti Filius Publii Nepos.

Q. F. Q. N. Quinti Filius Quinti Nepos.

Q. F. SER. N. Quinti Filius Servii Nepos.

Q. F. SEX. N. Quinti Filius Sexti Nepos.

Q. F. SP. N. Quinti Filius Spurii Nepos.

Q. F. T. N. Quinti Filius Titi Nepos.

Q. F. T. N. T. PR. N. Quinti Filius Titi Nepos Titi ProNepos.

Q. F. TI. N. Quinti Filius Tiberii Nepos.

Q. F. VIBI. N. Quinti Filius Vibii Nepos.

Q. FVL. Q. F. FLAC. PROPR. Quintus Fulvius Quinti Filius Flaccus Proprætor. In nummis argenteis gentis Fulviæ, cum sequenti.

Q. FVLVI. M. F. Quintus Fulvius Marci Filius.

Q. FVNC. Quinquennalitate Functus. *Scaliger.*

Q. G. V. Quæ Gravitas Viri. *Diaconus. Manutius.*

Q. HER. ETR. MESS. DECIVS. NOB. CAES. Quintus Herennius Etruscus Messius Decius Nobilis Cæsar. Sic dictus fuit Decii filius Imp. in ejusdem nummis.

Q. H. HS. S. / Q. HH. SS. } Qui Heredes Sunt. *Scaliger.*

QI. Quasi. *Papias.*

Qui. In Roma Subterranea.

Quis. *Sarainas. Manutius.*

Q. Quis. *Ms: Rhodii.*

Q. D. Quidam. Quidem. *Ms: Rhodii.*

Q. IF. S. S. Quæ Infra Scripta, *vel* Scriptæ. Qui Infra Scripti Sunt. In cippis locorum sepulcralium, multis communium.

Q. I. I. T. C. P. A. F. A. Quando In Jure Te Conspicio Postulo An Fias Auctor. *Probus. Appianus.* Notæ actionum apud antiquos.

Quoniam In Jure Te Conspicio Postulo A me Factum Auctorem. *Sarainas.*

Q. I. I. T. C. P. V. A. F. A. Quando / Quoniam } In Jure Te Conspicio Postulo Uti An Fias Auctor. *Probus. Manutius.*

Q. II. VIR. Quæstor DuumVir.

Q. H. VIR. Quæstor DuumVir. Lego in monumento *pag.* 522. 3.

N. APPIO
CENTVRIONI
AEBVTIAE. L. F
Q. APPIVS. Q. F
Q. H. VIR. PONTIF
T. F. C.

Q. IND. P. Quibus Indiciis Petit. *Diaconus. Manutius.*

Q. I. P. Quo Jure Petit. *Diaconus. Manutius.*

QIS. Quis. *Velius Longus. Magno.*

Q. I. S. S. Quæ Infra Scripta Sunt. *Sarainas. Manutius.*

Qui Infra Scripti Sunt. *Scaliger.* Occurruntque aliquando in sepulcralibus.

Qui Illusit Sibi Senatus. *Manutius.*

Qui Jussit Sibi Senatus. *Sarainas.*

Q. IVL. SAL. Quintus Julius Saloninus. Gallienus Galieni filius, in nummis ita dictus.

Q. K. Quæstori Kandidato. *Scaliger. Gualtherius.* Cum de dignitatibus mentio.

Q. L. Quæ Lex. Quæsitus Locus. Quæstor Lucius. *Manutius.*

Quem Locum. *Magno.*

Qui Locus. *Manutius.*

Quinti Liberti. *Sarainas. Manutius.*

Quinti Libertus. *Probus: Appianus. Lazius. Manutius.*

Quinti Liberta.

Q. L. F. Quinti Lucii Filius. *Probus. Appianus. Lazius. Manutius.*

Quintus Lucius Filius. *Manutius.*

Quem Locum Fecit. Qui Libens Fecit.

Q. LM. Quem Locum. *Sarainas. Manutius.*

Q. L. S. S. Quæsivit Liberam Statuum Senatus. *Probus. Manutius.*

Quem Locum Sibi Suis. Supple, Fecit.

Q. LVTATI. Quintus Lutatius.

Q. LVTATI. Q. F. Q. N. Quintus Lutatius Quinti Filius Quinti Nepos. Juxta cum superiori dicendi formula, in nummis argenteis Lutatiæ gentis.

Q. M. Quæ Mecum. Qui Mecum. Supple, Vixit. In sepulcralibus.

Quintus Maximus. *Manutius.*

Quintus Muræna. *Magno.*

Quintus Mutius. *Probus. Manutius.*

Quo Magis. *Probus. Sarainas. Manutius.*

Quo Minus. *Papias.*

Quo Modo. *Probus. Appianus. Lazius. Manutius.*

QM. Quem. *Sarainas.*

Quomodo. *Diaconus. Ms: Zabarellæ. Manutius.*

Quonism. *Papias.*

QM. Quem. *Ms: Rhodii. Papias.*

Q. MARC. Quintus Marcius.

Q. MARCI. L. F. Quintus Marcius Lucii Filius. Duobus bis modis signati conspiciuntur argentei nummi gentis Marciæ.

Q. MAX. Quintus Maximus. In nummis argenteis gentis Fabiæ, juxta cum tribus subsequentibus notis.

Q. MAX. AFRICAN. Quintus Maximus Africanus.

Q. MAX. Q. F. Quintus Maximus Quinti Filius.

Q. MAX. VERRVC. Quintus Maximus Verrucosus. Præter Maximi cognomen, quod in gente Fabia gloriosum fuit, & illud Verrucosi non vulgare accessit, ob aliquem Fabiorum verrucarum copia deformem.

Q. MET. Quintus Metellus. In nummis argenteis, Claudiæ & Fulviæ gentis communibus.

Q. METE. Quintus Metellus. In nummis argenteis gentis Cæciliæ, cum duobus subsequentibus.

Q. METEL. MACEDONIC. Quintus Metellus Macedonicus.

Q. METEL. Q. F. Q. N. Quintus Metellus Quinti Filius Quinti Nepos.

Q. MG. Quo Magis. *Ms: Rhodii. Papias. Sarainas. Manutius.*

Q. MINV. Quintus Minutius. Hæc & subsequens dicendi formula habetur in nummis argenteis gentis Minuciæ.

Q. MINVCI. C. F. C. N. Quintus Minucius Caji Filius Caji Nepos.

QM. L. Quem Locum. *Probus Ernstii. Diaconus. Ms: Rhodii. Papias. Manutius.*

QMM. Quemadmodum. *Gratiosus.*

Q. MO. Quomodo. *Ms: Rhodii. Sarainas. Manutius.*

Q. M. P. Quadrum Munere Plenum. *Probus Ernstii. Diaconus. Manutius.*

Qui Monumentum Posuit.

QM. P. Quam Patriam. *Papias.*

QM. PR. Quam Provinciam. *Papias.*

QM. PT. Quam Patriam. *Probus Ernstii. Diaconus. Manutius.*

QM. PTR. D. Quam Patriam Dicis. *Diaconus. Manutius.*

QM. PV. Quam Provinciam. *Probus Ernstii. Ms: Rhodii. Manutius.*

QMS. Quæsumus. *Diaconus. Manutius.*

Q. N. Quæ Nam. *Diaconus. Ms: Rhodii. Magno. Papias. Sarainas. Manutius.*

Quinti Nepos.

QN. Quænam. *Probus Ernstii.*

Quoniam. *Papias.*

Q. N. Quæstionem. *Papias.*

QæN. Quæstionem. *Magno.*

Q. N. A. N. N. Quando Neque Ais Neque Negas. *Probus Ernstii. Ms: Zabarellæ. Appianus. Lazius.*

Q. NASIDI. Quintus Nasidius. In nummis argenteis gentis Nasidiæ.

Q. NEM. Quæstor Nemausi.

Q. NONI. SEX. F. Quintus Nonius Sexti Filius. In nummis argenteis gentis Noniæ.

Q. NQ. A. N. N. Quando Neque Ais Neque Negas. *Manutius.*

Quoniam Neque Ais Neque Negas. *Sarainas.*

Q. N. T. S. Q. P. Quando Negas Te Sacramento Quinquagenario Provoco. *Probus. Brissonius. Manutius.* Formula hac in judicio utebantur Consponsores. Ex Festo vero Consponsores erant, qui fide mutua colligati erant. Unde *Scaliger* ad eundem *Festum*, in hoc verbo sic ait: *Intelligendum hic conjuratores, qui pœna sacramenti mutuo se provocabant, cum in rem aliquam agerent, puta in lite vindiciarum. Nam ut inquit Varro, qui petebat & qui inficiabatur de aliis rebus, uterque quinquagenos æris ad Pontificem deponebat. nam formula procurationis erat hæc: QVANDO NEGAS, TE SACRAMENTO QVINQVAGENARIO PROVOCO.*

Q°. Quæstio. *Magno.*

Q. OCVLNI. L. F. GAL. Quintus Oculnius Lucii Filius Gallus. In nummis argenteis Oculniæ gentis, quæ & Ogulnia.

Quo. *Ms: Rhodii.*

Q. I. Quo Ipse. *Ms: Rhodii.*

Q°M. Quomodo. *Diaconus.*

Q°. MG. Quo Magis. *Magno.*

Qo. Mo. Quo Modo. *Magno.*

Q. P. Quo Petit. *Ms: Rhodii.*

Q°. Q°. M°. Quando Quomodo. *Ms: Rhodii.*

Quo Quo Modo. *Magno.*

Qo T. Quo Tempore. *Magno.*

QoT. Quoties. *Papias.*

Q°. TP. Quo Tempore. *Diaconus. Manutius.*

Q. P. Quam Patriam. *Manutius.*

Quam Primum. Quam Provinciam. *Sarainas. Manutius.*

Quæstor Prætorius. Quæstor Provincialis. Quæstor Publicus. *Ursinus.*

Quem Petit. *Probus Ernstii.*

Quintus Pompejus, *vel* Pomponius, *seu* Poppejus. *Servius*

Quippe. *Diaconus. Manutius.*

Quod Petii. *Probus Ernstii.*

Quo Perit. *Diaconus. Manutius.*

Quo Petit. *Papias. Sarainas. Manutius.*

QP. Quippe. *Gratiosus.*

Q. P. Quem Petit. *Ms: Rhodii. Magno.*

Q. PETILI. C. F. Q. N. Quintus Petilius Caji Filius Quinti Nepos. In argenteis nummis Petiliæ gentis.

Q. POMPONI. Quintus Pomponius. In nummis argenteis gentis Pomponiæ.

QPP. Quapropter. *Papias.*

Quippe. *Probus Ernstii.*

QPP. Quippe. *Magno.*

Q. PP. Qua Propter. *Probus Ernstii.*

Q. P. R. Quæstor Populi Romani. *Ursinus.*

Q. PR. Quæstor Provinciæ. *Scaliger.*

Q. PROT. Quam Provinciam. *Magno.*

Q. PROV. PONT. ET. BIT. Quæstor Provinciarum Ponti Et Bithyniæ.

Q. PR. PR. Quæstor Pro Prætore. *Gualtherius.*

Q. P. R.

Q. P. R. V. Qui Potestate Reges Vincit. *Saraınas. Manutius.*
Q. PT. Quam Patriam. *Magno. Manutius.*
Q. PVB. Quæstor Publicus.
Q. Q. Quæcumque. *Papias. Manutius.*
QuæstoriQue. *Manutius.*
Quamquam. *Papias. Gratiosus.*
Quemquam. Quinquennalis. *Manutius. Pancirolus.*
Quinquennalis. *Probus Ernstii.*
Quinquennalitius. *Scaliger.*
Quinti. Duo nempe. Ita in Saxo *pag.* 613. 7.

DIS. MANIB
T. FLAVIO. AVG. L
HARMODIO
Q. Q CALIDII. EROS. ET
HERMES. BENEMERENT

Quoque. *Papias. Sarainas. Manutius.*
QQ. Quæcumque. *Manutius.*
Quamquam. *Diaconus. Manutius.*
Quinquennalis. *Probus. Ms: Zabarella. Manutius.*
Quoque. *Diaconus. Manutius. Scaliger.*
Quur. *Magno.*
QQ. Quæcumque. Quamquam. *Manutius.*
Quinquennalis. *Gutherius.*
Quinquennalis. *Probus. Ms: Zabarella. Manutius.*
Quoque. *Probus Ernstii. Manutius.*
Q. Q. Qumque. *Magno.*
QQ. Quandoque. *Ms: Rhodii.*
Quoque. *Magno.*
Q. Q. Quinquennalis. *Probus. Ms: Zabarella.*
QQ. Quæ Quæ. *Papias.*
Quamquam. *Probus Ernstii.*
Q. Q. Quæcumque. *Diaconus.*
Quamquam. *Ms: Rhodii. Magno.*
QQ. COL. Quinquennalis Coloniæ.
Quinque Vir Coloniæ. *Lazius.* Qui *Comment. Reipub. Roman. lib.* 3. *cap.* 5. hæc habet: *Denique, ad quinque viros sacerdotes monumenta passim in Transsylvaniis eruta alludunt, quorum trinum fides ergo rhapsodias subjunxi*, scilicet:

P. VAREN. PROB P. VIBIDIVS. VALEN
QQ. COL. SARM TINVS. AEDILIS. ET. QQ
M. COMINIVS PON S. HONOREM. PE
TIFEX. ET. BIS. Q CVNIA. L. LOC
Q. COL. EQ P. S. O
ROM

D. O. M
COMINIVS. PONTIF. ET
BIS. QQ. COL. SARMIZ
METROPOL. ET. Q. R
Q. SACERDOS. ARAE. AVG
SORORI. PIENTISSIMAE

A Verum qui *Gruterum* consuluerit, hoc idem monumentum apud *Lazium* corruptum deprehendet, tum *pag.* 29. 5. tum 394. 4. dum quasi inter se diversa, cum tamen sint similia, exhibet ex *Lazio*, tali pacto:

D. M
M. COMINIVS. PONTIF
ET. BIS. QQ. COL. SARMIZ
METROP. EQ. R
SACERDOS. ARAE. AVG
SORORI. PIENTISSI
MAE. L. D. D. D

B In quibus tamen cippis cuncti notarum explicatores, parcant Manes eruditissimi Lazii, constantissime legunt, QQ. COL. *Quinquennalitius Coloniæ.* Et QQ. S Quinquennalitius Sodalis, ut de Colonus *Panvinius* abunde monuit.

QQ. COL. EQ. R. Quinquennalitius Coloniæ Eques Romanus. In magistratibus Coloniarum.

QQ. COL. FAB. OST. Quinquennalitius Collegii Fabrum Ostiæ. Hac observatione, quod si nota COL. notam FABR. DENDR. CENT. Et similia præcedat, quæ Fabrum Dendrophororum, Centonariorum & similium artium nomina C sunt, semper Collegium, nunquam Coloniam denotat.

QQ. CORP. Qninquennalitius Corporis. *Scaliger.* Corpus idem ac Collegium. In coloniarum faxis.

Q. QD. Quandoqnidem. *Diaconus. Manutius.*
Q. Q. II. Quinquennalitio Iterum. *Scaliger.*
Q. Q. III. Quinquennalitio Tertium. *Scaliger.*
Q. Q. III. ET. Q. Q PP. Quinquennalitio Tertium Et Quinquennalitio Perpetuo. Ut scilicet in tertio suo Quinquennalitio munere, ob merita Perpetuus Quinquennalis fuerit declaratus.

D Q. Q. II. ET. Q. IIII. Quinquennalino Secundum Et Quæstori Quartum. Ex monumenti scilicet notarum sensu.

QQ. IT. Quinquennalitius Iterum.

Q. Q. L. Quintorum Libertus. Ut patet ex monumento *pag.* 630. 4. in quo inter cetera legitur:

Q. OBVLCIVS. Q. Q. L. ANDRONICVS

Q. Q. L. H. S. QuoQuo Versum Latitudo Huic Sepulcro. *Scaliger.* Quæ notæ, cum numero apposito, sepulcri mensuram seu spatium denotabant.

E QQ. PATR. COL. Quinquennalitius Patronus Coloniæ.

Q. Q. P. C. Quinquennalitius Patronus Coloniæ. *Scaliger.*
Q. Q. PER. Quinquennalitius Perpetuus.
Q. Q. P. P. Quinquennalitio Perpetuo. *Scaliger.*
Q. Q. PP. Quinquennalitius Perpetuus.
Q. Q. PRAET. Quinquennalitius Prætorius. Ut scilicet in sua colonia, & Quinquennalis & Prætor fuerit.
Q. Q. Q. L. Quintorum Libertus. Trium videlicet, ut in saxo *pag.* 966. 5.

CALIDIA. Q. L
HELENA

Q. CALIDIVS. Q. L
VARRO

Q. CALIDIVS. Q. Q. Q. L
THEOPHILVS

Q. Q. S. S. Quam Qui Supra Scripti. Qam Qui Sunt Scripti. Quam Qui Scripti Sunt. Quinquaginta Sestertia. Quinquaginta Sestertios. *Gallus.*
Q. Q. V. QuoQuo Versum. *Scaliger.*
Q. QVINQ. Quæstori Quinquennalitio.
Q. Q. V. IXXX. QuoQuoVersum Viginti Novem.

F Q. Q. V. P. L. QuoQuoVersum Pedes Quinquaginta. In sepulcralibus, in quibus mensura sepulcri.
QQ. V. P. XV. Quoquo Versum Pedes Quindecim.
Q. R. Quæ Res. *Manutius.*
Quæstor Reipublicæ. *Scaliger. Zamoscius.*

Quando Rex.
QuaRe. *Sarasnas.*
Quem Regat. *Probus Ernstii.*
QR. Quare. *Probus. Diaconus. Ms: Rhodii. Magno. Papias. Sarasnas.*
Quur. *Sarasnas.*
QR7. Quare. *Magno.*
Q. R. Quam Rem. *Magno.*
Quem Rogat. *Diaconus. Magno.*
Q. R. Quæ Res. *Diaconus.*
QR. AEL. Curtius Ælius. *Diaconus. Manutius.* Si recte: nam Curtii nomen gentilium nusquam pro prænomine observavi.
QRE. Quære. *Probus Ernstii.*
Q. R. C. F. Quando Rex Comitiavit Fas. *Manutius. Gruterus. Rosinus.*
Q. REX. C. F. Quando Rex Comitiavit Fas. *Scaliger. Ovidius Fast. lib.* 1. dubius, an hæ notæ Regis Fugium, vel Sacrificium denotarent, cecinit:

Quatuor inde notis locus est, quibus ordine lectis
Vel mos sacrorum, vel fuga Regis inest.

Verum, sacrificium indicare constat ex *Varrone de Ling. Lat. lib.* 5. cum ita scripserit: *Dies qui vocatur sic, Quando Rex Comitavit Fas, dictus ab eo, quod eo die Rex sacrificulus dicat ad Comitium.* Ideo *Festus* hæc protulit: *Quando Rex comitiavit fas, in fastis notari solet & hoc videtur significare, Quando Rex Sacrificulus divinis rebus perfectis, in Comitium venit.* De Rege isto scribit *Plutarchus in Quæst. Roman. num.* 63. *quod Romani, Regibus omnino ejectis, sacrificiis alium præfecerunt, neque magistratum gerere eum, neque cum populo agere sinentes; ut nunquam nisi in sacris servire, & in gratiam Deorum sustinere regnum videretur. Sane a majoribus traditio ritu, ante comitium, Rex Sacrorum, postquam rem divinam fecit, fuga sese inde e foro proripuit.* Dies vero iste celebrabatur a Romanis, non tantum nono kalendas Aprilis, qui vigesimus quartus Martii; sed & nono kalendas Junii, qui vigesimus quartus Maji, ut ex Kalendario patet.
Q. R. F. E. V. Quare Recte Factum Esse Videbitur, *vel* Quemadmodum. *Probus. Manutius.*
Quod Recte Factum Esse Videbitur. *Probus. Appianus. Gratiosus. Saramas. Manutius.* Videtur. *Ms: Zabarella. Appianus. Lazius. Manutius.* Erantque notæ Edictorum perpetuorum.
Q. RG. Quem Rogat. *Sarasnas. Manutius.*
QRO. Quæro. *Diaconus. Manutius.*
Q. RP. Quæstor Reipublicæ. *Manutius.*
Q. S. Quæ Supra. Qui Supra.
Qua Sicut. *Diaconus. Manutius.*
QS. Quas. *Magno.*
Quasi. *Papias. Scaliger.*
Quis. *Probus Ernstii. Diaconus. Manutius.*
QS. Quasi. Quis. *Magno.*
Q. S. D. T. G. Quid Sentis De Tuo Genere. *Manutius.* Nihil; quia hæ notæ nihil antiquitatis sapiunt.
Q. SER. Quintus Servius. *Gualtherus.* Verum, cum raro duo prænomina simul in una persona observentur, legerim libentius:
Quintus Sertorius.
Q. S. N. T. E. PR. TR. PL. Q. D. E. A. P. PL. V. F. Quod Si Non Tulerit, Eos Prætores Tribuni Plebis Qui Deinceps Erunt Ad Populum PlebemVe Ferant. *Sarasnas. Manutius.* Formula rogandarum Legum ac Plebiscitorum fuit hæc vulgatissima, qua scilicet cavebatur de recta earum latione, conspiciturque in omnibus fere ipsorum fragmentis.

Q. S. P. P. S. Qui Sacris Publicis Præsto Sunt. *Scaliger.*
Q. S. S. S. Quæ Supra Scripta Sunt. *Probus.* Cæterique fere omnes notarum explicatores, suntque Edictis perpetuis & Monumentis hæc communia.
Q. ST. Quur Stellis. *Diaconus. Manutius.* Quod fateor prorsus me ignorare.
Q. ST. D. Quando Stercus Defertur. *Manutius.*
Q. ST. D. F. Quando Stercus Delatum Fas. *Gruterus. Scaliger. Rosinus. Dies qui vocatur, Quando Stercus Delatum Fas, ab eo appellatus, quod eo die, ex æde Vesta stercus everritur, & per Capitolinum Clivum in locum defertur certum.* Ita *Varro De Ling. Lat. lib.* 5. hoc est, in Tyberim, ut cecinit *Ovidius Fast. lib.* 6.

Hæc est illa dies, qua in purgamina Vesta,
Tybris per Etruscas in mare mittis aquas.

Fœtidæ hujus sollemnitatis dies qualis fuerit, indicat *Festus*, his verbis: *Stercus ex æde Vesta XVII. Calendas Julias defertur in angiportum, medium fere Clivi Capitolini, qui locus clauditur porta Stercoraria. tanta sanctitatis majores nostri esse judicarunt.* Decimus vero septimus dies kalendas Julii, fuit Junii decimus sextus, qui & Fastus totus, ut habetur in kalendario.
Q. T. Quo Tempore. *Papias.*
QT. Quoties. *Ms: Rhodii. Manutius.*
Quantum. *Magno. Papias.*
Quantus. *Ms: Rhodii.*
Quintus. *Probus Ernstii. Magno.*
QT. Quotiens. *Magno. Papias. Sarasnas.*
QT. C. Quintus Cælius. *Probus Ernstii. Diaconus. Papias. Manutius.*
Q. T. CAES. Quæstor Tiberii Cæsaris.
QT. M. Quanta Munera. *Diaconus. Manutius.*
Quintus Maximus. *Manutius.*
Quintus Muræna. *Probus Ernstii. Diaconus. Ms: Rhodii. Papias. Manutius.*
Quot Munera. *Diaconus. Manutius.*
QT. MAX. Quintus Maximus. *Diaconus.*
Q. THERM. M. F. Quintus Thermus Marci Filius. In nummis argenteis gentis Minutiæ, ita signatis; in qua Thermi cognomen familiare fuit, ab operationibus forte, hoc est, calidus, fervens, celer, ut *in Amalthea Onomastica*, ex *Novarino Laurentius* notat, deducto scilicet nomine a voce illa Græca θερμὸς, hoc est, calidus; unde & Thermæ ita appellatæ, quod caleant. *Isidorus Origin. lib.* 15. *cap.* 2.
Q. TITI. Quintus Titius. In aliquibus nummis argenteis gentis Titiæ.
Q. TR. Quo Tempore. *Probus Ernstii.*
Q. V. Quæ Vult. *Manutius.*
Quem Vult. *Probus Ernstii. Papias.*
Quæ Vixit. Qui Vixi. Passim in sepulcralibus.
Q. V. Qui Vixit. In Roma Subterranea.
QV. Qua. Quare. *Probus Ernstii.*
Quamvis. *Papias.*
Quantum. *Diaconus.*
Quarum. *Manutius.*
Quartus. *Appianus. Lazius. Manutius.*
Quem. *Probus Ernstii.*
Qui. *Diaconus.*
Quintus. *Manutius.*
Q. V. A. Quæ Vixit Annis, *vel* Qui. In sepulcralibus.
QVAD Quadratum. Quadratus. *Manutius.*
QVADGINTA. Quadraginta. Dummodo typographus RA non prætererit. Nota est in Saxo *pag.* 824 3.

QVADR.

QVADR. Quadratum. Quadratus. *Manutius.*
QVAES. Quæstor. *Probus. Ms: Zabarella. Appianus. Manutius.*
QVAES. DEST. Quæstor Destinatus. *Probus Ernsti.* Penes quem legerim potius *Designatus*, T. pro I. forsitan ab imperito librario male repositum.
QVAESS. Quæstores. *Probus. Ms: Zabarella. Appianus. Manutius.*
QVAE. S. S. S. EX. S. Quæ Supra Scripta Sunt Ex Senatus Consulto. *Angelonus.*
QVAEST. Quæstor. *Rubens.*
QVAEST. R. Quæstor Reipublicæ. *Zamoscius.*
QVAE. V. E. C. P. D. L. Quæ Ve Ejus Causa Paratæ Do Lego. *Probus. Manutius.*
Q. V. A. I. Qui Vixit Annum Unum. In sepulcralibus puerorum.
Q. V. A. III. M. II. Qui Vixit Annos Tres Menses Duos. Annorum, mensium, dierum, imo & horarum spatia sæpissime in defunctorum puerorum saxis sculpserunt antiqui, ut quo immaturius defecissent, eo pietatem juxta, ac mœrorem in prætereuntium animis majorem excitarent.
Q. V. A. L. M. IIII. D. V. Qui Vixit Annis Quinquaginta Mensibus Quatuor Diebus Quinque.
QVAM. Quemadmodum. *Magno. Manutius.*
Q. V. ANN. Quæ Vixit Annis, *vel* Qui. *Manutius.*
Q. V. ANN. Qui Vixit Annis. In Roma Subterranea.
Q. V. A. P. M. Qui Vixit Annis Plus Minus.
QVAR. Quartæ. *Sarasnas. Manutius.*
QVART. Quartum. *Goltzius.*
QVARCINTA. *pro* Quadraginta. In Roma Subterranea.
QVAT. M. Quaterna Millia. *Probus Ernsti.*
QVATTOR. Quattuor.
QVA. VIXIT. Quæ Vixit. In Saxo Romæ Subterraneæ; dummodo tamen temporis injuria, E non fugerit. Habetur ejusdem *T.* 2. *lib.* 4. *cap.* 37.

HIC EST POSITA RODOPE
IN PACE QVA VIXIT. AN. PLVS M
... TA DIE XVII KAL. OCT. DNS
VALEN. . . . . ET HABIENO

Q. V. A. XXI. Quæ Vixit Annos Viginti unum, *vel* Qui Vixerunt.
QVH. Quæ. H. pro E. ut superius non semel notatum.
Q. VERON. ET. BRIX. Quæstor Veronæ Et Brixiæ.
QVESCET. Quiescet. Lego in monumento Romæ Subterraneæ *Tom.* 1. *lib.* 3. *cap.* 2.

VICTO
RIA QVE
SCET AN
NORO XXV

QVESQVI. Quiescit, *vel* Qui Quiescit. In Roma Subterranea *T.* 2. *lib.* 4 *c.* 37.

DONATVS. QVI. BIXIT. ANIS. XXX
MENSIS. VI. DIES. XVIII
DEPOSITIONE NON. KL. IVLIAS
QVESQVI IN PACE

Cujus explicationis penes doctiores sit judicium.
Q. V. F. COS. D. E. R. P. F. P. D. E. R I. C. Qod Verba Fecit Consul De Ea Re Quid Fieri Placeret De Ea Re Ita Censuerunt. *Brissonius.* Qui *de Formulis lib.* 2. monet, hanc formulam initium fuisse Senatus Consultorum, hæcque legitima & sollemnia, tum relationum, tum sententiarum verba fuisse.
Q. V. G. V. S. L. M. Quæ Virgini Votum Solvit Libens Merito. Si recta explicatio hujus saxi *pag.* 5. 5. apud *Gruterum:*

IOVI
IVNONI
MINERVAE
Q. V. G. V. S
L. M

QVI. Quamvis. *Magno.*
Quamdiu. *Probus Ernsti. Diaconus. Manutius.*
Quirina. Tribus nempe. *Manutius.*
QVI. Quirina. Tribus. *Scaliger. Quirina Tribus a Curensibus Sabinis appellationem videtur traxisse*, scribit *Festus.* Eam ordine trigesimam quintam recenset *Panvinius*, qui additam, quo anno & *Velinam*, observat *Descript. Civit. Roman. lib.* 2.
QVI. LEGIS. T. V. Qui Legis Titulum Vale. *Scaliger.* Aliquando in sepulcralibus.
QVIN. Quinquatrus. Quinquennalis. *Manutius.*
QVINQ. Quinquatria. *Gruterus. Manutius. Scaliger. Rosinus.* Quinquatrum ideo dictum monet *Festus, quod post diem quintam Idus celebrabatur, ut triatrus, & sexatrus, & septimatrus, & decimatrus*, nomina dierum *Tusculanorum*, & *Faliscorum*, ejusdem observatione. Hic vero dies Minervæ in Aventino dicatus; unde *Ovidius Faster. lib.* 3.

Una dies media est, & fiunt sacra Minervæ,
Nominaque a junctis quinque diebus habent.

Per dies vero quinque sollemnitas hæc celebrabatur, incipiebantque Quinquatria XV. kalendas Aprilis, qui Martii dies XIX. ut patet ex Kalendario. De Quinquatriis, qui erant nefasti omnes, fuse *Rosinus Antiq. Roman. lib.* 4. *cap.* 3.
Quinquennalitatis. *Scaliger.*
Quinque. *Goltzius.*
Quinquies. *Sarasnas. Manutius.*
QVINQ. MAG. IV. Quinquennalitius Magister Juvenum.
QVINQ. PERP. Quinquennalitius Perpetuus.
QVINQVENN. Quinquennalis. *Angelonus.*
QVINT. Quintum. *Goltzius.*
QVIN. Quirina. Tribus scilicet. *Brissonius. Scaliger. Manutius. Servius.*
Quirinalia. *Manutius. Gruterus. Scaliger. Rosinus. Quirinalia a Quirino, quod ei Deo feriæ, & eorum hominum, qui fornacalibus suis non fuerunt feriati. Varro de Ling. Lat. lib.* 5. Hæc & stultorum feriæ appellabantur. unde *Festus*, ex *Josephi Scaligeri* Castigationibus: *Quirinalia mense Februario, dies, quo Quirino fiunt sacra. idem Stultorum feria appellantur, quod quidem, qui suorum Fornacalium sacra Roma ignoraverant, eo potissimum rem divinam faciunt.* Addit: *Roma, quia Curiarum festa erant, & a Curione Maximo indicebantur.* Quirinum vero Deum, Romulum post mortem dictum, non est qui nesciat. ideo *Fastorum* 2. *Ovidius:*

Proxima lux vacua est. At tertia dicta Quirino,
Qui tenet hoc nomen Romulus ante fuit.
Sive quod hasta Quiris priscis est dicta Sabinis,
Bellicus a telo venit in astra deus.
Sive suo regi nomen posuere Quirites
Seu quia Romanis junxerat illa Cures.

Diem Quirinalium celebrabant Romani XIII. kalendas Martii, qui XVII. Februarii; eratque nefastus primo. Ita in Kalendario.

Quirinus. *Saratnas. Manutius.*

Quirites. *Manutius.*

QVIRIN. Quirina. Tribus nempe. *Scaliger.*

✱ QVIR. R. Quirites Romani. *Probus. Manutius.* Suspecta mihi tamen lectio; nam Quirites & Romani iidem fuere. Quare legerim potius:

Quirinalia Romæ.

QVI. S. P. P. S. Qui Sacris Publicis Præsto Sunt. In Cippis Ministrorum Sacrorum.

QV. L. Quinti Liberti. *Probus Ernstii.* Dummodo prænomen Quinti duabus literis ab antiquis signatum fuerit, quod hucusque non observavi.

Q. V M. Quemadmodum. *Appianus.*

QVM. Quemadmodum. *Appianus.*

Quomodo. *Probus Ernstii.*

Q. VL. Quæ Vult. *Manutius.*

Quem Vult. *Saratnas.*

Q. VL. Quem Vult. *Magno.*

QVOD. V. M. S. EX. EA. P. Q. IS. AD. AE. DE. Quod Viæ Munitæ Sunt Ex Ea Pecunia Quam Is Ad Ærarium Detulit. *Frizzus.*

QVOD. V. M. S. EX. EA. P. Q. I. S. AD. AE. D. E. Quod Viæ Munitæ Sunt Ex Ea Pecunia Quæ Jussu Senatus Ad Ærarium Delata Est. In cippo, insculpto nummis argenteis, in honorem Augusti percussis, postquam viarum reparationem procuravit, eisque Curatores destinavit, ut patet ex *Suetonio*, in eo, *cap.* 37.

QTDQ. V. PED. Q. BIN. Quoquo Versum Pedes Quadrati Bini.

QVR. Quare. *Papias.*

Q VRB. Quæstor Urbanus. Quæstor Urbis.

R.

R Rarus. *Saratnas. Manutius.*

R Rationalis. *Gutherius.* De Rationalium varietate, dignitate, ac muneribus, fuse *Pancirollus in Not. Imp. Orient. cap.* 3. *& Occident. cap.* 35. & *Gutherius de Offic. Dom. Aug. lib.* 3. *capp.* 18. *&* 26. præter ea quæ de iisdem habentur in *ll.* 5. 8. 10. *Cod. Ubi Caus. Fisc.* in *l.* 2. *Cod. de Mod. Multar. in l. unic. Cod. de Annon. & Capit. in l.* 7. *Cod. de Bon. Proscript. in l. ult. Cod. Ad Leg. Jul. Majest. in l.* 2. *Cod. Ne Ux. pro Marit. in l.* 3. *Cod. de Conven. Fisci. Debit. & in l.* 3. *Cod. de Bon. Vacant.*

Ravennatis. *Saratnas. Manutius.*

Recta. Recto. *Scaliger.*

Recte. *Saratnas. Manutius.*

Redacta. Reditu. Regale. *Saratnas. Manutius.*

Reduci.

Regalis. *Probus Ernstii.*

Regibus. *Saratnas.*

Regiensis. *Manutius.*

Regium. *Probus Ernstii.*

Regnum. Regulis. *Diaconus. Manutius.*

Regnum. Rei. *Saratnas.*

Relatum. Relinquit. *Manutius.*

Rem. *Ms: Rhodii. Papias. Manutius.*

Requietorium. Quod & expressum in sepulcralibus.

Res. *Probus Ernstii. Papias. Manutius.*

Responde. *Saratnas. Manutius.*

Respondit. *Manutius.*

Responsio. *Papias.*

Responsum. Respublica. Restaurator. *Manutius.*

Restituit. Passim in nummis, ab Imperatoribus, antecessoribus suis restitutis.

Retro. In mortuorum cippis, ubi posterior sepulcri mensura indicabatur.

Rex. *Diaconus. Papias. Saratnas. Manutius.*

Rogavit. *Saratnas. Manutius.*

Rogo. *Manutius.*

Roma. *Probus. Diaconus.* Ac cæteri fere omnes.

Romana. *Manutius.*

Romanorum. *Probus Ernstii. Diaconus. Manutius.*

Romanus. *Diaconus. Ms: Rhodii. Magno. Manutius.*

Rostris. Rudera. *Manutius.*

Rudentibus.

Ruet. *Manutius.*

Rufo. *Panvinius.* De Coloribus equorum *lib.* 1. *cap.* 13. *de Lud. Circens.*

Ruina. Ruit. *Manutius.*

Rura. *Diaconus. Manutius.*

Rursus. Rutilius. Rus. Ruunt. *Manutius.*

Octuaginta. *Antiquus Codex de Notis Numerorum.*

℞. Ratio. *Papias.*

℞. Res. *Ms: Rhodii. Magno. Papias.*

Respondit. *Diaconus. Ms: Rhodii. Magno.*

Rex. *Probus Ernstii. Diaconus. Ms: Rhodii.*

Rus. Ruunt. *Diaconus.*

℟. Rex. *Magno.*

R. Rem. Res. *Diaconus. Manutius.*

Octuaginta Millia. *Antiquus Codex de Notis Numerorum.*

℟. ℞. } Rufo. *Panvinius.* De Equorum Coloribus, loco citato.

RA. Rarus. *Manutius.*

Ratio. *Gratiosus.*

Rationalis.

Roma. *Magno.*

Romana. *Diaconus.*

RA. O. S. Rationalis Operum Sacrorum. *Scaliger.* Qui subdit: *id est, Domus Divinæ, scilicet Augustæ.*

RAP. Rapacis. *Manutius.* Legionis nempe; ideo nota est militarium lapidum.

RAPAC. Rapacis. *Manutius.*

Rapacium. *Saratnas.*

RAR. Rarum. *Diaconus. Manutius.*

RAR. F. Rarissima Filia, *vel* Femina. Rarissimus Filius.

RARISS. Rarissimi.

RAT. Rationalis.

Ratione. *Saratnas. Manutius.*

RAT. COP. EXPED. Rationalis Copiarum Expeditarum.

RATION. Rationalis. *Gualtherius.*

RAT. S. R. Rationalis Sacrarum Rationum. *Scaliger.* In monumentis Imperatorum, cum duobus subsequentibus.

Rationalis Sacrarum Remunerationum. *Scaliger. Gutherius.*

Rationalis Summæ Rei. *Gutherius, lib. & capp.* superius citatis.

RAV. Ravennæ. *Probus. Ms: Zabarellæ. Papias. Saratnas. Manutius.*

. Ravennam. *Manutius.*

RB. Rebus. *Papias.*

R. C. Respublica Coloniæ. Aliquando in lapidibus Coloniarum. *Manutius.*

Retulit Consul. *Manutius.*

Romana Civitas. *Probus. Manutius.*

Romæ Censor. Romæ Consul. Romæ Curavit. *Manutius.*

Romana Civitas. *Probus. Diaconus. Ms: Rhodii. Papias. Saratnas. Manutius.*

Romana Cohors. *Manutius.*

Romani Cives. *Probus. Diaconus. Magno. Papias. Saratnas. Manutius.*

Romanus Civis. *Manutius.*

R. C. Romani Cives. *Diaconus. Manutius.*

RC. Recognovit. *Manutius.*

Recuperatores. *Papias.*

Rescriptum. *Diaconus. Papias.*

℞C. Recognovit. *Diaconus.*

Rescripta. *Ms: Rhodii.*

R. CC. Remissio Ducentesimæ. *Ursinus. Occo.* Ducentesimam primum instituisse Tiberium auctor est *Tacitus Annal.* 2. *Regnum in Provinciam redactum est* (de Cappadocia ibi est sermo) *fructibus ejus levari posse centesima vectigal professus Cæsar, ducentesimam in posterum statuit.* Ad quæ *Ursinus* notis ad eundem, quid esset ducentesima, explicans, hæc habet : *Ducentesima igitur vectigal, quod erat auree semissis in centenarium, primus instituit Tiberius, sublata centesima ; remisit autem C. Caligula.* quod ex nummis æreis minutis ejusdem Imperatoris constat, in quorum aversa parte tres hæ literæ extant R. CC. *Ursino* vero, notis ad ipsum *Tacitum* M. Vetranius Maurus adstipulatur.

RCC. Recuperatores, *Probus Ernstii.*

R. C. V. H. R. Rogatus Curam Ut Haberet Rerum. *Probus Ernstii.* Qui singulas hasce literas, apud Antiquos, actionum fuisse notat.

R. D. Recte Date. *Papias.*

Recuperatorium Dabo. In edictis perpetuis.

Recuperavit Dotem. *Manutius.*

Regia Domus. *Sarainas. Manutius.*

Regis Domus *Probus Ernstii. Diaconus. Ms: Rhodii. Magno.* Et alii.

Regis Domum. *Diaconus. Magno. Papias.*

Regium Donum. Rursus Dedit. *Manutius.*

Requietorum Dedit.

R̄D. Reddi. *Magno.*

R. D. D. Res Dono Data. *Probus. Manutius.*

R. D. T. Q. P. DT. X. D. P. F. Recuperationem Dabo TestibusQue Duntaxat Decem Denunciandi Potestatem Faciam. In edictis perpetuis.

RE. Ravenna. *Diaconus. Manutius.*

Receptis. *Sarainas. Manutius.*

Relatis. *Manutius.*

Relatum. *Sarainas.*

R. E. Requietorium Erexit, *vel* Elegit. In sepulcralibus aliquando.

R. E. A. Res Ea Agitur. *Manutius.*

REC. Recondita.

Recuperatores. *Magno.*

R. D. D. Res Dono Data. *Probus Ernstii.*

Requietorium Dono Dedit, *vel* Dedicavit.

R. E. C. H. Requietorium Ejus Curavit Hic. In sepulcralibus aliquando.

REC. PRO. Rector Provinciæ. *Probus Ernstii.*

RECT. PROV. Rector Provinciæ. In Magistratuum saxis.

REDDEDIT. *pro* Reddidit. In Roma subterranea.

REE. Recuperatores. *Diaconus. Manutius.*

REF. C. Reficiendum Curavit. *Manutius.*

RE. G. Res Gesta. *Ms: Rhodii.*

REG. Rege. *Magno.*

Regio. *Probus.* Et alii multi.

Regione. *Scaliger.*

REG. F. Regis Filius. *Appianus. Lazius.*

REG. I. Regio Prima.

REGIF. Regifugium. *Manutius. Gruterus. Scaliger. Rosinus. Regifugium, sacrum dicebant, quo die Tarquinius fugerit Roma.* Ita *Festus.* Dies iste fuit apud Romanos nefastus totus, atque celebratus sexto kalendas Martias, Februarii nempe vigesimo quarto, vel vigesimo secundo, ut innuere videtur *Ovidius*, nullo intercalari anno incidere alioquin debuit in Februarii diem vigesimum tertium; quod abunde ex ipso 2. *Fastor.* patet:

> *Nunc mihi dicenda est Regis fuga, traxit ab illa*
> *Sextus ab extremo nomina mense dies.*

Verum, Regisugium iterum celebratum est a Romanis IX. kalendas Junii, qui Maji dies XXIV. ut ex Kalendario deprehenditur.

REG. SACR. Regi Sacrorum. De Regis Sacrorum origine ac dignitate, qui idem ac Rex Sacrificulus, post *Dionysium* & *Livium*, fuse *Plutarchus in Quæst. Roman. Pomponius Lætus de Sacerd. Roman. cap.* 11. *Floccus de Potest. Roman. lib. cap.* 11. *Volaterranus Comment. Urban. lib.* 29. *Alexander ab Alexandro Genial. Dier. lib.* 2. *cap.* 27. *Lilius Gregorius Gyraldus Hist. Deor. Syntag.* 17. *Panvinius Descript. Civit. Roman. lib.* 1. *cap.* 19. *Lazius Comment. Reip. Roman. lib.* 3. *cap.* 11. *Rosinus Antiquit. Roman. lib.* 3. *cap.* 24.

REG. X. Regio Decima.

REG. XIII. Regio Decima Tertia.

REG. XIIII. Regio Decima Quarta.

REI. GER. CAVS. Rei Gerundæ Causa. In Fastis, cum alicujus rei gerundæ causa Dictator a Consule dicebatur.

REI. M. Rei Militaris. *Probus. Ms: Zabarella. Appianus. Lazius. Manutius.*

REIP. Reipublica. Reipublicæ.

REIP. AECANOR. Reipublicæ Æcanorum. Coloniæ & Municipia, reipublicæ nomine in saxis notabantur; eratque respublica Coloniarum & Municipiorum, eadem ac senatus Romæ. Æcana, quæ & Æca, urbs est Apuliæ Dauniæ, quæ *Troja* vulgo.

REIP. ASSOTAN. Reipublicæ Assotanorum. Asso, Bastarnorum oppidum in Tarraconensi Hispania, quæ & Osca, ut *Ferrarius* observat *in Lexico Geograph.* vel ut in suo pariter, *Carolo Stephano* videtur, Ossea.

REIP. BERGOMAT. Reipublicæ Bergomatium.

REIP. CANVSINOR. Reipublicæ Canusinorum. Canusium, Apuliæ Peucetiæ urbs, vulgo *Canosa.*

REIP. CARTIMITAN. Reipublicæ Cartimitanorum. Cartamitanum, Hispaniæ Bæticæ urbs, vulgo *Carthama.*

REIP. MANT. Reipublicæ Mantuanorum. *Manutius.*

REIP. NEAP. Reipublicæ Neapolitanorum.

REIP. SCODR. Reipublicæ Scodrensium. Scodra, Dalmatiæ urbs, vulgo *Scutari.*

REIP. TIF. TIB. Reipublicæ Tifernatium Tiberinorum. *Scaliger.* Tifernum Tiberinorum, Umbriæ urbs est, vulgo *Citta di Castello.*

REL. Relictum. *Manutius.*

RELATAST. Relata Est.

RELIG. AVG. Religio Augusti. In Impp. numismatibus.

RELIQ. TESTAM. COLL. FABR. NAVAL. Reliquit Testamento Collegio Fabrorum Navalium: Navales Fabros, cymbarum, navium, triremiumque constructores vocarunt antiqui.

REMIS. IMPEN. Remissa Impensa.

REM. P̄. N. Rempublicam Nostram. *Scaliger.*

R. E. N. M. H. Relatæ Eorum Nuptiæ Mala Hora. *Manutius.*

REP. ARVCCIT. Respublica Aruccitanorum. Arucci, Hispaniæ Bæticæ urbs, vulgo *Moron*, seu *Moura.*

REPVB.

REPVB CONSERV. Republica Conservata.
REQ. Requiescit. Requietorium.
RESI. Residuum. Residentia. *Sarainas.*
RESP. AQV. Respublica Aquensium.
RESP. LEN. Respublica Lentiensium. Lentienses, populi in Vindelicia sunt, vulgo *Lentzgoevver.* Ita *in Lex. Geographic. Ferrarius.*
RESP. MALAC. Respublica Malacitanorum. Malaca, Hispaniæ Bæticæ urbs, vulgo *Malaga.*
RESP. OSSON. Respublica Ossonabensium. Ossonaba, quæ & Lustria, Lusitaniæ olim urbs fuit, *Excuba* a Mauris dicta, & ab Hispanis *Esloy*, nunc penitus excisa. *Ferrarius in Lex. Geograph.*
RESP. POL. Respublica Polensium, *seu* Polanorum.
RESP. PISAV. Respublica Pisaurensium.
RESS. Residuum. *Manutius.*
REST. Restituit. *Manutius.*
Restitutum. *Erizius. Angelonus.*
REST. A. CAMB. M. P. XI. Restituerunt A Cambidono Millia Passuum Undecim. *Scaliger.*
RET. P. Retro Pedes. In sepulcralibus cippis semper, cum indicabatur mensura sepulcri posterior.
Retro Pedum. *Probus.*
RET. P. C. Retro Pedes Centum. *Probus. Manutius.*
RET. P. XX. Retro Pedes Viginti.
REX. ARM. DAT. Rex Armeniis Datus. In nummis Lucii Veri Imperatoris; ad quod spectans Julius Capitolinus, in ejus vita, sic de eo scripsit: *Confecto sane bello, regna regibus, provincias vero comitibus suis regendas dedit.* qua de causa Armeniaci quinetiam cognomen sibi paravit.
R. F. Regis Filius. *Lazius.*
Requietorium Fecit.
R. F. C. Requietorium Faciundum Curavit.
Romæ Faciundum Curavit. *Manutius.*
R. F. E. D. Recte Factum Esse Dicetur. *Probus. Manutius.*
Recte Factum Esse Dicitur. *Ms: Zabarella. Appianus. Lazius.*
R. F. E. V. Recte Factum Esse Videbitur. *Probus Ernstii. Manutius.*
R. G. Res Gesta. *Diaconus. Papias. Manutius.*
Res Gestas. *Manutius.*
RG. Recognovit. *Ms: Rhodii. Magno. Papias. Manutius.*
R. G. C. Rei Gerundæ Causa. *Probus Ernstii. Manutius. Goltzius. Scaliger.*
RG. D. Regis Domus. *Probus. Manutius.*
RG. F. Regis Familia. *Diaconus. Manutius.*
Regis Filia. *Manutius.*
Regis Filius. *Probus. Diaconus.* Cæterique notarum explicatores.
RG. FA. Regis Familia. *Probus Ernstii. Manutius.*
Regis Filia. *Diaconus. Ms: Rhodii. Magno. Manutius.*
Regis Filius. *Manutius.*
RG. FI. Regis Familia, *vel* Filia, *seu* Filius. *Manutius.*
RGL. Regalis. *Diaconus. Manutius.*
Regulus. *Probus Ernstii. Diaconus. Magno. Papias. Manutius.*
RG. RAV. Regio Ravennæ. *Probus. Manutius.*
RG. TS. Regium Thesaurum. *Probus Ernstii. Diaconus. Manutius.*
RH. Rhavenna. *Probus.*
RHAV. Rhavenna. Rhavennatum. *Diaconus.*
R. I. Romani Judices. *Gratiosus.*
R. K. Rufo Kæso. *Panvinius de Lud. Circens. lib. 1. cap. 13.* Ubi de coloribus Equorum.

R. L. N. N. T. I. O. M. Rogata Launi Nominis Nostri Temporis Jovi Optimo Maximo. *Manutius.*
R. L. P. Recte Legi Possit. *Probus. Ms: Zabarella. Appianus. Lazius. Manutius.*
R. M. Ravennas Militia, *vel* Regiensis. *Manutius.*
Rege Majori. Regis Manus. Regis Mundus. *Diaconus. Manutius.*
Regis Munus. *Diaconus. Ms: Rhodii. Magno. Papias. Manutius.*
Regis Murus. Rex Mortuus. *Manutius.*
RM. Remanet. *Gratiosus.*
R. M. I. Res Materna Jacet. *Probus Ernstii. Diaconus. Manutius.*
Res Militaris Jacet. Res Misere Jacet. Res Mortua Jacet.
RM. L. Romanæ Leges. *Probus Ernstii. Diaconus. Manutius.*
Romana Lex. *Manutius.*
RMS. Romanus. *Diaconus. Manutius.*
R. N. LON. P. X. } R. N. L. P. X. } Retro Non Longe Pedes Decem. *Probus. Manutius.* Ad indicandum fortassis, posteriorem sepulcri partem ultra pedes decem non producendam.
RO. Roma. *Ms: Rhodii. Gratiosus. Appianus. Manutius.*
Romani. *Probus. Ms: Zabarella. Manutius.*
Romanus. *Gratiosus.*
Romilia. Tribus scilicet. *Manutius. Scaliger.* Romilia Tribus eadem ac Romula fuit, rusticarum Tribuum prima; ideo sic dicta, *vel quod sub Roma, Varro lib. 4. de Ling. Lat.* vel ut ex eodem *Festus* notat, *a Romulo, quod ex eo agro censebatur, quem Romulus ceperat ex Vejentibus.* De ea fuse, præter ceteros, *Panvinius Descript. Civit. Roman. lib. 2.* & *Rosinus Antiq. Roman. lib. 2. cap. 15.*
Romulus. *Manutius.*
ROA. Romana. *Papias.*
ROB. Robigalia. *Manutius. Gruterus. Scaliger. Rosinus.* Robigalia, dicta, *Varrone* teste *lib. 5. de Ling. Lat. a Robigo, cui secundum segetes sacrificabatur, ne rubigo occuparet segetes.* Robigum illum Deum crediderunt Romani, qui eodem auctore, *de Re Rustic. lib. 1. cap. 2. frumenta atque arbores corrumpebat.* Ne itaque segetes, arboresque corrumperet, Robigalia instituta; quorum, *Festo* auctore, dies festus fuit septimo Kalendas Majas, qui Aprilis vigesimus quartus, prout etiam ex *Ovidio 4. Fastor.* patet, dum ait:

Sex ubi, quæ restant, luces Aprilis habebat;
In medio cursu tempora Veris erunt.
Et frustra pecudem quæres Athamantidos Helles,
Signaque dant imbres, exoriturque canis.
Hac mihi, Nomento Romam cum luce redirem,
Obstitit in media candida turba via.
Flamen in antiqua lucum Rubiginis ibat,
Exta canis flammis, exta daturus ovis.

Notabaturque dies iste in Kalendario nefastus totus.
ROM. Roma. *Appianus. Manutius.*
Romam. *Probus. Ms: Zabarella.*
Romani. *Manutius.*
Romanis. *Servius.*
Romilia. *Panvinius. Brissonius. Manutius. Scaliger.*
Romulus. *Manutius.*
ROM. ET. AVG. Romæ Et Augusto. *Erizius. Occo. Angelonus.* In nummis Augusti, in quibus Templum Romæ, & Augusto dicatum observatur; de quo *Suetonius*, in eodem, *c. 52.* his verbis:

Templa

Templa quamvis sciret etiam proconsulibus decerni solere, in nulla tamen provincia, nisi communi suo, Romæque nomine recepit.

ROM. ET. AVG. COM. ASI. Romæ Et Augusto Communitas Asiæ. *Santamantius.* Ut scilicet innotesceret, numos istos, non Romæ cusos; sed in provinciis, in Augusti honorem. ob id *Suetonius*, loco mox citato, subdidit, Augustum in Urbe pertinatissime abstinuisse hoc honore.

ROM. FEL. Romæ Felici. *Hulsius.* In nummis Impp. ultimi ævi.

R. P. Relatum Post. Res Privata. *Manutius.*

Res Publica. *Probus. Diomedes. Isidorus.* Cæterique notarum explicatores.

Retro Pedes. Passim in sepulcralibus saxis.

Romæ Percussa. Romana Pecunia. *Santamantius.*

Romani Principes. *Probus. Manutius.*

Rura Publica. *Diaconus. Manutius.*

Rutilius Plectitur. *Manutius.*

RP. Reparavit. Respondit. *Papias.*

Respublica. *Magno. Papias. Scaliger.*

R. P. ASCVLAN. Respublica Asculanorum.

R P. BARC. Respublica Barcinonensium.

R. P. BARC. ITA. LE Reipublicæ Barcinonensium Ita Legavit. *Augustinus.*

R. P. BOVIAN. Res Publica Bovianorum. Bovianum, quod vulgo *Bojano*, urbs in Samiis.

R. P. C. Reipublicæ Causa, *vel* Conservator. *Manutius.*

Reipublicæ Constituendæ. *Manutius. Scaliger.* In lapidibus & nummis C. Cæsaris Octaviani, Lepidi, & M. Antonii, Triumvirorum Reipublicæ constituendæ.

Reipublicæ Constitutæ. *Manutius.*

Reipublicæ Constituta. *Probus.*

Reipublicæ Constitutor. Retro Pedes Centum. Romæ Ponendum Curavit.

Rura Publica Curavit. *Manutius.*

Requietorium Ponendum Curavit. In sepulcralibus.

R. P. C. C. Reipublicæ Constituendæ Causa. *Goltzius.*

R. PCP. Rei Principum. *Probus Ernstii. Diaconus. Manutius.*

R. P. EBVSII. Respublica Ebusii. Ebusus, sive Ebyssius *Ptolemæo* Ebosia, olim Pityusa, nunc *Yviza*, insula est maris Balearici, oræ Hispaniæ Tarraconensis, cum hujus nominis oppido.

KP. EP. Respublica Eporensium, *vel* Eporitanorum. Epora, vulgo *Montoro*, Hispaniæ Bæticæ urbs est.

R. P. H. V. Rei Publicæ Hujus Vigilantissimo. Rei Publicæ Hujus Urbis. *Scaliger.*

Requietorium Ponendum Hic Voluit.

R. PI. Res Privata. *Diaconus.*

R. PI. Rei Privatæ. *Ms: Rhodii.*

R. P. ITALIC. Respublica Italicensium. De Italica urbe, olim Hispaniæ Bæticæ, dictum, ubi de Coloniis.

R. P. L. Retro Pedes Quinquaginta. *Manutius*

R. P. LACTOR. Res Publica Lactoratensium.

RPM. Responsum. *Papias.*

R. P. N. Reipublicæ Nostræ.

Respublica Nostra. *Probus Ernstii. Manutius.*

RPON. Respondit. *Magno.*

R. PR. Rei Privatæ. *Magno.*

R. PRI. Res Privata. *Probus.*

R. P. RICINENS. Respublica Ricinensium. Ricinenses, populi Helviæ Ricinæ, coloniæ olim in Piceno claræ; de qua eruditissimus amicus & dominus meus *Pompejus Compagnonus in Regia Picena* Italice scripta.

RPS. Respublicæ. *Papias.*

R. P. S. D. D. Rei Publicæ Saguntinorum Decreto Decurionum. *Scaliger.*

Rei Publicæ Suæ Dono Dedit, *vel* Dedicavit.

R. P. TEANENS. Res Publica Teanensium. Teanum duplex, Campaniæ unum, Apuliæ Dauniæ alterum, quod Teanum Apulum dicitur Primum Colonia fuit. Ambo communiter *Teano* dicta.

R. P. XVIII. Retro Pedes Decem Et Octo.

R. P. XX. Retro Pedes Viginti.

RR. Rura. *Diaconus.*

R. R. Recta Regione. *Scaliger.* In cippis Riparum & Viarum.

Regnum Romæ. *Manutius.*

Rejectis Ruderibus. *Probus. Ms: Zabarellæ. Appianus. Lazius. Manutius.*

Ruderibus Recolligendis. *Probus.*

Ruderibus Rejectis. *Scaliger.* In operibus publicis restauratis.

Rurum Regiensium. Rurum Romanorum. *Manutius.*

R. REG. Curum Regiensium. *Probus. Diaconus. Manutius.*

RR. P. Rerum Privatarum. *Probus.*

R. R. PROX. CIPP. L. CLXXIIII. Rejectis Ruderibus Proxime Cippum Pedes Centum Septuaginta Quatuor. *Scaliger.*

Rejectis Ruderibus Proximo Cippo Pedes Centum Septuaginta Quatuor.

R. R. PROX. P. XIII. Romanæ Ripæ Proximum Pedes Tresdecim. Ruderibus Recolligendis Proximum Pedes Tresdecim. *Manutius.*

Ruderibus Rejectis Proxime Pedes Tresdecim, *seu* Recta Regione.

RR. R. Rurum Regiensium. *Manutius.*

Rurum Romanorum. *Probus. Manutius.*

R. R. R. F. F. F. Regnum Romæ Ruet Ferro Flamma Fame. *Probus. Appianus. Lazius.*

R. R. R. R. Regnum Regale Romanum Ruet. *Probus. Manutius.*

R. R R. T. S. D. D. R. R. R. F. F F. F. Romulo Regnante Roma Triumphante Sibylla Delphica Dixit Regnum Romæ Ruet Ferro Flamma Fame Frigore. *Probus. Manutius.*

R. S. Romæ Signata. Pecunia scilicet. *Santamantius.* In nummis Constantini Magni.

RS. Responsio. *Diaconus. Manutius.*

Responsum. *Ms: Rhodii. Magno. Manutius.*

R. S. C. Requietorium Sibi Curavit.

Restituta Causa. *Manutius.*

R. S. G. Rebus Senatus Gestis. Res Senatus Gestæ. Res Suæ Gestæ. *Manutius.*

R. S. P. Requietorium Sibi Posuit.

Res Sua, *vel* Privata, *seu* Publica. *Manutius.*

Restituit Sua Pecunia.

RT. Refecit. *Manutius.*

Refert. *Probus Ernstii. Manutius.*

Rescriptum. *Magno.*

RTD. Rotundum. *Probus Ernstii. Diaconus.*

R. V. Reges Vincit. *Manutius.*

Re Uxoria. *Papias.*

Rura Venalia. *Diaconus. Manutius.*

RV. Rumor. *Gratiosus.*

R. VE. Res Veronensis. Restitutor Veronensis. Rus Veronense. *Manutius.*

R. VER. Respublica Veronensis. *Scaliger.*

Rerum Veronensium. *Probus. Ms: Zabarella. Apppianus. Lazius. Manutius.*

Restitutor Veronensium. *Probus. Ms: Zabarella. Manutius.*

RVF. Rufinus. Rufius. Rufus. *Scaliger.*

RVR. Rura. Rursum. *Probus. Ms: Zabarella. Appianus. Lazius. Manutius.*

RVRR. Rura. *Probus Ernstii.*

RVS. Rusticum. *Manutius.*

RVST. PR. TR. PL. Rusticus Prætor Tribunus Plebis. Rusticus Primus Tribunus Plebis. *Manutius.* cui non subscribo; quia nec Rusticus ullus primus Tribunus Plebis Romæ fuit, nec unquam Romæ Rusticam gentem observavi, sed Rustiam.

R. XL. Remissa Quadragesima. *Santamantius. Angelonus.* In nummis Galbæ, Quadragesima, ut notat, ex Quintiliano *Lipsius ad Tacit. lib.* 13. Portorium erat, Publicano debitum: nam præter instrumenta itineris, omnes res quadragesimam publicanis pendebant. Hanc extinxisse Neronem *Tacitus* innuere videtur, *Annal.* 13. his verbis: *Manet tamen abolitio quadragesimæ, quinquagesimæque, & quæ alia exactionibus illicitis nomina publicani invenerant.* Verum hujus abolitionis auctorem Galbam nummi veteres faciunt, in quorum aversa parte observatur figura galeata, stans, dextra victoriolam, cum serto; sinistra, hastam, cum aquila, circa quam legitur, ROMA R. XL. hoc est, *Remissa Quadragesima.* Quod & monuisse videtur *Suetonius*, in eodem, *cap.* 15. Unde Casaubonus, ut conciliaret hanc tantorum auctorum discrepantiam, hæc ad illum notavit: *Quod igitur scribit Tacitus, mansisse adhuc ætate sua abolitionem quadragesimæ, per Neronem factam, non ita intelligendum est, quasi post Neronis constitutionem, perpetua & constans ejus viguisset observatio, sed quod fuit Galbæ imperium, & breve, & obscurum. hoc ignoravit Tacitus, aut dissimulavit.*

S.

S. Sacellum. *Probus. Sarainas.*

S. Sacerdos. *Gratiosus.*

S. Sacramento. *Sarainas.*

Sacramentum. Sacramentorum. *Manutius.*

Sacrum. *Probus.* Et ceteri explicatores notarum. Sacrum potissimum conspicitur in monumentis Deorum & quidem tum in eorundem fronte, tum in margine.

Salva. *Manutius.*

Salus. *Sarainas. Manutius.*

Sanctum. *Probus*

Sanctus. *Manutius.*

Satis. *Sarainas. Manutius.*

Scilicet. *Probus. Manutius.*

Scripti. *Manutius.*

Scripta. Scriptus.

Se. Secum. Secundus. *Sarainas. Manutius.*

Securi. *Manutius.*

Secuti. Sedem. *Sarainas. Manutius.*

Semis. *Probus. Macianus.* In notis partium Rerum, Pecuniarum. *Manutius. Angelonus.*

Semissis nota. *Goltzius.*

Sempronius. *Sarainas. Manutius.*

Senatus. *Probus. Diaconus. Magno. Gratiosus. Sarainas. Manutius.*

Sensibus. Sententia. *Sarainas. Manutius.*

Sepulcrum. *Probus. Gratiosus. Sarainas. Manutius. Scaliger.* Patet ex saxo *pag.* 444. 7.

C. OCT. PROVIN
S
L. D. D. D

Hoc est, *Caji Octavii Provini Sepulcrum Loco Dato Decreto Decurionum.*

Septuaginta. *Antiquus Codex de Notis Numerorum.*

Sequitur. Seris. *Sarainas. Manutius.*

Serva. *Manutius.* Si sequatur S. nomina propria, Servam vel Servum denotare non est qui dubitet; exempli causa AVG.N.S. *Augusti Nostri Servus*, & similia.

Servius. Prænomen quandoque significat unicum S. licet fere semper idipsum antiqui tribus literis signaverint, hoc pacto, SER. Huic prænomini originem dedit, vel *qui mortua matre, in utero servatus est*, ut scripsit auctor *Epit. de Nomin. Rat.* vel ut *Dionysio* videtur *lib.* 4 *Roman. Antiq.* ubi de Servio Tullio, *a conditione, quod serva eum peperisset.* Prænomen istud aliquando & gentilitii nominis & cognominis loco fuisse saxa monstrant. Nominis Gentilitii, præ multis, exemplum est in saxo *pag.* 104. 1.

VICTORIAE. AVG
L. CORNELIVS. POEBVS
L.SERVIVS.QVINTILLVS
SEVIRI. AVG
D. S. P. F. C

Cognominis, in lapide *pag.* 307. 7.

DIS. MANIBVS
SACRVM
L. VALERIO. L. FIL
PAPIA
SERVIO. SACERD
IOVI. TONAN
VIX. ANN. LXIIX
L. VALERIVS. L. F
PAPIA. GRANIVS
FRATRI. SVO. FEC

Servus. *Papias. Gratiosus. Manutius. Scaliger.*

Sextus. Prænomen, quod Antiqui ut plurimum SEX. nota denotarunt. Origo ejus ab ordine nascendi, atque ex eo Sextiam & Sextiliam gentes nomina ascivisse *Panvinius* monet *de Antiq. Nomin.*

Si. Sibi. *Sarainas. Manutius.*

Sic. *Diaconus. Manutius.*

Silentium. *Pierius.* Qui *Hieroglyph. lib.* 36. ubi de Silentio, hæc observavit: *Jam apud Romanos Silentii nota fuit S. prima ejus nominis litera, quam tricliniis & diætarum foribus superponi consueverat, ut inde Silentium convivis indiceretur, quando multa inter bibendum dici soleant licentius atque liberius, quam palam efferre nefas.*

Sine. *Manutius.*

Singuli. Singulum. *Scaliger.*

Sint. *Diaconus.*

Sit. Situs. Sive. *Sarainas. Manutius.*

Sita. Siti. In sepulcralibus..

Socii. *Manutius.*

Soli. Sollemne. *Sarainas. Manutius.*

Solvit. *Sarainas. Manutius. Scaliger. Goltzius.*

Spurius, prænomen fuit frequentissime ab antiquis, duabus literis SP. explicatum. Dicebantur Spurii, inquit *Plutarchus Quæstion. Roman. num.* 103. vel *qui patrem certum non habebant, unde iisdem literis etiam nothos significabant* S. P. *nimirum sine patre, quæ res errori ansam præbuit, cum Spurius & incerto patre natus iisdem elementis notarentur, ut hi quoque Spurii usurparentur.* Vel Spurii dicebantur, subdit ille, *quia a Sabinis pudenda mulieris, Spurium nominabantur. Itaque sic ignominiose appellabatur, qui ex non nupta muliere natus esset.* Prænomen hoc, licet vulgatissimum & gentilitium, pro cognomine tamen in lapidibus noto. Cognomen in saxo *pag.* 994. 11.

CN.

CN. SERVILIUS
CN. L
SPVRIVS
V. F

Gentilitium, in monumento *pag.* 470. 7.

. . . . . .

MANIBVS
SEX. SPVRII
SEX. F. VOL
SILVANI
EVCHARISTVS ET GERMANVS LIB
IIIIL VIR. AVG

Stabat. *Probus Ernstii. Diaconus. Manutius.*
Stipendiorum. *Scaliger.* Et quidem in monumentis militum.
Strancæ. *Sarainas.*
Stultus. Stupidus. *Probus Ernstii. Diaconus. Manutius.*
Sublata. *Manutius.*
Sulpitius. *Manutius. Trebellius.*
Sumpserunt. *Sarainas. Manutius.*
Sunt. *Diaconus. Magno. Papias. Gratiosus. Sarainas. Manutius.*
Suis. Suos.
Suo Supra. Suscepit. *Sarainas. Manutius.*
Centuria. *Scaliger.* Si nominibus cohortium, aut legionum succedat.
S. *Si in termino inveneris, supra possessionem multas aquas vivas indicat, qua alveum transeunt.* Auctores de Limit. Agrorum.
S. Scriba. *Manutius.*
Sed. *Ms: Rhodii. Magno.*
Sententia. *Papias.*
Sextus. Centuria. *Scaliger.*
S. Septuaginta Millia. *Antiquus Codex de Notis Numerorum.*
S. Semis. *Probus Ernstii. Demetrius.* Alabaldus De Minutiis.
Sunt. *Papias.*
S°. Sunt. *Diaconus. Ms: Rhodii. Manutius.*
Sq. Senatus Consultum, *vel* Consultus. *Diaconus. Manutius.*
∽. Uncia. *Demetrius.*
∽. Centuria. *Scaliger.* Quod sæpe in militum saxis.
Ducenta. *Antiquus Codex de Notis Numerorum.*
S. Semuncia. *Macianus.* De Distributione.
S—. Septuncis nota. Septunx, septem duodecimas continet.
S=. Bes. *Macianus.* Qui Bessem octo duodecimas esse tradit. *De Distribut.*
S=-. Dextans. *Macianus.* Penes quem Dextans comprehendit decem partes duodecimas.
S=-=. Deunx. *Macianus.* Qui deuncem undecim duodecimas esse monet.
S. A. Secundum Artem. *Manutius.*
Sub Ascia. In sepulcralibus sub Ascia dedicatis.
SA. Sabatina. Tribus nempe.
Salus. *Papias.*
Sententia. *Probus Ernstii. Papias. Sarainas. Manutius.*
Sua. Patet ex Monumento Romæ Subterraneæ T. 2. *lib.* 4. *cap.* 37.

ASELLVS QVI VIXIT AN. LV. BENEMER
ENTI IN PACE VXOR. SA. FECIT

SA. Sanguis. In Roma Subterranea.

A

Sententia. *Diaconus. Magno. Manutius.*
SAB. Sabatina. Sabatina Tribus, una cum Tromentina & Stellatina, additæ fuerunt anno V. C. CCCLXVI. Sabatina dicta fuit, *Festo* auctore, a lacu Sabate, in Tuscia, hodie *Anguillaria* appellato, ut monet *Panvinius lib.* 2. *Descript. Civit. Roman.*
SABOREN. Saborenses. Populi sunt Hispaniæ Bæticæ, cujus urbs Sabora fuit, *Cannete* nunc, ut ex Morali observat *Ferrarius in Lex. Geograph.*
SAC. Sacerdos. *Scaliger.*
Sacrificium. *Sarainas. Manutius.*
Sacri. Sacris. *Sarainas.*

B

Sacrum. *Probus. Manutius.*
SAC. DIS. MAN. Sacrum Dis Manibus. In sepulcralibus.
SAC. DIVAE. AVG. Sacerdos Divæ Augustæ.
SACERD. COOP. IN. OMN. CONL. SVRR. NVM. EX. S. C. Sacerdos Cooptatus In Omne Conlegium Supra Numerum Ex Senatus Consulto. In nummis Neronis. Ad quæ *Tacitus Annal.* 12. videtur alludere, cum ad annum Urbis Conditæ DCCCIV. scripsit: *Ti. Claudio quintum, Ser. Cornelio Orfito Coss: Virilis toga Neroni maturata, quo capessenda Resp. habilis videretur, & Cæsar adulationibus Senatus libens cessit, ut vicesimo ætatis anno consulatum Nero iniret, atque interim designatus, proconsulare imperium extra urbem haberet, & Princeps juventutis appellaretur.*

C

SACERD. DEI. SOLIS. ELAGAB. Sacerdos Dei Solis Helagabali. *Hulsius.* In nummis Antonini Helagabali.
SACER. PONT. PRAET. SAC. Sacerdoti Pontifici Prætori Sacrorum. *Angelonus.* Ambigo tamen in nota PRAET. quia ultima ejus litera, T scilicet, quæ ab eo exhibetur, F suspicor fuisse, ut legendum sit, *Præfecto Sacrorum*, quod meo judicio rectius.

D

SACERD. SOL. INV. M. Sacerdos Solis Invicti Mithræ. Solem Mithram dictum vidimus, litera D.
SACERD. IVVEN. MED. Sacerdos Juvenum Mediolani.
SACERD. TRAIAN. NVND. Sacerdote Trajano Nundino. Quod & expressum legitur in eodem monumento *pag.* 29. 13.
SAC. GENT. MVNICIP. Sacrum Gentibus Municipii.
SAC. MON. VRB. AVGG. ET. CAESS. N. N. Sacra Moneta Urbana Augustorum Et Cæsarum Nostrorum. In Diocletiani nummis.

E

SAC. P. Sacrum. Posuit. In votivis.
SACR. Sacrum. *Probus Ernstii. Manutius.*
SACRM. Sacramen. Sacramentum. *Probus Ernstii.*
SAC. Q. Sacerdos Quinquennalitius.
Sacerdos Quirinalis. *Zamoscius, cap.* 6. *Analect. Antiquit. Daciæ.* Ego tamen libens legerim, Sacerdos Quinquennalitius, cum hujus in coloniis frequentissima mentio fiat fide antiquorum lapidum.
SAC. S. Sacerdos Solis.

F

Sacrum Soli. Sanctio Sacra. *Manutius.*
Sanctio Sancta. *Diaconus. Manutius.*
SAC. SOL. DED. Sacrum Soli Dedicavit, *vel* Dedit. *Probus. Manutius.*
SACT. S. Sanctio Sancta, *vel* Sacra. *Manutius.*
SAC. VRBANO. S. P. Sacerdote Urbano Sibi Præeunte. *Scaliger.*
SAC. VG. Sacrata Virgo. *Scaliger.*
S. A. D. Sub Ascia Dedicavit. *Scaliger.* In sepulcralium lapidum margine.
SAEC. AVR. Sæculum Aureum. In nummis Adriani.

SAEC. FELIC. Sæculo Felici. In nummis Commodi.

SAG. Saguntum. Saguntus. *Augustinus.*

SAL. Salus. *Ursinus.*

Salute. *Sarainas. Manutius.*

SAL. AVG. Salus Augusti. In nummis Adriani.

SAL. GEN. HVM. Salus Generis Humani. In nummis Commodi & Caracallæ; quos fœda adulatione venerabantur, humani generis juratos hostes.

SALON. AVG. Saloninæ Augustæ. Quæ Gallieni conjux.

SALVIS. AVGG. ET. CAESS. FEL. KART. Salvis Augustis Et Cæsaribus Felix Kartago. *Santamantius.* In nummis Constantini Magni.

SAN. Sanctæ. Sancto.

SANC. SAL. Sanctæ Saluti.

SANC. FORTISS. SACR. Sanco Fortissimo Sacrum, *vel* Sancto. Sancus Deus ab antiquis Hercules nominabatur.

SAP. Sapinia. Tribus scilicet. De Sapinia Tribu licet nulla mentio inter Romanos, hujus tamen *Hist. lib.* 31. ita meminit *Livius: P. Ælius Consul in Gallia, cum audisset a Bojis ante suum adventum, incursiones in agros sociorum factas, duabus legionibus subitariis, tumultus ejus causa scriptis, additisque ad eas quatuor cohortibus de exercitu suo, C. Appium Præfectum Sociûm, hac tumultuaria manu per Umbriam, quam tribum Sapiniam vocant, agrum Bojorum invadere jussit.* Ex *lib.* 33. *L. Furius Purpureus, alter Consul per Tribum Sapiniam in Bojos venit.*

SA. R. Sacerdos Romæ. *Scaliger.*

SAR. Sarranus. In nummis argenteis gentis Atiliæ, in qua Sarrani cognomen primus obtinuit Atilius ille, cui cum deferrentur honores, serens inventus est agrum.

SARCINATR. Sarcinatrix. Sarcinator. Sarcinatores, qui farciendis vestimentis addicti; ut patet ex *l.* 28. *§. si fullo. ff. Locat. & Conduct. l.* 5. *ff. Naut. Campon. &c. l.* 28. *§.* 5. *ff. de Peculio.* Cornelius tamen Fronto, Sarcinatricem illam appellat, *quæ sarcinas servat*, & Nonius Marcellus, Sarcinatricem dicit, *non (ut quidam volunt) Sarcinatricem, quasi a sarciendo, sed magis a sarcinis, quod plurimum vestimum sumant.*

SARM. Sarmaticus. *Probus. Ms: Zabarella. Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius.*

S. A. S. Saturno Augusto Sacrum. *Probus Ernstii.*

Soli Augusto Sacrum.

SAT. Satis. *Diaconus.*

Saturnalia. *Gruterus. Manutius. Rosinus. Saturnalia dicta a Saturno, quod eo die feriæ ejus. Varro de Ling. Lat. lib* 5. unde *Festus: Saturno dies festus celebrabatur mense Decembri, quod eo ædis est dedicata, & is cultura agrorum præsidere videtur, quod etiam falx est ei insigne.* De Saturnalibus, quæ celebrabantur Romæ decimosexto Kalendas Januarias, hoc est, Decembris decimo septimo, & quidem per triduum continuum, abunde *Macrobius Saturnal. Serm. lib.* 1. *cap.* 7.

Saturni. Saturninus. *Manutius.*

SAT. AVG. SAC. Saturno Augusto Sacrum. In Marmoribus Africanis *Octavii Falconeris.*

SATVR. Saturnalia. *Probus. Ms: Zabarella. Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius.*

Saturni. Saturninus. *Manutius.*

Saturnus. *Probus.*

S. AV. Sine Auguriis. *Manutius.*

Sine Auribus. *Diaconus. Manutius.*

Soli Augusto.

SAVF. Saufejus. *Manutius.*

SB. Sibi. *Probus. Manutius.*

Sub. *Manutius.*

SB. CAR. Sub Cardine. *Ms: Rhodii. Sarainas. Probus.*

S.C. Sacri Consilii. *Sarainas. Manutius.*

Senatus Consultum. *Probus. Papias. Sarainas. Manutius.*

Senatus Consulto. Omnes notarum explicatores.

Senatur Consultum. *Manutius.*

Sententiam Constitutionis, *Cujacius.* Qui *Observationum lib.* 4. *c.* 31. sic scribit: *Institutionum Titulo, Qui & quibus ex causis manumittere non possit, ubi ex his notis (S. C.) factum esse ostendimus, ut quo in loco legendum est, Sententiam Constitutionis, nunc perperam in omnibus libris sit scriptum, Senatus Consulto.*

Sibi Constituit.

Sine Corde. *Manutius.*

SC Sacrilegium. Senatus Consultum. *Manutius.*

Sicut. *Papias.*

SC7. Sicuti. *Magno.*

S. C. A. Senatus Consulti Auctoritate. *Manutius.*

SCA. Sancta. *Magno.*

SCA. Scaptia. Tribus. *Panvinius. Brissonius. Manutius. Scaliger.* Scaptiam Tribum a nomine urbis Scaptiæ appellatam *Festus* scribit. Scaptiam vero urbem in *Latio Hist lib.* 3. *cap.* 5. his reponit *Plinius: In Latio clara oppida Satricum, Pometia, Scaptia, &c.* Hanc eo anno quo & Mæciam, cæteris Tribubus addidere Romani; ita monente *Panvinio Descript. Civit. Roman* anno V. C. CDXXII.

SCAPHAR. Scapharum.

SCAPT. Scaptia. Tribus. *Scaliger.*

S. C. CER. P. MNE. I. Sacri Consilii Certe Posuit Monetam Juliam. *Sarainas. Manutius.* Solvat Oedipus

S.C. F. C. Sumptu Communi Faciendum Curaverunt In operibus publicis, a pluribus factis.

SC. CM. Sacra Coma. *Diaconus. Manutius.*

Sacralis Comes, *vel* Sacratus. *Probus Ernstii.*

Socialis Comes. *Ms: Rhodii.*

SC̄. CM. Sacratus Communes. *Diaconus. Manutius.*

SCD. Secundum. *Probus. Ms: Shodii. Magno. Papias. Manutius.*

S. C. D. Senatus Consulto Decrevit, *vel* Senatus Consulius. *Probus.*

SCDO. CST7L. Secundo Consul. Lego in monumento *pag.* 1051. 8.

H. IACET. ELIVS. CONSTAN
TIVS. VIR. CONSVLARIS
COMES. ET. MAGIST. VTRIVSQ
MILITIE. ATQ PATRITIVS. ET
SCDO. CS7L. ORDINARIVS

S. C. D. E. R. I. C. Senatus Consulto De Ea Re Ita Censuit. *Brissonius.*

S. C. D. S. Sibi Curavit De Suo. *Scaliger.* In sepulcralibus.

S. C. E. C. Simul Cum Eo Conditus. *Probus Ernstii.*

SCÆ. ECC. ROM. Sanctæ Ecclesiæ Romanæ In Roma Subterranea.

S. C. F. C. Senatus Consultum Faciundum Curavit. *Sarainas. Manutius.*

Sumptu Communi Faciundum Curaverunt. In sepulcralibus.

S. C. FAC. C. Senatus Consultim Faciundum Curavit. *Manutius.*

S. C. F. E. Senatus Consultum Factum Est. *Appianus. Lazius. Manutius.*

Sumptu Communi Factum Est.

S. C. FAC. E. Senatus Consulto Factum Est. *Probus Ms: Rhodii. Sarainas. Manutius.*

Sumptu Communi Factum Est.

SCI. Sancti.

SCI. A. Scipio Africanus. *Diaconus.*

SCI. AF. Scipio Africanus. *Manutius.*

SCIATE Sanctitate.

SCIP. IMP. Scipio Imperator. In nummis argenteis gentis Corneliæ.

SCL. Sacrilegium. *Manutius.*

Scilicet. *Probus. Diaconus.* Et fere omnes alii.

SC. L. Sacræ Largitionis. *Ms: Rhodii. Magno. Manutius.*

Sacræ Legionis. *Sarainas. Manutius.*

Sacri Largitoris. *Probus Ernstii. Diaconus. Manutius.*

SC. L M. Sacrarum Largitionum Comes. *Magno.*

SCM. Sanctum. *Diaconus. Manutius.*

SCM. Sanctum. *Manutius.*

S. CM. Sacra Communia. *Papias.*

SC. MM. Sanctæ Memoriæ. *Probus Ernstii. Diaconus. Magno. Papias. Manutius.*

Sacræ Memoriæ. *Ms: Rhodii.*

S. CON. Sine Concordia. *Manutius.*

Sine Consensu. *Diaconus. Manutius.*

S. COR. Sine Corde. *Diaconus. Manutius.*

SCOR. Sanctorum. In Roma Subterranea.

SCOR. Sanctorum. *Probus Ernstii. Diaconus. Manutius.*

S. C. P. S. Senatus Consulto Plebiscitum. *Diaconus. Manutius.*

Sibi Constituit Pecunia Sua, *vel* Proprio Sumptu. In sepulcralibus.

SC. PS. Senatus Consulto Plebiscitum. *Probus. Manutius.* In legibus & plebiscitis.

SCR. Scriba. Scribæ, non thecæ illæ, ut olim apud Græcos, quibus a notariis includebantur styli, & pugillaria; sed Scriba, qui scriptor. hi vero pro munerum varietate, varii.

SCR. ADF. Scribundo Adfuerunt. In Senatus Consultis, quod & expressum aliquando.

SCR. AEDIL. Scriba Ædilitius. *Manutius.*

Scriba Ædilium.

SCRIB CVB. Scriba Cubicularius. *Gutherius.* Scriba Cubicularius, idem ac apud nostros Principes, *Il Secretario della Camera*, ut optime observavit *Gutherius de Offic. Dom. Aug. lib. 2. cap. 21. & lib. 3. cap. 29.* Hi apud Romanos plurimum Libertini erant, sed & aliquando Romani Principes, ex ingenuis Cubicularios Scribas habuerunt, dispositos sub Præposito Sacri Cubiculi; de quibus *Pancirollus in Not. Imp. Orient cap.* fuse.

SCRIB. LIB. Scriba Librariis. *Gutherius. de Offic. Dom. Aug. lib. 3. cap. 7.*

SCRIB. LIBEL. Scriba Libellorum. Quem a Scriba Librario diversum puto; cum scilicet in aulis Principum nostrorum temporum *Il Secretario de Memoriali*, dicatur.

SCRINIAR. Scriniarius. In Officiis Domus Augustæ.

SCRIN. V. Scriniariis Universis. Ex saxo *pag. 643. 7.*

SCRIN. V
Q. FABIVS. HILARVS
HILARI. LIB. SCRINIAR

Scriniarii, Scriniorum erant curatores.

SCRI. SVL. P. Scriba Sulmonensis Populi. *Probus. Ms: Zabarella. Manutius.*

SCR. LIB. Scriba Librarius. *Manutius.*

SCS. Sanctus. In Roma subterranea.

SCS. Sanctus. *Diaconus. Manutius.*

Sanctus. *Magno. Probus. Manutius.*

SCT. Sanctorum. *Papias.*

SCTI. Sancti. In Roma subterranea.

SCVARIV. Sanctuarium.

SCVT. SCO L. SECVND. Scutarius Scolæ Secundæ. In Roma subterranea. In Imperio Orientali, Scolæ Scutariorum, milites erant Scutis utentes, Principem comitantes, palatiumque custodientes, ut *Pancirolius* notat *in Not. Imp. Orient. cap.* 66. atque hæ numeris distinctæ, sub *Magistro Officiorum Orientis* militabant. At in Occidentali Imperio, Scolæ Scutariorum, fabricæ erant armorum, sub *Magistro Officiorum Occidentis*, in quibus omnis generis armorum supellex parabatur ad bellum, & prout illæ cohortes militum, ita hæ artificum collegia erant, ut satis constat ex *Vegetio lib. 2. cap. 11. de Re Milit. Habebant etiam fabricas scutarias, loricarias, arcuarias, in quibus sagitta, missilia, cassides, omniaque armorum genera formabantur*, & de quibus *Act. 1. Scen. 1. Epidici Plautus.*

Id modo videndum est, ut materies suppetat Scutariis.

S. D. Sacrum Diis. *Diaconus. Manutius.*

Sacrum Dis. Salutem Dicit. Senatus Decreto. *Manutius.*

Senatus Dixit. *Diaconus. Manutius.*

Sententiam Dedit. *Probus. Diaconus. Sarainas. Manutius.*

Sententiam Dicit. *Probus. Ms: Zabarella.* Et alii multi.

Sibi Dedit. In sepulcralibus.

Sicut Dixit. Sine Damno. *Manutius.*

Soli Dederunt. Soli Dedit. Soli Dedicaverunt. In Deorum cippis.

Statutum Diem. *Magno.*

Suis Dedit.

S D. Sententiam Dicit. *Magno.*

Supradictus. *Probus Ernstii.*

SD. Secundum. *Papias.*

Supradictus. *Diaconus. Papias.*

SD. Secundum. *Magno.*

SDg. Satisdatio. *Papias.*

S. D. D. Sacrum Dedit, *vel* Dedicavit. In votivis.

Simul Dederunt, *vel* Dedicaverunt.

S. D. M. Sacrum Dis Manibus. In sepulcralibus.

Securi Dormiunt Mortui. *Manutius.*

S. D. S. Sibi De Suo. In sepulcralibus & eorum extremo.

Soli Deo Sacrum. *Scaliger.* In Deorum lapidibus & eorum fronte.

S. D. SYLL. Sententiam Dedit Sylla. Sententiam Dicit Sylla. *Probus. Manutius.*

S. D. V. ID. Sepulta Die Quinta Idus, *vel* Sepultus, *aut* Sub.

S. E. Sibi Et Ut Sibi & Suis, quod vulgatissimum in sepulcralicus.

Situs Est. *Manutius.*

SE. Secum. *Gratiosus.*

Secundæ. *Sarainas. Manutius.*

Secundus. *Gratiosus.*

SEBERA. Severa.

SEBI. Sibi.

SEC. H. A. G. FEC. Secundus Heres Agens Gratias Fecit. In sepulcralibus.

SECVR. Securitas. In nummis Antonini Pii.

SECVRIT. PERP. Securitas Perpetua. In Gordiano Tertio.

SECVR. TEMP. Securitas Temporum. In Gallieno.

SECVS. HER. Secundus Heres.

SED. IVD. Sedentibus Judicibus. *Sarainas. Manutius.*

Sedes Judicis. *Manutius.*

SED. S.C. Seditionis Sedandæ Causa. *Scaliger.* In Fastis, post Dictatorum nomina, talibus de causis dictis.

SEGVS. Segusiani. Segusiani Populi sunt Galliæ Celticæ

SEMP. Sempronius. *Probus. Manutius.*

SEN. Senatores. *Sarainas.*

Senatus. Senectute. *Manutius.*

SEN. CONS. Senatus Consensu.

SEN. SEN. Senatus Sententia. *Probus. Manutius.*

SEP. September. *Sarainas. Manutius.*

Septimius. *Ms: Zabarella. Appianus, Lazius, Manutius.*

Septimus. *Appianus. Lazius. Manutius.*

SEPT. September. *Manutius.*

Septimius. *Probus. Sarainas, Manutius.*

Septimus. *Manutius.*

SEPTERIS. Septembris. In Monumento Romæ subterraneæ *T. 1. lib. 11. cap. 10.*

BALERIA. LATOBIA. OF. QVB VIX. ANN
VS. XLII. M. III. D. XV. FVIT. BEDVA
ANNVS. XII. DEPOSITA. IIII. IDVS
SEPTERIS. IN. PACE

SEPTENBRES. Septembris.

SEQ Sequanus. *Scaliger.*

S. EQ. Q. OD. ET. P. R. Senatus Equesterque Ordo Et Populus Romanus. *Diaconus. Manutius.*

SER. Serratus nummus *Ursinus. Lipsius. Serrati nummi*, ut scribit *Ursinus de Famil. Roman. in Gente Manlia, dicebantur, quibus serra impressa erat*, addo, circumcirca. Horum meminit *Tacitus de Morib. German. Pecuniam probant veterem & diu notam, Serratos, Bigatosque.* ad quæ *Lipsius*, more suo acute ac erudite, pro *serratos* vel *eratos*, vel *rasos*, vel *Servianos*, legendum conatus probare. Verum, cum Serratorum nummorum antiquorum hucusque copia non pauca prostet, non præter rem legerim, *Serratos.*

Sergia. Tribus. *Panvinius. Brissonius. Manutius.* Sergiam Tribum a Sergia Gente denominatam credit. *Panvinius Descript. Civit. Roman. lib. 2.*

Sergius. *Probus. Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius.*

Sertor. Serva. *Manutius.*

Sertorius. *Probus.*

Servia. Prænomen mulieris.

Servilia. *Manutius.*

Servilius. *Probus.* Consentinus Grammaticus. *Ms: Zabarella. Lazius. Manutius.*

Servitus. *Probus.*

Servius. Prænomen scilicet, de quo supra.

SER. AC. Servus Actor. *Scaliger.* Servum actorem illum credit *Pignorius de Servis*, quem Ælius Donatus, Majorem Domus appellavit. Scribit quippe, quod famulitii urbani caput erat atque in rei dominicæ procuratione primum locum sibi vindicabat. Servus Actor, ut *Rabano Mauro lib. 1. de Inst. Cleric. cap. 10. videtur, debet esse prudens & bonus, scireque, quis sit domini sui census & omnis substantia modus, & redegisse apud se totius possessionis instrumenta originalia.* Actor ideo, inter servos, optimæ erat conditionis; siquidem homine legato ad electionem alicujus, Actorem tamen eligere non poterat, ut habetur in *l. 37. ff. de Legat. & Fideicommiss. lib. 1.* Huncque Servum Actorem Atriensem, non uno in loco nominat *Plautus.* Plura qui desiderat, consulat *Thomam Remesinum Epist. 32.* ibi enim fuse de Servo Actore.

SER. AEQ. MON. Servus Æquator Monetæ. De Aequatore Monetæ dictum litera A, nota AEQ. M.

SER. ARK. Servus Arcarius. Servus Arcarius Domini arcam custodiebat, atque, teste *Pignorio de Servis*, non tantum hoc agebat, sed trinci pariter erat dispensator, secundasque vices in urbana familia gerebat; unde videtur idem fuisse, ac qui ὀικονόμος apud Græcos.

SER. DOLEAR. Servus Dolearis, *vel* Dolearius. Erat hic in Familia Rustica Doliorum custos; de eo *Pignorius de Servis.*

SER. F. Servii Filius.

SER F. A. N. Servii Filius Auli Nepos.

SER. F. AP. N. Servii Filius Appii Nepos.

SER. F. C. N. Servii Filius Caji Nepos.

SER. F. CN. N. Servii Filius Cnæi Nepos.

SER. F. D. N. Servii Filius Decimi Nepos.

SER. FEC. Servus Fecit.

SER. F. K. N. Servii Filius Kæsonis Nepos.

SER. FLAC. Servius Flaccus. In nummis argenteis gentis Sulpitiæ.

SER. F. L. N. Servii Filius Lucii Nepos.

SER. F. M. N. Sorvii Filius Marci Nepos.

SER. F. M'. N. Servii Filius Manii Nepos.

SER. F. N. N. Servii Filius Numerii Nepos.

SER. F. P. N. Servii Filius Publii Nepos.

SER. F. Q. N. Servii Filius Quinti Nepos.

SER. F. SER. N. Servii Filius Servii Nepos.

SER. F. SEX. N. Servii Filius Sexti Nepos.

SER. F. SP. N. Servii Filius Spurii Nepos.

SER. F. TI. N. Servii Filius Tiberii Nepos.

SER. F. T. N. Servii Filius Titi Nepos.

SERG. Sergia. Tribus. *Brissonius. Panvinius. Scaliger.*

SER. KARISS. Servis Karissimis. Servo Karissimo.

SER. L. Servii Libertus. Servus Libens.

SER. LENTVL. GN. F. Servius Lentulus Gnæi Filius. In nummis argenteis gentis Corneliæ.

SER. LIB. Servus Librarius.

SER. OFF. Servus Officinæ. *Manutius.*

Servus Officinarius. Servus Officinator *Scaliger.* De Officinatoribus dictum supra, litera O. nota OFFIC. MON.

Servus Officinator.

SER. PAETIN. M. F. PR. COS. Servius Pætinus Marci Filius Proconsul. In nummis argenteis Fulviæ, in qua Pæti & Pætini, a Pæto, diminutivo. Pæti vero cognominati, quorum oculi leviter declives, vel quibus oculi huc, illuc celeriter volvebantur.

SER. R. Servus Restituit. Servus Rusticus.

SER. SVLP. Servius Sulpitius. In nummis argenteis gentis Sulpitiæ.

SERT. Sertor. *Scaliger.*

SER. TRICLINIAR. Servus Tricliniarcha, *vel* Triclinarius. Is servus fuit Triclinio præfectus, qui, ut observat *Pignorius de Servis*, in ipso Triclinio virgam gerebat; non tamen extra, cum hoc ad solos Actores & Dispensatores servos spectaret. Tricliniarchæ parebant Pincernæ, qui aquam manibus affundebant; qui pocula porrigebant, qui aves scindebant in frusta, qui sputa, ait *Seneca de Brevit. Vita cap. 12.* ebriorum detergebant & alii omnes in conviviis ministrantes.

SER. VIC. Servus Vicarius: Vicarius Servus ordinarii servi vices gerebat; sic Actores, sic Dispensatores, sic Tricliniarchæ, Vicarios Servos habebant;

bebant; quemadmodum Sticho Vicarius fuit apud Plautum *Asinaria Act*: 2. *Scen*. 4.

LE. *Quoi datum est? LI. Sticho Vicario ipsi Tuo.*

SER. PECVL. Servus Peculiaris.

SERVS. Servus.

S. E. S. O. Sibi Et Suis Omnibus. In sepulcralibus, cum subsequentibus, usque ad notam SER.

S. E. T. L. Sit Ei Terra Levis. *Scaliger*. Fausta mortuis apprecatio, in sepulcralibus.

S. ET. L. L. P. E. Sibi Et Libertis Libertabus Posteris Eorum. Si cunctorum posteros admittat sepulcrum. Posteris Ejus. Si tantummodo institutoris posteros suscipiat sepulcrum.

S. ET. L. M. E Sibi Et Libertis Monumentum Erexit. In postrema cipporum sepolcralium parte.

S. ET. S. Sibi Et Suis. *Sarainas. Manutius. Scaliger. Servius*. In sepulcralibus.

S. ET. S. P. Q. E. Sibi Et Suis PosterisQue Eorum, *vel* Ejus. In cippis mortuorum.

SEV. Severianæ. *Manutius*.

Severus *Ms: Zabarella. Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius*.

Seviro. *Manutius*.

SEV. AVG. Seviro Augustali. *Scaliger*.

Sevir Augustalis. In Coloniarum saxis.

SEV. AVG. ARM. PARTH. Severus Augustus Armeniacus Parthicus. *Probus. Appianus. Lazius. Manutius*.

SEV. PERT. AVG. Severus Pertinax Augustus.

SEX. Sexagies. *Papias*.

Sexta. *Servius*. Prænomen mulieris, & cognomen.

Sextius. *Probus. Manutius*.

Sextus *Probus. Ms: Zabarella. Appianus. Lazius. Manutius. Scaliger*.

SEX. APVLEI. PR. COS. Sextus Apulejus Proconsul. In nummis argenteis gentis Apulejæ.

SEX. ATIL. M. F. SERRAN. Sextus Attilius Marci Filius Serranus. In nummis argenteis gentis Attiliæ.

SEX. AT. SILV. F. Sexti Attilii Silvani Filii. *Manutius*.

SEX F. Sexti Filius.

SEX. F. A. N. Sexti Filius Auli Nepos.

SEX. F. AP. N. Sexti Filius Appii Nepos.

SEX. F. C. N. Sexti Filius Caji Nepos.

SEX. F. CN. N. Sexti Filius Cnæi Nepos.

SEX F. D. N. Sexti Filius Decimi Nepos.

SEX. F. K. N. Sexti Filius Kæsonis Nepos.

SEX. F. L. N. Sexti Filius Lucii Nepos.

SEX. F. M. N Sexti Filius Marci Nepos.

SEX. F. M'. N. Sexti Filius Manii Nepos.

SEX. F. N. N. Sexti Filius Numerii Nepos.

SEX F. P. N. Sexti Filius Publii Nepos.

SEX F. Q. N. Sexti Filius Quinti Nepos.

SEX. F. SER. N. Sexti Filius Servii Nepos.

SEX. F. SEX. N. Sexti Filius Sexti Nepos.

SEX. F. SP N Sexti Filius Spurii Nepos.

SEX F. TI. N. Sexti Filius Tiberii Nepos

SEX. F. T. N. Sexti Filius Titi Nepos.

SEX. IVL. Sextus Julius.

SEX. IVL. C. F. CN. N. Sextus Julius Caji Filius Cnæi Nepos. In nummis argenteis gentis Juliæ.

SEX L. Sexti Libertus.

SEX. NONI L.V. P. F. Sextus Nonios Ludos Publicos Fecit. *Ursinus*. In nummis argenteis gentis Noniæ, qui de ludis istis multa ibi fuse.

SEX. P. Sextus Pompejus. *Probus*.

SEXT Sextilis. *Scaliger*. Mensis scilicet.

Sextum. *Goltzius*.

SEXV. Sexvir. *Papias*

S. F Sacris Faciundis *Magno. Manutius*.

SatisFecit. *Magno. Papias*.

SatisFactum. *Magno*.

Sibi Fecit. In sepulcralibus.

Sine Fine. Sine Fraude. Sine Fronte. Sine Fundo. *Manutius*.

Suis Fecit. In sepulcralibus.

SF. Satisfecit. *Diaconus. Manutius*.

Satisfecit. *Manutius*.

SFF. Sufficit. *Papias*.

S. F. S. Sine Fraude Sua. *Probus. Ms: Zabarella*. Cæterique explicatores notarum, fueruntque hæ literæ in actionibus & legibus antiquorum.

S. G. Satis Gestamus. *Papias*.

Satis Gestum. *Probus Ernstii. Diaconus. Manutius*.

Sine Genere. Sine Genitalibus. *Probus Ernstii. Manutius*.

SG. Sacrilegium. *Diaconus. Papias. Gratiosus. Manutius*.

S. GN. Sine Genere. *Manutius*.

Sine Genitalibus. *Diaconus. Manutius*.

S. H. L. Secundum Hanc Legem. *Manutius*. Sibi Hoc Legavit. In sepulcralibus.

S. H M P. C. Sibi Hoc Monumentum Ponendum Curavit. In extremo sepulcralium.

S. I. Soli Invicto. Quod & expressum in votivis.

Sua Impensa.

SI. Servi. *Manutius*.

Sine. *Ms: Rhodii*.

Sit. *Gratiosus*.

SI Signum.

SIB. L S. P. E Sibi Liberis Suis Posterisque Eorum. Si filiis monumentum fit commune.

Sibi Libertis Suis Posteris Eorum, *vel* Ejus. In sepulcralibus, si locus sepulturæ libertos recipiat.

SICIL. Sicilia.

SIC. V. Sicuti Voluit. *Probus. Manutius*.

Sicut Voluit. *Manutius*.

SICVL. Siculo. *Gualtherius*.

SIC. V. SIC. X. Sicut Quinquennalia Sic Decennalia. *Hulsius. Santamantius*. In nummis Constantis. Hæc populi fausta acclamatio fuit pro salute Principum, prout nostro ævo *Ad multos annos*.

SIC. XX. SIC. XXX. Sicut Vicennalia, Sic Tricennalia. *Hulsius. Santamantius*. In nummis Magni Constantini.

S. I. D. Sua Impensa Dedit, *vel* Dedicavit.

Supplicatio Immortali Deo. *Diaconus. Manutius*.

S. I. F. P. R. E. A. D. P. Suscepit In Foro Pro Rostris Et Ante Diem Pridie. *Manutius*.

SIG. Sigillum. *Probus. Diaconus. Ms: Rhodii. Sarainas. Manutius*.

Signum. *Manutius*.

SIG. ARG. P. V. Signum Argenteum Pondo Quinque. Signa erant vota, pro beneficiis acceptis dicata.

SIGIL. Sigillum. *Papias*.

SIG. LIB. Signum Liberi. *Scaliger*.

SIGN. Signifer. In militaribus.

Signum. *Magno*. In votivis.

SIGNIF. Signifer. *Manutius. Gallus*.

SIGN. LEG. Signifer Legionis. Signifer Legionis, ab Aquilifero erat distinctus. Aquilifer aquilam portabat, Romani Imperii signum; Signifer propriæ legionis signa, & imagines Principis.

SIG. PR. SA. Signum Pro Salute. In votivis.

SIG. S.

SIG. S. P. VOT. VOV. Signum Salute Percepta Votum Vovit. Signum *Sua* Pecunia Votum Vovit. In votivis.

SIIX. Sex. Duplici I. loco E. posito.

S. I. M. Soli Invicto Mithræ. *Scaliger.* Quod & expressum in votivis saxis.

SING. Singulis. *Manutius.*

SING. III. N. Singulis Ternos Nummos. *Gallus.*

SING *. II. Singuli Denarios Binos. *Scaliger.*

SI P. P. S F. Signum Ponere Pecunia Sua Fecit. Signum Posuit Pecunia Sua Factum In votivis.

S. I. R. Sua Impensa Recuperavit. *Probus Ernstii.* Sua Impensa Restituit.

SISC. Siscia. *Hulsius. Santamantius.*

SI. V. G. V. Si Vales Gaudeo Valeo. Epistolarum antiquorum, non raro, initium.

SIVIS. *pro* Suis.

S. IX. Stipendiis Novem. In militum cippis.

S. L. Sacrarum Largitionum. *Gutherius.*

Sacrorum Ludorum. *Probus. Ms: Zabarella. Saraïnas. Appianus. Manutius.*

Senatus Laudando. *Manutius.*

Senatus Legitimus. Occurrunt in Kalendario antiquo, in quo hisce literis signabatur dies, qua Senatus legitimus erat habendus.

Sententiam Libens. *Scaliger.*

Servu Libertus. Aliquando.

Sibi Legavit. In sepulcralibus.

Sine Liberis. Sine Lingua. *Diaconus.. Manutius.*

Socii Latini. *Manutius.*

Solvit Libens. In votivis.

Sua Laude. *Scaliger.*

Suis Liberis, *vel* Libertis.

Suo Liberto. *Manutius.*

SL. Sylla. *Probus Ernstii. Diaconus. Manutius.*

S. LEG. Signifer Legionis. *Zamoscius.* In militaribus, cum subsequenti.

Suæ Legionis.

S. L. E. I C. Q. O R. E. Siremps Lex Ei Jus CausaQue Omnium Rerum Esto. *Brissonius,* Qui 2. *de Formul.* hanc observat, legum rogandarum apud Romanos vulgarem fuisse clausulam. Siremps, quid sibi voluerit, consulat amicus lector *Josephum Scaligerum in Castigat. ad Festum. Lambinum in notis ad Prolog. Amphitruo. Plauti. Cujacium Notas ad Epist. XCII. Senecæ:* varii quippe, varia tenent.

S. L. II. N. Sestertii Quinquaginta Duo Nummi. *Reinesius.*

S. L. L. P. E. Sibi Libertis Libertabus Posteris Eorum. *Manutius.* In sepulcralibus libertis communibus, cum subsequentibus.

S. L. L. P. Q. E. Sibi Libertis Libertabus PosterisQue Eorum, *vel* Ejus.

S. L. L. Q. Sibi Libertis LibertabusQue. *Manutius.*

S. L. M. Sibi Locum Monumenti. In sepulcralibus.

Solvit Libens Merito. *Scaliger.* In votivis, cum subsequenti.

Soluto Libero Munere. *Simeonius.*

S. L. M. N. Sibi Locum Monumenti Nuncupavit. In sepulcralibus.

Sulpitius Legavit Monumentum Nepoti. *Manutius.*

Ꞩ. L. M. N. Sestertia Quinquaginta Millia Nummum. *Manutius.*

S. L. P. Sibi Libertis Posteris. *Manutius.* In sepulcralibus.

Sibi Locum Posuit, *vel* Procuravit. In iisdem saxis.

SLT. Scilicet. *Magno.*

S. M. Sacrum Manibus. *Diaconus. Manutius.* In sepulcralibus.

Sacrum Memoriæ. *Probus Ernstii.*

Sibi Monumentum. In sepulcralibus.

Sine Malo Sine Manibus. *Diaconus. Manutius.*

Solvit Merito. In votivis.

S. MA. Sacra Moneta.

S. M. A. G. S. Sacrum Memori Animo Gratis Solvit. In votivis.

S. M AL. Signata Moneta Alexandriæ. *Hulsius. Santamantius.* In Constantino juniore.

S. M A. L. S. Sacrum Memori Animo Libens Solvit. *Scaliger.* In votivis.

S. M. A. O. Sacra Moneta Antiochiæ Obsignata. *Reinesius.*

S. M. D. Sacrum Matri Deum. *Scaliger.* In Deorum cippis.

S. M. K. Signata Moneta Karnuti. *Hulsius. Santamantius.* In Licinio.

S. M. KAR. Signata Moneta Karthagini. In Fausta Magni Constantini uxore.

S. M. M Sacrum Magnæ Matri. In Deorum saxis, in quibus quandoque id expressum.

S. M. N. Sacra Moneta Nova. *Reinesius.*

S M. NA. Sacra Moneta Nova In nummis.

S M. N. M. Sacra Moneta Nova Mediolanensis. *Reinesius.*

S. M. P. E. Sulmo Mihi Patria Est. *Probus Ernstii.*

Sibi Monumentum Publice Elegit. In sepulcralibus.

S. M. P. I. Sibi Monumentum Poni Jussit. In mortuorum cippis.

S. M. TR. Signata Moneta Treveris. *Velserus.* In nummis.

S M. TR. P. Sacra Moneta Treveris Percussa. *Hulsius. Santamantius.* In Fausta Magni Constantini uxore.

S. M. T. S. Sacra Moneta Treveris Signata. *Hulsius. Santamantius.* In Galeria Imperatoris Galerii Valerii uxore.

S. N. Si Negat. Socii Nominis. *Manutius*

Sui Nominis. *Saraïnas. Manutius.*

SN. Senatus. *Probus. Papias. Appianus. Lazius. Manutius.*

Sententia. *Probus. Diaconus. Manutius.*

Sine. *Probus. Diaconus. Ms: Rhodii. Magno. Papias. Gratiosus.*

S̄N̄. A. Senatoria Auctoritate. *Magno.*

S. N. C. Sestertios Nummos Centum.

SN. D. Sine Dubio. *Probus Ernstii. Diaconus. Ms: Zabarella & Rhodii.*

Sententiam Dixere. *Gratiosus.*

SN. DVB. Sine Dubio. *Manutius.*

S. N. L. Socii Nominis Latini. *Probus. Ms: Zabarella. Saraïnas. Appianus. Lazius. Manutius.*

SN. M. Sine Morte. *Probus Ernstii.*

SN. P. Sine Periculo. *Probus Ernstii. Ms: Rhodii. Magno. Saraïnas. Manutius.*

SN. P. M. Sine Periculo Mortis. *Diaconus. Magno. Manutius.*

S. NQ. L. Sociis NominiQue Latino. *Probus Ernstii.*

S. N. S. Q. Si Negat Sacramento Quærito. *Gratiosus. Lazius. Manutius.* Quæ verba sollemnia sponsionis sacramenti fuisse monet *Brissonius de Verb. Signific.* 17.

Si Negat Sacramentum Quærito. *Probus. Ms: Zabarella. Appianus. Brissonius. Manutius.*

Si Negat Sacro Quærito. *Saraïnas.*

SNT. Senatus. *Probus Ernstii.*

SO. Sors. *Papias.*

S. O. Sine Occasione. *Probus. Diaconus. Manutius.*

Sine

Sine Oculis. *Probus Ernsti. Diaconus. Manutius.*
SOCR. P. B. M. Socrui Posuit Bene Merenti. In sepulcralibus.
SOD. Sodalis.
SODAL. HADRIANAL. Sodalis Hadrianalis. *Angelonus.* Hi Hadriano in Divos relato sacra faciebant.
SODAL. TRAIANAL. ET. HADRIANAL. Sodalis Trajanalis Et Hadrianalis.
SOD. HADRIA. Sodalis Hadrianalis.
SOL. Soli. *Manutius.*
Sollemni. *Sarainas. Manutius.*
SOL. Solidis. In Roma subterranea.
SOLER. S. Solertia Sua.
SOL. INT MIT. Soli Invicto Mithrae.
SOL. L. M. Soli Legavit Monumentum. *Manutius.*
Solvit Libens Merito In votivis.
SOLO. PUB. S. P. D D. D. Solo Publico Sibi Posuit Dato Decreto Decurionum. In Monumentis publice datis.
SOL. R. Solo Recepto. Solo Relicto.
SOL. TRIS. Solidis Tribus.
SOR. Soror. *Sarainas. Manutius.*
SOVEIS. Suis.
S. P. Sacerdos Perpetua. *Scaliger.*
Sacri Palatii. *Probus. Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius.*
Sacrum Posuit. In Deorum saxis.
Sibi Posuit. In sepulcralibus.
Sine Patre. *Diaconus. Manutius.*
Sine Pecunia. *Probus.*
Sine Pedibus. *Probus. Diaconus.*
Sine Precibus. *Manutius.*
Sodales Posuerunt. *Probus.*
Sua Pecunia. *Probus. Diaconus. Manutius.*
Sumptu Proprio.
S. P. Sacri Palatii. *Ms: Zabarella.*
SP. Spectatus. *Pignorius.* Qui *de Servis* scribit, hanc notam, quae doctos viros hucusque torsit, nihil aliud *significare, quam, spectavit, ut detur intelligere, conductos fuisse aliquos, veluti ab editore, gladiatores insignes, rude olim donatos, spectandi gratia, non pugnandi.*
Sportulam. *Augustinus.*
Spurius. *Probus. Diaconus.* Omnesque reliqui Notar. explicatores.
Stipendiorum. In Militaribus.
Super. *Gratiosus.*
SP. A. D. VIII. ID. APRIL. Spectatus Ante Diem Octavum ID. Aprilis. Spectatus enim, loco Spectavit, aliqui legunt in tesseris Gladiatoribus datis, edito spectaculo, in quibus & Gladiatoris ipsius fuit nomen sculptum, ut scilicet ob victoriam, tesserae illae praemium ipsis essent honori.
SP. AFRA. Spurius Afranius. In nummis argenteis gentis Afraniae.
SP. ALBIN. MAG. Spurius Albinus Magnus. In nummis aereis gentis Postumiae.
SP. AR. Supra Aram. *Gratiosus.*
SPC. Species. Spectat. *Papias.*
Spectatus. Spectavit. In tesseris Gladiatoriis.
S. P. C. Sua Pecunia Curavit. Sumptu Proprio Constituit. In sepulcralibus.
SP. CARVIL. SP. F. Spurius Carvilius Spurii Filius. In nummis argenteis gentis Carviliae.
S. P. COIR. Sua Pecunia Curaverunt. In votivis.
S. P. C. S. Sibi Posuit Cum Suis. Sua Pecunia Curavit Sibi. In sepulcralibus.
S. P D. Salutem Plurimam Dicit. *Probus. Sarainas. Manutius.* In antiquorum Epistolis.
Sua Pecunia Dedit. *Manutius.* Tum in votivis, tum in sepulcralibus.

SPD. Supradicti. *Diaconus. Manutius.*
SP. D SupraDicti. *Papias.*
SupraDictis. *Sarainas.*
SupraDictus. *Ms: Rhodii. Magno.*
S. P. D D. Sua Pecunia Dono Dedit. *Manutius.* In sepulcralibus.
Sua Pecunia Donum Dedit. *Scaliger.*
Sumptu Proprio Dedicavit, *vel* Dono Dedit. In votivis.
S. P. DD. Sua Pecunia Dedicaverunt. *Pancirolus. Gutherius.* In Votivis.
SPEC. Spectator.
Spectavit. *Pignorius.*
Spectatus.
Speculator. *Manutius.*
ac voluptatibus Populi præfuisse, notum ex *lib. 15. Cod. Theodos. l. 13. Tit. de Scenicis.* Sic quippe scribentes, Honorius & Theodosius Augusti, ad Diogenianum, Virum Clarissimum, Tribunum Voluptatum: *Mimas diversis adnotationibus liberatas, ad proprium officium summa instantia revocari decernimus, ut voluptatibus populi, ac festis diebus solitus ornatus deesse non possit.* Verum, numquid iste idem fuerit, ac qui a Voluptatibus, a Tiberio institutus, multi ambigunt, cum certum sit, *Suetonio* teste, in eodem, *cap.* 42. Tiberium *novum officium instituisse a Voluptatibus, præposito equite Romano T. Cæsonio Prisco.* Quidquid sit, Tribunum hunc magni æstimatum constat ex *Cassiodoro*, qui 7. *Variar. Epist.* 10. formulam Tribunatus Voluptatum exhibens, ita concludit: *Quapropter Tribunum te Voluptatum per illam indictionem nostra facit electio; ut omnia sic agas, quemadmodum tibi vele civitatis adjungas. Ne quod ad lætitiam constat inventum, tuis temporibus ad culpas videatur fuisse transmissum. Cum fama diminutis, salva tua opinione, versare. Castitatem dilige, cui subjacent prostituta; ut magna laude dicatur, virtutibus studuis, qui voluptatibus miscebatur. Optamus enim, ut per ludicram administrationem ad seriam pervenias dignitatem.*

TR. CAP. Tribuni Capitales. *Probus Ernstii.* Verum libentius legerim, Triumviri Capitales.

TR. CEL. Tribuni Celerum. *Probus. Ms: Zabarella. Saraïnas. Appianus. Lazius. Manutius.*

Tribunus Celerum. Tribunus Celsium, quem me latere fateor. *Manutius.*

TR. CLASS. PR. RAVENN. Tribunus Classis Prætoriæ Ravennatis.

T. R. E. S. P. R. Terra Regesta Ex Sua Pecunia Restituerunt. *Scaliger.* In monumentis, ruderibus terraque obrutis, quæ quorundam pietate restituebantur.

TREV. Trevirenses Cives.

TR. F. Trajanæ Fortis. *Manutius.* In militaribus: quippe Legionis titulus est.

TRIB. COHH. Tribunus Cohortium.

TRIB COH. III. ET. VI. PRR. Tribunus Cohortium Tertiæ Et Sextæ Prætorianarum.

TRIP. CORP. FOED. Tributarii Corporati Fœderati. *Servius.* Tributarii Corporati & Fœderati ordines erant, hoc est, corpora seu collegia. Tributarii cæteris inferiores habebantur: nam Tributarius fuit, qui solvendo tributo obnoxius habebatur. Ita Tributarii servi, qui tributa domino pendebant, & Tributaris prædia, quæ tributa solvebant, ut notat Glossa *Inst. Tit. de Rer. Divis. §. Per tradit.* Corporati melioris videbantur conditionis: nam Corporibus civitatum erant adscripti. Ideo *Symmach.* 9. *Epist.* 103. sic scribit: *Totis viribus adjuvandos esse communis patriæ corporatos, præcipue mancipes salinarum.* Et *lib.* 10. *Epist.* 34. *Corporatos negotiatores, membra æterna Urbis*, testatur se voluere dubitasse ad equorum collationem dandam, quia scilicet immunes: nam satis erat, *quod hic lanati pecoris inventor esset; ille ad victum populi cogeret armentum; hic suillæ carnis teneret functionem; pars urenda lavacris ligna comportaret; essent qui fabriles manus angustis operibus accommodarent; per alios fortuita arcerentur incendia. Jam caupones & obsequia pistoria, frugi & oleo bajulos, multosque id genus, patriæ servientes enumerare fastidium esset.* Quare concludit: *Liquebat privilegium vetus magno impendio constare Romanis; jugi obsequio immunitatis nomen emeruisse.* Fœderati vero cæteris ordinibus anteibant; nam liberi cum essent, suis tantum legibus relictis, comiter tantum majestatem populi Romani observare tenebantur; atque si in urbe deliquissent, in eos animadvertere licebat. *l.* 7. *ff. de Captiv. & Postlimin.* per totum; propterea ex istis Fœderati milites conscribebantur, *l. unica Cod. de Locat. & Conduct.*

TRIB. LATICL. Tribunus Laticlavio. *Manutius.*

TRIB. PL. PR. COS. Tribuno Plebis Prætori Consuli. *Zabarella.*

Tribunus Plebis ProConsul.

TRIB. POT. Tribunitia Potestate. *Probus. Manutius. Scaliger. Goltzius.*

Tribunitiæ Potestatis. *Manutius.*

TRIB SVC. Tribus Sucusana. *Scaliger.* Quæ & Suburrana.

TRIBVNIC. POTEST. Tribunicia Potestate. *Probus. Manutius. Goltzius.*

Tribunitiæ Potestatis. *Manutius.*

TRICENSIM. Trigesimum nempe, ex Monumenti fragmento *pag.* 805. 8.

. . . .

SIBI. ET
MARCIAE. PRIMAE
CONIVGI. PIISSIM
OPTIMAE. DE. SE. MERITAE
QVAE. ANNVM. TRICENSIM
AGENS DECESSIT
D. D

TRIF. Triumphator.

TRI. MILIT. Tribunus Militum. *Manutius.*

TRI. P. Tribunus Plebis.

TRISOMV. Trisomum. In Roma subterranea. Trisomum, trium Cadaverum sepulcrum fuit.

TRIVMP. Triumphator. Triumphavit. Triumphum. *Manutius.*

TRIVMPH. Triumphator. *Probus. Manutius.* Triumphavit. Triumphom. *Manutius.*

TR. LEG. II. Tribunus Legionis Secundæ. *Probus. Ms: Zabarella. Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius.* Sicque de cæteris Legionibus, si nota TR. Legionis vocem præcesserit.

TR. M. Tribunus Militum. *Probus. Ms: Zabarella. Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius.*

TRM. Terminus. Thermæ. *Gratiosus.*

TR. ML. Tribunus Militum. *Manutius.*

TR. MIL. Tribunus Militum, Passim in militaribus cippis.

TR. MM. Tribunus Militum. *Sarainas.*

TRO. Tromentina. Tribus. *Brissonius. Panvinius. Scaliger.* Tromentinam Tribum cæteris additam cum Stellatina, teste *Livius Hist. lib.* 6. anno Urbis CCCLXVII. Hanc a Tromento campo dictam tradit *Festus.* Tromentum autem campum, ex incerti auctoris sententia, *in Descript. Civit. Roman. lib.* 2. observat *Panvinius*, fuisse in Tuscia, ex quo cum aliquot Romam aufugissent & civitate donati, ac in quatuor tribus divisi, agri Populi Romani partem obtinuissent, earum alteri Tromentinæ nomen impositum.

TR. OB. Treveris Obrizum. *Hulsius.* In Valentiniano.

TR. OBS. Treveri Obsignatum. *Hulsius.* In eodem.

TROM. } Tromentina. *Scaliger.* Hoc
TROMENT. } est, Tribus.

TR. P. Treveri Percussa. *Santamantius.* In Constante.

Tribunitia Potestate. *Magno. Goltzius.*

Tribunus Plebis. *Probus. Magno. Sarainas. Appianus. Manutius.*

TR. PL. Tribunus Plebis. *Probus. Ms: Zabarella. Magno Manutius. Scaliger.*
TR.PL. DESS. Tribuni Plebis Designati. *Scaliger.*
TR.PL.PR. Tribunus Plebis Prætorio. *Gualtherius.*
Tribunus Plebis Prætor.
TR.PL ROG. Tribunus Plebis Rogavit.
TR. POT. Tribunitia Potestate *Probus. Saraınas. Appianus. Lazius. Manutius. Scaliger.*
Tribunitiæ Potestatis. *Angelonus.*
TR. P.P.P. Tribunitia Potestate Pater Patriæ. In nummis Imperatorum sæpe.
TR. P. S. Treveri Pecunia Signata. *Velserus. Hulsius.*
TR.P.VII.IMP.IIII.COS.II.S.C. Tribunitia Potestate Septimum Imperator Quartum Consul Secundum Senatus Consulto.
TRQ. Torques. *Probus Ernstii.*
TR.S. Treveri Signata. *Santamantius.*
TR.T. Turris Tarpeja. *Manutius.*
T.R.T.A. Tuas Res Tibi Agito. *Probus Ernstii.*
T.R T.H. Tuas Res Tibi Habeto. *Probus Ernstii.*
Repudiorum antiquæ formulæ. *Res tuas tibi habeto, Tuas res tibi agito.* Ita *l.* 2. *ff. de Divort. & Repud.* Iden *Alcmenam* cum Jove, quem Amphitruonem credebat, de repudio sic conquerentem inducit *Plautus Amph. Act.* 3. *Scen.* 2.

Valeas, tibi habeas res tuas, reddo meas.

TR.V.CA. Triom Viri Capitales. *Lazius.*
TR. V. CAP. Trium Viri Capitales. *Probus. Ms: Zabarella. Saraınas. Appianus. Lazius. Manutius.*
TR. V. MON. Trium Viri Monetales. Erant autem qui cudendæ monetæ præerant, quique, de quibus in numinis Augusti, Triumviri Argenti, Auri, Æris, Flandi Feriundi nominati. De istis fuse *Pomponius Laet. de Magist. Roman. lib.* 3 *cap.* 16. *Sigonius de Antiq. Jur. Civ. Roman lib.* 2. *cap.* 3. *Rosinus Antiq. Roman. lib.* 7. *cap.* 28. *Gutherius de Offic. Dom. lib.* 3. *cap.* 19.
TRVM. P. P. P. AELIOR. Trium Publiorum Æliorum. *Scaliger.* Ita legenda Inscriptio *pag.* 854. 8.

TRVN. PPP. AELIOR
ASPASI. ISIDORI. ASPRASI
ET CLAVDIA EVHODIA
FECERVNT
SIBI ET SVIS
LIBERTIS LIBERTABVSQ
POSTERISQVE AEORVM
H. M. EX. NON. RECIP

T. S. E. Testamento Sibi Elegit. Titulum Sibi Elegit. In sepulcralibus.
Treveris Signata Est. In Constantino Magno.
T. S. F. L Testamento Suo Fieri Jussit. *Probus. Ms: Zabarella Saraınas. Appianus. Lazius Manutius.*
T. S. I. Testamento Suo Instituit, *vel* Jussit. Titulum Sibi Jussit.
T. S. T. F. I. Testamento Suo Titulum Fieri Jussit, *vel* Titulum Sibi Testamento Fieri Jussit.
T. T. Titi. duo.
T. T. Tantos. *Papias.*
Testamento. Titi duo. Titulus. *Manutius.*
TT. E. Testes Estote. *Probus Ernstii.*
T. T. FLL. Titi Flavii, duo scilicet; prout in monumento *pag* 751. 3.
T. T. F. V. Testamento Titulum Fieri Voluit. Titulum Tumulum Fecit Vivens.

T. T. L. Titorum Libertus. Hoc est, duorum.
Θ. ϴ Defunctus.
TTM. Testamentum. *Probus. Diaconus. Manutius.*
TT. QTS. Titus Quinctius. *Probus Ernstii. Diaconus. Manutius.* Quæ tamen explicatio mihi suspecta; nam Titi prænomen, nisi duos Titos denotet, uno tantum T. expressere semper antiqui; unde potius restituenda nota T. QTS. ut sit *Titus Quinctius.*
TTR. Testamentorum. *Papias.*
7T7. Intus. *Diaconus. Manutius.*
T. V. Testamento vovit. *Saraınas. Manutius.*
Tibi usus. *Manutius.*
Titulo usus. *Probus Ernstii.* In votivis.
Titulum vovit.
Tu Vale. *Manutius.*
TV. Tumulus. *Gratiosus.*
TVB. Tubilustrium. *Gruterus.*
TVBIL. Tubilustrium. *Panvinius. Gruterus. Scaliger.* Tubilustrium appellatum, *quod eo die in atrio sutorio sacrorum tuba lustrabantur.* Ita *Varro de Ling. Lat. lib.* 5. vel ut videtur *Scaligero*, obliteratum Festi locum restituente *in Castigationib. Tubilustrium, dies, quibus diebus adscriptum, In atrio sutorio agna tuba ut lustrentur, ab eis tubis appellant, quod genus lustrationis ex Arcadia Pallante eo transferente, venisse dicunt.* Ideo *Ovidius.* 5. *Fastor.*

Proxima Vulcani lux est. Tubilustria dicunt.
- Lustrantur puræ, quas facit ille, tubæ.

Tubilustrium vero Romæ habebatur X. Kalendas Aprilis, qui Martii dies XXIII. & X. Kalendas Junii, qui Maji pariter XXIII. amboque dies isti Nefasti primo fuerunt.
TVD. / TVDER. / TVDERT. } Tudertano. *Manutius.*
Tudertinus. Legi, cum *Carolo Stephano in Lexic. Geograp.*
TVL. Tullia. Tribus legit *Manutius.* At de Tribu Tullia nulla, quod sciam, mentio apud auctores, neque in lapidibus.
Tullius. *Probus. Ms: Zabarella. Saraınas. Appianus. Lazius. Manutius.*
Tutela. *Probus. Manutius.*
T. V. F. Titulum Vivens Fecit, *vel* Voluit Fieri.
TVLL. Tullus. *Erizius. Scaliger.*
TVL. H. Tullus Hostilius. *Probus. Manutius.* Tullus prænomen fuit, siquidem Auctor *Epitomes de Nomin. Rat.* scriptum reliquit: *Et Tullus prænominatus est ominis gratia, quasi tollendus, O litera in V conversa.* Ab hoc prænomine Tulliam gentem accepisse nomen, auctores sunt mihi *Sigonius de Nomin. Roman.* & *Panvinius de Antiq. Nomin.* atque idipsum prænomen deinde in cognomen transiisse, me pariter docent Fasti, & antiqua numismata. In Fastis quippe ad annum urbis DCCLXXXVIII. Consules notantur M. Æmilius Lepidus & L. Volcatius Tullus. In numismatibus cusum est nomen M. Mæcilii Tulli Triumviri Monetalis.
TVR. Turma. *Scaliger.*
TVRM. II. EQVIT. RO. Turma Secunda Equitum Romanorum.
TVT. Tutela. *Probus. Ms: Zabarella Saraınas. Appianus. Lazius. Manutius.*
TVTELAR. S. Tutelaribus Sacrum.
TVTVL. V. Tituli usus. *Probus. Passeratius. Laurentius.*
Tutelaribus Vovit.
Θ XIII. Defunctus Viginti tribus, *hoc est*, Defunctus Annorum Viginti trium.

V. Valde.

V.

V. Valde. *Manutius.*
V. Vale. Valeo. *Sarainas. Manutius.*
V. Valerius. Ubi. *Manutius.*
Vel. *Magno. Papias. Manutius.*
Velut. Veluti. *Manutius.*
Veniet. *Diaconus. Manutius.*
Ventre. *Probus Ernstii.*
Ver. *Manutius.*
Vero. *Diaconus. Ms: Rhodii.*
Verum. Vestales. Vestæ. *Sarainas. Manutius.*
Vestem. *Probus Ernstii.*
Vester. *Diaconus. Manutius.*
Vestræ. *Sarainas.*
Vetat. *Sarainas. Manutius.*
Veteranus. *Manutius. Scaliger.* Veterani proprie erant, qui militia solvebantur, ubi per legitimum tempus militassent; horum præmia & privilegia, qui scire cupit, *Justum Lipsium de Milit. Roman. lib. 5. Dialog.* 19. & *Joannem Antonium Valtrinium de Re Militar. Romanor. lib. 6. cap. 7.* consulat: fuse namque de illis agunt.
Veteri. *Sarainas. Manutius.*
Vicit. *Probus Ernstii. Diaconus. Sarainas. Manutius.*
Victor. *Probus Ernstii. Diaconus. Manutius.*
Victoriati nummi *Augustinus.* In numismatibus antiquorum.
Videbit. *Sarainas. Manutius.*
Videtur. Vindicta. *Manutius.*
Vindictam. *Sarainas. Manutius.*
Vir. *Probus. Ms: Zabarella. Sarainas. Manutius.*
Vires. *Sarainas.*
Virgo. Viro. Virtus. *Sarainas. Manutius.*
Vilus. *Manutius.*
Vita. *Sarainas. Manutius.*
Vitellius. *Probus Ernstii. Diaconus. Manutius.*
Vivens. *Sarainas. Manutius.*
Vivum. *Scaliger.* In sepulcralibus, si nominibus propriis V. præpositum sit, vivum denotare observatum est.
Viva.
Vivus. *Sarainas. Manutius.*
Vixit. Passim in sepulcralibus cippis.
Universi. Unum. Vocat. *Sarainas. Manutius.*
Vocavit. *Manutius.*
Volentibus. *Sarainas. Manutius.*
Volera. *Servius.* Prænomen mulieris.
Volero.
Volerus. *Scaliger.* Volero prænomen fuit, quod *Volentibus nasci liberis parentibus indebatur.* Ita Auctor *de Nomin. Ration.* cui adstipulatur *Panvinius. Sigonius* vero pro *Volentibus*, *Nolentibus* habet. Hoc prænomen rarius usitatum a Romanis observo, ita ut in desuetudinem abiisse ex antiquis monumentis liceat colligere.
Volo. Voluit. *Manutius.*
Volusus. *Scaliger.* Volusus Sabinorum prænomen fuit, antiquissimo tempore a Valeriis usurpatum, apud quos postea in cognomen transiisse Fasti docent, in quibus sæpe legitur C. Valerius L. F. Volusi N. Potitus, Volusus C. Valerius Potitus Volusus.
Vopiscus. *Scaliger.* Vopiscus prænomen illorum, *qui in utero matris gemini concepti, altero abortu ejecto, alter incolumis editus fuerat.* Auctor *Epitomes de Nomin. Rat.* cui *Sigonius* & *Panvinius* subscribunt. Prænomen hoc secutis temporibus cognomen evasit, communeque fuit, *Glandorpii* observatione *in Cognomin. Indic.* Flaviis & Pompejis; addo ego & Maniliis anno, siquidem V. C. DCCCLXVII. Imperatore Cæsare Nerva Trajano TR. P. XVI. & XVII. COS. VI. P. P. IMP. VI. In libro secundo Fastorum, juxta Panvinianam supputationem, consules designantur Q. Ninius Hasta Et P. Manilius Vopiscus, quorum Consulum monumentum etiam visitur in *Gruteriano* opere *pag.* 214. t.
Votn. *Sarainas.* In votivis.
Votum. Vovit. Urbs. Urbis. *Sarainas. Manutius.*
Usum. *Manutius.*
Usus. *Sarainas.*
Vult. *Sarainas. Manutius.*
Uxor Vicit. Vires. Vestræ. Quadrans. Quinctum. *Manutius.*
Quinque. Passim ubi V. locum numeri tenet.
V. *Si in termino inveneris, terminum in solem meridianum ostendit per limitem orientalem.* Auctores de Limit. Agrorum.
V'. Veluti. *Manutius.*
V̄. Quinquies. *Rubens.*
Quinque Millia. *Antiquus Codex de Notis Numerorum.*
Quintum. *Goltzius.* Quintum, non numerum, sed tempus designat, ut Consul Quintum, Imperator Quintum.
Vel. Ver. *Diaconus. Manutius.*
ɥ. Vel. *Ms: Rhodii.*
X/. Vestes. *Ms: Rhodii.*
V.A. Veterano Assignatum. *Probus. Ms: Zabarella. Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius.* In monumentis, ubi mentio agrorum militibus assignatorum.
Vixit Annis.
VA. Valeria. Valerius. *Gratiosus.*
V. AED. Viro Ædilitio. *Scaliger.*
V. AET. Virtus Æterna. *Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius.*
V. A F. Vivus Aram Fecit. *Scaliger.*
V. A. I. D. Vivus Aram Jussit Dedicare. In Dis dicatis lapidibus.
Vivus Aram Jussu Dedit. *Scaliger.*
V. A. I. D. XI. Vixit Annum Unum Dies Undecim. In sepulcralibus puerorum.
V. A. L. Vixit Annos Quinqusginta. *Scaliger.*
Votum Animo Libens. In votivis.
VAL. Vale. *Sarainas.*
Valeria. *Manutius. Rubens. Gualtherius.*
Valerianus. *Probus Ernstii. Diaconus. Manutius.*
Valerius. *Probus. Ms: Zabarella & Rhodii.* Cum cæteris.
VAL. BYZAC. Valeriæ Byzacenæ. *Scaliger.*
VAL. C̄S. Valerius Cæsar. *Probus Ernstii. Diaconus. Ms: Rhodii. Magno. Papias. Manutius.*
Valerianus Cæsar. *Sarainas.*
Valerius Crispus. *Manutius.*
VALE. Vale. *Sarainas.*
VALENT. Valentini. Cives scilicet.
V. A. L. H. S. E. Vixit Annis Quinquaginta Hic Situs Est. In sepulcralibus, cum subsequentibus.
V. A. L. M. X. D. III. Vixit Annis Quinquaginta Mensibus Decem Diebus Tribus.
V. A. L. S. Votum Animo Libens Solvit. In votivis.
V. A. LV. Vixit Annis Quinquaginta Quinque.
V. A. LX. H. S. E. Vixit Annis Sexaginta Hic Situs Est.
V. A. M. D. H. Vixit Annis Mensibus Diebus Horis.
V. A. M. D. H. S. Vixit Annos Menses Dies Horas Scripulos. *Probus Ernstii.*
VAT. Vates. *Probus. Ms: Zabarella. Appianus. Lazius. Manutius.*

Vatinius. *Sarainas. Manutius.*
Vatum. *Probus. Manutius.*
V. A. V. Vixit Annis Quinque.
V. A. V. M. V. D. XV. Vixit Annis Quinque Menfibus Quinque Diebus Quindecim.
V. A. IXX. Vixit Anuis Decem Novem.
V. A. X. Vixit Annis Decem.
V. A. XI. Vixit Annis Undecim. *Probus.*
V. A. XII. M. II. D. III. Vixit Annis Duodecim Menfibus Duobus Diebus Tribus. *Appianus. Lazius. Manutius.*
V. λ. XXX. Vixit Annis Triginta. Lambda Græcum pro A. acceptum, nisi fugerit ab A interfecans linea.
V. B. Vir Bonus. *Gratiofus.*
Viro Bono. *Scaliger.*
VB. Vobifcum. *Diaconus. Manutius.*
VB. Verba. *Magno.*
V. B. A. Viri Boni Arbitratu. *Probus. Ms. Zabarella.* Fereque cæteri omnes.
V. B. F. Vir Bonæ Fidei. *Probus. Ms. Zabarella. Sarainas. Appianus. Lazius.*
VBI. Urbi. *Diaconus. Manutius.*
V. C. Vale Coojux. Vivens Curavit.
Vir Clariffimus. *Probus,* Cæterique alii.
Viro Clariffimo. *Pancirollus. Gutherius.* Clariffimi Titulus ad quos fpectaret, *Pancirollus* docet *in Notit. Utramq.*
Vir Clarus *Manutius.*
Vir Confularis. *Probus. Ms: Zabarella. Appianus. Lazius. Manutius. Gutherius.*
Vivus Curavit. *Scaliger.*
Urbs Condita. *Manutius. Burchiellatus.*
Quintæ Cohortis. Quintum Conful. *Manutius.*
Quinti Confulis. *Probus.*
V. C. } V. C } Vir Clariffimus. Vir Clarus. *Manutius.*
VC. Ufucapio. *Magno.*
VC. Uxor. *Manutius.*
VC AFRIC. Vicarius Africæ.
V. CAL. FEBR. Quinto Calendas Februarii.
V. C. C. Viro Clariffimo Confule.
V. C. C. F. Vale Conjux Cariffima Feliciter. *Diaconus. Manutius.*
V. C. CO. } V. C. COS. } Viro Clariffimo Confule.
V. C. CONS. PRAEF. VRB. Vir Clariffimus Conful Præfectus Urbi.
V. C. COR. Vir Clariffimus Corrector. In faxis, in quibus dignitatum eft meotio, cum infrafcriptis.
V. C. CONS. P. PRAEF. VRB. Vir Clariffimus Conful Pro Præfectus Urbi. Si tamen recte hoc in faxo *pag.* 193. 8.

TIB. FABIVS. TITIANVS
V.C. CONS. P. PRAEF. VRB
CVRAVIT

Dummodo P. incuria typographi noo redundet: nam ibi hujus Fabii Titiani extant epigrammata, in quibus *Vir Clariffimus Conful Præfectus Urbi* dicitur abfque illo P.
V. C. COS. ORDIN. Vir Clariffimus Conful Ordinarius. Ordinarii namque Coofules erant primo electi, quibus fuccedebant Suffecti.
V. C. ET. INL. Vir Clariffimus Et Inluftris.
V. CL. Viro Clariffimo. Vir Clariffimus.
V. CL. PR. VRB. Vir Clariffimus Prætor Urbis. In lapidibus, ubi Magiftratus memorantur.
V. COS. Quintum Conful.
V. COSS. Voluerunt Confules. *Diaconus. Manutius.*

V. C. P. Vivens Curavit Ponendum. In fepulcralibus.
V. C. PF. V. Vir Clariffimus Præfectus Urbi. Io Magiftratuum monumentis.
V. C. P. P. Vir Clariffimus Præfectus Prætorio. In dignitatum faxis.
Vivens Curavit Propria Pecunia. In fepulcralibus.
V. C. P. P. HISP. CIT. Vir Clariffimus Præfectus Prætorio Hifpaniæ Citerioris.
V. C. PRAEF. VRB. Vir Clariffimus Præfectus Urbi.
V. C. P. T. Vir Confularis Provincia Tarraconenfis. *Scaliger.* Io dignitatum cippis.
Vivens Curavit Poni Titulum. In mortuorum faxis.
V. C. RECT. PROV. Vir Clariffimus Rector Provinciæ. Ubi de dignitatibus eft mentio.
VCS. Uxor *Probus.*
V. D. Vefter Devotus, Victor Dedit. Vinum Dilutum. *Manutius.*
Vir Devotus. *Pancirollus, Manutius. Gutherius.*
Vir Dictatorius. *Manutius.*
Vivens Dedit, *vel* Dedicavit. *Sarainas. Manutius.*
Vivens Donavit. *Manutius.*
Vivus Dedit. *Probus, Appianus. Lazius. Manutius.*
Vivus Dedicavit. *Appianus. Lazius. Manutius.*
Vivus Donavit. Volentibus Diis. *Manutius.*
Votum Dedit.
V. D. Vir Doctus. In Roma Subterranea.
V. D. A. Vale Dulcis Amice. *Diaconus. Manutius.*
Vale Dulcis Anima. Aliquando in fepulcralibus, prout etiam *Vale Dulcis Animula. Suavis Anima Innocentiffima.* In fepulcralibus.
Vixit Diebus Annis. *Manutius.* Quem non fequor: antiqui enim femper annos ante dies in lapidibus enumeraverunt.
V. D. D. Vivens Dono Dedit, *feu* Dedicavit.
Votum Dedicatum. *Scaliger.* In votivis.
V. DICT. Vir Dictatorius. *Probus. Ms: Zabarella. Sarainas. Lazius. Manutius.* Dictatorii viri dicebantur, qui Dictatura functi erant, uti Viri Confulares & Prætorii, qui Confulatus & Præturæ bonores meruerant. Juvenis vero Confularis, Prætorius, & Dictatorius ille fuit, qui ex patre Confulari, Prætorio, Dictatoriove ortum duxerat, quod patet ex *Livio,* qui *Hift. lib.* 7. narrat M. Pomponium Trib. Pl. diem dixiffe L. Manlio Imperiofo, qui in carcerem filium dederat *fummo loco nato dictatorium juvenem, quotidiana miferia difcentem, vero Imperiofo fe natum effe.*
VDL. Videlicet. *Papias.*
V. D. N. V. Vale Decus Noftræ Urbis. *Diaconus. Manutius.*
V. D. P. R. L. P. Unde De Plano Recte Legi Poffit. *Appianus. Manutius. Briffonius.* Qui *de Formul lib.* 3. obfervavit hæc in edictis follemnia fuiffe verba; ideo Aufonius in gratiarum actione pro Confulatu ad Gratianum: *Has ergo literas tuas in omnibus pilis atque porticibus, Unde de plano legi poffent, inftar edicti pendere mandavero.*
Ut De Plano Recte Legi Poffint. Ita io *l.* 7. *§. De quo. ff. Inftit. de Act.*
V. D. P. S. Vir Devotus Privato Sumptu. Vivens De Pecunia Sua, *vel* Vivus. *Manutius.*
V. E. Verum Etiam. *Probus. Ms: Zabarella. Sarainas. Appianus. Lazius.*
Vir Egregius. *Scaliger.*
Vir Excelfus. *Manutius.*
Vifum Eft. *Diaconus. Manutius.* In votivis.
Votum

Votum Ejus. *Manutius.*

VE. Veteranus. *Gratiosus. Scaliger. Servius.* In militaribus.

Veterani. *Zamoscius.*

Vesuntium. Vesuntuni. In saxo *pag.* 258.4.

VE.COS. Veteranus Consulis.

V.E.D.F. Vir Egregius Decimi Filius.

V.E.D.N.M.Q.E. Vir Egregius Devotus Numini MajestatiQue Ejus. In monumentis Imperatorum, cum subsequenti.

V.E.DVCEN. Vir Egregius Ducenarius.

V.E.F. Vivens Ei Fecit. Vivens Erigere Fecit. Viro Egregio Fecit. In sepulcralibus.

VEFL. AVG. PP. Veflamen Augusti Perpetuus. *Scaliger.*

VEIEN. Vejentina. *Brissonius. Scaliger.* Vejentinam Tribum ab agro Vejentino appellatam non est qui nesciat; hæc cum Clustumina cæteris addita fuit anno Urbis conditæ CCLIIX.

VEL. Velina. *Brissonius. Manutius. Scaliger. Gallus.* Velina Tribus, una cum Quirina, cæteris addita fuit anno Urbis DXIII. a Velino lacu, potius quam a Velia urbe Lucaniæ dictam credit *Panvinius Descript. Civit. Roman. lib.* 2.

Veliti. *Symeonius.* Perperam tamen loco Velinæ Tribus, ut paulo inferius nota VOL. observabitur.

VELL. Vellina. Tribus.

VE.L.X.G. Veteranus Legionis Decimæ Gemellæ.

VENALIC. Venalacius. In saxis artium & negotiatiorum.

VENAT. Venationem.

VE.PP. Veflamen Perpetuus. *Scaliger.*

V.E.PROC. AVG.C. Vir Egregius Procurator Augusti Cæsaris, *vel* Curavit. In monumentis Imperatoribus dicatis.

VESP. Vespasianus. *Ms: Rhodii.*

VESP. CS. Vespasianus Cæsar. *Ms:. Rhodii. Magno.*

VESP. F. Vespasiani Filius. In saxis Imperatorum.

VER. Verona. Verum.

VERB.N.II. Verbeces Nefrendes Duos. *Gutherius.* In sacrificiis Deæ Diæ.

VER.CAR.OGVL. Vergilius. Carisius. Ogulnius. In nummis argenteis Vergiliæ Carisiæ & Ogulniæ gentis communibus.

VEST. Vestalia. *Varro.* In Kalendario Romano.

Vestæ Sacrum & Feriæ Vestæ. *Scaliger.* Vestalia ait *Varro de Ling. Lat. lib.* 5. dies erat, in quo Virgines Vestales Vestæ sacrificabant, isque dies unus illorum fuit, in qua penus aperiebatur *Festi* observatione. *Penus* vero *vocabatur locus intimus in æde Vestæ, tegetibus septus*, prout legit *Scaliger* in Castigationibus ad eundem, *qui certis diebus circa Vestalia aperiebatur, iique dies religiosi habebantur.* Vestalia autem & Feriæ Vestæ celebrabantur, ut ex Kalendario constat, quinto Idus Junii, qui ejusdem mensis octavus, eratque Nefastus totus. De Vestalibus *Ovidius* 6. *Fastor.* ubi canit:

Vesta fave: tibi nunc operata resolvimus ora.
Ad tua si nobis sacra venire licet.

VEST. N. F. PR. Vestæ Nefas Prætori. *Manutius. hoc est*, Vestalia Prætori *Do Dico Addico* fari non licebat.

V. ET. Verum Etiam. *Probus Ernstii. Ms: Rhodii. Magno. Sarasnas.*

VET. Veteranus. *Manutius.* In Militaribus saxis.

Veturia. *Brissonius. Scaliger.* Veturiam Tribum a gente Veturia nomen mutuatum, vetere relicto, auctor est *Panvinius Descript. Civit. Roman. lib.* 2. quod & confirmat *Sigonius de Antiquit. Jur. Civit. Romanor. lib.* 1. *cap.* 3. nomen tamen vetus reticent, atque nihil aliud habent, nisi hanc Tribum unam illarum fuisse, quas Servius Tullius quatuor primis Urbanis addidit, Rusticas, ut videtur *Sigonio* loco citato, ab ruris, idest, agri partibus nuncupatas. itaque Veturia veteri nomine relicto, quod alicujus agri esse poterat, gentis Veturiæ nomen assumpsit.

VET. AS. Veterano Assignatum. *Sarasnas. Manutius.* In militaribus, cum subsequentibus omnibus.

VET. ASS. Veterano Assignatum. *Manutius.*

VET. COH. Veteranus Cohortis.

VET. ET. IVN. Veteres Et Jovenes.

VET. EX. OPT. Veteranus Ex Optionibus.

VET.EX.NVM.FRVM. Veteranus Ex Numero Frumentario. *Manutius.*

Veteranus Ex Numero Frumentariorum.

VET. LEG. Veteranus Legionis. Quicumque ex numero Cohortalium, Optionum, Frumentariorum, Legionariorum, cæterorumque ordinum militiæ erat, honesta seu justa missione missus, Veterani nomen promeruerat. Observat enim *Robertus Valtrinius lib.* 8. *De Re Milit.* ex *Modestino*, quod *omnis qui qualitercumque militaverat & honeste erat absolutus, is Veteranus erat.*

VET. LEG. XXX. V. V. Veteranus Legionis Trigesimæ Valentis Victricis. In militaribus.

VET. PROC. AVG. Veteranus Procurator Augusti. In officiis Domus Augustæ.

V. F. Valde Feliciter. *Probus. Manutius.*

Vale Feliciter. *Probus. Ms: Zabarellæ. Appianus. Lazius. Manutius.*

Vale Felix. *Manutius.*

Verba Fecit. *Scaliger. Gutherius.* In Legibus & Plebiscitis & quidem in capite eorundem.

Verba Fecerunt. *Scaliger.* In Legibus.

Viæ Flaminiæ. *Manutius.*

Vir Fortis. *Probus: Ms: Zabarellæ. Appianus. Lazius. Manutius.*

Vir Frugalis. *Manutius. Servius.*

Viro Fidelissimo. Visum Fuerit. *Scaliger.*

Vivens Fecit. *Probus.* Et cæteri, passimque in sepulcralibus.

Viventes Fecerunt. *Trinagius.*

Vivus Fecit. *Probus. Sarasnas. Manutius. Scaliger.*

Voluerunt Fieri. Voluit Fieri. Votum Fecit. In sepulcralibus & votivis.

Usum Fructum. *Magno.*

Usus Fructus *Probus. Ms: Zabarellæ. Gratiosus. Sarasnas. Lazius. Manutius.*

V.F.C. Viam Faciendam Curavit. *Probus. Manutius.*

Victoriæ Felicitatis Cæsaris. *Scaliger.*

Vivens Faciundum Curavit. *Brissonius. Manutius.* In sepulcralibus.

V.F.D.M. Vivens Fecit Dis Manibus. In sepulcralibus, cum infrascriptis.

V.FECER. Viventes Fecerunt.

V.F.F. Vivens Fieri Fecit. *Scaliger.*

V. FF. Viventes Fecerunt. *Probus Ernstii.*

V.F.G. Valuerunt Fieri Gratis. Lego in saxo *pag.* 1028. 1.

V.F.I. Vivens Fieri Jussit, *vel* Instituit.

V.FI. Valerii Filius. *Scaliger.*

V.F.H.M.H.N.S. Vivens Fecit Hoc Monumentum Heres Non Sequitur.

V.F.N.M.N.S. Vivens Fecit Novum Monumentum Nomine Suo. in sepulcralibus.

V.FR.

V.FR. Vir Fortis. *Probus. Manutius.*
Vir Frugalis. *Sarainas. Manutius.*
Usus Fructus. *Probus. Appianus. Lazius. Manutius.*
V.F.S. Vivens Fecit Sibi. Voluit Fieri Sepulcrum. *Brissonius.* In sepulcralibus.
V. F. S. E. CO. S. B. M. Vivens Fecit Sibi Et Conjugi Suæ Bene Merenti.
V.F.S.E.S. Vivens Fecit Sibi Et Suis.
V.F.S S. Vivens Fecit Sibi Sepulcrum. Vivens Fecit Sibi Suis. *Sarainas. Manutius.*
V.Ḡ. Verbi Gratia. *Magne.*
VG. Virgo. *Papias. Gratiosus.*
V. H. B. P. Venit Hodie Bona Pecunia, *vel* Persona. Verus Heres Bonorum Possessor, *seu* Vetus. *Manutius.*
V. H. II. V. Vos Habetis Judices Vestros. *Probus Ernstius.*
V. H. S. F. M. Vivens Hoc Sibi Fecit Monumentum, *seu* Vivus. Vivens Hoc Sibi Fieri Mandavit. *Manutius.*
V.I. Vir Illustris. *Probus. Manutius. Pancirollus.* Qui, quorum hic titulus esset, *in Notitiam Utramque* abunde docet.
Vir Justus. *Probus. Ms: Zabarella. Appianus. Lazius. Manutius.*
VI. Sex. Semper, ubi hæc nota loco numeri habetur.
VI. AN. LX. Vixit Annis Sexaginta.
VIB. Vibens, *hoc est*, Vivens.
VIBAS. Vivas. In Roma subterranea.
VIBO. Vivo. In Roma subterranea.
VIC. Vicarius.
Vicentia. *Trinagius*
Vicit. Victor. *Manutius.*
Victoria. *Manutius.*
Victoria.
Victores. *Probus. Ms: Zabarella. Sarainas. Manutius.*
Victrix. *Angelonus.*
Vixit. Prout in saxo *pag.* 733. 11.
VI.C. Vicentina Civitas. *Trinagius.*
VIC. AVG. Victoria Augusti. *Pancirollus.* In nummis Impp. frequenter
VICC. Victores. *Probus. Manutius.*
VIC. CIMB. Victoria Cimbrica. In nummo argenteo pulcherrimo, penes comitem & equitem Joannem de Lazara, concivem meum splendidissimum, de qua victoria io LXVIII. Epitome Livii hæc habentur: *Catuli & Caji Marii exercitibus, prælio victi sunt ab eis; in quo cæsa traduntur hostium centum quadraginta millia, capta sexaginta.* Unde *Vellejus Paterculus lib.* 2. scripsit: *Populus Romanus non alium repellendis tantis hostibus magis idoneum Imperatorem, quam Marium, est ratus.*
VIC. DAC. Victoria Dacica. *Angelonus.* In Nummis Trajani, de qua *Dio* in ejus vita: *Trajanus, triumpho ob victoriam acto, acceptoque Dacici cognomine, in Theatro gladiatores commisit.*
VICE. S. I. Vice Sacra Iudicans.
VIC. GER. }
VIC. GERM. } Victoria Germanica. In An-
VIC. GERMA. }
tonino Philosopho, de qua in eo *Dio* sic scribit: *Quum autem Marcomannis in aliquo prælio bene successisset, ab iisque Vindex Marci legatus interfectus esset, tres ei statuas posuit; illis vero superatis, Germanicus appellatus est.*
VIC. GERM. P. M. TR. P. V. COS. III. P. P. Victoria Germanica Pontifex Maximus Tribunicia Potestate Quinquies Consul Ter Pater Patriæ *Hulsius.*
V. I. C. P. Vir Illustris Comes Patrimonii. *Gutherius.*

VIC. PAR. Victoria Parthica.
VIC. PARTH. Victoria Parthica. *Erizius.* In Lucio Vero. de qua Julius Capitolinus in ejus vita hæc habet: *Duces autem confecerunt Parthicum bellum, Statius Priscus, & Avidius Cassius, & Martius Verus, per quadriennium, ita ut Babylonem & Mediam pervenirent, & Armeniam vendicarent: partumque est ipsi nomen Armenici, Parthici, Medici, quod etiam Marco Romæ agenti delatum est.*
VIC. PRAEF. Vicarius Præfectus. *Gualtherius.* Vicarius Præfecti. Vice Præfectus.
VIC. S. Victoria Sicula. *Goltzius.*
VICSIC. Vixit. Ita legendum in saxo Romæ Subterraneæ *T.* 2. *lib.* 4. *c.* 37.

GAVDENTIO FECERVM FRATRI QVI VICSIC ANNIS XXVIIII M VIII D. XVII. D. M

VICT. Victores. *Appianus. Lazius.*
Victoria.
VICT. AC. TRIVMPH. Victor Ac Triumphator.
VICT. AETERN. Victoria Æterna. In Caracalla & Geta fratribus Imperatoribus.
VICT. ASSYR. Victoria Assyriæ. In Trajano, ad quam respexit ita in eo *Dio*: *Romani flumen transeunt, Adiabenemque omnem (quæ Assyriæ circa Ninum pars est) in suam potestatem redegerunt.*
VICT. AVGG. Victoria Augustorum. In Severo.
VICT. BRIT. Victoria Britannica. *Erizius.* In Severi patris, Caracallæ, & Getæ filiorum Imperatorum nummis, de qua Spartianus in Severo: *Britanniam (quod maximum ejus imperii decus est) muro per transversam insulam ducto, utrimq; ad finem Oceani munivit; unde etiam Britannici nomen accepit.*
VICT. CAES. Victoria Cæsaris. *Manutius. Gruterus. Scaliger.*
VICT. DD. NN. COL. ANTIOCH. Victoria Dominorum Nostrorum Colonia Antiochia. *Angelonus.* In Getæ nummis. ad quæ forte Herodianus in ejus vita ita respexit: *Sedes Imperii sui Geta destinabat Antiochiam, vel Alexandriam, urbes magnitudine, ut quidam existimabant, haud longe infra Romam.* &c.
VICT. PAR. MAX. Victoria Parthica Maxima. In Severi & Caracallæ nummis. De hac Herodianus in Severo: *Ita Severus fortuna magis, quam consilio, Parthicam victoriam adeptus est.* & in eodem Ælius Spartianus: *Quare, cum obsistentibus Parthis, fluente quoque per insuetudinem cibi alvo militum, longius ire non posset, tamen perstitit & oppidum cepit* (Ctesiphontem nempe) *& regem fugavit, & plurimos interemit, & Parthicum nomen meruit. Ob hoc etiam, filium ejus Bassianum Antoninum, qui Cæsar appellatus jam fuerat, annum decimum tertium agentem, participem Imperii dixerunt milites.*
VICTR. Victoria.
VIC. VRB. ROM. Vicario Urbis Romæ.
VI. F. Vivens Fecit. Vivis Fecit. Vivus Fecit. Voluit Fieri. Votum Fecit.
ꟻIꟻAM Vivam. Quod digamma Æolicum, de quo litera F.
VI. G. Verbi Gratia. *Probus Ernstii. Diaconus.*
V̄I. G. Verbi Gratia. *Manutius.*
VIG. Vigilavit. Vigiliæ. *Sarainas. Manutius.*
Vigilum. *Manutius. hoc est*, Cohortium.
VII. Septem. Ubique enim numeri loco nota.
VI. ID. DEC. Sexto Idus Decembris.
VI. ID. SEB. Sexto Idus Septembris.
VI. ID. IVL. Sexto Idus Julias.
VII. VIR. EPVL. Septem Vir Epulonum.

Illi,

isti, *Livio teste, Hist. lib.* 33 tres primo instituti fuere anno Urbis DLVIII. Syllæ vero temporibus, quatuor additos, & septem factos observat *Panvinius Descript. Civit. Roman. lib.* 2. expendens illud *Lucani* 2. *de Bell. Pharsal.*

Septemvirque epulis festus, Titiusque sodalis.

Cui *lib.* 4. *Antiq. Roman. cap.* 23. accedit *Rosinus.* De istis *Pomponius Lætus de Sacerd. Rom. c.* 14. *Floccus de Potest. Rom. lib.* 1. *cap.* 14 *Alexander ab Alexandro Gen. Dier. lib.* 3. *cap,* 16. *Lilius Gyraldus Hist. Deor. Syntag.* 17. *Volaterranus Comment. Urbanor. lib.* 29. *Lazius Comment. Respub. Roman. lib.* 3. *cap.* 30 *Panvinius* & *Rosinus* locis citatis.

VIII. K. OCT. Octavo Kalendas Octobris.

VIII. VIR. Octo Vir. *Scaliger.*

Octumvir.

VIII. AMITER. Octumvir Amiterni. Urbs olim Vestinorum in Aprutio Amiternum, celebris & ampla, ut rudera testantur, nunc pagus, vulgo *S. Vittorino.*

VIII. VIR. II. QQ. Octo Vir Iterum Quinquennalitius. *Scaliger.*

VILIC. Vilicus.

V. IMP. Vespasianus Imperator *Papias.*

VIN. Vinalia. *Manutius. Gruterus. Scaliger. Rosinus.* Vinalia apud Romanos duplicia, prima celebrata IX. Kalendas Maji, hoc est, Aprilis die vigesimo secundo, in kalendario antiquo, simplici hac nota VIN. expressa: *Vinalia a Vino. Hic dies Jovis, non Veneris,* ait *Varro de Ling. Lat. lib.* 5. quem tamen de secundis, non autem de primis Vinalibus verba fecisse, a *Scaligero* in Castigationibus ad *Festum* suadeor; siquidem Vinalia mensis Aprilis, Veneri dedicata fuisse scripsit, scilicet quæ *Plutarchus in Quæstionibus Romanis* Veneralia nominat, & quæ *Plinius Hist. Nat. lib.* 18. *cap.* 29. vocat *Vinalia priora, quæ ante hos dies sunt, IX. Kalendas degustandis vinis instituta, nihil ad fructus attinentia.* Vinalia namque priora Veneri dicata fuisse satis constat, ex *Ovidio Fast. lib.* 4.

Numina vulgares Veneris celebrate, puellæ,
Multa professarum quæstibus apta Venus. &c.

Quæ ideo sic vocat, quia meretrices Eryciniæ sacrificabant Veneri.

VIND. MA. A. C. X. Vindicta Manumisso Aureos Centum Decem. *Manutius.*

VIN. F. P. Vinalia Fas Prætori. *Manutius.*

Vinalia Fastus Primo. *Rosinus.*

Vinalia Feriæ Publicæ. *Gruterus.* Cui præ cæteris lubens accedo; siquidem hæc erant Vinalia secunda, Romæ celebrata XII. Kalendas Septembris, qui Augusti dies vigesimus, quæ Rustica Vinalia ita *Festus* vocat: *Rustica Vinalia quartodecimo Kalendas Septembris celebrabantur, quo die primum vinum in urbem deferebant, eoque die vinum novum Jovi libabant.* Hæc tamen Vinalia duodecimo kalendas Septembris celebrata scribit *Varro de Ling. Lat. lib.* 5. *Vinalia Rustica dicuntur ante diem duodecimum Kalendas Septembris, quod tum Veneri dedicata ædes, & orti ejus tutela adsignantur, ac tum sunt feriati olitores.* Quam tamen auctorum diversitatem conciliari facile posse credo, si observatum erit Vinalia mense Augusto duobus diebus celebrata. Vinalia secunda decimo tertio kalendas Septembris, de quibus etiam *Plinius lib.* 18. *cap.* 29. *Hist. Natural.* & *Vinalia Rustica*, quæ duodecimo, a *Varrone* cum Vinalibus secundis confusa.

V. INL. Vir Inlustris. *Pancirollus.*

VIOL. Violentia.

VI. R. Sexies Romæ. *Scaliger.*

VIR. Virgilius. *Probus. Manutius.*

Virgo. *Diaconus. Ms: Rhodii. Magno. Manutius. Servius.*

Virtus. *Manutius.*

Virtutes. *Probus. Ms: Zabarella. Manutius.*

VIRAL. Sevirialis. In monumento *pag.* 444 3.

VIR. B. M. Viro Bene Merenti.

VIR. C. Vir Clarissimus. *Trinagius.*

VIR. DIAN. Vigini Dianæ.

VIRG. Virgo. *Servius.*

VIRT. AETER. AVG. Virtus Æterna Augusti. In Commodo.

VIRT. AVG. Virtus Augusti. In Hadriano.

VIRT. AVGG. Virtus Augustorum. In Severo.

VIRT. AVGG. ET. CAESS. NN. Virtus Augustorum Et Cæsarum Nostrorum. *Hulsius.*

VIR. V. Virgo Vestalis. *Ms: Rhodii. Magno.*

VIR. VE. Virgo Vestalis. *Probus. Ms: Zabarella. Manutius.*

VIR. VEST. Virgo Vestalis.

VI. ET. S. Sex Et Semis. *Manutius.*

VIT. X. Vicit Decies. *Sarainas. Manutius.* In cippis Agitatorum Circensium.

VI. V. Sextum Vir.

VI. V. Sextum Vir. *Manutius.*

VIVI. F. S. Vivi Fecerunt Sibi.

VI. VIR. SeVir. Sex Vir. *Scaliger.*

Sextumvir. *Probus. Ms: Zabarella. Sarainas. Apianus. Lazius. Manutius.*

VI. VIR. AQVIL. Sextumvir Aquilejæ.

VI. VIR. AVG. Sevir Augustalis. *Lazius.*

Sextum Vir Augur. *Servius.*

SextumVir Augustalis. *Gallus. Rubens. Angelonus.*

VI. VIR. AVG. MAG. IVV. SextumVir Augustalis Magister Jovenum.

VI. VIR. AVG. QVIRIN. SextumVir Augustalis Quirinalis.

VI. VIR. AVG. TERG. ET. POL. SextumVir Augustalis Tergeste Et Polæ.

VI. VIR. EPOR. SextumVir Eporediæ.

VI. VIR. ET. AVG. SextumVir Et Augustalis, *seu* Augur.

VI. VIR. ET. AVG. COM. Sextum Vir Et Augustalis Comi, *seu* Augur.

VI. VIR. FL. AVG. SextumVir Flamen Augusti.

VI. VIR. I. D. PRAEF. FABR. Sextum Vir Juri Dicundo Præfectus Fabrum.

VI. VIRI. MVNICIP. PRIVERN. DD. SextumViri Municipii Privernatis Dedicaverunt, *seu* Dono Dederunt.

VI. VIR. IVN. SextumVir Juniorum.

VI. VIR. IVN. HAST. SextumVir Juniorum Hastatorum.

VI. VIR. IVN. PONTIF. ET. DECVR. SextumVir Juniorum Pontifex Et Decurio.

VI. VIR. MEDIOL. SextumVir Mediolani.

VI. VIR. SEN. SextumVir Seniorum.

VI. VIR. SEN. ET. AVG. C. DD. Sextum Vir Seniorum Et Augustalis Coloniæ Dedicavit, *vel* Et Augur Coloniæ Dono Dedit.

VI. VIR. VRB. SeVir Urbanus. *Lazius.*

VIV. SIB. FEC. Vivus Sibi Fecit, *seu* Vivens. In sepulcralibus.

VIVV. Vivo. In Roma Subterranea.

VIX. Vixit. *Probus. Ms: Zabarella. Sarainas. Manutius. Servius.*

VIX. A. LIIX. Vixit Annis Quinquaginta Octo.

VIX. AN. FF. C. Vixit Annos Ferme Centum; Lego in monumento, quod hic exhibeo, ut doctiores de

res de ejus explicatione judicium ferant, *pag.* 878. 8.

MALEIVS . ATRESO
FIL . . . . NS
LXXX. D. LASSIA. Q. FIL
BRVT. VIX. AN. FF. C

VIX. AN. III. MENS. XI. DIEB. XV. Vixit Annis Tribus Mensibus Undecim Diebus Quindecim. *Probus.*

VIX. ANN. MENS. DIEB. Vixit Annis Mensibus Diebus. *Manutius.*

VIX. AN. XVII. D. XII. Vixit Annis Decemseptem Diebus Duodecim.

VIX. AN. XXII. MENS. XI. D. I. S. Vixit Annis Vigintiduobus Mensibus Undecim Die Uno Semis.

VIX. AN. XXX Vixit Annis Triginta. Quod patet ex serie monumenti *pag.* 1108. 1.

D. M
DECIMIVS . AVGVRI
NVS. MIL. COH. I. PR. 7.
MARTINI. VIX. AN. XXX
MIL. ANN. VIII. NAT. AF
ER. CLAVDIA NVNNA
COIVX. ET. HER. B
M

VIXIT. Vixit. *Sarainas.*

VIXIST. Vixit. In Roma Subterranea *Tom.* 2. *lib.* 4. *cap.* 18.

BENE MERENTI EXVPERIO QVI
VIXIST ANNIS III. DECESSIT
DECENBRIS III. KAL

V K. APR. Quinto Kalendas Aprilis.

VL. Vel. *Papias.*

Videlicet. *Manutius.*

V. L. A. S. Votum Libens Animo Solvit. In votivis.

V. L. M. S. Vivens Locum Monumenti Sibi. Vivens Locavit Monumentum Sibi. In sepulcralibus.

Votum Libens Merito Solvit. In votivis.

V. L. P. Votum Libens Posuit. In votivis.

VLPS. Ulpianus. Ulpius. *Diaconus. Manutius.*

V. L. S. Vivens Legavit Sibi, *seu* Vivus. *Manutius.* In sepulcralibus.

Votum Libens Solvit. *Scaliger.* In votivis.

V. L. S. M. Vivens Locum Sibi Monumenti. Vivens Locavit Sibi Monumentum. In sepulcralibus.

Votum Libens Solvit Merito. In votivis.

V. M. Vir Magnificus. *Pancirollus.* Vir Magnificus potissimum dicebatur ab Imperatoribus, Magister Officiorum. Ita *l. Quoties. §. in Criminal. Cod. Ubi Senat. vel Clarissimi.*

Vivens Mandavit. *Sarainas. Manutius.* In sepulcralibus.

Volens Merito. *Scaliger.* In votivis.

VM. Vestrum. *Diaconus. Ms: Rhodii. Papias. Manutius.*

V^M. E. Verum Etiam. Veterum Etiam. *Diaconus.*

VM. ET. Verum Etiam. *Papias.*

V. M. F. M. Vivens Monumentum Fieri Mandavit. In sepulcralibus.

V. M. III. D. X. Vixit Mensibus Tribus Diebus Decem. In sepulcralibus.

V. MIIS. X. D. V Vixit Mensibus Decem Diebus Quinque. Duplici I. pro E. positus, quod saepe occurrit in antiquis saxis.

V M. M. Votum Magnae Matri.

Votum Merito Minervae. *Probus. Sarainas. Manutius. Tomasinus.*

V. M. S. Voto Merito Suscepto. Votum Merito Solvit. *Scaliger.* In votivis.

V. MVN. Vias Munivit. *Diaconus. Magno. Papias. Manutius.* In Viarum cippis.

V. M. X. D. X. Vixit Mensibus Decem Diebus Decem.

V. M. XI. Vixit Mensibus Undecim. Occurrunt in sepulcralibus puerorum.

V. N. Quinto Nonas. *Probus. Ms: Rhodii. Manutius.*

Urbs Nostra. *Gratiosus.*

VNGVENT. Uuguentarius. Unguentarii, servi erant, qui in balneis, lotis ministrabant unguenta. *Pignorius de Servis.*

V. N. V. Vires Nostrae Urbis. *Manutius.*

Viro Nostrae Urbis. *Diaconus. Manutius.*

VNV. Unum. In Roma Subterranea.

VNX. Uxor. *Manutius.*

VO. Vero. *Magno. Papias.*

Voconius. Volero. *Manutius.*

Votinia. Tribus scilicet. Volusus. *Scaliger.*

Votum *Gratiosus.*

V°. Vero. *Diaconus. Ms: Rhodii. Magno.*

VO. DE. Vota Decennalia. In Commodo.

VOL. Volcanalia. *Manutius. Volcanalia a Volcano, quod ei tum feria, & quod eo die populus, pro se in ignem animalia mitteret. Varro de Ling. Lat. lib.* 5. Volcanalium dies, qui nefastus primo, non tantum celebrabatur decimo Kalendas Septembris, qui Augusti vigesimus tertius, sed & quarto Kalendas ejusdem, qui Augusti vigesimus nonus, ita ut Volcanalia per octiduum celebrarentur; unde facile est credere Christianos ab Ethnicorum ritibus morem Octavarum mutuatos fuisse.

Volesus. Volet. *Manutius.*

Voltinia. *Panvinius. Manutius. Scaliger.* Voltiniam Tribum a loco nobis jam ignoto nomen deducere tradunt, *Sigonius*, *Panvinius* & *Rosinus.* Haec tamen, cum ex illarum numero sit, quas Rusticas dixit Servius Tullius, a rure aliquo circa Romam denominatam fuisse suadeor, ut & Veturiam.

Volesus. *Symeonius.* Hanc notam sic explicat, licet in monumentis locum Tribus teneat; quod tamen non solum hoc in verbo, vir alioquin doctissimus facit; sed quotiescunque etiam Tribus occurrit nota, perperam semper illam explicat. ita, ubi *Velina*, Veliti legit *fol.* 61. ubi Palatina, Palmensi *fol.* 69. ubi Fabia, Fabius *fol.* 95. ubi Cornelia, Cornelius *fol.* 102.

Voluit. Volumus. *Sarainas. Manutius.*

Voluptas. *Manutius.*

Volusus. *Manutius. Scaliger.*

VOLC. Volcanalia. *Manutius. Gruterus. Scaliger. Rosinus.*

VOLER. Volerus. *Scaliger.*

VOLER. F. VOLER. N. Voleri Filius Voleri Nepos. *Scaliger.*

VOL. F. VOL. N. Volusi Filius Volusi Nepos. *Scaliger.*

VOLK. Volkano.

VOLT. Voltinia. Tribus. *Brissonius. Panvinius. Manutius. Scaliger.*

Volturnus. *Manutius.*

Voltur-

Volturnalia. *Gyraldus. Manutius. Rosinus. Volturnalia a Volturno, cujus feria Octobri mense. Varro de Ling. Lat. lib. 5.* cui & *Festus* accedit, scribens: *Volturnalia. Volturno Deo sua sacra faciebant, cujus sacerdotem Volturnalem vocabant.* Hujus sollemnitatis dies, qui nefastus primo fuit, celebrabatur sexto Kalendas Septembris, qui Augusti vigesimus septimus.

VOLTIN. Voltinia. Tribus. *Panvinius.*

VONE. Bonæ. scilicet V. pro B. aliquando, ut etiam contra non raro.

VOP. Vopiscus. *Probus. Manutius.*

V. OP. Vir Optimus. *Scaliger.*

VOS. Vosonius. *Sarainas. Manutius.* Quod verbum tamen ignoro; nescio quippe, an nomen gentilitium, cognomen, seu aliquid aliud significare possit.

VO. SOL. L. ET. L. M. C. S. Voto Soluto Lubens Et Libens Merito Cum Suis. In votivis

VOT. Votinia. *Scaliger.* Hanc Tribum in illis decem collocat *Panvinius Descript. Civit. Roman. lib.* 2. bello sociali additis, ubi tam pro Voltinia, quam pro Veturia notam posse intelligi putat; ita ut in monumentis errorem fabrilem commissum facile sit credere.

VOTA. SOL. PRO. SAL. P. R. Vota Soluta Pro Salute Populi Romani. *Angelonus.* In Commodo.

VOT. D. D. Votum Dedit, *vel* Dedicavit. In votivis.

VO T. E. Voti Ergo. *Scaliger.*

VOT. E. CVR. Votum Erigi Curavit, *seu* Voti Ergo Curavit. In votivis.

VOT. P. SVSC. PR. SAL. ET. RED. I. O. M. SAC. Vota Publice Suscepta Pro Salute Et Reditu Jovi Optimo Maximo Sacra. In Augusto.

VOT. QQ. MVLT. X. Votis Quinquennalibus Multis Decennalibus. In Imperatorum nummis, & triumphalibus monumentis, quæ erant Senatus, Populi, Militum, faustæ acclamationes pro salute ac vita Imperatorum.

VOT. SOL. DECEN. Vota Soluta Decennalia. *Angelonus.* In Commodo.

VOT. SOL. DIBVS. INFER. L. M. Vota Soluta Dis Inferis Libens Merito. Dibus, *pro* Dis, *vel* Diis, ut in saxo *pag.* 98. 5.

M. CARTILIVS
HILARVS ET
P. ACILIVS OPTATVS
VOT. SOL
DIBVS INFER
L. M

VOT. SOL. LIB. ANI. Voto Soluto Libens Animo. *Octavius Falconerius* in Inscriptionibus marmorum Africanorum.

VOT. SOL. LIB. MER. Voto Soluto Libens Merito. Votum Solvit Libero Munere. In votivis.

VOT. SOL. L. M. SAC. Votum Solvit Libens Merito Sacrum. In votivis & sacris.

VOT. SVSC. DEC. Vota Suscepta Decennalia. In Severo. Imperatorum assentatores, qui eis decennium vitæ voverant, voto suscepto, vel soluto, nummata, hisce notis signata, cudi curabant.

VOT. SVSCEP. DECENN. III. Vota Suscepta Decennalia Tertium. *Erizius.* In Antonino Pio.

VOT. V. Votis Quinquennalibus. *Hulsius. Santamantius.* In Constantino Juniore.

Votum Vovit.

VOT. V. MVLT. X. Votis Quinquennalibus Multiplicatis Decennalibus. *Hemelarius.*

Votis Quinquennalibus Multis Decennalibus.

VOT. X. Vota Decennalia. *Hulsius.*

Votis Decennalibus. *Erizius.* Ut per decennium scilicet prorogaretur imperium & vita.

VOT. XX. Vota Vicennalia. *Pierius. Hulsius. Santamantius.*

Votis Vicennalibus. *Pierius Lazius. Appianus. Pierius Hieroglyph. lib.* 37. scriptum reliquit, quod Senatus, Populusque Romanus vovebat, hæc vel illa sacrificia se facturos, aut ædes dedicaturos, si præscripto annorum spatio Reipublicæ idem fuisset status, quo tunc florebat, cum vota suscipiebant; qui mos, etiam apud Senatum, pro Imperatorum incolumitate & perennitate fuit.

VOT. XXX. Votis Tricennalibus. *Pierius. Lazius. Erizius. Hulsius.*

Votis Tricennalibet. *Appianus.* Addens: *per quod indicantur anni Imperii.*

VOT. XXX. MVLT. XXXX. Vota Tricennalia Multis Quadragenalia. *Hulsius.*

VOV. Vovit. In votivis Imperatorum.

V. P. Vicarius Præfecti. *Pancirollus.*

Vir Patritius. *Manutius.*

Vir Perfectissimus. *Probus. Magno. Pancirollus. Scaliger. Gutherius.* De Perfectissimi titulo, ad quosve spectaret, præ cæteris, consulatur *Pancirollus in Notit. Utramq. cap.* 3. & *Gutherius de Offic. Dom. Aug. lib.* 1. *cap.* 4.

Vir Præfectus, *seu* Prætor, *vel* Primarius.

Vir Probus. *Probus. Ms. Zabarella. Sarainas. Manutius.*

Viro Patritio. In Roma subterranea.

Viro Prudenti. *Sarainas.*

Vivens Posuit. Ut plurimum in sepulcralibus Cippis scilicet sibi a vivente erectis.

Vivus Posuit. *Probus. Ms. Zabarella. Lazius. Manutius.*

Vivis Posuit. Voto Posuit. *Manutius.*

Votum Posuit. *Tomasinus.* In votivis.

Urbis Præfectus. *Probus. Ms. Zabarella. Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius.*

Utriusque Pannoniæ. *Scaliger.*

V. P. Vir Perfectissimus. *Scaliger.* In saxis Imperatorum; ubi dignitates & magistratus dedicantium enumerantur, cum subsequentibus, usque ad notas V PR. RE. CE.

V. P. COM. Vir Perfectissimus Comes. *Gruterus.*

VP. IP. Vespasianus Imperator. *Diaconus. Manutius.*

V. POS. Vivus Posuit. *Scaliger.* In sepulcralibus.

V. P. P. P. Vir Perfectissimus Præfectus Prætorio. *Lazius.*

V. P. P. P. H. Vir Perfectissimus Præfectus Prætorio Hispaniæ. *Scaliger.*

V. P. P. P. H. T. Vir Perfectissimus Præfectus Prætorio Hispaniæ Tarraconensis, *seu* Viro Perfectissimo &c.

V. P. P. P. HISP. TARR. Vir Perfectissimus Proconsul Hispaniæ Tarraconensis. *Manutius.* Cui tamen ægre accedo; nam & expressum aliquando in monumentis occurrit, *Vir Perfectissimus Præfectus Prætorio* &c.

V. P. P. P. N. M. T. D N. M. QVE. EIVS. SEMPER. Vir Perfectissimus Præfectus Prætorio Norici Mediterranei Devotus Numini Majestatique Ejus Semper. Hæc omnia in *Gruterianis Indicibus* inexplicata relinquit *Scaliger.* Si tamen post tantum virum mihi liceat, ea sic in saxo Norico legerim *pag.* 287. 3.

MEAS. CLAVDIVS. V. P. P. P
N. M. T. D. N. M. QVE EIVS
SEMPER

V. P. P. PR. Vir Perfectissimus Præfectus Prætorio.
V. P. PR. Vir Perfectissimus Præses. *Lazius.*
V. P. PRAESIDE HH. Viro Perfectissimo Præside Hispaniarum.
V. P. R. Veteri Possessori Redditum. *Probus Ms: Zabarella. Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius.*
Veteri Possessori Redditum. *Manutius.*
Vota Pro Reditu. In votivis.
V. PR. / V. PRAE. } Vir Prætorius. *Probus, Ms: Zabarella, Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius.*
Urbis Præfectus. *Manutius.*
V. P. RAT. S. R. Vir Perfectissimus Rationalis Summæ Rei, *seu* Sacrarum Remunerationum.
V. PR. RE. CE. Vota Pro Reditu Cæsaris. In votivis pro Imperatoribus.
V. PR. RED. CAES. Vota Pro Reditu Cæsaris. *Ursinus.*
V. PRO. A. LXI. Vixit Prope Annos Sexaginta Unum. Dummodo istius inscriptionis *pag.* 779. 6. mea explicatio constet:

C. DONNIO. ATTICO
VEL
CON. V. PRO
AN. LXI
CERVLA INGENVA
CON
V. V. F

V. P. S. Vir Perfectus Sacer. Vir Prudens Sacer. *Probus Ernstii.*
Voluit Pecunia Sua. Votum Pro Salute. In sepulcralibus & votivis.
VPS. Vespasianus. *Probus Ernstii.*
V. Q. Vir Quæstorius. *Manutius.* Quæstorius vir dicebatur, qui fuerat Quæstura functus.
V. QVAES. Vir Quæstorius. *Probus. Manutius.*
V. Q. A. L. C. S. VigintiQuinque Asses Legitime Condemnati Sunt. *Probus Ernstii. Manutius.*
Vir Quæstorius Animo Libens Cum Suis.
V. R. Urbis Romæ. *Sarainas.*
Urbs Roma. *Probus. Diaconus. Manutius.*
Urbs Romana. *Ms: Zabarella. Sarainas. Lazius. Manutius.*
Uti Rogas. *Augustinus. Manutius. Hugo. Rosinus.*
Votum Reddidit.
VR. Urbanus. Urbis. *Probus. Ms: Zabarella. Manutius.*
Urbs. *Probus. Ms: Zabarella. Gertiosius. Manutius.*
VRB. Verbis. *Magno.*
Urbanæ, Cohortis scilicet. *Manutius.*
Urbanarum, *hoc est*, Cohortium. *Gallus.*
Urbanus. *Manutius. Goltzius.*
Urbs. *Manutius.*
VRBᵃ. Urbis. *Ms: Rhodii.*
VRB. C. Urbis Conditæ. *Probus. Ms: Zabarella. Sarainas. Appianus. Lazius. Manutius.*
VRB. SAL. Urbs Salvia. *Manutius.*
VE. L. X. G. Veteranus Legionis Decimæ Geminæ.
VENALIC. Venalicius.
VENAT. Venatio.
VENEMERENT. Benemerenti.
VE. PP. Veflamen Perpetuus.
V. E. PROC. AVG. C. Vir Egregius Procurator Augusti Curavit.
VESP. Vespasianus.
VESP. CS. Vespasianus Cæsar.
VESP. F. Vespasiani Filius.
VER. Verona. Verum.
VERB. N. II Verbeces Numero Duos.
VER. CAR. OGVL. Vergilius Carisius Ogulnius.
VEST. Vestalia. Vestalis.
VEST. N. F. PR. Vestæ Nefastus Prætori
VET. Veteranus. Veturia. *Tribus.*
VET. AS. } VET. ASS. } Veterano Assignatum.
VET. COH. Veteranus Cohortis.
VET. ET. IVN. Veteres Et Juniores.
TET. EX. OPT. Veteranus Ex Optionibus.
VET. EX. NVM. FRVM. Veteranus Ex Numero Frumentariorum.
VET. LEG. Veteranus Legionis.
VET. PROC. AVG. Veteranus Procurator Augusti.
V. F. Verba Fecit, *vel* Fecerunt. Vir Frugalis. Viro Fidelissimo. Visum Fuerit. Vivens Fecit, *vel* Vivus. Voluit Fieri. Votum Fecit.
V. F. C. Victoriæ Felicitatis Cæsaris. Vivens Faciundum Curavit.
V. F. D. M. Vivens Fecit Dis Manibus.
V. FECER. Viventes Fecerunt.
V. F. F. Vivus Fieri Fecit.
V. FF. Viventes Fecerunt.
V. F. G. Voluerunt Fieri Gratis.
V. F. H. M. H. N. S. Vivens Fecit Hoc Monumentum Heres Non Sequitur.
V. F. I. Vivens Fieri Jussit.
V. F. N. M. N. S. Vivens Fecit Novum Monumentum Nomine Suo.
V. FR. Vir Fortis.
V. F. S. Vivens Fecit Sibi. Voluit Fieri Sepulcrum.
V. F. S. E. CO. S. B. M. Vivens Fecit Sibi Et Conjugi Suæ Bene Merenti.
V. F. S. E. S. Vivens Fecit Sibi Et Suis.
V. F. S. S. Vivens Fecit Sibi Suis.
V. H. S. F. M. Vivens Hoc Sibi Fecit Monumentum *vel* Fieri Mandavit.
V. I. Vir Inlustris.
VI. Sex.
VI. AN. LX. Vixit Annos Sexaginta.
VIBAS. Vivas.
VIBO. Vivo.
VIC. Vicarius. Vicentia. Vicit. Victor. Victoria. Victrix. Vixit.
VIC. AVG. Victoria Augusti.
VICC. Victores.
VIC. CIM. Victoria Cimbrica.
VIC. DAC. Victoria Dacica.
VIC. S. I. Vice Sacra Judicans.
VIC. GER. } VIC. GERM. } VIC. GERMA. } Victoria Germanica.
VIC. GERM. P. M. TR. P. V. COS. III. P. P. Victoria Germaniæ Pontifex Maximus Tribunicia Potestate Quintum Consul Tertium Pater Patriæ.
V. I. C. P. Vir Inlustris Comes Patrimonii.

VIC.

VIC. PAR. } VIC. PART. } Victoria Parthica.
VIC. PRAEF, Vicarius Praefecti.
VIC. S. Vice Sacra. Victoria Sicula.
VISIC. Vixit.
VICT. Victor. Victoria.
VICT. AC. TRIVMPH. Victor Ac Triumphator.
VICT. AETERN. Victoria Æterna.
VICT..ASSYR. Victoria Assyriae.
VICT. AVGG. Victoria Augustorum.
VICT. BRIT. Victoria Britannica.
VICT. CAES. Victoris Caesaris.
VICT. DD. NN. COL. ANTIOCH Victoria Dominorum Nostrorum Colonia Antiochia.
VIC, PAR. MAX. Victoria Parthica Maxima.
VICTR. Victoria.
VIC. VRB. ROM. Vicarius Urbis Romae.
VI. F. Vivens Fecit. Vivus Fecit. Voluit Fieri. Votum Fecit.
ꟷIꟷAM. Vivam.
VIG. Vigilum. *hoc est, cohortium.*
VII. Septem.
VI. ID. DEC. Sexto Idus Decembris.
VI. ID. SEB. Sexto Idus Septembris.
VI. I. IVL. Sexto Idus Julias.
VII. VIR. EPVL. Septemvir Epulonum.
VIII. K. OCT. Octavo Kalendas Octobris.
VIII. VIR. Octovir. Octumvir.
VIII. VIR. AMITER. Octumvir Amiterni.
VIII. VIR. II. QQ. Octumvir Iterum Quinquennalitius.
VILIC. Villicus.
VIN. Vinalia.
VIN. F. P. Vinalia Feriae Publicae.
V. INL. Vir Inlustris.
VIOL. Violentia.
VI. R. Sexies Romae.
VIR. Virgo.
VIRAL. Seviralis.
VIR. B. MER. Viro Bene Merenti.
VIR. C. Vir Clarissimus.
VIR. DIAN. Virgo Diana.
VIRG. Virgo.
VIRT. AETER. AVG. Virtus Æterna Augusti.
VIRT. AVG. Virtus Augusti.
VIRT. AVGG. Virtus Augustorum.
VIRT. AVGG. ET. CAESS. NN. Virtus Augustorum Et Caesarum Nostrorum.
VIR. V. } VIR. VE. } VIR. VEST. } Virgo Vestalis.
VI. ET. S. Sex Et Semis.
VII. X. Vicit Decies.
VI. V. } VI. V. } SextumVir.
VIVI. F. S. Vivi Fecerunt Sibi.
VI. VIR. SeVir SexVir. SextumVir.
VI. VIR. AQVIL. SextumVir Aquilejae.
VI. VIR. AVG. SextumVir Augur, *vel* Augustalis.
VI. VIR. AVG. MAG. IVV. Sextumvir Augustalis Magister Juvenum.
VI. VIR. AVG. QVIRIN. SextumVir Augustalis Quirinalis.
VI. VIR. AVG. TERG. ET. POL. SextumVir Augustalis Tergestae Et Polae.
VI. VIR. EPOR. SextumVir Eporediae.
VI. VIR. ET. AVG. SextumVir Et Augustalis.
VI. VIR. ET. AVG. COM. SextumVir Et Augustalis Comi.
VI. VIR. FL. AVG. SextumVir Flamen Augusti.
VI. VIR. I. D. PRAEF. FABR. SextumVir Juri Dicundo Praefectus Fabrum.
VI. VIRI. MVNICIP. PRIVERN. DD. SextumViri Municipii Privernatis Dedicaverunt.
VI. VIR IVN. SextumVir Juniorum.
VI. VIR. IVN. HAST. Sextum Vir Juniorum Hastae.
VI. VIR. IVN. PONTIF. ET. DECVR. SextumVir Juniorum Pontifex Et Decurio.
VI. VIR. MEDIOL. SextumVir Mediolani.
VI. VIR. SEN. SextumVir Seniorum.
VI. VIR. SEN. ET. AVG. C. DD. SextumVir Seniorum Et Augustalis Coloniae Dedicavit.
VI. VIR. VRB. SextumVir Urbanus.
VIV. SIB. FEC. Vivus Sibi Fecit.
VIVV. Vivo.
VIX. Vixit.
VIX. A. LIIX. Vixit Annos Quinquaginta octo.
VIX. AN. FF. C. Vixit Annos Ferme Centum.
VIX. AN. III. MENS. XI. DIEB. XV. Vixit Annis Tribus Mensibus Undecim Diebus Quindecim.
VIX. ANN. MENS. DIEB. Vixit Annis Mensibus Diebus.
VIX. AN. XVII. D. XII. Vixit Annos Decemseptem Dies Duodecim.
VIX. AN. XXII. MENS. XI. D. I. S. Vixit Annos Vigintiduos Menses Undecim Dies Unum Semis.
VIX. AN.  Vixit Annos Triginta.
ꟷIXIT. Vixit.
VIXIST. Vixit.
V. K, APR. Quinto Kalendas Aprilis.
V. L. A. S. Votum Libens Animo Solvit.
V. L. M. S. Vivens Locum Monumenti Sibi. Votum Libens Merito Solvit.
V. L. P. Votum Libens Posuit.
V. L. S. Vivus Legavit Sibi. Votum Libens Solvit.
V. L. S. M. Vivens Locum Sibi Monumenti. Votum Libens Solvit Merito.
V. M. Vir Magnificus. Vivens Mandavit. Volens Merito.
V. M. F. M. Vivens Monumentum Fieri Mandavit.
V. M. III. D. X. Vixit Menses Tres Dies Decem.
V. MIIS. X. D. V. Vixit Menses Decem Dies Quinque. *duplex II. pro E.*
V. M. M. Votum Magnae Matri.
V. M. S. Voto Merito Suscepto. Votum Merito Solvit.
V. MVN. Vias Munivit.
V. M. X. D. X. Vixit Menses Decem Dies Decem.
V. M. XI. Vixit Menses Undecim.
V. N. Quinto Nonas.
VNGVENT. Unguentarius.
VNV. Unum.
VXX. Uxor.
VO. Volero. Votinia. *Tribus.* Volusus.
VO. DE. Vota Decennalia.
VOL. Volcanalia. Voltinia. *Tribus.* Volusus.
VOLC. Volcanalia.
VOLER. Volerus.
VOLER. F. VOLER. N. Voleri Filius Voleri Nepos.

VOL. F. VOL. N. Volusi Filius Volusi Nepos
VOLK. Volkano.
VOLT. Voltinia. *Tribus.* Volturnalia.
VOLTIN. Voltinia. *Tribus.*
VONE. Bonæ.
VOP. Vopiscus.
V.OP. Vir Optimus.
VO.SOL. L.ET.LI.M.C.S. Votum Solvit Lubens Et Libens Merito Cum Suis.
VOT. Votinia. *Tribus.*
VOTA. SOL. PRO. SAL. P. R. Vota Soluta Pro Salute Populi Romani.
VOT. E. Voti Ergo.
VOT.E.CVR. Voti Ergo Curavit. Votum Erigi Curavit.
VOT.P.SVSC.PR.SAL. ET. RED. I. O.M. SAC. Vota Publice Suscepta Pro Salute Et Reditu Jovi Optimo Maximo Sacra.
VOT. QQ. MVLT. X. Votis Quinquennalibus Multis Decennalibus.
VOT.SOL. DECEN. Vota Soluta Decennalia.
VOTA.SOL.DIBVS.INFER.L.M. Vota Soluta Dis Inferis Libens Merito.
VOT. SOL. LIB. MER. Voto Soluto Libens Merito.
VOT.SVSC.DEC. Vota Suscepta Decennalia.
VOT.SVSGEP. DECENN. III. Vota Suscepta Decennalia Tertium.
VOT. V. Votis Quinquennalibus.
VOT. V. MVLT. X. Votis Quinquennalibus Multis Decennalibus.
VOT. X. Vota Decennalia.
VOT. XX. Vota Vicennalia.
VOT. XXX. Vota Tricennalia.
VOT. XXX. M. XXXX. Vota Tricennalia Multis Quadragennalibus.
V.P. Vicarius Præfecti. Vir Patricius. Vir Perfectissimus. Vivens Posuit. Votum Posuit. Urbis Præfectus. Utriusque Pannoniæ.
V̄.P̄. Vir Perfectissimus.
V.P.COM. Vir Perfectissimus Comes.
V.POS. Vivus Posuit, *vel* Vivens.
V.P.P.P. Vir Perfectissimus Præfectus Prætorio.
V. P. P. P. H. Vir Perfectissimus Præfectus Prætorio Hispaniæ.
V̄.P̄. P.H.T. / V.P.P.HISP.TARR. } Vir Perfectissimus Præfectus Prætorio Hispaniæ Tarraconensis.
V.P. P. P.N.MT. D.N.M. QVE. E. Vir Perfectissimus Perfectus Prætorio Norici Mediterranei Devotus Numini Majestatique Ejus.
V. P. P. PR. Vir Perfectissimus Præfectus Prætorio.
V.P.PR. Vir Perfectissimus Præses.
V.P. PRAESIDE. HH. Viro Perfectissimo Præside Hispaniarum.
V.P.R. Vota Pro Reditu.
V.PR. / V.PRAE. } Vir Prætorius.
V. P. RAT. S. R. Vir Perfectissimus Rationalis Summæ Rei.
V.PR. RE.CE. Vota Pro Reditu Cæsaris.
V.PRO.A.LXI. Vixit Prope Annos Sexaginta unum.
V.P.S. Vivens Posuit Sibi.
V.QVAES. Vir Quæstorius.
V.R. Votum Reddidit. Urbs Roma. Urbis Romæ. Uti Rogas.
VRB. Urbanus. Urbs.
VRB. C. Urbs Condita.
VRBISAL. Urbisalia.

VRN. MARMOR. MOESTISS. POS. Urnam Marmoream Mœstissima Posuit, *vel* Mœstissimus.
V.S. Vice Sacra. Vivens Sibi. Votum Solvit. Voto Solemni. Voto Suscepto.
V.S. A. L. Voto Suscepto Animo Libens.
V. S. A. L. P. Voto Suscepto Animo Libens Posuit.
V. S. C. Voto Suscepto Curavit.
VS. CS. Vespasianus Cæsar.
V. S. DD. Voto Suscepto Dedicavit.
V. S. D. M. Vivens Sibi Dedit Monumentum.
V. S. DON. DEDIT. Voto Suscepto Donum Dedit.
V. S. D. S. L. M. Vivens Sibi De Suo Locum Monumenti. Voto Suscepto De Suo Libens Merito.
V. S. E. S. F. Vivens Sibi Et Suis Fecit.
V. S. E. H. T. H. N. S. Vivens Sibi Elegit Hic Titulus Heredes Non Sequitur.
V. S. ET. S. PO. Vivens Sibi Et Suis Posuit.
V. S. F. Vivens Sibi Fecit. Universi Sic Fecerunt.
V. S. F. I. Vivens Sibi Fieri Jussit.
V. S. I. / V. S. IC. } Vice Sacra Judicans.
V. S. I. F. Vivens Sibi Jussit Fieri.
VS. IP. Vespasianus Imperator.
V. S. L. Vivens Sibi Legavit. Votum Solvit Libere.
V. S. L. A. Votum Solvit Libens Animo, *vel* Voto Suscepto.
V. S. L. A. P. C. Voto Suscepto Libens Animo Ponendum Curavit.
V. S. L. D. B. P. Voto Suscepto Libens Deæ Bonæ Posuit.
V. S. L. D. D. D. Vivens Sibi Locus Datus Decreto Decurionum, *vel* Votum Solvit Loco Dato.
V. S. L. L. Votum Solvit Libentissime.
V. S. λλ. M. Votum Solvit Libentissime Merito.
V. S. L. L. M. Vivens Sibi Legavit Locum Monumenti. Votum Solvit Libentissime Merito.
V. S. LL. MM. Votum Solvit Libentissime Merito.
V. S. L. M. Vivens Sibi Locum Monumenti. Votum Solvit Libens Merito. Voto Soluto Libero Munere.
V. S. L. M. H. D. S. P. Vivens Sibi Legavit Monumentum Hoc De Sua Pecunia.
V. S. L. M. P. Vivens Sibi Locum Monumenti Posuit. Voto Suscepto Libens Merito Posuit.
V. S. L. P. Vivens Sibi Locum Posuit. Voto Suscepto Libens Posuit.
V. S. M. Vivens Sibi Monumentum. Voto Suscepto Merito. Votum Solvit Merito.
V. S. N. T. L. P. Vivens Sibi Novum Tituli Locum Posuit.
V. S. P. Viva Sibi Posuit, *vel* Vivus.
V. S. P. L. D. D. D. Vivens Sibi Posuit Loco Dato Decreto Decurionum. Voto Suscepto Posuit Loco Dato Decreto Decurionum.
V. S. P. L. L. M. Voto Suscepto Posuit Libentissime Merito.
V̄. S. PRAEF. ANN. Vir Sapiens Præfectus Annonæ.
V. S. S. Vivens Sibi Statuit. Voto Suscepto Solvit.
V. S. S. L. M. Voto Suscepto Solvit Libens Merito.
V. S. S. L. M. S. D. EX. PRIM. Voto Suscepto

ſcepto Solvit Libens Merito Sacerdos Deæ Ex Primis.

V. S. T. L. M. Voto Suſcepto Tulit Libens Merito.
V. T. Uſus Titulo.
V. T. F. Uſus Titulo Fecit.
V. T. F. I. Uſus Titulo Fieri Juſſit.
VTRICL. CORP. ARELAT. Utricularius Corporis Arelatenſium.
V. TRIVMPH. Vir Triumphalis.
V. V. Valens Victrix. Virgo Veſtalis. Votum Vovit. VoVerunt.
V'. V'. Virgines Veſtales.
V. V. C. C. Viri Clariſſimi.
V. V. CC. Virgines Veſtales Clariſſimæ.
VV. CC. Viri Clariſſimi.
VV. CC. COSS. / VV. CC. CONSS. } Viri Clariſſimi Conſules.
V. V. F. Vivis Vivens Fecit.
VV. F. / VV. FF. } Viventes Fecerunt.
V. V. L. Virginis Veſtalis Locus.
V. V. LIB. Virginum Veſtalium Liberta, *vel* Libertus.
V. VL. COR. Victori Ultori Coruſcatori.
V. V. M. / V. V. MAX. } Virgo Veſtalis Maxima.
V. V. OSCA. Urbs Victrix Oſca.
VV. S. D. M. Viventes Sibi Dederunt Monumentum.
VX. / vx. } Uxor.
VX. B. M. F. H. S. E. S. T. T. L. Uxor BeneMerenti Fecit Hic Sita Eſt Sit Tibi Terra Levis.
VXO. C. L. B. P. Uxori Cariſſimæ Locus Bene Poſitus.
VXO. Uxor Dedit. Uxori Dedit.
VX. PIENTISS. Uxor Pientiſſima.
VX. S. F. C. Uxori Suæ Faciundum Curavit.

X.

X. Decem. Decima. Decimus. *prænomen aliquando*. Denarii *nota*.
ⵋ. Mille.
✱. / ✱. / ✱. } Denarii *nota*.
X. ANNALIB. Decennalibus.
XC. Nonaginta.
✱. C. Denariis Centum.
✱. CCC. Denariis Tercentis.
✱. C. XX. Denariis Centum Viginti.
X. DIBSS. Decem Diebus.
X. E. / X. ER. } Decimæ Erogator.
XI. Undecim.
✱. I. Denarium Unum.
ⵋ. IↃC. Mille Sexcentum.
✱. II. Denarios Binos.
✱. III. Denarios Ternos.
XIII. Treſdecim.
XII. K. MAR. Duodecimo Kalendas Martias.
XIIII. K. F. Decimoquarto Kalendas Februarii.
XIV. Quatuordecim. Decimumquartum.
X. K. OCT. Decimo Kalendas Octobris.
XIX. Decemnovem. Undevigeſimo.
✱. L. Denariis Quinquaginta.
XL. Quadraginta.
X̄. MILL. Decem Millia.
X. P. Decem Pondo.
X̄. P̄. / ☧ } Chriſtus.
X. PS. / X. PSS. } Decem Paſſus.
XRM. Chriſtum.
X. V. Decem Vir.
✱. VII D. Denarios Septem mille quingentos.
X̄. VIR. AGR. DAND. DecemVir Agris Dandis.
X. VIR. AGR. DAND. ADTR. IVD. DecemVir Agris Dandis Adtribuendis Judicandis.
XV. VIR. SAC. FAC. / XV. VIR. S. F. } QuindecimVir Sacris Faciundis.
X̄. VIR. STL. IVD. / X. VIR. STLITB. IVD. } DecemVir Stlitibus Judicandis.
XV. V. S. F. Quindecimvir Sacris Faciundis.
XX. ANNALIB. Vicennalibus.
ⵋ XCIIX. Mille Octuagintaocto.
ⵋ ⵋ CDXXCVI. Duomillia Quatuorcentum Octuaginta Sex.
ⵋ ⵋ CDXXCVIII. Duomillia Quatuorcentum Octuaginta Octo.
ⵋ ⵋ DCCCL. Duomillia Octocentum Quinquaginta.
ⵋ ⵋ DCCLVIII. Duomillia Septemcentum Quinquaginta Octo.
ⵋⵋCI. Octuaginta Unum.
XX. HER. Vigeſima Hereditatium.
XXII. Duodetriginta.
XX. P. QVOQVOVERS. Viginti Pedes Quoquoverſus.
XXXIIII. / ⵋIIII. } Triginta Quatuor.
XXX. P. IN. F. Triginta Pedes In Fronte.
XXX. S. S. Trigeſimo Stipendio Sepultus.
ⵋ ⵋ ⵋ CCC. XXCV. Termille Tercentum Octuaginta Quinque.
ⵋ ⵋ ⵋ CDIX. Termille Quatuorcentum Novem.
ⵋ ⵋ ⵋ IↃCCXXCIIX. Termille Septemcentum Octuoginta Octo.
X. YRO. DecemViro. *Y pro V.*

Z.

ZESV. Jeſu. *ſcilicet*.
ƵƵƵ. Triginta.

F I N I S.

DISSER-

DISSERTATIONES
DE
NVMMIS ANTIQVIS,

Divisæ in quatuor Partes.

AVCTORE
LVDOVICO SAVOTO.

Ex Gallica in Latinam linguam transtulit

L. NEOCORVS.

INDEX CAPITUM.

PARS PRIMA.

CAPUT I.

Rationibus & auctoritatibus probatur, nummos antiquos, qui hodie vulgo Medailles *dicuntur, loco moneta in commerciis a Veteribus adhibitos fuisse, secus ac Erizzus existimat. Quosdam tamen ab usu moneta exemptos fuisse. Quare imago Imperatorum in nummis fuerit expressa.*

CAP. II.

Nonnulla objectiones testimoniis capite superiore adductis opposita: dua ab Erizzo; reliqua ab ipso auctore; qua capitibus sequentibus diluentur. Respublicas & Principes olim non solum aurum atque argentum signatum, verum etiam infectum; & in massas conflatum in thesauris suis reconditum habuisse. Bulengeri error in exponenda voce Massa Veternensis *apud Ammianum Marcellinum.*

CAP. III.

Multo majori Principibus honori olim fuisse, si imaginem suam in moneta, quam statuis, tabulis, ullave alia materia effingi curarent. Jus hoc solos Principes sibi vindicasse. Summi imperii signum fuisse, monetam auream vultu suo signare; summo proximi, argenteam; infimi, aream, & ex mixto metallo (billon) conflatam. Hoc honore, utpote summo, ipsas etiam Jesu Christi & Sanctorum ejus imagines affectas fuisse: Qua omnia multis exemplis & historiis egregie illustrantur.

CAP. IV.

Erizzus existimat, nummos eos, qui usum moneta non prabebant, a Veteribus appellatos fuisse Numisma, Nummus, Moneta *&* Pecunia, *ob defectum aliarum vocum, ad rem hanc apte exprimendam idonearum; quod refellitur, & ostenditur, in promptu fuisse voces* Imago, Signum, Sigillum, Clypeum; *& in Graca lingua* προτομή*: posterioribus vero temporibus* Thorax, Thoracida, Lavratum, *vel* Labratum.

CAP. V.

Responsio ad secundum Erizzi argumentum, quo probare conatur, Numismata antiqua, vulgo Medailles *dicta, non fuisse olim in commerciis loco moneta adhibita, ideo quod figuras habeant nimis prominentes vel extantes; praterea, admodum inaquales sint ponderis, & valoris; & denique, majorem, quam pro usu moneta, operis elegantiam pra se ferant.*

CAP. VII.

Responsio ad quinque objectiones ipsius Auctoris, qua pro Erizzi sententia haud inepte adduci posse videbantur.

CAP. VIII.

Quadam numismata esse, qua olim ad moneta usum cusa non fuerint, & quanam illa sint. De amore & studio hominum erga antiquas imagines, aliaque monumenta vetustatis. De numismatibus, qua sigillaria *vocabantur. De numismatibus maximi moduli, vulgo* medaillons *dictis. De missilibus & largitionibus veterum, & quomodo ha largitiones diversis temporibus facta fuerint. De obscuris quibusdam numismatibus, qua credibile non est moneta usum in commerciis prabuisse.*

PARS ALTERA.

CAP. I.

Materiam veterum numismatum & monetarum duplicem fuisse, ordinariam & extraordinariam. Credibile esse, Romanos olim monetam plumbeam habuisse. Salmasii opinio rejecta. Bulengeri circa inscriptiones quorundam numismatum error.

CAP. II.

Plumbum & stannum veterum quale fuerit. Eos duplicis generis plumbum habuisse. Quodnam fuerit verum illorum stannum. Locus Plinii intellectu difficilis de vero hoc stanno. Explicatio paulo amplior loci Pliniani. Quomodo metalla fuerint separata & preparata. Quid sit Scoria, Helcysma, Encauma, Molybdena, *&* Molybdoides. *Rullandum errasse in explicandis vocibus* Molybdena & Molybdoides. *Veteres ex vero stanno nunquam cudisse nummos; & quare.*

CAP. III.

De adulterino stanno veterum. Eos tria illius metalli genera habuisse. Duo posteriora genera ferruminationi metallorum inservisse. Locus Plinii, qui de modo ferruminationis hujus agit, intellectu difficilis. Ratio, ob quam plumbum conglutinari nequeat absque stanno, nec stannum absque plumbo, secundum hunc Plinii locum. Glutinum auri, argenti & cupri, quomodo & ex qua materia componatur: Plumbum, ope solius plumbi, conglutinari non posse. Ex quo genere stanni & plumbi veteres conflaverint nummos.

CAP. IV.

Quamvis hodie aque ac tempore Plinii tres dentur stanni species, eas tamen differre a speciebus illis, quibus Veteres usi fuerunt. De natura trium specierum stanni, quibus hodie utimur. Quid metalla magis sonora efficiat. Opinio Auberti de Bismutho, Gallice estain de glace *dicto. Nummis areis post Septimium Severum cusis plumbum vel stannum admixtum reperiri. Cur plumbum monetis admiscendum non sit. Post tempora Septimii Severi vel pauca vel nulla reperiri numismata ex are Corinthio conflata.*

CAP. V.

Veteres non solum ex diversis metallorum generibus, sed ex aliis etiam materiis quandoque cudisse monetas. Lupinos nunquam ad eum usum a veteribus fuisse adhibitos, secus ac sentiunt Muretus, Turnebus, Lambinus, & Hottomannus. Loca Plauti, Codicis, & Horatii, illorum opinionem minime firmare. Vera horum locorum explicatio, contra illorum sententiam. Differentiam esse inter erva *&* lupinos. *Quamvis manifestum sit discrimen inter erva & viciam, notabili tamen errore posterius legumen cum priori confundi. Quibus temporibus ex materiis extraordinariis vel insolitis cusa fuerint numismata.*

CAP. VI.

Materia ordinaria nummorum antiquorum. Necesse esse, antequam ad specialia hujus argumenti descendatur, ut explicetur, quid sit characta *&* denarius, *quibus vocibus gradus puritatis auri & argenti denotari solent. Vocabulorum horum usus tam in Gallia, quam aliis Provinciis. Error Molini in hoc argumento. Etymologia vocis* characta. *Tempore imperii decrescentis multitas & tributa auro*

nie hepnikon vocatum. Error Cæsalpini in hoc argumento. Quale sit æs, quod Galli potin vocant. Plinio id haud fuisse ignotum. Pleraque numismata post Alexandrum Severum cusa, ex temperatura æris ollaris (de potin) facta esse. Æs coronarium & pyropum, a Plinio memoratum, quale sit. Quomodo hodie orichalcum colore auri inficiatur. De ære, sive materia, ex qua campanæ & tormenta bellica conflantur.

PARS TERTIA.

CAP. I.

Qua ratione nobis comparare possimus notitiam ponderum antiquorum. Eam potissimum hauriendam esse ex pondere certorum fructuum & seminum, numismatum & monetarum veterum, non ex ponderibus antiquis, quæ nobis restant, & ex justa magnitudine sive mensura pedis antiqui. Quid sit siliqua, & κεράτιον. Quænam sit inter has voces differentia. Error Gerræ, Bruerini, Josephi Scaligeri, & multorum Theologorum circa significationem harum duarum vocum. Josephum Scaligerum omnium gravissime in hoc argumento errasse. Ceratea & ceratces eandem rem significare. Quænam sit differentia inter vocem siliquam, scriptam per c, & vocem siliquam, scriptam per qu.

CAP. II.

Vocem siliqua, cum pro pondere accipitur, apud diversos auctores diversa significare pondera. Utrum tritici, an vero hordei granum ad usum ponderum Medicorum adhibere satius sit. Grana tam tritici, quam hordei pondere inter se differre, pro diversitate regionum, agrorum, anni tempestatum, temporum, aliorumque, quibus exposita sunt, casuum. Vilalpandum abusum esse vocabulo frumenti. Quantum pondere differat triticum Romanum a tritico Palæstinæ. Differentia ponderis, quæ intercedit inter eandem mensuram tritici & hordei Romani, secundum Vilalpandum. Error Sylvii. Cicera alba pondere differre a ciceribus rubris.

CAP. III.

Error Fernelii circa pondus grani. Error Budæi, Porcii, Alciati, Stanislai, Covarruviæ, Marianæ, Vilalpandi & Alchazaris circa pondus unciæ. Causa, quæ Budæum, multosque alios in errorem induxerit. Denarii Romani diversis temporibus diversum fuisse pondus. Ab ultimis Resp. temporibus usque ad Neronem unciam septem denarios continuisse; post Neronem vero, octo denarios in unciam computatos fuisse.

CAP. IV.

Verum pondus libræ antiquæ, non ex ponderibus antiquis, quæ hodie adhuc supersunt, sed ex nummis & pedibus veterum, æstimari posse. Veteres eo tempore, quo imperium ipsorum quam maxime floruit, optima nota monetam semper habuisse. Monetæ pravitatem argumentum esse imperii decrescentis. Magis esse e re publica, ut moneta ex puro & probo metallo cudatur, quam ut secus fiat, & quare. Facultatem ex puro optimoque metallo, in primis auro, monetam signandi, fuisse olim supremi imperii signum, & quare. Specimina monetæ probæ (les pieds-forts) quam habeant originem.

CAP. V.

Quare magis expediat Reipubl. moneta, ex puro pure, quam mixto metallo conflata. Quare Veteres monetis suis figuras, in corpore metalli notabili prominentia exstantes, impresserint. Magis esse e commodo Respubl. metallos nummos ex ære mixto, quam argento mixto cudi. Monetas æreas ex solo & puro ære cudendas esse, & quare.

CAP. VI.

Causa, quare sæpe monetæ bonitas in Gallia in deterius mutata fuerit. Causa, quare nummi, valorem viginti, decem, quinque, sedecim, & octo assium habentes, cusi fuerint. Veteres de valore intrinseco monetarum nihil, vel impensarum in signationem factarum, vel aliorum jurium nomine, deduxisse, & quare.

CAP. VII.

Proportionem auri ad argentum eandem olim fuisse, quæ est unius ad quindecim. Explicatio loci Pliniani de hac proportione, intellectu perquam difficilis. Romanos olim habuisse Sestertios argenteos diversorum ponderum. Sestertium priorum temporum, cujus Plinius hoc loco mentionem facit, idem habuisse pondus, atque miliaresion posteriorum temporum. Denarium argenteum olim pro diversis temporibus varii fuisse ponderis. De Victoriato antiquorum. Pretium auri in Gallia olim sedecies superasse pretium argenti.

CAP. VIII.

Quam variis modis præcedens Plinii locus a variis auctoribus fuerit expositus. Interpretationes Portii, Hottomanni, Pancirolli, & Vilalpandi a vero sensu Plinii alienas esse. Josephum Scaligerum omnium maxime a veritate aberrasse.

CAP. IX.

Septem vel octo denarios argenteos plerumque Unciam constituisse. Græcos usos esse voce drachmæ ad significandum denarium Romanorum; & Romanos vicissim usos esse voce denarii, ad significandam drachmam Græcorum. Quo tempore septem & octo denarii in uncia numerati fuerint. Aureum valuisse 25. denarios.

CAP. X.

Cœpta loci Pliniani interpretatio absolvitur. Aureum non semper, nec sub primis quidem Imperatoribus, didrachmalem fuisse. Quare stater aureus valuerit vicenis drachmis argenti. Quamvis aureus valuerit 25. denarios argenteos, proportionem tamen auri ad argentum non aliam fuisse, quam 1. ad 12. Quare Pancirollus inter alios putaverit, aureum fuisse didrachmalem. Hottomannum in hoc argumento quammaxime a scopo aberrasse. Scaligerum omnium pessime exposuisse verba ultima loci Pliniani.

CAP. XI.

Proportionem auri ad argentum tempore Plinii fuisse circiter duodecuplam. Proportionem hanc non solum apud Romanos, sed etiam Græcos olim in usu fuisse. Eandem quoque proportionem aliquando fuisse tredecuplam, decuplam, & paulo inferiorem octocupla. Quale fuerit aurum illud, quod Cæsar ex Gallia Romam deportavit.

CAP. XII.

Labentis imperii temporibus proportionem auri ad argentum majorem fuisse, quam antea. Auctor cum venia præfatione a duobus Clarissimis sui temporis Viris dissentit. Viros summa eruditionis similes esse Medicis illis, qui, licet artis peritia excellant, sæpe tamen falluntur, quod propter negotiorum multitudinem omnia morborum phænomena in ægris ea attentione, qua par est, observare non queant.

sint nummi medii & minimi moduli. Nummos areos minoris moduli florente Imperio non aque frequentes fuisse, ac majoris moduli; quod secus sese habuit labente Imperio. De ultimo quadrante, *cujus in historia Evangelica fit mentio.*

CAP. XXVII.

Alia divisio unciæ, secundum Campanum. Ex quot sonis quarta & quinta composita sit, tam secundum veteres, quam recentiores Musicos. Quare recentiores non secuti sint divisionem Veterum. Nihil esse corrigendum in commentario Campani, contra opinionem Massarii. Campanum eo loco unciam in pondera minora, non vero minores monetas dividere.

CAP. XXVIII.

Verum libræ antiquæ pondus cognosci posse ex mensura pedis antiqui, & quomodo. Justam pedis illius mensuram in charta exhiberi non posse. Deceptos fuisse, qui id facere conati sint. Pondera Pati non fuisse justa & accurata. Debuisse eum sequi mensuram pedis Colotiani & Statiliani, & quare. Pondera, cum ad publicum modulum exiguntur, debere aliquid habere superpondii. Quare libra hodierna Romana pondere antiquam superet.

CAP. XXIX.

Rationes, cur libra Pati satis accurata non sit. Libram Romanam non indicare exactissime ponderum momenta. Patum errasse in definiendo pondere libræ antiquæ. Mensuram pedis antiqui in columna Porphyrii, cujus Philander meminit, justo majorem esse.

CAP. XXX.

Pedem antiquum Villalpandi discrepare a vera mensura pedis antiqui. Alchazarum a Villalpando, cujus opinionem secutus est, in errorem inductum fuisse. Pedes Suellii, Budæi, & Serlii, multo magis a vera mensura pedis antiqui discrepare, quam Villalpandi. Josephum Scaligerum gravissime omnium hac in re errasse. Quinam mensuram pedis Colotiani secuti sint. Auctorem justam & veram mensuram pedis antiqui, Romæ allatam, regulæ areæ incidi curasse. Mensuram hanc respondere pedi Colotiano. Experimentum circa pondus aquæ communis, factum in cubo, quartam pedis, supra memorati, partem implente.

CAP. XXXI.

Angulos vasis cubici apprime rectos esse oportere, & vas ipsum debito modo aqua repleri debere. Cur libra Romana (quam possis dicere ἡμιζύγιον, sive unilancem) *minus exacte ponderum differentias indicet, quam bilanx. Multa requiri, ut libra talis sit, quæ justo & minime fallaci libramento pondera trutinet.*

CAP. XXXII.

Error Villalpandi circa pondus congii, & quæ causa ipsum in hunc errorem impulerint. De bilance huc illuc nutante, quæ a Gallis vocatur balance a fleau allant & venant.

CAP. XXXIII.

Quid præterea observandum sit ei, qui ope bilancis rerum pondera quam accuratissime explorare cupit. De modo ponderandi res in aqua. Isto ponderandi modo interdum deprehendi posse, quinam nummi ad veterum nummorum similitudinem in forma effecti sint (moulées) *item quantum argenti nummo aureo, quantumve æris nummo argenteo admixtum sit; adeo ut nulla incisione, aliave ratione temperaturam nummi istius explorandi opus sit.*

CAP. XXXIV.

Variæ opiniones de pondere aquæ communis. Fallax Suiseli circa hanc rem experimentum. Differentiam ponderis, quæ inter diversa aquæ communis genera intercedit, esse minimam, & nullius pene momenti.

CAP. XXXV.

Explicatio loci difficillimi apud Athenæum lib. II. *in quo agitur de pondere aquæ montis Pangæi. Versionem antiquam loci hujus esse meliorem versione Dalechampii. Eundem errasse tam in vertendo hoc loco, quam in exponenda voce κοτύλη, nec Casaubonum errores Dalechampii animadvertisse.*

CAP. XXXVI.

Anacephalæosis eorum, quæ observanda sunt illi, qui verum pondus libræ antiquæ, ope cubi, ad pedis antiqui mensuram facti, indagare vult. Præcipua causa, quæ Villalpandum in errorem induxerint. Alchazarum & fallere & falli dum scripsit, Patum præsentem spectasse experimentum Villalpandi.

CAP. XXXVII.

Patum, Marianam, & Covarruviam, in indagando pondere libræ antiquæ omnium proxime ad verum accessisse. Libram Pharmacopœorum in Hispania male esse redactam ad libram communem istius regni. Pondus libræ Medicæ in Gallia.

CAP. XXXVIII.

De libra antiqua tam ponderum, quam mensurarum. De hemina, sive cotyla Romana & Attica. De Sextario. Libram mensurarum sexta parte leviorem fuisse libra ponderum.

CAP. XXXIX.

Argumenta, quibus ea, quæ capite præcedenti dicta sunt, probantur.

CAP. XL.

Villalpandum temere, & non absque insigni errore scripsisse, Galenum non solum circa veram cotylæ mensuram falsum esse, sed etiam nescivisse, quomodo Heras cum Heraclide conciliandus esset. Villalpandum ipsum, non vero Galenum, hac in re errasse. Venia tamen dignum esse, & quare.

CAP. XLI.

Cotylas, aliasque mensuras liquidorum, potuisse ejusdem esse ponderis, idemque nomen habere, quamvis diversæ essent magnitudinis. Cujus ponderis fuerint sex libræ sanguinis, quas Galenus una sectione ex vena se eduxisse dicit.

PARS QUARTA.

CAP. I.

Notitiam numismatum antiquorum tribus præcipue partibus absolvi, de quarum tertia Auctor in hac ultima parte se acturum profitetur. Qua ratione Auctor hanc notitiam consecutus sit.

CAP. II.

Cur numismata alia aliis majori in pretio habeantur.

CAP. III.

De numismatibus antiquis, & de modo ea dignoscendi. De numismatibus lamina tectis (fourrées,) *& falsam genuinitatis speciem præferentibus.*

CAP. IV.

De diversis generibus numismatum recentiorum, & in

LUDO-

LVDOVICVS SAVOTVS

DE

NVMMIS ANTIQVIS.

PARS PRIMA,

In qua quæritur, an Numiſmatum antiquorum idem, qui monetæ publicæ, uſus olim fuerit.

CAPUT PRIMUM.

Rationibus & auctoritatibus probatur, nummos antiquos, qui hodie vulgo Medailles *dicuntur, loco monetæ in commerciis a Veteribus adhibitos fuiſſe, ſecus ac Erizzius exiſtimat. Quoſdam tamen ab uſu monetæ exemptos fuiſſe. Quare imago Imperatorum in nummis fuerit expreſſa.*

SÆpenumero ex Antiquariis quæri ſolet, an numiſmata antiqua olim in monetæ publicæ uſum a veteribus cuſa fuerint: in qua quidem quæſtione ad examen revocanda Erizius, in Tractatu quem de *Numiſmatibus* conſcripſit, valde hæſitare videtur, dum non niſi pauciſſima huic olim uſui inſerviiſſe dicit. Ea enim ſola ad claſſem hanc referenda eſſe cenſet, quibus ſignum ovis, porci & bovis antiquitus fuerit impreſſum (quamvis ex hoc genere vel pauca vel nulla hodie amplius ſuperſint) nec non Victoriatos, & in quibus Jani caput repræſentatum fuerit. Nihilominus ubi de Conſularibus agit, profitetur, ſe erroris eos accuſaturum non eſſe, qui illa publico negotiationum & commerciorum uſui inſerviiſſe ſtatuant, quamvis ipſe ab hac opinione alienus ſit. Quod vero ad ea numiſmata attinet, in quibus Imperatorum Romanorum, eorumque conjugum, liberorum & ſucceſſorum imagines conſpiciuntur; horum nullum monetæ uſui olim deſtinatum fuiſſe, conſtanter affirmat. De aliis numiſmatibus, quæ Romana non ſunt, tacet, neque de iis ſententiam ſuam exponit, utrum nimirum credat, ea in monetæ uſum cuſa fuiſſe, an non. Cæterum, melior pars Antiquariorum, in quorum ſententiam ego quoque validiſſimis adductus rationibus concedo, ea tantum numiſmata excipiunt, quæ vulgo *Medaliones* appellantur, ſive quæ pondere, magnitudine, & craſſitie reliquis longe præſtant, & tempore Imperatorum cuſa fuerunt, illorum virorum memoriæ conſecrandæ gratia, qui non Principali dignitate, ſed doctrinæ atque ingenii præſtantia reliquos mortales antecelluerunt, veluti Pythagoræ, Apuleji, Apollonii Tyanei, aliorumque, qui fama atque ſapientiæ gloria his inferiores non habebantur. Plurimæ ſane & pene invictæ rationes, clariſſimaque multorum auctorum teſtimonia obſtant, quo minus Erizii ſententiam probare poſſim. Si enim idem de Imperatorum, quod de veterum Regum nummis argumentando colligere licet, nullum eſt dubium, quin monetæ Principum & Regum, qui vel præceſſerunt ætatem Imperii Romani, vel Romanis ſubjecti non fuerunt, ipſorum imagine ſignatæ fuerint. Nemo enim facile inficias ibit, nummos, qui apud veteres *Darici* & *Philippici* vocantur, ab impreſſa Regum Darii & Philippi imagine appellationem traxiſſe. Apud Artemidorum Stratonicus, cum per quietem vidiſſet, Regem a ſe pedibus conculcari, eventu deprehendit, nummum iſto ſomnio ſignificatum, quoniam moneta Regis effigiem præferebat. S. Iſidorus & Cedrenus ſcribunt vocem *nummus*, originem ſuam debere Regi Numæ, quod ille effigiem ſuam in nummis exprimi juſſiſſet. Sed quid argumentis tam longe petitis opus eſt, cum Dion nos doceat, auctoritate Senatus nummos effigie Julii Cæſaris ſignatos fuiſſe; Suetonius, Auguſtum nota ſideris Capricorni, ſub quo natus fuerat, nummum argenteum percuſſiſſe, quoniam Mathematicus quidam, hac ejus genitura cognita, ipſi prædixerat, fore ut aliquando Romæ rerum potiretur. Atqui hodienum tales reperiuntur nummi, quorum una pars notam Capricorni; altera ipſius Auguſti imaginem repræſentat. Præterea, ſacra Euangelii hiſtoria teſtatur, nummum cenſus, quem Judæi Romanis pendebant, Imperatoris imagine percuſſum fuiſſe. Seneca & Tacitus memoriæ produnt, læſæ Majeſtatis olim reum fuiſſe, quiſquis in locum aliquem obſcœnum vel ſordidum, nummum effigie Imperatoris ſignatum intuliſſet. Philoſtratus in vita Apollonii refert, dominum quendam læſæ Majeſtatis nomine condemnatum fuiſſe, quod ſervum ſuum, tenentem altera manu nummum, cui effigies Imperatoris

peratoris impressa erat, verberibus cecidisset. Dion quoque, cujus paulo ante facta mentio, testatur, Senatum aliquando decrevisse, ut nummi, qui imagine Caligulæ notati essent, in novam monetam conflarentur. Apud Suetonium legitur, Neronem in nummo quodam habitu Citharoedico semet effingi jussisse. Xiphilinus memorat, Vitellium nummis, quibus vultus priorum Imperatorum impressus erat, publicum in commerciis & negotiationibus valorem tribuisse. Quæ forte causa est, cur pauci nummi, imperante Vitellio, olim cusi fuerint, quod scilicet aliorum satis magna esset copia. Herodianus narrat, Severum Pertinacem, ut Albinum callide circumveniret, eumque falsa quadam communis Imperii specie deluderet, nummum ipsius imagine signari jussisse. Lampridius auctor est, Alexandrum Severum imaginem suam, ad similitudinem Alexandri Magni effictam, nummis impressisse. Idem tradit, Diadumenum, quamprimum Imperii insignia cepisset, vultus sui nota monetam percussisse. In epistolis Imperatorum Galieni & Claudii apud Trebellium Pollionem mentio fit aureorum quorundam nummorum, qui a Principum effigie, quam impressam habebant, *Valeriani* & *Salonimiani* appellati fuerunt. Idem narrat, Galienum Imperatorem matronis, se salutatum venientibus, nummum aureum, suo nomine, &, quod inde sequitur, imagine notatum, dedisse: eundemque percussisse monetam, in cujus una parte ipsius, in altera vero Odenati vultus expressus fuerit. Apud eundem, tyrannus Trebellianus jura Imperii invasisse dicitur, simul ac cum nominis & imaginis suæ nota nummos cudi jussisset; quod pari ratione Flavius Vopiscus a quodam Proculo, tempore Imperatoris Probi, factum refert. Uti vero Imperator Galienus, Odenati; ita Justinianus, teste Cedreno, Belisarii imaginem cum gloriosa hac inscriptione, *Gloria Romanorum*, ab una parte, suamque ab altera, monetæ imprimi jussit. Imperatores libro duodecimo Codicis Theodosiani, titulo septimo, testantur, nummos imagine sua signatos fuisse, dicentes, *quod, si quisquam scire velit pondus solidi aurei, nostrum effigiem habentis*; *&c.* Imperatores Valentinianus & Valens edixerunt, ne quis nummos, veterum Imperatorum imagine insignitos, sive in emendo sive vendendo accipere recusaret, modo adulterini non essent. Theodosius & Valentinianus ægre tulerunt, quod nummos, parentum suorum vultibus percussos, Romani accipere detrectarent. Multi historici nos docent, Papam Constantinum, excommunicato Imperatore Leone III, dicto Iconomacho, populo usum monetæ, quæ ipsius nomen & imaginem exhiberet, interdixisse. Cedrenus & Zonaras vitio vertunt Imperatori Nicephoro Phocæ, quod, cum veterum Imperatorum nummi, servata antiqua consuetudine, in usu adhuc essent, idemque valerent, quod posteriorum Imperatorum nummi, modo ejusdem essent ponderis; illorum tamen, qui ipsius nomine & effigie signati essent, multo majus quam aliorum pretium constituisset. Jurisconsultus Paulus, pœna Legis Corneliæ plectendum esse ait, quisquis monetam, quæ effigiem Principis impressam haberet, nec adulterina esset; accipere detrectaret. Nimirum, ut Ammianus Marcellinus præcipue observat, apud veteres in more positum erat, ut, novo aliquo Imperatore electo, nummi statim cum ipsius nomine & vultu cuderentur, quo omnibus, ratam hanc electionem esse, constaret. Plurima sane in Jure Civili reperiuntur testimonia, quibus docemur, hanc nullo non tempore omnium Imperatorum fuisse consuetudinem, ut nummos vultus sui nota percuterent. Ipsi Poëtæ tam gentiles quam Christiani id confirmant, cum de suorum temporum nummis loquuntur. Ultimi denique argumenti loco clarissima Cassiodori verba, ex epistola ejus septima libri sexti excerpta, in medium proferam, quæ ita se habent. *Ut figura vultus nostri metallis usualibus imprimatur, monetamque facis de nostris temporibus futura secula commonere. O magna inventa prudentium, o laudabilia instituta majorum, ut & imago Principum subjectos videretur pascere per commercium, quorum consilia invigilare non desinunt pro salute cunctorum.* Imago Principum, secundum Aristotelem in politicis, ideo nummis imprimebatur, ut subjecti de justo pondere & metalli, ex quo conflati erant, bonitate persuasi essent. Vix enim credibile videbatur, quenquam eo audaciæ facile processurum, ut monetam publicam adulterare, & sacrilegas quasi manus imagini Principis admovere haud vereretur, præsertim cum, qui id fecisset, haud leviori pene supplicio dignus censeretur, quam si sacrosanctam ipsius Principis personam nefario ausu violasset. Hanc ob causam nummis Imperatorum aliquando inscripta legitur vox *sacra moneta*; & Cassiodorus, vel potius Rex Theodoricus apud Cassiodorum ita inquit: *Omnino moneta debet integritas quæri, ubi & vultus noster imprimitur, & generalis utilitas invenitur. Quidnam erit tutum si in nostra peccetur effigie? & quam subjectus corde venerari debet, manu sacrilega violare festinet?* Imagines Imperatorum tantu cultu olim prosequebantur gentiles, ut eas venerabundi quoque adorarent. Quare cum eam ob causam idolis eæ merito accenseri possint, viro cuidam erudito nostri temporis probabile visum est, avaritiam & immoderatum nummorum amorem hoc sensu a sancto Paulo *Idololatriam* vocari.

CAP. II.

Nonnullæ objectiones testimoniis capite superiore adductis oppositæ: duæ ab Erizio, reliqua ab ipso auctore; quæ capitibus sequentibus diluentur. Respublicas & Principes olim non solum aurum atque argentum signatum, verum etiam infectum, & in massas conflatum in thesauris suis habuisse. Bulengeri error in exponenda voce Massa Veternensis *apud Ammianum Marcellinum.*

Si Erizius omnia hæc auctorum testimonia, quæ sententiam ejus manifesti erroris arguunt, ad animum suum revocasset, facile equidem, credo, se ab ea dimoveri passus fuisset. Verum quidem est, ipsum nonnulla eorum scivisse, verum paucissima, & quæ momenti non adeo magni sunt; contra quæ tribus potissimum argumentis opinionem suam defendere conatus est. Primum est, haud quaquam verisimile videri; imagines Imperatorum impressas fuisse monetæ, quoniam, cum imagines istæ ob summam sanctitatem adorationis cultu affectæ fuisse legantur, profanationis periculo, ut ipse putat, expositæ fuissent, si commerciorum & negotiationum usui inservissent, & hominum quorumque vilissimorum sordidissimorumque manibus identidem tractatæ fuissent. Porro ait, vocem *numus* & *numisma* in illis auctorum locis, quæ contra se adducantur, non significare nummos, ad usum monetæ cusos, sed quas hodie vocant *medalias*, sive nummos symbolicos, eo quod veteribus Græcis & Latinis non fuerit alia vox, qua monetam distinguere essent a nummis hisce symbolicis, ideo tantum cusis, ut Imperatorum quorundam memoriam consecrarent, non vero, ut monetæ vice fungerentur, cum ex nullo auctore

ctore demonstrari possit, vocem *moneta* & *pecunia* denotare nummum, in quo effigies Imperatoris expressa fuerit, vel nummos, ea nota percussos, commerciis, negotiationibus, variisque mercium commutationibus olim inservisse.

Alterum argumentum est; numismata antiqua, ea forma, qua hodie conspiciuntur, cusa, non potuisse monetæ usum præbere ob asperitatem & nimiam figurarum eminentiam, quæ numerandi facilitatem impediat; cum contra monetam figuras minus exstantes & depressiores habere oporteat, ut tactu sit lævior, & manibus eo facilius tractari queat. Præterea, pondere ea nimium inter se differre, & curatius elegantiusque, quam pro monetæ usu, esse percussa. Argentea vero diversis temporibus cusa, licet ejusdem sint ponderis, non tamen ex materia æque bona omnia esse conflata.

Tertium est, majora saltem numismata ætea in monetæ usum cudi a veteribus non potuisse, quoniam nullæ formæ (sive, ut Galli vocant, *cunei*, *coings*) iis percutiendis diu sufficere quivissent, nec absque magnis impensis figuræ illorum æri incidi potuissent: Ob quas duas rationes, æreæ monetæ pretium, proportionis habita ratione, longe majus, quam aureæ atque argeoteæ, futurum fuisse putat.

Ad objectionem de nummo census, quem Judæi Romanis pendebant, quemque imagine Imperatoris signatum fuisse historia Evangelica testatur, respondet, Judæis olim argenti drachmam tantum fuisse imperatam, quam ipsos, ut majorem Imperatori exhiberent honorem, ejus effigie percussisse, eamque ob causam a vulgari commerciorum & monetæ usu segregasse dicit, præsertim cum Siclos haberent, monetam patriam, quibus solis publice in commerciis usi olim fuerint.

Antequam hic Erizio respondeam, nonnulla addam, ex meo penu deprompta, quæ ejus sententiam magis confirmare videntur. Et primo quidem quod ait, monetam fuisse rem profanam, eamque ob causam sacrosancta Imperatoris imagine minime signandam, confirmari videtur auctoritate Festi Pompeji, qui in voce *manumitti*, testatur, Dominum olim, cum servum suum *sacrorum causa* manumitteret, hac formula usum fuisse, *Pro eo auri X. puro, probo, profani, meo solvo.* Ex quibus verbis colligi posse videtur, monetam, cujus olim in commerciis usus fuit, non solum ex bona materia conflatam, sed etiam profanam, id est, secundum eundem Festum, non sacram esse debuisse. Præterea, ad stabiliendam opinionis hujus veritatem multo magis facere videtur auctor *Notitiæ Imperii*, titulo de *rebus bellicis* cap. 1. ubi legitur, Principes olim auro tantum atque argento effigiem suam imprimi jussisse, eamque profano commerciorum usui ob sanctitatem suam exemptam fuisse. Verba auctoris modo dicti hæc sunt: *Sed potentia Regalis pro licentia speciem suam tantum in auro argentoque signavit: quæ pro reverentia figuræ nullis usibus proficiens, ad honorem Regnum sacrata permansit.*

Tertia ratio non caret difficultate inter nonnullos viros eruditos. Ovidius enim de moneta sui temporis ita loquitur:

> *Æra dabant olim, melius nunc omen in auro est:*
> *Victaque concessit prisca moneta novæ.*

Et ante eum Lucretius:

> *Nunc jacet æs, aurum in summum successit honorem.*

Johannes de Aquila quoque, in libro *de potestate & utilitate monetarum*, capiti cuidam hunc inscripsit titulum, *Quod moneta intelligatur de aurea & argentea;* ad quam sententiam confirmandam allegat Guidonem Papam Quæst. 492. & Doctores ad quasdam Leges Codicis, ut patet ex lectione capitis modo dicti.

Porro, quod Erizius statuit, Judæis olim non nummum signatum, sed materiam tantum cudendæ monetæ aptam tributi loco imperatam fuisse, non destituitur veri specie, quandoquidem ex utroque Codice, titulo *de susceptoribus, præpos. & arcariis* apparet, permissum olim fuisse infecto metallo tributum solvere: id quod etiam probatur ex titulo *de ponderatoribus & auri illatione* eorundem Codicum. Etenim, quicquid olim tributi nomine pendebatur, sive ea moneta esset, sive materia cudendæ monetæ apta, puta aurum, illud omne conflatum ad obrussam exigebatur, scoriæque Susceptoribus sive Collectoribus reddebantur, quibus hanc ob causam summo studio providendum erat, ne moneta sive materia minus bona sibi solveretur, quoniam quicquid scoriarum sive materiæ deterioris admixtum deprehendebatur, id omne illorum damno cedebat. Moneta hæc igitur sive materia igni probata in massas conflabatur, eaque a Collectoribus & Thesaurariis, non numerata, ne quis fraudi locus esset, sed ad lancem appensa in ærarium inferebatur: Idque eo magis, quoniam multo plus operæ temporisque in examinando pondere & materia singulorum nummorum, quam in iis conflandis, ponendum fuisset. Atque hæc quæ dixi colligi possunt ex lege duodecima & decima tertia libri XII. Codicis Theodosiani, titulo *de Suscept. Præpos. & Arcar.* nec non ex lege tertia & ultima ejusdem Codicis, titulo *de Ponder. & auri illat.*

Nullum est dubium, quin Romani olim in ærario suo non solum monetas, verum etiam auri atque argenti infecti massas habuerint, quæ a figuræ similitudine *lateres* vocabantur, ut testatur Nonius Marcellus cap. 2. *de honestis & nove veterum dictis per litteram*, in voce *later*: & cap. 12. *de Doctorum indagine*, ubi Varronis auctoritatem his verbis adducit: *Varro de Vita Populi Romani libro tertio. Nam lateres aurei atque argentei primum conflati, atque in ærarium conditi.* Plinius etiam nos docet, Cæsarem, cum initio belli civilis Romam venisset, ex ærario *laterum aureorum XXVI.M. & in numerato pondo CCC.* deprompsisse. Idem paulo ante dixerat, *Auri in ærario P. R. fuere, Sex. Julio L. Aurelio Coss. septem annis ante bellum Punicum tertium, pondo CCCXVII. argenti nonaginta duo millia, & extra numerum CCC. & LXXXIV.* Tempore quoque Imperatorum thesaurus Fisci non solam auro atque argento numerato, verum etiam infecto, sive massis, constabat. Probari id potest ex Titulis ante memoratis *de suscept. &c.* & ex Lege 7. Cod. Justinian. Tit. *de Palatinis Sacrarum largitionum & rerum privatarum*, ubi notanda hæc verba, *Scrinii aurea massa, Primicerius aurea massa*, non vero, *argentea massa*, prout hæc verba allegat Buleogerus lib. 3. *de Imperio Romano*, cap. 27. *de massa fiscali*: Quo quidem loco, ut probet, olim quoque massas auri atque argenti infecti in ærario Imperatorum servatas fuisse, inter alia adducit quoque locum quendam ex libro 14. Ammiani Marcellini *de massa Veternensi*. Sed fallitur ibi Vir doctus, quod pace ejus dixerim, quoniam vox *massa* eo loco *fundum* sive *mansum* significat, quod ipse sensus verborum, quæ ibi leguntur, cuivis facile persuadet. Ait enim Marcellinus, *Natus apud Tuscos in massa Veternensi.*

Præter ea; quæ supra dicta sunt, alia insuper in

in mentem mihi veniunt, ex quibus Erizii sententiæ non parum roboris accedere posse videtur. Primum est, quod S Gregorius Nazianzenus, Oratione quadam Steliteutica, de numismatibus verba faciens, de iis non tanquam moneta profana, sed tanquam de re quadam sacra loquatur, & quam homines venerabundi ob conjunctam Imperatoris effigiem adorare solerent. Verum quidem est, quod expresse numismatum mentionem non faciat; attamen dubium non est, quin de iis locus iste intelligendus sit, quoniam non solum de Imperatorum imaginibus, quas in nummis expressas fuisse constat, sed etiam de talibus rerum figuris ibi loquitur, quales hodienum in aversis numismatum partibus conspiciuntur. Verba ejus Latine versa hæc sunt: *Parumque habent ipsi adorari, nisi idem quoque sibi in imaginibus picturisque præstetur: quo cumulatior sit ipsis perfectiorque veneratio. His porro imaginibus alii Imperatores aliud quiddam præterea appingi gaudent: Quidam clarissimas urbes dona afferentes, alii victorias caput cingentes: nonnulli Magistratus adornantes, & præfecturarum tesseris exornatos: sunt qui ferarum jugulationes & ejaculationes: alii Barbarorum domitorum & ad pedes provolutorum, vel trucidatorum varias multiplicesque figuras.*

Alterum est, quod pleraque numismata, quæ hodie Corinthiaca appellantur, ex ære inaurato facta esse constet. Uti igitur verisimile non videtur, ejusdem olim valoris ea fuisse, cujus reliqua moneta ærea; ita nec dici potest, pluris æstimata fuisse, quoniam pro modo inaurationis pretii ratio varie ineunda fuisset; quæ res non solum judicatu difficillima fuisset, verum etiam multis fraudibus locum fecisset. Accedit, quod pro diuturnitate usus, quo aurum nummis illitum paulatim deterebatur, pretium identidem diminuendum fuisset, quod publici commodi ratio non patiebatur.

CAP. III.

Multo majori Principibus honori olim fuisse, si imaginem suam in moneta, quam statuis, tabulis, ullave alia materia effingi curarent. Jus hoc solos Principes sibi vindicasse. Summi imperii signum fuisse, monetam auream vultu suo signare; summo proximi, argenteam; infimi, æream, & ex mixto metallo (billon *) conflatam. Hoc honore, utpote summo, ipsas etiam Jesu Christi & Sanctorum ejus imagines affectas fuisse: Quæ omnia multis exemplis & historiis egregie illustrantur.*

Omnes hæ rationes, capite superiori in medium prolatæ, non obstant, quo minus sententia Erizi rejicienda sit. Summus certe honor olim habebatur, si cui statua decerneretur, quoniam, ut Plinius ait, *effigies hominum non solebant exprimi, nisi aliqua illustri causa perpetuitatem merentium.* Nobilitatis signum inter veteres Romanos erat *jus imaginis*, uti hodie jus insignium, præsertim quæ cum galea conjuncta sunt. Supra communem enim reliquorum hominum sortem eminere videbantur, quorum imago in ære, aliave quanda materia exprimebatur, quoniam hac ratione mortis imperium, cui omnes per naturam obnoxii sunt, quodammodo effugiebant, nominisque ipsorum memoria, ab interitu & oblivione vindicata, seræ posteritati prodebatur. Etenim, uti Ennodius inquit, *Per hæc simulacra nesciunt obitum vel sepulti: in æternitatem migrat per has artes imago mortalium, & angustam humanæ naturæ legem vincit industria.* Cæterum, effigiem suam monetæ impressam habere, omnia ista honorum genera longe superabat. Statuis enim & imaginibus decorabantur omnes de Republica præclare meriti, cujuscunque essent conditionis. Quæ causa est, cur tempore Plinii Romæ tantus pene statuarum, quantus hominum ibi viventium, numerus fuerit. Quod etiam Cassiodorus confirmat, dicens, *Tot ibi statuas fuisse, ut posteritas parem populum cum arte dederit, quam natura procreavit.* Sed quod ad prius jus adtinet, istud soli Imperatores & Principes præcipuum habebant, si a paucissimis discedas, quibus hoc privilegium ab Imperatoribus ideo concedebatur, ut Principalis dignitatis veluti radius quidam cum iis communicaretur: quanquam & tum vilioris metalli genus, in quo effigies illorum exprimebatur, inferiorem honoris gradum indicabat. Solis enim Imperatoribus tantum fas erat vultus sui effigie monetam auream percutere, uti & eorum matribus, conjugibus, fratribus, liberis, & futuris successoribus, qui Cæsares dicebantur, vel etiam iis, quos Principes dignitatis gradu æquare sibi volebant, uti Augustus legitur Agrippam non solum Imperii hæredem destinasse, sed etiam, semet adhuc vivente, Imperatorem facere voluisse. Cum enim, ut Dio narrat, gravissimo & ancipiti morbo aliquando decumberet, Imperio sese abdicare, modo id voluntate Populi ei facere licuisset, ejusque arbitrium vel Populo rursus permittere, vel in Agrippam, quamvis humili loco ortum, transferre decreverat. Quamvis enim plerumque milites, vel Senatus, vel etiam quod rarius, ambo interdum, Imperatorem eligerent; tamen Imperator, si nullus esset Imperii hæres, jus habebat sibi Successorem eligendi, quod patet ex oratione illa, quam Valentinianus, adscito in societatem Imperii Valente, ad milites habuit, qua eos docet, Imperatore mortuo, in illorum potestate situm esse aliquem ad imperandum eligere; at postquam elegerint, ipsis obsequii tantum gloriam relictam; Imperatori vero soli de Reipubl. salute cogitandum esse. Nicephorus testatur, Helenam, matrem Constantini Magni, monetam auream vultus sui effigie signasse. Petavius, Consiliarius quondam Parlamenti, libro illo, quem de numismatibus & præcipuis Musei sui cimeliis publici juris fecit, nummum quendam matris S. Ludovici exhibet. Inveniuntur etiam hodienum numismata fratris ejusdem Ludovici Sancti, nec non Johannis Ducis Berriensis, qui erat frater Caroli quinti; posteriorum Ducum Burgundiæ, qui erant filii Regum Franciæ; Annæ Britannicæ, conjugis Regis Francisci primi; Delphinorum, qui Regum Galliæ filii sunt primogeniti; uti & fratris Regis Henrici tertii; quin etiam Johannis Jacobi Trivulsii, Mareschalli Franciæ, cui Rex Ludovicus XII. hoc privilegium ex singulari quadam gratia concesserat.

Procopius scribit, Romanos ne ipsis quidem Persarum Regibus, uti nec aliis, etiamsi majore auri quam argenti copia abundarent, jus dedisse monetæ aureæ imaginem suam imprimendi; idque non nisi primis nostris Regibus permisisse, quod impedire non possent, quo minus monetam ex auro, quod ea metallis Galliæ effodiebatur, percuterent, eamque vultu suo signarent. Anastasius vero, cui cognomen Dicori fuit (uti Hulsius se ex Procopio observasse dicit) non solum huic, sed etiam omnibus aliis juribus in Galliam, quam Reges Francorum jam ante Clodovæum a Romanorum jugo liberaverant, in gratiam Clodovæi renunciavit. Quare solos Reges nostros reperio jus habuisse in moneta aurea effigiem suam exprimendi, eo tempore, quo Imperatores Romani, Imperii sui magnitudinem armis adhuc utcunque tuebantur.

bantur. Adeo enim ægre ferebant, a quoquam unicum hunc supremæ suæ potentiæ characterem usurpari, ut, auctore Zonara, Leontius Dux Justiniani II. aliquando pacem cum Principe Arabum factam rescinderet, causatus, tributum moneta aurea solutum esse, quæ aliam quam Imperatoris effigiem repræsentaret. Nimirum, indignum prorsus Romanis Imperatoribus, & minime ferendum videbatur, monetam auream alia uspiam quam suis imaginibus fulgere, eumque honorem sibi solis ob Imperii sui præstantiam debitum cum aliis vulgari. Ab eadem causa inimicitiæ inter Ducem Britanniæ Petrum Dreusium, & Regem Galliæ Ludovicum ortæ sunt A. 1464. Dux enim monetam auream suo vultu percusserat, secus ac conditionibus pacis, inter ipsum & Regem Andegavi initæ, cautum erat, quoniam ex fœdere non nisi argenteam & ærosam (de billon) cudere ipsi licebat. Quod ad eam monetam attinet, quæ non est aurea, Imperatores & Reges potentiores aliquando quibusdam Principibus, Rebuspublicis & Civitatibus potestatem dedisse leguntur nummos ærosos, vel æreos, & interdum, licet rarissimé, argenteos cudendi, ita tamen ut alteri eorum lateri effigies ipsius Imperatoris imprimeretur, nummique eo pondere materia & forma constarent, quam Imperator vel Rex jussisset. In libris Machabæorum legimus, Regem Antiochum permisisse Judæis, ut propriam haberent monetam. Ex quo tempore Græci ditionis Romanorum esse cœperunt, in numismatibus eorum ab una parte effigies Imperatoris, ab altera quædam notæ Rerumpublicarum vel urbium Græcarum, veluti templa, aliæve res, quæ ipsis propriæ erant, conspiciuntur, notandumque, ea numismata plerumque ærea, rarissime vero argentea esse. Sigonius libro xv. de Regno Italiæ memoriæ prodit, Imperatorem Henricum VI, cum Anno 1091. in Episcopatu Bononiensi commoraretur, urbi Bononiæ concessisse jus monetæ percutiendæ, addita conditione, ut ab una parte imago Imperatoris, ab altera Urbis Bononiæ exprimeretur.

In tabulario Curiæ monetalis Parisiensis reperitur Catalogus Prælatorum, & Baronum Galliæ, qui jus signandæ monetæ quondam habuerunt; ex quo appatet, Regem olim pondus, materiæ bonitatem, & charagma tam aversæ, quam adversæ partis, præscripsisse. Hic Catalugus compositus est 17. die Maji, anno 1316, regnante Ludovico Hutino. Privilegium istud postea expiravit, utpote redemptum a Regibus Galliæ. Inter alios Robertus Artoisius Comes Bellovaci jus suum Regi vendidit pretio sexies mille librarum, ut Choppinus refert ex breviario Archivi, capsula 52.

Herodotus memoriæ prodit, Darium morte mulctasse Aryandem, Ægypto a se præfectum, quod monetam, absque sua permissione, vultu proprio signasset. Apud Herodianum quoque in Vita Commodi legitur, inimicos Perennis, qui apud Commodum gratia & auctoritate plurimum valebat, falsos suppposuisse nummos, imagine Perennis notatos, ut ei hæc ratione perniciem accerserent; qua occasione etiam Commodus postea usus, tam Perennem, quam filium ejus e medio tolli jussit, ob odium, quod adversus eos conceperat. Duchesnius in Historia domus Chatillionensis refert, cum Guido Chastillonius, primus hujus nominis Comes Blesensis & Dunensis, monetam proprio nomine percuti jussisset, quod, ut verisimile est, per leges Regni ipsi non licebat, Procuratorem Generalem non solum modo dicto Comiti Blesensi, sed etiam ejus amicis & fidelibus, nimirum Comiti Marchiæ, ejus Fratri, Comiti Valesiæ, ejus patruo, Comitibus Claromontanis, Cenomanensibus & Bellovacensibus certas quasdam quæstiones, monetas eorum concernentes, proposuisse, ut docent regesta Curiæ; in quibus præterea legitur, Procuratores supra memoratorum Comitum, die 13. Jun. A. 1320. se Regis voluntati submisisse, ejusque arbitrio totam hanc rem nomine Comitum suorum ita permisisse, ut quicquid luberet, de ea statueret.

Ut igitur Principes inferiores, qui potentiori Monarchæ subjecti, eique nexu fidelitatis obstricti erant, illius imagine, in signum subjectionis, monetas suas signare tenebantur; ita Imperatores, & potentiores Reges Christiani, qui nullum, nisi solum Deum, superiorem se agnoscebant, ut divinæ Majestati se devotos & subjectos testarentur, non sua, sed Jesu Christi, tanquam supremi Monarchæ, & Regis Regum effigie nummos percusserunt; repeiunturque adhuc hodie tales nummi, in quorum una parte effigies Christi, non dimidia, vel alterum latus occultans, sed totam faciem ostendens spectatur, addita hoc Inscriptione: *Jhesus Christus basileus basileon*; quod Cedrenus, Scylites & Glycas a Joh. Zimisce factum esse scribunt. Alii, ut omnibus palam facerent, se regni sui fasces venerandæ cruci submittere, in parte postica nummorum suorum exhibuerunt crucem, lapillis pretiosis ornatam, adjecta epigraphe: IHΣ XPΣ NIKA.

Mos imaginem Jesu Christi nummis imprimendi adeo olim inter Imperatores & Reges Christianos erat receptus & usitatus, ut Zonaras memoret, Isaaco Comneno ab Historicis vitio versum fuisse, quod, cum regno potitus esset, non, secundum morem priscum, Jesu Christi, sed sua imagine, quæ manu strictum gladium tenebat, nummos percussisset. Factum enim hoc, tanquam impium, nonnulli ita interpretabantur, quasi Isaacus Comnenus hac ratione significare voluisset, se non Deo, sed soli gladio regnum suum acceptum ferre.

Non potest igitur erroris absolvi Erizzius, dum nummos, effigiebus Imperatorum notatos, neutiquam monetæ usum olim præbuisse existimavit, falsoque sibi persuasit, cessurum hoc fuisse in contemptum nominis & imaginis Principalis. Contra enim ostendimus, ipsos Imperatores credidisse, characterem hunc supremæ Majestatis cum tanto honore eorum, quorum vultus in nummis repræsentabantur, conjunctum esse, ut is Christo potius, quam sibi convenire videretur.

CAP. IV.

Erizius existimat, nummos eos, qui usum monetæ non præbebant, a Veteribus appellatos fuisse Numilina, Nummus, Moneta *&* Pecunia, *ob defectum aliarum vocum, ad rem hanc apte exprimendam idonearum; quod refellitur, & ostenditur, in promptu fuisse voces* Imago, Signum, Sigillum, Clypeum; *& in Græca lingua* προτομὴ: *posterioribus vero temporibus* Thorax, Thoracida, Lavratum, *vel* Labratum.

Qui antiquitatum periti sunt, non ignorant, hominibus nobili genere ortis in more olim positum fuisse, capita sive vultus majorum suorum, ceris expressos, quos *Imagines* vocabant, in atriis collocare. Plinius Lib. xxxv. c. 2. hic de re ita scribit: *Expressi cera vultus singulis disponebantur armariis, ut essent imagines quæ comitarentur gentilitia funera. Hæ imagines*, ut ait Turnebus,

bus, *non integri & totius corporis fuerunt, membris & lineamentis tantum effingentes humerorum tenus.* Suetonius itidem in vita Tiberii *imagines Principum, sacros vultus* vocat; de quibus etiam S. Ambrosius Lib. VI. c. 6. *Hexaem.* loquitur, dum ait: *Capita & ducti vultus de ære adorantur.* Porro numismata, quæ in quotidiania hominum commerciis monetæ usum non præstabant, appellabantur *Clypei* vel *Clypea*, eo quod communem cum clypeis veterum obtinerent figuram, quæ erat rotunda, quemadmodum probant nummi ærei, formam veterum clypeorum impressam habentes, quos inter eum primis videri meretur nummus, Augusto imperante cusus, in cujus uno latere parma rotunda repræsentatur, cum literis his S. P. Q. R. CL. V. quæ sic interpretandæ sunt, *Senatus Populusque Romanus Clypeum Vovit.* Idem probatur alio insuper testimonio Plinii, qui Lib. XXXV. Cap. 31. *Scutis*, inquit, *qualibus apud Trojam pugnatum est, continebantur imagines, unde & nomen habuere clypeorum, non ut perversa Grammaticorum subtilitas voluit, a cluendo.* Et paulo ante sic scribit: *Decora res utque si liberorum turbam parvulis imaginibus, seu nidum aliquem sobolis pariter ostendant, quales clypeos nemo non gaudens favensque aspicit.* Cæterum, Grammaticus Charisius vult, *Clypeum* in neutro genere tantum significare imaginem, *medaliæ*, sive numismati forma similem: Quo sensu Trebellius Pollio in vita Claudii ait: *Illi clypeus aureus, vel, ut Grammatici loquuntur, clypeum aureum Senatus judicio in Curia positum est, ubi etiam nunc videtur expressa thorace vultus ejus imago.*

Tales figuræ, militum signis additæ, non *imagines* tantum, sed & *signa* vocabantur, quemadmodum ex Vegetii Libro *de re militari*, Cap. 61. patet. *Prima cohors*, inquit, *imagines Imperatorum, id est, divina & præsentia signa veneratur.* Huc referenda Plinii verba ex Lib. XXIII. *Color argenti clarior est, magisque diei similis, ideo militaribus signis familiaris.* Ejusmodi imagines, uti superius innui, militaribus signis additæ, similis cum majoribus numismatis erant figuræ; & propter has imagines, illi, qui signa gestabant, *Imaginarii* vel *Imaginiferi* dicebantur. Milites cum populo hasce imagines divino prosequutos fuisse cultu, non tantum ex Vegetii testimonio, superius adducto, liquet, sed etiam ex verbis Capitolini, in vita Maximini & Balbi, dicentis, *legiones ipsæ & auxilia ubique terrarum jam vestros vultus adorant.*

Græci eas imagines, quæ hominum vultus humerorum tenus repræsentant, uti in monetis fit, appellant *προτομάς*, quemadmodum probat Josephus, qui, ubi agit de seditione, a Judæis mota ob tales imagines, signis militaribus additas, quas omnes, qui eas vidissent, adorare tenebantur, utitur voce *προτομή*. Cœlius Rhodiginus quoque Lib. XXIX. Antiquar. lectionum, cap. VII. eodem sensu verba *προτομὰς βασιλικὰς* interpretatur. Adhelmus, in tractatu suo *de laudibus Virginitatis*, imagines has vocat *Thoraces* & *Thoracidas*. Præterea Strabo Lib. VIII. *de rebus Ecclesiasticis* scribit, Imperatorem Constantinum Apostolos Petrum & Paulum, cum ipsi apparerent, agnovisse ex thoracidibus. Olim Imperatores, cum essent electi, Romam, & in Provincias mittebant imagines suas, quas sequioribus seculis dixerunt *Laurata*, vel *Labrata*, a labris, eo quod homines adorabundi eas oscularentur, cum facibus & odoribus obviam iisdem procedentes, ut testatur Optatus Milevitanus, qui *Lauratis*, inquit, *& Iconibus quæ mittuntur ad civitates vel regiones, obvii adeunt populi cum cereis & incensis, non cera perfusam tabulam, sed Imperatorem honorantes.* Gravem itaque errat errorem Erizius, dum putat, ob defectum verborum, dictas imagines apte exprimentium, Veteres adhibuisse vocabula *Nummus*, *Numisma*, *Moneta* & *Pecunia*.

CAP. V.

Responsio ad secundum Erizii argumentum, quo probare conatur, Numismata antiqua, vulgo Medailles *dicta, non fuisse olim in commerciis loco monetæ adhibita, ideo quod figuras habeant nimis prominentes vel extantes; præterea, admodum inæqualis sint ponderis, & valoris; & denique, majorem, quam pro usu monetæ, operis elegantiam præ se ferant.*

Reliquum nunc est, ut respondeamus Erizio ad quatuor dubia, quæ secundum ejus argumentum complectitur. Horum *primum* est, numismata, Imperatorum imagine signata, nimis exstantes & eminentes habere figuras. *Secundum*, maximam in pondere eorum esse diversitatem. Tertium, quamvis numismata, diversis temporibus cusa, ejusdem sint ponderis, metalli tamen bonitate maximè inter se differre, cùm ea, quæ posterioribus seculis signata sint, valore intrinseco prioribus longe cedant. Quartum, ea majorem artis & operis elegantiam, quam usus monetæ requirere videatur, præ se ferre. Sed rationes hæ non solum maxime sunt infirmæ, sed etiam ita comparatæ, ut contra ipsa illa numismata, quæ monetæ usum olim præstitisse fatetur Erizzius, objici possint. Nam nummi Consulares, & illi, qui Jani bifrontis imagine notati sunt, non habent figuras minus exstantes, nec minorem præferunt elegantiam, nec minus pondere inter se differunt, quam nummi Imperatorum. Quod ad numismata posteriorum seculorum adtinet, quæ bonitate prioribus cedunt, non est, quod credamus, ea illam ob causam non præbuisse pecuniæ usum: imo, si vim objectionis hujus accuratius consideremus, eam Erizii sententiam non confirmare, sed potius evertere deprehendemus, quoniam ea solet esse pecuniæ conditio, ut labentibus annis in deterius semper mutetur. id quod tam manifestum est, ut adversantium opiniones hic refellere velle, idem foret, ac tempus inutiliter terere. Præterea, monetæ, exstantioribus figuris præditæ, non tantum facilius à sese invicem secerni & dignosci possunt, eamque ob causam numeratu faciliores sunt illis, quæ figuras habent planas, sed & usu non tam cito consumuntur, quippe paucis tantum in locis sese contingentes; cum planæ contra per totam superficiem sese mutuo atterant, & ideo nec figuras impressas, nec constitutum valorem diu retineant: Unde fit, ut non sine magno subditorum detrimento sæpe sint recudendæ. Ipsi quoque Principes memoriæ nominis sui, rerumque à se gestarum, male consulunt, qui monetas planas cudunt, quoniam figuræ illis impressæ brevi tempore abolentur; cum contra monetæ asperiores, & exstantioribus figuris præditæ, fidelius & diutius vultum nomenque Principis sui custodiant. Quoniam igitur tam Principis, quam subditorum maxime interest, ut monetæ admodum prominentes habeant figuras; veteres Imperatores & Principes prudentissima ratione tales nummos cudi semper jusserunt.

Quod si quis ulterius instet, numismata antiqua, ob ponderis diversitatem, monetæ usum olim præbere non potuisse; illi respondemus, ob eandem rationem dicendum fore, monetas, quibus gentes hodie

hodie utuntur, non posse esse monetas, quoniam & nos habemus Scutatos, qui, quamvis non sint circumcisi, sed ponderis integri, uno tamen & altero grano interdum alii aliis leviores ponderosioresve existunt.

Quod si ad stateram examinare vellemus Scutatos adulteratos, in margine circumcisos, & longo usu attritos, majorem utique in illis deprehensuri essemus ponderis diversitatem: nihilominus, qui inde concludere vellet, Scutatos nunquam in usum monetæ cusos fuisse, ridendum se utique propinaret. Eædem rationes nos docebunt, quæ causa sit, quare in numismatibus antiquis tanta ponderis reperiatur inæqualitas. Quod si denarios Imperatorum ponderemus, deprehendemus, plerosque eorum duos denarios & quindecim grana a tempore Neronis pendere: Denarios autem Consulares, aliosque nummos argenteos ad trutinam si revoces, illos ad ætatem fere Neronis usque ejusdem pene cum grossis nostris ponderis esse, patebit. Primis enim Imperii Romani temporibus, denarios octava sui parte graviores fuisse illis, qui post Neronem cusi fuerunt, fusius paulo post, ubi specialius de numismatum pondere tractaturus sum, demonstrabo.

Tandem, quod adtinet ad nummos æreos, illorum pondus adeo accurate investigari non debet, tum quia ærugo, cui metallum illud obnoxium est, & usus quotidianus, illorum pondus valde immutat & minuit; tum quia olim, uti & hodie, operæ pretium non habebatur, ponderi nummorum æreorum explorando summam diligentiam impendere, propter materiæ istius vilitatem. Pluris enim intererat, lucrari tempus, quod in accurate ineunda ponderis illorum ratione ponendum fuisset, quam summa cautione providere, ne vel tantillum justo ponderi vel deesset vel superesset. Quod ad elegantiam nummorum pertinet, ea major minorve est pro locorum & temporum diversitate. Illis enim locis & temporibus, quibus excellentes florebant artifices, mirum non est & nummos elegantius cusos fuisse, veluti sub Imperatore Hadriano, qui arte cælandi & sculpendi valde delectatus fuisse legitur. Sic numismata in urbe Roma cusa, cæterarum Provinciarum nummos elegantia atque nitore longe antecedebant, quoniam periti artifices in eas urbes, quæ sunt regnorum capita, potius quam in alias se conferre solent. Hæc causa est, cur numismata ærea, literis S. C. notata, quæ Romæ omnia percussa esse constat, operis elegantia nummos Coloniarum, in Provinciis cusos, longe vincant. Si quis ulterius contendat, numismata argentea Romanorum non fuisse olim ab ipsis in quotidianis commerciis adhibita, ideo quod antiquiora ex longe puriori, recentiora vero ex deteriori facta sint argento; is eadem ratione evincere posset, asses nostros (*les sols*) nunquam fuisse monetam, eò quod hodie sint ærosi (*de billon*) cum antea pene ex purissimo argento cuderentur.

CAP. VI.

Responsio ad tertium, idque ultimum Erizii argumentum, quo majora numismata ærea pecuniæ usum nequaquam præbuisse, probare conatur.

TErtia & ultima Erizii objectio, qua majores saltem nummos æreos extra monetæ usum ponendos esse adstruere vult, antecedentibus multo infirmior est, hincque prolixiorem non meretur refutationem. Rationes ejus in medium adductæ, nempe, nimias faciendas fuisse impensas in formas archetypas (*les coings*) numismatum majorum, & ipsas illas formas fuisse futuras impares violentis mallei ictibus ferendis, alicujus forent momenti, si olim eodem modo cusi fuissent nummi, quo hodie id fieri solet. Quod si enim veteres modo à nostro minime diverso percussissent monetam, non difficile modo, fateor, sed etiam pene impossibile fuisset, tam eminentia ectypa nummis imprimere, qualia hodie adhuc in illis conspiciuntur. Baronius in Annalibus Ecclesiasticis, & Dupondius in *Dissertatione* de Nummismatis nos docent modum, quo Veteres nummos suos cuderint. Nimirum, metallum liquatum formæ prius infundebant (*les jettoient en moule*,) id quod dicti Scriptores probant per ejusmodi formas, quæ inventæ fuerunt tam Romæ quam Lugduni, ubi Romani officinam monetariam habuerunt. Hæc sententia adeo probata fuit peritissimis etiam harum rerum artificibus, ut persuasum habeant, Veteres non potuisse aliter tam eminentibus figuris, quales hodieque antiqua numismata exhibent, monetam suam signare. Sed amplius quid fecerunt Veteres: Creditur enim, quod valde verisimile est, eos numismata sua, ex formis illis exempta, cuneo sive formæ demum applicuisse; quod cum fiebat, non opus erat magna vi sive percussione ad perfectam archetypi effigiem eis imprimendam. Imo ut istud faciliori modo efficerent; antequam monetam cuneo subjicerent, ejus duritiem ope ignis & vehementis caloris ita temperare norant, eique quandam mollitiem conciliare, ut periculum non esset, ne numismata aurea, argentea vel ærea frangerentur, rimasve ducerent, vel in stricturas dissilirent, ut adeoque facillimo negotio figuræ a typo sive cuneo eis imprimi possent. Hæc cum ita fierent, ut valde est verisimile, mirum non est, formas archetypas nummorum ad diuturnum usum sufficere potuisse. Cæterum, non requirebatur plus temporis ad cudendum numisma majus, quam ad cudenda plura minora, quæ majus pretio & pondere æquarent, ut adeoque iisdem impensis unum numisma majus, quibus plura minora, cudi posset. Etiamsi vero Erizio largiamur, istud fieri non posse, & in fabricationem unius nummi majoris impensas majores esse faciendas, quam plurium minorum, qui sint ejusdem ponderis; responderi tamen posset, Veteres eo tempore, quo majora numismata ære cuderunt, paucissima minoris formæ cudisse, quæ ratio est, quare minoris formæ nummi sub Imperatoribus rarissimi sint, cum contra majorum ingens sit copia. Et vice versa, ubi obvii sunt nummi minores, ibi vix inveniuntur majores. Primorum Imperatorum Romanorum plurima supersunt majoris formæ numismata, paucissima autem, minoris: Quamvis sub Augusto & Tiberio facilius reperiantur minoris formæ numismata, quam sub Imperatoribus sequentibus; quæ causa est, quare sub iisdem Imperatoribus minor quoque sit copia numismatum majorum, quam sub illis, qui eos exceperunt. Contra, sequiora Imperii tempora, quæ uberem minorum numismatum proventum tulerunt, vix ulla majora produxerunt.

CAP. VII.

Responsio ad quinque objectiones ipsius Auctoris, quæ pro Erizii sententia haud inepte adduci posse videbantur.

ERizii argumentis addidi quinque alia, quæ ejus opinionem magis confirmare videntur, ad quæ, ne scrupulos in Lectorum animis relinquant,

quam, paucis respondebo. Prima objectio petitur a *formula manumissionis Veterum*, quæ Sacrorum *causa* his verbis peragebatur: *Ac pro ex* x. *auri puri, probi, profani, mei solvo.* Certum est, non alium in finem hic adhibitam fuisse vocem *profani*, quam ut eo clarius constaret, eum, qui manumittebat, solutionem facere ære suo, & legitime acquisito, non vero nummis sacris; quoniam res sacræ & Diis dicatæ, ut pote profanis oppositæ, omni commercio humano exemptæ erant, ita ut in nullius bonis esse possent, quod abunde probatur ex Tit. 1. Lib. 11. Instit. *de Rerum divisione*, ubi hæc verba leguntur: *Nullius autem sunt res sacræ & religiosæ: quod enim divini juris est, id nullius in bonis est*: Et ex lib. 1. ff. Tit. eod. L. *in tantum*, ubi JCtus sic ait: *Sacra res & religiosa & sancta in nullius bonis sunt.* Festus etiam explicans vocem *profani*, eodem sensu *eam accipit*, dicens: *Profani, quod sacrum non sit.* Cum vero monetis Imperatorum legimus insculpta verba *sacra moneta*, vox *sacra* aliam potest obtinere significationem, & denotare rem, quæ unice ad jus Imperatorum pertineat. Placebat enim Imperatoribus, quemadmodum docte ex diversis Juris locis probavit Brissonius, res ad sese pertinentes *sacras* appellare, uti *sacras domus*, *sacras largitiones*, *sacra scrinia*, *sacrum comitatum*, *& sacram divinamque monetam.* Hunc sensum habet inscriptio in quibusdam numismatibus, labente Imperio percussis, obvia, *sacra moneta Augg. & Caess. NN.* quippe qua declaratur, jus cudendi monetam ad Imperatores solos, vel etiam ad eos, quibus istud privilegium indulserant, veluti ad Cæsares, qui designati erant illorum successores, pertinere. Præterea Erizio respondi potest, Ethnicos non potuisse majori cultu imagines Imperatorum prosequi, quam Christiani imagines Servatoris nostri, Divæ Virginis Matris, aliorumque Sanctorum, quibus tamen, etsi submissa eas colerent devotione, monetam suam signarunt. Quamvis autem negari non possit, monetas, talibus imaginibus percussas, à scelestis & pessimis hominibus non solum contrectatas, sed & quandoque pedibus conculcatas, in cœnum vel ignem conjectas, & Principum Magistratuumque mandato conflatas & recusas fuisse; nihil tamen hoc nocuit venerationi, qua Christiani veteres sanctas has imagines prosequebantur. Lubet hanc in rem adducere locum ex Apologia Latina Imperatoris Cantacuzeni, qui sic se habet: *Hoc exemplo tu & quilibet alius qui inquirere volet, deprehendere potest, quod quæ in urbibus usurpantur nomismata, Christi imaginem insculptam & formatam gerunt, quum & Sanctæ Matris illius & aliorum Sanctorum, non tamen propterea a nobis adorantur, nec propterea honor aliquis habetur: abjiciuntur enim nonnunquam & conculcantur, conflantur item, & ex forma una mutantur in aliam, prout Magistratus voluntas decreverit, sed imaginibus quæ nominatim Sanctorum memoriæ dedicata sunt, non idem contingit: verum cum honore, devotione & religione illas accedimus.* Balsamon etiam in Commentario, quem conscripsit in *Nomocanonem Photii*, dicit, eum sacrilegii reum non censeri, qui monetam, cui Jesu Christi, vel Virginis Matris ejus imago insculpta sit, furtim auferat. Secunda objectio desumpta est ex loco hoc libri, qui *Notitia Utriusque Imperii* inscribitur: *Potentia regalis pro licentia speciem suam tantum in auro argentoque signavit, quæ pro reverentia figura nullis usibus proficiens, ad honorem regum sacra permansit.* Huic objectioni ut occuratur, meminisse debemus ejus, quod Plinius refert, numismata aurea successisse æreis: quanquam existimandum non sit, Veteres ante usum monetæ aureæ omnino caruisse auro; sed quoniam illis tanta auri copia non erat, ut monetam ex eo cudere possent, soli tantum Principes ex isto metallo statuas suas, aliasque imagines, quas, ritu antiquorum, digitis gerebant, confici mandabant. Hæc igitur vera, meo judicio, istius loci est interpretatio, quoniam superius abunde probatum est, Principes & Imperatores olim monetas aureas imaginibus suis signasse. Porro, ex libro laudato apparet, antiquissimis temporibus ex ære potius, quam ullo alio metallo, monetas fuisse percussas: Nam, ut inquit libri istius auctor, *æris materia, quæ jam pro copia vilior erat, ad dona militaria, & varia populorum commercia signabatur.* Contra verò, sequioribus Imperii temporibus nummi aurei æque frequentes erant, ac ærei, teste eodem auctore, qui paulo post ait: *Constantini temporibus profusa largitio aurum pro ære, quod antea magni pretii habebatur, vilibus commerciis assignavit.* Ex libris Juris etiam liquet, sequioribus illis Imperii temporibus mulctas & tributa auro plerumque pensitata fuisse. Et Zonaras refert, Imperatorem Alexium Comnenum non nisi auream monetam ex vectigalibus & tributis collectam fisco suo inferri mandasse, eundemque erogationibus suis & expensis monetam æream, vel ex æqualibus auri & æris partibus mixtam, assignasse: ita ut quam plurima vasa & massas æreas fundi & ex iis monetam cudi juberet.

Tertia objectio, qua dictum fuit, auri atque argenti infecti massas, tam florente Republ. quam tempore Imperatorum, in publicis thesauris fuisse conditas; ea iisdem auctoritatibus diluitur, quibus firmata fuit. Ex textibus enim Codicis, superius adductis, apparet, massas illas non alia de causa fisco illatas fuisse, quam ut Collectores & Susceptores majore temporu & operæ compendio evitare possent fraudem hominum, qui ipsis inter ingentes pecuniæ numeratæ summas, facile nummos adulterinos, justoque pondere & legitima materiæ bonitate destitutos, obtrudere potuissent. Plus enim temporis omnibus nummis numerandis, & ponderandis, singulorumque temperaturæ accurate explorandæ impendi debuisset, quam iisdem ad obrussam exigendis & recudendis: Quo accedit, quod monetæ illæ, in longinqua loca transferendæ, non potuissent non ex continuo attritu multum de pondere suo amittere, eædemque furto magis obnoxiæ fuissent, quam ponderosæ metalli infecti massæ.

Quod ad quartam objectionem adtinet, ex Oratione Gregorii Nazianzeni contra Julianum Imperatorem petitam, ad eam respondeo, abunde supra probatum esse, monetæ olim Imperatorum vultus impressos fuisse, & proinde, quamvis nonnulla numismata, imagine illorum signata, ab usu monetæ exempta fuerint, non recte tamen inde concludas, omnium nummorum, imagines Imperatorum præferentium, eandem conditionem fuisse.

Quintæ, eique ultimæ objectioni occasionem dederunt numismata Corinthiaca, quæ, ut supra dictum est, pleraque fere ex ære inaurato constant. Sed ad illa quod adtinet, quamvis iisdem figuris & inscriptionibus prædita sint, quibus alia numismata, ob rationes tamen, ante in ipsa objectione expositas, non puto Veteres illis loco monetæ usos fuisse. Existimo autem, eadem numismata in commerciis pro moneta adhibita fuisse, antequam auro illinerentur. Postea autem, à pauperioribus præsertim, & tenuioris fortunæ hominibus, qui Imperatorum suorum, quos devoto cultu prosequebantur, in primis defunctorum & in Deorum numerum relatorum, imaginem circumferre volebant, fuisse auro inducta, & venerationis gratiâ é collo

collo gestata, (quomodo & hodie numismata Principum gestari solent) eamque fuisse causam, quare x vulgari commerciorum usu paulatim recesserint. Huc pertinet, quod JCti. tam veteres, quam recentiores, verba illa leg. 28. Digest. Tit. 1. *Numismatum aureorum vel argenteorum veterum, quibus pro gemmis uti solent*, sic interpretentur, ut dicant, veteres numismata illa antiqua, instar lapidum pretiosorum, ex collo suspensa gestasse. Fiebat id autem vel ope circuli alicujus, cui inclusa erant, vel ope foraminis, in parte ipsorum superiore facti; qualia numismata & hodie reperiuntur, quæ vel perforata sunt, vel circello inclusa.

CAP. VIII.

Quædam numismata esse, quæ olim ad monetæ usum cusa non fuerint, & quænam illa sint. De amore & studio hominum erga antiquas imagines, aliaque monumenta vetustatis. De numismatibus, quæ sigillaria vocabantur. De numismatibus maximi moduli, vulgo medaillons *dictis. De missilibus & largitionibus veterum, & quomodo hæ largitiones diversis temporibus factæ fuerint. De obscænis quibusdam numismatibus, quæ credibile non est monetæ usum in commerciis præbuisse.*

Nostri temporis homines non flagrant tanto erga numismata & signa antiqua studio & amore, quanto Veteres. Horatius de Damasippo, suæ ætatis viro, sic inquit:

Insanit statuas veteres Damasippus emendo.

Seneca de *Brevitate Vitæ*, studium, quod sui ævi homines in colligendis nummis rarioribus ponebant, his verbis describit, & simul reprehendit: *Illum tu otiosum vocas, qui Corinthia, paucorum furore pretiosa anxia subtilitate concinnat, & majorem dierum partem in æruginosis lamellis consumit.*

Plinius Lib. XXXV. cap. 11. ut ostendat, amorem & studium erga imagines & numismata antiqua, vetustis etiam temporibus, hominum animos insedisse, his verbis utitur, *imaginum amorem flagrasse quondam*; idque confirmat exemplo duorum magnorum virorum, Attici nempe, ad quem Cicero de rebus maximi momenti literas scripsit, & doctissimi Varronis, de quibus hæc sunt Plinii verba: *Imaginum amorem flagrasse quondam, testes sunt, & Atticus ille Ciceronis, edito de his volumine, & M. Varro, benignissimo invento insertis voluminum suorum fœcunditati, non nominibus tantum septingentorum illustrium, sed & aliquo modo imaginibus, inventione muneris etiam Diis invidiosus, quando immortalitatem non solum dedit, verum etiam in omnes terras misit, ut præsentes essent ubique & cerni possent.* Augustus tanta signorum amore flagravit, ut multorum illustrium virorum effigies incidi jusserit statuis marmoreis, quas refici postea & pristino nitori restitui curavit Alexander Severus, qui tanta imaginum & numismatum capiebatur voluptate, ut illis Museum suum exornaret, in quo, ut Lampridius refert, erant imagines laudatissimorum Imperatorum, hominumque vitæ sanctimonia inclytorum, ut Jesu Christi, Abrahami, Orphei, & Apollonii Thyanei, quos omnes divino quodam cultu prosequebatur. Veteribus in more positum erat, observante Alexandro ab Alexandro, imaginibus & signis Principum, aliarumque personarum, quibus vel amor, vel cultus singularis debebatur, domos suas exornare; imo impietatis & sacrilegii pene reus erat, qui Imperatorum imagines domi non haberet.

Tanto olim in pretio habebantur imagines & signa, & tot homines illorum studio tenebantur, ut Romæ esset platea vel locus publicus, *Sigillaria* dictus, a *sigillis*, seu exiguis signis, quæ ex auro, argento, ære, & argilla confici solebant; idque ideo, quia Romani olim habebant festum, vel potius nundinas, quibus hujusmodi sigilla sibi invicem muneris loco mittebant, uti hodie Lutetiæ tempore nundinarum S Germani fieri solet. Probari hoc potest ex Ælio Spartiano in *Vita Hadriani*, ubi hæc leguntur: *Sigillaria amicis inopinantibus misit, & ab his liberaliter accepit.* Alexander ab Alexandro integrum caput explicandæ voci *sigillaria* impendit, & quæ ab eo afferuntur, cum illis, quæ supra dicta sunt, consonant. Judicatu vero facile est ex præcedentibus, omnia numismata, sive signa, superius memorata, pecuniæ publicæ usum non habuisse, ita ut, si hodie adhuc forte reperiantur, antiquis monetis accenseri non debeant.

Numismata vero formæ maximæ, quæ vulgo *medaillons* vocantur, & in quibus, quamvis pleraque fere sint ærea, nota hæc S. C. non reperitur, meo judicio illis numismatibus annumerari possunt, quorum supra facta est mentio, vel illis imaginibus & nummis majoribus, quibus ornabantur signa militaria, præcipue minorum cohortium, quibus imagines & numismata aurea vel argentea haud æque convenire videbantur, ac cohortibus primariis: Vel Medaliones isti, ut multi credunt, solennitatis & delectationis gratia cusi fuerunt, quos Imperatores in largitionibus publicis, cum vel congiarium popolo, vel donativum militibus darent, distribuerunt, non quidem more missilium in turbam eos spargentes, quod fecit Eliogabalus, (potuissent enim facile lædere & sauciare eos, in quos incidissent) sed loco eorum jactantes tesseras, vel exiguos calculos, quibus pro lubitu valor assignabatur, adeo ut, qui eos collegisset vel rapuisset, postea ipsa illa dona acciperet, quorum notam tesseræ inscriptam habebant. Munera enim & congiaria initio per tesseras Populo dabantur, ut Dio diversis in locis testatur, & præcipue in Vita Augusti, ubi loquitur de tesseris, ab Agrippa Ædile sparsis; & in Vita Neronis, ubi de effusis ejus largitionibus quædam narrat; nec non in Vita Hadriani, ubi de Imperatoris istius liberalitate agit.

Posterioribus temporibus Imperatores & primarii Magistratus, veluti Prætores & Consules, tesseras spargere desierunt, illarum loco exiguas monetas jactantes, solique Imperatori permissum erat, aurea in populum missilia jacere, ut patet ex constitutione Novell. Justiniani Tit. 6. c. 2. *Soli aurum spargere damus Imperio, cui soli etiam contemnere præstat fortunæ fastigium: Argentum vero, quod mox post aurum pretiosissimum fiet, & aliis consulibus largiri decens.* Postea tamen Imperatores exigua frusta auri, argenti & æris, congiarii loco Populo distribuerunt, quorum ternis linteolo involutis, magnam eorum vim in turbam spargebant. Linteola hæc, ut vult Cantacuzenus, vocabantur *Epicombia*.

Cæterum, non absque verisimilitudine affirmari etiam posset, Medaliones eidem usui apud Veteres inserviisse, cui hodie inservire solent monetæ, *pieds forts* appellatæ, quæ nihil aliud sunt, quam prout Garaltus eas appellat, *testimonia probatæ monetæ*. Uti enim hodie, quotiescunque monetæ valor & bonitas, vel regimen Populi mutatur, probatæ monetæ exemplaria (pieds forts) fabricantur; ita olim quoque cum novi Imperatores gubernacula Reip. capesserent, vel valor intrinsecus monetæ mutaretur, Medaliones, sive numismata formæ majoris, iisdem figuris

&c

[illegible] dignita, quibus prædítæ erant monetæ, in quotidianis commerciis adhibendæ, cudebantur, & quidem non majori numero, quam quo opus erat ad donum Imperatori, ejusque ministris primariis, nec non officinæ monetariæ præfectis, offerendum. Eodem modo & hodie non plures hujus generis nummi cudi solent, quam quot offerendi sunt Regi, & illis, qui Regi sunt a consiliis, a rationibus, & a moneta. Hæc igitur sententia si placeat, statuendum utique erit, non multos Medaliones olim cusos fuisse. Quæ ratio etiam afferri posset quare illi multo sint rariores, quam alii nummi, qui commerciorum usui destinabantur.

Præter Medaliones, reperiuntur alia etiam numismata ærea, obscœnæ notæ, inscriptas habentia in parte aversa literas numerales, quæ Tiberius cudi jussit; eaque monetæ usui inserviisse minime est verisimile, sed potius monumentum esse videntur flagitiorum & detestandæ turpitudinis, qua Imperator iste infamis fuit. Erizius illorum mentionem facit in Dissertatione de numismatibus Tiberii. Quamvis sint ærea, non tamen in illis conspicitur nota S C. uti nec in nummis formæ maximæ. Neque enim e dignitate Senatus fuisset, auctoritatem suam tantæ turpitudini & flagitiorum enormitati accommodare.

DISSERTATIONVM DE NVMMIS ANTIQVIS.

PARS SECVNDA AGENS

De materia Antiquorum Nummorum.

CAP I.

Materiam veterum numismatum & monetarum duplicem fuisse, ordinariam & extraordinariam. Credibile esse, Romanos olim monetam plumbeam habuisse. Salmasii opinio rejecta. Bulengeri circa inscriptiones quorundam numismatum error.

Materia, ex qua olim moneta cudebatur, erat vel ordinaria, vel extraordinaria. More ordinario, & fere omnibus temporibus, ex auro, argento, & ære fabricata fuit: Præter morem vero, diversis temporibus & locis aliæ quoque materiæ adhibitæ fuerunt, veluti ferrum, quod a pluribus olim gentibus huic usui assignatum fuit, veluti a veteribus Britannis, teste Cæsare Lib. v. Comment. de *Bello Gallico*; a Clazomeniis, secundum Aristotelem, Lib. II. *Oeconomicorum*; Lacedæmoniis, memorante Plutarcho in *Vita Lycurgi*; & Byzantinis, ut docet Pollux. Idem Pollux, & illo antiquior Aristoteles, referunt, Dionysium, Tyrannum Syracusanum, e stanno monetam cudisse. Belleforestus in Historia Universali, & plures alii, quosdam Lybiæ Indiæque populos pecuniam e stanno signare, memoriæ prodiderunt. Apud Romanos quoque monetam plumbeam in usu fuisse, probari posse videtur testimoniis ex Martiali & Plauto depromptis; neque audiendi sunt illi, qui putant, auctores illos per voces *plumbei nummi* non intelligere monetam e plumbo factam, sed talem, quæ nullius pene valoris & pretii esset. D. Salmasius hoc sensu accepit plumbeam monetam Romanorum, cujus in Notis ad Flavium Vopiscum hæc sunt verba: *Æs plumbo miscebatur etiam publice, inde plumbeos nummos per contemptum Martialis appellat, aream monetam, cui plurimum plumbi admixtum erat.* Si hæc fuit sententia Salmasii, uti sane esse videtur, monetam æream ab Imperatoribus Romanis cusam fuisse tempore Martialis, qui sub Domitiano vixit, liceat mihi pace ejus ab ipso dissentire, quoniam omnes Imperatorum Romanorum nummi, fere usque ad ætatem Septimii Severi, nihil plumbi admixtum habent. Error iste Viro huic, undiquaque licet doctissimo, facile condonabitur, quoniam notitia hæc non ex libris, sed ex solo examine monetæ antiquæ æreæ, comparari potest. Illi enim, qui studii hujus amore tenentur, cum monetam æream, ante Septimium Severum cusam igni probant, nihil plumbi inde secerni deprehendunt. Aliter autem comparata sunt numismata, post ætatem Severi cusa, quippe ex quibus guttulæ quædam plumbi, vel modico ignis calore, diversis in locis exprimuntur. Omnes, qui Numismata antiqua colligerunt, viderunt absque dubio nummos antiquos plumbeos, eorumque nonnullos ego ipsemet possedi: Sed hoc non adeo mirum videri debet, quoniam Erasmus refert, suo tempore monetam plumbeam apud Anglos in usu fuisse.

Cæterum, non Salmasius tantum in errorem inductus est, quod parum operæ & temporis ipsis numismatibus inspiciendis & examinandis impendisset, sed etiam Bulengerus, Vir alias haud vulgariter doctus, qui erroris absolvi non potest, quod Lib. II. de *Imperatore Romano*, cap. 15. scribat, reperiri numismata Domitiani cum inscriptione, *Fisci Judaici calumnia sublata*; & duo alia Trajani, quorum unum in parte aversa hanc habeat inscriptionem *Vehiculatione Italiæ remissa*: alterum, *Plebi urbanæ frumento constituto.* Omnes enim hæ inscriptiones a Nerva sunt, non vero a Domitiano, nec Trajano; id quod adeo dubio caret inter eos, qui numismata tractant, & explicationem harum inscriptionum non ignorant, ut error iste minime ferendus foret in eo, qui rei nummariæ notitiam profiteretur.

CAP II.

Plumbum & stannum veterum quale fuerit. Eos duplicis generis plumbum habuisse. Quodnam fuerit verum illorum stannum. Locus Plinii intellectu difficilis de vero hoc stanno. Explicatio paulo amplior.

plior loci Pliniani. Quomodo metalla fuerint separata & praeparata: Quid sit Scoria, Helcysma, Encauma, Molybdena, *&* Molybdoides. *Rullandum errasse in explicandis vocibus* Molybdena & Molybdoides. *Veteres ex vero stanno nunquam cudisse nummos, & quare.*

Prisci, & hos inter cum primis Romani, varia stanni atqui plumbi habuerunt genera. Quo igitur certius constet, ex quonam genere ante dicta cusa fuerint numismata, haud extra oleas me vagaturum spero, si rei huic explicandae paginas aliquot impendam. Plinius Lib. XXXIV. cap. XVI. de duplicis generis plumbo mentionem facit, alterum *nigrum*, alterum *album* appellans. *Nigrum* plumbum est idem, quod hodieque communiter plumbum vocamus: Plumbum *album* vero, mea sententia, est stannum purum, sive Anglicum, a veteribus plumbum dictum ideo, quod mollitie & sono cum vulgari plumbo fere conveniat, neque ab eo differat, praeter quam colore, qui argenti instar candidus est, ob quam causam a Romanis *plumbum album* appellabatur. Ut vero plumbum illud album Veterum, stannum nostrum esse putem, praeter adductam rationem, me movet Plinius, scribens, plumbum hoc prae altero longe majori venire pretio, Graecosque id nominare *κασσίτερον*, per quam vocem intelligere solemus *stannum*, quoniam Graeci ad significandum id, quod nos appellamus *stannum*, nullam aliam vocem in lingua sua habent. Ingentem, quo stannum praeditum est, candorem, puto ei conciliare argentum vivum, quod illi permixtum est, tum quia argentum vivum reperitur in venis stanni, tum quia aes, quod coquitur cum hoc stanno, tantum fere candorem contrahit, quantum contraheret, si cum argento vivo coctum esset; & hic est modus, quo opifices saepe grandia vasa cuprea reddunt candida. Hoc stannum tam molle ductileque est, ut, quamdiu solum est, vix ulli usui inservire possit; onde cum plumbo mixtum vulgare nostrum stannum componit. Experientia quippe constat, duo metalla, cujuscunque alterutrum sit mollitiei, sibi maritata, duritiem contrahere; quod illico manifestum fit, si parum Mercurii cum plumbo commisceas.

Stannum duplicis generis habebant Veteres, verum nempe, & adulterinum. Verum ex plumbo & argento confusis constabat, quod Plinius nos docet in fine dicti capitis, ubi etiam exponit modum stannum hoc separandi a terrenis faecibus, idque verbis sequentibus: *Plumbi nigri origo duplex est, aut enim sua provenit vena, nec quicquam aliud ex se parit: aut cum argento nascitur, mixtisque venis conflatur: Ejus qui primus fuit in fornacibus liquor, stannum appellatur, qui secundus argentum, quod remansit in fornacibus, galena, quae portio est tertia additae venae. Haec rursus conflata dat nigrum plumbum deductis partibus duabus.* Qui locus, propter difficultatem & obscuritatem, hucusque a nemine explicatus est, nec genuinum ejus sensum quispiam capiet, nisi qui artem purgandi metalla a recrementis suis terreis, eademque sibi commixta a sese invicem separandi, probe calleat, cui studio Viri docti, libris semper incumbentes, rarius operam navant. Quamobrem omnia, quae ad locum hunc illustrandum pertinent, quaeque curiositate ductus a metallicis & excoctoribus metallorum addiscere potui, in medium adducam. Primum igitur vena metallica, a sordibus purganda, ope pistillorum ac molarum comminuitur, & deinde lavatur. Dum enim aqua identidem commovetur & agitatur, quicquid genuinum metallum non est, ob levitatem suam ab aqua, cujus motum sequitur, aufertur; particulae vero metalli, utpote graviores, fundum illico petunt. Hinc, cum aqua illa continuo agitata effunditur, particulae simul viliores, sive faeces, utpote terra, arena, lapides, & talia metallica, si quae admixta sunt, a purioribus metalli particulis recedunt, & haec lotio tamdiu totiesque iteratur, donec aquae affusae limpiditatem nulla amplius recrementa turbent. Hoc ubi factum, metallum multo, quam antea purius, in imo relinquitur. Quod si sulphureas quoque particulas, ut aliquando contingit, vena metallica contineat, vel plumbum aeri admixtum sit; vena illa, igni admota tamdiu uritur, donec plumbum omne inde separatum, & particulae sulphureae consumptae fuerint. Hunc modum excoquendi metalla Plinius Lib. XXX. cap. 4. tradit, dum ait: *Quod effossum est, tunditur, lavatur, uritur, molitur in farinam.*

Vena illa metallica, de qua Plinius, loco supra laudato, locutus est, eo modo praeparata & purgata, fornaci injicitur conflanda, quo facto argentum & plumbum confusa in fundo sola relinquuntur, & scoriae residuae, quas neque aqua, nec ignis secernere potuit, in substantiam quandam vitream convertuntur, *loupe* vocatam, quae in superficie plumbi & argenti invicem confusi spumae similis conspicitur. Ex his igitur duobus metallis, invicem confusis, componebatur verum stannum antiquorum, idque eo, quo dictum est, modo, in prima excoctione genesin suam nanciscebatur, quod Plinius innuit his verbis: *Ejus qui primus fuit in fornacibus liquor, stannum appellatur.* Antea enim dixerat, venas plumbi duorum esse generum; alias quae solo plumbo foetae sint; alias, quae partim plumbum, partim argentum contineant; fierique, ut duo haec metalla, vena conflata, secum commisceantur. Hoc enim sensu capienda sunt praecedentia haec Plini verba: *Plumbi nigro origo duplex est, aut enim sua provenit vena, nec quicquam aliud ex se parit: aut cum argento nascitur, mixtisque venis conflatur.* Postea subjungit, in secunda excoctione argentum a plumbo prorsus separari. Hic enim verus est sensus sequentium horum verborum: *Ejus qui primus fuit in fornacibus liquor, stannum appellatur, qui secundus, argentum.* Ut recte intelligamus secundam hanc excoctionem, non credendum est, eam institui in fornace, in qua vena prima vice conflata fuit, sed in ingentibus catinis cinereis, in quibus argentum ad puritatem excoquitur. Verum ergo stannum antiquorum, quod nihil aliud est, quam, ut modo dictum, metallum ex plumbo & argento compositum, in catinis his cinereis, ope ignis reverberii, ut vocant, vehementi & intenso follium flatu continuo excitati, denuo conflatur. Quod ubi factum, plumbi particulae leviores in fumum abeuntes vi intensi caloris speciem *tuciae* constituunt; graviores vero & fixae, partim in catini cinerei poros sese insinuantes, in materiam convertuntur, quam excoctores metallorum *casse* vocant, partim vero in liquorem, instar olei metallo innatantem, qui *lithargyrium* vocatur. Liquor hic, sive *lithargyrium*, quod plumbo originem suam debet, facillime in plumbum rursus convertitur, quamprimum nempe illud carboni ardenti admoveris, vel in eum injeceris. Argentum hoc pacto liberatum ab omni plumbo, cujus pars una, ut diximus, *tuciam*, duae vero reliquae in *cassiam (casse)* & *lithargyrium* convertuntur, ubi refrixit, durum evadit, adeo ut ignis vim in posterum eludat, cui antea, ob molliores plumbi particulas sibi admixtas, resistere non poterat. Argento ad puritatem excocto, tres illae materiae, superius memoratae, scoria nempe, quae *loupe* dicitur, *cassia*, & *lithargyrium*, in mortario rursus contun-

duntur, (eodem modo, qun venam metallicam piſtillo comminui & lavari ante diximus) coque facto, priori fornaci rurſus injiciuntur, ubi follium flatu, & vehementi ignis calore rurſus conflantur, ita ut earum pars una producat plumbum, altera vero ſpeciem quandam ſcoriæ conſtituat, quæ *loupe* dicitur. Plinius ergo poſtea innuit, ex tribus illis materiis, paulo ante dictis, quæ tertiam quandam plumbi venam, quam *Galena* vocat, conſtituunt, itidem plumbum elici, haud ſecus ac ex aliis duabus venis naturalibus, una nempe, quæ ſolum plumbum ex ſe parit, & altera, quæ argentum una cum plumbo continet; ad quas duas venas accedit hæc tertia, quæ artificialis dici poteſt, iden quod piſtillo contuſa, lota & in priore fornace conflata, æque plumbum producat, ac duæ priores. Duæ enim hæ voces *Galena* & *Molybdena*, quæ ſunt ſynonymæ, apud Plinium & Dioſcoridem tam naturalem, quam artificialem hanc plumbi venam ſignificant. Qui igitur hæc omnia recte aſſequutus fuerit, is locum Plinii, in quo ſequentia verba leguntur, facile intelliget: *Quod remanſit in fornacibus, galena, quæ portio eſt tertia addita vena. Hac rurſus conflata dat nigrum plumbum, deductis partibus duabus.* Vel etiam verba Plinii ſic interpretari licebit; poſt quam una ex tribus partibus, quæ puro puto argento conſtat, ope ignis a vena ſeparata eſt, reliquarum duarum partium alteram converti in plumbum, alteram vero in recrementa, quæ Græcis & Latinis *ſcoria*, & Græcis inſuper *Heleyſma* & *Encauma* dicuntur, ut Plinius & Dioſcorides probant: Quamvis prior expoſitio mihi magis arrideat. Opportune hic ſe taxandi offerunt duo errores a Rulando in Lexico Chymico, ubi ſignificationem verborum *Molybdena* & *Molybdoides* tradit, commiſſi. Prior eſt, quod aſfirmet, dari genus *Molybdena*, omni metallo carens, id quod contra omnes probatæ fidei auctores pugnat. Alter, quod ſentiat, venam metallicam, ex qua nil præter plumbum excoquitur, *Molybdoides* vocari. Quin potius, ſuffragante non ſolum Dioſcoride, ſed & Fallopio, Ceſalpino, & Imperato, vena, cui nullæ plumbi particulæ inſunt, & quæ præter colorem nihil cum eo metallo commune habet, *Molybdoides* vocatur. Imperatus exiſtimat, venam hanc non eſſe aliam, quam quæ vulgo vena *Anglica* dicitur, colorem plumbi referens, ex qua ſtyli formantur, Gallice *crayons* appellati; qui in deſcribendis formis, vel exarandis literarum notis colorem plumbi imitantur, quamvis nihil plumbi contineant.

Crediderim, Antiquos e vero ſtanno hoc monetas non cudiſſe, eo quod malleo tractari & domari vix poſſet, propter plumbi & argenti commiationem. Plumbum enim argento admixtum, illud rigidum & mallei impatiens reddit, niſi forte unum horum metallorum, quantitate alterum in mixtione longe ſuperet.

CAP. III.

De adulterino ſtanno veterum. Tria olim illius metalli genera exſtitiſſe. Duo poſteriora genera ferruminationi metallorum inſerviiſſe. Locus Plinii, qui de modo ferruminationis hujus agit, intellectu difficilis. Ratio, ob quam plumbum conglutinari nequeat abſque ſtanno, nec ſtannum abſque plumbo, ſecundum hunc Plinii locum. Glutinum auri, argenti & æris, quomodo & ex qua materia componatur. Plumbum, ope ſolius plumbi, conglutinari non poſſe. Ex quo genere ſtanni & plumbi veteres conflaverint nummos.

VEteres tria genera ſtanni factitii, ſeu adulterini habuiſſe, Plinius Lib. XXXIV. cap. 17. tradit. Primum genus conſtabat ex una tertia parte æris albi, & duabus plumbi, quod idem eſt cum ſtanno noſtro hodierno, ut ſupra diximus. *Nunc adulteratur*, inquit Plinius, *ſtannum, addita æris tertia portione candidi in plumbum album.* Secundum genus ex æquis partibus plumbi nigri & albi mixtum erat, quod Plinius his verbis docet, *fit & alio modo, mixtis albi plumbi nigrique libris.* Hujus generis ſtannum tempore Plinii *argentarium* vocabatur, ut ex verbis ſequentibus apparet: *Hoc nunc aliqui argentarium appellant.* Tertium denique genus ex duabus partibus plumbi nigri, & una albi componebatur, idque ad ferruminationem tuborum plumbeorum valde erat aptum, vocabaturque *tertiarium*, ut probatur his Plinii verbis, *idem & tertiarium vocant: in quo duæ nigri portiones ſunt, & tertia albi, hoc fiſtulæ ſolidantur.* Quamvis autem, quod ad uſum ſolidandi adtinet, Plinius tertii tantum generis mentionem faciat, ſecundum nihilominus eidem quoque uſui inſerviebat; ſed tertium tamen frequentius ad ferruminanda metalla adhibebatur, quod & bonitate reliquis generibus præſtaret, & viliori pretio veniret. Inſtituti ratio exigere videtur, ne alium locum Plinii, in quo modus ferruminationis ſive conglutinationis hujus exponitur, hic non relinquam intactum. *Nec jungi*, inquit modo laudatus Auctor capite præcedenti, *inter ſe plumbum nigrum ſine albo poteſt, nec hoc ei ſine oleo: ac ne album quidem ſecum ſine nigro.* Docere vult, non poſſe plumbum ferruminari abſque ſtanno, nec ſtannum abſque plumbo, ſed ut utraque conglutinatio bene ſuccedat, opus eſſe interventu olei, vel alterius cujuſdam rei, ad olei naturam proxime accedentis. Hodie loco olei adhibetur reſina, quorum alterutrum ad ferruminationem neceſſario requiritur, quoniam metalla, quum primum fuſa ſunt, ſpumam quandam ſive favillam in ſuperficie ex ſe producunt, ferrumini combuſto ſimilem, quæ nimia ſiccitate impedit, quo minus metalla apte inter ſe jungi ſive ferruminari queant. Ab hac ergo favilla ſive ſiccitate metallum immune præſtat oleum, aliæque res, quæ ſunt ſimilis naturæ.

Ratio, quare plumbum inter ſe jungi non poſſit abſque ſtanno, nec ſtannum abſque plumbo, nec ulla pene alia res rei ſibi prorſus ſimili, niſi interveniente diverſæ materiæ glutine, late didocta eſt ab Averroe, apud Vincentium Bellovacenſem, lib. VIII. c. 43. *Speculi naturalis.* Ex uſu artis medicæ quoque novimus, cicatrices, quæ ſolidationum naturalium ſpecies ſunt, nonnihil à natura cutis, quam junxerunt, differre. Aurum cum auro non coaleſcit; nec argentum cum argento, nec æs cum ære, niſi intercedente diverſi generis materia. Sic ad ferruminandum aurum adhibentur, e. g. granum auri, 22. caractarum, tria grana argenti, & totidem æris; ad ferruminandum argentum, duæ partes argenti, & una æris invicem confuſæ, quod ferrumen etiam inſervire poteſt jungendo æri, quamvis propter caritatem, aliud vilioris pretii, ex una quarta parte æris, & tribus ſtanni compoſitum, adhiberi ſoleat, idque ferrumen vocatur *Ramail.* Cæterum, cum ope materiæ cujuſdam oleoſæ fiat, ut plumbum & ſtannum in ferruminatione coaleſcant; in ferruminatione auri, argenti, & æris hunc effectum præſtat *Borax*, quam materiam excoctores metallorum *Roche* vocant.

Quanquam autem hæc ita ſeſe habeant, Pliniuſque & Averroes, ut ſupra dictum eſt, ſtatuant, plumbum non poſſe ſecum jungi abſque ſtanno, nec ſtannum abſque plumbo; nihilominus Vincentius, paulo

paulo ante laudatus, cap. 37. *Speculi* sui *Naturalis* refert, suo tempore fuisse excogitatum modum, plumbum plumbo, nullo intercedente glutine alieno, jungendi, idque eam ob causam, quod stannum, quo fistulæ sive tubuli plumbei fontium ferruminati erant, brevi tempore sub terra a putredine corrumperetur, cui periculo plombum non est obnoxium. Magister antliarum Parisiis, vir in excogitandis variis instrumentis ingeniosissimus, iisdemque ad usum applicandis felicissimus, primus nostro tempore tubos integros ex plumbo, nullo ferruminatos stanno, quamvis id difficillimum sit, fecit, & in usum Parisiis perduxit, qoi modus etiam in Anglia, ut mihi renuntiatum est, usitatus est.

Veteres non potuerunt monetas cudere, ex primo genere stanni adulterini, quippe nimis rigidi; quod si ex secundo & tertio genere nummos fabricarunt, illi vix ad nostram ætatem salvi pervenire potuerunt, eo quod stannum multo facilius in terra, & præcipue calce, corrumpatur, quam plumbum. Hæc ratio est, quare numismata Veterum plumbea hodie longe frequentiora sint stanneis: Quamvis negari non possit, monetas æreas, stanno inductas satis diu ætatem ferre posse, ejusque generis multa hodie adhuc supersunt numismata, præcipue Probi, Aureliani & Diocletiani; neque a veritate alienum puto, pleraque eorum, quæ ex ære Corinthio candido vulgo facta creduntur, ad eandem classem referenda esse.

Hæc numismata stannea & plumbea, interdum pro monetis adulterinis fuerunt habita, eamque ob causam illorum usus in commerciis interdictus fuit, ut nos docet L. 9. §. 2. Lib. 48. ff. Tit. 10. ubi, cum mentio facta esset legis Corneliæ, contra falsarios, & speciatim nummorum adulteratores, latæ, hæc subjunguntur verba, *Eadem lege exprimitur, ne quis nummos stagneos, plumbeos emere, vendere dolo malo velit.* Idem etiam probari potest ex his verbis Comici in Mostellaria:

> *Tace, inquit, tu faber, qui cudere soles plumbeos nummos.*

CAP. IV.

Quamvis hodie æque ac tempore Plinii tres dentur stanni species, eas tamen differre a speciebus illis, quibus Veteres usi fuerunt. De natura trium specierum stanni, quibus hodie utimur. Quid metalla magis sonora efficiat. Opinio Auberti de Bismutho, Gallicè estain de glace *dicto. Nummis æreis post Septimium Severum cusis plumbum vel stannum admixtum reperiri. Cur plumbum monetis admiscendum non sit. Post tempora Septimii Severi vel pauca vel nulla reperiri numismata ex ære Corinthio conflata.*

Quamvis stannum nostri temporis differat ab eo, quod ætate Plinii in usu fuit, dantur tamen ejus hodieque tria genera, haud secus ac tempore Plinii. Primum est stannum molle, sive purissimum, quale est id, quod in Anglia è fodinis eruitur, postquam id a fæcibus terrenis purgatum est, nec ullum aliud metallum ei postea admiscetur. Stannum hoc, ut jam supra dictum, mollius est, quam ut ex eo solo monetæ cudi possint, nec sonum clariorem edit, quam plumbum; estque primum hoc stanni genus, ut jam antea observavi, idem quod Veteres *candidum* appellarunt. Secundum genus stanni, est stannum commune, quod ex stanno molli, sive candido, & plumbo compositum est, ita ut plerumque octodecim libris plumbi addantur centum circiter libræ stanni candidi. Convenit quodammodo cum stanno *tertiario* Plinii, quoniam ex plumbo & stanno candido tantum compositum est, uti *argentarium* & *tertiarium* Plinii, quamvis ob mixturæ proportionem *tertiario* magis affine sit. Tertium genus stanni nostri componitur ex stanno puro, cui additur parum æris & bismuthi, ad majorem duritiem, & clariorem sonum ei conciliandum. Solent autem metallorum excoctores aliquot centum libris stanni, addere duas, vel summum, tres libras æris & bismuthi: Quidam etiam, ut id durius aliquanto, magisque sonorum reddant, admiscent parum reguli Antimonii, qui stannum hoc fragilius efficit, & internam ejus compagem granis minutioribus distinguit. Metalla enim eo clariorem reddunt sonum, eoque minutioribus constant granis, quo sunt fragiliora vel rigidiora.

Cæterum, non video, quare regulus Antimonii bismutho addatur: si quidem Aubertus contra Quercetanum contendit, bismuthum (*etain de glace*) nihil aliud esse, quam regulum Antimonii. Id si verum est, illi qui bismuthum præparant, multo melius regulum Antimonii elicere norunt, quam Alchymistæ. Bismuthus enim aspectu longe est pulchrior & candidior, quam regulus Alchymistarum. Germani id, quod nos *étain de glace* dicimus, *bismuthum* appellant, & Latini recentiores *plumbum cinereum.* Veteribus enim incognitum fuit, quoniam duarum tantum specierum plumbi mentionem faciunt, *nigri* nimirum, & *candidi.*

Porro hic notandum est, monetas æreas post tempora Septimii Severi, aut non multo secus, uti jam supra monui, cusas, nonnihil plumbi admixtum habere; id quod inde satis apparet, quod igni injectæ guttulas quasdam plumbi vel stanni emittant. Et hæc ratio est, secundum Budelium, quare plumbum monetis admisceri non debeat; Siquidem levi ignis calore inde separatum, non solum externam numismatum faciem fœdabit, sed & pondus illorum haud parum imminuet.

Præterea, post Septimium Severum vel pauca vel nulla numismata, ex ære Corinthio cusa, reperiuntur; & quæ hujus generis exstant, nonnisi ex ære inaurato facta sunt; quoniam æs, cui plumbum admixtum est, (quale est illud æs, quod vulgo *Potin* vocamus, ex quo fulcra, lignum in foco sustinentia, & candelabra confici solent) commode inaurari nequit. Quoniam enim inauratio illa, sive ad eam adhibeatur aurum in tenues bracteas diductum, sive in pulverem comminutum, absque satis vehementi ignis calore fieri nequit, plumbum vi caloris illius liquatum, & ex poris æris expressum, auri illius nitorem colore livido fœdaturum & infecturum esset.

CAP. V.

Veteres non solum ex diversis metallorum generibus, sed ex aliis etiam materiis quandoque cudisse monetas. Lupinos nunquam ad eum usum a veteribus fuisse adhibitos, secus ac sentiunt Muretus, Turnebus, Lambinus, & Hottomannus. Loca Plauti, Codicis, & Horatii, illorum opinionem minime firmare. Vera horum locorum explicatio, contra illorum sententiam. Differentiam esse inter erva & lupinos. Quamvis manifestum sit discrimen inter erva & viciam, notabili tamen errore posterius le-

gumen cum priori confundi. Quibus temporibus ex materiis extraordinariis vel insolitis cusa fuerint numismata.

NOn solum metalla, sed etiam aliæ quandoque res monetæ usui apud Veteres inservierunt, veluti corium, terra coctilis, ambra nigra, lignum, cortices arborum, charta crassior, sal, corallium, conchæ, nuces minores, lapilli, & porcellana alba, ut Budelius & Bornitius quam plurimis Historicorum testimoniis fuse probant. Muretus, Turnebus, Lambinus, & Hottomannus, lupinos quoque ad eundem usum adhibitos, iisque Comœdos olim usos fuisse contendunt. Hottomannus capite 1. Libri sui *de Re Nummaria*, scribit, lupinos illos, aqua maceratos & emollitos, in monetam signatos fuisse, eamque opinionem stabilire nititur verbis his Plautinis, quæ in Pœnulo leguntur:

Agite, inspicite, aurum est o profecto spectatores Comicum,
Macerato hoc pingues fiunt in Barbaria boves.

Sed Hottomannus, meo quidem judicio, valde fallitur, dum ex posteriore versu probare conatur, lupinos aqua ante fuisse maceratos, ut facilius in monetam signari possent. Nemo est, qui viderit numismata Græca aurea formæ minoris, quin sciat ea lupinos pene æquare crassitie, neque magnitudine eosdem excedere, & eundem fere colorem referre, adeo ut lupinus, procul conspectus, olim facile posset falsam præbere speciem exigui nummismatis aurei, præsertim ejus, quod jam diu manus hominum esset passum. Plautum igitur loqui de lupinis, inde apparet, quod dicat, id, quod pro nummo aureo ostendebatur, esse aurum tale quo macerato boves pingues fiant in Barbaria; qua quidem descriptione propterea hic utitur Plautus, ut significet, se non de auro loqui, sed de veris lupinis, qui aqua macerari solebant, ut amarum & insuavem saporem exuerent, & sic non bovibus solum, sed etiam hominibus esui essent. Columella enim cap. x. Lib. 11. de lupinis loquens, expresse ait: *Boves per hiemem coctum maceratumque probe alit.* Dioscorides quoque Lib. 11. c. x. *de materia medicina*, lupinorum aqua maceratorum usum his verbis, secundum interpretem Latinum, commendat: *Lupini ubi macerati dulcescere cœperunt, cum aceto poti fastidium detrahunt, & cibi aviditatem faciunt.* Galenus pariter Lib. 1. c. xxiii. de *Viribus alimentorum*, docet, sua ætate ipsos etiam homines lupinis, modo ante dicto maceratis, vesci solitos fuisse. Sic enim, ut verbis interpretis Latini utar, ait: *Elixus enim, deinde in aqua dulci maceratus tantisper, donec in ea omnem sibi ingenitam exuerit insuavitatem, ita demum manditur cum garo & oxygaro, vel etiam sine his, sale mediocriter conditus.* Plinius Lib. xviii. c. 14. idem his verbis de lupino affirmat: *Maceratum aqua calida homini quoque in cibo est.* Cæterum, hodie cibus iste, quomodocunque conditus, delicatioribus hominum palatis minime placiturus esset. Bruerinus scribit, se, quamvis circiter viginti annos per Galliam, multasque alias regiones peregrinatus sit, nusquam tamen vidisse homines lupinis vesci.

Hottomanus porro sententiam suam tueri conatur auctoritate legis 1. Lib 14. Cod. Tit. xliii. *De Aleatoribus*; ubi Imperator ait: *Si quis sub specie alearum victus lupinis, vel alia quavis materia, cesset etiam adversus eum omnis actio.* In hoc tamen loco non plus præsidii est sententiæ ejus, quam in loco Plautino, supra laudato. Vox enim *lupinis* in hac lege, ut docte observavit Godefredus, non significat genus quoddam monetæ, sed veros lupinos, quippe qui eundem olim alea ludentibus usum præstabant, quem hodie præstare solent calculi, aliave symbola, quæ vicæ monetæ in lusibus funguntur. Idem Hottomannus, ad firmandam sententiam suam, adducit versum illum Horatii,

Nec tamen ignoras, quid distent æra lupinis:

ubi per *lupinos* itidem certam monetæ speciem intelligendam putat, quod tamen a mente Horatii omnino alienum existimo. Loquitur enim ibi Poeta, non de moneta aliqua, sed de duobus leguminum generibus, *lupinis* nempe, & *ervis*; in qua postrema voce litera v. pro consonante, non vocali accipitur, quoniam vox ista est tantum duarum, non vero trium syllabarum, ut apparet ex acroteleutio versus hujus Horatiani,

Tenui solabitur ervo:

Et ex hoc versu Virgilii in Bucolicis:

Eheu! quam pingui macer est mihi taurus in ervo.

Voluit ergo Horatius hoc versu significare, homines sapientes optime nosse differentias rerum, etiam valde sibi similium; quæ sane non minima pars est sapientiæ & prudentiæ humanæ, ut docet Galenus ex Platone, in libris suis *de Hippocratis & Platonis decretis.* Quamvis igitur differentia sit inter erva & lupinos, in multis tamen inter se conveniunt. Ejusdem enim sunt coloris & saporis, subflavi nempe, & amari; multiplicemque utrumque legumen in medicina usum præstat. Quam enim virtutem Galenus lupinis; eandem Plinius ervis adscribit; & vires, quas Cato brassicæ inesse ait, uterque modo dictis leguminibus tribuit. Præterea, tam lupini, quam erva, bobus & pabuli & medicinæ usum præbent, ut docent *Rei Rusticæ* scriptores, & præcipue Columella, lib. 11. c. 10. & lib. vi. c. 3. 4. & 6. Galenus quoque lib. 11. de *facultate simplicium medicamentorum*, lupinos eodem modo, quo erva, præparari dicit. Hæc quamvis ita sese habeant, est tamen inter hæc legumina quædam differentia. Erva enim pecudibus tantum esui sunt; lupinis vero & homines aliquando vescuntur.

Haud parum miror, vicias interdum loco ervorum, & utriusque leguminis farinas promiscue & sine discrimine ad usum medicum, etiam Parisiis adhiberi, cum tamen non exigua inter duorum horum leguminum grana intercedat differentia. Grana enim viciæ sunt subnigra; ervi vero, subflava: illa gustatu minus sunt amara, quam hæc: illa adstringunt, hæc detergunt: illa denique obstruunt ventrem, hæc laxant. Tandem, ut dissertationi de materia monetarum ordinaria & extraordinaria finem imponam, notandum, monetam extraordinariam nunquam a Principibus nisi in statu Reipubl. afflicto, & melioris metalli defectu, cusam fuisse, quamvis & tum ea conditione id factum fuerit, ut, tempore melioris fortunæ, probi valoris moneta pro ea redderetur, ut multorum Historicorum testimoniis probarunt Budelius l. de *Re Nummaria*, cap. 1. Bornitius de *Nummis l. 1. c. 14.* Wolfgangus de *Jure monetarum*, *c. 9.* Geraltus in suis Disquisitionibus *de monetis*, capite eo, quo agitur de moneta, ejusque materia; & in genere fere omnes, qui de materia monetæ aliquid literis prodiderunt.

CAP.

CAP. VI.

Materia ordinaria nummorum antiquorum. Necesse esse, antequam ad specialia hujus argumenti descendatur, ut explicetur, quid sit characta *&* denarius, *quibus vocibus gradus puritatis auri & argenti denotari solent. Vocabulorum horum usus tam in Gallia, quam aliis Provinciis. Error Molini in hoc argumento. Etymologia vocis* characta. *Tempore imperii decrescentis mulctas & tributa auro plerumque pondi soluta fuisse, secus ac imperio florente.*

Quanquam, ut superius expositum est, diversæ materiæ usui monetæ variis temporibus inservierint, nulla tamen materia frequentius & constantius ad hunc usum fuit adhibita, quam tria hæc metalla, aurum, argentum, & æs, eaque vel pura, vel secum invicem, aliisve metallis permista.

Antequam vero ad examen revocemus quæstionem hanc, utrum antiquorum numismata ex puro puto, an ex permisto metallo fabricata fuerint; operæ pretium erit Lectores monere, metallicos & monetarios bonitatem & puritatem auri argentique in certos gradus distinguere, & auri quidem, in viginti quatuor; argenti vero, in duodecim gradus. Quod ad æs adtinet, quoniam id duobus modo dictis metallis longe est vilius, in eo gradus isti non observantur. Sufficit enim, si æs purum, & ab omni mixtione liberum, appellemus æs rubrum, vel purum, non additis puritatis gradibus. Gradus puritatis in auro vocantur *characta*; in argento vero *denarii*. Aurum igitur, cujus puritas est XXIV. graduum, quod vulgo XXIV. *charactarum* vocatur, ad extremam excoctum est puritatem, omnique alio metallo, si quidem possibile sit eo usque arte nostra progredi, destituitur. Quilibet porro gradus in XXXII. gradus secundos, quinimo, a nonnullis in LXIV. subdividitur. Si igitur e. g. dicatur, massam auri habere XII. charactas, sciendum est, eam esse compositam ex æquis portionibus auri & argenti, vel æris, pro ratione mixtionis; quoniam XII. sunt dimidia pars ad XXIV. Sin massa fuerit octodecim charactarum; tum tres quartæ partes duntaxat aurum componunt, quoniam XVIII. obtinent rationem dodrantis ad XXIV. Massa auri octodecim charactarum, & unius octavæ partis charactæ, continet tres quartas auri partes, & præterea octavam partem vigesimæ quartæ partis totius massæ, seu clarius, octavam partem charactæ. Notandum hic est, fractiones sive subdivisiones charactæ, quibus usque ad 32. adscenditur, exprimi per 2. 4. 8. 16. duplicatis semper fractionibus præcedentibus, nec ulla ratione habita minutiarum inter eas interjectarum, veluti 3. 5. 7. & sequentium.

Postquam explicuimus, quid intelligendum sit per duodecim, octodecim, octodecim & octavam partem, nec non viginti quatuor charactas auri, facillime & reliquæ charactæ, sive gradus puritatis, eorumque subdivisiones intelligi poterunt, adeo ut fusius hanc rem persequi supervacaneum existimemus. Ex his colligimus, eos, qui hos puritatis gradus in auro constituerunt, judicasse, in examinanda & exploranda auri puritate saltem perveniri posse usque ad partem trigesimam secundam partis vigesimæ quartæ, sive charactæ: Vel, ut clarius loquar, usque ad partem 768 massæ auri; quoniam 32 ductum in 24 gignit summam 768. Ad investigandos igitur diversos hos ponderum gradus, a primo nempe usque ad 768, accuratissima opus est bilance. Bodinus tamen lib. VI. c. 3. de *Republica* scribit, in numismatibus aureis Vespasiani, suo tempore Parisiis ad examen revocatis, nonnisi 788 partem metalli deterioris ab aurificibus & Monetæ Præfecto deprehensam fuisse. Non eadem cura & diligentia a monetariis adhibetur in investigando extremo gradu puritatis argenti: Ejus enim gradus tantum numerantur duodecim, qui vocantur *denarii*; quorum unusquisque rursus dividitur in viginti quatuor grana, sive partes, quæ vulgo *Lothones* vocantur, uti in auro *characta*. Cum ergo dicitur, argentum aliquod obtinere 12 denarios puritatis, non existimandum est, id duodecimam metalli deterioris partem in se continere; sed tunc significatur, massam illam ad extremum & ultimum puritatis gradum excoctam esse, nullamque in ea impuritatem, saltem arte nostra, deprehendi posse. Porro, cum dicitur, massam argenti habere undecim denarios, & octodecim grana; sensus est, ei duntaxat quadragesimam octavam partem æris admixtam esse: Sex enim grana æris, quæ toti illi massæ argenti insunt, constituunt partem 48 undecim denariorum & octodecim granorum, eaque admixtio efficit, ut massa illa argenti a duodecim denariis, sive summa puritate, sex granis absit. Eadem ratione, cum dicitur, massam argenti quatuor duntaxat denarios suæ materiæ habere, significare volumus, eam quatuor tantum argenti, octo vero partes æris continere.

Ex dictis intelligitur, in summo puritatis argenti gradu investigando in Gallia non procedi ultra 288 partem, quoniam 12 in 24 ducti gignunt summam 288: Cum contra auri puritas indagetur usque ad 768 partem. Nihilominus, argentum duodecim denariorum, æque sincerum & purum est, ut jam diximus, ac aurum viginti quatuor charactarum; quoniam, uti in argento summus puritatis gradus duodecim denariis; ita in auro idem gradus viginti quatuor charactis definitur.

Nostrates charactam in triginta duas; Germani vero, Belgæ & Angli eandem in duodecim duntaxat partes, ni fallor, dividunt, quas partes *grana* appellant: Unde fit, ut bonitas intrinseca argenti puri, quæ, ut supra expositum est, indicatur per duodecim denarios, sive gradus (quorum singuli cum dividantur in viginti quatuor grana, universi conficiunt summam 288 granorum) respondeat puritati auri, quippe quam itidem exprimunt per duodecim gradus, quorum singulis pariter tribuunt viginti quatuor grana. Secus fit apud quosdam Italiæ populos, uti Genuenses, & alios, qui eodem modo, quo nostrates, summam auri puritatem redigunt ad 24 gradus, quos itidem appellant charactas, quarum singulas rursus in 24 grana dividunt, ut observat D. Poulanus, summus quondam monetarum Præfectus, in Glossario suo, in quo vocabula, ad rem monetariam pertinentia, explicat. Budelius lib. 1. *de monetis*, alias affert puritatis divisiones, tam quod ad aurum, quam quod ad argentum adtinet.

Possunt etiam hac de re legi Budæus *de Asse*; Agricola lib. 7. *de Re Metallica*; Lazarus Ercherus in similis argumenti Tractatu; Albertus Brunus de *Augmento & diminutione monetarum*, & Carolus Molinus de *mutatione monetarum*. Sed Molinus duplicem in hac materia commisit errorem: Primus est, quod, cum Gallus sit, more quorundam exterorum denarium in viginti quatuor grana dividat, æque ac charactam; Secundus error est, quod unumquodque horum granorum in 24 partes, & singulas has partes rursus in alias 24 partes

divi-

dividat; sicut in auro 331776 puritatis gradus admittat, quousque tamen in praxi progredi non licet, cum nulla sit aurificis statera, quamvis exactissima, qua ponderum differentias, ultra 768 partem, explorare possimus, qui numerus longe abest a 331776. En, in quos errores homines, cæteroquin eruditissimos, ignorantia praxeos conjiciat.

Quoniam mentionem fecimus vocis *characta*, cujus etymologia non adeo certa est, non potui, quin aliquid de ea dicerem, antequam hoc caput finirem. Maxima eruditorum pars hanc vocem derivat a Græco *κεράτιον*, quatenus nempe ea vox speciem minuti ponderis significat. Verum, secundum opinionem meam, rectius deducetur a voce *χαράγιον*, quam Meursius in Glossario suo ostendit significare denarium tributi. Buleogerus *de Vectigalibus Populi Romani* itidem hanc vocem interpretatur de specie quadam monetæ, quæ tributi nomine Imperatoribus pendebatur. Sicuti enim ad denotandos gradus puritatis in argento adhibita fuit vox *denarius*, quæ speciem quandam monetæ significat; ita verisimile est, gradus puritatis in auro expressos quoque fuisse nomine monetæ cujusdam, dictæ *characta*, quod nomen hodieque durat. Existimo, monetam, *χαράγιον* dictam, quæ erat denarius certi alicujus tributi, auream fuisse, eamque esse causam, quare ad denotandos puritatis gradus, qui sunt in auro, adhibita fuerit. Inferioribus enim Imperii seculis, præcipue sub Justiniano, pleraque tributa auro pendenda imperabantur. Hinc orta sunt sequentia tributorum nomina: *Aurum publicum, negotiatorium, coronarium, lustrale, glebale, oblatitium, largitionale, auraria pensitatio, præstatio, functio, aurarius canon.* Præterea mulctæ quoque solidis & libris aureis plerumque æstimabantur. Aliam prorsus consuetudinem florente Imperio, & ante, viguisse constat ex his Plinii verbis lib. XXXIII. c. 3. *Sed præter alia equidem miror Populum Romanum victis gentibus in tributo semper argentum imperitasse, non aurum.*

CAP. VII.

De tribus ordinariis numismatum & monetarum veterum materiis, nempe auro, argento & ære. Utrum metalla hæc pura puta in venis suis reperiantur, an vero arte purganda sint. Ut vera & genuina numismata antiqua ab adulterinis discernantur, tria cognitu esse necessaria. Primum, quo modo hodie tria hæc metalla separentur. Secundum, an veteribus ars metalla separandi nota fuerit, & an separationem istam eodem, quo hodie fieri solet, modo peregerint. Tertium, ad quem puritatis gradum tria hæc metalla excoqui possint. Tres esse modos aurum ab argento separandi, aqua stygia, cementatione regia, & antimonio. Quomodo aurum ab argento secernatur ope aquæ fortis. Inventionem hanc regnante Francisco demum excogitatam fuisse. Vitriolum non transmutare ferrum in æs, contra Libavii & Alchymistarum opinionem.

Tria hæc metalla, aurum, argentum & æs, quæ sunt ordinariæ veterum numismatum & monetarum materiæ, interdum, at raro, pura in venis suis reperiuntur; plerumque autem arte inde secernenda sunt. Aurum frequentius, quam reliqua duo metalla, in venis purum & putum invenitur; argentum vero tam raro absque omni mixtura alterius cujusdam metalli vel recrementorum invenitur, ut Agricola lib. VIII. c. 5. *de Natura Fossilium* scribat, Veteres non credidisse, argentum in venis purum unquam reperiri posse.

Ut autem vera numismata antiqua ab adulterinis ex interiore eorum bonitate eo melius discerni possint, ab instituto nostro alienum haud erit, tres quæstiones, difficiles quidem, at ad materiam hanc probe intelligendam cognitu necessarias, illustrare & explicare. Prima est, qua ratione hodie tria hæc metalla, aurum, argentum, & æs, a se invicem secernantur: Secunda, an Veteribus ars separandi metalla nota fuerit; &, si nota fuit, an separationem illam eodem modo, quo hodie fieri solet, peregerint? Tertia, ad quem usque puritatis gradum tria hæc metalla excoqui possint. Supra exposui, quomodo aurum & argentum ope plumbi ab ære secernatur; idque adeo clare me ostendisse puto, ut id repetere, supervacaneum videatur. Operatione autem illa superius tradita, aurum quidem & argentum ab ære, non vero aurum ab argento secerni potest. Postquam igitur eo, quo dictum est, modo, æs tam ab auro, quam argento separatum est; restant duo hæc nobilissima metalla a se invicem separanda: Quod tribus modis fieri potest; aqua nempe forti, cementatione regia, & antimonio. In operatione primi modi argentum in aqua forti dissolvitur; aurum vero præcipitatur, sive in fundo vasis subsidit. Sciendum autem, nisi in massa longe major sit portio argenti, quam auri, aquam fortem vim suam non exserere: Requiritur ergo, ut massa saltem duos trientes argenti, & unum trientem auri contineat; & deinde, ut aqua fortis sit acidissima: Nisi enim talis sit, argentum vim ejus eludet. Proportio hæc observatur, cum vires aquæ fortis explorare volumus; in quo quidem examine phænomenon admiratione dignissimum contingit. Omne enim argentum, quod in massa cum auro permixtum est, ita ab aqua forti eroditur, & ab auro secernitur, ut tamen forma vel figura massæ non mutetur, sed ea æque ac antea integra omnibus videatur. Hæc proportio adeo exacte observari non solet, nisi cum examen aliquod curiosum instituendum est: Alias enim ad separationem hanc faciendam tres portiones argenti misceri solent cum una portione auri, ita ut aurum quartam partem totius massæ constituat. Hinc excoctores metallorum rationem hanc miscendi aurum & argentum vocant *inquarter*. Massa vero, quæ ex metallis, tali proportione mixtis, constat, non retinet pristinam formam & figuram in secretione. Aurum enim, ut ante dictum est, in forma pulveris in fundo vasis subsidit; argentum vero dissolvitur, & poros aquæ fortis subit.

Res est certissima, modum secernendi aurum ab argento ope aquæ fortis, veteribus non fuisse cognitum; quoniam aqua fortis, ut observavit Pancirollus in Tractatu de *Novis Inventis*, nostris demum temporibus inventa fuit. Budæus etiam lib. III. *de Asse* testatur, artem separandi argentum ab auro, ope aquæ fortis, quam *aquam chrysulcam* vocat, suo circiter tempore Parisiis natam, eamque ab aliquo *le Comte* dicto in eam urbem primum invectam fuisse, qua non solum ipse, sed etiam postea filius ejus, ingentes sibi acquisiverit divitias. Idem de industria, teste eodem Budæo, hanc artem occultabat, ut ea sibi soli quæstui esset: Dicebat quoque, eam sine periculo exerceri non posse, propter fumos, qui valetudini valde essent infesti; eamque ob causam servum ipsam operationem peragere, se vero procul stantem ipsi tantum, quæ facienda essent, præcipere: Quæ ideo ab eo fingebantur, ut operam suam carius venderet. Experientia, qua hodie ista ars magis innotuit, satis docuit, metum periculo ipso, quod cum hac arte conjunctum est, multo fuisse majorem. Observatio Budæi, qua aquæ fortis inventionem ad suam ætatem

tem referendam esse dicit, potest etiam confirmari articulo 44 Constitutionis Francisci I, promulgatæ Blesis, die 19 Martii, anni 1540. quo articulo salaria Examinatoribus monetarum altero tanto auctiora constituuntur, propter separationem hanc metallorum, quæ ope aquæ Stygiæ peragitur. Articulo enim isto singulis monetarum Examinatoribus, loco 50 librarum, quæ antea ipsis dabantur, expressis verbis decernuntur centum libræ Turonenses, ad sarciendas impensas, quas fecissent in examen auri, tam ope ignis, quam aquæ Stygiæ peractum.

Quamvis autem argentum omnino dissolvatur, &, si oculis credas, in aquam convertatur, nihilominus partes ejus per aquam dispersæ colligi rursus possunt, si nempe vim aquæ fortis prius retundas & frangas affusa aqua communi, & deinde ei injicias frusta æris, quæ ea prædita sunt proprietate, ut argentum, aqua forti dissolutum, ad se attrahant. Argentum enim in pulverem candidum statim conversum, æri se jungit, & ei adhæreseit, ita ut hac ratione aurum & argentum in vase a se invicem secreta reperiantur.

Si æs in aqua forti dissolutum sit, id inde rursus extrahitur ope ferri, eodem modo, quo diximus argentum inde extrahi ope æris. Partes enim æris a ferro attractæ, & ab aqua secretæ, ferro se jungunt, idque vero æris colore inficiunt. Et quoniam vitriolum quoque in aqua dissolutum, ferro se jungit, eique conciliat colorem æris, eundem edens effectum, quem edit aqua fortis, quæ vim suam amisit; Alchymistæ, occasione hujus phænomeni, aliis persuadere conantur, ferrum a vitriolo in æs transmutari; eoque argumento utuntur ad transmutationem metallorum probandam. Verum enimvero, cum vitriolum in aqua dissolutum est, partes æris, quæ ei inerant, post dissolutionem istam, per aquam dispersæ, pristinam formam & soliditatem recuperant ope ferri, cui sese jungunt, ut Nicolaus Guibertus, Medicus Lotharingus, in libro suo, quem inscripsit *Alchymia interitus*, contra Libavium, aliosque Alchymistas, ratione & experientia probavit.

CAP. VIII.

Quomodo aurum perpurgetur ope cementi regii & antimonii. Quomodo argentum & æs à cemento isto & antimonio postea secernantur. Quomodo metalla interdum purgentur, præsertim vero ope argenti vivi. Hunc modum Veteribus, æque ac nobis, cognitum fuisse; quamvis nostra praxis multo commodior sit. Causam coloris, quem aurum post secretionem habet, maximam partem adscribendam esse illis metallis, cum quibus aurum antea permixtum fuit.

Secundus modus aurum ab argento, vel æs a duobus istis metallis separandi, fit ope cementi regii, quod compositum est ex pulvere latericio, aliisque materiis, quæ ea præditæ sunt proprietate, ut in argentum & æs vim suam exerant, illæso & intacto auro, a quo omne argentum & æs, quod cum eo permixtum erat, secernunt, ita tamen, ut prior forma & figura totius massæ non mutetur. Post secretionem istam reperitur aurum optimum, purissimum, & coloris maxime intensi, & massa tantum de pondere suo amisisse deprehenditur, quantum argenti & æris antea continuerat. In hac operatione, quamvis portio argenti & æris, cum auro permixti, longe minor sit portione auri, nihil tamen obstat, quo minus cementum vel in minimam portionem argenti vel æris, cum auro permixti, agat; cum contra aqua fortis vim suam non exerat, nisi ad minimum duo trientes argenti vel æris, cum uno triente auri permixti sint: neque hoc sufficit, sed præterea requiritur, ut aqua illa sit acidissima, ut ante dictum est. Budelius, Agricola, & Ercherus de secunda hac operatione scripserunt: sed Ercherus multo clarius, uberius, & fusius, quam duo priores, de ea egit; quare specialem ejus descriptionem hic tradere, minime necessarium judico.

Tertius modus aurum ab argento & ære separandi, fit ope antimonii, quod cum auro in catino liquatur, nunc plus, nunc minus, prout aurum majorem minoremve argenti vel æris portionem continet. Antimonium cum auro non puro coctum & liquatum, argenti & æris particulas imbibit, quibus fœtum discedit ab auro, quod mox instar reguli in fundo catini subsidit. Quoniam vero aurum post primam illam separationem fragile adhuc existit & rigidum, propter aliquas, quas adhuc retinet, antimonii particulas; hinc, ut eas nobilissimum hoc metallum prorsus exuat, quicquid antimonii in auro remansit, id omne ope ignis in vaporem resolutum, inde elicitur; qua tamen in re cautio non exigua adhibenda est. Si enim ignis gradus nimium intendatur, antimonium majore, quam debebat, vi expulsum, quasdam auri particulas secum aufert. Operatio hæc fuse descripta est ab Erchero, uti & a Georgio Agricola, qui præter hos, alios quoque aurum ab argento separandi modos, docent; sed tres illi, quorum mentionem fecimus, sunt præcipui, tutissimi, & facillimi. Argentum & æs, quæ in cemento vel antimonio remanserunt, inde secernuntur ope plumbi, vel argenti vivi, quo metallici etiam uti solent, cum aurum ab impuritatibus venæ suæ separare volunt. Postquam enim venam illam pistillo contuderunt, lavarunt, usserunt, & iterum, si opus sit, lavarunt; eandem postea contritam cum argento vivo, & aqua communi miscent: Quod dum fit, quicquid est impurum, tanquam levius, cum aqua abit; aurum vero & argentum vivum, tanquam graviora, sibi invicem juncta, &, ut loquuntur, amalgamata, in fundo subsidunt. Ejusdem hydrargyri ope aurum ab arena fluviatili, cui immixtum est, secerni solet. Josephus Acosta in Historia sua Indiæ narrat, metallicos quoque in auri fodinis argento vivo uti solere, cujus operationis modum fuse & ample describit; quod & Ercherus facit. Veteribus quoque usus hic argenti vivi fuit cognitus, ut discimus ex Plinio in *Histor. Nat.* lib. XXXIII. c. 3. eademque de re nonnulla etiam memorat Vitruvius lib. VII. c. 8. Cæterum, hodierna praxis, qua argentum vivum ab auro secernitur, multo est accuratior & melior. Veteres enim argentum vivum cum auro amalgamatum, duntaxat per corium percolabant, credentes, hydrargyrum solum per poros corii transire, aurum vero omne, post vehementem expressionem, in corio remanere; quod tamen secus est. Argentum enim vivum per poros corii transiens, aliquas certe auri particulas secum aufert, ut recte observat Ercherus; & præterea multum hydrargyri cum auro in corio remanet, quod hydrargyrum Veteres ab auro nonnisi exhalatione, qua hydrargyrum non absque damno in fumum abibat, secernere poterant. Hodie argentum vivum cum auro amalgamatum retortæ inditur, cui jungitur cucurbita, semiplena aqua, in qua vapor argenti vivi, a frigore aquæ condensatus, pristinæ naturæ & formæ redditur. Magna autem adhibenda est cautio in moderandis gradibus ignis, quoniam, ni id fiat; periculum est, ne retorta rumpatur. Lazarus Ercherus studiose & exacte docet, quomodo operatio hæc in-

stituenda

ſtituenda ſit. Cæterum, quantacunque diligentia & cura ſupra memoratas operationes aliquis deſcribat, licet id fiat accuratiſſime, fieri tamen non poteſt, ut eas ſat clare & diſtincte percipiamus abſque ipſa praxi, cujus videndi optima datur occaſio Pariſiis, eo loco, ubi Excoctores metallorum officinas ſuas habent.

Quando æs miſcetur cum auro, idque inde rurſus ſecernitur, color auri longe eſt pulchrior, intenſior, vividiorque, quam ſi mixtum fuiſſet cum argento, quippe quod auro dat colorem pallidum & languidum; cum contra admixtio æris aurum inficiat colore rubro, & ſaturo: Unde apparet, cauſam coloris, quem aurum habet, maximam partem adſcribendam eſſe metallis, cum quibus aurum ante mixtum fuit. Hodie ad ſecernendum aurum ab argento artifices plerumque utuntur aqua forti, quoniam operatio hæc & facilius, & minoribus impenſis, fieri poteſt. Aliquando etiam adhibetur cementum, quod utpote compoſitum ex materiis, multum affinitatis cum ære habentibus, aurum colore ſaturo & vivido imbuit. Purgatio auri, quæ fit ope antimonii, omnium rariſſima eſt, quamvis aurum eo purgandi modo ad ſummam perducatur puritatem. Cæterum duæ hæ ultimæ operationes, ut ego quidem exiſtimo, raro in praxi adhibentur, quoniam multo operoſiores ſunt, multoque majores requirunt impenſas, quam ea purgatio, quæ fit ope aquæ fortis.

CAP. IX.

*Veteres noviſſe artem ſecernendi argentum a plumbo, æque ac nos. Eos aurum ab argento non potuiſſe abſque detrimento ſecernere. Electrum Veterum quid fuerit, & ex qua materia compoſitum. Cur ordinaria numiſmata antiquorum duntaxat ex auro, argento & ære cuſa fuerint. Veteres neſciviſſe aes ab auro ſecernere abſque æris jactura. Quid fuerit o*bryzum. *Quæ cauſa ſit, quare numiſmata antiqua aurea ex auro puriſſimo conſtent, cum tamen Veteres aurum ab argento ſeparare neſciverint. Veteres eximias virtutes* Electro *ſuo tribuiſſe. Numiſmata ex Electro a Veteribus cuſa fuiſſe.*

Dubitari nequit, quin Veteres argentum a plumbo ſeparare ſciverint, ut apparet ex Plinio lib. XXXIII. c. 3. & ex l. 5. Lib. VI. Digeſtor. Tit. 1. ubi hæc leguntur verba. *Sed ſi plumbum cum argento mixtum ſit, quia deduci poſſit, nec communicabitur*, &c. Noverant etiam artem argentum ſecernendi ab ære, ut diſcimus ex Tit. 1. Lib. 41. Digeſtor. l *Lucius*, ubi JCtus ait: *Si ære meo, & argento tuo conflato aliqua ſpecies facta ſit, non erit ea noſtra communis, quia cum diverſa materia æs atque argentum ſit, ab artificibus ſeparari, & in priſtinam materiam reduci ſolet.* Quod vero adtinet ad artem ſeparandi aurum ab argento; vel eam ignorarunt Veteres, vel ea ipſis adeo fuit difficilis, ut eam exercere non poſſent, quin argentum deſtruerent; quæ ingens ſane jactura fuiſſet. Ex duobus tamen Juris Romani locis colligi poſſe videtur, Veteres hanc ſeparationem prorſus ignoraſſe. Libro enim ſecundo, Tit. 1. §. 27. *Inſtit.* confuſio auri & argenti comparatur cum confuſione vini & mellis. Sicuti enim vinum a melle ſeparari nequit, ſed utriuſque natura poſt confuſionem ita corrumpitur & immutatur, ut inde tertia quædam ſpecies, *mulſum* dicta, exiſtat: Sic aurum & argentum confuſa, quamvis naturam ſuam ſervent integram & incorruptam, ſeparare tamen Veteres non noverant, quin ea deſtruerent. Hinc uti ex confuſione vini cum melle naſcebatur tertia ſpecies, a Latinis dicta *mulſum*; ſic ex auro & argento confuſis, quoniam ea ſeparare neſciebant Veteres, tertia quædam metalli ſpecies, *Electrum* dicta, componebatur. Quæ dixi, ſatis aperte colliguntur, ex his verbis paragraphi ſupra laudati: *Sed & ſi diverſæ materiæ ſint, & ob id propterea ſpecies facta ſit ex vino & melle mulſum, aut ex auro & argento electrum.* Idem nos docent verba illa *legis 7. Lib. XLI. Tit. 1. de acquir. rer. dominio*, § 8. *Veluti ſi alius vinum contulerit, alius mel, vel alius aurum, alius argentum: quamvis & mulſi & electri novi corporis ſit ſpecies.* Cæterum, mixtura hæc appellabatur *Electrum*, ſi tribus partibus auri admixta eſſet quarta pars argenti, ut vult S. Iſidorus; vel, ſi quatuor partibus auri admixta eſſet quinta pars argenti, ſecundum Plin. *Lib.* XXXIII. *cap.* 4. qui ejus rei hanc rationem reddit: *Quod ſi quintam portionem exceſſit, incudibus non reſiſtit.* Plinius tamen non mediocriter hac in re falſus eſt. Argentum enim qualicunque proportione cum auro, vel etiam ære mixtum, non impedit, quominus maſſa incudi reſiſtat: Quod idem dicendum de mixtura auri, argenti, & æris, quoniam tria hæc metalla, qualicunque proportione mixta, talem conſtituunt maſſam, quæ malleum pati poſſit: Quod ſecus eſt, ſi aliud metallum præter hæc tria, ſtannum puta, plumbum, vel ferrum, in mixtione hac adhibeatur; quoniam tunc maſſa illa admodum rigida & fragilis efficitur, præſertim ſi ſtannum admiſceatur. Hæc ratio eſt, quare ordinaria Antiquorum numiſmata non niſi ex auro, argento, & ære, vel puris, vel inter ſe mixtis, conflata fuerint. Si enim aliud quoddam metallum, præter hæc tria, illis admixtum fuiſſet, incudi reſiſtere non potuiſſent, ſed frangi ea neceſſe utique fuiſſet.

Præterea, Veteres artem ſeparandi aurum ab ære ignoraſſe videntur. Ulpianus enim JCtus in Lege ſupra laudata *Lib.* VI. *Digeſt.* Sic ait: *Sed ſi deduci non poſſit, ut puta ſi æs & aurum mixtum fuerit.* Locum tamen hunc ita interpretari licebit, ut dicamus, Veteres ſciviſſe quidem artem aurum ab ære ſeparandi, ſed non abſque deſtructione æris. JCti. ut ait Molinæus in Tractatu ſuo de *Mutatione monetarum*, artic. 775. ubi locum hunc explicat, ſeparationem unius rei ab altera impoſſibilem eſſe dicunt, quæ nonniſi difficulter, & magna cum jactura damnoque fieri poteſt. Sciviſſe autem Veteres artem ſecernendi aurum ab ære, idque ab omnibus ſordibus purgandi, dubitare nos non ſinit aurum, quod *obryzum* vocabant, quippe quod ab omnibus fæcibus purgatum, colorem habebat pulcherrimum, maxime vividum, & rubentem, inſtar ignis, ut teſtatur Plinius his verbis: *Ut qui ſimili colore rubeat, quo ignis, atque ipſum obryzum vocant.* Talem autem colorem non nanciſcitur aurum, niſi cui æs admixtum fuit. Artem porro purgandi & excoquendi aurum Veteres noviſſe, probat Tit. Codicis Theod. *de Ponderatoribus*, his verbis. *Diu multumque flamma examinetur ea obryza detineatur, quemadmodum pura videatur.*

Non exigui autem momenti dubium ſolvendum reſtat circa ea, quæ ſupra dicta ſunt de arte ſeparandi aurum ab ære: Nimirum, ſi verum eſt, Veteres non potuiſſe argentum ab auro ſecernere, qui fiat, quod fere omnia illorum numiſmata aurea, ex auro puriſſimo conflata eſſe deprehendantur? Ad hoc primo reſpondeo, Veteres magnam auri natura ſua puri, ſeu virginei, tum in fodinis, tum fluviorum arenis reperti, copiam habuiſſe; quod etiam affirmat Georg. Agricola lib. VIII. de

Nat.

Nat. Fossilium, cap. 2. his verbis; *Certe quoties animum refero ad eorum scripta* (loquitur de Veteribus) *adducor ut credam, plus puri auri semper repertum esse, quam confectum e terrarum vel lapidum generibus, cum quibus solet esse permixtum.* Hujus opinionis confirmandæ & stabiliendæ gratia adducit exempla fluviorum, qui auri ramenta inter arenas suas vexisse leguntur, inter quos celebrantur Ganges in India, Hebrus in Thracia, Tagus in Hispania, Padus in Italia, Albis in Germania. Præterea mentionem facit ingentium frustorum & glebarum auri, in Hispania frequentissime repertarum, quarum nonnullæ pondus decem librarum excesserint; sicut & in multis aliis Provinciis memorat reperta sæpe fuisse frusta auri, unius, duarum, & trium librarum pondus habentia. Quare cum ipsa natura sat magnam auri puri copiam, ad usum monetarum, Veteribus suppeditaret, non opus erat, ut metallum illud ingenti cum jactura & damno arte purgarent, etiamsi æque facile, ac nos hodie, illud facere potuissent, nec necesse habuissent argentum in illa secretione destruere. Adhæc si Veteres auri natura sua puri inopia laborassent, potuissent utique illud aurum, quod cum ære mixtum erat, purgare & secernere, quoniam æris, quod in illa purgatione destruebatur, non adeo gravis erat jactura. Ex auro igitur, quod cum argento mixtum erat, Veteres tertiam metalli speciem, *Electrum* dictam, componebant, satius ducentes, metalla hæc ita, uti erant, mixta & confusa servare, quam ea secernere, etiamsi artem ea secernendi cognitam habuissent; quoniam pluribus & majoribus virtutibus *Electrum*, sive aurum cum argento mixtum, quam ipsum aurum purum præditum esse existimabant. Hinc S. Isidorus, *defecatius est*, inquit, *hoc metallum omnibus metallis.* Et paulo post: *Si ei infundas venenum, stridorem edit, & colores varios in modum arcus cœlestis emittit.* Idem fere de hoc metallo affirmat Plinius *lib.* XXXIII. *c.* 4. dum inquit: *Quod est nativum* (Electrum) *venena deprehendit.* Regnante Ludovico XII. aurum, quod ad fabricanda vasa in Gallia communiter adhibebatur, ejusdem fere cum Veterum electro fuit temperaturæ, quippe compositum ex quatuor portionibus auri, & una quinta portione argenti; quæ temperatura accurate respondet compositioni electri Pliniani. Rex enim modo dictus, edicto, die 19. Nov. 1506. Blesis publicato, quod corpori Constitutionum insertum non est, permittit vascularis, auro octodecim charactarum, & unius quintæ portionis, ad fabricanda vasa uti. Veteres quoque ex *electro* monetas interdum signarunt, quod fecit Imperator Alexander Severus, ut testantur vitæ ejus Scriptores.

CAP. X.

An aurum & argentum arte chrysurgica possit effici purissimum. Dubia & incerta hac de re Budæi opinio: Quid sibi velit dictio ista, in re monetaria usitata, remede de loy? *Garaltum falli, qui putat argentum ceneraceum esse omnium purissimum. Quid sit argentum cineraceum* (de cendree) *cupellatum* (de coupelle), *& granulatum* (de grenaille.)

Restat alia objectio solvenda, quæ opponi posset contra ea, quæ a nobis ante dicta sunt. Assertum enim fuit, Veteres aurum nativum, prorsus purum, tam in fluviis, quam in metallis reperisse; cum tam Plinius, loco ante laudato, scribat, omni auro admixtam esse nunc decimam, nunc nonam, quandoque etiam octavam argenti partem; & aurum omnium optimum & purissimum fuisse habitum illud, quod in quodam Galliæ metallo inventum, trigesimam sextam duntaxat argenti portionem continuerit. Ad hoc responderi potest, testimonia Plinii, qui sæpissime & fallitur, & fallit alios, non multum fidei tribuendum esse, quando aliorum auctorum in contrarium exstant testimonia. Atqui Plinio non solum refragatur experientia, & auctoritas hodiernorum, veluti Georgii Agricolæ, Lazari Ercheri, Georgii Fabricii, & omnium illorum, qui de metallis, speciatim vero qui de venis auri scripserunt; sed etiam auctoritas Veterum, puta Deimarchi, Megasthenis, Aristeæ, Herodoti apud Agricolam, Æneæ Sylvii apud Georgium Fabricium, & præter hos Imperatoris Justiniani in *Institut.* & JCtorum in *Digestis.* Quod si Georgius Agricola scripsit, nullum reperiri aurum, cui non sit admixtum aliquid argenti, vel æris; secutus est eam opinionem, quæ inter viros harum rerum peritos dubio non caret, aurum scilicet non posse ita penitus purgari, quin aliquid argenti vel æris in eo remaneat, quamvis id nullius in pondere sit momenti. Budæus in hoc argumento sibi non constat, quippe qui libro quidem tertio *de Asse* dicit, auri puritatem non posse perduci ultra 23. charactas, & tres quartas unius charactæ partes, ita ut aurum semper retineat nonagesimam sextam partem argenti vel æris, quæ inde secerni nequeat. Postea vero affirmat, excoctores & purgatores metallorum, puritatem auri perducere posse usque ad 23. charactas, & quindecim decimas sextas unius charactæ partes; sive, quod idem est, aurum, ad extremam quamvis puritatem adductum, semper tamen 384. argenti vel æris partem retinere. Idem paulo post subjungit, argentum eo puritatis redigi posse, ut nulla amplius deterioris metalli portio ei insit.

Budelius lib. 1. *de re nummaria* dicit, se Budæi mentem non satis assequi; quod equidem non miror, quoniam existimo, ipsum Budæum nescire, quid sibi hoc loco velit. Confundit enim permissionem illam in re monetaria usitatam, quæ *remede de loy* dicitur, cum summo & extremo puritatis gradu, ad quem aurum perduci potest. Pulanus in suo Glossario quid sit *remede de loy* explicat, dum ait: *Remede de loy* est permissio, qua Princeps monetariæ rei Præfecto, vel argyrocopii mancipi permittit, ut monetæ bonitatem efficiat paulo citeriorem illo bonitatis gradu, qui in Constitutionibus publicis præscriptus est; cujus permissionis ratio est difficultas, quæ cum arte explorandi aurum atque argentum conjuncta est. Sic hoc tempore Scutati habent 23. charactas auri, ita tamen, ut, si quadrans tantum charactæ ad præscriptum bonitatis gradum illis desit, defectus ille monetæ Præfecto fraudi non sit. Quamvis autem Princeps hunc quadrantem charactæ monetarum Præfecto indulgeat, non tamen inde sequitur, aurum ad ulteriorem puritatis gradum non posse perduci. Molinæus libro *de mutatione monetæ*, quæstione 100. postquam Budæum contradictionis arguit, affirmat, aurum non posse penitus arte purgari, vel purissimum reddi. Cujus opinionis etiam est Georgius Agricola, in Principio libri 7. & 10. *de Re metallica*, uti & lib. 3. *de Pretio monetarum.* Didacus Covarruvias cap. 3. *de veterum numismatum collatione*, hac de re opinionem Budæi refert, cui adstipulari videtur, quoniam nihil affert, quod ei sit contrarium. Garaltus in Disquisitionibus suis de monetis, & Commentariis de numeris, ponderibus, mensuris, & gradibus puritatis monetarum, scribit, auri puritatem non posse perduci ad 24. charactas, nec argenti, ad 12. denarios; sed in auro quidem plerumque desiderari octavam partem charactæ; in

argento vero, ſex grana; idque argentum eſſe omnium puriſſimum, dictum vulgo, argentum *cineraceum (de cendrée,)* Maxime autem fallitur Garaltus, dum putat argentum cineraceum, eſſe omnium puriſſimum. Verum quidem eſt, argentum cineraceum ſex granis plerumque abeſſe a puritate 12. denariorum: inde tamen non ſequitur, argentum non poſſe ad majorem puritatem excoqui, quoniam argentum, quod dicitur *cupellatum & granulatum*, ad ulteriorem puritatis gradum poſſe perduci conſtat.

Ut hæc rectius intelligantur, operæ pretium erit explicare, quænam ſit differentia inter argentum cineraceum, cupellatum *(de coupelle,)* & granulatum, *(de grenaille.)* Argentum cineraceum, dicitur argentum, quod in magna quantitate purgatum, & a plumbo ſeparatum eſt, veluti cum trecenta vel quadringenta ſemipondo, quæ vulgo *marca* dicuntur, ſimul liquantur in capaci catino, facto ex cineribus bene præparatis & lotis; quæ ratio eſt, quare argentum, hoc modo purgatum, dicatur argentum cineraceum. Quoniam autem argentum hoc in tanta quantitate purgatum & excoctum eſt, fieri non poteſt, quin plerumque ſex ſaltem grana plumbi, vel impurioris materiæ in tota maſſa remaneant. Argentum cupellatum, eſt illud, quod a plumbo ſeparatum eſt in minori catino cinereo, nullaque alia differentia inter hunc & præcedentem purgandi modum intercedit, niſi quod, ut jam dictum, catinus cinereus in poſteriore hac purgatione multo ſit minor, & argenti quantitas itidem longe minor, (quippe quæ plerumque tantum decima ſexta pars unciæ eſſe ſolet) in eo excoquatur. Hinc ut minor catinus a majori diſtinguatur, major appellatur *cendrée*, minor vero *coupelle*; & argentum quod in majori catino purgatum eſt, dicitur *cineraceum*; in catino vero minori excoctum, dicitur argentum *cupellatum*; idque ad ultimum & ſupremum puritatis gradum, quem quidem arte aſſequi poſſumus, perductum eſt, vincitque puritatem argenti cineracei ſex circiter granis, ut ſupra diximus. Cæterum, excoctores, cum argentum cineraceum ad eundem puritatis gradum perducere volunt, illud in fornace ventoſa denuo liquefaciunt; quo facto, quicquid plumbi & ſordium argento illi admixtum eſt, ſuperficiem petit, eique inſtar lithargyrii innatat. Excoctores igitur ſordes has, quamprimum ad ſuperficiem adſcenderunt, ab argento ſecernunt, injicientes catino pulverem carbonum, cum quo ſordes iſtæ in grumulos concreſcentes, facile ſecernuntur ab excoctoribus, qui pulverem carbonum catino injicere non deſinunt, donec nullæ amplius ſordes in ſuperficie argenti liquefacti conſpiciantur. Excoctores hunc purgandi argenti modum vocant, *ventilare argentum*, *(eventer l'argent.)* Argentum igitur hac ratione purgatum & mundatum, dum adhuc fervet; infunditur in vas, aqua communi plenum, in quod poſtquam decidit, configuratur in formam globulorum, vel exiguorum tuberculorum, quæ artifices *granula* vocant, eaque colorem candidiſſimum & pulcherrimum, poſtquam per aquam tranſierunt, naniſcuntur, ſuntque ad uſus artificum multo aptiora, quam ſi in maſſam coaluiſſent.

CAP. XI.

Argentum granulatum eſſe id, quod Latini vocant puſtulatum, & quare. Varietas opinionum de quæſtione præcedenti. An aurum & argentum ab omnibus omnino ſordibus purgari poſſint: Quod fieri poſſe negatur, & quare. Quamvis verbis & argumentis facile ſit oſtendere, aurum atque argentum prorſus purum arte non poſſe effici, nullis tamen experimentis ad oculum id demonſtrari poſſe.

Argentum liquefactum, quod in aquam, ut modo diximus, conjicitur, propter formam, quam aſſumit, dicitur *granulatum*; eandemque ob cauſam Latini id vocant *puſtulatum*; quoniam in aqua, quod ad formam & figuram attinet, tuberculis & puſtulis ſimile evadit.

Viri docti, ob praxeos hujus & experientiæ mechanicæ ignorantiam, quæ tamen illis vitio verti nequit, multum ſudarunt in exponendo epitheto *puſtulatum*, quo Latini argentum puriſſimum inſigniunt, nec uno modo etymologiam vocis iſtius indagare conati ſunt, aliis pro *puſtulatum*, *poſtulatum*, aliis *puſillatum*, aliis *paſtillatum* legendum eſſe contendentibus

Præter auctores ſupra laudatos, Plinium nempe, Budæum, Molinæum, Agricolam & Covarruviam; ſunt & alii, utpote Bilibaldus, Bodinus, & Albertus Brunus, qui opinionem aurificum, in hac arte verſatiſſimorum, ſecuti, exiſtimant, aurum & argentum non poſſe ulla arte penitus purum & putum reddi. Budelius tamen, non obſtante tot tantorumque virorum auctoritate, contrariam defendit opinionem, fretus, ut ait, excellentium in hac arte virorum conſenſu. Utitur tamen diſtinctione ſequenti; nimirum, ſi ingens auri atque argenti portio ſimul excoquatur, fieri vix poſſe, ut metalla hæc ab omni prorſus impuritate purgentur: ſin autem exigua portio catillo indatur, ad tantum utique puritatis gradum ea perduci poſſe, ut nulla omnino recrementa in eorum maſſa remaneant. Verum enim verò non poſſum hanc opinionem Budelii probare, quamvis eam niti dicat experientia & auctoritate optimorum artificum. Ex iiſdem enim experimentis conſtat, cum auri portio, licet minima, a recrementis purgatur, difficillimum eſſe, aurum cum argento ita commiſcere, ut utrumque metallum ad minutiſſimas uſque particulas, eodem modo, quo aqua cum vino, invicem commiſceatur. Metalla enim iſta liquata, haud ſane ſibi invicem perfecte uniuntur & immiſcentur; ſed aurum quidem, tanquam gravius, ad fundum deſcendit, argentum vero, utpote levius, ſurſum pellitur; niſi continuo agitentur & commoveantur: tunc enim quodammodo ſecum permiſcentur. Hinc autem fit, ut, quoniam aurum ad minutiſſimas particulas in catino non redigitur, nec cum argento æqualiter, & ſecundum omnes ſuas partes, ſe conjungit, aqua fortis vim ſuam ubique exerere, & omne argentum ad minutiſſimas uſque reliquias ab auro ſecernere nequeat. Præterea, quis dubitet, aurum & argentum ita ſibi invicem naturaliter immiſceri, ut non aliquid auri in argento, quod ab aqua forti diſſolutum eſt; & viciſſim aliquid argenti in auro, quod ad fundum deſcendit, ſemper remaneat? Idem dictum velim de ſecretionibus & purgationibus metallorum, quæ fiunt ope cementi, ſulphuris, antimonii, aliarumque materiarum; quoniam & hic eadem eſt ratio. Quo accedit, quod cementum, ſulphur, antimonium, aliæque materiæ, niſi caute & provide in praxi adhibeantur, plerumque aliquid auri ſecum auferant. Præterea, experientia rationes has clare confirmat. Aurum enim, ab argento ſecretum, pallet; quod vero ab ære ſeparatum eſt, rubet, quantacunque cura & diligentia illud purgaveris: Quæ coloris diverſitas evidenter oſtendit, aurum, etiam poſt purgationem, non eſſe ab omni mixtura argenti vel æris liberum.

Quod de auro, idem etiam de argento dicere poſſum; cum eandem ob cauſam fieri nequeat, quin

quin argentum aliquam plumbi, & plumbum aliquam argenti mixturam retineat. Hinc cacoctores metallorum semper aliquid plumbi in argento deprehendunt; & vicissim argentum, in catino liquatum, etiam tale, quod ante purgatum fuerat, semper nonnihil plumbi ad superficiem expellit. Georgius Agricola insuper initio lib. x. *de Re metallica*, suffragantibus omnium artificum experimentis, docet, naturaliter quaodam auri portionem in argento & ære; quandam argenti, in auro, ære, plumbo & ferro; quandam plumbi, in argento; & denique, quandam ferri portionem in ære inesse. Præterea, nulla est statera adeo accurata, qua ulla ponderis differentia, nisi sit notabilis & alicujus momenti, explorari queat. Quamvis autem rationibus & argumentis satis clare ostendi possit, non posse metalla tam plene & perfecte a sese invicem separari, quin aliquid ex priori mixtura retineant; existimo tamen, veritatem hujus theorematis nullo experimento ad oculum demonstrari posse.

CAP. XII.

Numismata & monetas tum Antiquorum, tum etiam primorum Franciæ Regum, maximam partem ex purissimo metallo percussas fuisse. De numismatibus Alexandri Severi ex auro & argento deterioris nota cusis. Eum RESTITUTORI MONETÆ *titulum sibi tribuisse, cum tamen primus ejus bonitatem valde imminuerit, & quare? Qui factum, quod numismata laminis obducta* (fourrées) *ad nostram usque ætatem conservata fuerint. Bonitatem intrinsecam nummismatum usque ad tempus Aureliani & Diocletiani magis magisque imminutam fuisse. Numismata bracteis obducta sono carere, idque esse indicium, quo agnosci possint. Eadem a reliquis dignosci posse ope trutina, & quare?*

Veteres Hebræi, Græci & Romani pleraque numismata sua & monetas ex puro & optimæ notæ metallo signarunt, quod etiam fecerunt primi Franciæ Reges, ut apparet ex Capitularibus tam Caroli Magni, quam Caroli Calvi. In Capitulari Caroli Calvi legimus hæc verba: *Ut denarii ex omnibus monetis meri ac bene pensantes, sicut & in capitulari prædecessorum ac progenitorum nostrorum Regum libro 4. 32. capitulo continetur, in omni regno nostro non rejiciantur.* Philippus Pulcher primus in Gallia bonitatem intrinsecam monetæ imminuit, teste Bodin. lib. vi. *de Republica*, c. 3. Nihilominus in Jure Civili legimus, Gallos jam tempore Imperatorum habuisse monetam auream, bonitate inferiorem Romana, & proinde minoris æstimatam, ut nos docet Novell. Majorani Lib. iv. tit. 1. his verbis: *Nullus solidum integri ponderis calumniosa adprobationis obtentu recuset exactor, excepto eo Gallico, cujus aurum minore æstimatione taxatur.*

Certum etiam est, omnibus temporibus extitisse adulteratores monetarum, & quosdam Principes Respublicasque monetæ suæ bonitatem supra modum imminuisse, ut legitur de Livio Druso, Tribuno plebis, & Antonio apud Plutarchum; nec non de Caracalla, & Elagabalo, apud eos, qui vitam illorum literis mandarunt; & apud Lampridium de Alexandro Severo, qui, quamvis in nonnullis nummis appelletur *Restitutor Moneta*, non tamen signavit monetam ex puro auro, sed cui argentum admixtum erat; eaque moneta dicebatur *electrea*, ob proportionem temperaturæ. Verba Lampridii hæc sunt: *Alexandri habitu nummos plurimos figuravit, & quidem electreos aliquantos.* Nulla tamen hodie extant numismata Romana ex auro deteriore, vel cum aliis metallis mixto, facta, quæ non pro adulterinis habeantur, exceptis nomismatibus modo memorati Alexandri Severi, si eam habeant temperaturam, quæ ad componendum electrum requiritur. At vero nulla hujus generis numismata unquam vidi, neque quenquam novi, qui dixerit, se ulla eorum vidisse. Porro, quoniam numismata electrea, jussu Alexandri Severi percussa, ad nostram ætatem, propter raritatem suam, pervenire non potuerunt; credibile non est, nummos adulterinos, qui rari semper fuerunt apud Veteres, & quorum mentitam bonitatem, qua initio fallebant, usus & dies facile tandem aperiebat, ad nostra usque tempora conservari potuisse.

Inter nomismata antiqua reperiuntur etiam Gothica, ex auro infimæ bonitatis; quorum temperaturam tamen non putaverim profectam a consilio & voluntate adulterandi aurum, sed ea potius adscribenda videtur ruditati seculi istius, quo ignorabatur modus aurum ab argento ita secernendi, ut argenti substantia non periretur.

Verum quidem est, reperiri adhuc hodie primorum Imperatorum numismata ærea & ferrea, quæ tenui quadam lamina argentea obducta sunt, a nostratibus *fourrées* appellata: Sed ea ad nostram usque ætatem ideo pervenisse opinor, quod, cum pars illorum exterior puro puto argento obducta esset, diuturnitate temporis nec nigrescere nec rubescere possent; quod ipsis eventurum fuisset, si argento admixtum fuisset æs vel ferrum, a quo argentum, si cum eo permixtum sit, difficulter separatur, ut tradit Ercherus.

Examinavi curiositatis gratia numisma argenteum Alexandri Severi, ut temperaturam ejus explorarem, & deprehendi, ei tertiam duntaxat argenti portionem inesse, quamvis pondere a numismatibus argenteis non differret.

Cæterum existimo, Alexandrum Severum posse eo, quem exponam, sensu, *Restitutorem moneta* dici. Nimirum, cum Imperator iste, teste Lampridio, tributa ad trientem aurei contraxisset, & ob commoditatem solutionis, aureorum tremisses, sive tales aureos, qui tertiam tantum partem priorum aureorum penderent, percussisset; probabile est, eum certum quoque monetæ argenteæ genus, solvendis stipendiis militum, aliisque expensis publicis destinatum, cudi jussisse, eamque monetam habuisse drachmæ pondus; quæ erat mercenariorum & militum diurna merces. Hæc moneta argentea cum intuentibus præberet speciem ejusdem bonitatis, quam habebant denarii ex argento puro, illisque pondere quoque omnino par esset, populus in ea facile acquiescere potuit: At cum prava ejus temperatura brevi tempore innotuisset, dubium non est, omnium mercium pretium fuisse auctum, quod accidere videmus, cum Principes vel pondus, vel intrinsecam bonitatem monetæ imminuunt. Ex hac re vero neque ad Imperatorem ullum redundabat detrimentum, nec subditi eo nomine conquerendi causam habebant, nam Imperator tributa multum contraxerat; nisi quod in tempus futurum hæc res eis fraudi esse poterat. Cum enim publicæ necessitates Imperii imminutionem hanc vectigalium diu ferre non possent, eamque ob causam Imperatores sequentes pristinum tributorum modum subditis rursus imponere cogerentur, monetæ tamen temperatura semper mutabatur in deterius; quod onus subditi patienter nihilominus ferebant. Fieri enim solet, ut populus ea onera, quæ initio propter necessitatem publicam,

 vel

vel aliam aliquam causam imponuntur, postea, cessante licet ea causa, patienter tamen ferat, ubi eis semel assuevit. Quoniam ergo onera tributorum & vectigalium identidem augebantur, & splendor viresque Imperii paulatim decrescebant; monetarum quoque bonitas magis magisque depravata fuit, adeo ut omnia fere numismata, post Galienum usque ad Aurelianum, vel Diocletianum, cusa, ex ære inargentato conficeor.

Videntur Imperatores Populo diutius imponere potuisse, si non aurum cum argento permiscuissent, sed æs duntaxat tenui lamina argentea extrinsecus incrustassent; quod tum, propter notabilem monetarum crassitiem, facile fieri poterat. Postea vero, ad evitandam fraudem harum incrustationum, satius visum puto, monetas multo tenuiores cudere, idque ob duas rationes. Prima est, quod difficile sit, monetas, exiguam crassitiem habentes, incrustare: Secunda, quod, etiamsi quis eas incrustet, sonus tamen fraudem prodat. Nummi enim argentei exiguæ crassitiei tinnitum reddunt, præsertim, si formæ sint paulo majoris: Incrustati vero, sonum amittunt. Illo ergo tempore, quo nummi argentei erant exigui & crassi, quales priscis temporibus in usu fuisse constat, facile utique erat eos incrustare, ut ex iis, quæ modo dicta sunt, colligere licet.

Nummos incrustatos non tantum sonus prodit (modo non sint majores nummis argenteis) sed etiam pondus; quoniam æs & ferrum argento sunt leviora. Hinc nummos ferreos incrustatos facilius a sinceris dignoveris, quam æreos, quoniam ferrum pondere ab ære vincitur.

CAP. XIII.

Metalla ab auro & argento, cum quibus sunt permixta, nomen sortiri, licet horum portio longe sit minor. Prima divisio æris apud Veteres. Quid sit æs regulare, & caldarium. *Æs prorsus obstare, quo minus ferrum ferruminari queat. Secunda divisio æris apud Veteres. Quid sit* cadmia, *& quot ejus species. Distinctio valde clara & accurata omnium specierum* cadmiæ, *quas Auctores, tam veteres, quam recentiores inter se confuderunt. Quid sit* tuthia *hodierna. Eam non esse* pompholigem *veterum, contra opinionem Medicorum Arabum, & omnium recentiorum.* Pompholigem *non extare amplius in pharmacopoleis. Ignorantia Arabum, & error Gorræi notatur.*

Metalla mixta ab auro atque argento nomen sortiuntur, quamvis horum minima tantum portio toti massæ insit. Hinc, cum varios temperaturæ metallorum gradus exprimere volumus, dicere solemus, aurum quindecim vel sedecim charactarum; & argentum octo vel novem denariorum: & sic porro in auro ad 32 charactas; in argento vero, ad undecim usque denarios adscendimus.

Quamvis æs quoque cum aliis metallis vilioribus permisceatur, ejus tamen puritas, sive bonitas intrinseca non dividitur in diversos gradus, ut de auro & argento dictum est; sed tum demum datur ei nomen æris, cum portio ejus portionem aliorum metallorum viliorum, quæ ipsi admixta sunt, superat.

Veteres variis nominibus æs distinxerunt, pro ratione nimirum & diversitate temperaturæ & mixturæ. Et primo quidem duo ejus statuebant genera; ad quorum prius referebant æs illud, quod & fundi & cudi simul poterat, idque vocabant *æs regulare*: Posteriori generi assignabant æs, quod tantum fundebatur, non autem incudi resistere poterat; id quod appellabant *caldarium*, ut Plinius l. XXXIV. c. 8. in fine; & S. Isidorus iisdem pene, quibus Plinius, verbis nos docet. Æs quanto est purius, tanto facilius cuditur: *Omne æs*, inquit S. Isidorus post Plinium, *diligentia purgatis igne vitiis excoctisque regulare dicitur.* Tale est æs purum putum, quod hodie appellamos æs vel cuprum rubrum, quod cudi potest, non solum cum frigidum, sed etiam cum calidum est; secus ac æs impurum, quod tantum malleum pati potest, cum frigidum est.

Æs quamvis sit rubrum, nisi tamen probe perpurgatum sit, non est ductile, nec malleum patitur, veluti cum aliqua plumbi, & præcipue ferri portio ipsi admixta est. Quare æs illud, quod ope ferri a vitriolo dissoluto separatum est, vix unquam satis est ductile, quamvis colorem habeat optimum. Pari ratione omne ferrum, cui æs admiscueris, fragile fit & rigidum, adeo ut malleo duci omnino nequeat. Hinc, si vel minimam portionem æris in ustrinam fabri ferrarii injeceris, ferrum, ut observat Budelius, cudi & ferruminari minime potest, adeo ut fabri ferrarii ustrinas suas ab omnibus carbonibus & cineribus purgare, novumque ignem in illis accendere debeant, quoniam, nisi id faciant, omne ferrum ab igne comburetur, nulla spe ferruminandi relicta.

Porro, æs veterum aliter quoque distingui potest; nimirum in æs flavum, candidum, & subnigrum; quæ genera Antiquitas diversis insignivit nominibus, non solum ob coloris, sed etiam compositionis & naturæ ipsorum diversitatem.

Æs flavum variis componebatur modis; & primo quidem ex quadam mineræ specie, quam Latini vocant *cadmiam*, & Galli *calamine*. Est autem *cadmia* duplex; alia artificialis, alia naturalis. *Cadmia* naturalis, quam Georgius Agricola vocat *fossilem*, rursus duplex est; alia, quæ multum æris, & interdum etiam aliquid argenti continet, quæ per excellentiam *metallica* dicitur; alia, cui nulla nec æris, nec argenti portio inest, quæ arctiore significatione *fossilis* appellatur. Festus eam vocat *Cadmeam terram, quæ in æs conjicitur, ut fiat orichalcum.* Hujus *metallicæ* nullus in medicina usus est, secundum Plinium, dicentem: *Ipse lapis, ex quo fit æs,* cadmia *vocatur, fusuris necessarius, medicinæ inutilis.* Contra vero cadmia fossilis, quæ omnis æris expers est, & cadmia artificialis, usui medico inserviunt.

Cadmia naturalis, sive *metallica*, quæ æs, & interdum argentum in se continet, adeo est perniciosa & corrodens, ut, si Georgio Agricolæ credendum est, operariorum pedes manusque exedat, & pulmones oculosque lædat. Ex eadem conficitur sublimatum, quod summa corrodendi vi præditum est, ut idem Auctor testatur.

Cadmia artificialis, vel in fodinis, vel fornacibus producitur. Quæ in fodinis producitur, medicinæ itidem inutilis est, nasciturque ex exhalatione cadmiæ naturalis, quæ intra lapidum & saxorum cavitates colligitur, quando admoto igne operarii ea calefaciunt, & vi caloris petras metallorum rumpere conantur, ut Hannibal olim rupes Alpium rupisse legitur.

Cadmia, quæ fit in fornacibus, a Georgio Agricola dicta *cadmia fornacum*, nascitur ex vena æris, vel argenti: Quamvis ea, quæ originem debet venæ æris, vel cadmiæ fossilis, quæ omnis æris & argenti expers est, non æque bona sit.

Duæ igitur hæ species cadmiæ naturalis, *metallica* nempe & *fossilis*, ignis ardore in furno calefactæ, exha-

exhalant fumum vel fuliginem, quæ ubique furni parietibus se applicat. De illa S. Isidorus *Purgamenta*, inquit, *æris cadmia & origo*.

Illa fuligo metallica, quam Agricola *cadmiam fornacum* vocat, quatenus variis furni locis adhærescit, diversosque colores & figuras assumit, in plures alias species subdividitur. Quæ ad summum fornacis ascendit, subtilis admodum est & tenuis, & quoniam uvæ speciem præ se fert, a Græcis vocatur *botrytis*. Plinius aliam præterea cadmiæ speciem memorat, *capnitin* nempe, quam dicit esse *tenuissimam in ipso fornacum ore, qua flamma eluctantur*.

Cadmia illa, quæ duabus speciebus ante dictis ponderosior est & crassior, cum propter gravitatem suam ad summam fornacis cameram pervenire nequeat, vel lateribus adhærescit, vel ad fundum decidit. Quæ lateribus applicatur, *placodes* dicitur apud Dioscoridem; & *placitis* apud Galenum & Plinium; quoniam figuratur in crustas, magis minusque crassas, pro copia materiæ. Quod si aliam denuo materiam furno injicias, novæ crustæ supra priores concrescunt, quæ, quoniam velut cingulo quodam & zona a se divisæ sunt, Græci eam cadmiam vocarunt *zonitin*. Ea, quæ priori specie ponderosior est & crassior, infimis locis adhærescit, eaque propter substantiam suam terrestrem & duritiem, qua similis est terræ coctili, appellatur *ostracitis*.

Quæ est omnium sordidissima & ponderosissima, & velut ultima fæx, in fundo remanet, ubi miscetur cum sordibus & cineribus fornacis. Hæc quoniam nimis cocta & usta est, appellatur a Græcis *diphryges*, quasi bis usta, (quamvis & alia sit species *diphrygis*) eaque, tanquam inutilis, foras ejicitur. Quare Galenus, cum de ea loquitur, ait, se magnam ejus copiam invenisse in Cypro, quæ, tanquam quisquiliæ & recrementa, foras in viam projecta fuerit.

Præterea, pro diversitate quoque colorum cadmia distinguitur. Est enim alia cinerea, alia punicea, alia extrinsecus cœrulea, intus vero onychis maculis similis, alia alba, alia denique nigra. Quæ maculis onychis intus distincta est, a Græcis vocatur *onychitis*: Quæ colorem habet cinereum & puniceum, ad speciem *botrytis* pertinet. Palma tamen secundum Plinium, colori puniceo, præ colore cinereo, debetur. Ea, quæ extrinsecus est cœrulea, intus vero candida, interspersis hinc inde maculis onychis, est ex genere *placitis*, quæ alias *placodes* vocatur. Candida fit ex vena argenti, quæ tamen non æque bona est, ac ea, quæ fit ex vena æris, ut nos docet Dioscorides. Nigra, est prorsus impura & sordida, isque color, secundum eundem Auctorem, tantum in *ostraciti* reperitur.

Dioscorides aliam præterea memorat cadmiæ speciem, quæ ingentibus cochlearibus ferreis, quibus vena fusa commovetur, se applicat. In hac vero cadmia sæpe plures aliæ cadmiæ species, supra expositæ, reperiuntur. *Tuthia* nostra, est ultima cadmiæ species, a Dioscoride descripta. In ea enim observamus adhuc formam rotundam, cujus causa est rotunditas cochlearis ferrei. Arabes tamen, omnesque recentiores, *tuthiam* putant esse *pompholygem* veterum; qui error paulo post a nobis notabitur.

Hæc *cadmia fornacum* generatur ex vena æris vel argenti, ut supra monui. Ea vero, quæ fit ex vena æris, posteriori specie multo est melior, ut Veteres uno ore testantur. Est & alia cadmiæ species, quæ, secundum Galenum, generatur ex *pyrite*, sive, ut vulgo vocatur, *marcasita*, eaque nihil aliud est, quam species spuria venæ æris. Cæterum, optima *cadmia fornacum* est ea, quæ fit ex vera vena æris, vel cadmia fossili, quæ omnis æris expers est.

Medici Arabes, & post eos omnes recentiores, distinctiones has, supra expositas, mire confuderunt, nullam aliam ob causam, quam quod artem purgandi metalla, eaque a venis suis separandi, ignorarent; ut clare apparet ex eo, quod *tuthiam* hodiernam existimarunt esse *pompholygem* veterum; cum tamen descriptio tuthiæ, quam ipsi tradunt, *cadmiæ fornacum* conveniat, non vero *pompholygi* veterum, quippe quæ hodie in officinis pharmaceuticis non amplius reperitur, ut postea palam fiet, cum descriptionem ejus ex veteribus Auctoribus in medium adducam.

Arabes adeo ignorarunt hanc *cadmiam*, ut eam cum lithargyrio auri & argenti confuderint. Lithargyrium enim auri voce barbara *cadimiam*, vel *climiam auri*; lithargyrium vero argenti, *cadimiam*, vel *climiam argenti* vocant.

Gorræus, ut existimo, secutus errorem Arabum, qui lithargyrium auri & argenti in speciem *cadmiæ* transformant, in definitionibus suis errore longe majori scripsit, *cadmiam* etiam fieri ex venis auri & plumbi, & eam, quæ generetur ex *marcasita* argenti vel plumbi, esse optimam; quod e diametro pugnat cum auctoritate Dioscoridis, cujus de ea hæc sunt verba: *Fit & in argenti fornacibus candidior & minus ponderosa, sed viribus nequaquam comparanda æraria.* Gorræus contra ita scribit: *Ex reliquis æris venis pauca & non bona oritur, adeo ut ex pyrite, in quo inest plumbum nigrum & argentum, melior fiat.*

CAP. XIV.

Hodie ex omnibus cadmiis Veterum nullam ad usum medicum adhiberi, præter lapidem calaminarem, & tuthiam Alexandrinam. Hanc tuthiam diversam esse a pompholige. *Insignis in medicina* pompholigis *usus. Quomodo* pompholix *Veterum confecta fuerit. Differentia inter* spodium *Antiquorum & nostrum. Tuthiam chalcurgorum adhiberi posse loco* pompholigis. *Minerale, quod* calaem *dicitur, forte idem esse, quod* pseudargyrum *Strabonis.* Orichalcum *Veterum videri compositum fuisse ex* calaem *& ære.*

Ex omnibus speciebus cadmiæ, quæ apud Veteres in usu fuerunt, hodie duæ tantum ad usum medicum adhibentur, nimirum fossilis, quæ nihil plumbi in se continet, & in officinis appellatur *lapis calaminaris*; & deinde ea, cujus Dioscorides meminit, quæ cochlearibus in fornace adhærescit, *tuthia Alexandrina* vocata, quæ communiter in pharmacopoleis venit. Sed vera tuthia, quæ in locum *pompholigis* Veterum surrogari potest, valde affinis est tuthiæ chalcurgorum, ut descriptio ejus paulo post palam faciet. Pessime autem ea tuthia, quæ in offinis pharmacopolarum exstat, pro *pompholige* accipitur. Quamvis enim utraque ex eadem materia nascatur, multum tamen inter se differunt. Tuthia enim pharmacopolarum, in fornace excocta, multo plus empyreumatis & fæcium terrenarum habet, quam *pompholix*, quippe quæ multo est subtilior, & parum duntaxat empyreumatis, sive pauca ignis vestigia, retinet, quoniam ad primum ignis ardorem avolat.

Miror, pompholigem hodie adeo esse ignotam, cum tamen paratu sit facilis, & Galenus ejus virtutem & usum in sanandis cancrosis & malignis ulceribus oculorum, ani, & partium obscœnarum,

tanti faciat, ut nullum præstantius & excellentius remedium agnoscat. Eximia enim pollet vi siccandi, absque ullo acrimoniæ vel doloris sensu; cujus generis pharmaca sunt rarissima.

Veteres *pompholigem* sequenti modo fecerunt. Primo duas parvas struebant cameras, unam supra alteram; & in medio inferioris collocabant furnum, supra apertum, cujus orificium pertingebat ad superius cameræ tabulatum, quod eo tantum loco, quo ipsi orificium istud committebatur, perforatum erat. Porro, tabulatum hoc erat planum; cum contra tabulatum cameræ superioris esset rotundum, & in fornicem curvatum, ut tradit Galenus. Camera hæc superior habebat fenestram, sive ostiolum, quod tamen, cum *pompholix* conficiebatur, arcte claudebatur. Ipsa pompholigis præparatio sequenti modo fiebat. Igne probe accenso, in fornacem calefactam per fenestram cameræ superioris conjiciebatur minera æris, vel sola cadmia, quæ igne calefactæ, totam cameram superiorem fumo vel fuligine albicante replebant; & ex hac fuligine, cujus pars etiam per fornacem se diffundebat, varia illa *cadmiæ fornacum* genera, de quibus ante locutus sum, fiebant.

Fumus, qui ex fornace exibat, totam cameram superiorem replebat, ejusque parietibus, & tabulato, in formam arcus curvato, se applicans, initio formam exiguarum pustularum referebat, unde *pompholix* dictus est; deinde vero abibat in floccos, lanæ similes, & tactu molles instar serici. Quicquid vero fornici propter nimiam gravitatem adhærere non poterat, in tabulatum inferius cameræ superioris decidebat, eaque pars valde erat impura, tam suapte natura, quam ob sordes tabulati, cum quibus miscebatur. Fuligo, quæ fornici & lateribus cameræ, sive hypocausti superioris se applicabat, dicebatur *pompholix*, cujus nobilissima species erat ea, quæ in summa fornice colligebatur, quippe quæ omnium erat subtilissima. *Spodium* Veteres vocabant id, quod in tabulatum decidebat, quo Galenus nunquam usus est, quoniam *pompholigis*, eo longe nobilioris, facilis erat copia.

Spodium antiquorum non parum differebat ab eo, quod hodie in pharmacopœis venditur. Spodium enim hodiernum, quod describit Platearius, nihil aliud est, quam ebur, quod eo usque uritur & calcinatur, donec nigredine amissa, candidum colorem nanciscatur. Cum fumus ex fornace surgere desiisset, ostiolum iterum aperiebatur, ut nova materia fornaci injiceretur; quod toties & tam diu iterabatur, donec sat magna *pompholigis* & *spodii* copia haberetur. Cæterum, *pompholix* & *spodium* non solum ex vena æris, sed etiam ex aliis materiis fiebant. Interdum enim æs purum fundebatur, cui addebatur vel lapis calaminaris, una cum cadmia fornacum vel tuthia Alexandrina, vel lapis calaminaris solus, qui non minus quam vena æris hunc fumum exhalabat.

Æs luteum, vel orichalcum, itidem producit *pompholigem* & *spodium*; quoniam compositum est ex ære puro, & lapide calaminari, vel tuthia Alexandrina. Cum enim metallum hoc funditur, cadmia, vel tuthia Alexandrina exhalatur, & abit in fumum, ita ut, si diu in eo statu maneat, omnis tandem cadmia vi ignis inde expellatur, & nil præter purum æs relinquatur.

Fusores æris, postquam orichalcum liquefecerunt, & ignem deinde in fornace exstingui siverunt, ut id paulatim refrigeretur; in superficie ejus fuliginem satis crassam reperiunt, similem floccis lanæ subtilis, & mollem tactu instar serici, quæ loco *pompholigis* adhiberi potest, quoniam omnia, quæ Dioscorides de *pompholige* dicit, apte in eam conveniunt; nisi quod ob defectum caloris tam alte adscendere & evolare non potuit: sed hanc ob causam eadem quoque minus empyreumatis habet. Fusores ei dant nomen tuthiæ, eamque vendunt & commendant tanquam utilem sanandis oculis; simili prorsus ratione, qua Veteres *pompholigem* suam ad remedium oculorum adhibebant. Hinc apparet, tuthiam hanc chalcurgorum respondere *pompholigi* Veterum, non vero tuthiam Alexandrinam, quæ passim in myropolarum est pharmacopæorum tabernis venalis est.

Hugo Linschotanus Lib. II. *Navig. Ind. Orient.* cap. 17. narrat, haud procul Malacca reperiri minerale quoddam, stanni speciem præbens, quod incolæ illius loci vocent *calaem*, quæ vox non multum abludit a voce Gallica *calamine*, cujus etiam species esse videtur, præsertim cum iisdem polleat viribus, ut postea dicetur. Sunt aliquot anni, ex quo Hollandi, ut refert Scriptor aliquis recens, navem minerali isto onustam Portugallis eripuerunt; quæ cum in Hollandiam advecta esset, minerale hoc per varia loca distractum, Parisios etiam, ubi *peautre* vocatur, allatum est. Minerale hoc est candidum, durum instar argenti, nec mallei, nec cœli, limæve patiens, & fere æque facile ac plumbum funditur. Crediderim id esse speciem quandam cadmiæ artificialis, quoniam eosdem edit effectus. Cum enim funditur vel solum, vel cum ære, fumum, instar cadmiæ, emittit, qui tamen multo est candidior, & refrigeratus gignit ex se *pompholigem* in superficie catini, quæ valde est candida & mollis tactu, instar floccorum lanæ, eodem prorsus modo, quo diximus *pompholigem* comparatam esse. Potest ergo ex hoc minerali produci *pompholix*, multo pulchrior ea, quæ ex cadmia ordinaria nascitur. Haud forsan fallar, si id *Pseudargyrum* Strabonis esse dixero, cujus illa descriptionem tradit in voce *Andeira*. Nimirum refert, prope Andeiram, &, secundum quorundam opinionem, prope montem Tmolum, reperiri lapidem, qui fusus ferrum ex se gignat. Postea, si ferrum hoc in fornace cum certa terræ specie permisceatur, inde nasci minerale quoddam, appellatum *Pseudargyrum*, vel argentum adulterinum; cui si admisceatur æs, inde fieri orichalcum. Hæc descriptio optime sane convenit minerali illi, quod ab Indis *calaem* vocari ante diximus: id enim & duritie & colore argento simile est, & cum cupro permixtum, gignit orichalcum optimum, & colore auro prorsus simile.

CAP. XV.

Orichalcum esse vel naturale vel artificiale. Naturale vel raro vel nunquam reperiri. Artificiale plurimis modis fieri, & primo quidem ex lapide calaminari. Hanc cadmiam esse crocum metallorum *Rulandi, id quod contra Quercetanum & Alchymistas probatur. Alius modus faciendi orichalcum adhibita tuthia. Error Libavii. Alius modus æs colore luteo tingendi, ope stanni. Qua causa sit, cur stannum colore flavo æs tingat.*

Necessarium existimavi supra memoratas species cadmiæ & *pompholigis* Veterum, nec non cadmiarum & tuthiarum, quibus hodie utimur, clare & distincte exponere, quoniam illis probe perceptis, multo facilius intelligetur, quomodo æs flavo colore tingatur. Revocatis igitur in memoriam iis, quæ supra exposita sunt, scien-

sciendum est, orichalcum esse vel naturale vel artificiale; & posteriorem speciem variis modis fieri posse.

Naturale fit ex vena æris, quæ igne quidem, follium flatu continuo excitato, uritur, sed non eo usque, donec omnis cadmia, quæ ei inest, expulsa, in fumum abeat. Cæterum, hæc orichalci species raro vel nunquam reperitur. Quoniam enim æs, ut eo melius purgetur, vehementi ignis calore opus habet, cadmia, a qua æs flavo colore tingitur, omnis tandem vi caloris istius exhalatur.

Orichalcum artificiale variis conficitur modis & primo quidem ope lapidis calaminaris, quo & Veteres usi sunt, ut apparet ex Festo, qui eum lapidem vocat *terram Cadmeam*, & merito: est enim terræ quædam species, quam puto esse *terram sanctam* Rulandi, alias *crocum metallorum* ab eo vocatam, ex qua aqua ejus ophthalmica composita est; non vero *crocum antimonii*, ut putat Quercetanus, & post eum omnes Alchymistæ. Rationes, quæ mihi persuadent, *terram* hanc *sanctam*, vel *crocum metallorum* esse potius lapidem calaminarem, quam antimonium certo modo, Alchymistis usitato, præparatum, hæ sunt: Primo Rulandus *crocum* suum *metallorum* vocat terram, cujus species est lapis calaminaris, non vero antimonium. Secundo, lapis calaminaris efficax est in morbis oculorum remedium, cujus virtutis expers est antimonium. Tertio, aqua *croci antimonii* oculo instillata, alvum laxat, & nauseam in quibusdam excitat, quod nunquam facit aqua ophthalmica Rulandi. Quarto, terra hæc, vel lapis calaminaris, metallum colore flavo vel croceo tingit, (unde etiam *crocus metallorum* dicitur) secus ac *crocus antimonii*, qui nunquam effectum hunc edit. Denique, ipse Rulandus in Lexico Chymico sententiam suam de *croco metallorum* satis aperire videtur, dum per *crocum* intelligit id, quod æs in orichalcum transformat.

Hæc terra, vel lapis calaminaris non solum colore croceo æs tingit, sed etiam ejus pondus usque ad quartam, vel saltem quintam partem, auget. Galenus eam tanti fecit, ut ex omnibus cadmiis, quas in insula Cypro reperit, nullam præter lapidem calaminarem Romam secum tulerit, quem amicis suis dono dedit, quibus id munus, ut ipse testatur, gratissimum fuit, quippe qui præstantissimi medicamenti loco eum ducebant. Agricola initio libri IX. de *Natura Fossilium* docet modum conficiendi orichalcum ope lapidis hujus calaminaris.

Porro, *cadmia fornacum*, sive tuthia Alexandrina, æs etiam colore flavo tingit. Albertus Magnus, in Tractatu suo *de Mineralibus*, testatur, se hujusmodi confectionem orichalci vidisse, ejusque parandi modum describit. Ercherus quoque fuse docet, quomodo orichalcum ope tuthiæ fiat.

Præterea, ex ære fit orichalcum, observante Villalpando, si ei parum stanni admisceatur. Stannum enim colore flavo æs tingit, quoniam a vehementi calore æris redigitur in cinerem & pulverem album, similem fumo tuthiæ, & lapidis calaminaris. Æs igitur, ut annotat Vincentius Bellovacensis, ignis calore fusum, & cum hoc pulvere albo permixtum, colore suo amisso, flavum assumit. Æs; quod ope stanni in orichalcum mutatur, differt ab eo, quod tale fit ope tuthiæ vel cadmiæ, quoniam prius valde est rigidum & fragile, cum posterius sit ductile & mallei patiens.

CAP. XVI.

Error Agricolæ circa pseudargyrum *Strabonis. Orichalci Veterum raritas. Pancirollum errasse, dum diversa orichalci genera non bene distinxit. Præstantius orichalcum Veterum compositum videri ex* calaem *Indico, & ære, & quare. Quid sit* χαλκολίβανος *in Apocalypsi. Vocem* orichalcum *scribi etiam per diphthongum* au, *& quare Ferrum omne plus una vice fundi posse, contra opinionem Scaligeri. Æs candidum esse naturale vel artificiale. Diversi modi, quibus artificiale fieri possit. Quomodo* Talca *Venetiana facile & prompte in pulverem subtilissimum redigi possit. Veteres habuisse orichalcum candidum. Alchymistarum nomen quam habeat originem.*

Æs, quod ope cadmiæ præsertim, vel tuthiæ, colore flavo unctum est, a Latinis appellatur *orichalcum*. Jam supra dixi, hodie orichalcum pulcherrimum, & ad colorem auri proxime accedens, confici ex *calaem* Indico, quod genus mineralis qui dixerit esse *pseudargyrum* Strabonis, haud forsan a vero aberrabit. Quare Georgius Agricola fallitur, qui initio lib. IX. *de Natur. Fossilium* asserit, *pseudargyrum* Strabonis esse æs candidum. *Pseudargyrum* enim non est genus æris, sed materia, quæ, licet sit candida instar argenti, colore tamen flavo æs rubrum inficit. Hoc *calaem* Indicum, quod æs auro durius reddit, eique pulcherrimum colorem, auri splendori similem, conciliat, forte est ea materia, cujus ope Veteres confecerunt orichalcum, quod adeo fuit rarum, ut non amplius reperiretur tempore Platonis nec Aristotelis, multo minus Josephi vel Plinii, & quod olim ipso auro pretiosius habebatur, teste Servio in XII. Æneid. dicente: *Cum splenderem auri & æris duritiem possideret.*

Quoniam *orichalcum* hoc non amplius repertum fuit inde a tempore Platonis; JCtus Martianus, vel potius Julianus, qui in L. 45. *de contrahenda Empt. Si vas aurichalcum*, inquit, *pro auro vendidisset ignorans, tenetur ut aurum quod vendidit præstet*, non putandus est loqui de *orichalco* veterum, quod tamen existimat Pancirollus, ubi de *aurichalco* agit, sed de *orichalco* hodierno, quoniam JCtus in dicta lege orichalcum illud, de quo loquitur, infra pretium auri ponit: Alioqui venditor, qui orichalcum pro auro vendiderat, non fuisset damnatus ad præstandum emptori aurum loco orichalci, quoniam *orichalcum* veterum pretio longe superabat aurum, & sic venditor minime resarcivisset damnum emptoris.

Porro, *orichalcum* veterum esse æs, ope *calaem* Indici colore flavo infectum, videtur etiam probari posse ex Aristotele, qui in libro suo *de Mirabilibus* refert, repertum olim fuisse in India æs, adeo pulchrum & splendidum, ut color ejus nihil differret a colore auri, & Darium habuisse vasa ex hoc ære confecta, quæ adeo similia fuerint auro, ut nullo modo nisi odore solo ab eo dignosci potuerint. Non absonum quoque est dicere, vasa illa, quæ Esdras Babylone Hierosolymam transportavit, ex eodem ære facta fuisse.

Præterea in Versione Latina capitis 1. & 15. *Apocalyps.* mentio fit *orichalci*, quod in textu Græco appellatur χαλκολίβανος, quamvis Antonius Nebrissensis hanc vocem non interpretetur de metallo, sed thure masculo, ad confirmandam opinionem suam adducens quosdam Orphei hymnos in Apollinem & Latonam, inscriptos χαλκολίβανος, quasi quis diceret, forma sacrificii in honorem Apollinis & Latonæ. Longe tamen major Commen-

mentatorum pars io voce hac explicanda, sequontur sensum & interpretationem versionis Latinæ, ut apparet ex docto commentario, quem Pater Alchazar io primum caput *Apocalyp.* conscripsit.

Nonnulli a Nicolao Erythræo dissentientes contendunt, vocem *orichalcum* scribendam esse per Diphthongum *au*, non vero per *o*, causamque assertionis suæ hanc statuunt; quod metallum hoc compositum fuerit ex ære & auro, quæ sententia valde est probabilis. Quoniam enim Veteres argentum & æs, nisi cum utriusque jactura, ab auro secernere non poterant, probabile est, eos metallis illis mixtis uti maluisse, quam argentom & æs perdere. Aurum cum argento mixtum appellabatur *electrum*; cum ære, *aurichalcum*; quamvis alii *aurichalcum* cum *electro* confundant.

Scaliger in Exercitatione LXXXVIII. *contra Cardanum*, immerito, meo qoidem judicio, reprehendit Cardaoum, quod statuat, omne metallum fundi posse; quod Scaliger universaliter verum non esse, nec de omni metallo dici posse affirmat. Dicit enim in India Occidentali inter Mexicam & Darien reperiri *orichalcum*, quod Hispani nunquam fundere potuerint, licet omni industria & diligentia adhibita id facere conati fuerint. Præterea, duas esse species ferri ait, quarum una semel tantum fundi possit; ejusque generis esse ferrum illud ex quo ollæ, & caminorum laminæ ferreæ conficiuntur; alterius generis ferrum quotidianis fabrorum ferrariorum usibus inservire, idque igne mollitum & caodefactum cudi quidem & malleo duci; neutiquam autem fundi posse. Sed fallitur Scaliger, qui Cardanum nulla ratione reprehendit. Nulli enim facile persuadebit, materiam eam, quam in India Occidentali reperiri dicit, esse verum orichalcum, quoniam ea fundi nullo modo potuit, cum contra omne orichalcum fuodi queat, & quidem multo facilius, quam æs purum. Porro, de ferro manifeste contradicit Aristoteli, qui lib. IV. *de Meteor.* diserte affirmat, ferrum fundi posse, & quidem ita, ut ex ferro sæpius fuso chalybs fiat. Neque auctoritas Aristotelis solum, sed etiam experientia Scaligero obstat, quoniam fusores quotidie videmus ferrum non semel sed iteratis vicibus fundere, adeo ut quidam hac sola ratione vitam tolerent, qoi nimirum ferrum funduot & refundunt, ut vel pedes reficiant, vel foramina ollarum fractarum, ferro sæpius liquefacto in ea iofuso, obturent. Quod ad posterioris generis ferrum attinet, quod ductile est & mallei patiens, id fundi itidem potest, si igne prius candefactum sulphuri admoveatur; tum enim id guttatim destillare videbis. Cæsalpinus in Tractatu suo *de Metallis* dicit, ferrum hoc ope antimonii etiam fundi posse.

Præter orichalcum, sive æs flavum, reperitur quoque æs candidum. Plinius cap. 6. libri XXXIII. scribit, sob vena argenti, reperiri venam æris candidi. Pomponius Gauricus docet modum conficiendi æs candidum. Georgius Agricola duos hujus rei modos tradit, quorum prior coogruit cum eo, quem Cardanus in libris suis *de Subtilitate* præscribit; alter fit ope *magnesidis*, alias dictæ *talca* Venetiana, secundum Imperatum. Neutrum horum modorum expertus sum; experientia tamen compertum habeo, *talcam* Venetianam facile redigi in pulverem candidissimum, si teratur in mortario æreo calido, & quidem pistillo itidem calido; quod dum fit, tam superficies mortarii, quam pistilli, quandam inde albedioem contrahit. Uti Veteres habuerunt orichalcum, colore simillimum auro; ita aliud ejusdem metalli genus habueruot, æque candidum ac argentum; quod me docuit Aristoteles in libro *de Mirabilibus*, ubi orichalcum hoc appellat æs *mossinæcum*, additque, candorem ejus non debere originem stanno, sed terræ cuidam, quæ in regione ista reperiatur. Idem loco isto refert, primum æris hujus candidi inventorem nemini artem suam aperuisse, sed eam eodem, cum auctore suo, sepulcro fuisse conditam; eamque causam esse, quare æs antiquum illius temporis longe pretiosius & præstantius sit eo, quod postea confectum fuerit. Cum ergo Virgilius æs vocat candidum, potius intelligendus est de hoc genere æris, quam de orichalco, quod quamvis sit flavum, nihilominus cum auro comparatum, quæ est interpretatio Servii, candidum videtur.

Ob pulchritudinem æris hujus Veterum, proximam splendori & colori auri argentique, factum est forsan, secundum opinionem Libavii in *Syntagmato Arcanor. Chymic. Lib.* VII. *c.* 24. ut *Alchymista* ita vocati fuerint, a quodam, appellato *Alchymus*, qui aurum adulterinum tam scite conficere norat, ut id facile loco veri vendere posset. Hinc vox *Alchymista*, secundum opinionem primarii Alchymiæ patroni, nihil aliud significat, quam aori, &, quod inde sequitur, monetæ adulteratorem & corruptorem.

CAP. XVII.

De ære Corinthio. Tria esse æris hujus genera. Tempore Plinii id jam desiisse confici. Hodie nulla amplius extare numismata, ex ære Corinthio facta. Quale sit æs illud, quod in nummis vulgo Corinthium appellatur. Ex quo ære facta fuerint numismata maximi, mediocris, & exigui moduli, tempore Plinii. Esse cadmias, quarum aliæ aliis pulchriore colore æs inficiant. Omne æs non posse inaurari. Quale æs inaurari possit. Metallum, quod Galli mitraille *vocant quale sit. Omne æs, quod inaurari poterat, postremo appellatum fuisse æs Corinthium. Quale sit æs, a Plinio* hepatizon *vocatum. Error Cæsalpini in hoc argumento. Quale sit æs, quod Galli* potin *vocant. Plinio id haud fuisse ignotum. Pleraque numismata post Alexandrum Severum cusa, ex temperatura æris ollaris* (de potin) *facta esse. Æs* coronarium *&* pyropum, *a Plinio memoratum, quale sit. Quomodo hodie orichalcum colore auri inficiatur. De ære, sive materia, ex qua campanæ & tormenta bellica constantur.*

Jam supra monui, Veteres non potuisse absque ingenti detrimento argentum & æs ab auro separare; a qua causa duo metallorum mixtorum genera orta fuerunt, quorum unum appellabatur *electrum*, alterum, *orichalcum*: prius ex auro & argento, ad certam proportionem mixtis; alterum ex auro & ære compositum erat. Hæc tria metalla postea, arte vel casu invicem permixta & confusa, tertium quoddam metalli genus constituebant, quod *æs Corinthium* vocabatur; cujus appellationis ratio, qoam tradit Plinius, adeo omnibus est nota, ut supervacaneum putem, eam hic repetere. Hoc æs Corinthium io tres species dividebatur, in quarum prima, auri portio reliqua metalla excedebat; in secunda, argenti portio prævalebat; in tertia, aurum argentum & æs æquis portionibus mixta erant. Videtur æs Corinthium tempore Plinii non amplius solitum fuisse confici, sive ars ista negligeretur, sive jam tum iotercidisset: Habebant tamen eo adhuc tempore vasa & signa antiqua, ex hoc æris genere facta. Plinius hac de re ipse sic loquitur l. XXXIV. c. 2. *Quondam æs confusum auro argentoque miscebatur.* Et paulo post: *Adeo exolevit fundendi æris pretiosi ratio,*

ut

ut jamdiu ne fortuna quidem in ære jus artis habeat. Ex illa autem antiqua gloria Corinthium maxime laudatur.

Numiſmata, quæ hodie ex ære Corinthio conſtare vulgo dicuntur, non ſunt facta ex priſco illo ære Corinthio, cujus Plinius mentionem facit. Quæ enim flavi ſunt coloris, ex nulla alia materia, quam ære inaurato conſtare, quiſque, qui ea diligenter inſpexerit, deprehendet. Et quamvis æs hoc luteum, ſive orichalcum Veterum, multo propius accedat ad colorem auri, quam orichalcum hodiernum, nihil tamen auri in eo deprehendere potuerunt, qui id ad examen revocarunt. Intenſus enim ejus color, auri colori ſimillimus, non aliunde oritur, quam vel ab ipſa inauratione, vel a cadmia ei admixta, quoniam æs aliud alio melius cadmiam combibit. Genera illa æris, quæ Plinius vocat *Marianum*, *Cordubenſe* & *Livianum*, tam pulchrum & vividum colorem a cadmia mutuabantur, ut numiſmata ex illis facta, præcipue maximæ & mediæ formæ, ad pulchritudinem orichalei Veterum quam proxime accederent; id quod probatur auctoritate Plinii, l. XXXIV. c. 2. dicentis: *Summa gloria nunc in Marianum conversa, quod & Cordubenſe dicitur, hoc a Liviano cadmiam maxime ſorbet, & orichalci bonitatem imitatur in ſeſtercis dupondiariiſque.* Quod ad minora numiſmata adtinet, quæ tempore Plinii in uſu erant, illa ex ære Cyprio, quod tum æs commune erat, conſtabant; ejuſque Plinius duas facit ſpecies, quarum unam appellat *æs regulare*, alteram, *æs coronarium*, ut apparet ex l. XXXIII. c. 9. & l. XXXIV. c. 8. & ex his verbis capitis ſecundi, ante memorati: *Cyprio ſuo aſſibus contentis.*

Uti quædam æris genera multo facilius & melius, quam alia, a cadmia tinguntur; ita viciſſim, non omnes cadmiæ ſpecies æque pulchro & vivido colore aurum inficiunt, cujus rei exemplum nobis hodie præbet *calaem* Indicum, quod æs colore optimo, & auri ſplendorem imitante, inficit.

Obſervandum præterea eſt, tres tantum eſſe æris ſpecies, quæ bene inaurari poſſint, nimirum æs Cyprium, orichalcum, & æs, ex quo ſtatuæ funduntur, quod compoſitum eſt ex ære Cyprio, & orichalco. Quoniam enim æs Cyprium ſolum haud facile liquari poteſt, neceſſe eſt, ut ei admiſceatur orichalcum, quo fluidius fiat; cum omnium metallorum hæc ſit natura, ut facilius fundantur, & plus fluoris habeant, quando diverſæ illorum ſpecies invicem permiſcentur. Orichalcum illud, vel æs, quod uſibus domeſticis dudum inſerviit, a Gallis *mitraille* vocatum, plerumque inaurationi deſtinari ſolet, quæ tum demum bene procedit, quando æs iſtud nihil plumbi admixtum habet. Æs enim, cujus temperaturæ multum plumbi ineſt, quale eſt æs ollarium, a Gallis *potin* vocatum, inaurari nequit. Quare, ahena vetera, & uſu jam trita, quæ ſunt ea eo æris genere, quod a Gallis *mitraille* vocari ante diximus, ad accipiendam inaurationem maxime idonea ſunt, quoniam quicquid plumbi initio continebant, id omne diuturno uſu, & frequenti calore ignis, cui ſæpius exponuntur, tandem ab illis ſecernitur.

Plinius capite 2, ſupramemorato, teſtatur, ſuo tempore nomen *æris Corinthii* datum fuiſſe materiæ illi, ex qua ſtatuæ & ſigna fabricabantur. *Omnia ſigna*, inquit, *Corinthia appellant.*

Modus ille inaurandi æs vetus & uſu jam tritum, uſitatus etiam fuit tempore Plinii, ut colligitur ex cap. 9. ejuſdem libri. Hoc enim ſenſu capienda ſunt ſequentia verba: *In proſtatum additur tertia portio æris collectanei, hoc eſt, ex uſu coëmpti. Peculiare in eo condimentum attritu domiti & conſuetudine nitoris veluti manſuefacti.*

Omne æs, quod accipiendæ inaurationi aptum erat, videtur poſtea appellatum eſſe *Corinthium*, præcipue vero æs ſtatuarium, quod Galli *bronze* vocant. Idem enim Plinius, ſupra dicto capite 2, teſtatur, ſuo tempore materiam illam, ex qua ſtatuæ & ſigna conficiebantur, dictam fuiſſe *æs Corinthium. Omnia ſigna*, inquit, *Corinthia appellant.*

Idem auctor paulo poſt mentionem facit de alia quadam ſpecie æris, quam *hepatizon* vocat, ideo, quod ad colorem jecinoris, ſive hepatis proxime accederet. Ego quidem arbitror, æs hoc non aliud metalli genus fuiſſe, quam quod noſtrates vulgo *bronze* vocant, quoniam & hoc colorem hepatis refert. Cæſalpinus Lib. II. *de Metallicis*, æs *hepatizon*, cujus Plinius meminit, confundit cum ære Corinthio, dum id tertium æris Corinthii genus ſtatuit, quamvis Plinius illud diſtinxerit ab ære Corinthio his verbis: *Quod ideo hepatizon appellant, procul a Corinthio.*

Æs ollarium, (*le potin*) de quo ſupra locutus ſum, eſt alia ſpecies æris, quod inaurari nequit, ob plumbum, quod ei admixtum eſt, ut jam ante monui. Metallum hoc compoſitum eſt ex ære, orichalco, plumbo, & pauco ſtanno, vocaturque *ollarium*, quoniam plerumque ollæ æreæ ea eo confici ſolent; eademque ratio eſt, quare Plinius, illud appellet *temperaturam ollariam, vaſe hoc nomen dante.* Ea eodem ære hodie confici ſolent candelabra, aliaque vaſa. Idem æs, quoniam malleum pati nequit, non male quis forſan dixerit eſſe æs *caldarium*, cujus Plinius Lib. XXXIV. c. 8. his verbis meminit: *Caldarium funditur tantum, malleis fragile.*

Numiſmata ærea, præcipue poſt Alexandrum Severum cuſa, ex eadem materia conſtant. Igni enim tradita, plumbum, quod eis ineſt, exſudant, ut ſupra dictum eſt.

Plinius in fine cap. 8. Lib. XXXIV. inſuper de duobus aliis æris generibus agit, quorum unum appellat *coronarium*, alterum *pyropum*. *Coronarium* nihil aliud erat, quam æs, quod noſtrates *clinquant* vocant, in tenues nimirum bracteas ſive laminas diductum, & ad colorem auri proxime accedens, quod olim adhibebatur ad ornandas hiſtrionum coronas.

Plinius dicit, æs hoc taurorum felle tinctum fuiſſe, & ita ei colorem auri conciliatum. Hodie ſolo ignis calore orichalco auri color inducitur; qui color ut fiat vividior & intenſior, plumæ perdicum igni injiciuntur, vel etiam pulvis *terræ meritæ*, quæ eſt radix, a pharmacopolis *curcuma*, a Veteribus autem *cancamum* appellata.

Æs pyropum, ſecundum eundem Plinium Lib. XXXIV. c. 8. fiebat, addita æri *coronario* quarta parte auri, quippe quod colorem fulgidum, & igni ſimilem, ei conciliabat. *Idemque*, inquit Plinius de ære coronario, *in uncias additis auri ſcrupulis ſenis pyropi bractea ignescit.*

Quantum ex his verbis Plinii colligo, arbitror, hoc *æs pyropum*, in laminas fuiſſe tenuatum, æque ac æs coronarium, ſed præterea ab utraque parte largiter inauratum. Ut enim utrumque latus tenuis laminæ æreæ ſufficienter inauraretur, opus ſaltem erat quarta auri parte; ipſaque lamina ærea, auro illinendo baſeos tantum loco erat: Unde fiebat ut aurum, dicto modo æri illitum, magis rutilo fulgeret colore, quam ſi ſolum eſſet. Æs viciſſim, licet in tenuiſſimas laminas diductum, ab ærugine exedi vel corrumpi non poterat, quoniam æs, paulo largius inauratum, nunquam æruginem contrahit, ſed omnibus aëris injuriis melius fere & diu-

tius

tius, quam ipsum aurum, ob soliditatem suam, resistit. Valde probabilis mihi videtur opinio Pancirolli, existimantis, Veteres ex hoc aere *pyropo* fecisse versatiles ventorum indices, (*girouettes*) qui in suprema aedium parte collocari solent. Exiguae erant impensae, quibus aes hoc constabat, si pulcherrimum ejus colorem, & usus diuturnitatem spectes.

Ratio autem, quae mihi persuadet, *aes pyropum* non fuisse massam aeris, cui admixta fuerit quarta auri pars, sed laminam aeris, ab utraque parte inauratam, est, quod verba Plinii, quibus *aes pyropum* describitur, non alium sensum ferant. Si enim aes cum auro permiscendum fuisset, quare tenuem laminam potius, quam solidam massam aeris ad hunc usum adhibuissent? Praeterea, si aeri huic quarta tantum auri portio admixta fuisset, non potuisset id utique fulgere & rutilare instar ignis, secus ac aes largiter inauratum. Denique, aëri expositum, aeruginem facile contraxisset, a qua aeri, largiter inaurato, nullum est periculum.

Hodie duas alias temperaturas aeris habemus, quarum apud Veteres nulla exstat mentio. Prima harum est ea, ex qua campanae & tintinnabula; altera, ex qua tormenta aenea bellica conficiuntur. Materia campanarum composita est ex stanno & aere, eique plus minusve aeris additur, pro varia campanarum magnitudine. Majores campanae minori stanni portione egent, quoniam metallum, quo plus stanni habet, eo fit fragilius. Artifices, antequam campanas fundant, frustum aliquod materiae illius frangunt, ex eoque conjiciunt, quanta stanni portione ad temperaturam hanc rite faciendam opus sit. Si enim grana metalli crassiora sint, quam oportet, plus stanni additur; sin autem nimis sint subtilia & minuta, aeris portio augetur. Uti enim admixtio stanni grana metalli hujus subtilia & minuta reddit, quae & causa est clarioris soni; ita aes efficit, ne idem metallum facile frangatur. Hinc facile apparet, campanis minoribus plus stanni admisceri posse, quam majoribus, quoniam illae non tam vehementibus pistillorum ictibus, quam hae, pulsantur. Tintinnabulis admiscetur etiam plumbum cinereum (*estain de glace*) unde & granis minutioribus subtilioribusque constant, & sonum reddunt clariorem; sed & eandem ob causam multo sunt fragiliora campanis, quibus ideo nihil plumbi cinerei admiscetur.

Materia tormentorum bellicorum composita est ex aere puro, orichalco, & aere campanario, quod fusores *metallum* vocant. Sedecim partibus aeris puri additur una portio *metalli*, & una orichalci; quae duo posteriora metalla ideo admiscentur, ut materia haec majorem consequatur fluiditatem. Compertum enim est, eam absque hac mixtura non solum aegre fluere, sed etiam multis oppleri cavitatibus, aëre plenis, quae efficere solent, ut tormenta disrumpatur. Cavendum etiam est, ne duo ista metalla, praecipue vero aes campanarium, proportionem ante dictam excedant, quoniam si major illorum portio admisceatur, materia nimis fit fragilis.

Ex materia tormentorum aeneorum denuo conflata, apte possunt confici statuae & signa, quoniam stannum, quod ei inest, in secunda fusione omne ab igne consumitur, ita ut solum aes & orichalcum relinquatur.

Ex duobus his posterioribus metalli generibus non possunt signari numismata, quoniam fragiliora sunt, quam ut cudi & malleum pati queant.

DISSERTATIONVM DE NVMMIS ANTIQVIS.

PARS TERTIA AGENS

De pondere & pretio numismatum.

CAP. I.

Qua ratione nobis comparare possimus notitiam ponderum antiquorum. Eam potissimum hauriendam esse ex pondere certorum fructuum & seminum, numismatum & monetarum veterum, non ex ponderibus antiquis, qua nobis restant, & ex justa magnitudine sive mensura pedis antiqui. Quid sit siliqua, *& aegirus. Quaenam sit inter has voces differentia. Error Gorras, Brucrius, Josephi Scaligeri, & multorum Theologorum circa significationem harum duarum vocum. Josephum Scaligerum omnium gravissime in hoc argumento errasse.* Cerates *&* ceraces *eandem rem significare. Quaenam sit differentia inter vocem* siliquam, *scriptam per c, & vocem* siliquam, *scriptam per* qu.

Omnes qui in acquirenda antiquorum ponderum notitia desudarunt, eam vel ope rerum naturalium, vel artificialium, vel utrarumque consequi allaborarunt. Res naturales, quarum ope antiquorum ponderum rationem investigare nonnulli voluerunt, sunt grana, fructus, & ova; res artificiales, numismata, pondera, & pedes antiqui.

Quod ad res naturales attinet; significatio vocum

cum *filiqua* & κεράτιον, haud exiguam nobis difficultatem parit, quæ difficultas a diversis vocis *filiqua* significationibus oritur. Licet enim hæc vox interdum respondeat voci Græcæ κεράτιον, significatio tamen vocis κεράτιον non æque late patet, ac vocis *filiqua*. Nonnulli, ut diversas hujus vocis significationes eo melius distinguant, cum respondet voci Græcæ κεράτιον, addunt ei epithetum *Græca*, quod fecit Columella, vel *dulcis*, ut Plinius, vel *ceroaia*; scribentes nimirum hanc vocem per *o*, non vero per diphthongum *aa*, quomodo scripta legitur apud Plinium. Κεράτιον enim apud Galenum idem significat, quod apud Theophrastum κερώνια, & *ceronia filiqua* apud Plinium, si nempe hanc vocem per *o* scribas, ut Græce scribitur per ω, non vero per diphthongum *au*.

Vox κεράτιον a nonnullis *filiqua* Latine vertitur, non addito epitheto *græca*, vel *dulcis*, vel *ceroaia*: Quæ ratio est, cur quidam putaverint, τὸ κεράτιον quævis leguminum genera significare, quoniam vox *filiqua* hoc sensu interdum capitur, vel leguminum folliculos sive thecas, quam interpretationem affert Gorræus in suis *Definitionibus*, vulgarem Lexicorum errorem secutus. Nusquam enim apud Theophrastum, Dioscoridem, vel Galenum vox κεράτιον ullum genus leguminum, vel eorum folliculos, uti vox *filiqua*, significat: Quamvis verum sit, eam folliculos, qui circundati sunt seminibus & granis quarundam arborum, significare potuisse.

Bruerinus de voce κεράτιον agens duos commisit errores, quorum prior tamen a typographorum incuria profectus videtur, dum nempe apud eum legitur, *filiqaam* esse id, quod a Græcia dicatur, κεπατώνια vel κιτάτια, cum scribendum sit κερατώνια, vel κεράτια. Alter Bruerini error est, quod mirari se dicat, Aetium, qui plerumque Galenum exscribit, affirmare, fructum κεράτιον cerasis aliqua ex parte esse similem, quod & alvum laxet cum recens est, & eandem adstringat, postquam exaruit, qua virtute cerasa quoque pollent; cum contra Galenus scribat, nullam inter κεράτιον & cerasa intercedere similitudinem.

Verum quidem est, κεράτιον, quod ad figuram & substantiam adtinet, cum ceraso nullam omnino habere affinitatem, quoniam κεράτιον est fructus folliculo inclusus, & cornua prominentia habens, unde & appellatur κεράτιον; cerasum vero formam habet rotundam, nec ullis folliculis circundatus est. Nihilominus κεράτιον ceraso simile est, si effectus supra memoratos spectes, & hæc est mens Aetii, dicentis, κεράτιον aliquam cum ceraso habere affinitatem. Quamvis autem Galenus Lib. II. *de Facult. aliment.* scribat, κεράτιον & cerasum nihil secum habere commune; idem tamen Lib. VII. *de Facult. simplic. Medicament.* statuit, hos fructus similes edere effectus, eosque alvum quidem laxare, dum sunt recentes; eandem vero stipare, postquam aruerunt; quod idem Aetius post Galenum affirmavit.

Multi Theologi, ut inter alios observavit P. Maldonatus, locum illum capitis XV. S. Lucæ, ubi agitur de filio prodigo, male intellexerunt, dum putarunt, escam, quam filius prodigus cum porcis comedisse dicitur, fuisse folliculos leguminum, vel etiam genus quoddam leguminis, decepti ab interprete, qui eo loco vocem κεράτιον per *filiqaa* reddit; a quo errore nec ipse S. Ambrosius immunis fuit, notante eodem Maldonato. Vix enim verisimile videtur, hominem cum porcis comedisse leguminum folliculos, vel ipsa legumina, sed alium quendam fructum, κεράτιον dictum, qui, quoniam gustatu dulcis est, a pueris edi solet (quamvis malo præditus sit succo) & porcis edendus datur in regionibus calidioribus, quæ copia ejus abundant, ut observat Galenus. Syria præcipue fructus hujus ferax est, testibus Theophrasto & Plinio, qui duo auctores κερώνια vocant id, quod Galenus κεράτιον appellat.

Maxime vero omnium in voce hac interpretanda lapsus est Josephus Scaliger, in libro posthumo *de re nummaria*, in quo statuit, κεράτιον significare fructum corni arboris, a Gallis *corneolle* dictum, quod is folliculis tectus sit. Duos hic Scaligeri errores notamus; primo, quod κεράτια putet esse corna: Secundo, quod corna folliculis contineri dicat. Verba ejus hæc sunt: *Primam per filiqaas, quæ κεράτια dicuntur, cornus vocat Isidorus; quia filiqua dicitur theca sive vaginula, quibus fructus κεράτινος sive cornus arboris continetur.* In his verbis tertius insuper observandus est error, dum dicit, S. Isidorum *filiquas* vel *ceratia* appellasse *cornus*. Quamvis enim S. Isidorus scripserit, vocem Græcam *ceratos* Latine interpretandam esse *filiqua cornuum*, non tamen per vocem *cornuum* intelligit arborem *cornum*, vel ejus fructum *corna*; sed potius alludit ad originem & etymologiam vocis *cerates*. Vocem enim *filiqua* nude positam, absque addita voce *cornuum*, distinguit a *filiqua cornuum*, quia sola vox *filiqua* idem ei significat, quod plerisque Græcis in materia ponderum τὸ κεράτιον, nimirum tertiam partem oboli; *filiqua cornuum* vero, quam alias *ceratos* quoque appellat, dimiam partem oboli. Campanus ad propositionem VIII. Euc. lib. XIV. appellat *ceraces* id, quod S. Isidorus appellat *cerates*, idemque pondus suo *ceraces*, quod S. Isidorus suo *ceratos*, tribuit.

Idem Isidorus vocem *filiqaa*, scriptam per *qa*, distinguit a *filica*, per *c* scripta; quoniam posterior vox ipsi significat fructum *acaciæ*, qui folliculis continetur; eumque fructum Galenus, lib. I. *de Compositione Medicamentor.* vocat κεράτιον ἀκάνθης.

CAP. II.

Vocem filiqua, *cum pro pondere accipitur, apud diversos auctores diversa significare pondera. Utrum tritici, an vero hordei granum ad usum ponderum Medicorum adhibere satius sit. Grana tam tritici, quam hordei pondere inter se differre, pro diversitate regionum, agrorum, anni tempestatum, temporum, aliorumque, quibus exposita sunt, casuum. Vilalpandum abusum esse vocabulo* frumenti. *Quantum pondere differat triticum Romanum a tritico Palæstinæ. Differentia ponderis, quæ intercedit inter eandem mensuram tritici & hordei Romani, secundum Vilalpandum. Error Sylvii. Cicera alba pondere differre a ciceribus rubris.*

Uti significatio verborum *filiqua*, *filica*, κεράτιον, *cerates* & *ceraces* valde est dubia & incerta; ita ponderum, quæ illis tribuuntur, diversitas, non minorem difficultatem parit. Plerique auctores *filiquam*, vel κεράτιον, pro tertia parte oboli, seu, quod idem est, sexta parte scrupuli accipiunt. Arias Montanus in Tractatu suo *de Sicle*, quintam partem drachmæ Atticæ *filiquæ* assignat. S. Isidorus aliud pondus *filiqua* sive κεράτιον, aliud *cerata* vel *ceraca* adtribuit. *Siliqua* enim pondus, tertiam partem oboli; *cerata* vero vel *ceraca* dimidiam ejusdem oboli partem esse statuit.

Incertitudinem hanc valde auget diversitas anni tem-

tempestatum, & regionum, in quibus grana, quæ ad usum ponderum adhiberi solent, nata fuerunt. Quis enim nescit, pro diversitate cœli, soli, & aeris, magnam esse differentiam inter grana tritici & hordei, quæ usui ponderum præ aliis granis potissimum assignari solent; quamvis nonnulli grana tritici, alii grana hordei præferant. Plerique Medici usum granorum tritici potiorem ducunt, ut apparet ex hoc versu apud Nicolaum Præpositum:

Collige triticeis Medicina pondera granis.

Alii præferunt hordeum, quod ejus grana, teste Plinio, pondere & magnitudine minus inter se differant.

Theophrastus & Plinius magnam in pondere tritici & hordei varietatem, pro cœli & regionum, in quibus gignuntur, diversitate observarunt. Inter grana hordei, dicente Theophrasto, ea, quæ formam habent rotundam, minora sunt & leviora illis, quæ formam habent oblongam; quod etiam affirmat Plinius Lib. XVIII. c. 7. Inter genera tritici quoque, teste eodem Theophrasto, Ponticum est omnium levissimum, Siculum multo ponderosius, Bœoticum vero ponderosissimum. Cum enim quinque cotylæ tritici Attici vix sufficerent alendis Athletis, tres cotylæ tritici Bœotici ad victum illorum abunde sufficiebant. Præterea triticum, quod in regione Asiæ, quæ *Bactria* dicitur, gignitur, tantæ est bonitatis, tantique ponderis, ut grana ejus olivas magnitudine æquent.

Præterea, Plinius loco supra laudato scribit, triticum Gallicum in modium non excessisse viginti libras; modium vero tritici Africi viginti septem libras pondere æquasse.

Pater Villalpandus in Tractata suo *de Ponderibus & Mensuris* observavit, pondus tritici Romani eandem habere proportionem ad pondus tritici Palæstinæ, quam habet 1 ad $1\frac{1}{4}$: Sed abutitur ibi voce Latina *frumentum*, quippe quam adhibet ad denotandum *triticum*, cum vox *frumentum* apud probatos Auctores Latinos sit nomen generis, quod omnia frumentorum genera, non vero certum aliquod genus, significat.

Budæus etiam libro V. *de Asse* testatur, se propria experientia ingentem in pondere diversorum generum tritici varietatem deprehendisse.

Certum est, frumentum recens ponderosius esse veteri; sæpeque contingit, ut frumentum unius anni multo levius sit eo, quod aliis annis natum est. Ante tres vel quatuor annos sextarius frumenti Parisiis pendebat 250 & 254 libras; tribus vero circiter annis post, vix ullus sextarius 252 libras excessit.

Grana frumenti a curculionibus erosa, multum de naturali pondere amittunt, uti & cum seges adhuc herbescens sternitur; tunc enim culmo confracto, succo & alimento ad aristam adscensuro via præcluditur, ob quam causam grana & minora & leviora fiunt; eademque tanto minus sunt bona & salubria, quanto minus ad pondus respondent.

Idem Villalpandus, loco ante memorato, observat, pondus hordei Romani eandem habere proportionem ad pondus tritici Romani, quam habet 1 ad $1\frac{1}{5}$: ita ut modius tritici Romani quinta parte ponderosior sit modio hordei. Nihilominus in libro *de mensuris & ponderibus Urbis Parisiensis*, excuso Turoni anno 1599. modius tritici & hordei ejusdem magnitudinis & ponderis esse dicuntur. Ego experimento didici, 60 grana hordei pondere respondere 84 granis tritici; id quod mirum non est, quoniam grana hordei triticeis multo sunt majora & crassiora. Quare cum pauciora grana hordei, quam tritici, eadem mensura contineantur, videtur utraque mensura ejusdem ponderis esse debere, quoniam una non est plenior altera: Attamen proportio ponderis excedit proportionem magnitudinis. Modius enim tritici semper est ponderosior modio hordei, quamvis pauciora grana hordeacea, quam triticea, eadem mensura comprehendantur.

Quare illi, qui nullam differentiam inter pondus grani hordeacei & triticei statuunt, inter quos est Sylvius, haud vulgariter errant.

Differentia ponderis, quæ inter cicera alba & rubra deprehenditur, multo est major. Quamvis enim eodem solo utraque genita, & eodem tempore sata collectaque fuerint, notabile tamen discrimen in pondere illorum deprehenditur. Ex examine enim libræ cognovi, 20 grana ciceris albi, temere & absque delectu sumpta, pondere respondere 30 granis ciceris rubri, itidem ut se temere offerebant, lanci stateræ impositis.

CAP. III.

Error Fernelii circa pondus grani. Error Budæi, Porcii, Alciati, Stanislai, Covarruviæ, Marianæ, Vilalpandi & Alchazaris circa pondus unciæ. Causa, quæ Budæum, multosque alios in errorem induxerit. Denarii Romani diversis temporibus diversum fuisse pondus. Ab ultimis Reip. temporibus usque ad Neronem unciam septem denarios continuisse; post Neronem vero, octo denarios in unciam computatos fuisse.

Non opus foret multum operæ in investigando pondere libræ antiquæ Romanæ ponere, si verum esset, quod quidam auctores recentiores tradunt, granum & unciam, quibus hodie utimur, omnibus temporibus & seculis ejusdem fuisse ponderis, eaque ab antiquis nullatenus discrepare. Fernelius enim libro IV. *de methodo medendi* cap. 6. affirmat, omnes totius Orbis populos granis ejusdem ponderis, & prorsus sibi similibus, ad ponderandum uti. Miror errorem tam crassum in virum adeo doctum cadere potuisse, quoniam opinionis ejus falsitatem experientia & comparatio ponderum exoticorum cum nostris satis ostendit. Sic e. g. uncia Hispanica, uti omnibus constat, in totidem grana divisa est, ac nostra: Nihilominus, quoniam uncia Hispanica pondere a Gallica differt, fieri non potest, quin & grana Gallica ab Hispanicis discrepent. Atqui, unciam Hispanicam minoris esse ponderis, quam nostram, probant auctores Hispani Quillatador, Mariana, & Alchazar, qui affirmant, marcam Hispanicam, quææque in octo uncias divisa ac est marca Gallica, sexaginta septem Regales duntaxat continere, cum in marcam nostram duo & septuaginta Regales computentur; id quod manifesto docet experientia, probantque Constitutiones Regum nostrorum de re monetaria publicatæ, quippe in quibus dicitur, Regales quinque solidorum *(de cinq Sols)* habere duntaxat pondus duorum denariorum, & sedecim granorum; Regalem vero viginti solidorum, pondus decem denariorum & duodecim granorum.

Budæus, Porcius, Alciatus, Stanislaus, Covarruvias, Mariana, Vilalpandus, & Alchazarus, putarunt, omnes uncias posteriorum temporum pondere respondere unciæ antiquæ Romanorum; imo, quidam ex illis affirmarunt, omnes uncias hodiernas

diernas inter se esse æquales, nec eas unquam variasse, (quod, ut diximus, Fernelius de granis affirmat) licet omnes libræ non idem pondus habeant.

Posterior hic error oon minus crassius mihi videtur, quam error Fernelii, quoniam contrarium manifeste apparet ex constitutionibus publicis de ponderibus & mensuris, quæ in omnibus fere linguis exstant; ex observationibus Georgii Agricolæ, quæ leguntur in libro ejus *de restituendis antiquis ponderibus & mensuris*; ex Bodini Tractatu *de augmento & decremento auri & argenti*, & ex comparatione unciarum exterarum, quas Auctores illi facile nancisci potuissent, cum nostris. In hos similesque errores viri docti, meo quidem judicio, noo aliam ob causam incidunt, quam quia opinionibus suis nimium confidunt, quod vitium Fonseca appellat *doctam scribendi incuriam, viris magnis familiarem*.

Budæum in errorem induxit nummus argenteus Augusti, quem cum ad examen libræ revocasset, eumque pondere fere æqualem deprehendisset *grosso* nostro, qui est octava pars unciæ nostræ, existimavit, octo hujusmodi nummos unciam antiquam ævi Augustei confecisse, præsertim, cum quidam scriptores Veteres unciæ antiquæ assignent pondus octo denariorum antiquorum. Verum quidem est, pondus denarii antiqui in plerisque nummis tam Consulum quam primorum Imperatorum usque ad Neronem, ponderi grossi oostri respondere: Sed post Neronem pondus denarii antiqui ad septimam usque partem imminutum fuit. Ab ultimis enim Reipublicæ temporibus, usque ad Imperium Neronis, uncia fere semper constitit pondere septem denariorum, nisi quod pondus denarii jam inde a tempore primorum Imperatorum usque ad Neronem leosim imminutum fuerit, ut probari potest non solum ex ipso pondere numismatum, sed etiam ex auctoribus, qui ante Imperium Neronis de ponderibus Romanis scripserunt. Post Neronem vero octo drachmæ, seu, quod idem est, octo denarii in unciam computati fuerunt; qua quidem drachmæ adjectione, nulla ad pristinum pondus unciæ facta est accessio, sed ipsorum denariorum pondus imminutum fuit, ut probat non solum consensus omnium eorum, qui post Neronem ponderum Romanorum mentionem fecerunt, sed & ipsom pondus numismatum, quæ post hunc Imperatorem cusa fuerunt. Quamvis igitur Budæus nummos Augusti ejusdem ponderis esse deprehenderit, cujus sont uostri *grossi*, non tamen cooludere inde poterit, unciam antiquam nostræ parem esse, quoniam, ut jam dictum est, septem nummi Consulares, vel totidem nummi Imperatoris Augusti pondus unciæ antiquæ implebant, cum nostræ unciæ pondus non pauciores octo adæquent. Quod si Budæus nummos, post Neronem signatos, ponderasset, haud sane eos nostris *grossis* pondere respondere deprehendisset. Error Porcii, Alciati, Covarruviæ, aliorumque, a simili fere causa ortus est.

CAP. IV.

Verum pondus libræ antiquæ, non ex ponderibus antiquis, quæ hodie adhuc supersunt, sed ex nummis & pedibus veterum, erui posse. Veteres eo tempore, quo imperium ipsorum quam maxime floruit, optima nota monetam semper percussisse. Monetæ pravitatem argumentum esse imperii decrescentis. Magis esse e re publica, ut moneta ex puro & probo metallo cudatur, quam ut secus fiat, & quare. Jus & potestatem ex puro optimoque metallo, in primis auro, monetam signandi, fuisse olim supremi imperii signum, & quare. Specimina monetæ probæ (les pieds-forts) *quam habeant originem.*

Pondus libræ antiquæ non potest æstimari & cognosci ex ponderibus illis veterum, quæ nobis restant: ea quippe vel sunt lapidea, vel ærea, vel ferrea. Lapidea non possont nobis certum & indubitatum hujus rei præbere indicium, quoniam sciri nequit, sint ne vere antiqua, an vero ad similitudinem antiquorum facta. Ex sculptura enim antiquitas & ætas lapidum vix cognosci potest, quoniam lapides sculpti, præsertim si sint marmorei, post 50 annos eandem vetustatis speciem præ se ferent, ac post 50 secula. Præterea, longinquitate temporis obduci queunt crusta, quæ pondus illorum augeat, vel etiam longo usu frustis quibusdam & particulis abrasis pondus eorundem imminui potest. Quod de ponderibus lapideis, idem etiam de ferreis & æreis diei potest; adeo ut hodie nulla alia res nobis certum veterum ponderum possit præbere indicium, præter nummos antiquos, & justam pedis antiqui mensuram.

Difficile est numismatum & monetarum veterum pondus investigare, nisi exploratum habeamus pretium & proportionem unius metalli ad aliud, nec non temperaturam metalli, ex quo nummi cusi fuerunt, utrum nimirum purum putum fuerit, an secus. Quare ut materiæ huic major lux afferatur, disquiram prius, an Veteres ex puro metallo nummos suos signaverint, an oon.

Lege *Cornelia*, a Cornelio Sylla Dictatore, & lege *Julia*, a C. Julio Octavio Augusto, nec non alia lege diu post ab Imperatore Tacito, ut Vopiscus testatur, lata cautum erat, ne monetarii ex metallis adulteratis & mixtis monetas cuderent. Pulchre huc facit locus ille Cassiodori lib. VII. *Formular.* c. 32. *Claritas regia nihil admittit infestum: Nam si vultus cujuslibet sincero colore depingitur, multo justius metallorum puritate principalis gratia custoditur. Auri flamma nulla injuria permixtione albescat: Argenti color gratia candoris arrideat: æris rubor in nativa qualitate permaneat.* Ipsa etiam experientia, & oummorum veterum inspectio nos docet, Veteres, & præcipue Romanos, usos fuisse monetis ex metallo puro & nolla mixtura adolterato constantibus, saltem qoamdiu Imperium ipsorum floruit: Illo enim decrescente, & bonitas monetæ diminutionem passa est. Imperator Tacitus cum tandem animadverteret, quam damnosa esset Reipubl. sequior monetæ temperatura, lege lata metallorum mixturas severe prohibuit, quod edictum etiam post Diocletianum adeo studiose observatum fuit, ut vix ulla numismata antiqua post hojus Imperatoris ætatem percussa, reperiantur, quæ oon ex puro & probo metallo consteut. Quod si tamen postea quædam numismata ex minus puro & probo metallo percussa fuerunt, quod factum legitur ab Imperatore Alexio, qui eam ab causam ab Historicis reprehenditur, ea ætatem non tulerunt, quoniam hodie pauca vel nulla hujus generis repeniuntur.

Bonitas monetæ adeo est e re publica, ut plerique JCti, & viri docti, qui hac de re scripserunt, monetam ex puro potius metallo, quam mixto cudi præcipiant. Albertus Brunus in Tractatu suo *de augmento & diminutione monetarum*, ad opinionem hanc confirmandam fere omnium juris Canonici Interpretum ad cap. *Quanto de jurejurando* auctoritates adducit, additqoe, Reges & Principes, si tam conscientiæ suæ, qoam gloriæ, & commodo publico quam optime consulere velint, providere debere, ut monetæ ex puro proboque metallo

tallo fiant. Oresmus *de mutatione monetarum*, eandem defendit sententiam, uti etiam Molinæus in simili Tractatu; Didacus Covarruvias in Dissertatione *de veterum numismatum collatione*; Bodinus lib. VI. c. 3. *de Republica*, & in Opere suo *de augmento & decremento auri & argenti*; Georgius Agricola libro primo *de precio metallorum & monetis*; Freherus *de re monetaria Imperii Romani*; Bornitus libro primo *de nummis*; Wolfgangus Langenzennensis *de jure monetarum*; D. Godofredus Procurator Generalis Curiæ monetariæ, & DD. Turquantius & Coquerellius, ejusdem Curiæ Præpositi: Quanquam horum sententiæ eatenus inter se discrepent, quod quidam illorum metalla, non quidem purissima, sed purissimis proxima ad monetam cudendam adhibenda esse censeant; ita nimirum, ut monetæ argenteæ puritas sit undecim denariorum & duodecim granorum, (quem puritatis gradum obtinet argentum regale optimum) non vero ut sit inferior decem denariis, cujus temperaturæ est argentum regale deterius. Quod ad minutulos & vilissimi pretii nummos adtinet, eos iidem auctores ex ære tantum fabricandos esse suadent. Alii contra, ex auro & argento supremæ puritatis monetas faciendas esse suadent; quamvis in minutioribus monetis, quas nostrates *de billon & de change* vocant, eundem puritatis gradum non requirant, sed eas cudi præcipiant ex argento regali deterioris notæ: hi ergo usum monetæ æreæ omnino rejiciunt.

Quod si & meam hac de re sententiam promere mihi liceat, existimo, jus & potestatem ex metallo purissimo, præcipue vero auro, monetam cudendi, olim fuisse signum Imperii summi, & nulli hominum obnoxii. Apparet hoc ex more & consuetudine Romanorum, qui uti urbibus quibusdam concesserunt jus percutiendi monetam æream, qua in quotidianis commerciis uterentur; ita Regibus nonnullis & Principibus, sibi subjectis, jus dederunt monetam ex argento cudendi: Illis vero, quos Imperii Majestate sibi proximos agnoscebant, potestatem concedebant monetam ex auro, non puro, sed mixto, percutiendi, uti id permiserunt primis Francorum Regibus; modo permisisse dicendi sint id, quod impedire & probibere non poterant, ut jam supra monuimus. Sibi solis autem reservabant jus ex puro puto auro monetam cudendi, tanquam notam & signum supremi in terris Imperii, ejusque juris adeo erant tenaces, ut bello nonnunquam persequerentur Principes & Reges, qui monetam auream ferire ausi erant, ut libro primo hujus Operis docuimus. Ab eadem causa orta fuerunt cruenta bella inter Reges nostros, & Principes, qui ipsis inferiores & subjectos erant. Cæterum, hodie Principes minores adeo negligunt & parvi pendunt notam hanc supremi Imperii, ut ex metallo mixto potius, quam puro, monetas cudant.

Non solum ad honorem & gloriam Principum, sed etiam ad salutem Reip. permagni interest, monetas ex metallo puro cudi. Historia Franciæ nos docet, quatuor ex nostris Regibus, cum magno subditorum suorum detrimento, & damno Reip. monetæ bonitatem imminuisse, nimirum Philippum Pulchrum, Johannem, Carolum VI. & Carolum VII. Constat tamen, Regem Johannem facti sui mox pœnituisse, eumque constitutione, die 28 Novembr. 1355 publicata, (quæ inserta est Codici rubro Curiæ monetalis, notato litera D. fol. 238.) disertis verbis ex plenitudine potestatis suæ declarasse & promisisse, tam se, quam successores suos in posterum probam bonamque monetam semper percussuros esse, idque non solum se ex animi sui sententia & bona fide promittere, sed etiam se effecturum, ut dilectissimus suus filius, Dux Normandiæ, aliique filii & cognati idem promittant, & ut Cancellarius suus, Rationarii, Thesaurarii, Magistri, Præfectique Monetarum; præsentes & futuri, per Sanctum Dei Euangelium religiose jurent, se violationem Ordinationis hujus nec consilio suo adjuturos, nec consensu approbaturos esse; sed potius omni ope & studio anisuros, ut illibata ejus perpetuo sit auctoritas: Quod si quis contra hanc Ordinationem quocunque modo aliquid moliturus sit, eum omnibus muneribus illico privatum iri, omni spe veniæ præcisa.

Dominus Turquantius in libellis suis admonitionum, exhibitis Parlamento Divionensi, de sequioribus & mixti metalli monetis eauticis, vigore Edicti non tolerandis, præterea nos docet, eundem Principem edixisse, ut omnes Prælati & Barones regni sui specimen, sive exemplar monetæ illius, quam tunc cudi jusserat, asservarent, ne ipse & successores sui bonitatem illius in deterius mutare possent. Porro, hanc esse causam, quare omnes Monetarum Præfecti, cum muneri isti admoverentur, olim jurejurando se obstringere debuerint, se nunquam auctores & suasores Regi exstituros, ut monetæ bonitatem immmuat; & ob eandem rationem, singulos eorum dono accepisse tunicam, quinquaginta valentem libras, (quæ secundum hodiernæ monetæ rationem ducentas & quinquaginta libras conficiunt) quoties monetæ, quæ a priori bonitate desciverat, pristinus puritatis gradus illorum opera & consilio restitutus esset. Loco tunicæ hodie illis dantur specimina monetarum novarum, a Gallis *pieds-forts* dicta, quæ sunt indubitatum & perpetum bonitatis monetæ indicium.

Idem auctor cum Bodino observat, Philippum Pulchrum, cum monetæ bonitatem in deterius mutasset, adeo facti hujus postea pœnituisse, ut Avenionem legatos mitteret, qui eo nomine a Papa absolutionem impetrarent, & Constitutione publicata promitteret, se nunquam monetæ bonitatem imminuturum esse.

Idem Bodinus refert, Petrum IV, Regem Arragoniæ, regno privasse Regem Majoricæ & Minoricæ, qui erat Vasallus ejus, eo quod bonitatem monetæ corrupisset: Quamvis ipsi Reges Arragoniæ eodem laborarent vitio, adeo ut Papa Innocentius III. teste eodem auctore, ipsis, tanquam Vasallis suis, mandaret, ut monetæ bonitati diligentius in posterum consulerent. Huic mandato parentes Arragoniæ Reges, cum regnum auspicarentur, publice fidem dabant, se nec extrinsecum nec intrinsecum monetæ receptæ valorem mutaturos esse.

Præterea, supra laudatus Brunus in Tractatu *de augmento & diminutione monetarum* tradit, Papam Julium II. jussu & consilio Archiepiscopi Tarentini, Thesaurarii S. Sedis, ex puro & probo metallo monetas cudisse: Et Budelius auctor est, anno 1580. Constitutionem in Imperio fuisse publicatam, qua decretum fuerit, ut nullæ nisi probati valoris monetæ ex puro & puto metallo ferirentur.

Multi auctores testantur, nullas Moscovitarum, Turcarum, Venetorum & Anglorum monetas ex sequiori esse percussas metallo; imo Anglos omnino rejecisse nummos ærosos, non tamen, ut recte Bodinus judicat, absque insigni civium incommodo. Cum enim minutissimus nummus argenteus habeat valorem octo denariorum, nulla res, etiamsi sit vilior, minoris emi potest; nec pauperibus, stipem petentibus, minus dari posse manifestum

est

est, unde fit, ut multi a danda stipe deterreantur.

CAP. V.

Quare magis expediat Reipubl. usus moneta, ex puro puto, quam mixto metallo conflata. Quare Veteres monetis suis figuras, a corpore metalli notabili prominentia exstantes, impresserunt. Magis esse e commodo Reipubl. minutulos nummos ex ære mixto, quam argento mixto cudi. Monetas æreas ex solo & puro ære cudendas esse, & quare.

Plurimæ sunt rationes, quibus demonstrari possit, e commodo Reipubl. quam maxime esse, ut monetæ ex metallo, nulla sequioris materiæ mixtura adulterato, cudantur. Primo enim, ut taceam, multum hoc facere ad augendam Principum gloriam, quæ hoc monumento ad seram usque posteritatem propagatur; sequior moneta ipsi Principi maxime est damnosa, tam ratione vectigalium & tributorum, quæ ipsi a subditis penduntur, quam ratione debitorum, salariorum & stipendiorum, quæ ipse extraneis, ministris, & militibus suis solvere debet. Quo magis enim intrinsecus monetæ valor imminuitur, eo magis omnium rerum pretia crescunt; unde fit, ut secundum proportionem aucti pretii mercium, stipendia etiam & salaria ministrorum augeri debeant. II. Impensæ, quæ ad notabilem pecuniæ summam cudendam requiruntur, multo minores sunt, si moneta ex metallo puro & probo, quam minus puro & mixto signetur, quoniam pauciores libræ monetæ probæ, quam sequioris, eandem pecuniæ summam conficiunt. III. Multo minori mercede & sumptu moneta proba, propter molem minorem, in regiones alias transportari potest. IV. Merces, pro quibus pretium proba moneta persolvitur, minoris constant, quam si deterioris notæ nummis emantur. V. Aurum & argentum, quibus multum æris admixtum est, ærugine vitiantur & exeduntur, cum contra eadem metalla, nulla deterioris materiæ admixtione adulterata, post multa etiam secula, licet in terram defossa fuerint, incorrupta permaneant. VI. Aurum & argentum cum aliis metallis permixta, minoris æstimantur, quam cum pura sunt, ob impensas in separationem eorum faciendas. Hinc etiam argentum illud regale, quod aliquot gradibus a summa puritate distat, & a nostratibus *l'argent le Roy de basse loy* appellatur, æstimationem habet vigesima parte minorem æstimatione argenti regalis, purissimo proximi (quod Galli *l'argent le Roy de haute loy* vocant) & cum hoc valoris discrimine imputatur Monetæ Præposito, secundum Constitutionem ab Henrico II. anno 1549. sancitam; non solum, ut pretia argenti puri & minus puri inter se comparentur, &, quæ sunt verba Constitutionis, valores nummorum, tam aureorum, quam argenteorum sibi invicem respondeant; sed etiam, ut impediantur monetarum Præfecti, quo minus argentum purum in minus purum convertant, ex qua re plus lucri utique ad ipsos rediturum esset. Cum enim in marcam, seu semipondo argenti puri, lex duo tantum grana subsidii loco monetæ Præfectis concedat; iidem sex grana supra hæc duo lucrifacturi essent in marcam argenti minus puri, ex quo asses (*sols*) cuduntur, quoniam quatuor semipondo assium non nisi unum semipondo argenti puri continent. VII. Populus ingenti afficitur damno, cum pecuniæ, antea receptæ, usus in commerciis publice interdicitur, eaque officinæ monetariæ inferri jubetur, denuo conflanda: Atqui, illud toties fit, quoties monetæ, intrinseca bonitate destitutæ, ita usu tandem atteruntur, ut charagma in iis obliteretur, quod quidem hodie multo sæpius, quam olim, evenire necesse est, quoniam monetæ hodiernæ non tam eminentes & exstantes habent figuras, quam antiquæ, haud sane sine magno detrimento gloriæ Principum, quippe quorum memoria in nummis ejusmodi ad seram usque posteritatem non conservatur, sed cum ipso charagmate mox evanescit & exstinguitur. VIII. Varia metallorum commixtio & adulteratio varium & incertum reddit pretium auri atque argenti, quod Reip. & commercio non parum est damnosum. Hinc magis publicæ rei expedit, si minutiores monetæ ex ære mixto, quam argento mixto fiant, quoniam homines minori cum damno errant in ære, quam argento, ab aliis metallis, quæ eis admixta sunt, dignoscendo. Huc accedit, quod moneta ærea diutius conservet memoriam Principis, quam argentea, quoniam æs non tam crebro conflari solet, quam aurum atque argentum: eaque causa est, quare hodie multo plura numismata antiqua ærea, quam aurea vel argentea, reperiantur. IX. Cum ex metallo puro & probo monetæ conficiuntur, evitatur suspicio lucri, ex *remedio*, ut vulgo vocant, viris monetalibus indulto sive interrimento aliquot granorum, quod Princeps in nummos largitur, captandi; quod *remedium* in semipondo auri puri efficit tres libras & amplius, si nempe quarta charactæ pars nomine *remedii* indulta sit; & in semipondo argenti, itidem puri, tres asses & amplius, quando quadrantes Scutatorum cuduntur; duodecim vero asses, & amplius, quando asses (*des sols*) signantur. X. Monetæ ex auro & argento puro, non possunt æque facile adulterari, ac eæ, quæ ex auro & argento minus puro factæ sunt, quoniam differentia illorum facile cognosci potest ex colore, crassitie, pondere, sono, & sapore. Aurum enim, cui argentum est admixtum, pallet; cui vero æs, vel rubet, vel nigricat. Porro, aurum & argentum, admixtione deterioris materiæ adulterata, cum in ignem injiciuntur, subnigro colore inficiuntur: Eadem vero cum pura sunt, pristinum nitorem & colorem in ipso etiam igne retinent. Si duo frusta, alterum auri puri, alterum minus puri, ejusdem sint ponderis, prius illorum minorem habere molem deprehendetur, quam posterius: Et vice versa, si ejusdem sint molis & crassitiei, posterius priore erit levius. Idem etiam de argento dici potest. Sonus quoque auri & argenti puri differt ab eo, quem habent eadem metalla, minus pura, vel adulterata. Quod si monetæ aureæ & argenteæ non quidem admixtione aliorum metallorum adulteratæ sint, sed extrinsecus tantum tenui lamella auri vel argenti puri inductæ niteant, cum intus ex mero ferro, vel ære constent, quas monetas Galli vocant *fourrées*, illarum vitium ex sono itidem deprehenditur: nullum enim sonum reddunt. Præterea, aurum & argentum, cum pura sunt, nullum habent saporem; cum ære vero mixta, satis acri & ingrato sapore linguam afficiunt. Ex historia Romana discimus, Marium Gratidianum, Romanos docuisse artem monetam probam ab adulterina dignoscendi, idque munus Populo adeo gratum fuisse, ut ei statuas in omnibus viis Urbis Romæ erigeret. Denique illi, qui monetam probam præferunt ei, quæ intrinseca bonitate destituta est, cum auctore quodam, rei monetariæ peritissimo, affirmant, omnes constitutiones antiquas fateri, monetæ bonitatem causam esse, quare cives opibus & divitiis floreant; ejusdem

dem vero mutationem in deterius ingentia damna subditis importare.

CAP. VI.

Causa, quare sæpe monetæ bonitas in Gallia in deterius mutata fuerit. Causa, quare nummi, valorem viginti, decem, quinque, sedecim, & octo assium habentes, cusi fuerint. Veteres nec impensas monetales, nec vectigal aliquod de pretio nummorum detraxisse.

Causa, quare monetæ bonitas in Gallia sæpe imminuta fuerit, plerumque fuit vilior & minus proba moneta vicinorum Principum. Cum enim Gallia domesticis metallis careat, & proinde defectum hunc supplere cogatur monetis exterorum, intrinseca bonitate plerumque destitutis, inde factum præcipue est, ut monetæ nostræ aureæ bonitas ad 24 charactas vix unquam adscenderit. Et quoniam, si omnes monetæ aureæ extraneorum conflentur & confundantur, aurum massæ illius, ut observavit Auctor Admonitionum de re monetali, vix vigesimum secundum puritatis gradum, sive 22 charactam, attingere deprehendetur; fuerunt olim quidam, qui, cum ob rationem modo dictam, tum ut melius observaretur proportio inter aurum & argentum, suaderent, ut moneta aurea ad puritatem 22 charactarum duntaxat perduceretur, quo puritas auri responderet puritati argenti, ex quo quadrantes Scutatorum cusi sunt. Quod ad imminutam bonitatem monetæ argenteæ adtinet, sciendum est, ut idem monet Auctor, tunc, cum Constitutio anni 1577 sub incude esset, rem aliquam serio perpensam fuisse: Nimirum, omnes monetas argenteas, ex regionibus cis Ligerim sitis in Galliam importatas, puritatem decem denariorum habere; illas autem, quæ ex regionibus trans Ligerim jacentibus inferrentur, ad puritatem duodecim denariorum pertingere, ita ut ad harum purgationem nullis impensis opus esset. Ob hanc igitur causam, ut Auctor ante laudatus testatur, duplicis generis moneta argentea cudi jussa est, quæ ad hoc usque tempus in commerciis usitata fuit. Ad primum genus pertinent vicesses, decusses, & quincusses, quorum puritas est decem denariorum; ad alterum, quadrantes & semisses Scutatorum, quorum puritas ad undecim denarios adscendit.

Populi olim potentes & opibus florentes, præcipue vero Romani, tempore libertatis, & sub primis Imperatoribus, non solum ex auro & argento purissimo fere semper monetas suas signaruot, sed etiam de earum valore nihil vel vectigalis, vel impensarum, in signationem factarum, nomine deduxerunt. Videtur id probari posse ex Aristotele, qui Lib. 5. *Polit. c. 6.* dicit, gentes antiquissimis temporibus rudi metallo, eoque ad libram appenso, loco signati, in commerciis usas fuisse. Cum autem valde molestum & difficile esset, rudium illarum massarum bonitatem & pondus exacte explorare, tandem illis impressum fuisse notam publicam, quæ cujusque massæ puritatem & pondus indicaret. Accursius quoque multis testimoniis, ex legibus Romanorum petitis, probare conatur, Romanos non imposuisse monetæ ullum vectigal. Covarruvias in Tractatu, quem conscripsit *de veterum numismatum collatione*, tradit, apud Polonos, ex jure signandi monetam nihil lucri ad Rempublicam redire; & veteres Normandiæ Duces itidem de valore & bonitate monetæ nihil vectigalis monetalis nomine deduxisse, sed ejus loco de aliis reditibus fisco suo prospexisse; qua quidem ratione non solum suum ipsorum, sed etiam subditorum suorum commodum auxerunt. Moneta enim eo modo signata, in qualibet regione eundem semper valorem retinebat. & eum contingeret, ut ob diuturnum, quem passa erat, attritum, ususejus tandem abrogaretur, non majus inde damnum ad possessores redundabat, quam quantum ex pristino pondere monetæ longo attritu diminutum erat, id quod sane non poterat non esse exiguum.

CAP. VII.

Proportionem auri ad argentum eandem olim fuisse, quæ est unius ad quindecim. Explicatio loci Pliniani de hac proportione, intellectu perquam difficilis. Romanos olim habuisse sestertios argenteos diversorum ponderum. Sestertium priorum temporum, cujus Plinius hoc loco mentionem facit, idem habuisse pondus, atque miliaresion *posteriorum temporum. Denarium argenteum olim pro diversis temporibus varii fuisse ponderis. De* Victoriato *antiquorum. Pretium auri in Gallia olim sedecies superasse pretium argenti.*

Si igitur verum esse ponamus, quod supra nos probasse putamus, Veteres nimirum ex metallo purissimo monetas percussisse, ne detractis quidem lucris fiscalibus, & impensis in signationem factis; facile indagari potest proportio, quæ inter aurum, argentum, & æs olim fuit; id quod fieri neutiquam posset, principio hoc & fundamento negato. Cum autem principium hoc satis validis, ut putamus, rationibus supra stabiliverimus, pro certissimo habendum est, pro diversis temporibus diversam fuisse metallorum horum inter se proportionem. Exstitit enim tempus, quo proportio auri ad argentum eadem fuit, quæ est unius ad quindecim, ita ut libra auri quindecies valore excederet libram argenti ejusdem ponderis. Probari istud potest auctoritate Plinii, qui lib. XXXIII. c. 3. *Hist Nat.* sic ait: *Aureus nummus post annum* LXII. *percussus est, quam argenteus: ita ut scrupulum valeret sestertiis vicenis, quod efficit in libras ratione sestertiorum, qui tunc erant, sestertios* ∞CCCC. *Post hæc placuit* LXM. *signari ex auri libris: paulatimque Principes imminuere pondus, minutissimus vero ad* XLVM.

Hic locus adeo difficilis visus est Georgio Agricolæ, Budæo, Porcio, Hotomanno, Pancirollo, Marianæ, Ciacconio, Vilalpando, Josepho Scaligero, aliisque, ut omnes dixerint, vel, eum esse corruptum, vel, si sit sanus & integer, se eum non intelligere. Illi, qui locum hunc corruptum esse putarunt, cumque emendare conati sunt, insigniter lapsi fuot, non quod ab eruditione, quam summam habuerunt, destituti essent, sed quod ad locum hunc interpretandum accederent imparati a numismatum & ponderum antiquorum notitia; qua si quis instructus sit, facili negotio, ut ego quidem puto, locum hunc intelliget, ne unius quidem literæ mutatione facta.

Ut igitur ad loci hujus interpretationem nos accingamus, observandum est, Plinium duo sestertiorum genera distinguere, cumque primo loqui de sestertiis sui temporis, quorum viginti valebant scrupulum auri, quod nemo auctorum, paulo ante memoratorum, observavit; deinde vero de sestertiis qui ante ipsius ætatem in usu fuerant; quod facile colligitur ex verbis illis, *sestertiorum qui tunc erant*, quorum nongenti libram auri valore æquabant. Unde sequitur, sestertios, Plinio antiquiores,

res, multo ponderosiores fuisse, quam eos, qui tempore Plinii in usu erant. Secundum enim proportionem illam, qua viginti sestertii in scrupulum auri computantur; in totam libram auri computandi sunt 5760. sestertii. Quod ad pondus illorum sestertiorum attinet, quorum nongenti libram auri valore æquant; quinque unciam, & sexaginta libram efficiunt. Aurum igitur hac proportione argentum quindecies valore excedebat. Quoniam enim viginti sestertii quindecim tantum scrupulos valebant, si sexaginta in quindecim ducantur, emerget inde summa 900. Talis igitur sestertius pondere respondebat *miliaresio* posteriorum temporum, quorum quinque itidem unciam, & sexaginta libram efficiebant.

Nemini mirum videri debet, quod dicamus, sestertium olim pro diversis temporibus diversi fuisse ponderis, quoniam denarius quoque, cujus pars est sestertius, diversis temporibus diversum pondus habuit, quod nullus auctorum, quorum supra mentio facta, observavit, quamvis id facile tam ex auctoribus, quam ipsis nummis probari possit.

Dominus Fontenæus, Abbas S. Quintini, qui instructissimum Nummophylacium possidet, mihi ex nummis suis tres argenteos videndos & ponderandos præbuit, singulos quinque denariorum & sex granorum nostratium, quorum quatuor unciam conficiunt, quoniam non plus 504. grana tribuenda sunt unciæ antiquæ Romanæ, ut postea probabo. Duo illorum nummorum ab uno latere repræsentabant Janum bicipitem; ab altero latere, Victoriam, cum Inscriptione ROMA. Existimo, duos hos nummos esse duos semisses denariorum, sive duos Victoriatos, quoniam nummi argentei, nota Victoriæ percussi, hoc nomine appellabantur, teste Plinio lib. XXXIII. c. 3. Notum autem est omnibus, qui vel mediocriter rei nummariæ Veterum periti sunt, Victoriatos fuisse semisses denariorum. Hi Victoriati ex nummis argenteis primo omnium signati fuerunt a Romanis, ut idem auctor testatur his verbis: *Qui nunc Victoriatus appellatur, lege Clodia percussus est: antea enim hic nummus ex Illyrico advectus, mercis loco habebatur.* Quod Plinius dicit, nummos hos, antequam Romæ cuderentur, ex Illyrico advectos fuisse, id confirmatur his Festi Pompeji verbis in voce *Patres: Solebant jam inde a Romulo nummis auri atque argenti signati ultramarinis uti: id quod privata & publica rationes commentariorum docent.* Quoniam igitur nummi hi erant semisses denariorum, necesse est, ut denarius dimidiæ unciæ antiquæ pondus habuerit: id quod nemini mirum videbitur, qui cogitaverit, denarium olim valuisse decem libras æris, secundum quem valorem proportio argenti ad æs eadem fuisse dicenda est, quæ est unius ad 240. ita ut argentum ducenties & quadragies valore æs excederet, cum hodie pretium argenti vix quinquagies excedat pretium æris.

Pancirollus, qui antiquæ tantum proportionis argenti ad æs, quæ est unius ad 120. rationem habet, statuit, denarium Romanum habuisse dimidium pondus unciæ talis, quæ decem libris æris æstimata fuerit. Ostendemus itaque, denarium Romanum paulatim fuisse imminutum pondere, & ab uncia ad octavam ejus partem tandem decrevisse.

Denarium Romanum initio circiter unciæ pondus habuisse, colligi potest non solum ex proportione, quæ antiquissimis temporibus inter argentum & æs fuit, sed etiam ex partibus, in quas denarius dividebatur, *libella* nempe, quæ erat decima denarii pars; *sembella*, quæ vigesima; & *teruntio*, qui erat quadragesima ejusdem pars. Denarius igitur non potuisset ad quadragesimam usque partem dividi, si non habuisset integrum unciæ pondus, quoniam quadragesima pars 504 granorum, (tot enim granis unciam antiquam Romanam constitisse deinceps probabitur) sunt tantum 12 grana, & tres quintæ unius grani partes, quod est sane minimum pondus, quod nummus, & præcipue antiquus, habere possit. Veteres enim, ne cogerentur nummos suos multoties conflare & recudere, multo crassiores eos formabant, multoque exstantioribus signabant figuris, quam hodie fieri solet. Unde vix inter antiquos nummos vix unus reperietur, qui duodecim granis nostratibus levior sit. Præter rationes memoratas sententiam meam confirmat quoque auctoritas Varronis, qui, quamvis tempore Republicæ vixerit, de partibus tamen denarii ante dictis loquitur, tanquam de nummis, sua ætate non amplius usitatis; cujus ratio est, quod denarius, qui ejus tempore ad septimam unciæ partem jam redactus erat, in tam subtiles partes dividi amplius non posset. *Teruntius* enim nequidem duorum granorum pondus habiturus fuisset.

Denarium igitur Romanum, ex sententia Pancirolli, in principio unciæ pondus habuisse, evincit non solum ratio proportionis, quæ olim inter argentum & æs fuit, sed etiam subtilis illa denarii in partes divisio, quæ locum habere non potuisset, nisi denarius antiquus unciæ circiter pondus habuisset. Idem præterea probant *Victoriati*, hodieque exstantes, qui pondus semunciæ habent. Probabile enim non videtur, pondus denarii simul & semel ab uncia ad semunciam redactum sed minoribus decrementis paulatim imminutum fuisse.

A semuncia ad tertiam partem unciæ denarii pondus deinde decrevisse, fidem facit Charisius Grammaticus, quippe de quo sic P. Victorius ait: *Charisius 1. Grammat. ex annali Varronis tradit, nummum argenteum conflatum primo a Servio Tullio quatuor scrupulis majorem quam nunc.* Hæc verba ita capienda sunt, ut per *scrupulum*, secundum multos auctores, intelligatur tertia pars denarii; quamvis scrupulus, si proprie capiatur, sit tantum vigesima quarta pars unciæ, & tertia pars drachmæ, quoniam uncia in octo drachmas dividitur. Josephus Scaliger in libro posthumo de *Re nummaria* eandem Charisii sententiam adducit, quam tamen non recte percepit, quod non animadverteret, denarium diversis temporibus diversum pondus habuisse.

Tertius nummus supra laudati Domini Fontenæi, ab uno latere exhibebat caput Romæ, ab altero, caput equi, isque itidem pendebat quinque denarios & sex grana. Dominus Montaltus, qui & peritissimus est rei nummariæ veterum, & ingentem elegantium rarissimorumque nummorum tam aureorum, quam argenteorum, apparatum collegit, nummum possidet similis ponderis, qui ab uno latere, loco capitis Romæ, exhibet effigiem Martis Barbati, & ab altero, caput equi cum falce, addita inscriptione ROMANO. Ex his duobus numismatibus apparet, Romanos eo tempore habuisse denarium argenteum, quartam tantum unciæ partem pondere æquantem, sive denarium à triente ad quadrandem unciæ tunc decrevisse.

Circa occasum Imperii, ut inferius probabo, duæ monetæ argenteæ species cusæ fuerunt, dictæ *miliarisium*, quarum una quintæ unciæ parti pondere exacte respondit; reperiunturque adhuc hodie numismata quædam Consularia, quæ ejusdem sunt ponderis.

Hippoiatrici, sive Veterinarii, & præterea Priscianus & Diodorus, secundum versionem Ruellii, nos

nos docent, denarium Romanum olim habuisse pondus sextæ partis unciæ, ita ut sex denarii essent in uncia, quoniam singuli illorum, secundum auctores modo laudatos, quatuor scrupulos pendebant. Multa hujus ponderis numismata reperiuntur inter nummos antiquos æreos, & inter argenteos à Diocletiano usque ad Heraclium.

Inferius demonstrabo, denarii pondus ita postea imminutum fuisse, ut ad Neronem usque septem, post eum vero, octo in uncia continerentur. Galenus ipse libro VIII. *de Compositione medicamentorum per genera*, c. 5. & l. V. *de Compositione Medicamentorum secundum locos*, c. 2. ait, quosdam statuisse, unciam continere septem denarios; quosdam, septem & dimidium; nonnullos, octo. Inter numismata Consularia Dominorum Fontenæi & Montalti, quædam reperiuntur, pondus quatuor denariorum & duodecim granorum nostratium habentia ita ut quinque pondere respondeant septem denariis antiquis & dimidio, si nempe in pondus denarii duo & septuaginta grana nostratia computentur. Verissime igitur scripsit Georgius Agricola libro V. *de Ponderibus Græcis*, denarium Romanum pro diversis temporibus varium habuisse pondus: Et vehementer miror, opinionem hanc Villalpando visam esse pugnare cum omni ratione, cum fide historiarum, & politia Romanorum. Sic enim inquit: *Illos graves ubi repererit non video, neque vero scriptorum ullus dixit, imo neque somniavit, apud Romanos denarios non ad rationales unciæ partes conflatos fuisse. Quod si denarius hujusmodi conflaretur, aut computent sex denarios, & efficient drachmas septem, cum dimidia, quod utrumque cum historiarum fide, & Romanorum politia ex æquo pugnat.* Non video sane, quare vir ille doctus tam confidenter affirmet, omnes denarios apud Romanos ad rationales unciæ partes conflatos fuisse, sive, denarios omnes partibus unciæ absque ullis numerorum fractionibus, seu citra ullum defectum & excessum, respondisse. Nam nec nummi aurei partibus unciæ exacte respondebant, ut infra demonstrabimus, quamvis in auro multo accuratius hæc æqualitas observanda fuisset, quam in argento: Nec hodie Principes vel Respublicæ in cudendis monetis id semper spectare solent, ut nummi aurei & argentei valore & pondere partes marcæ, multo minus unciæ, exacte æquent.

Abunde igitur, tam adductis probatorum auctorum testimoniis, quam ipso numismatum pondere ad examen revocato, me probasse puto, denarii Romani pondus pro diversis temporibus varium fuisse, & primo quidem unum, postea vero imminuto paulatim pondere, duos, tres, quatuor, quinque, sex, septem, & denique octo denarios unciam pondere æquasse: Quod nullus auctorum, quos supra memoravi, observavit, quorum alii quidem septem denarios, alii octo, non pauciores, in uncia fuisse statuunt.

Quoniam igitur ex supra dictis apparet, denarii Romani pondus variasse, non dubitandum est, quin paulatim & fallenti decremento pondus ejus imminutum fuerit, cum verisimile non sit, subito id decrevisse: Nam & nostrarum monetarum bonitatem & valorem paulatim sensimque imminui & in deterius mutari videmus. Quod cum ita sit, pro certo habendum est, evenire potuisse, ut denarius Romanus, qui aliquando quintam unciæ partem pondere æquavit, (ut probatum a nobis est) duas quoque, tres, & quatuor quintas unciæ partes continuerit, quamvis id nullis argumentis probaverim.

Si igitur tanquam probatum admittimus, denarium Romanum aliquando quatuor quintas unciæ partes continuisse, & hoc sensu denarium in supra adducto Plinii loco capiamus, ita ut undecim tales denarii libram efficiant; ex ratione proportionis manifestum fiet, sexaginta sestertios conficere pondus libræ. Hi sexaginta ducti in quindecim, (quam rationem eo tempore aurum ad argentum habebat) producunt summam 900.

Porro, scrupulum auri valuisse eo tempore sestertiis vicenis, sive quindenis scrupulis argenti, (perinde enim est, utrum ponas) non solum hic locus Plinii, sed etiam numismata aurea, quæ hodieque reperiuntur, probant. Supra laudatus Dominus Fontenæus possidet nummum aureum, scrupuli pondus habentem, vel paulo minus (si nimirum scrupulo dentur 21 grana, quod faciendum esse postea demonstrabo) in quo est numerus vicenarius, his notis XX. expressus. Ab una parte signatus est effigie Martis; ab altera repræsentat Aquilam, subjecta Inscriptione ROMA; qui nummus est notatu dignus. Dupondius in Tractatu suo de Numismatibus, fol. 50. nisi me memoria fallit, exhibet figuram nummi aurei, qui drachmæ antiquæ pondus habet, & eodem signatus est charagmate, quo scrupulus Domini Fontenæi, nisi quod loco duorum decussium XX. impressos habeat characteres V. & X. ad indicandam proportionem auri ad argentum, quæ erat quindecupla. Notis enim his significatur numerus quindenarius, quamvis litera V. præcedat literam X; quoniam Veteres in numismatibus literas sæpe transposuerunt; nec litera V. unquam præposita fuit alteri literæ numerali, ut de valore ejus aliquid detraheret, quamvis literæ I. & X. aliis notis numeralibus eum in finem præponi soleant.

Gorlæus in libro de Numismatibus Consularibus, a Fulvio Ursino omissis, inter ignotos nummos unum exhibet, qui similitudine figurarum, inscriptionis, & literarum numeralium, nummum Dupondii omnino refert.

Porro, proportio hæc auri ad argentum nemini absona videri debet, ut visa est quibusdam auctoribus supra memoratis, quoniam temporibus decrescentis Imperii similem pene proportionem auri ad argentum fuisse deprehendimus, nimirum, quæ est unius ad quatuordecim, & duas quintas partes, ut postea ex probatis auctoribus ostendam; & præterea Molinæus in Tractatu suo *de mutatione monetarum* testatur, se in actis Curiæ Monetalis Parisiensis reperisse, auri pretium ad argentum olim fuisse sedecuplum.

CAP. VIII.

Quam variis modis præcedens Plinii locus a variis auctoribus fuerit expositus. Interpretationes Portii, Hottomanni, Pancirolli, & Villalpandi a vero sensu Plinii alienas esse. Josephum Scaligerum omnium maxime a veritate aberrasse.

Omnes commentatores Plinii, uti & Georgius Agricola & Ciacconius, intactum hunc Plinii locum relinquunt: Budæus & Mariana eum corruptum esse, & contradictione laborare putant, quoniam non animadverterunt, sestertii pondus pro diversis temporibus varium fuisse. Leonardus Portius nihil dicit de proportione illa auri ad argentum, secundum quam unus scrupulus auri vicenis sestertiis argenti valuit; sed quod ad sequentia attinet, pro *sestertiorum* legendum esse contendit *denariorum*, putatque *aureum* temporis Pliniani habuisse pondus duarum drachmarum, quod tamen de illis demum aureis dici potest, qui

circa

circa tempus Alexandri Severi percussi fuerunt, ut deinceps ostendam. Idem porro asserit, pretium auri ad argentum fuisse duodecuplum, & paulo post, pretium illud fuisse tantum decuplum: Item, *aureum* antiquis temporibus tertiam partem unciæ pondere æquasse, ejusque rationem ad argentum tunc fuisse decuplam: Porro, *aureum*, qui tertiam partem unciæ conficit, habere eandem proportionem ad aureum, qui quartæ parti unciæ exæquatur, quam habent 4 ad 5, qui error calculi veniam non meretur. Conatur id autem sequenti modo ostendere: Si aureus, qui quartam partem unciæ continebat, quatuor denarios argenti valuit; aureus ille, qui tertiæ parti unciæ respondebat, utique denarios quinque valere debuit, quoniam, inquit, sicut alter aureus alterum unitate superabat, ita quoque quatuor denarii, ut eadem observaretur proportio, nonnisi unitate excedi debuerunt, quæ unitas addita quaternis, producet summam quinque denariorum. Hi postea singuli divisi per quatuor, & multiplicati per eundem numerum, efficient numerum viginti sestertiorum, qui si multiplicentur per numerum 45 aureorum, gignent summam 900.

Absurditates hujus sententiæ & interpretationis adeo manifestæ sunt, ut earum refutatione minime opus sit, quoniam ipsæ se abunde refellunt.

Hottomannus, quamvis fere sequatur Portium, eatenus tamen ab eo discrepat, quod sestertios non mutet in denarios; sed ejus loco multo majori cum temeritate pro 900, quem numerum hodie codices Plinii repræsentant, legendum contendat 4464.

Pancirollus Lib. 1. c. 66. *Var. Lect.* existimat, pro *sestertiis* 20, scribendum esse *sestertiis* 25; idemque opinatur, aureos non plures 24 in libra fuisse, quamvis Plinius eodem loco referat, aureos nunquam pauciores 40 ex auri libra signatos fuisse. Præterea, 75 sestertios tantum in libra argenti ponit, ut numero hoc ducto in duodecim, (quam eo tempore proportionem auri ad argentum fuisse vult) summam 900 sestertiorum elicere possit. Dum autem hac ratione libram argenti 75 sestertios tantum continuisse dicit, scrupulum auri exæquat 25 sestertiis, & *aureum* tribus scrupulis, sive 75 sestertiis: Et quoniam 75 sestertii, secundum ejus sententiam, conficiunt libram argenti, & pretium auri ad argentum habet rationem duodecuplam, uncia auri valebit sestertiis septuagenis quinis, & ob eandem rationem *aureus*, qui, secundum hunc calculum, itidem sestertiis 75 valet, pondus unciæ habere debebit: Nihilominus idem Pancirollus ei semunciæ duntaxat pondus tribuit, quoniam 24 *aureos* libræ assignat; unde apparet, eum sibi non satis constare. Villalpandus verum loci hujus Pliniani sensum investigaturus, præsupponit, aureum eo tempore habuisse pondus duarum drachmarum & dimidiæ, cum tamen verba Plinii, secundum ipsius quoque Villalpandi interpretationem, aperte doceant, aureos, etiam tum, cum essent ponderosissimi, non pauciores 40 in libra fuisse: At vero, secundum calculum Villalpandi, aurei duntaxat triginta & duæ quintæ partes libram æquarunt. Præterea idem Villalpandus non ad libram, ut Plinius, sed ad *sex aureos*, quos quindecim drachmis exæquat, computationem suam instituit. Præterea, ut institutæ computationis exitum eo melius reperiat, vocem *libras* mutat in *senos*: Neque animadvertit, sestertium pro diversis temporibus varium habuisse pondus; (quamvis id de *aureo* concedat) cum tamen Plinius eodem loco verbis his, *sestertiorum qui tunc erant*, satis manifeste doceat, non minus *sestertii*, quam *aurei* pondus diversis temporibus diversum fuisse.

Nullum vero ex Auctoribus modo memoratis tam procul a scopo & vero sensu Plinii aberrasse puto, quam Josephum Scaligerum in libro posthumo *de Re Nummaria*. Is enim primo quidem duarum tantum drachmarum pondus *aureo* tribuit, cujus tamen pondus circa tempora Commodi demum eo usque imminutum fuit. Secundo, *scrupulum* pro tertia aurei parte accipit, quamvis *scrupulus* sit tantum tertia pars drachmæ, quoniam Veteres nunquam scrupulos pauciores 24 in uncia numerarunt. Tertio, denarium tum, cum esset ponderosissimus, quatuor scrupulos habuisse affirmat, quamvis postea majus ei pondus tribuat, dum proportionem ejus ad denarium temporis Pliniani eandem fuisse dicit, quæ est trium ad duos, cum tamen ex priori ejus hypothesi non alia inde eliciatur proportio, quam quæ est quatuor ad tria. Præterea, corruptum esse Plinii locum existimans, pro *denarios* legi vult *sestertios*; quo concesso, non tamen inde elicit numerum 900, sed 1440; cui demi vult numerum 40, ita ut deleto numero 900, quem hodie codices Plinii retinent, non 1440, sed 1400 loco ejus scribendum censeat. Porro, in eo quoque eum fugit ratio, quod libram, quam non idem semper pondus habuisse dicit, triente ponderosiorem fuisse antiquioribus temporibus, quam ævo Plinii, affirmet; quoniam proportionem libræ antiquæ ad libram temporis Pliniani eandem fuisse contendit, quæ est 3 ad 2, quam proportionem etiam statuit inter denarium antiquum, & eum, qui tempore Plinii in usu erat; quamvis paulo ante proportionem unius denarii ad alterum parem esse dixisset illi, quæ est trium ad quatuor, non vero trium ad duos. Optime ergo interpretationi loci hujus conveniunt verba hæc ipsius Scaligeri: *Doctissimi viri dum sanare conantur, pejus affecerunt, quam librarii ipsi.*

CAP. IX.

Septem vel octo denarios argenteos plerumque unciam constituisse. Græcos usos esse voce drachmæ *ad significandum* denarium *Romanorum; & Romanos vicissim usos esse voce* denarii, *ad significandam* drachmam *Græcorum. Quo tempore septem & octo denarii in uncia numerati fuerint. Aureum valuisse 25. denariis.*

Antequam veritatem sententiæ meæ stabiliam, & ostendam, quomodo reliqua loci Pliniani verba intelligenda sint, probandum erit, vel præsupponendum tanquam certum & indubitatum; quamvis denarii Romani pondus diversis temporibus diversum fuerit, nihilominus septem vel octo denarios unciæ pondus plerumque æquasse, septem nimirum, tempore Neronis, & post ejus ætatem, octo. Deinde, aureum, tam antiquum quam recentiorem, æstimatum fuisse 25 denariis, & unum ex illis denariis, quorum septeni unciam constituebant, pondere respondisse *grosso* nostrati, habuisseque proinde 72 grana; denarium vero ex illorum genere, quorum octoni unciam efficiebant, æquasse pondus Solati nostri, qui pendet 63 grana. Porro, Græcos ad exprimendum *denarium* Romanorum usos esse voce *drachma*, & Romanos vicissim ad significandam *drachmam* Græcorum usos fuisse voce *denarii*, quoniam nec Græci ullum nummum argenteum habebant, qui propius accederet ad pondus *denarii*, quam *drachma*; & vicissim Romanis nullus erat nummus, qui pondere

magis responderet *drachma* Græcorum, quam *denarius*.

Plerique Scriptores recentiores verum denarii pondus frustra investigare conati sunt, quoniam non observarunt, illud variis temporibus varium fuisse. Inter omnes auctores, Nerone antiquiores, nullum reperio, qui octo denarios unciæ assignet: sed omnes potius septem duntaxat ei tribuunt, ut Celsus Lib. v. c. 17. & Epistola *ad Natalem*; nec non Scribonius Largus in Præfatione sua. Plinius ipse, quamvis posterior Nerone, nihilominus cum denarii antiqui, qui tempore Antonii in usu erat, meminit, idem pondus ei tribuit, quod Scriptores modo laudati, lib. xxxiii. c. 9. Pariter omnes Scriptores, qui post Neronem vixerunt, quando denariorum, suo tempore usitatorum, meminerunt, octones in uncia, & 96 in libra ponunt. In horum Scriptorum numero sunt Galenus, non uno loco Operum suorum, præcipue vero in libris suis *de Composit. medicamentorum tam secundum loca, quam genera*; Auctores qui scripserunt *de Ponderibus & Mensuris*, quales sunt, Galenus, Dioscorides, Cleopatra, Veterinarii, Diodorus, a Ruellio Latine versus, Soranus, Paulus Ægineta, Oribasius, Aëtius, Marcellus Empiricus; Fannius, Priscianus, Hesychius, Agellius, Valerius Maximus, S. Isidorus, & alii.

Aureum fuisse æstimatum 25 denariis, probari potest testimoniis multorum auctorum; præcipue vero Dionis, Zonaræ, Suetonii, Plutarchi, Taciti & Didymi apud Priscianum; quibus addi potest Epigramma Martialis, quo ad aureum alluditur Poëta nimirum, jam agens 75 ætatis annum, rogat Deos, ut vitæ suæ adjiciant annos xix: Se enim non cupere diutius vivere, quam ter 25 annos, qui faciunt 75 annos, ut, expleta ætate trium *aureorum*, sibi mori contingat senecta viridi & vegeta, non vero ea ætate, qua vita potius sit oneri, quam voluptati: ubi Martialis propterea alludit ad tres *aureos*, quod singuli illorum valerent 25 sestertiis.

Porro, Græcos adhibuisse vocem *drachma*, ad exprimendum *denarium* Romanorum. & Romanos vicissim *denario* suo exæquasse *drachmam* Græcorum, ob rationes ante dictas, Hottomannus, consentientibus Georgio Agricola, Villalpando, & fere omnibus Scriptoribus recentioribus, in Tractatu suo *de Re Nummaria* probat auctoritate Zonaræ, Strabonis, Dionis, Appiani, Diodori, Plutarchi, Dionysii Halicarnassei, Laërtii, Suidæ, Titi Livii, Ciceronis, Cleopatræ, Valerii Maximi, Gellii, Celsi, Scribonii Largi, Prisciani, Q. Curtii, Suetonii.

Quod adtinet ad denarios, quorum septeni unciam antiquam constituunt, illos pondere *grossos* nostrates æquare, experientia probat, si nempe nummos Consulares, & nummos primorum Imperatorum, usque ad Neronem, ponderemus. Plerosque enim illorum, modo a vetustate detrimentum passi non fuerint, pondus hoc habere deprehendimus: Un denarios illos, quorum octoni unciam antiquam constituunt, pondere æquare Solatos nostros, qui 63 grana nostraria pendent, eadem experientia probat.

CAP. X.

Cœpta loci Pliniani interpretatio absolvitur. Aureum non semper, nec sub primis quidem Imperatoribus, didrachmalem fuisse. Quare stater aureus valuerit vicenis drachmis argenti. Quamvis aureus valuerit 25. denariis argenteis, proportionem tamen auri ad argentum non aliam fuisse, quam 1. ad 12. Quare Pancirollus inter alios putaverit, aureum fuisse didrachmalem. Hottomannum in hoc argumento quam maxime a scopo aberrasse. Scaligerum omnium pessime exposuisse verba ultima loci Pliniani.

His ita præmissis, pergo ad expositionem sequentium verborum Plinii: *Post hæc placuit* XL. M. *signari ex auri libris, paulatimque Principes imminuere pondus, minutissime vero ad* XLV. M. In hoc loco literam vel notam M. interpretor *minime* vel *minus*, quoniam in Inscriptionibus quoque literæ hæ P. M. sæpe significant *plus minus*. Interpretationem hanc confirmat quoque experientia, & pondus numismatum aureorum, qui adhuc hodie exstant, modo a vetustate & injuria temporis non fuerint corrupti. Porro, quoniam uncia in 8 denarios quoque olim divisa fuit, (tempore nimirum Plinii, qui sub Vespasiano vixit) minimum pondus, quod nummi aurei, hodie adhuc exstantes, qui detrimentum ætatis passi non sunt, habere deprehenduntur, sunt quinquin denarii, quatuordecim grana, & paulo plus duæ quintæ partes grani nostratis, quæ in numero 6048 fere quadragies quinquies continentur.

Omnes auctores recentiores igitur valde errarunt, qui scripserunt, aureum habuisse duntaxat pondus duarum drachmarum, quæ 126 grana tantum continent, quoniam omnes pene aurei usque ad Alexandrum Severum multo ponderosiores esse deprehenduntur. Causa errandi fuit, quod ipsi non examinaverint pondus nummorum aureorum veterum, sed acquieverint in auctoritate Scriptorum quorundam antiquorum, qui referunt, aurei pondus suo tempore fuisse didrachmale. Causa, quare Pollux, qui vixit sub Commodo, aureum duas drachmas continuisse scribat, ea, ut puto, est, quod in lingua Græca nullæ aliæ suppeterent voces, quarum significatio propius accederet ad verum pondus aurei Romani, suo tempore usitati; quoniam inter 126 grana; quæ constituunt duas drachmas, & 132 grana, ad quæ summum aurei pondus eo tempore adscendere potuit, non nisi 6 granorum intercedit differentia, quæ a Polluce, tanquam minimi momenti, neglecta videtur. Veteres, ut computationes suas numero rotundo, ut loquuntur, concluderent, exiguorum excessuum vel defectuum rationem habere non solebant: Quæ ratio est, quare sæpe pondus minæ Atticæ cum libra Romana compararent, cum tamen inter eas differentia semunciæ intercederet, ut discimus ex Galeno Lib. 1. *de Composit. Medicament. per genera*, cap. 17. & Lib. XII. c. 24.

Quod ad Pollucem adtinet, qui Lib. IV. cap. 24. ait, staterem aureum, qui erat didrachmalis, valuisse vicenis drachmis argenti; ejus verba capienda sunt de moneta Græcorum, apud quos, ut ipse Pollux alio loco scribit, proportio auri ad argentum erat decupla, non vero duodecupla; ita ut stater aureus duas drachmas pendens, valeret vicenis drachmis argenti talis, quod ejusdem cum auro esset puritatis.

Plerique ex scriptoribus recentioribus, qui nummos aureos ipsi ad libram non appenderunt, existimarunt, aureum exacte pondus duarum drachmarum implevisse; quæ res variorum errorum causa ipsis fuit. Nam cum Veteres tradiderint, 25 denarios argenteos valore exæquari uni denario aureo, quidam ex recentioribus inde concludere voluerunt, proportionem auri ad argentum eandem fuisse, quæ est 1 ad $12\frac{1}{2}$; cum tamen, si 25 denarios argenteos unum denarium aureum pretio æquare statuas, proportio illa sit tantum duodecupla.

Alii, inter quos est Pancirollus, majori cum veri-

verisimilitudine existimarunt, denarium aureum valuisse 25 denariis argenteis, ob vigesimam quinti partem æris, denario argenteo admixtam. Id si concessimus, proportionem auri ad argentum duodecuplam fuisse fateamur necesse est: Quamvis, si hanc sententiam sequamur, statuendum sit, æs pro nihilo reputatum fuisse, & denarium aureum habuisse pondus duorum denariorum argenteorum. Hottomannum vero in hoc argumento quam longissime a vero aberrasse puto, qui dicit, 25 denarios argenteos uno aureo æstimatos fuisse, quamvis denarius aureus tantum valeret 24 denariis argenteis, idque ideo, ut excessus iste unius denarii pretium operia pensaret, quoniam, inquit, signatio 24 nummorum majores impensas requirebat, quam signatio unius. Duplicem errorem hic commisisse Hottomannum observo; primo, quod existimaverit, impensas monetales de ipso nummorum pretio deductas fuisse; & secundo, quod propter deductionem illam impensarum, 25 denarios argenteos pro uno aureo solvendos esse statuerit, cum tamen potius pauciores 24 solvendi fuissent, quoniam utique in signationem 24 denariorum argentorum multo majores impensæ faciendæ erant, quam in signationem unius denarii aurei.

Brevitatis gratia omittam hic interpretationes, quibus Agricola, Budæus, Portius, Hottomannus, Pancirollus, Mariana, Ciaconius, Villalpandus, & Josephus Scaliger exposuerunt reliqua hæc Plinii verba: *Posthac placuit signari XLM. ex auri libris, paulatimque Principes imminuere pondus, minutissimum vero XLVM.* Id tantum dicam, eos non minus in exponendis his, quam præcedentibus Plinii verbis errasse, ut cuique facile patebit, qui illorum commentarios legere volueri; quamvis nemo illorum, meo quidem judicio, minus rem acu, quod ajunt, tetigerit, quam Josephus Scaliger. Cum enim Plinius loco isto nos docere velit, pondus denarii, pro diversis temporibus, varium fuisse, idque paulatim diminutionem passum esse, quoniam posteriores monetæ vix unquam bonitate & valore priores æquare solent, quod & Comicus testatur de sui temporis nummis, quos antiquioribus multo deteriores agnoscit, dum ait:

> *Nam nunc novæ quæ prodeunt Comœdiæ*
> *Multo sunt nequiores quam nummi novi:*

Hoc cum Plinio propositum sit docere, Scaliger tamen existimat, Plinii verba non esse intelligenda de vario pondere denarii aurei, sed tantum libræ, quam contra omnem rationem & auctoritatem triplex pondus habuisse affirmat; primo, 144 denariorum, talium nempe, quales antiquissimis temporibus in usu fuerint: Et quoniam, inquit, aurum valore suo decies superabat argentum, hæc antiqua libra continens 144 denarios, valuit mille quadringentis & quadraginta denariis: Ejus autem pondus deinde imminutum fuisse statuit ad 1400, & denique ad 1395 denarios. Hæc opinio cum nulla ratione & auctoritate fulta sit, refutatione non indiget, sed ipsa per se ab omnibus falsa facile deprehendetur.

CAP. XI.

Proportionem auri ad argentum tempore Plinii fuisse circiter duodecuplam. Proportionem hanc non solum apud Romanos, sed etiam Græcos olim in usu fuisse. Eandem quoque proportionem aliquando fuisse tredecuplam, decuplam, & paulo inferiorem octocupla. Quale fuerit aurum illud, quod Cæsar ex Gallia Romam advexit.

Ex ultimis verbis Plinii, a me expositis, discimus, proportionem auri ad argentum tunc non amplius quindecuplam, sed circiter duodecuplam fuisse, quoniam aurum eo tempore non erat æque rarum ac carum, ac initio Reipub. fuerat.

Rationem vero auri ad argentum olim fuisse duodecuplam, non solum apparet ex hoc, quem exposuimus, sed etiam alio loco Plinii, cap. 1. Lib. XIX. ubi dicitur, sericum æque carum fuisse ac aurum, & scrupulum serici venisse quatuor denariis argenteis, qui duodecim scrupulos pendebant.

Proportio auri ad argentum non solum apud Romanos, sed etiam Græcos olim duodecupla fuit, ut multi auctores recentiores ex Platone in *Hipparcho* probant, quamvis eadem proportio apud Græcos aliquando major fuerit, nimirum tredecupla, ut idem recentiores ex Herodoto in *Thalia* ostendunt. Ibi enim Historicus mentionem faciens tributi, quod Darius populis subjectis imposuerat, dicit, Darium talentum auri æstimasse tredecim talentis argenti.

Tam apud Romanos, quam Græcos, ratio auri ad argentum aliquando etiam fuit decupla, ut de Romanis probari potest ex fœdere cum Ætolis inito, quippe quo, secundum Polybium & T. Livium, convenerat, ut pro talento auri, decem argenti pendere ipsis liceret. De Græcis idem probant duo loca ex Polluce superius adducta; prior ex c. 24 lib. IV. ubi stater aureus dicitur habere pondus duarum drachmarum; & alter ex cap. 6. lib. IX. ubi Pollux expresse refert, valorem auri ad pretium argenti fuisse decuplum. Hæc proportio etiam confirmatur auctoritate Zonaræ, qui affirmat staterem aureum, teste Dione, valuisse vicenis drachmis argenti.

Cæterum, proportio auri ad argentum aliquando etiam infra decuplam fuisse videtur. Suetonius enim in Vita Julii Cæsaris, nos docet, Cæsarem in Gallia fana templaque Deum donis referta expilasse, urbesque diruisse, sæpius ob prædam, quam ob delictum, indeque factum, ut auro maxime abundaret, & singulas auri libras ternis millibus nummum venderet, unde proportio auri ad argentum paulo minor octocupla elicitur.

Rationem auri ad argentum aliquando etiam apud Romanos minorem fuisse decupla pro certo non affirmamus, sed tantum dicimus, id nobis ita videri, quoniam suspicari licet, aurum, quod Cæsar ex Gallia Romam advexit, non fuisse omnino purum, quod colligitur ex constitutione novella Majorani, ante memorata, in qua aurum Gallicum minoris æstimatur, quam aurum purissimum.

CAP. XII.

Labentis imperii temporibus proportionem auri ad argentum majorem fuisse, quam antea. Auctor cum venia præfatione a duobus Clarissimis sui temporis Viris dissentit. Viros summa eruditionis similes esse Medicis illis, qui, licet artis peritia excellant, sæpe tamen falluntur, quod propter negotiorum multitudinem omnia morborum phænomena in ægris ea attentione, qua par est, observare non queant. Quibus nominibus tales Medici apud diversos Auctores appellentur.

Quemadmodum tempore liberæ Reipublicæ, & florente Imperio proportio auri ad argentum non semper fuit eadem; ita tempore labentis Imperii ea multo major fuit, quam antea. Diversæ quoque a prioribus monetarum species eo tem-

tempore cusæ fuerunt, inter quas præcipue notatu dignæ, & ad intelligendam proportionem hanc scitu maximæ necessariæ sunt duæ illæ, quarum una *follis*, altera *miliaresium* vocabatur. Harum expositio non exiguas excitavit lites inter duos præstantissimos & doctissimos viros, qui mihi veniam dabunt, quod ab illorum opinione dissentiam, non quasi summam illorum eruditionem debita veneratione non prosequar, quippe qui sæpissime ab illorum sententia ne latum quidem unguem recedam, & utrumque summis nostri seculi viris accenseam; sed quod veritatem & rationem qualicunque auctoritati anteponendam esse existimem. Persuasum habeo, alterum ex illis dissensum meum non esse ægre laturum, quoniam ipse opinioni suæ non majorem fidem tribui vult, quam meræ cuidam conjecturæ & divinationi. Ait enim: *Sed in his omnibus nihilo plus nobis quam meram conjecturam ad divinationem permittimus, ne quis hæc a nobis bona fide ac serio pro veris & compertis allata suspicetur.*

Quod ad alterum virum doctum attinet, fateor, illum præclaras & eximias de hac materia collegisse observationes, quas multis auctorum testimoniis firmat; sed quoniam nondum ei licuit argumenta sua, rudiori tantum opera, ut ipse fatetur, elaborata, in meliorem ordinem digerere, illisque ultimam manum addere, partim propter valetudinem adversam, partim quod necessitas adversario suo propere respondendi, ei adimeret facultatem scriptum suum perpoliendi; & proinde ampliorem tractatum nos expectare jubet, in quo se accuratius & diligentius de hac materia acturum promittit: non possumus ex iis, quæ adhuc ab ipso scripta sunt, de vero argumentorum ejus pondere & robore judicare. Interim illud salva modestia & existimatione aliorum virorum doctorum me affirmare posse puto, specimen hoc ab ipso editum satis ostendere, vix quenquam hodie exstare virum eruditum, qui obscuram hanc materiam melius & accuratius illustraverit, quam quidem ipse, idque omnes eos mecum sensuros puto, qui specimen ejus absque ullis præjudicatis opinionibus legere voluerint.

Aliquando doctissimi etiam viri in errores incidunt, vel ob nimiam eruditionis suæ fiduciam, vel quod non satis otii habeant ad scripta sua ea, qua par est, accuratione & cura elaboranda: Qua in re comparari possunt cum peritissimis Medicis, ægrorum curationibus nimium districtis, qui, ut observat Galenus, quoniam omnibus & singulis morborum phænomenis attente observandis vacare nequeunt, sæpe turpiter labuntur. Hi Medici, quoniam uni ægro non diu adsident, sed aliorum ægrorum invisendorum gratia perpetuo fere per urbem discurrunt, a Galeno appellantur περιτρέχοντες; ab Appiano Lib. 11. c. 22. περιερχόμενοι; a S. Gregorio Nysseno ἀγυρτεύοντες; a JCto Modestino περιοδευταί, & ab Interpretibus Latinis *circuitores, circulatores, & circumforanei.* Nomina autem illa honestam habent significationem, (quamvis in sinistram partem accipi quoque possint) quoniam qui ita vocantur, & præferuntur aliis Medicis, & beneficio legis ab omnibus oneribus publicis immunes sunt. Hi sunt illi, de quibus Seneca *de Beneficiis cap. 16. l. vi.* sic ait: *Itaque Medico, qui nihil amplius quam manum tangit, & me inter eos, quos perambulat ponit, sine ullo affectu vitanda facienda que præcipiens, nihil amplius debeo, quia me non tanquam amicum vidit, sed tanquam Imperatorem.*

Ob hanc causam, medicus aliquis minus occupatus, qui non multum ab ægro recedit, plerumque melius perspectam habet naturam morbi, quam alter, qui velut in transitu tantum ægrum invisit, licet artis peritia & usu longe præstet. Vere enim Celsus Lib. 111. c. 4. inquit: *Ille idoneus est, qui non multum ab ægro recedit.*

Pari ratione dico, multo melius sæpe veritatem erui ab illis, qui diu multumque rei alicui obscuræ, & multis difficultatibus involutæ intenti sunt, quam a viris doctissimis, qui nimia sæpe eruditionis suæ fiducia freti, eandem materiam dignam non judicant, cui omnes ingenii & industriæ suæ nervos intendant. Hoc tamen non impedit, quo minus summa illorum doctrina & eruditio maximi facienda, & debita admiratione prosequenda sit, cum dubitare nulli debeamus, viros hos doctos, si eandem operam, quam alii, in materia hac examinanda ponere voluissent, aliorum perspicaciam in veritate eruenda longe superaturos fuisse.

CAP. XIII.

Explicatio loci cujusdam Glossarum Nomicarum. Ex eo loco disci posse, quænam fuerit proportio inter aurum, argentum, & as; item, quodnam fuerit pondus denarii, duorum miliaresiorum, follis ærei, & solidi aurei. Ob quam causam duo viri eruditi hujus ævi sibi persuadere non potuerint, denarium argenteum valuisse quindecim uncias æris. Alterum illorum falli, putantem, assem vel assarium sub primis Imperatoribus habuisse duntaxat duarum drachmarum pondus. Eundem quoque errare, dum negat, proportionem argenti ad as fuisse ut 1. ad 120.

Ad dictas ergo proportiones, & duas has voces *follis* & *miliaresium* recte intelligendas, plurimum adjumenti adferunt duo loca, quorum alterum nobis suppeditant Glossæ Græcæ in Jus Romanum, quem P. Petavius in fine Commentariorum suorum in Tractatum Epiphanii de *Mensuris & Ponderibus* correctiorem nobis dedit: Alter locus apud Epiphanium in modo memorato Tractatu legitur, quem antea valde corruptum Salmasius docte & ingeniose, si quid judico, tam ex veteri versione Latina, quam ex quibusdam MSS. Græcis, restituit, quod P. Petavius, his subsidiis destitutus, facere non potuit.

Locus in Glossis Nomicis, quatenus ad argumentum nostrum pertinet, ita se habet: φόλλις σταθμός ἐστι λεγόμενος καὶ βαλάντιον, ἔχει δὲ δηνάρια διακόσια πεντήκοντα, τουτέστι λίτρας τιβ' καὶ οὐγγίας ἕξ, ὡς ἔχοντος ἑκάστου δηναρίου λίτραν α' καὶ οὐγγίας γ'. ἔστι δὲ καὶ ἕτερος φόλλις συναγόμενος ἐξ ἀργυρίων λεπτῶν τῶν τοῖς στρατιώταις διδομένων, καὶ διὰ τοῦτο μιλιαρησίων καλουμένων. ἔχει δὲ ἕκαστον τῶν τοιούτων λεπτῶν ἀργυρίων κεράτιον ἓν ἥμισυ τέταρτον. ὁ δὲ φόλλις ἀργύρια τοιαῦτα ρκέ, ἃ ποιοῦσι κεράτια σιή, καὶ νούμμους θ. ἤτοι πρὸς τὸ νῦν κρατοῦν μιλιαρήσια ρθ' καὶ νούμμους θ. γίνονται ἐν χαράγμασι νομίσματα θ. μιλιαρήσιον ἕν, νοῦμμοι θ. Id est, *Follis, alias etiam vocatus* Balantium, *est pondus ducentos & quinquaginta pendens denarios, id est, trecentas duodecim libras, & sex uncias, quoniam denarius continet libram & tres uncias. Est & alius generis follis, compositus ex leptis argenteis, quæ militibus dantur, & propterea* miliaresia *vocantur. Singula lepta argentea continent siliquam unam, & tres quadrantes: Follis autem valet lepta hujusmodi centum & viginti quinque, quæ efficiunt ducentas & duodeviginti siliquas auri, & novem nummos, sive miliaresia, qualia nunc in usu sunt, centum & novem, nummos novem: Quæ in moneta signata respondent novem solidis aureis, miliaresio uni, & nummis novem.*

Hic locus non solum nos docet, quam proportionem aurum ad argentum, sed etiam, quam aurum

aurum & argentum ad æs eo tempore habuerint. Ex eodem loco etiam discere licet pondus denarii, duorum miliaresiorum, quorum ibi fit mentio, follis æreι, & solidi aurei. Priora verba nos docent; denarios octo eo tempore unciam, & nonaginta sex libram effecisse; & proinde denarium hujusmodi valuisse libram & tres uncias æris, ut mox ostendam. Confirmant hanc sententiam fragmentum Heronis; locus S. Epiphanii, ex veteri MSto descriptus, quem adducit Salmasius; item locus S. Maximi, ubi loquitur de triginta denariis, quos Judas proditionis præmium a Judæis accepit; alius locus Auctoris cujusdam Græci, inventi in Bibliotheca Budensi, quem adducit Camerarius in Tractatu suo de *Re Nummaria*, & Scaliger in fine Tractatus de simili argumento, uti & modo laudatus Salmasius.

Omnes hi Auctores denario tribuunt sexaginta assaria ærea, quæ æquivalent libræ & tribus unciis. Quoniam enim assarium pendebat duas drachmas; sexaginta assaria necessario continuerunt centum & viginti drachmas, quæ, si 96 drachmas in libram computes, faciunt libram & tres uncias.

Observandum præterea est, omnes Auctores ante memoratos de talibus denariis argenteis loqui, quorum octo faciebant unciam, quoniam loquuntur de denariis, quorum bini constituebant Siclum, vel quadrantem unciæ. Unde sequitur, per denarios, quorum in Glossis memoratis mentio fit, intelligendos esse tales, quorum octo unciam, & 96 libram constituunt.

Hinc etiam evincitur, argentum ad æs eandem habuisse proportionem, quam habet 1 ad 120, ita ut libra argenti valeret centenis & vicenis libris æris. Hæc argumentatio eo certior & validor putanda est, quod pulchre congruit cum iis, quæ postea de pondere & valore miliaresii, solidi, & follis ærei dicuntur.

Quamvis unum ex duobus illis Viris eruditis non latuerint omnia hæc loca & testimonia Auctorum, is tamen sibi persuadere non potuit, denarium argenteum valuisse quindenis unciis æris. Credidit enim, assem vel assarium jam inde a tempore primorum Imperatorum habuisse duntaxat pondus duarum drachmarum, nec unquam denarium argenteum æstimatum fuisse plus sedenis assibus, qua quidem in re eum tripliciter errasse puto. Primo, quod existimaverit, tempore primorum Imperatorum assem continuisse duntaxat duas drachmas; cum tamen Plinius testetur, eum suo tempore semuncialem fuisse. Secundo, quod sibi persuadere non potuerit, proportionem argenti ad æs tantam fuisse, quanta est unius ad 120: majorem enim eam fuisse, patet ex l. 2. Lib. x. Cod. Theod. Tit. xxi. de *Collatione æris*; ubi solidus aureus, qui tantum quatuor scrupulos continebant, exæquatur 25 libris æris, quod idem est, ac si quinque solidi aurei exæquarentur uni libræ argenti, secundum legem undecimam Cod. Theod. *De argenti pretio*; sive, centum & viginti quinque libræ æris, uni libræ argenti.

Cæterum, verisimile videtur, locum hunc corruptum esse, & loco xxiv. lectum & scriptum fuisse xxv, id quod facile fieri potuit. Cum enim in antiquissimis & primis exemplaribus litera ι in numero xxiv, vel deleta, vel non satis clare expressa esset, ea omissa sola tandem litera V post decusses scribi cœpit. Corruptum autem esse locum hunc ex eo colligi posse videtur, quod sententia ejus non congruat cum aliis quinque locis supra adductis: Et cum eadem lex iisdem verbis in Codicem Justinianeum quoque relata sit, inscriptia itidem nominibus Imperatorum Honorii & Arcadii, uti in Codice Theodosiano, necesse est, vel numeros 20 & 25 in utroque Codice corruptos esse; vel tempore Justiniani sex solidos valuisse libram argenti; secundam quam rationem, si viginti libræ æstimentur solido aureo, & sex solidi aurei libra argenti; una libra argenti valore æquabit centum & viginti libras æris: vel denique, sub iisdem Imperatoribus proportionem hanc variasse, & solidum aureum alio tempore viginti, alio viginti quatuor, & alio denique viginti quinque libras æris valuisse: id quod mihi verisimilius videtur, tum quia hæ proportiones sæpe sub uno eodemque Principe mutari solent, tum quia proportio æris ad aurum & argentum accurate definiri nequit, quoniam pretium æris in variis regionibus varium est, idque hodie longe majus est in Africa, quam in Europa; & in Hispania, quam Germania.

CAP. XIV.

Unum ex his duobus Viris doctis errasse, quod in loco ante dicto denarium putaverit esse pondus quindecim unciarum, non vero speciem nummi. Quadrantem assarii non fuisse chalcum Plinii, sive sexagesimam partem denarii. Eundem quadrantem non fuisse minutissimum nummum æreum Antiquorum.

Unus porro ex his duobus Viris doctis sibi persuadere non potuisse videtur, proportionem argenti ad æs tantam fuisse, ut denarius argenteus valere potuerit quindenis unciis æris: Quæ causa est, quare a communi opinione quam longissime recesserit, existimans, denarios, quorum in Glossis Nomicis mentio fit, non fuisse speciem nummi, sed pondus quindecim unciarum, id quod asserit, nullis rationibus, nec testimoniis auctorum subnixus. Quare cum hæc opinio tam cum rationibus, quam auctoritatibus supra a me adductis pugnet, non poterit ea alicujus momenti ulli videri.

Alter cum fuse & prolixe probasset, denarium argenteum olim valuisse sexagenis assariis, nec tamen credibile ipsi videretur, singula assaria habuisse pondus binarum drachmarum, quod sibi persuaderet, proportionem pretii hac ratione nimium excedi; statuit, assarium olim fuisse divisum in semisses, trientes, & quadrantes, easque partes etiam fuisse dictas *assarium*. Hoc posito, asserit, denarium argenteum valuisse sexagenis quadrantibus assarii, (qui, ut dictum est, secundum ipsius sententiam, etiam appellati fuerunt *assarium*) sive sedenis assariis integris, quoniam sedecim in quatuor ducti faciunt sexaginta quatuor. Ut autem numerus hic rotundus fiat, ex 64 abjicit quatuor; dicitque, denarium Veterum duntaxat sexagena assaria minora, sive quadrantes continuisse.

Verum enim vero opinioni isti non solum adversatur summa, quæ ex multiplicatione 16 & 4 producitur, sed cum ea quoque pugnant auctoritates ab ipsomet adductæ, nec non pretii proportio, quæ eo tempore inter argentum & æs fuit, ut supra probatum est.

Multo vero minus ipsi assentire possum, statuenti, quadrantes hos assarii fuisse *chalcos*, quorum singuli sexagesimam partem drachmæ apud Plinium constituunt. Sic enim ait: *Hi sunt quadrantes, quas sexagesimas denarii partes rotundo numero vocat Plinius.* Confundit hic pondus drachmæ cum pretio ejus. Plinius quippe loquens de sexagesima parte drachmæ, intelligit sexagesimam partem ponderis drachmæ, quod liquet tum ex Lib. xxiv. cap. 1. ubi, *etiam*, inquit, *quarundam sexagesima dena-*

denaris imperata est; tum ex cap. 3. ejusdem libri, ubi, *Pines*, ait, *corticis duabus sexagesimis denariorum.* Atqui, quadrans assarii non potest pondere æquare sexagesimam partem drachmæ, quoniam is non nisi semidrachmæ pondus continet.

Idem Vir doctus statuit, quadrantem assarii fuisse minutissimum Veterum Romanornm nummum, quæ opinio nullis itidem rationibus nec auctoritatibus confirmari potest. Quin potius, cum exploro pondus nummorum antiquorum, deprehendo, Veteres habuisse nummos pondere unius scrupuli antiqui, sive 21 granorum, quod pondus est infra semidrachmam, quippe quæ triginta unum & dimidium granum continet, ut infra probabitur. Reperiuntur adhuc hodie multi nummi ærei, maximam partem inferioribus Imperii seculis cusi (illa enim ætas multo majorem minutorum nummorum tulit proventum, quam tempus florentis Imperii) quorum minutissimi non plus scrupuli antiqui pondus, sive 21 grana, continent. Idem etiam probari potest auctoritatibus Veterum, quæ supra memoratam experientiam apprime confirmant. Volusius enim in Tractatu suo *de Ponderibus*, ubi de divisionibus unciæ æris agit, minimam ejus partem ponit scrupulum. Primo enim illam dividit in duas, deinde in tres, quatuor, sex, duodecim, & denique viginti quatuor partes; quæ vigesima quarta pars continet pondus scrupuli. Quod si quis dicat, agi hic de divisionibus ponderis, non pecuniæ; respondet Vir doctus, *ponderis eandem esse divisionem qua æris.* Alius præterea locus sententiam nostram confirmat, nimirum lex xi. Novell. Theodos. Tit. xxv. *de pretio Solidi;* ex quo loco constat, solidum aureum valuisse septies millenis & ducentenis nummis æreis, cujus generis nummi ex alio pretiosiori metallo, ob vilitatem suam, cudi non potuissent. Si enim ex argento, quod eo tempore, ut minimum dicam, æris pretium vicies sexies superabat, tam minuti nummi facti fuissent, illorum pondus nonnisi seatam circiter grani partem implere debuisset, quod fieri nequit. Verba legis ante memoratæ hæc sunt: *Quo præcepto etiam illud in perpetuum volumus contineri, ne unquam intra septem millia nummorum solidus distrahatur emptus a collectario septem millibus ducentis.* Porro, secundum legem 11, superius adductam, libri xi. Codicis Theod. Tit xxi. *de Conlatione æris*, solidus aureus valet 25 libris æris; quas 25 libras si ducas in 288 scrupulos, qui in libra continentur, producetur summa 7200 sestertiorum.

Si quis mihi objiciat, Veteres quosdam Auctores, veluti Plutarchum, memoriæ prodidisse, *quadrantem* fuisse minimum nummum æreum Romanorum; respondeo, *quadrantem*, in re nummaria diversas habere significationes: Vel enim accipitur pro quarta parte totius summæ, vel oummi; & Auctores, qui *quadrantem* minutissimi nummi speciem esse dicunt, hanc vocem in posteriori significatione accipiunt: Quo sensu sumptus *quadrans*, diversis temporibus diversum habuit pondus, isque multo minor fuit posterioribus Imperii seculis, quam prioribus, ut ipsi nummi ærei, hodie adhuc exstantes, manifestum faciunt. Credibile est in principio florentis Imperii minutissimos nummos æreos vix habuisse minus pondus, quam duarum drachmarum. Hinc illis temporibus pondus assarii potuit accipi pro pondere *quadrantis*, posteriore sensu sumpti. At tempore cadentis Imperii deprehendimus *quadrantem* nummum redactum fuisse ad pondus scrupuli, quoniam & scrupulus est quarta pars sive quadrans seatulæ, id est, sextæ partis unciæ æris: Nam uncia argenti aliter dividitur, ac uncia æris.

CAP. XV.

Denarium, cujus in loco ante memorato mentio fit, esse ex genere illorum, quorum octo unciam constituunt. Valor & differentia duorum miliaresiorum. Quem valorem habeant novem nummi, *quorum in loco superius adducto mentio facta. Proportio unius miliaresii ad alterum. Unum ex duobus viris doctis, ante laudatis, hanc proportionem non satis clare exposuisse.*

Ex iis, quæ ad illustrandam priorem partem textus, ex Glossis Græcis in Jus Romanum adducti, a me prolata sunt, necessario sequitur, denarium, cujus dicto loco mentio fit, habuisse pondus drachmæ, quarum octo constituebant unciam; singulosque hujus generis denarios valuisse quindecim unciis æris, & secundum eandem proportionem, ducentos quinquaginta denarios valuisse trecentis duodecim libris, & sex unciis æris, quandoquidem proportio argenti ad æs eadem erat, quæ est 1 ad 120. Probari hoc etiam potest ex loco quodam S. Epiphanii *de Ponder. & Mens.* qui locus, prout is a Salmasio ope veteris versionis Latinæ, & multorum MSS. emendatus est, apprime congruit cum textu ex Glossis Nomicis ante adducto, quippe dicente S. Epiphanio, follem duarum minarum argentearum & dimidiæ continere duos argenteos & dimidium, qui valent ducentis & quinquaginta denariis. Veritas hujus sententiæ multo fiet manifestior, postquam apparebit, eam optime respondere sensui posterioris partis, quæ nunc exponenda nobis restat.

Ex hac posteriore parte præcipue discimus pondus & pretium nummi, miliaresiorum, & solidi aurei, nec non proportionem tam quæ inter argentum & æs, quam quæ inter aurum, argentum & æs erat. Ut igitur hæc omnia rectius intelligantur, pro certo habendum est, antiquiora miliaresia, de quibus in hoc loco agitur, valuisse unam siliquam & tres quadrantes: posteriora vero, duas siliquas; quoniam utraque miliaresia eandem ad se invicem habebant proportionem, quam habent 7 ad 8. Una enim siliqua & tres quadrantes conficiunt septem quadrantes siliquæ; & duæ siliquæ, octo quadrantes. Atqui antiquiora miliaresia valuisse siliquam & tres quadrantes, ex ipsis Glossatoris verbis apparet: Quo accedit, quod, si 125 miliaresia multiplices per siliquam $1\frac{3}{4}$, producetur summa $218\frac{1}{4}$. Unde necessario conficitur, novem nummos valore æquasse tres quadrantes siliquæ; & duodecim nummos valuisse siliquam integram. Certum quoque est, & quod nemo illorum, qui locum hunc illustrare aggressi sunt, in dubium vocavit, per siliquas, quarum in hac Glossa fit mentio, intelligendas esse siliquas auri.

Eadem Glossa postea dicit, 109 miliaresia recentiora, & 9 nummos, id est, tres quadrantes siliquæ, valore æquasse 125 miliaresia antiquiora, sive siliquas $218\frac{1}{4}$; unde necessario conficias, primo, miliaresia posteriora valuisse binis siliquis: Nam duæ siliquæ continentur in summa $218\frac{1}{4}$ siliquarum centies & novies, redundantibus tribus quadrantibus. Secundo, miliaresium antiquius, quod valebat siliquam & tres quadrantes, eandem habuisse proportionem ad denarium, binas siliquas continentem, quam habent 7 ad 8, ut supra dictum. Eandem etiam rationem habebant centum & viginti quinque miliaresia antiquiora ad 109 miliaresia recentiora, & novem nummos; quoniam novem nummi tres tantum octavas partes, sive sesqui quadrantem duarum sili-

siliquarum conficiebant; unde iidem qooque tres tantum octavas partes miliaresii, quod binis siliquis valebat, constituebant. Concludimus ergo, 125 eam habere rationem ad $109\frac{3}{8}$, qoam habent 7 ad 8

Unus ex duobus viris doctis, supra memoratis, satis habuit dicere, miliaresium posterius fuisse majus antiquiori paulo plus septima parte, neque expressit, quantus fuerit iste excessus, quod tamen facili negotio facere potuisset, quoniam ipsum non latebat, miliaresium antiquius continuisse septem quadrantes, vel quod idem est, totum & tres quadrantes; posterius vero, bis totum, sive octo quadrantes.

CAP. XVI.

Duos Viros doctos, ante laudatos, errasse, putantes, nummum *in hoc loco denotare monetæ admodum exiguæ speciem.* Nummum *hunc fuisse æreum, & quidem uncialem. Pondus duorum miliaresiorum. Proportio auri ad æs.* Nummum *hunc fuisse follem æreum; follem vero unciæ pondus habuisse.*

Idem Vir doctus opinatur, *nummum*, cujus in loco nostro fit mentio, pondus exiguum, vel minutæ admodum monetæ speciem denotare; quæ sententia mihi a vero aliena esse videtur. Nam de pondere hanc vocem accipiendam esse nulla ratio suadet, quoniam nusquam legimus, pondus quoddam hoc nomine unquam appellatum; neque duodecimam partem siliquæ peculiari aliquo ponderis nomine insignitam fuisse.

Alter Vir doctus, æque ac prior, existimare videtur, *nummum* hoc loco minutulam monetam denotare, quod tamen minime est probabile, præcipue si verum sit, (uti sane verum est) Glossatorem de siliquis aureis loqui. Fateor quidem, per *nummum* hic intelligendam esse monetæ speciem, sed concedere nequeo, eam exigui admodum ponderis fuisse.

Primo enim, neutiquam verisimile est, monetam hanc fuisse argenteam, propter proportionem auri ad argentum, quæ eo tempore vix minor erat quindecupla, ut paulo post ostendetur. Quod si enim argentea fuisset, pondus ejus vix potuisset esse majus quatuor granis, (si nempe unicuique siliquæ tria grana & dimium tribuamus) quod pondus erat sane levius, quam ut nummo conveniret, nec ulli nummi tam exigui ponderis hodie reperiuntur.

Multo minus verisimile est, *nummum* hunc fuisse aureum, quoniam eo pacto pondus ejus ne quidem tertiam grani partem implevisset.

Necessario itaque statuendum est, eum fuisse æreum; quo concesso, oportet eum unciæ pondus habuisse, exigente id ratione proportionis, quæ eo tempore inter aurum, argentum, & æs erat. Fac enim, solidi aurei pondus viginti quatuor siliquas continuisse (qood verum ejus pondus fuisse postea demonstrabitur) oportet utique talem solidum valuisse viginti quatuor libris æris, quoniam siliqua valet duodecim unciis. Et quoniam quinque solidi aorei æstimabantur libra argenti, ut supra probatum dedimus, & infra fusius probabitur; libra argenti æstimanda erit quioquies viceois quaternis, sive centenis & vicenis libris æris, quoniam tanta eo tempore erat proportio inter argentum & æs, ut supra ostendimus. Si enim siliqua auri valet duodenis unciis æris, & æs eandem ad argentum habet proportionem, quam 120 ad 1; duodecim utique unciæ æris, quæ uoa tantum auri siliqua æstimantur, valebunt quatuordecim siliquis, & duabus quintis partibus argenti. Docet hoc ratio calculi, si duodecim uncias in siliquas comminuas, easque per 120 dividas.

Hioc porro conficitur, miliaresium, quod valebat duabus auri siliquis, contiouisse viginti octo siliquas, & quatuor quintas partes argenti, quæ in grana redactæ producuot summam granorum $100\frac{4}{5}$. Alterum vero miliaresium, quod tantum una siliqua & tribus quadrantibus auri valebat, æstimatum fuisse viginti quinque siliquis, & una quinta parte argenti, unde oascitur summa $88\frac{1}{5}$ granorum. Hinc apparet in libra fuisse $68\frac{4}{7}$ miliaresia prioris; sexaginta vero, posterioris generis.

Ex eodem loco discimus, aurum illis temporibus eandem ad æs habuisse proportionem, quam habet 1 ad 1728, ita una libra auri æstimaretur millenis septingentis & vicenis octonis libris æris, quoniam siliqua auri valebat libram æris, & libra continebat 1728 siliquas.

Scholiastes Basilicorum eclog. 23 apud Meursium in voce μιλιαρήσιον dicit, siliquam auri valere duodecim follibus, sive sesqui miliaresio; duodecim porro siliquas constituere dimidiam partem solidi aurei, & solidum aureum integrum valere duodecim miliaresiis, sive viginti quatuor siliquis. Corrigendum igitur Meursius dicit Suidam, qui decem tantum miliaresia solido aureo tribuit, cum duodecim ei assignare debuisset.

Ex eodem loco colligere licet, *nummum* ibi denotare follem æreum, quoniam follis erat uncialis, ut apparet ex *L.L. Georgicu, Tit. 4. de furtis*, ubi Imperator Justinianus duodecim folles exæquat siliquæ auri. Zonaras quoque & Cedrenus, eo loco ubi de Leone III. cui cognomen erat *Iconomachi*, agunt, duodecim folles siliquæ auri adscribunt. Idem apparet ex novella Constitutione ejusdem Imperatoris, ubi hæc leguntur verba: *Ceratia autem appellantur duodecim folles sive nummi.* Hinc manifestum est, *nummum* & *follem* esse eandem monetæ speciem. Io fragmento Heronis, quod Salmasius citat, *nummus* dicitur habere pondus unciæ: quod etiam legitur in fragmeoto Africani, editioni Hippocratis, quam Calvus nobis dedit, annexo, his verbis: *Nummus habet pondere unciam unam.* In eodem fragmeoto nummus & sestertius pro eadem monetæ specie habentur, quod patet ex his verbis: *Denarius habet nummos sestertiosque quatuor.* Hinc Cleopatras dicit, tetrassarion, quod eo tempore erat sestertius, unciæ pondus habuisse. Porro, cuilibet constat, *nummum* & *sestertium* pro eadem monetæ specie promiscue accipi. Suidas quoque *folli* pondus unciæ tribuit, dum assarion, quod erat didrachmale, quartam partem *follis* fuisse dicit. His argumentis addi potest auctoritas veteris cujusdam Lexici, quod citat Salmasius in sua Confutatione, ubi legitur, *assarion* esse quartam partem follis.

CAP. XVII.

De pondere solidi aurei in loco supra exposito, uti etiam post tempora Constantini M. cusi. Eandem proportionem auri ad argentum olim fuisse, quæ est unius ad $14\frac{2}{5}$. *Quam multa præclara locus supra adductus nos doceat. Fallit eum, qui existimavit, ex hoc loco nec certum pondus, nec pretium miliaresiorum, nec eorum proportionem ad solidum aureum, vel ejus partes, erui posse. Auctor iste excusatur. Eundem non sine errore credidisse,* aureos *primorum Imperatorum duarum tantum drachmarum pondus habuisse. Error corrigendus in leg. 119. libri XII. Cod. Theod.*

Tit. de Ponder. & auri inlat. Accuratam proportionem auri ad argentum eundem Virum doctum non potuisse reperire. Eum quoque errare in definiendo pondere miliaresii.

Solidi aurei pondus continuisse illis temporibus 24 siliquas, manifestum est ex verbis ultimis hujus loci, ubi dicitur, novem solidos aureos, unum miliaresium, & novem nummos continere ducentas & duodeviginti siliquas, & novem nummos. Si enim novies 24, sive 216 siliquas in novem solidos auri; duas siliquas in miliaresium; & tres quadrantes siliquæ in novem nummos computemus, ex additione trium horum numerorum gignetur summa $218\frac{1}{4}$ siliquarum. S. Isidorus affirmat, siliquam constituisse vigesimam quartam partem solidi aurei. Ex lege quoque 13 Cod. Theod. Tit. vi. lib. 11. *de Susceptoribus, Prepos. & Arcar.* nec non ex lege 5 Cod Justin. lib. x. Tit. 70. itidem *de Suscept. Prap. & Arcar.* apparet, in libra fuisse septuaginta duos solidos aureos. Quoniam igitur libra continebat 1728 siliquas, si numerum hunc dividamus per 72, deprehendemus, pondus unius solidi aurei continere vicenas quaternas siliquas. Illi etiam, qui pondus nummorum aureorum, labente jam Imperio post tempora Constantini cusorum, pondus explorarunt, non ignorant, majores ex illis nummis, modo ætatis injuriam passi non sint, habere pondus 24 siliquarum, quæ faciunt 84 grana, si nempe tria grana & dimidium in siliquam computes.

His addi potest locus Scholistæ Basilicorum, jam supra allegatus, ex quo patet, solidum aureum continuisse pondus 24 siliquarum.

Proportionem auri ad argentum eandem fuisse, quæ est unius ad $14\frac{2}{5}$, colligi potest ex leg. 1. Tit. 9. *de Expensis ludorum*, lib. xv. Cod. Theodos. Ex hac lege apparet, sexaginta nummos argenteos constituisse libram; eosque nummos non alios fuisse quam miliaresia, duas auri siliquas valore æquantia, supra ostensum est. Unde conficitur, 120 siliquas auri libram argenti valore æquasse, qui numerus 120 continetur decies quater (redundantibus duabus quintis partibus) in summa 1728 siliquarum, quæ libram constituunt.

Ex his sequitur, auri ad argentum eandem fuisse proportionem, quæ est unius ad $14\frac{2}{5}$, non vero quæ & unius ad 14, ut unus ex duobus illis viris doctis, supra laudatis, statuit: id quod clarius probari potest ex lege unica Codicis Theod. Tit. 2. *de argenti pretio;* & ex lege unica, Cod. Justin. Tit. eod. ubi quinque solidi aurei, qui 120 siliquas continent, exæquantur uni libræ argenti.

Ut igitur, quæ supra exposita sunt, in summam contraham, dico, ex posteriore parte hujus loci nos discere, duas fuisse monetæ argenteæ species, dictas *miliaresia*, quorum priora valuerint siliquam auri, & tres quadrantes; posteriora vero, duas siliquas. Deinde, miliaresia hæc eandem ad se invicem habuisse proportionem, quam habent 7 ad 8; & miliaresia priora habuisse pondus $25\frac{1}{5}$ siliquarum, quæ conficiunt grana $88\frac{1}{5}$, si nimirum tria grana & dimidium ponderi siliquæ tribuas: Posteriora vero habuisse pondus $28\frac{4}{5}$ siliquarum, quæ $100\frac{4}{5}$ grana continent. Porro, sexaginta octo prioris generis miliaresia, & quatuor septimas partes, constituisse libram; posterioris vero generis, sexaginta: *Nummum* & *follem* æreum fuisse unam eandemque monetæ speciem, unius unciæ pondere: Duodecim *nummos* sive *folles*, unam siliquam auri; unum & viginti, miliaresium prioris; & viginti quatuor *folles*, miliaresium posterioris generis valore æquasse: solidum aureum continuisse 24 siliquas; & libram, 72 solidos aureos: Proportionem auri ad argentum eandem fuisse, quæ est unius ad $14\frac{2}{5}$, auri ad æs, quæ est unius ad 1728; argenti denique ad æs, quæ est unius ad 120.

Nihilominus unus ex his duobus viris doctis nihil certi de pondere & pretio miliaresii, ejusdemque proportione ad solidum aureum, & ejus partes, nec se ipsum affirmare posse, nec ab alio quoquam affirmari posse dicit; qua de re ipsa ejus verba adducere lubet. *Roget aliquis*, inquit, *& quod demum argentei pondus ac pretium, quave ad aureum solidum ac solidi partes proportio fuerit? Equidem nihil certi ea de re neque affirmare ipse possum, neque ab ullo affirmari posse judico, pendet enim ea res ex solidi primum æstimatione; tum ex auri ad argentum ratione.*

Ego quidem existimo, Virum hunc doctum non satis operæ & studii in materia hac examinanda posuisse, sive quod rem istam minus dignam judicaret, in qua ingenii sui, gravioribus studiis assueti, vim periclitaretur, sive quod, cum ad finem longi, difficilis, & docti operis pervenisset, satietas & tædium laboris eum cepisset; eamque fuisse causam credo, quare opinionem istam amplecteretur. *Non omnia*, inquit Quintilianus, *etiam bonorum auctorum scripta undique perfecta sunt, quia labuntur & ipsi interdum, & oneri cedunt.* Alioqui fateor, cum tam varia diffusaque eruditione, tamque perspicaci ingenio, & acri judicio præditum esse, ut res etiam abstrusissimas investigare, & difficillima quæque dextre & perspicue explicare & enodare queat. Cæterum, cum ipse Lectorem moneat, se obiter tantum in materia hac tractanda versatum esse, non vult utique ut opiniones ejus, tanquam ex Tripode dictas, amplectamur, sed ipse eas ad incudem tempore magis commodo & opportuno se revocaturum promittit. Quare haud ægre, ut spero, feret, si nec de *aureo* ipsius sententiam probem, quem sub primis Imperatoribus duarum drachmarum fuisse contendit. Hoc enim non solum pugnat cum experientia, sed etiam cum expressa auctoritate Plinii. Cum experientia pugnat, quia si nummos aureos Consulares & Imperatorios ad stateram exigamus, omnium illorum pondus duas drachmas longe excedere deprehendimus, neque ulli reperiuntur didrachmales, nisi cum ad tempora demum Alexandri Severi perveneris: loquor autem de illis nummis, ex quorum pondere damnosa vetustas nihil diminuit. Plinius quoque huic sententiæ obstat, quippe qui lib. XXXIII. c. 3. manifeste tradit, antiquioribus temporibus quadragiota *aureos* ex libra signatos fuisse, ut supra fusius a nobis expositum est.

Quamvis autem idem Vir doctus adducat legem primam lib. XII. Codic. Theod. *de Ponderat. & auri in lat.* ut probet, tempore Constantini in libra fuisse 84 aureos, nihil tamen ejus legis auctoritas ipsi prodesse poterit, cum constet, mendum in numeros irrepsisse. Optime enim observavit Pancirollus in Variis suis Lect. legendum ibi esse sex aureos in uncia, non vero septem, & duodecim in duabus unciis, non quatuordecim, quoniam ipse Imperator pondus quatuor scrupulorum solido aureo assignat. Cum igitur sexies tantum quaternos uncia scrupulos contineat, manifestum est senos tantum solidos aureos in uncia esse posse, duodenos in duabus, & ob eandem rationem, septuagenos binos in libra, non vero octogenos quaternos.

Proportio etiam auri ad argentum ei minus explorata fuit, quoniam eam comparat cum proportione,

tione, quæ est unius ad 14, cum, si subtilius rem putes, talis sit, qualis est unius ad $14\frac{2}{5}$, ut supra abunde probatum est. Si debito studio & labore Vir doctus Glossas Basilicas examinasset & perpendisset, vidisset utique, se sententiam suam, salva veritate, tueri & defendere non posse.

In alium porro incidit errorem, dum sexaginta duo miliaresia in libra ponit, cum vel sexaginta tantum, vel sexaginta octo, & quatuor septimæ partes libræ tribuenda sint, ut supra latius probavi. Nollem etiam ab eo dictum, pondus miliaresii posterioris continuisse tantum viginti octo siliquas, cum, si curatius rem ad examen revocemus, deprehendamus, ponderi huic addendas esse quatuor quintas partes.

CAP. XVIII.

Opinionem illorum, qui lepta *apud S. Marcum & S. Lucam pro denariis argenteis accipiunt, præferendam videri opinioni illorum, qui eadem* lepta *minimi pretii & minutos nummulos æreos, octavam oboli partem pondere non excedentes, fuisse contendunt. Josephum Scaligerum omnium maxime à vero aberrasse in exponendo sensu verborum quorundam, ex Glossis Nomicis supra adductorum.* ταλάντιον *Græcis idem significare quod* βαλάντιον.

Quod ad *lepton* attinet, cujus in loco, ex Glossis Nomicis ante adducto, mentio fit, unus ex his duobus Viris doctis occasionem inde arripuit differendi de *leptis*, quorum mentio exstat apud S. Marcum, cap. 12. & S. Lucam, cap. 21; sed ita, ut interpretatio ejus adversa fronte pugnet cum interpretatione alterius viri docti. *Lepta* enim in his duobus locis denotare putat minutos & minimi pretii numulos æreos octavam oboli partem pondere non excedentes, quod patet ex his verbis: *Quis duo illa viduæ minuta aliter accipiat, quam pro duobus æreolis minimique pretii nummulis, hoc est chalcis, quales octo in obolo numerantur.* Alter Vir doctus autem *lepta* illa accipit pro drachmis argenteis, vel saltem æreis, quæ quidem opinio a priori multum differt.

Non quidem fidenter affirmabo, opinionem hanc esse veram, eamque unice amplectendam, quoniam in omnibus illis, quæ spectant interpretationem S. Scripturæ, etiam cum de sensu literali, & rebus minimi momenti agitur, sententiam meam libens semper submittam judicio nostrorum Theologorum: Attamen existimo, me salva modestia affirmare posse, priorem opinionem nimis infirmis niti argumentis, & posteriorem multo esse probabiliorem magisque verisimilem. Quod enim ad priorem Virum doctum attinet, is statuit, *lepton* sive *chalcus* pondus octavam duntaxat oboli partem constituisse; unde *leptum* vocat *æreolum, minimique pretii nummulum*, & verbo *numerare* utitur ad pondus, non autem valorem nummuli istius exprimendum. At vero concedi nequit, *leptum* tam exigui ponderis nummulum fuisse, quoniam, si sex oboli in denario numerentur, & septem denarii in uncia, quadragesimam octavam duntaxat denarii partem, sive sesquigranum continuisset, qualis generis nummos, præcipue æreos, qui tam exiguo sint pondere, nemo adhuc inter monetas Veterum reperit.

Duæ sunt potissimum rationes, quibus adducor, ut alterius Viri docti opinionem vero propiorem esse credam. Primo, quia video, eam congruere cum sententia veterum Doctorum Catholicorum, discrepare vero ab opinione hodiernorum hæreticorum; & vicissim, prioris Viri docti opinionem discrepare a sententia veterum Doctorum Ecclesiæ Catholicæ, congruere vero cum opinione hodiernorum hæreticorum, & quorundam Catholicorum. Altera ratio est, quia omnes fatentur, nummos, qui in Gazophylacio Templi condebantur, destinatos fuisse usibus & conservationi Templi, impensisque illis, quas cultus divinus requirebat, & in Gazophylacium illud nummos a populo, secundum mandatum Dei, fuisse collatos. Deus enim, ut legitur cap. 25 *Exodi*, præceperat, ut tam Viri quam fœminæ pro lubitu ad structuram tabernaculi quicquam de suo largirentur; & deinde, ut omnes, qui vigesimum ætatis annum attigissent, didrachmum penderent ad usus tabernaculi, ut docet nos caput 30. ejusdem *Exodi*. Postea igitur, cum Moses convocasset populum, eique mandatum divinum exposuisset, ut nempe omnes tam fœminæ quam viri, quæ quisque vellet munera, ad tabernaculi structuram sponte conferrent, tanta populi liberalitas exstitit, ut pecuniæ collaticiæ vis impensarum faciendarum modum longe excederet; adeo ut Moses voce præconis publice pronuntiari juberet, ne munera amplius a populo offerrentur, ut legitur capite 35 ejusdem libri. Longo tempore post, cum impius Athalias ejusque filii Templum vastassent & expilassent, Pontifex Jojadas, secundum institutum divinum, & mandatum Regis Joæ, juxta altare collocari jussit Gazophylacium, ad dextrum latus eorum, qui Templum intrabant, situm, ut hac ratione populus ad liberalitatem invitatus muneribus sponte collatis restaurationem Templi adjuvaret, id quod non minus prompte, quam prolixe & largiter præstitit, ut legi potest 4. Reg. c. 12. & 2. Paralip. c. 24. Gazophylacium hoc ab eo tempore in Templo ad illum, quem diximus, finem, semper mansit. Valde igitur credibile est, pauperem hanc viduam, pietate in Deum & amore cultus divini flagrantem, cum munus offerre vellet, didrachmum saltem, sive duos denarios argenteos, quos ex præcepto divino viri, non autem fœminæ, pendere tenebantur, sponte & lubenti animo in Gazophylacium intulisse, quamvis id tenues ejus facultates vix paterentur. Quare Servator ad Apostolos dixit, viduam hanc plus dedisse, quam quisquam aliorum, etiam longe ditiorum, quoniam quicquid illi dabant, quamvis id revera amplius esset, parum tamen erat, pro ratione opum, quas habebant; cum contra vidua hæc, dando isto munere, omnes suas facultates exhausisset. Hinc S. Ambrosius in libro *de Viduis*, de ea loquens, recte ait: *Nemo plus tribuit, quam qui nihil sibi relinquit.* Quod si igitur vidua hæc octavam tantum oboli ærei partem dedisset, muneris istius valor, pro pretio, quod illo tempore æs circiter habuit, ne trigesimam quidem secundam denarii nostratis partem æquasset, quo pretio vix quartam aciculæ partem aliquis emat. Credibile autem non est, viduæ istius facultates tam exigui & vilis munusculi pretium non excessisse, etiamsi ad unius tantum diei victum sufficissent, quoniam illis temporibus, ut constat ex Matthæo cap. 20. diurna merces ejus, qui vineam fodiebat, erat drachma, sive denarius argenteus, qui pro ratione pretii, quo hodie argentum purum æstimatur, valore fere respondet octo assibus nostratibus.

Dixi, opinionem posterioris Viri docti congruere cum sententia Doctorum & Interpretum Catholicorum veteris Ecclesiæ, quoniam idem senserunt S. Ambrosius, S. Hilarius, S. Cyrillus, S. Chrysostomus, S. Epiphanius, etiam secundum ultimam versionem, S. Thomas, Venerabilis Beda, Auctor Glossæ ordinariæ, & præter eos Heron,

omnesque illi, qui *quadrantem* pro quarta unciæ parte accipiunt, ut S. Isidorus, & Auctor veteris Antidotarii, qui est in Bibliotheca Regia.

Hanc opinionem alter vir doctus minime probat dicens, pauperem istam viduam hac ratione non minus daturam fuisse, quam benignus Samaritanus dedisse legitur ad obliganda & curanda volnera illius, qui in manus latronum inciderat. Verba ejus hæc sunt: *Hoc ideo Petavius minime se probare docuit, quod alioquin non pœnitenda ista mendica contributio foret, si tantundem erogasset, quantum ad agroti & moribundi curationem & alimoniam benignus ille Samaritanus impendit.* Nihilominus S. Ambrosius epist. 79. Lib. VI. ad Studium, donum viduæ hujus comparat cum munificentia Samaritani his verbis: *Ista sunt duo æra, quæ Lucæ X. Samaritanus ille Evangelicus ad ejus curanda vulnera, qui inciderat in latrones, stabulario dereliquit.*

S. Hilarius, exponens Psalmum 128, expresse ait, viduam pauperem ad pios usus duos denarios erogasse. Ad quem locum, meo quidem judicio, minus solide responderetur, Hilarii verba accipienda esse de duobus minutis nummulis æreis. Obstat enim huic sententiæ non solum usitata eo tempore significatio vocis Latinæ *denarius*, sed etiam ipsius S. Hilarii interpretatio, qua alibi hunc locum exponit. Huc accedit, quod significatio vocis *denarius* non nisi sero admodum ad vilissimum & minutum nummulum transferri cœperit, ut observavit Meursius in voce δηνάριον. Præterea S. Hilarius in Commentario in caput XVII. Euang. Matth. didrachmum, quod servator pendere jubebatur, exponit per duos denarios, dum inquit: *Didrachmum Dominus postulatur, id est, denarios duos.* Et paulo post in Comment. in caput XX. ejusdem Euangelistæ, Lectorem, scire volentem, quid *denarius* significet, remittit ad paulo ante memoratum caput XVII. Euang. S. Matthæi. Adeo ut S. Hilario non debeamus aliquam de hoc denario affingere opinionem, quam ipse non tradidit.

S. Chrysostomus, S. Cyrillus, & Titus Episcopus Bostriensis duo *lepta* viduæ hujus vocant duos *obolos*: Et Heron, nec non fragmentum auctoris incerti, & Lexicon vetus in Bibliotheca Regis, quod interpretatur voces Græcas illius temporis, *obolum* pro *drachma* accipiunt, ut apparet ex locis illorum auctorum, a Salmasio adductis.

S. Epiphanius, ut ipse de se testatur, opus suum de *Ponderibus & Mensuris* conscripsit, ut pondera, mensuras & monetas S. Scripturæ explicaret. Unde dubitare non licet, quin *quadrans*, de quo in eo opere agit S. Epiphanius, sit idem, cujus mentionem facit S. Scriptura. Quoniam igitur S. Scriptura duo lepta, & S. Epiphanius duos denarios eidem *quadranti* tribuunt, conficitur inde, duo lepta S. Scripturæ, secundum S. Epiphanium, accipienda esse pro duobus denariis, quoniam *quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se*, ut fert axioma Geometricum, quod communis hominum consensus probat.

Porro, unus tantum in S. Scripta occurrit locus, modo me non fallant Biblicarum vocum indices, quas *Concordantias* vulgo vocant, ubi in versione Latina vox *æra* pro moneta accipitur, nimirum capite XXI. S. Lucæ. Quoniam igitur eadem vox *æra* in ultima versione Epiphanii exponitur per duos denarios argenteos; oportet utique *æra* S. Lucæ, ex mente illius interpretis, pro duobus denariis accipere. Versio hæc ita sese habet: *Æra ab Ægyptiis inventa sunt, suntque argentei signati duo.* Et paulo post, ubi de pondere illorum agitur, hæc sunt verba ejusdem interpretis: *Æreus, pondus habet octava partis unciæ, ut & drachma.* S. Epiphanius itaque, secundum versionem hanc Latinam, clarissimis verbis docet, *æra* S. Lucæ, quæ sunt duo *lepta* S. Marci, accipienda esse pro duobus denariis argenteis, eorumque singulos duarum drachmarum pondus habuisse.

Omnibus constat, Venerabilem Bedam, & S. Isidorum siclo Hebraico tribuere pondus unciæ. Quoniam igitur idem Beda duo *lepta* S. Marci valore æquare dicit quartam sicli partem, utique illis tribuit valorem duarum drachmarum argenti, quoniam siclus Hebraicus erat nummus argenteus, &, secundum opinionem duorum Auctorum modo laudatorum, unciæ pondus continebat.

S. Thomas in Commentariis suis, quos conscripsit in Euangelia, de duobus *leptis* sive minutis S. Marci & S. Lucæ agens, non aliam adducit interpretationem, quam S. Cyrilli & Venerabilis Bedæ, ex quo apparet, eum opinionem duorum illorum Doctorum sequi, & proinde duo illa *lepta* pro duabus drachmis argenti accipere.

Idem dici potest de Auctore Glossæ ordinariæ, quoniam sensum literalem earundem vocum expositurus, ipsissima Bedæ verba adducit, quæ hæc sunt: *Forsitan ergo hic quartam partem sicli, id est, quinque obolos significat.* Usus est vocibus *quinque obolos*, quoniam siclus Hebraicus dividebatur in viginti partes, quas interpretes *obolos* vocant, ita ut *quinque oboli* hoc loco significent quartam partem sicli, quoniam *quinque* sunt quarta pars numeri vicenarii. Tandem Heron, cujus verba adducit Salmasius, tam clare & aperte controversiam hanc decidit, ut nemo clarius possit, quippe qui expresse affirmat, duo *lepta* pauperis viduæ fuisse duos denarios argenteos. Ipsa Heronis verba adducere operæ pretium erit: *Ξ δὲ ἀσσαρίων ὑπῆρχε τὸ δηνάριον, ἑκατὸν δὲ δηναρίων ὁ ἀργυροῦς· δηνάρια δὲ ἦσαν ἐκεῖνα δύο τὰ ὑπὸ τῆς χήρας εἰς τὸ γαζοφυλάκιον βεβλημένα· ἃ καὶ δύο λεπτὰ ἐκαλεῖτο*: Id est, *Denarius valebat sexaginta assaria; argenteus vero, centum denarios: Hujus generis denarii erant illi duo, quos vidua in gazophylacium injecit, qui &* lepta *dicuntur.*

Hic sane clarissimis & expressissimis verbis dicitur, duo illa *lepta* pauperis viduæ fuisse duas drachmas sive denarios argenteos; quoniam nullus alius nummus præter denarium argenteum valebat sexagenis assariis, nec ulla erat mina, quæ æstimaretur centenis denariis, præter minam argenteam.

Argumentis illis, quibus supra probavimus, duo *lepta* pauperis viduæ fuisse duas drachmas, eaque quartam partem non oboli, sed unciæ, pondere æquasse, addi potest testimonium S. Isidori, & Auctoris veteris Antidotarii Latini, qui est in Bibliotheca Regia, qui diserte affirmant, *quadrantem* Hebræorum accipiendum esse pro quarta parte unciæ.

Contra hanc sententiam objici posse videtur, vulgatam nostram versionem Gallicam duo hæc *lepta* sive *minuta* reddere *pittes*, quos nummos sane minimi pretii esse constat. At si respiciamus antiquiora tempora, deprehendemus, nummum illum, quem *pitte* vocamus, olim fuisse argenteum, ut nos docet Garaltus, summus Monetarum Præfectus, in libro suo, quem inscripsit, *Les recherches des monnoyes.*

Is enim Titulo *de moneta Gallica* dicit, denarium aureum habuisse pondus duorum grossorum, superstitesque adhuc esse quosdam ex nummis illis, imagine Philippi notatis, qui assem argenteum (ou sol d'argent) valuerint. Quod cum ita sit, oportuit utique assem argenteum trium unciarum pondus habere, si nempe proportionem auri ad argentum

tum duodecuplam statuamus, uti illa proportio semper maxime communis & frequens fuit, etiam tempore Caroli Calvi ut apparet ex ejus edicto, quod *Pistense* vocatur, artic. XXIV. ubi hæc sequuntur: *Ut in omni regno nostro non amplius vendatur libra auri purissimi cocti, nisi 12. libris argenti.* Garaltus in primo suo Paradoxo rei monetariæ observavit, eandem proportionem tempore Ludovici Sancti in usu quoque fuisse.

Postea idem Garaltus subjungit, assem, uti hodie, ita & olim in XII. denarios divisum fuisse; & denarios fuisse duplicis generis, simplices nempe, & duplices. Hinc colligi potest, denarium simplicem, qui *maille* dicebatur, fuisse duarum drachmarum, non vero unius, ut vult Garaltus; duplicem vero, quatuor drachmarum. Porro, denarius argenteus, ut idem Garaltus docet, itidem dividebatur in simplicem & duplicem: simplex habebat pondus oboli, *maille* dicti. Si ergo obolus *(la maille)* ejusdem erat valoris, cujus denarius simplex; & denarius simplex duarum drachmarum pondus habebat, sequitur, nummum, *la pitte* dictum, qui dimidiam partem oboli *(d'une maille)* constituebat, unius drachmæ fuisse: Quo concesso, negari nequit, versionem nostram Gallicam cum opinione posterioris Viri docti congruere.

Ut dissertationi huic de loco, ex Glossis Nomicis ante adducto, finem tandem imponamus, addimus, neminem ex iis, qui in difficili hoc argumento versati sunt, gravius errasse in exponendis quibusdam loci istius vocibus, quam Josephus Scaliger in libro posthumo *de re nummaria.* Pagina enim 56, miliaresio tribuit pondus duarum drachmarum; folli vero quatuor; ibidemque vult, loco ταλάντιον apud Epiphanium *de Mensuris & Ponderibus*, legendum esse βαλάντιον, cum tamen ταλάντιον apud Hesychium idem significet, quod βαλάντιον. Idem pag. 59. solidum aureum valere dicit sexies mille assarios, sive sexies mille quadrantibus unciæ æris: ita ut hac ratione statuendum sit, libram auri illis temporibus novies mille libris æris; & libram argenti, sexcentis viginti quinque libris æris valuisse, quod quidem minime est verisimile.

CAP. XIX.

Diversis temporibus diversas fuisse auri ad argentum proportiones. Qualis proportio hodie recepta sit. Quænam sit hujus diversitatis causa, & quare pretium argenti aliquando augeatur. Edictum Ludovici XII. Aurum, ex quo vascularis tempore Ludovici XII. vasa fabricarunt, simile fuisse electro *Plinii.*

Quamvis Dupondius in dissertatione sua *de Nummis antiquis* asserat, minimam proportionem, quæ unquam inter aurum & argentum fuerit, esse talem, qualis est unius ad $7\frac{1}{2}$ maximam vero, qualis est unius ad 15: attamen, in *Prato Spirituali* Sophronii, cap. XVIII. de octodecupla auri ad argentum proportione legimus, modo Pancirollus in Thesauro Variarum suarum Lectionum bona fide locum istum allegaverit. Dicitur enim illo capite, tempore Imperatorum Mauritii & Tiberii, solidum aureum, qui, ut illorum Imperatorum numismata aurea probant, quatuor scrupulos antiquos continebat, valuisse viginti quatuor drachmis argenti. Senalis scribit, proportionem auri ad argentum suo tempore eandem fuisse, quæ est unius ad quatuordecim. Egnatius in Suetonium observat, eam tempore illo, quo ista scriberet, fere fuisse quindecuplam. Agricola libro primo *de pretio metallorum & monetis* refert, homines suæ ætatis natu grandiores potuisse temporum meminisse, quibus portio auri in Germania empta fuerit tredecim portionibus argenti puri, & paulo plus duobus trientibus partis decimæ tertiæ. Postea vero pretium auri decrevisse, itaut una ejus portio æstimaretur tantum undecim portionibus argenti, & paulo plus. Hodie secundum edictum Regis proportio hæc est tredecupla, & paulo amplius; quoniam semipondo (vulgo *marc*) auri puri publice æstimatur septuaginta octo libris, sex assibus, & sex denariis; semipondo vero argenti, æque puri ac aurum, una & viginti libris, & tribus assibus. Apud aurifabros semipondo auri venditur ducentis nonaginta duabus libris; semipondo argenti puri vero, 23 libris, & decem assibus: Adeo ut inter aurifices proportio auri ad argentum hodie tantum sit ut 1 ad $12\frac{1}{2}$, & paulo amplius; quæ proportio minor est ea, quæ edicto Regis publice constituta est. Causa hujus rei, meo quidem judicio, hæc est, quod aurifabri minus frequenter auro quam argento in fabricandis vasis uti soleant; unde illis minori pretio aurum quam argentum vendi solet. Præcipua causa, quare pretium argenti in proportione ad aurum augeri soleat, est plerumque luxus. Quisque enim, ne infimæ quidem conditionis hominibus exceptis, domum suam vasis argenteis splendere vult; quam ob causam sæpe argentum signatum conflatur, præcipue si ea fusione ista lucrum aliquod percipiatur, uti ob abusum, qui hodie irrepsit, percipi solet; vel etiam ob defectum materiæ, sive argenti infecti, quo Gallia laborat, quippe quæ metallis nativis & domesticis caret. Quamvis autem aurifabris materiam ipsam vasorum, a se fabricatorum, non liceat carius vendere, quam lege constitutum est; hoc tamen non obstat, quo minus loco ejus lucri, quod materia carius vendita percepturi fuissent, operæ pretium pro lubitu augere possint, quoniam ei modus a lege præscriptus non est.

Huic malo & abusui ut occurreretur, Reges nostri, ut docent Archiva, in monetam conflari jusserunt omnia vasa eorum, quibus illorum usu interdictum erat, vel qui in vasis istis comparandis modum sibi concessum excessetant. Exstat hanc in rem edictum Regis Ludovici XII. promulgatum Blesis, 12 Nov. 1506. (quamvis id Corpori Edictorum insertum non sit) in quo hic articulus, quem ex Gallico Latine vertimus, legitur: *Item mandamus omnibus aurifabris regni nostri, ne ulla vasa argentea majora, veluti patinas, cantharos & sim. fabricent, nisi id ipsis permissum fuerit, & in ejus permissionis argumentum a nobis obtinuerint diplomata, a Præfecto monetæ, vel judicibus ordinariis ejus loci approbanda; sed tantum potestatem illis facimus fabricandi minora vasa argentea, veluti pateras & cantharos, trium marcarum pondus non excedentes, salina, cochlearia, & sim. uti & sacra Ecclesiarum utensilia.* Et in articulo sequenti: *Item sub pœna confiscationis corporis & bonorum, sancimus, ne aurifabri ulla vasa argentea absque nostra permissione fabricent.*

Observandum hic est, aurum infimæ notæ, quo eo tempore vascularii uti solebant, fuisse simile *electro* Plinii, quoniam quintam argenti portionem continebat. In eodem enim edicto vascularii jubentur ex auro duodeviginti caractarum & unius quadrantis, paulo minus, vasa fabricare.

CAP. XX.

Quare difficile sit, scire, quodnam cunctis temporibus pretium æris, & quæ ejus analogia ad argentum fuerit, præcipue florente Republica, & sub primis Imperatoribus. Quodnam pretium habuerit as tempore Plinii. Denarium argenteum olim non solum denis & sedenis, sed etiam duodenis assibus valuisse.

Quamvis æs sit vilissima materia, ex qua plerumque monetæ cudi soleant, est tamen pretium auri & argenti; quam ob causam S Augustinus Lib. IV. *de Civ. Dei*, c. 21. scribit, Romanos dixisse, *Deum Argentinum esse filium Dei Æsculani.* Quanto pretio æs olim æstimatum fuerit, quamque analogiam ad aurum & argentum habuerit, difficulter sciri potest, præsertim quod ad tempora Reipublicæ, & primorum Imperatorum, adtinet, quoniam id tantum colligi potest ex proportione assis vel assarii ad denarium argenteum, cujus pondus nobis non æque est cognitum, ac monetæ æreæ.

Constat quidem, assem initio fuisse libralem, postea vero ex librali factum esse sextantarium, deinde uncialem, & demum semuncialem: At ignoramus, quo tempore as has diminutiones ponderis passus sit.

Certum est, denariom argenteum Romanorum valuisse decem libris æris; at non est credibile, denarium eodem tempore septimam tantum unciæ partem pondere æquasse. Hac ratione enim argentum octingenties & quadragies pretio suo æs superasset, quoniam septima pars unciæ toties in decem libris continetur. Quare verisimilius est, denarium eo tempore circiter uncialem fuisse. Cum supra locum Plinii exponerem, ostendi, denarium tunc temporis qoatuor quintas unciæ partes continuisse, ita ut quindecim libram implerent; qua posita sententia, argenti ad æs eadem fuit proportio, quæ est unius ad 150. si denarius eo tempore libram æris valuit. Cum vero postea denarii pondus ad septimam usque unciæ partem decreverit, non est quidem credibile, diminutionem hanc simul & semel, sed potius paulatim, factam esse, quoniam nummi argentei Consulares, vere antiqui, reperiuntur, quorum quatuor, quinque, & interdum sex, ut jam supra observavimus, unciam adæquant. Non reperio tamen, quibus temporibus hæ mutationes & diminotiones ponderis assignandæ sint. Constat quidem ex Plinio, quo tempore pondus assis ad duas uncias, unciam, & semunciam decreverit, quoniam auctor ille testarur, bello Punico primo pondus ejus ad duas uncias; postea ad unciam, Q. Fabio Maximo Dictatore; & paulo post, lege Papiria, ad semunciam redactum fuisse. Quoniam vero nihil memorat de pondere assis ad quartam unciæ partem redacto, colligi inde potest, ipsius ætate assem adhuc fuisse semuncialem, & proinde, post Plinium demum pondus ejus ad duas drachmas decrevisse. Plinii igitur tempore as fuit semuncialis, & denarius octavam unciæ partem continebat, eique æquivalebant 16 asses: Unde sequitur, denarium tunc valuisse octo unciis æris, & proinde, analogiam argenti ad æs talem fuisse, qualis est unius ad 64. Certum quoque est, quo tempore as duarum tantum drachmarum pondere fuit, denarium unius tantum drachmæ pondus habuisse; eamque ob causam, cum denarius eo tempore valeret 16 assibus, necesse est, denarium quaternis tantum unciis æris æstimatum fuisse; & proinde, proportionem argenti ad æs eandem fuisse, quæ est unius ad 32, quæ est proportio omnium minima quam unquam argentum ad æs habuisse legerim. Postea, cum denarius ejus ponderis, cujus supra dixi, sexaginta assariis, singulis binarum drachmarum pondere, æstimarentur, analogia argenti ad æs, ut jam supra monui, eadem fuit, quæ est unius ad 120.

Plinius, Vitruvius, & alii auctores veteres memorant, denarium initio æstimatum fuisse denis assibus, postea sedenis, & denique sexagenis; nec refert expresse Plinius, num idem denarius alio tempore paucioribus quoque vel pluribus assibus æstimatus fuerit.

Cæterum assentior Lipsio, quamvis ejus sententia ab aliis rejecta fuerit, denarium etiam duodenis assibus valuisse; quod sic Vir ille doctus probat. Menstruum militum stipendium erat *aureus*, qui vicenis quinis valebat denariis; diurnum vero, decem asses. Quod si igitur denarius denis tantum assibus valuisset, *aureus* non suffecisset ad stipendium menstruum: sin autem sedenos asses exæquasset, milites, quibus deni tantum in diem asses dabantur, minus *aureo* in mensem accepissent. Sed si in denario duodenos asses numeres, *aureus*, continens 25 denarios, valuit 300 assibus, qui modum stipendii menstrui, sive 30 dierum, datis nempe militi denis in diem assibus, æquant. Hæc ratio Lipsii confirmari quoque potest auctoritate Polybii, qui Histor. Lib. 2. ubi de valore dimidii assis agit, eum valuisse ait quarta parte oboli; quo concesso, quoniam denarius sive drachma sex obolos continebat, & dimidius as quartam oboli partem valore æquabat; obolus integer valuit binis assibus, secundam quam analogiam sex oboli, qui denarium conficiunt, duodenis assibus valuerunt. Ἡμιασσάριον, inquit Polybius, τοῦτο δ' ἐστὶ τέταρτον μέρος ὀβολοῦ.

CAP. XXI.

De excessu & defectu justi ponderis in monetis, quatenus is legitimus est, & publica lege concessus, vulgo remede sur le fort, & remede sur le foible. *Quoteni scutati* (Escus) *ex marca signandi sint, quoteni item vicesses* (des pieces de vint sols,) *decusses, & octusses, item asses, & dupli* (des doubles).

Quoniam pondus antiquorum nommorum melius & facilius intelligi potest, si sciamus, quid hodie in monetis cudendis observari soleat, haud abs re visum est, ea de re boc loco agere.

Sciendum igitur, nummos omnes non posse adeo æquali pondere cudi, ut ne minima quidem inter eos intercedat differentia; uti nec linea in plures dividi potest partes, quæ tam exacte sibi invicem sint æquales, ut altera alteram ne puncto quidem excedat. Publici tamen commodi gratia, omnia opera & cura adhiberi solet, ut, si fieri possit, ad summam æqualitatem nummi redigantur. Quoniam vero nullo studio id effici potest, Princeps tam supra quam infra marcam certum numerum granorum constituere solet, intra quem si nummi, ex marca signati, pondere marcam non adæquent, defectus ille non obstat, quo minus nummi illi legitimæ sint bonitatis & ponderis. Cæterum, si quid ponderi nummorum ad marcam desit, id Præfectus monetæ Principi rependit: Sin autem marca intra concessum granorum numerum excedatur, Princeps Præfectum monetæ indemnem præstat.

Hic concessus granorum numerus a nostratibus appella-

appellatur *remede de poids;* & quidem, grana illa quæ supra marcam conceduntur, *remede sur le fort;* quæ vero infra eam, *remede sur le foible.* In Gallia, saltem hodie, nulla grana supra, sed tantum infra marcam conceduntur, quo pacto præfectus monetæ semper Regi, non vero Rex præfecto monetæ unquam obligatur. Hoc subsidium, sive concessio granorum pro variis monetarum generibus varia est. Nam in Scutatos tantum conceduntur duo felini *(felins)*, qui efficiunt 14 grana, & duas quintas partes; in quadrantes scutatorum, & semi-scutatos conceduntur 36 grana, alias denarius & duodecim grana; in vicesses (*pour les pieces des vint sols*) decusses, & quincusses, 33 grana; in asses, pondus duorum assium & dimidii, & in duplos Turonenses *(pour les doubles Tournois)*, conceditur pondus quatuor duplorum. Unde apparet, concessionem hanc laxiorem esse in nummis argenteis, quam aureis; in ærosis (*de billon*) quam argenteis; & in æreis, quam ærosis.

Ex marca signantur Scutati septuaginta duo & dimidius; quadrantes scutatorum viginti quinque, & una quinta pars; decusses trigiota quatuor & dimidius; asses centum & duo; dupli octoginta duo.

Observandum hic est, grana illa, in marcam concessa, distribuenda esse per omnes marcæ partes. Sic ex. gr. quoniam septuaginta duo Scutati & dimidius ex marca signantur, quatuordecim illa grana, cum quatuor quintis partibus, ratione dividenda sunt in partes $72\frac{1}{2}$, ex qua divisione paulo minus quam quinta pars grani ad singulos Scutatos redit. Cum igitur, ut modo dictum est, septuaginta duo Scutati & dimidius in marca contineantur, singulorum Scutatorum pondus æquare deberet sexaginta tria grana, & circiter quinque nonas unius grani partes, si subtilem illam divisionem in singulis Scutatis ars exacte assequi posset. Quoniam vero, ut jam ante monuimus, ad rigidam illam ponderis æqualitatem omnes nummi redigi non possunt, lex, ut huic rei medelam adhibeat, duos felinos, sive 14 grana, in marcam largitur; ita ut legitimum singulorum Scutatorum pondus non debeat excedere 63 grana, & circiter quinque nonas unius grani partes, nec descendere infra 63 grana, & circiter quintam grani partem. Hinc si Scutatus aliquis præscriptum illud poodus vel excedat, vel ad illud non pertingat, non est amplius intra *remedium*, ut vocant: & proinde in commerciis constitutum publice valorem non habebit.

Ex dictis patet, Scutatum, recens cusum, & ad stateram monetalem appensum, ad minimum 63 grana, & circiter quintam grani partem pondere æquare debere; quo pondere eum esse quoque oporteret ad libras vulgares expensum, sed quoniam, simul ac commerciorum usui inservire cœpit, plurimorum hominum manibus identidem tractatur, & ob quotidianum attritum de poodere suo paulatim aliquid amittit; meo quidem judicio iniquum foret, ad pondus id, quod initio habuit, eum semper exigere velle, quoniam hac ratione, simul ac vel minimam ponderis diminutionem passus esset (quod brevissimo tempore fieri posse quis non videt?) nullum amplius in commerciis usum præstiturus esset: Unde necesse foret, eum sæpe recudere, ex quo ingens utique damnum subditis oboriturum esset.

Hoc malum ut evitetur, Scutatus non eodem pondere censetur in libra vulgari, ac in statera illa, ad quam initio pondus ejus in officina monetali scrupulose exploratur. Cum enim in hac statera minimum ejus pondus sit sexaginta granorum, & circiter quintæ grani partis; in libra vulgari minimum ejus pondus 60 tantum grana æquat.

Quæ de pondere nummi aurei dicta sunt, eadem quoque de pondere nummi argentei intelligenda sunt; quoniam utriusque eadem est ratio.

Quod ad æs, tam mixtum (*billon*) quam simplex adtinet, in illis tantum attenditur ad pondus marcæ, in quam sat multa grana lex largitur, nec singulorum nummorum, ex illis metallis cusorum, pondus exploratur, partim quia excessus ille vel defectus, qui forte in illis deprehenderetur, non foret magni momenti, propter materiæ vilitatem; partim, quia jactura temporis, quod in nummorum horum pondere, sigillatim examinando, ponendum esset, gravior foret, quam damnum, quod ex aliquo ponderis defectu forte oriri posset.

CAP. XXII.

Veteres non tam scrupulose pondus nummorum æreorum examinasse, quam hodie fieri solet, & quare. In nummis Veterum aureis, præscriptum ponderis modum multo accuratius, quam in ceteris, observatum esse. Quare nummi argentei deterioris nota ponderosiores habendi sint, quam alii. Veteres aliquem justi ponderis excessum monetæ Præfectis in nummos largitos esse, & quare. Pondus Regalium Hispanicorum. Superpondia singulorum nummorum non esse imputanda in libram, nec ex iis verum libræ pondus æstimandum esse. Nummos antiquos, quamvis pondere valde imminutos, non desiisse tamen commerciorum usui inservire, & quare. Cur nummi antiqui figuris valde exstantibus & prominentibus signati sint.

Ex modo illo, quo hodie cuditur moneta, colligi potest ratio, quam Veteres in nummis suis percutiendis observaverint. Uti igitur hodie pondus aureorum nummorum multo scrupulosius & accuratius ad stateram exigi solet, quam æreorum; ita dubitandum noo est, quin idem a Veteribus factum fuerit. Et quoniam æs, cum auro & argento comparatum, multo viliori olim, quam hodie, constabat pretio, præsertim primis & postremis Imperii seculis; credibile quoque est, Veteres noo tanta cum exactitudine, quanta hodie fieri solet, pondus nummorum æreorum ad examen revocasse. Quare in explorando veterum oumismatum æreorum pondere, non nimis scrupulosos nos esse oportet, nec ad minimum quemque excessum vel defectum attendere, cum Veteres exiguæ alicujus differentiæ nullam hic rationem habuerint. Quamvis enim, ex. gr. coostitutum olim fuerit, ut majora numismata ærea essent uncialia, raro tamen pondus hoc habere deprehenduntur, cum plerumque vel leviora vel ponderosiora paulo uncia existant; qui defectus vel excessus, ob vilitatem materiæ istius, nullius prorsus est momenti. Quamobrem, qui accurate & subtiliter scire cupit, quale fuerit pondus pecuniæ Veterum, is antiquas monetas aureas, vel argenteas ad libellam expendere debet; potius tamen aureas, quia ponderis earum, ob majus materiæ pretium, subtilius semper solet iniri ratio.

Nihilominus argentei quoque nummi ad legitimum pondus satis accurate exigi solent, quooiam si *remedium* ponderis, per 96 ex. gr. nummos, ex libra signandos, divisum, sit 18 granorum (quantum *remedium* hodie in tot *Regales* Hispanicos, quot marca continet, concessum est) id in singulos nummos quintam circiter grani partem efficit; in singulos vero *Regales*, quartam ejusdem grani par-

partem, quæ ponderis differentia adeo exigua est, ut statera communi pene deprehendi nequeat. Ad auream monetam quod attinet, si *remedium* ponderis ex. gr. in 72 solidos aureos concessum, sit 6 granorum (quot granorum hodie in Hispania esse solet) in singulos eorum duodecima tantum grani pars relinquitur, quæ ponderis divisio adeo subtilis est, ut eam statera communis vix assequatur.

Præterea observandum est, nummos argenteos, æs admixtum habentes, & præcipue ea tali materia cusos, cujus temperaturam Galli *billon* vocant, paulo ponderosiores esse solere illis monetis, quæ vel minus vel nihil æris continent. Sic & hodie decem solidorum nummi (*des pieces de dix sols*,) quoniam ex deteriori constant materia, quam quadrantes Scutatorum, prolixius babent pondus, quam sedecim solidorum nummi: Cujus rei ratio hæc est, quod monetæ, quo plus æris continent, eo citius crebris recoctionibus & mundationibus consumantur, & ponderis sui non exiguam jacturam faciant.

Porro, cum nummi marcam vel libram integris numeris, absque ullis fractionibus sive minutiis numerorum, dividunt, veluti Regales Hispanici, quorum sexaginta septem, secundum Ciaconium, Marianam, Villalpandum, Alchazarum, & Quillatadorem, marcam Hispanicam; septuagiota duo vero, ut monetalia edicta testantur, marcam nostratem exactissima ratione constituunt; Principes plerumque superpondium aliquod in marcam sive libram nummorum largiuntur, seu, ut hodiernam loquendi rationem propius exprimam, prolixi, non maligni ponderis remedium, locum tunc habere solet. Quoniam igitur monetæ antiquorum tam æreæ quam srgenteæ & aureæ, ita signatæ sunt in libram antiquam, ut eam integris numeris dividant, probabile est, eos prolixiori & largiori potius, quam maligniori pondere percussas esse.

Deinde notandum quoque est, cum in edictis monetalibus legimus, marcam continere septuaginta duos Regales, ita existimare nos debere. Regales 72, quorum singuli duos denarios & sedecim grana, absque ullo superpondio, sive, examine bilancis in neutram partem inclinato, pendent, exacta ratione pondus marcæ adæquare. Et proinde cum Princeps singulos Regales pondere duorum denariorum, & sedecim granorum, com aliquo superpondio, percuti jubet, id ipsum superpondium pro *remedio*, quod Lex in nummos largitur, habendum esse. Hac ratione 72 Regales, quorum singuli duos denarios & sedecim grana cum aliquo superpondio pendent, interdum quidem pondus marcæ paulo excedunt, sed excessus iste habendus est pro auctario, quod *remedium* a viris monetalibus appellatur.

Similiter, licet denarius Consularis, 72 grana, paulo amplius; post Neronem percussus, 63 grana, itidem paulo amplius; & solidus aureus Constantini tempore signatus, 54 grana prolixe pendere deprehendatur, non tamen superpondii istius, quod tantum erat justi ponderis auctarium, in constituendo antiquæ libræ pondere ratio habenda est. Sic e. g. non sunt numerandi in libra antiqua 84 denarii Consulares, singuli 72 grana exactissima ratione pendentes; neque 96 denarii, singuli 63 grana, itidem exacta ratione, pendentes; neque 72 solidi aurei, singuli subtili examine 84 granorum pondus, non plus nec minus habentes; idque ob rationem paulo ante dictam.

Præterea, licet nonnulla forte numismata olim justo pondere leviora deprehenderentur, probabile tamen est, ea nihilominus in commerciis adhibita fuisse, quamdiu characteres & figuræ eorum agnosci possent; pretium tamen & valorem illorum imminutum fuisse puto, pro eo, quantum justo illorum ponderi decesserat. Sic & hodie in Belgio (ut de aliis regionibus taceam) teste Willebrodo Snellio in suo Eratosthene, Scutati Francici, Pistolettæ Hispanicæ, & simplices Ducati Italici, in commerciis monetæ usum præbent, quamvis eis duo grana ad justum pondus, quod est duorum denariorum & quindecim granorum, desint. Quod si nummi isti hoc pondere leviores deprehendantur, non tamen ideo commerciorum usui omnino inutiles judicantur, sed tantùm de valore illorum deducitur, quantum justo pondere leviores sont; eaque ratione adulteratoribus monetarum omnis adimitur occasio, nummos circumcidendi, lavandi & desquamandi (*escailler*). Verum quidem est, rem illam cum aliquo incommodo conjunctam esse, quoniam nummi isti toties ponderandi sunt, quoties dominum mutant: At cogitsndum est, jacturam temporis, quod in iis ponderandis ponitur, non esse comparandam cum damno, quod multi passuri essent, si nummorum istorum usus, simul ac pondere publice præscripto leviores deprehenderentur, in commerciis omnino interdiceretur. Existimo, Veteres ideo monetas suas valde exstantibus & prominentibus figuris signasse, ut evitarent frequentes iteratasque fusiones & recusiones, quæ publicæ rei valde damnosæ sunt, ut jam supra monui. Quamvis igitur olim numismsta diuturno usu & attritu interdum pondere valde imminuta deprehenderentur, quoad tamen figuras suas servabant (servabant autem eas quam diutissime, ob rationem modo dictam,) in commerciis constanter adhibebantur, ita tamen, ut pondus eorum statera prius expenderetur. Hinc Veteres *pendere* & *expendere* pro *solvere* dixerunt; eandemque ob causam publice olim constituti fuerunt homines, qui nummos tales penderent, quos Græci ζυγοστάτας, Latini vero *Libripendes* appellarunt.

CAP. XXIII.

Ex pondere nummorum antiquorum, præcipue argenteorum & aureorum, apparere, libram antiquam Romanam non æquasse uncias nostrates decem & dimidiam. Eam non esse æqualem libræ hodiernæ Romanæ, ut Villalpandus putat.

His ita præmissis, dicimus, ex pondere antiquorum numismatum, tam argenteorum, quam aureorum colligi posse, libram antiquam continuisse 6048 grana nostratia, quæ, ad pondus marcæ nostræ, exacta ratione efficiunt uncias 10 & $\frac{1}{2}$. Ut enim à numismatibus argenteis initium faciamus; omnes nummi Consulares, qui pondere denarii percutiebantur, & quorum septeni constituebant unciam, si ad libram exigantur, deprehenduntur pondere æquare grossum nostratem, qui 72 grana marcæ nostratis pendet. Quoniam autem olim septem tantum denarii unciam constituebant, manifestum est, unciam antiquam octava parte leviorem fuisse uncia nostrate, quoniam hujus pondus 8 grossos continet, cum in antiqua uncia septem tantum denarii, quos ejusdem cum grossis nostris ponderis fuisse diximus, numerarentur.

Si igitur una uncia antiqua septem grossos pondere æquat, duodecim unciæ, quæ libram efficiunt, pondere sequabunt 54 grossos, qui ad uncias redacti conficiunt 10 & $\frac{1}{2}$ uncias. Supra etiam pro-

probavimus, denarium posteriorem, qui inde ab ultimis Neronis temporibus in usu esse cœpit, octava parte fuisse leviorem priore; & proinde, cum prior denarius esset pondere 72 granorum, posterior tantum 63 granorum pondus continere potuit; quod ita sese habere, cuilibet patebit, qui denarios Romanos, Nerone posteriores, ad examen libræ revocare voluerit. Multa enim inveniuntur numismata argentea, ex illo tempore cusa, quæ pondus 63 granorum (cujus ponderis Scutatus noster est) habere deprehenduntur, modo damnosæ vetustatis vim non senserint, nec lamina obducta sint. Dixi, multa reperiri hujus ponderis numismata, quoniam & alia inveniuntur, majoris minorisve ponderis, quæ tamen convenire etiam possunt in libram, ut infra plenius exponetur, ubi de diversitate ponderum, & magnitudine numismatum agetur.

Quædam etiam numismata Attica habui, satis adhuc integra & nitida, quæ mihi data fuerunt, ut ea statera expenderem, pondere 63 granorum, quæ constituunt drachmam Atticam, quoniam posteriores denarii Romani, quorum octoni numerabantur in uncia, ejusdem erant cum drachma Attica ponderis, ut supra probavimus. In aliud insuper numisma Atticum incidi, pondere 315 granorum, quæ exacte conficiunt pondus pentadrachmi, si nempe singulis drachmis 63 grana tribuas. Habuisse autem Græcos monetam pente-drachmalem, patet ex propositione XXI. *Pneumaticorum* Heronis, quippe ubi legitur, tunc temporis nummos, 5 drachmarum pondus habentes, in usu fuisse. Porro, Josephum siclo Hebraico pondus 4 drachmarum Atticarum adscribere constat; cui ponderi respondit siclus ille, quem Arrias Montanus habuit, quippe qui, ipso testante, quater sexagena & terna grana pendere deprehensus est. Scribit enim modo laudatus Arrias Montanus, siclum istum paulo leviorem fuisse quatuor Regalibus, idque ideo, quoniam, cum singuli Regales 64 grana pendeant, ut alio loco demonstravimus, siclum istum quatuor saltem granis leviorem fuisse oportet quatuor Regalibus.

Numismata antiqua aurea, quorum pondus a viris monetalibus multo accuratius expendi solet, quam numismatum argenteorum, magis confirmant ea, quæ de pondere libræ ejusque partibus & minutiis, veluti drachmis & scrupulis, dicta sunt. Si enim tempore eo, quo primum nummos ex auro signare cœperunt Romani, scrupulus auri valuit 20 sestertiis argenteis, ut Plinius nos docet, & hodie adhuc reperiuntur exigui nummuli aurei, notati numero 20; existimare utique debemus, eos nummulos percussos esse pondere scrupuli: eodem modo, quo nummos argenteos Consulares, insignitos numero 10, denarios Romanos esse non dubitamus. Dominus Fontenæus, ut supra dictum, possidet exiguum hujusmodi nummum aureum, notatum duobus decussibus XX, (qui significant numerum vicenarium, ut unus decussis significat numerum denarium in denario Romano) qui nummus fere 21 grana nostratia pondere æquat. Dicimus, fere æquare; quia 21 granis paulo levior deprehenditur, idque ob diuturnum usum & attritum, qui nonnihil ex eo abrasisse videtur. Constat autem, vel minimum in monetis aureis intertrimentum alicujus in pondere esse momenti, propter summam gravitatem, qua metallum istud reliqua metalla longe vincit. Hinc igitur colligere possumus, in scrupulo Romano fuisse 21 grana, & proinde in drachma 63 grana, in uncia 504. & denique in libra 6048. Cum hac ponderis ratione consonat locus Plinii Lib. XXXIII. c. 3. supra expositus, quippe in quo legitur, aureos maximi ponderis ad 40, paulo minus, ex libra signatos fuisse; minutissimos vero, ad 45, paulo minus. Quod si igitur summam hanc 6048 per 40 dividas, habebis quotientem 151, & $\frac{1}{5}$; repeririunturque adhuc hodie nummi aurei Consulares, qui, dummodo sint integri, nec usu attriti, paulo minus 151 grana & $\frac{1}{5}$ pendent: unde sequitur, 40 circiter hujus generis nummos libram conficere. Dixi, si nummi illi aurei sint integri, nec a vetustate detrimentum aliquod passi, quoniam, si vel minima portio aurea nummis abradatur, illico ponderi eorum aliquot saltem grana decessisse deprehendes. Aliter comparati sunt nummi argentei & ærei, quippe in quibus exiguæ quæque diminutiones haud æque sunt notabiles, ac in nummis aureis, quoniam metalla illa non sunt æque ponderosa ac aurum.

Si eundem numerum 6048 per 45 dividas, quotiens erit 134 & $\frac{2}{5}$, quod convenit in pondus nummorum aureorum, tempore Plinii percussorum. Illorum enim minutissimi, dummodo sint integri, pendent paulo amplius 134 grana, & $\frac{2}{5}$: unde pariter sequitur, tempore Plinii 45 circiter hujus generis nummos ex libra signatos fuisse.

Porro, *aurei* sub Severo cusi, bis 63 grana pendere deprehendimus, quoniam nimirum *aureorum* pondus sub illo Imperatore erat didrachmale.

Ad ulterius confirmanda ea, quæ hactenus de pondere libræ antiquæ dicta sunt, argumentum etiam peti potest a *solidis* aureis, inde a tempore Constantini M. signatis. Uti enim *solidi* illi olim pondere 4 scrupulorum percussi fuerunt (quod supra demonstravimus) ita iidem adhuc hodie ad stateram appensi quater vicena singula, sive sexagena quaterna grana pendere deprehenduntur. Eadem ratione semi-solidos, quos olim appellabant *semisses*, 42 grana; & *tremisses*, sive trientes solidorum, 28 grana pendere deprehendas: Post tempora enim Constantini M. horum *semissium* & *tremissium* magna copia invenitur.

Tot igitur argumenta, quæ clara experientia nituntur, & ex ipso pondere omnis generis nummorum, tam argenteorum, quam aureorum, petita sunt, abunde utique evincunt, libram antiquam Romanam habuisse pondus 6048 granorum nostratium, sive 10 unciarum & $\frac{1}{2}$ marcæ nostræ; fallique proinde Villalpandum, qui Tom. III. *Commentar. in Ezechiel.* existimat, libram antiquam Romanam pondere hodiernæ Romanæ parem fuisse; in quam opinionem illum induxit fallax quoddam experimentum, ut infra clarius a nobis demonstrabitur. Si enim libra hodierna Romana pondere respondet libræ Hispanicæ, ut Villalpandus affirmat, oportet libram antiquam Romanam habuisse pondus undecim unciarum & quatuor denariorum marcæ nostratis, sive 6432 granorum nostratium, quoniam libra Hispanica tanti ponderis est, ut probari potest ex pondere Regalium, quos marca nostra capit. Hac sententia admissa, oporteret scrupulum antiquum esse 22 granorum, & unius trientis, qui tamen 21 tantum grana pendere deprehenditur; eademque ratione dicendum foret, denarium Consularem habere pondus 76 granorum & $\frac{4}{7}$, qui tamen non plus 72 grana pendit; denarium, post tempora Neronis signatum, esse 67 granorum, cum tamen si ad trutinam revocetur, 63 grana non excedat; & denique solidum aureum, inde a tempore Constanti M. percussum, continere 89 grana, & trientem grani; quem ta-

 men

men 84 tantum grana pendere experientia testatur. Hinc igitur satis manifestum est, Villalpandi opinionem a veritate maxime alienam esse.

CAP. XXIV.

Non reperiri hodie numismata aurea veterum Romanorum, quæ aureis majora sint. Aurei *pondus paulatim fuisse imminutum, & quare.* Semisses *reperiri, Alexandri Severi temporibus antiquiores.*

Quamvis nonnulli Imperatores Romani, veluti Heliogabalus, & Tiberius secundus, nummos aureos majoris moduli percusserint, hodie tamen nulla amplius reperiuntur numismata aurea veterum Romanorum, quæ pondere excedant *aureos* illos, quorum 40 olim, teste Plinio Lib. XXXIII. c. 3. ex libra signabantur, & quorum singuli duorum grossorum, & circiter 8 granorum pondus continent. Hujus *aurei* pondus, ut Plinius eodem loco memorat, paulatim imminutum fuit, ita ut tandem circa imperium Alexandri Severi contraheretur ad duas drachmas, quæ respondent uni grosso & duobus denariis monetæ nostræ. Postea quoque ejusdem pondus magis magisque decrevit, usque ad Constantinum M. sub quo *aureus* duo diversa pondera habuit: primo quidem quatuor denariorum nostratium; & deinde trium denariorum & dimidii, sive 84 granorum; quod quidem pondus eum ad Heraclium usque retinuisse reperio.

Quantam ponderis diminutionem *aureus* quovis tempore passus sit, fateor, me exacte ostendere non posse. Quod autem ad causam attinet, videtur ea imminutio ponderis partim a mutatione proportionis auri ad argentum, partim a depravatione nummorum argenteorum orta fuisse. Si enim, ut Dio testatur, aureus priscis temporibus æstimatus fuit vicenis quinis drachmis argenti, necesse erat, ut imminuta proportione auri ad argentum, etiam pondus *aurei* imminueretur: Vel, etiamsi proportio auri ad argentum non imminueretur, bonitate tamen intrinseca, sive temperatura denarii argentei in deterius mutata, pondus *aurei* pariter mutari & imminui oportebat. Quod si contingeret, ut & proportio auri ad argentum, & bonitas intrinseca drachmæ argenteæ simul imminuerentur, pondus *aurei* multo magis decrescere necesse erat.

Quamvis ex Lampridio videatur colligi posse, Alexandrum Severum fuisse primum, qui *semisses* & *tremisses* aureorum percusserit, reperiuntur tamen *semisses* aureorum, sive semi-aurei, jam tempore primorum Imperatorum cusi. Supra laudatus Dominus Fontenæus non exiguam hujusmodi *semissium*, nitidissimorum adhuc, & magna diligentia conservatorum, copiam possidet. Post tempora Constantini M. *semisses* & *tremisses* satis frequenter; ante illud tempus vero, rarius occurrunt.

CAP. XXV.

Nummos ærosos (de billon) *non satis certum præbere indicium ponderis, quod moneta veteres olim habuerunt. Galenum non accipere duos obolos pro pondere Victoriati. Difficulter judicari posse de valore nummorum ærosorum. Posterius miliaresium fuisse* nummum centenionalem, *contra opinionem Salmasii. Nummos ex argento puro signatos diversi admodum ponderis fuisse, labente Imperio. Nummorum argenteorum pondus interdum imminutum vel auctum fuisse, secundum divisiones & partes tam denarii quam miliaresii. De divisione denarii in 1152. partes. Nummos argenteos Græcos pondere Romanos superare.*

Supra probavi, denarium argenteum veterum Romanorum varias subiisse mutationes, ejusque pondus paulatim imminutum fuisse, ita ut initio quidem singuli, postea vero diversis temporibus, bini, terni, quaterni, quini, seni, septeni & dimidius, & denique octoni denarii in uncia numerati fuerint; quod non solum auctoritatibus, sed etiam argumentis ex ipso pondere numismatum antiquorum petitis, demonstravi. Obiter hic moneo, eum, qui verum pondus numismatum antiquorum exacte explorare cupit, nummos ex puro argento signatos potius pensare debere, quam ærosos, quoniam horum pondus tam ab ærugine, cui æs, secus ac argentum, obnoxium est, quam mundationibus illis, quibus idem metallum ab ærugine purgandum est, non parum imminui solet.

Veteres Romani denarios suos non solum in semi-denarios, sed etiam quadrantes diviserunt. Semi-denarius appellabatur *quinarius*, quoniam notatus erat litera V. quæ numerum quinarium significat; uti & *victoriatus*, quoniam victoriæ nota signatus erat: Quadrans vero, vocabatur *sestertius*. Hi semisses & quadrantes denariorum, sive *quinarii* & *sestertii*, multo rarius inveniuntur, quam denarii integri.

Quoniam *victoriati* facta est mentio, Lectorem, antequam ulterius progrediamur, monendum duximus, virum illum doctum, qui Scribonio Largo pondera medicinalia in fine subjunxit, errasse, (quod etiam observavit Georg. Agricola Lib. IV. *de Ponder. Roman.*) dum scribit, Galenum in compositionibus a Scribonio relatis duos obolos pro *victoriato* ponere. *Victoriatus*, inquit, *argenteus nummus victoria nota signatus, pro quo in compositionibus a Scribonio relatis Galenus duos obolos ponit, hoc est, scrupulum.* Galenus enim pro *victoriato* Scribonii sæpe tres obolos ponit, uti quando in compositione 170 Scribonius dicit, Thlaspis *pondo* VI. *victoriati, opobalsami pondo sex & victoriati*; Galenus lib. 2. *Antidot.* inquit: Ὀποβαλσάμου δλάσπι(?)... δραχμὰς ἑ. καὶ τριωβόλιον. Præterea, Galenus medicamenta contra tussim, trium obolorum pondere, præcipit dissolvi in tribus cyathis aquæ, sive hydromelitis, cum Scribonius eadem medicamenta, pondere *victoriati*, itidem in tribus cyathis aquæ dissolvi præcipiat.

De valore nummorum ærosorum (*de billon*) nihil certi affirmare possum, quippe ignarus, cujus temperaturæ nummi illi fuerint, sive quantam tum argenti puri, tum æris portionem continuerint. A Diocletiano deinde pristinæ puritati & bonitati restituti, in eodem statu permanserunt, usque ad ultima Imperii tempora, quamvis & isto temporis intervallo pondere admodum diverso percussi fuerint.

Temporibus illis inter monetas publicas locum etiam habebat *miliaresium*, valore duarum siliquarum auri, pondere vero granorum 100 & $\frac{2}{5}$, ita ut quinque miliaresis unciam constituerent. Hoc miliaresium puto dictum etiam fuisse *centenionalem nummum*, cujus mentio fit in constitut. Imperatorum Arcad. & Honor. l. IX. Cod. Theod. l. 2. Tit. 23. *Si quis pecunias conflaverit*; quem nummum ideo sic appellatum arbitror, quod valeret centum assarios. Cum enim *aureus* publica lege, ab iisdem Imperatoribus lata, quæ exstat Lib. XI. Cod. Theod. Tit. 21. l. 2. æstimatus esset 25 libris æris, quæ continent 300 uncias, & hæ vicissim

1200 didrachma sive assaria; *aureus* utique valuit 1200 assariis. Quoniam igitur idem *aureus* valore æquabat duodecim miliaresia posteriorum temporum, necesse est miliaresium ejusmodi valuisse centum assariis; eaque ratio est, quare, ut ego arbitror, dictum fuerit *nummus centenionalis*: Quamvis Salmasius in notis ad Æl. Lamprid. affirmet, *nummum centenionalem* fuisse nummum aureum, pondere duarum librarum, totidemque unciarum, valore vero centum aureorum, quorum singuli binas drachmas penderent. Sed, quod pace viri illius dixerim, opinionem illam minime probo, quoniam nullis eam auctoritatibus firmari video.

Porro, *nummum centenionalem* non fuisse aureum, ut Salmasius vult, nec ponderis & valoris paulo ante memorati, sed potius eundem extitisse cum miliaresio posteriorum temporum, etiam inde probari potest, quod usus grandiorum numismatum aureorum, quæ Heliogabalus percuti jussit, statim post ejus mortem in commerciis interdictus fuerit; *nummus centenionalis* vero, secundum constitutionem legis paulo ante memoratæ, monetæ publicæ usum præbuerit.

Eadem lex nos docet, exstitisse etiam alios nummos, *centenionali* nummo ponderosiores & grandiores, quos dicta lex loco monetæ adhiberi vetat. Reperiuntur & hodie quidam majoris ponderis nummi, quorum unum inter numismata sua argentea Dominus Montaltus servat, Honorii vultu signatum, qui quatuor denariorum & decem granorum pondus babet.

Imperatores Arcadius & Honorius dicta lege nummos majoris quidem, non vero minoris ponderis, quam est miliaresium posteriorum temporum, in commerciis monetæ usum habere vetant. Exstant enim hodie nonnulla Justiniani numismata, ponderis adeo exigui, ut vix 12 grana pendeant; quorum singula proinde eo tempore duodenis assariis valere potuerunt.

Magna in pondere horum numismatum deprehenditur varietas, quamvis differentia illa interdum nullius pene sit momenti, quoniam, ut ego quidem existimo, assarium eo tempore uno tantum grano argenti æstimabatur.

Observavi etiam, numismatum antiquorum, præsertim argenteorum, pondus imminutum vel auctum fuisse secundum divisiones & partes tam denarii, quam miliaresii. Reperiuntur enim numismata, pondere duodecim circiter granorum, quæ conficiunt octavam partem posterioris miliaresii; alia, pondere 18 granorum, cujus ponderis erat sestertius, cum denarius 72 grana contineret; alia, granorum 15 & $\frac{3}{4}$, quod erat pondus sestertii, cum denarius ad 63 grana redactus esset; nonnulla, 21 granorum, quæ tertiam partem ejusdem denarii pondere æquant; quædam, unius denarii, & 18 granorum, quæ duos trientes; quædam, 47 granorum $\frac{1}{4}$, quæ tres quadrantes; alia, 54 granorum, quæ tres quadrantes denarii Consularis conficiunt; item alia, 22 granorum & $\frac{1}{10}$, quæ quadranti miliaresii prioris exæquantur; 25 granorum & $\frac{1}{5}$, quæ respondent quadranti posterioris miliaresii, duabus septimis prioris miliaresii, & duabus quintis drachmæ; 28 granorum, quæ conficiunt quatuor nonas partes posterioris denarii; unius denarii & 12 granorum, quæ dimidiam partem prioris denarii æquant; unius denarii & 13 $\frac{4}{5}$ granorum, quæ continent tres quintas partes drachmæ, tres septimas prioris, & tres octavas posterioris miliaresii; eodemque modo reliquæ divisiones tam priorum, quam posteriorum denariorum & miliaresiorum, integris numeris procedunt.

Interdum etiam pondus dictorum denariorum & miliaresiorum, secundum easdem divisiones & partes superatur, ita ut uterque denarius semisse ponderis auctus deprehendatur. Reperiuntur enim numismata argentea, pondere 4 denariorum & 12 granorum, quod est pondus sesqui-denarii Consularis.

Restat, ut uni dubio occurramus, quod objici potest ex Tractatu Africani *de Ponderibus & Mensuris*, ad calcem Hippocratis Calvi edito, ubi legitur, Romanos denarium in 1152 partes divisisse. Antequam objectionem hanc solvamus, monendus est lector, Africanum loqui de denario tali, qui valebat 16 assibus, singulosque horum assium, sive assariorum, habuisse pondus duarum drachmarum; quod ex his ejus verbis clare patet: *Denarius apud Romanos habet nummos sestertios quatuor, nummus vero pondere unciam habet.* Si enim sestertius æreus, qui etiam dicebatur *nummus*, habebat pondus unciæ, idemque sestertius continebat quatuor asses; oportuit utique assem, cujus eo loco fit mentio, duas tantum drachmas pondere æquasse.

Hunc igitur assem Africanus dividit in 72 partes, quas si multiplices per tot assaria, quot in denario ponuntur, nimirum 16, conficietur inde summa 1152. Quando igitur Africanus dicit, denarium dividi in 1152 partes, verba ejus non sunt accipienda de partibus ponderis, sed pretii æris; quæ 1152 partes æris cum continerent pondus quatuor unciarum (quoniam 16 assaria, quæ denario æquivalebant, pondus 4 unciarum habebant) & cum singula assaria duas drachmas penderent, unaquæque harum 1152 partium trigesimam sextam tantum unius drachmæ partem, seu granum unum & $\frac{3}{4}$, si nempe drachmam 63 granorum statuas, pondere æquare potuit. Quoniam igitur hæ 1152 partes æris, sive 72 partes assarii, trigesimam sextam drachmæ partem, ut diximus, pondere suo singulæ continebant, sequitur inde, easdem chalci pondus habuisse; quippe drachma in sex obolos, obolus vero in sex chalcos dividebatur.

Si reperiantur numismata argentea Romana, quæ majoris sint ponderis, quam de quibus supra egimus, ea vel rarissima sunt, vel admodum suspecta. Vidi quidem nonnulla, multo ponderosiora solito, sed quorum inscriptio ab utraque parte erat Græca, quamvis figuræ essent Romanæ.

Quod ad numismata Græca argentea adtinet, quæ percussa sunt, antequam Græcia imperio Romano subjiceretur, in eorum numero haud pauca reperiuntur, quæ majoris sint ponderis quam ea, de quibus supra egimus. At vero, cum olim tot pene diversa inter Græciæ populos existerent pondera, quot urbes opulentiores numerabantur, nihil certi de illorum pondere affirmare potui. Id tantum constat, Græcos, ex quo tempore in Romanorum potestatem redacti fuerunt, via alios nummos, quam æreos, percussisse, ob rationes supra expositas.

CAP. XXVI.

De nummis æreis, & primo de nummis maximi moduli (medallons,) *& aliis grandioribus. Majores nummos fuisse ipsissimos sestertios æreos, pondere unciales. Quam varia diversis temporibus fuerit divisio & crassities nummorum æreorum. Quinam sint nummi medii & minimi moduli. Nummos æreos minoris moduli florente Imperio non æque frequentes fuisse, ac majoris moduli; quod secus sese habuit labente Imperio. De* ultimo quadrante, *cujus in historia Evangelica fit mentio.*

Numismata Romanorum ærea multo fuerunt crassiora & ponderosiora argenteis; quod satis probant numismata maximi moduli, vulgo *medaillons* dicta, quorum quædam tanti sunt ponderis, ut libram antiquam excedant. *Medaliones* illi ponderis sunt varii, & cuncti quidem eximiæ raritatis, sed illi tamen, qui omnium maximi sunt, & præ aliis pulchra habent latera aversa, vel quæ ab Imperatore percussa sunt, cujus numismata ærea rarius inveniuntur, præ cæteris in majori pretio habentur.

Præter *medaliones* alia etiam reperiuntur numismata, itidem diversi admodum ponderis, quæ pro ponderibus antiquis potius, quam numismatibus habentur, & ab Antiquariis non adeo magni fiunt.

Medaliones & Pondera sequuntur numismata, quæ pecuniæ usui inservierunt: horum maxima plerumque unciæ antiquæ pondus habent; quæ enim modum hunc excedunt, ea vel sunt rariora, vel adulterina.

Assibus ad pondus duarum drachmarum redactis, numismata uncialia, quæ hodie grandiora vocamus, erant sestertii ærei Antiquorum. Quoniam enim denarius valebat sedenis assibus, sestertius, qui erat quarta pars denarii, quaternis utique assibus valere debuit.

Tempore JCti Volusii, qui sub Antonino vixit, divisio monetæ æreæ, ut supra probavi, respondebat divisioni unciæ. Quoniam igitur, secundum modo laudatum auctorem, uncia dividebatur in dimidiam, tertiam, quartam, sextam, duodecimam, & vigesimam quartam partes; reperiuntur quoque numismata ærea, partim pondere unius unciæ antiquæ, quæ majoris sunt moduli; partim dimidiæ unciæ, quæ eadem erant cum *dupondius*, cum assarium didrachmi pondus haberet; partim tertiæ partis unciæ. Duo posteriora numismatum genera, sive semisses & trientes unciæ, vulgo medii moduli numismata appellantur. Reliqua minoris moduli & ponderis numismata, omnia uno nomine *minora* appellantur, qualia sunt ea, quæ quartam, sextam, duodecimam & vigesimam quartam unciæ partem pondere æquant.

Quamvis minora numismata florentis Imperii raritate longe præstent grandioribus, non tamen in tanto habentur pretio, quanto grandiora, quæ alicujus sunt raritatis. Contra, Imperii labentis sive declinantis numismata fere omnia sunt minoris moduli, adeo ut grandiora illorum temporum bis tanto æstimanda sint, quam alia, partim nimirum ob magnitudinem, partim ob raritatem. Numismata medii moduli, quæ illo temporis intervallo, quod inter Aurelianum & Constantinum intercedit, percussa sunt, non magni ab Antiquariis fiunt: sed si mediam illam magnitudinem excedant, magno in pretio ob raritatem suam habentur, quocunque declinantis Imperii tempore cusa sint, præsertim si unciæ pondus adæquent.

Balbus in Tractatu suo ad *Celsum de Asse*, qui ad calcem Hippocratis Calvi editus est, unciam subtilius dividit. Præter divisiones Metiani enim, eam insuper dirimit in octavas & decimas sextas partes; secundum quam partitionem assarium didrachmale dividitur in partem dimidiam, sive *semissem*, in *trientem*, qui est 12 pars unciæ, duorum scrupulorum pondere, a Græcis aliquando vocatum νόμμιον, & *quadrantem*, qui semidrachmam pendebat.

Salmasius *ultimum quadrantem*, cujus in historia Euangelica fit mentio, pro hoc assarii *quadrante* accipit, quod minime probare possum. Tempore Euangelistarum enim minutissimus nummus æreus vix minoris erat ponderis, quam duarum drachmarum, quod probant minora illorum temporum numismata, quæ hodie adhuc supersunt. Præterea, duplex tantum in re monetaria ponderum divisio usque ad tempus Volusii in usu fuisse videtur, libræ nimirum & unciæ, quoniam antiquioribus temporibus nummus omnium maximus erat libralis, posterioribus vero, uncialis. Hinc uti quadrans libræ erat *quadrans* antiquiorum temporum, ita quadrans unciæ erat *quadrans* posteriorum temporum; existimoque Hesychium de hoc *quadrante* intelligendum esse, quando in voce κοδράντης *ultimum quadrantem* Euangelii his verbis interpretatur: κοδράντης τὸ πᾶν, ἢ τὸ τέταρτον τῆς φόλλεως. & paulo post: ὁ δὲ ἔσχατος κοδράντης τὸ τέταρτον τῆς φόλλεως, i. e. *ultimus quadrans est quarta pars follis*. Quoniam igitur Hesychius, ut ex verbis allegatis apparet, *ultimum quadrantem* Euangelii quartæ parti *follis* pondere exæquat, & supra demonstratum est, *follem* æreum (alius enim *follis* non erat) habuisse pondus unciæ, sequitur, *ultimum quadrantem* fuisse pondere didrachmalem, quoniam duæ drachmæ quartam partem unciæ efficiebant.

CAP. XXVII.

Alia divisio unciæ, secundum Campanum. Compositio quartæ *&* quintæ *tam secundum veteres, quam recentiores Musicos. Quare recentiores non secuti sint divisionem Veterum. Nihil esse corrigendum in commentario Campani, contra opinionem Massarii. Campanum eo loco unciam in pondera minora, non vero minores monetas dividere.*

His duabus divisionibus unciæ aliam subtiliorem tradit Campanus in Commentario suo in *propos.* 8. lib. XIV. *Elem. Euclidis*, secundum quam uncia in 192, vel, si Massarium sequamur, in 288 partes dividitur. Dispescit enim unciam in dimidiam, tertiam, quartam, sextam, octavam, duodecimam, duodevigesimam, vigesimam quartam, quadragesimam octavam, sexagesimam secundam, nonagesimam sextam, & centesimam quadragesimam quartam partes, quarum singulis suum nomen & characterem assignat. Imo ulterius dividendo progreditur, donec usque ad 192 partem, quam *chalcum* appellat, vel, secundum opinionem Massarii, usque ad 288 partem perveniat. *His autem duodecim*, inquit Campanus, *fractionibus unciæ posteriores adjunxere chalcum: Est autem chalcus* 192 *pars unciæ*; ubi Massarius pro 192 legendum contendit 288. Porro, rationem, quare chalcus adjunctus sit fractionibus unciæ, hanc reddit idem Campanus: *Ut usque ad minimum extremum diatessaron, & diapente symphoniarum, tonorum, semitonorum intervallis distinctarum, harum fractionum denominatio conscenderet.*

Hæc verba, quæ nonnihil obscuritatis habent, ut rectius intelligantur, sciendum est, minutissimos numeros integros, quibus intervalla *quarta* & *quinta* absque fractionibus exprimi possint, esse sequentes, 192, 216, 243, 256, 288. Si quis enim numeros 256 & 192 inter se comparet, deprehendet inter eos rationem sesquitertiam, qualis est inter 3 & 4; eaque proportione constat *quarta*, quam Græci διατεσσάρων vocant. Numeri vero 192 & 288 habent inter se proportionem sesqui alteram, qualis est inter 2 & 3; eaque proportione constat *quinta*, quam Græci διαπέντε appellant. Præterea observandum est, Veteres *quartam*, sive *diatessaron*, composuisse ex duobus tonis integris,

gris, & dimidio tono minori; *quintam* vero, ex tribus tonis integris, & dimidio tono minori: qua in re ab ipsis discrepant Musici recentiores. Hi enim *quartam* componunt ex tono majori, tono minori, & dimidio tono majori, eandem differentiam inter tonum majorem & minorem statuentes, quæ est inter 8 & 9, 9 & 10. Iidem *quintam* componunt ex duobus tonis integris, quos majores appellant, uno tono minori, & dimidio tono majori, modo itidem a Veteribus diverso. Intervallum igitur a 192 ad 216 constituit tonum integrum; a 216 ad 243 itidem tonum integrum, a 243 ad 256 dimidium tonum minorem; & denique a 256 ad 288 tonum integrum.

Hodiernis Musicis non placuit hæc Veterum ratio intervalla *quarta* & *quinta* dividendi, quoniam tertia major, composita ex duobus tonis majoribus, harmoniam efficere nequit, sed tantum tertia major, quæ composita est ex tono majori & minori. Quidam hinc collegerunt, Veteres in cantando non fuisse delectatos symphoniis, sed assa voce, quæ magis commovet hominum animos, quam plurium vocum mixtura: sed hæc obiter, & ὡς ἐν παρόδῳ dicta sunto.

Ut igitur ad institutum redeamus; ex iis, quæ supra dicta sunt, patet, minutissimum numerum eorum, a quibus initium fit intervalla *quinta* distinguendi, esse 192, quem numerum Campanus *minimum extremum* appellat. Massarius numerum hunc vitiose positum esse putat, & loco ejus legendum contendit 288, ob duas rationes: Prima est, chalcum non esse 192 partem unciæ, sed 288: Altera, numerum 192 non esse *minimum extremum*, sed numerum 288, quoniam, inquit, fractio, sive pars 288 totius, multo minutior est, quam pars centesima nonagesima secunda.

Ad hanc sententiam probandam Massarius adducit auctoritates Dioscoridis, Pauli Æginetæ, Rasis, Serapionis, & Avicennæ, qui omnes *chalcum* statuunt esse partem ducentesimam octogesimam octavam unciæ, non vero partem centesimam nonagesimam secundam.

Nihilominus, numerus 192 in Campano corrigendus non est, neque ejus loco ponendus 288. Quamvis enim *chalcus*, secundum opinionem quorundam medicorum, sit pars ducentesima octogesima octava unciæ, secundum S. Isidorum tamen est tantum centesima nonagesima secunda ejusdem unciæ pars. Nam cap. 24 lib. XVI. *de Metallis, Ponderibus & Mensuris* drachmam dividit in sex obolos, & obolum in 4 chalcos; ita ut chalcus, secundum S. Isidorum, sit 24 pars drachmæ, & proinde 192 pars unciæ. Quoniam enim uncia 8 drachmas continet, si 24 ducas in 8, productum erit 192.

Posterior ratio Massarii mihi non magis firma videtur, quam prior. Cum enim Musici harmonias, earumque intervalla, numeris exprimunt, crassioribus chordis majores, subtilioribus vero minores numeros assignant, ut ex divisione Systematis apparet.

Porro, cum Campanus unciam in 192 & 288 partes dividit, non est existimandum, eum unciam in monetas minores dividere, ut putarunt Metianus & Balbus, sed in plura pondera, etiam minutissima. Quis enim credat, Veteribus monetas sive nummulos adeo exiguos fuisse, ut eorum 192 vel 288 in uncia numerarentur? Si enim 192 ex uncia signati fuissent, singuli tantum granorum 2 & $\frac{1}{3}$ pondus habuissent; sin autem 288, singuli non excessissent pondere granum unum, & tres quadrantes; quæ pondera minutiora utique sunt, quam ut in monetam, etiam æream, cadere possint.

CAP. XXVIII.

Verum libræ antiquæ pondus cognosci posse ex mensura pedis antiqui, & quomodo. Justam pedis illius mensuram in charta exhiberi non posse. Deceptos fuisse, qui id facere conati sint. Pedes Pæti non habuisse exactam & justam longitudinem. Pætum debuisse sequi mensuram pedis Colotiani & Statiliani, & quare. Pondera, cum ad publicum modulum exiguntur, debere aliquid habere superpondii. Quare libra hodierna Romana pondere antiquam superet.

Omnes, qui in investigando antiquæ libræ Romanæ pondere operam posuerunt, eaque de re aliquid scripto prodiderunt, uno ore fatentur, ex vera mensura pedis Romani optime disci & colligi posse verum libræ antiquæ pondus. Si enim faciamus vas cubicum, ex omni latere quadratum, (*quadrantal* id Latini vocant) in longum, latum & profundum habens pedem antiquum; aqua communis, quæ vas istud replet, exacta ratione pendere debet 80 libras antiquas; ita ut pars octogesima istius aquæ, libram antiquam Romanam pondere æquare censenda sit. Hæc sententia nititur auctoritate Sixti Pompeji, in voce *publica pondera*, Metii Volusiani, Remmii Fannii, & S. Isidori, in Tractatibus, quos *de ponderibus & mensuris* scripserunt. Cæterum, nisi talis capiatur mensura, quæ exacte pedi antiquo respondeat, & nisi accurata diligentia vas construatur, aqua etiam huic experimento apta eligatur, & bilanx debito modo tractetur, longe a vero aberrabimus, etiamsi in una tantum harum circumstantiarum vel minimum fallamur, ut infra ostendetur.

Budæus, Alciatus, Porcius, Pætus, Mariana, Villalpandus Alchazarus, Ciaconus, Ghetaldus, Willebrodus Snellius, Capellus Angelocrator, Neander, Gruterus, Vigenærus, Georgius Agricola, Serlio, Philander, Philibertus de Lorme, & Scametzius mensuram pedis antiqui in libris suis delineatam nobis reliquerunt. Sed viros illos doctos valde fugit ratio, si existimarunt, se veram & exactam pedis antiqui mensuram in charta nobis exhibere posse, quoniam charta, prælo subjicienda, humectatur, eamque ob causam extenditur, postea vero siccata contrahitur. Præterea, si liber iterum imprimatur, & pes antiquus ad mensuram, in libro expressam, exigatur, longitudo ejus multo magis contrahetur.

Marianam & Snellium non latuit hoc vitium; quare ut ei mederentur, prior quidem formam sive mensuram pedis tanto longiorem exhibuit, quanto contractiorem a siccitate chartam effectum iri putavit: Alter non quidem eam ob causam longitudinem pedis extendit, sed ad calcem libri annotavit, quanto contractior charta post impressionem facta fuisset.

Nihilominus, Viri hi docti in opinione ista decepti fuerunt. Quoniam enim charta vel magis vel minus contrahitur, prout glutine magis minusve imbuta fuit, cum exacta æqualitas in singulis foliis glutine imbuendis servari nequeat, fieri sane non potest, quin folia chartæ, quamvis eidem prælo subjecta fuerint, post impressionem, alia aliis magis minusve contrahantur.

Permagni autem refert, in capienda pedis antiqui mensura ne in minima quidem circumstantia, si id fieri possit, falli, quoniam, etiamsi e. g. pe-

dem antiquum vel sexcentesima tantum parte justa longitudine minorem capiamus, exiguus ille defectus centesimam circiter partem capacitati & ponderi totius vasis detrahit. Nam si vas cubicum, factum ad mensuram pedis antiqui, cui sexcentesima tantum pars ad justam longitudinem deest, aqua communi repleatur, duarum circiter onciarum discrimen inter pondus aquæ, in vaso isto contentæ, & 80 libras interesse deprehendetur. Sæpe autem contingit, ut mensura pedis, chartæ impressa, multo fiat brevior, quam dictum est, eique plus centesima pars ad justam longitudinem desit.

Non igitur vera pedis antiqui mensura in libris impressis quærenda est, sed in monumentis lapideis & æreis, quæ nobis ex Antiquitate restant.

Pætus usus est tribus antiquis pedibus æreis, quos dicit inventos fuisse inter rudera antiqua; quibus tamen tuto credi non posse puto, quoniam mensuræ hæ factæ fuisse videntur ad usum privatorum quorundam hominum, qui eas aliquando breviores vel longiores fieri jubent, prout quæstus vel lucri ratio illud exigit. Experientia quotidiana id, quod dico, satis confirmat. Si enim metiamur pedes, quos opifices ad usum privatum penes se habere solent, illorum longitudinem veræ pedis mensuræ exacte respondere raro deprehendemus, quoniam plerumque vel breviores, vel longiores æquo existunt. Quemadmodum igitur hodie, qui veram & exactam pedis longitudinem nosse cupiunt, Curias urbium adeunt, ubi modulus ejus publice propositus est, ad quem omnium aliorum pedum mensura exigi debet: Ita quoque mensura pedis antiqui ea demum vera & exacta putanda est, quæ monumento alicui vel operi publico insculpta invenitur, præcipue si ei similis in alio quodam monumento reperiatur.

Pætus igitur pedem Colotianum, cujus mensura insculpta erat marmori publico, sequi potius debuisset, quam alios pedes, factos tantum ad usum privatum quorundam opificum. Objicit quidem Pætus, pedem hunc Colatianum insculptum fuisse marmori sepulcrali sculptoris cujusdam, ut putat, non ut veram pedis mensuram, illo tempore usitatam, repræsentaret, sed ut esset symbolum artis, quam defunctus quondam exercuisset: At vero negare non potest, mensuram Colotianæ prorsus similem, & longitudine parem, in partes pedis, etiam minutissimas, divisam, itidem inventam fuisse in monumento Statilii cujusdam, decempedatoris, & mensoris ædificiorum, ut Philander ad Vitruvium observavit.

Ratio, quæ Pætum maxime induxit, ut privatorum ejusmodi pedum mensuras, æri insculptas, potissimum sequeretur, meo quidem judicio, hæc est, quod pondus aquæ, quam capiebat vas cubicum, ad mensuram talium pedum factum, videret respondere multis ponderibus antiquis, tam æreis, quam lapideis, a se repertis. Sed ratio hæc nullius momenti apud eum esse debuisset. Nam, quoniam pedes illos breviores deprehendebat pedibus Colotiano & Statiliano, ut ipse testatur, colligere inde potius debuisset, pondera illa tam longo usu & attritu, quam ærugine, forsan imminuta, & detrimentum aliquod passa fuisse.

Principes & Magistratus, qui non ignorant, quantum quotidiano usu & attritu ponderibus abradatur & decedat, jubent ut pondera, cum ad ad publicum modulum exiguntur, nonnihil habeant superpondii. In edicto monetali Regis Francisci I. anno 1540 publicato, omnibus nummulariis, aurifabris, & gemmatiis severe præcipitur, ut libras habeant æquas; & ponderibus utantur prolixis, non malignis. Ipsa edicti verba, quæ Latine verti vix possunt, hic subjungemus: *Qu'ils ayent bonnes & justes balances, sans aucun remede sur le foible, mais sur le fort remede, estant a sçavoir, qu'un poids de 25 marcs doit avoir jusques a un estepin & demy de force, & des marcs en pile en la piece pesant 8 marcs de remede de force jusques a trois felins: En la piece pesant un marc demy felin, & en la piece pesant quatre onces, jusques a un demy quart de felin, sans quelconque autre remede &c.*

Antequam caput hoc finiam, de pondere hodiernæ libræ Romanæ conjecturam aliquam proponam. Cum Roma aliquoties misere vastata fuerit, verisimile videtur, pondus libræ publicæ, sæpius amissum, identidem restitutum & redintegratum fuisse ad modulum librarum privatarum, quæ, secundum leges, aliquid superpondii semper habere solent. Cum igitur libra Romana hac ratione sæpius restitueretur, pondus ejus adjectione illa superpondii paulatim auctum fuit; eaque ratio esse videtur, quare hodierna libra Romana pondere antiquam superet.

CAP. XXIX.

Rationes, cur libra Pæti fallat. Statera, sive unilanx, vulgo dicta Romana, *non tam exacte indicat ponderum differentias, quam bilanx. Pæti error, circa pondus libræ antiquæ. Pedem columnæ porphyreticæ, cujus Philander meminit, justo longiorem esse.*

Cum pes, quo Pætus usus est, pede Colotiano, ut ipse testatur, brevior sit septima unciæ parte, quæ est pars septuagesima secunda totius pedis (nam uncia est duodecima pars pedis,) longitudo ejus minor utique est, quam ut ad illius mensuram vas cubicum justæ magnitudinis construi possit; præcipue cum vas cubicum, ad proportionem pedis Colatiani factum, octoginta tantum libras antiquas aquæ communis capiat, ut postea ostendam.

Deinde etiam notandum est, Pætum non satis accurata & subtili ratione pondera antiqua examinasse, quoniam, ut bene observavit Villalpandus, in ponderibus illis explorandis unilance, loco bilancis, usus est, cum unilanx minutissimas ponderum differentias non tam exacte indicet, quam bilanx. Hinc in unilance viliores tantum merces ponderari solent, quoniam parvi refert, si forte justo illarum ponderi aliquot e. g. grossi in libram decedant.

Alium præterea errorem, a Villalpando non observatum, Pætus commisit, dum dicit, novem libras, sex uncias & dimidiam, quod pondus aquam congii sui habere deprehendit, æquare decem libras antiquas, & eo amplius, scrupulum & quatuordecim grana. Sed aliud Pætum egisse puto, cum hæc scripsit. Quoniam enim antea dixerat, libram antiquam 14 scrupulis leviorem fuisse hodierna libra Romana, ex principio isto inferendum utique erat, novem libras hodiernas Romanas, una cum sex unciis & dimidia, continere decem libras antiquas, & octo scrupulos hodierni ponderis Romani, non vero unum duntaxat scrupulum & 14 grana.

Cum enim libra antiqua, secundum Pætum, constet 274 scrupulis hodierni ponderis Romani, si 274 multiplices per 10, producetur tantum numerus 2740. Nihilominus novem libræ hodiernæ Romanæ, additis sex unciis & dimidia, excedunt decem libras antiquas 8 scrupulis hodierni ponderis Romani.

Causa

a

Causa erroris, quem Pætus erravit, hæc est, quod novem libris, sex unciis & dimidiæ ponderis antiqui addiderit quinque uncias & dimidiam, & scrupulum cum 14 granis hodierni ponderis Romani; cum quinque uncias & dimidiam ponderis antiqui addere debuisset paulo ante dictis novem libris, sex unciis & dimidiæ, iisdem ponderis antiqui; unde apparet, eum ex negligentia quadam pondera hodierna cum antiquis confudisse.

Idem Pætus in multo majorem lapsus est errorem, dum scribit, se æreum duarum unciarum pondus habuisse, cujus uncia 22 granis gravior fuerit uncia antiqua, & proinde 7 granis levior hodierna uncia Romana, quoniam nimirum, secundum ipsius calculum, hodierna uncia Romana 28 granorum pondere antiquam superat. Facto igitur vase, quod capiebat 22 uncias aquæ, singulas pondere unciæ modo memoratæ, & similiter facto alio vase ad mensuram pedis, a Philandro in columna porphyretica Romæ inventi, qui pes longitudine respondet alii pedi, quem modo laudatus Pætus inter rudera antiqua se reperisse testatur; quamvis pes, modo dictæ columnæ porphyreticæ, secundum eundem Pætum, octava parte unciæ, quæ est 36 pars totius pedis, longior esset pede, quem idem pro antiquo habet; nihilominus experientia se deprehendisse dicit, vas, capiens supra dictas 22 uncias aquæ, continuisse quadragesimam octavam partem vasis cubici, facti ad mensuram pedis columnæ porphyreticæ, quoniam ait, vas cubicum ad summum labrum fuisse impletum, cum aquam, in minore vase contentam, quadragies octies in illud effudisset: Id quod a veritate abhorret. Si enim pes posterior priorem excedit 36 parte, cubus, ad mensuram pedis posterioris factus, excedet cubum alterum, ad mensuram pedis prioris factum, circiter duodecima parte, cum tamen eum nonoisi vigesima sexta circiter parte excedere debeat, quoniam 21 grana, supra dicta, unciam antiquam Pæti circiter vigesima sexta ejusdem unciæ parte tantum superant: Pars enim unius eandem rationem habet ad partem alterius, quam totum unius ad totum alterius.

Porro, quod magis absurdum est, secundum hanc hypothesin, singulæ ex 22 unciis, supra memoratis, hodiernam unciam Romanam pondere excedere deberent, quæ tamen, ut supra ostensum est, uncia illa leviores sunt 7 granis: nam libra, quæ hodie Romæ in usu est, libram antiquam, secundum Pætum, decima octava tantum parte circiter excedit, & vas cubicum, factum ad mensuram pedis columnæ porphyreticæ, excedit duodecima circiter parte vas illud, quod factum est ad mensuram pedis antiqui Pætiani, ut supra dictum est. Experimenta igitur Pæti valde sunt dubia & fallacia, adeo ut illorum ope veram & certam notitiam pedis & libræ antiquæ Romanorum consequi nequeamus.

Pes antiquus columnæ porphyreticæ, cujus Philander ad Vitruvium mentionem facit, justam longitudinem pedis antiqui paulo excedit. Licet enim numerus 9 pedum characteribus Græcis columnæ illi sit inscriptus, ea nota tamen nos de vera longitudine pedis antiqui Romani certos facere nequit, quoniam opifices & architecti pede paulo longiore vel breviore utebantur in struendis columnis, quas pro ratione locorum, ubi collocandæ erant, nunc paulo breviores nunc longiores faciebant. Præterea, notæ hæc ideo videtur columnæ huic inscripta fuisse, ut eam distingueret ab aliis columnis longioribus vel brevioribus, quæ eidem ædificio ornando destinatæ erant, quippe cum solenne sit fabris & lapidum sculptoribus, opera sua certis characteribus, quibus ab aliis dignosci possint, notare.

CAP. XXX.

Pedem antiquum Villalpandi discrepare a vera mensura pedis antiqui. Alchazarum a Villalpando, cujus opinionem secutus est, in errorem inductum fuisse. Pedes Snellii, Budæi, & Serlii, multo magis a vera mensura pedis antiqui discrepare, quam Villalpandi. Josephum Scaligerum gravissime omnium hac in re errasse. Quinam mensuram pedis Colotiani secuti sint. Auctorem justam & veram mensuram pedis antiqui Roma afferri, & regulæ areæ incidi curasse. Mensuram hanc respondere pedi Colotiano. Experimentum circa pondus aquæ communis, factum in cubo, quartam pedis, supra memorati partem continente.

Pes a Villalpando nobis traditus, ob multas rationes rejiciendus est: primo enim, longior est, quam ut hodiernæ libræ Romanæ conveniat; & quamvis ei conveniret, supra tamen ex pondere numismatum antiquorum demonstravi, libram antiquam leviorem fuisse ea, quæ hodie Romæ in usu est: certum enim est, aureorum nummorum pondus a viris monetalibus accuratissima diligentia explorari semper solere. Supra igitur ostendi, *aureum*, inde a tempore Constanti M. percussum, habuisse tantum 84 granorum nostratium pondus: si vero libra hodierna Romana paris esset cum antiqua ponderis, eundem *aureum* plus 92 grana nostratia pendere oporteret, quod tamen secus est. Ponderosissimi enim illorum non excedunt 84 grana, ut experientia quemvis facile docebit.

Præterea Villalpandus, ut infra declarabo, in congio & bilance tractandis, & ad usum experimenti applicandis debito modo usus non est, qui error circa praxin commissus ingens ad varietatem ponderis momentum affert.

Porro, Ciacconius in fine Tractatus sui *de ponderibus & mensuris* refert, octo viros doctos, nimirum Antonium Augustinum, Johannem Baptistam Sighicellum, P. Octavium Pacatum, Achillem Maffæum, Achillem Statium, Benedictum, Fulvium Ursinum, & Latinum Latinium, plures pedes antiquos inter se contulisse, eosque omnes pedi Colotiano, qui brevior est pede Villalpandi, pares deprehendisse: Idem tamen addit, vas cubicum, factum ad mensuram pedis Colotiani, octoginta libras aquæ, hodiernæ libræ Romanæ pondere pares, cepisse; quod cum veritate minime congruit. Vas enim cubicum, ad mensuram modo dicti pedis factum, non potest capere 80 libras aquæ, quæ hodiernæ libræ Romanæ pondere pares sint: unde Viris illis doctis, vel in ineundis pedis sui mensura, vel in construendo vase, vel in tractanda bilance error obrepsisse videtur; in quarum circumstantiarum una si vel minimum fallaris, frustra verum pondus quæsiveris.

Alchazarus, mensuram pedis Villalpandiani secutus, eodem, quo Villalpandus, lapsus est errore.

Pes Snellii major est Villalpandiano, eamque ob causam magis a vera mensura pedis antiqui discrepare censendus est, quam alter. Pes Budæi, qui pedem Parisiensem pedi antiquo exæquat, multo magis repudiandus est, quam priores. Si enim, secundum sententiam Budæi, pes Parisiensis pedi antiquo responderet; solidus aureus, post ætatem Constantini cusus, circiter 96 grana; denarius argenteus Consularis, 84 grana; & denarius Imperatorius, Nerone recentior, 75 grana pendere deberet:

beret: nibilominus ipſe Budæus denariam Conſularem ſub Auguſto tantum 72 granorum pondus habere deprehendit.

Pes Serlii longius a vera menſura recedit, quam Budæi, quoniam Pariſienſi major eſt. Cæterum nemo ex omnibus in hoc argumento gravius mihi erraſſe videtur, quam Joſephus Scaliger in libro poſthumo *de re nummaria*, quippe qui pedem Druſianum, qui ſeſcuocia tantum, ſive ſeſqui pollice major erat pede monetali, ſive antiquo, eandem proportionem habere dicit ad modo dictum pedem monetalem, ſive antiquum Romanum, quam habent 22 ad 16, cum tamen non major ſit inter hos duos pedes proportio, quam quæ eſt inter 18 & 16. Præterea, pedem Druſianum pedi noſtro Regio, ſive Pariſienſi, æqualem ſtatuit; ſecundum quam hypotheſin, pes noſter Regius exceſſurus eſſet pedem Colotianum quadrante, quoniam eandem habiturus eſſet rationem ad pedem Colotianum, quam habent 16$\frac{1}{2}$ ad 12. Gravius deinde hallucinatur, dum dicit, ſe pedem Gallicanum cum Colotiano comparaſſe, eandemque ſe inter eos proportionem deprehendiſſe, quæ inter 22 & 16, ſive, quod eodem recidit, inter 16$\frac{1}{2}$ & 12. Sane vel mendum in numeros hic irrepſiſſe oportet, vel dicendum eſt, Scaligerum, cum hæc ſcriberet, plane aliud egiſſe. Ne Lector de iis, quæ diximus, dubitet, ipſa Scaligeri verba adducere viſum eſt, quæ ita ſeſe habent: *Item dicitur in Germania, in Tungris pes Druſianus, qui habet monetalem pedem & ſeſcunciam.* Et paulo poſt: *Pes igitur ille Druſianus major eſt Romano ſeſcuncia; fuit enim 22 digitorum, quantorum 16 eſt pes Romanus. Ex quo colligimus, pedem Druſianum omnino eſſe eum, qui hodie in Gallia & Belgio in uſu eſt, qui profecto major eſt 6 digitis, quantorum 16 eſt pes, qui Romæ in hortis Angeli Colotii ſculptus in ſaxo viſitur. Eum enim nos cum pede Gallicano comparantes, id veriſſimum eſſe deprehendimus.*

Reliqui, quorum ſupra mentionem feci, nimirum Portius, Alciatus, Agricola, Gruterus, Vigenærius, Angelocrator, Neander, Capellus, Mariana, Gheraldus, Ciacconius, Antonius Auguſtinus, Joh. Baptiſta Sighicellus, P. Octavius Pacatus, Achilles Maffæus, Achilles Statius, Benedictus, Fulvius Urſinus, & Latinus Latinius, omnes fere pedem Colotianum, tanquam verum pedis antiqui exemplar, ſequuntur.

Verum quidem eſt, eos pene omnes, non ſolum varie, ſed etiam minus accurate pedis hujus longitudinem in libris ſuis nobis exhibere, ſed hujus diverſitatis cauſa eſſe poteſt, vel quod veram pedis Colotiani menſuram non habuerint, vel quod eam, quam in libris impreſſis invenerant, exſcripſerint, vel quod charta, quæ tunc, cum prælo ſubjicitur, humida eſſe ſolet, poſtea ſiccata ſeſe nonnihil contraxerit.

Cum igitur tot pedum varietates, rationeſque ſupra expoſitæ abunde mihi viderentur probare, veram pedis antiqui longitudinem in charta exacte repræſentari non poſſe; ut certus eſſem de menſura pedis Colotiani, eum Romæ ad exemplar antiquum regulæ æneæ exacte incidi curavi, additis ejus diviſionibus, quatuor nimirum palmis, duodecim unciis, & ſedecim digitis; prout pes ille in area Capitolii in ingenti ſaxo marmoreo, ſex pedes circiter longo, unum vero & dimidium lato, ſculptus cernitur.

Reverendus Pater Renaldus, Ordinis S. Franciſci de Paula, qui hoc tempore Coadjutor eſt Reverendi Patris Provincialis Lutetiæ, pro ſuo erga me ſtudio & benevolentia pedem hunc Roma reduxit ad me attulit; quem, ut officioſam hanc humanitatem grato animo me agnoſcere oſtenderem, eidem R. Patri donavi, una cum cubo æreo, quem ad menſuram quartæ partis pedis hujus accuratiſſima diligentia confici juſſeram.

Non dubito, quin pes hic, quem Colotiano longitudine exacte reſpondere puto, ſit verus pes antiquus. Cum enim, ut modo dixi, vas cubicum ex ære feciſſem, quartam pedis hujus partem, ſive ſexageſimam quartam ejuſdem pedis, in formam cubicam redacti, partem continens, quæ pars ſexageſima quarta comprehendit quinque quaterniones, ſi 80 libræ tribuantur vaſi, menſuram totius pedis continenti; cum talem cubum confeciſſem, qui 5 quaterniones, ea, qua dictum eſt, ratione, continebat, eumque aqua communi repleviſſem, deprehendi, eum tredecim uncias aquæ, quantas marca noſtra habet, capere. Unde concludendum foret, libram antiquam tantum continuiſſe decem uncias, tres groſſos, 14 grana, & duas quintas unius grani partes; & proinde libra hæc levior foret libra ea, quam ſupra ex pondere numiſmatum eruimus, 57 granis noſtris, & inſuper tribus quintis unius grani partibus. Sed exigua hæc differentia, mea quidem ſententia, inde oritur, quod cubus ad menſuram quadrantis pedis hujus tam exacte & accurate confici nequeat, quin juſtæ ejus magnitudini vel tercenteſima pars deſit, quæ differentia adeo eſt exigua, ut acutiſſimam etiam oculorum aciem fallat. Nihilominus, ſi vel tercenteſima pars quadranti pedis hujus ad juſtam longitudinem deſit, cubus ad menſuram illam factus, centeſima parte minus continebit, quam cubus ille, qui juſtam & exactam quadrantis hujus menſuram obtinet; quæ centeſima pars in totum pondus aquæ, in cubo iſto contentæ, circiter groſſum efficit. Quare cum aqua cubi iſtius groſſo tantum, vel circiter, a juſto pondere diſtet; defectum hunc aſſignavero potius culpæ opificis, qui cubum tercenteſima parte, quæ ab eo oculis vix percipi poterat, juſta magnitudine minorem fecit, quam ut credam, pedem, qui hodie Romæ in area Capitolii ſaxo marmoreo inſculptus cernitur, non eſſe verum & genuinum pedem antiquum. Si cubum ad menſuram integri pedis confici curaſſem, in eo juſtæ magnitudinis rationem exactius & accuratius quidem obſervari potuiſſe exiſtimo; ſed quoniam menſura hæc nimis incommoda futura fuiſſet, ea mihi non placuit.

CAP. XXXI.

Angulos vaſis cubici apprime rectos eſſe oportere, & vas ipſum debito modo aqua repleri debere. Cur ſtatera, ſive unilanx, vulgo dicta la Romaine, *non tam exacte ponderum differentias indicet, quam bilanx. Quænam requiſita ſpectanda ſint in bilance, antequam juſta & accurata dici queat.*

Non ſufficit, rationem menſuræ in conficiendo cubo quam accuratiſſime initam eſſe, ſed requiritur etiam, ut idem cubus angulos quam maxime rectos habeat, quoniam, ſi id ſecus ſeſe habeat, experimentum hoc itidem fallet, ut non ignorant ii, qui vel leviter demonſtrationum Geometricarum gnari ſunt. Etiamſi enim quadranti pedis ne hilum quidem ad juſtam longitudinem deſit, ſi tamen omnes anguli, ut dictum eſt, non ſint tam recti, quam qui rectiſſimi, cubus erit arctior, & eo minus aquæ capiet.

Deinde, quod ad modum implendi attinet, ſciendum

dum est, cubum ita repleri deberi aqua, ut summa labra sequeatur.

Porro, in ponderanda aqua cubi adhibenda potius est bilanx, quam unilanx *(la Romaine)*, quoniam hæc non tam exacte ponderum differentias nobis indicat, quam illa: cujus causa est, quod notæ ponderum, quibus librile, sive scapus unilancis distinctus est, tam exiguo inter se distent intervallo, ut illarum ope omnes ponderum differentiæ & divisiones, ad granum usque, discerni vix queant. Præterea notandum est, duo brachia scapi sive jugi, utrinque directa, paris & crassitiei & longitudinis esse debere: secus enim si sit, bilanx fallet. Quamvis enim bilance illa ad æquilibrium redacta, examen in neutram partem propendeat, ita ut pondera, lancibus utrinque imposita, prorsus æqualia esse videantur; nihilominus pondus ejus lateris, cujus brachium levius est, semper erit gravius altero. Necesse etiam est, ut funiculi, ex quibus lances suspensæ sunt, paris sint longitudinis: alias enim, si bilancem a terra vel mensa sursum tollas, pondus ejus lateris, cujus funiculi longiores sunt, gravius deprehendetur, etiamsi revera levius sit altero, præsertim si situs clavi, qui medium jugi obtinere debet, paulo sit inferior.

Hic clavus in inferiore parte non rotundus, sed acutus, vel quadratus sit oportet, ut bilanx eo subtilius judicium faciat, sive ut examen ejus eo facilius & leviori momento huc illuc impellatur. Si enim clavus hic sit rotundus & crassior, præcipue in parte inferiore, bilanx non tam facile huc illuc nutabit, sed, etiamsi forte pondus unum altero paulo levius sit, examen tamen non propendebit in eam partem, in qua est pondus gravius, sed in æquilibrio permanebit.

Olim clavus hic erat rotundus: quare enim ad majores libras merces ingentis ponderis appendebantur, in centenas libras addebantur octonæ, quæ in inclinationem examinis imputabantur, ut apparet ex constitutione, quæ asservatur in camera Procuratoris Regii *(au Chastelet)* inserta volumini secundo de opificiis, fol. 138.

Non solum autem clavum hunc in parte inferiore rotundum, & in medio jugi situm esse oportet, sed præterea etiam requiritur, præcipue in Gallia, ut linea, ab una jugi extremitate ad alteram ratione ducta, & transiens per foramina, quibus unci & annuli funiculorum inserti sunt, transeat quoque per medium hunc clavum, ita ut situs ejus linea hac nec superior nec inferior esse debeat. Expresse hoc cautum est in Constitutione anni 1557. quæ quamvis a Carolo IX. anno 1564. & Henrico III. anno 1575. confirmata sit, vix tamen hodie in praxi observatur. Zygopæi enim plerumque clavum hunc paulo inferius locant, ut bilanx eo facilius in alterutrum partem a pondere deprimatur; quod nunc eo magis fieri videas, si clavus hic non solum situm habeat dicta linea paulo inferiorem, sed etiam in parte inferiore qoadratus sit & acutus.

Situs clavi hujus tanti in librandis ponderibus est momenti, ut, quamvis duarum lancium pondera sibi prorsus sint æqualia, si tamen clavus modo memoratus dicta linea paulo sit inferior, nec jugum bilancis habeat situm horizonti parallelum, sed altera quidem ejus extremitas infra lineam horizontalem sit depressa, altera vero supra eandem exstet; interdum plus octava ponderis pars alteri lanci adjicienda sit, ut jugum in eam partem deprimatur. Causa hujus rei est, quod ob situm hunc clavi, linea ante dicta in latere superiore interdum ad tertiam partem contrahatur; in latere vero inferiore, tanto fiat longior, quanto in altero brevior. Contra vero, si clavus infra eandem lineam situs sit, evenire poterit, ut linea illa in latere superiori, æque ac inferiori, octava fere longitudinis parte augeatur: unde contingit, ut, quamvis pondus lancis inferioris octava circiter parte gravius sit pondere lancis superioris, lanx tamen hæc superior deorsum vergat.

Hoc ita sese habere primo demonstratum est ab Aristotele, in quæstionibus mechanicis, cap. 1. & 2. & postea longe clarius a Patre Blancano, in explicatione locorum mathematicorum, quæ sunt in Aristotele; a Stejo, in Tractatu *de staticis experimentis*; multisque aliis doctis Mathematicis, veluti Jordano, Cardano, Tartale, & Guido Waldo.

Quamvis autem clavus in medio lineæ ante dictæ positus sit, nisi tamen jugum bilancis ad situm horizonti parallelum redigatur, antequam pondera trutinare incipias; vel, nisi ita tractetur bilanx, ut nec altera jugi extremitas dicta linea, quæ per clavum transit, superior, nec altera inferior existat; etiamsi pondera lancibus imposita sint æqualia, pondus tamen lancis depressioris, adjutum pondere examinis sive linguæ, in eam partem inclinantis, tanto erit gravius, quanto examen istud magis vel minus ab æquilibrio distabit.

CAP. XXXII.

Villalpandum in explorando congii sui pondere multa peccasse. Descriptio bilancis ultroque citroque identidem nutantis, quæ a Gallis dicitur a fleau allant & venant.

Ne igitur in trutinandis ponderibus labamur, studiose omnia, quæ supra diximus, observanda sunt; & proinde bilanx debito modo tractanda, ejusque jugum in situ horizonti exacte parallelo tenendum est, antequam lances eleventur, & librationis initium fiat.

Hæc ergo cum non observaverit Villalpandus, mirum non est, eum in explorando congii pondere insigniter deceptum fuisse. Dicit enim, se congium, aqua repletum, depressæ, sive inferiori libræ lanci imposuisse, & deinde se in aliud vas, quod elatæ lanci impositum erat, aquam tamdiu effudisse, donec ad pondus 10 librarum perventum esset; tunc enim lancem superiorem, sive supra lineam horizontalem elatam, deprimi cœpisse. At vero cum in bilance Villalpandi axis, sive clavus supra dictam lineam horizontalem situs fuerit, quem situm axes in plerisque tam Italiæ quam Hispaniæ libris habere solent; etiamsi aqua congii decem librarum pondus habuisset, lanx tamen, quæ congium illum sustinebat, a pondere, ut summum, novem librarum attolli, & ad situm horizontalem perduci potuisset, ob rationes supra expositas.

Porro notandum est, bilances has, quarum axis, ut dictum est, supra lineam horizontalem situs est, a nostratibus *a fleau allant & venant*, id est, ultro citroque nutantes vocari, quoniam scilicet ita comparatæ sunt, ut, etiamsi pondus unum aliquanto sit gravius altero, jugum tamen non deprimatur penitus versus eam partem, cujus pondus est gravius, sed dubiis & incertis inclinationibus huc illuc nutet, nunc supra lineam horizontalem adscendens, nunc infra eandem descendens. Ut omnibus clare pateat, verum esse quod dixi, nimirum non leviter a Villalpando peccatum fuisse in examinando congii sui pondere, ipsa ejus verba, quibus rationem & modum instituti a se experimenti describit,

in medium proferam. *Quinquies ampullam*, inquit, *in vas illud magnum effuderat P. Grimbergerus & bonam sexta partem, cum adhuc vas elevatum fidens pondere maneret, tantaque omnes expectatione & sollicitudine tenebantur, ut vehementer ipse P. Grimbergerus dubitare inciperet, nec propterea tamen aquam paulatim infundere desistebat. Mirum dictu, effusa tandem ampulla, vas usque ad colli terminum ex aqua plenum, pondera simul elevata, libraque examen in medio fixum.*

Hæc ratio ponderandi, & bilancem tractandi, adeo est fallax, ut nullus sit libripens, quin eam improbaturus & damnaturus sit.

Dicit tamen Villalpandus, libræ examen neutro inclinatum in medio fixum stetisse; quod non video, qui verum esse possit, nisi forte bilanx fuerit parum mobilis, eademque clavum habuerit crassiorem, & lingua ejus, sive angina, jugo non exacte perpendicularis fuerit. Existimo autem, examen libræ Villalpandianæ non stetisse fixum, jugo ad situm horizonti perfecte parallelum redacto, sed paululum infra lineam horizontalem depresso, quod evenire solet libris, a nostratibus *a fleau allant & venant* dictis, quippe quæ, cum a motu suo quiescunt, extra situm horizontalem, nunc magis nunc minus, constitutæ sunt, prout unum pondus altero vel magis vel minus grave est.

Colligere hinc licet, Villalpandum eadem ratione ponderasse 20 uncias aquæ, ampulla vitrea contentas, quarum eodem loco mentionem facit, & inde primarium ejus errorem ortum fuisse.

Experimentum igitur, quo Villalpandus antiquæ libræ pondus explorare conatus est, tanquam fallax & minimè accuratum rejiciendum est. Ex iis quoque, quæ Villalpandus paulo superius nos docet, satis apparet, cum minus dextre & caute in experimento hoc instituendo versatum esse, quoniam dicit, se vas suum æreum, priusquam ponderatum esset, probe eluisse, & bibulos metalli poros aqua saturasse; quæ sane experimenti faciendi ratio minime probari potest. Si enim vas aliquod aqua eluimus, antequam ponderemus, semper quædam aquæ particulæ, intus in vase remanentes, pondus ejus augebunt. Deinde, ineptum est credere, vas æreum aquam imbibisse; quasi metalla ita comparata essent, ut aquam imbibere possent.

CAP. XXXIII.

Quid præterea observandum sit ei, qui ope bilancis rerum pondera quam accuratissime explorare cupit. De modo ponderandi res in aqua. Isto ponderandi modo interdum deprehendi posse, quinam nummi ad veterum nummorum similitudinem in forma efficti sint (moulées) *item quantum argenti nummo aureo, quantumve æris nummo argenteo admixtum sit, id que citra ullam nummorum fusionem & detrimentum.*

Quamvis autem omnia, quæ superius dicta sunt, in tractanda bilance studiose observentur, falli tamen adhuc in trutinandis ponderibus & decipi possumus, si examen libræ non sit ad angulos rectos a jugo directum, nec status trutinæ, intra quam lingua, sive examen est, ad perpendiculum respondeat: nisi ènim hæc in examine ponderum summo studio caveantur, fieri non potest, quin insigniter fallamur, præsertim, si axiculus vel supra vel infra dictam lineam situs sit.

Omnes ergo illi minus caute bilancem tractant, qui eam non ex fibula, vel funiculo, fibulæ annexo, suspensam, sed ad caput ansæ sive trutinæ manu retinent, quoniam inde sæpè fit, ut status trutinæ modo dictæ non sit rectus, sed a perpendiculo nonnihil deflectat. Ne ergo hac trutinandi ratione, quæ admodum fallax est, fraus cuipiam fieret, legibus olim cautum fuit, ne bilanx ex capite ansæ prehensa, sed ex lino sive funiculo suspensa, manu teneretur, ut nos docet lex 1. Tit. VII. Cod. Theod. *de ponder. & auri inlat.* cujus hæc sunt verba: *Aurum quod infertur aqua lance & libramentis paribus suscipiatur, scilicet ut duobus digitis summitas lini retineatur, tres reliqui liberi ad susceptorem emineant, nec pondera deprimant, nullo examinis libramento servato, nec æquis ac paribus suspensa statera momentis.*

Omnium autem tutissimus & accuratissimus modus, quo in trutinatione ponderum uti possumus, est, si libra non teneatur manu, sed ea re quadam fixa & immobili suspendatur, quoniam vacillatio & tremor manus liberam jugi inclinationem & motum impedire potest.

Præterea, ne ullo modo hac in re peccetur, requiritur etiam, ut aër ejus loci, in quo fit examen ponderis, nec a vento ullo, nec halitu alicujus hominis agitetur. & ut situs jugi, antequam libra elevetur, horizonti exacte parallelus sit.

Quare illi, qui perquam accuratum ponderum examen instituere volunt, si situs mensæ, cui lances libræ impositæ sunt, non sit horizonti perfecte parallelus, lances illas ponunt in tabula, quam ab ea parte, qua est devexa, ope exigui cunei paulatim elevant, donec credant ejus situm ad lineam horizontalem redactum esse: id quod tum demum ita sese habere sibi persuadent, si lancibus æquali pondere oneratis, & libra deinde elevata, videant, examen in neutram partem vergere, sed in medio fixum stare.

Aurifices & metallorum excoctores, ut omnem cautionem in examine ponderum faciendo adhibeant, libras suas, funiculo serico ex trochlea quadam exigua suspensas, capsulæ, situm horizonti parallelum habenti, & vitro, ad ventum arcendum, undique munitæ includunt, quas deinde ope funiculi serici, qui circa trochleam volvitur, leniter a mensa capsulæ sublatas elevant.

Multum sane interest, quo in loco pondera rerum ad libram exigas. Nam si libram, non in aëre, sed in aqua suspendas, pondera duorum diversorum metallorum, veluti auri & stanni, quæ, libra in aëre suspensa, examen in æquilibrio retinebant, in aqua pondere multum inter se different. Stannum enim in aqua tanto erit levius auro, quanto aqua, e spatio, quod stannum occupat, expulsa, gravior erit ea aqua, quam corpus auri, quod mole longe cedit stanno, e loco suo expulit, ut Archimedes demonstrat *Propos.* VII. Lib. 1. *de iis qua vehuntur aqua*, & post eum Remnius Fannius, Jordanus, Tartales, Stejus, Ghetaldus, Donnotus, & alii.

Hic modus temperaturam & misturam metallorum, citra ullam eorum fusionem & detrimentum, explorandi, multo est subtilior & certior eo; quo Archimedes olim usus fuisse legitur, cum coronam Regis Hieronis in aquam immergeret, ut ejus temperaturam deprehenderet. Cæterum, si hoc ponderandi modo indagare velimus, quantum e.g. argenti vel æris auro admixtum sit, certi prius esse debemus, nullum aliud metallum præter argentum vel æs auro admixtum esse.

Eodem experimento deprehendi etiam potest; an numisma aliquod aureum vel argenteum sit adulteri-

ternum, & in forma fusum (*moulée.*) Quoniam enim aurum & argentum pura, formæ suæ, in qua fusa sunt, figuras non æque eleganter & pulchre exprimunt, ac mixta; illi, qui hæc metalla in formis fundere volunt, auro parum argenti, & argento parum æris plerumque admiscent. Hæc ratio est, quare argentum regale, quod aurifices fusioribus bis destinant, bonitate & puritate reliquo argento inferius fit: permittunt enim ipsis tali argento uti cum aliæ constitutiones, tum præcipue constitutio Ludovici XII. cujus supra mentionem feci. Illi qui ponderationis hujus, quam in aqua fieri diximus, periculum facere volent, modum ejus & rationem addiscere poterunt ex auctoribus supra laudatis, præcipue recentioribus, qui eam tam clare descripserunt, ut minime necessarium judicem, hoc loco repetere, quæ ab illis de hac materia fusius tradita sunt.

CAP. XXXIV.

Variæ opiniones de pondere aquæ communis. Fallax Snellii circa hanc rem experimentum. Differentiam ponderis, quæ inter diversa aquæ communis genera intercedit, esse minimam, & nullius pene momenti.

Ut in examine ponderum instituendo summa cautio adhibeatur, quidam etiam delectum aquæ habendum esse præcipiunt, quod non omnes aquæ paris sint ponderis. His adstipulatur Rhemnius Fannius in Carmine suo *de ponderibus & mensuris veterum*, quippe qui aquas pondere inter se differre observat, dum ait:

> *Nec errantes undis labentibus amnes,*
> *Nec magis putels latices, aut fonte perenni*
> *Manantes par pondus habent.*

Celsus itidem in diversis aquæ communis generibus diversum pondus agnoscit. Aquam enim pluviam omnium dicit esse levissimum; palustrem vero, omnium gravissimam. Secundo ab aqua pluvia loco ponit aquam fontanam; huic proximam, fluvialem; tum ex nive, vel glacie soluta ortam; ultimam denique palustrem. Avicenna 12. doc. 2. c. 16. existimat, diversum aquarum pondus deprehendi posse, si duo lintea, pondere paria, duabus diversis aquis immersa madefacias, & deinde exsiccata ad libram exigas. Illud enim linteum, quod graviorem & crassiorem aquam imbibit, pondere alterum superaturum esse putat. Inter antiquas Inscriptiones Gruteri exstat una, notatu admodum digna, ex qua discimus, non hodie demum natam esse opinionem illorum, qui putant, aquas esse ponderandas, ut, quæ bonitate cæteris præstent, exploratum habeatur. Verba Inscriptionis Gruterianæ hæc sunt: IMP. DIOCLETIANVS. C. AVG. HOC EXCAVATO SAXO QVÆSITAM AQVAM JVGI PROFLVVIO SCATENTEM INVENIT MART. SALVBRIOREM. TIBER. LEVIOREM, CVRANDIS ÆGRITVDINIBVS STATERA JVDICAT.

Snellius in *Eratosthene Batavo* refert, se mense Majo aquam pluviam, quamprimum e cœlo deciderat, ponderasse, eamque quinquagesima secunda, ut minimum, parte graviorem deprehendisse aqua fontana: quod tamen valde paradoxum mihi videtur, quoniam ii, qui de pondere aquarum scripserunt, omnes uno consensu affirmant, aquam pluviam esse omnium levissimam.

Hinc mihi potius persuadebo, Snellium in examine suo instituendo, & bilance tractanda non adhibuisse debitam cautionem, quam ut ejus sententiæ, quæ omnium doctorum auctoritati & communi experientiæ repugnat, fidem tribuam.

Hippocrates, Galenus, & fere omnes Græci, agnoscunt quidem etiam aliquam differentiam in pondere aquarum communium, quarum omnium levissimam cum aliis statuunt aquam pluviam: sed hæc differentia adeo est exigua, & modus de salubritate aquarum ex pondere judicandi adeo incertus, ut, consentibus iisdem viris doctis, virtus & bonitas earum multo melius explorari possit, si observemus, quam facile aqua per venas sese diffundat, quam cito refrigescat vel calefiat, & legumina percoquat; præsertim, cum reperiantur aquæ, pondere quidem pares, sed qualitatibus diversissimis præditæ, ita ut aliæ sint salubres, aliæ vero maxime insalubres. Hinc Erasistratus apud Athenæum lib. II. observat, falli eos, qui de qualitate aquarum ex pondere judicare velint, dicitque, se ipsum experientia cognovisse, aquas Amphiarati & Eretriæ, par quidem habuisse pondus, attamen alteram ex illis fuisse salubrem, alteram vero insalubrem.

Ego ipse diversis anni temporibus & locis aquas pluviam, fontanam, fluvialem, cisternarum & puteorum ponderavi; sed cum eas vix quinquies centesima parte ponderis inter se distare deprehenderim, exiguam illam differentiam a vitio libræ, vel vacillatione manus potius, quam a quadam inæqualitate ponderis ortam crediderim. Verum tamen est, me aquam pluviam, quæ e cœlo primum deciderat, quinquies centesima ponderis parte circiter leviorem aliis aquis deprehendisse. Merito ergo & recte inquit Plinius lib. XXXI. c. 3. *Levitas illa deprehendi sensu vix potest: nulla pene momenta ponderis aquis inter se distantibus.* Et paulo post: *Quidam statera judicant de salubritate, frustrante diligentia, quando perrarum est, ut levior sit aliqua.*

Quod ad liquores, & aquas alias, quæ non sunt communes, attinet, eas pondere multum inter se differre nemo ignorat.

CAP. XXXV.

Explicatio loci difficillimi apud Athenæum lib. II. de pondere aquæ montis Pangæi. Versionem antiquam loci hujus esse meliorem versione Dalechampii. Hallucinatio Dalechampii tam in vertendo hoc loco, quam in exponenda voce κύλιξ, Casaubonum errores Dalechampii non animadvertisse.

Apud Athenæum lib. II. c. 12. exstat locus, qui, quoniam valde est intricatus, & pugnare videtur cum iis, quæ supra a nobis de pondere aquarum dicta sunt, dignus nobis visus est, quem hic attentius examinaremus. Omnes interpretes locum hunc ita interpretantur, ut dicant, Athenæum nos docere velle, aquam montis Pangæi hyeme tanto fuisse graviorem, quam æstate, ut inter diversa ejus pondera non minor fuerit differentia, quam quæ est inter 96 & 46; quæ proportio semissem aquæ excedit.

Quidam, proportionis hujus enormitatem considerantes, mendum in numeris esse existimarunt, & proinde 66 pro 46 legere maluerunt. At, etiamsi concedatur, 66 pro 46 legendum esse, non videtur tamen ulla aqua diversis temporibus pondere a se ipsa tantopere differre posse, cum ne quidem inter aquam fortem & aquam maxime falsam tanta ponderis differentia intercedat, quod ex experimento compertum habeo, dum pondus aquæ for-

fortis, & aquæ, maxima copia salis impraegnatae, ut loquuntur, statera pensavi. Verba ipsa Athenæi hæc sunt: Τὸ δὲ πρὸς τοῖς περὶ Πάγγαιον μετάλλοις, τῷ μὲν χειμῶνι τὴν κοτύλην ἄγειν ἔχει ἐνενήκοντα ἕξ, θέρους δὲ τεσσαράκοντα ἕξ. quem locum vetus interpres Latinus sic vertit: *Earum quæ sunt apud metalla circa Pangæum hyeme vas ducens habet nonaginta sex, at æstate quadraginta sex.* Dalechampius vero eundem locum ita reddit: *At ejus quæ fluit e Pangæi fodinis cotyla 96 hyeme drachmas pendit, æstate sexaginta sex.* Priorem harum versionum judico meliorem, & magis convenientem vero sensui Athenæi, ob rationes, quas postea tradam.

Ad locum hunc recte intelligendum, multa scitu sunt necessaria; & primo quidem pro certissimo habendum est, quod & sequentia loci hujus verba docent, Athenæum hoc loco de ea tantum aqua loqui, quæ usui horologiorum in monte Pangæo inserviebat: deinde exploratum habere debemus, quomodo comparata fuerint horologia veterum, quæ fuerit olim forma horarum, quis situs montis Pangæi: Et denique requiritur, ut Astronomiæ periti simus.

Quod ad horologia veterum attinet, certum est, eorum primum principium movens fuisse aquam, cujus vice hodie in horologiis majoribus funguntur pondera pendula, in minoribus vero & portatilibus, elater chalybeus (*ressort.*)

Stricturam & formam horologiorum antiquorum discere possumus ex Vitruvio, Architect. lib. IX.

Quod ad horas attinet, earum ratio prorsus alia erat apud Veteres ac nos. Tempus enim inter ortum & occasum Solis interjectum dividebant in 12 partes æquales, *horas* vocatas, quæ æstate tanto longiores erant, quam hyeme, quanto longius erat tempus, quod æstate inter ortum & occasum Solis intercedebat, quam hyeme. Ex. gr. quoniam Parisiis dies naturalis tempore solstitii æstivi altero tanto longior est bruma, sive die brevissimo hyemis, horæ quoque antiquæ diei longissimi in eadem urbe duplam habent longitudinem ad horas diei brevissimi. Cum igitur mons Pangæus sub quadragesimo secundo circiter gradu latitudinis Borealis, ut tabulæ Geographicæ demonstrant, situs sit, horæ diei longissimi eandem ibi circiter habent rationem ad horas diei brevissimi, quam habent 10 ad 14; si nempe numerus minor proportionem majorem, & contra numerus major proportionem minorem designet: eodem enim toto nunc in 10, nunc in 14 partes diviso, pars decima ejusdem totius major est parte decima quarta.

Secundum hanc igitur horarum numerandarum rationem, Sol semper & quocunque anni tempore orietur hora prima, occidet hora duodecima; media diei pars incidet in horam sextam; quadrante diei exacto, numerabitur hora tertia; tribus quadrantibus exactis, hora nona; triente exacto, hora quarta, & denique duobus trientibus exactis, hora octava. Ab hac origine profluxit divisio illa horarum Ecclesiasticarum & Canonicarum, in primam, tertiam, sextam, nonam, & Vesperam, quæ adhuc hodie in usu est. Nemo historias, tam sacras, quam profanas recte intelligere poterit, nisi cognitam habeat rationem harum horarum, quæ appellantur *antiquæ*, quia Antiqui iis usi fuerunt; & *inæquales*, quia pro diversis anni temporibus nunc contractiores, nunc longiores existunt.

Horæ igitur diei longissimi in monte Pangæo eandem circiter habebant ad horas diei brevissimi rationem, quam habent 10 ad 14, vel 46 ad 64, numero minore, ut supra dictum est, majorem temporis proportionem, & contra, majore minorem designante. Ob hanc igitur causam non opus fuisset hyeme ad usum horologiorum majore aquæ copia, quam quæ dictæ proportioni respondebat: sed notandum, aquam lentiori motu hyeme fluxisse, quam æstate, idque ob duas rationes, quarum prior est, quod frigus liquorum particulas spissat, calor contra attenuet & subtiliores reddat (ob quam causam aqua illa non poterat per idem foramen hyeme æque facile & cito fluere, ac æstate: nam & in nostris clepsammidiis observare licet, arenæ granula, quo sunt minutiora & subtiliora, eo celerius & facilius per foramen suum transire;) altera ratio erat, quod aqua hyeme ad oras tubulorum, per quos manabat, frigore constricta, non posset tam cito, nec tam copiose per dictos tubulos hyeme, quam æstate fluere. Hinc igitur Athenæus nos docere vult, aquam tempore hiberno ad usum horologiorum in monte Pangæo necessariam, eandem habuisse rationem ad aquam æstivam, quam habent 64 ad 46, si nempe ponamus, aquam illam quovis tempore eodem tenore & eadem celeritate fluxisse; at quam habent 96 ad 46, si consideremus, quanto tardius eadem aqua hyeme fluxerit, quam æstate, ob rationes antea expositas, quas & ipse Athenæus verbis his eodem loco declarat, dum inquit: Συστέλλει δὲ αὐτὰ καὶ πυκνοῖ μᾶλλον τὸ ψῦχος, διὸ ἐν τοῖς γνώμοσι ῥέον οὐκ ἀναδίδωσι τὰς ὥρας ἐν τῷ χειμῶνι, ἀλλὰ περιττεύει βραδυτέρας οὔσης τῆς ἐκροῆς διὰ τὸ πάχος. quem locum Dalechampius sic reddit: *Spissat enim & contrahit magis illam* (aquam) *frigus quam cæteras. Quapropter in horarum indicibus cum fluit, horas non reddit certas, & pares æstivis, sed inæquales, exitu ob crassitiem tardiore.*

Ex ante dictis manifesto etiam colligitur, vocem κοτύλη in hoc loco Athenæi non significare mensuram aliquam, sed vas quoddam cavum, per cujus fundum pertusum aqua ad horologium affluens, varie temperabatur, prout index, qui horas monstrabat, vel citius, cum dies decrescerent, vel tardius, cum iidem crescerent, circumagendus erat. Fundus hic, per quem aqua manabat, secundum Vitruvium, plerumque erat aureus, vel ex alia quadam materia, quæ similis esset crystallo, quoniam ejusmodi materiæ nec situm nec rubiginem, quæ cursum aquæ non parum impediunt & retardant, contrahere solent.

Latini ejusmodi vas, per quod, ut dictum est, aqua ad horologia affluebat, appellarunt *cavum*, ut nos docet Vitruvius in fine lib. IX. ubi horologia talia describit, quamvis satis obscure.

Significatio hæc vocis κοτύλη confirmari potest ex alio loco ipsius Athenæi lib. XI. quippe ubi auctoritate Apollodori probatur, veteres Græcos omne id, quod erat cavum, appellasse κοτύλη.

Dalechampius igitur insigniter hallucinatus est, tam in vertendo, quam interpretando hoc loco; nec Casaubonus, qui post Dalechampium Athenæum illustravit, excusari potest, quod non correxerit errores Dalechampii, quos duos potissimum hic notamus; primo, quod vocem κοτύλη hoc loco putaverit significare mensuram, continentem 78 drachmas aquæ communis, cum significet instrumentum vel vas cavum, per cujus fundum olim aqua ad horologia affluebat, & quidem magis vel minus copiose, prout varia dierum horarumque longitudo vel brevitas id exigebat; secundum quem sensum, vox κοτύλη non debuisset a Dalechampio verti *cotyla*, sed *cavum*, ad imitationem Vitruvii: secundo, quod Dalechampius, licet in Græce legerit τεσσαράκοντα, *quadraginta*, nihilominus in versione sua expresserit numerum 60.

Nimirum Dalechampius, cum non intelligeret sensum loci hujus, putavit Athenæum nos docere velle,

velle, quanto aqua montis Pangæi, ejusdem quantitatis & mensuræ, veluti cotylæ, gravior fuerit hyeme, quam æstate: cotyla enim, quæ secundum observationem Dalechampii, in margine textus positam, continebat 78 drachmas aquæ communis, æstate quidem aqua montis Pangæi repleta, 66, hyeme vero 96 drachmarum pondus habuit; ita ut secundum hanc interpretationem, dicta aqua æstate duodecim drachmis levior fuerit aqua communi, quoniam 78 & 66 numero duodenario dissident; hyeme vero, eadem aqua communi gravior fuerit 18 drachmis, quoniam 78 & 96 numero duodevicenario a sese distant.

Hæc igitur interpretatio Dalechampii non minus rejicienda est, quam ejus versio, quippe cum experimentis, supra allatis, probatum sit, fieri non posse, ut in eandem aquam pro diversis temporibus, tanta ponderis differentia cadat.

Ob has rationes non aliter putem interpretandum esse locum Plutarchi in *Quæst. Natur. Quæst.* VII. ubi auctor modo laudatus de hac aqua montis Pangæi agens, ex Theophrasto refert, eam duplo graviorem esse hyeme, quam æstate; quem quidem locum sensu supradicto exponere satius est, quam duos hos clarissimi nominis viros, Theophrastum nempe & Plutarchum, erroris accusare.

CAP. XXXVI.

Anacephalæosis eorum, quæ Auctor dixit observanda esse illi, qui verum pondus libræ antiquæ, ope cubi, ad pedis antiqui mensuram facti, indagare vult. Præcipua causa, quæ Villalpandum in errorem induxerint. Alchazarum & fallere & falli dum scripsit, Pætum præsentem fuisse, cum Villalpandus experimentum suum perageret.

Ut omnia, quæ superioribus capitibus diximus studiose esse observanda ei, qui pondus libræ antiquæ ope vasis cubici, ad justam pedis antiqui mensuram facti, & ad summum usque labrum aqua repleti, investigare vult, in unam summam breviter contrahamus, hæc animo tenenda sunt præcepta: primo omnium, ad manum sit vera pedis antiqui mensura, qualem hodie saxum marmoreum Romæ in area Capitolii exhibet; conficiatur vas cubum, quod exactissime magnitudini pedis ante dicti respondeat, & quod angulos habeat apprime rectos; aquæ pondus non exigatur ad unilancem, vulgo *la Romaine* dictam, sed ad bilancem, cujus ambæ lances ejusdem sint ponderis, funiculi paris longitudinis, duo jugi brachia tam longitudine, quam crassitie sibi æqualia; clavus jugi sit quadratus & acutus, non vero rotundus in parte inferiore, situs in medio jugi, nec infra nec supra lineam imaginariam, quæ ab una extremitate jugi ad alterum ducta, transit foramina illa, quibus inserti sunt annuli, ex quibus funiculi lancium dependent; examen ita stet erectum, ut jugo sit perpendiculare, sive, ut cum eo angulum rectum formet; in summitate ansæ sive trutinæ sit foramen, eique inseratur fibula, ut tota bilance ex re aliqua fixa & immobili suspensa, ansa ad situm exacte perpendicularem redigatur, quod fieri vix potest, si eadem ansa manu teneatur; bilanx sit in tali loco, cujus aër a nullo vento agitetur, imo ne a halitu quidem eorum, qui eam circumstant; antequam lances libræ, ad ineundum ponderum examen, eleventur, jugum sit constitutum in situ, lineæ horizontali parallelo, & examen ita in medio stet fixum, ut in neutram partem inclinet. Hæc omnia nisi diligenter & sedulo observentur, semper nos experimentum fallet, præcipue vero, si ultimum præceptum negligatur, uti id neglexit Villalpandus, tam in pondere sextarii, quam congii antiqui explorando, quoniam in utroque experimento alterum jugi caput depressit, alterum vero elevavit: quo accedit, quod eum usum credam tali bilance, quas nostrates *a fleau allant & venant*, sive, huc illuc nutantes vocant, quales in plerisque Italiæ locis in usu sunt.

Eodem errore puto deceptum esse Ciacconium, & cum eo reliquos octo primariæ dignitatis viros, quos dicit idem experimentum fecisse.

Notandus etiam est error Alchazari, scribentis, Pætum præsentem spectasse experimentum Villalpandi; quod secus sese habere, ex ipso Villalpando, qui omnes experimenti istius spectatores recenset, demonstrari potest; ne dicam, Pætum eo tempore, quantum quidem compertum habeo, rebus humanis jam fuisse exemptum.

CAP. XXXVII.

Pætum, Marianam, & Covarruviam, in perscrutando pondere libræ antiquæ omnium proxime ad verum accessisse. Libram Pharmacopolarum in Hispania male esse redactam ad libram communem istius regni. Pondus libræ Medicinalis in Gallia.

Ex omnibus illis, qui in perscrutando libræ antiquæ pondere elaborarunt, nemo, ut puto, propius veritatem accessit, quam Pætus, Mariana, & Covarruvias. Pætus enim libram antiquam hodierna libra Romana leviorem statuit quatuordecim scrupulis, quales hodie Romæ in usu sunt; quos 14 scrupulos, qui circiter 313 grana nostra continent, si detrahas de 6432 granis, quæ hodie sunt in libra Romana, quam ponimus æqualem esse libræ Hispanicæ, restabunt 6119 grana, libræ antiquæ Pæti tribuenda. Cum igitur supra demonstraverim, verum pondus libræ antiquæ esse 6048 granorum, manifestum est, libram antiquam Pæti 71 granis tantum excedere veram libram antiquam, quæ differentia valde exigua est.

Mariana & Covarruvias propius Pæto ad verum libræ antiquæ pondus accedunt, quoniam statuunt, libram pharmacopolarum in Hispania pondere æquare libram antiquam Romanam. Cum enim libra communis Hispaniæ contineat 6432 grana nostra, & libra pharmacopolarum in eodem regno, secundum modo dictos auctores, decima sexta parte levior sit libra illa communi; pondus libræ pharmacopolaris, si partem decimam sextam de modo dicta libra communi Hispaniæ detrahas, deprehenditur esse 6030 granorum; unde conficitur, libram hanc pharmacopolarem duodeviginti tantum granis leviorem esse vera libra antiqua Romanorum. Hinc apparet, insigni errore in Hispania deceptos fuisse eos, quorum consilio factum, ut libra pharmacopolaris Hispaniæ mutata fuerit in libram communem ejusdem regni, quod non longo abhinc tempore factum esse, testatur Alchazarus: illi quippe cum Villalpando persuasum habuerunt, libram communem pondere æquare libram antiquam Romanam. At vero, cum in Hispania decretum esset, libram totius regni eo redigere, ut pondere par esset libræ antiquæ Romanorum, abroganda potius fuisset libra communis, & sola pharmacopolaris retinenda, quippe quæ discrimine valde exiguo, ut diximus, ab antiqua libra Romana differt, vel saltem pharmacopolis pristina libra relinquenda fuisset.

 Quod

Quod ad libram medicinalem & pharmacopolarem in Gallia adtinet, ea vigesima & una parte levior est antiqua libra Romana, quippe ad quam eandem habet proportionem, quam habent 20 ad 21. Ex. gr. scrupulus medicinalis in Gallia continet 20 grana marcalia, sive qualia sunt in marca nostra; scrupulus antiquus vero 21 grana: drachma medicinalis in Gallia, 60 grana; antiqua 63: uncia medicinalis in Gallia, 480 grana; antiqua 504: ubi notandum, quamvis libra medicinalis in Gallia sit divisa in 12 uncias, has 12 uncias tamen æquare tantum 10 uncias marcales, sive, qualibus marca constat, quoniam scrupulus medicinalis continet tantum 20 grana, cum scrupulus marcalis contineat 24; ita ut drachma medicinalis grosso nostro levior sit sexta parte modo dicti grossi, & uncia medicinalis itidem uncia mercatoria, sive marcali, levior sit sexta parte dictæ unciæ marcalis: qua in re multi decepti fuerunt, existimantes, duodecim uncias, in quas libra medicinalis divisa est, pondere pares esse unciis marcalibus.

CAP. XXXVIII.

De libra antiqua tam ponderali, quam mensurali. De hemina, sive cotyla Romana & Attica. De Sextario. Libram mensuralem sexta parte leviorem fuisse libra ponderali.

Antequam dissertationem hanc de libra antiqua Romanorum finiam, non possum quin ad materiam hanc magis illustrandam lectores doceam, Romanos olim duplicem habuisse libram, alteram *ponderalem*, & alteram *mensuralem*: de quarum priori, sive *ponderali* superioribus capitibus egimus. Libra *mensuralis* erat certa quantitas liquoris, aquæ puta, vini, aceti, vel olei, decem uncias antiquas pendens, cui admetiendæ inserviebat vas, plerumque corneum, quod pro varia gravitate liquoris mensurandi, vel magis vel minus capax erat. Vas hoc appellabatur libra, eratque lineis divisum in 12 partes, eodem modo quo libra ponderalis erat divisa in 12 uncias; quarum partium quælibet vocabatur *uncia*, pariter ac in libra ponderali, quoniam utriusque libræ partes eodem nomine appellabantur.

Quamvis autem vas hoc divisum esset in duodenas unciales mensurales, non plus tamen denas ponderales, cujuscunque liquoris, capiebat, eratque idem quod *hemina* sive *cotyla Romana*.

Quoniam igitur præter hanc alia quoque erat cotyla, *Attica* dicta, qua Athenienses in admetiendis liquoribus suis utebantur, ei pariter datum fuit nomen *libra*, quoniam duodecim sectionibus in 12 partes æque ac cotyla Romana divisa erat: sed hæc libra Attica, tam ratione ponderis, quam mensuræ, quadrante fere minor erat libra Romana.

Sextarius binas capiebat cotylas; quod nomen mensuræ quamvis esset Romanum, uti & ipsa mensura erat Romana, Græci tamen, a Romanis subacti, uti multas alias voces Romanas, ita etiam hanc vocem *sextarius*, ad pronuntiationis suæ modum, ut fieri solet, nonnihil inflexam, in linguam suam receperunt: neque solum voci huic, sed etiam ipsi mensuræ paulatim assueverunt, ita tamen ut differentia quædam magnitudinis inter ipsorum & Romanorum *sextarium* maneret, quoniam Atheniensium sextarius quadrante minor erat Romano, quamvis idem nomen haberet.

Hac ratione igitur sextarius antiquus pro diverso respectu continuit libras duas, uncias viginti, duodeviginti, & quindecim: cotyla vero, libram unam, uncias decem, novem, & septem cum dimidia, quæ conficiunt 63 drachmas. Sextarius enim Romanus, seu Italicus, capiebat duas libras, seu 24 uncias mensurales, & 20 uncias ponderales: sextarius Atticus, qui Romano, ut diximus, quadrante erat minor, tam ratione ponderis, quam mensuræ, continebat octodecim uncias mensurales, & 15 ponderales: Cotyla Romana continebat libram, sive 12 uncias mensurales, & decem ponderales; Attica, novem mensurales, & septem ponderales cum dimidia, quæ æquant 60 drachmas.

Non solum auctores recentiores fere omnes, sed etiam quidam ex antiquis decepti sunt, quod has distinctiones non observarent.

Ex iis, quæ dicta sunt, patet, libram mensuralem sexta parte leviorem fuisse libra ponderali, quoniam prior decem, posterior vero duodecim uncias pendebat; ita ut libra mensuralis eandem olim habuerit rationem ad libram ponderalem, quam hodie habet libra medicinalis, sive 12 unciæ medicinales ad 12 uncias marcales. Quamvis enim libra medicinalis contineat 12 uncias, hæ 12 unciæ tamen pondere tantum æquant 10 uncias marcales, ut supra dictum est.

Postquam satis clare & distincte, ut puto, duo librarum antiquarum genera a me sunt tradita, & tota hæc materia, adeo intricata, & tot difficultatibus laborans, ita exposita, ut nemo non eam facile intelligere possit, restat, ut sententiam meam sequenti capite rationibus & auctoritatibus confirmem.

CAP. XXXIX.

Argumenta, quibus ea, quæ capite præcedenti dicta sunt, probantur.

Libram mensuralem veterum Romanorum fuisse certam liquoris quantitatem, decem uncias antiquas pondere æquantem, cui metiendæ vas, ex cornu plerumque factum, inservierit, demonstrari potest ex Galeno lib. III. *de composit. medicament. per genera*, cap. 1. & lib. VI. c. 8. Verba enim ejus, in Latinum versa, quæ in priore loco leguntur, sic se habent: *Est autem apud ipsos Romanos mensura, qua oleum metiuntur, intersecta lineis dividentibus tantum in 12 partes, atque mensura integra vocatur ab eis libra, duodecima ejus pars uncia.*

Vas hoc plerumque fuisse corneum, idem Galenus testatur lib. VI. dum ait: *Ego tamen oleo libram Roma nuncupatam, quam intersectis cornibus metiuntur, appendi aliquando, cupiens scire, quantum ponderis haberet, inveni vero 12 uncias mensurales decem ponderalibus æquales.*

Libram hanc mensuralem fuisse ipsissimam *heminam*, sive *cotylam* Romanam, itidem modo laudatus Galenus lib. IV. *de sanitate tuenda*, c. 8. his verbis, secundum versionem Latinam, testatur: *Esto autem & hemina ipsa Italica, quam utique & libram nominant.*

Porro, extitisse olim & aliam mensuram, quadrante minorem præcedenti, sive novem tantum uncias mensurales capientem, appellatam *heminam*, sive *cotylam Atticam*, idem Galenus, cum alibi, tum etiam lib. I. *de Composit. medicam. per genera*, cap. 15. nos docet, quippe ubi reprehendit Andromachum, quod is in compositione medicamenti alicujus heminam sive cotylam olei præscribens, nominatim non expressisset utra cotyla, *Romana* ne scilicet, an *Attica* adhibenda esset, cum tamen posterior

sterior novem tantum, prior vero sive *Romana* duodecim uncias mensurales contineret. Verba Galeni, secundum interpretem Latinum, hæc sunt. *Olei heminas tres Atticas puto ipsum scribere, aut certo scripsisset libras: Atqui miretur quispiam quo modo Roma degens pro libris heminas nominaverit: Ejus nempe regionis illa sunt nomina, libra, sextarius, uncia. Ex multis pharmacis quondam conscriptis, priusquam Romanorum res eo potentia accrevissent, conjeci, quam illi vocarent heminam, esse aqualem unciis novem libra Romana hodierna: Nunquid igitur & Andromachus tres heminas censet adjiciendas, tanquam singula uncias novem valeant.*

Idem peccatum Medici Andromachi Galenus lib. VI. c. 10. notat, dum secundum verba versionis Latinæ ait: *Consuetam nobis de hac mensura ambiguitatem relinquens, novemne videlicet mensurales uncias, an duodecim esse heminam velit.* Duas has heminas sive cotylas, alteram nimirum novem, & alteram duodecim unciarum mensuralium, Galenus distinguit quoque lib. V. c. 2. quem locum itidem verbis interpretis Latini hic exhibebimus: *Sex autem hemina, qua singula uncias novem faciunt injicienda: At si largius medicamentum voles incoquere, quo siccet evidentius; nihil obstat etiam duodecimunciarum heminas infundere.*

Idem Galenus lib. VI. c. 8. itidem reprehendit supra memoratum Andromachum, quod non distinxerit diversa cotylarum genera; cujus loci sensum interpres Latinus his verbis extulit: *Quot unciarum Romana libra heminam esse velit non explicuit, etsi melius erat hominem, qui Roma degerat, librarum, sextariorum, & unciarum meminisse, relinquere autem cotylas, id est hemina vocabulum, Gracis civitatibus extra Italiam usitatum: si ergo in omnibus ipsis idem nomen hemina esset, nulla utique foret quæstio. Nunc vero cum permagna quantitatis inter eas sit differentia, conveniebat ipsum monere, se vel Atticam, vel Alexandrioticam, vel Ephesiam, vel aliam quampiam heminam dicere: Nam permulti, qui de mensuris & ponderibus scripserunt, novem unciis Romana libra heminam Medicos in pharmacorum libris æstimasse produnt, alii duodecim unciis ab eis reputari affirmant, sicut Roma olei libram appellant.* Et paulo inferius, *At non parum refert ad medicamenti utilitatem vel magnas vel parvas heminas injicere.*

Differentiam duarum harum heminarum sive cotylarum sæpe laudatus Galenus multo clarius exponit lib. XV. c. 6. qui locus secundum verba interpretis Latini sic se habet: *Heras 180 denarios, drachmas intellige, posuit ad pondus non mensuram oleum reducens tanquam hemina denarios sexaginta pendente: Nam Attica novem Italicas uncias conficit: Pendunt enim novem Italica uncia, quas in cornibus insectis metiuntur, septem uncias ponderales & semissem, qua 60 denarii fiunt, singulis denariis octo denarios recipientibus = Quare hic cum Heraclide Heram consentire videas, cum tres heminas injiciat.*

CAP. XL.

Villalpandum temere, & non absque insigni errore scripsisse, Galenum non solum ignorasse veram cotyla mensuram, sed etiam Hera cum Heraclide conciliationem infeliciter tentasse. Villalpandum ipsum, non vero Galenum, hac in re hallucinatum esse. Excusari tamen aliquatenus posse errorem Villalpandi, & quare.

Ad probandam distinctionem duarum heminarum, sive cotylarum, Romanæ nempe, & Atticæ, nihil dici posse puto, quod sit clarius & expressius iis auctoritatibus, quas superiori capite ex Galeno adduximus. Nihilominus Villalpandus, quoniam cotylam Romanam a cotyla Attica non distinxit, nec observavit differentiam, quæ inter duas has mensuras intercedit, adeo nihil vidit in his Galeni locis, præcipue vero in ultimo, ut credat, tantum abesse, ut Galenus Heram cum Heraclide conciliaverit, ut potius majores tenebras eis offuderit, ideo, quod neutrius mentem recte perceperit; vel saltem dicit, se non assequi modum & rationem, qua Galenus auctores illos inter se conciliet. Verba Villalpandi hæc sunt. *Heram & Heraclidem, de eodem medicamento diversa scribentes concordare conatus, plurimorum etiam scriptorum discordias peperit, neque illorum concordiam est assecutus, nisi & nos quam ipse ingreditur concordia viam non assequimur.*

Villalpandus Galenum ideo reprehendit, quod ultimo hoc loco heminæ septem & dimidiæ unciæ pondus tribuat, cum tamen aliis in locis novem uncias ponderales eidem adscribat, *Hemina olei*, sunt verba ipsius Villalpandi, *septem & dimidia uncia pondus tribuit, cum paulo superius novem uncias ponderales adscripserit idem Galenus.*

Sed fallitur Villalpandus, quoniam Galenus, ut ex locis supra adductis clare patet, cum novem uncias heminæ sive cotylæ tribuit, non de ponderalibus, sed mensuralibus uncias loquitur.

Villalpandum responsio hæc, quæ ipsi merito obduci poterat, non latuit: quare statim subjungit: *At dicet fortasse aliquis, Galenum de mensuralibus unciis novem locutum, quibus parem fecit Atticam heminam, easque septem ponderalibus unciis cum dimidia pares fuisse.*

Hæc responsio, recte intellecta, quamvis solida sit & valida, non tamen satisfacit Villalpando, quippe qui vim ejus sic enervare conatur: *At proportio non respondet, non enim est eadem ut esse debuisset duodenarii ad novenarium ratio, quæ ejusdem novenarii ad septenarium cum decima quarta sui parte.*

Sed Villalpandum ipsum sua decepit opinio, quoniam falso sibi persuasit, Galenum rationem duodenarii ad novenarium comparasse cum ratione novenarii ad septenarium & dimidium, cum proportiones hæ sibi revera non respondeant. Distinguendæ enim sunt secundum Galenum duæ heminæ sive cotylæ, altera nimirum Romana, & altera Attica, quarum illa duodecim uncias mensurales, & decem ponderales; hæc vero novem mensurales, & septem ponderales continebat.

Sensus igitur Galeni est, si uncias mensurales inter se comparemus, & uncias ponderales itidem, nos deprehensuros esse, duodecim uncias mensurales heminæ, sive cotylæ Romanæ, eandem habere rationem ad novem uncias mensurales cotylæ Atticæ, quam habent decem unciæ ponderales modo dictæ cotylæ Romanæ ad septem uncias ponderales & dimidiam cotylæ Atticæ, quippe cum ratio duodenarii ad novenarium respondeat rationi novenarii ad septenarium & dimidium.

Quamvis autem Villalpandus in materia hac lapsus sit, veniam tamen facile merebitur, quoniam ipse Galenus testatur, jam suo etiam tempore multos deceptos fuisse, quod duas has heminas sive cotylas non distinguerent; quippe nonnullis existimantibus, sextarium Romanum, qui duas heminas sive cotylas Romanas continebat, duodeviginti tantum uncias mensurales capere, cum re vera viginti quatuor mensurales, & viginti ponderales caperet. *Nonnulli* (inquit Galenus lib. 1. *de Composit. medicament. per genera*, c. 10.) *falso Romanum*

sexta.

sextarium opinati sunt octodecim mensurales uncias capere.

CAP. XLI.

Cotylas, aliasque mensuras liquorum, potuisse ejusdem ponderis capaces esse, idemque nomen habere, quamvis diversæ essent magnitudinis. Cujus ponderis fuerint sex libræ sanguinis, quas Galenus una sectione ex vena se eliciusse dicit.

Probandum mihi restat, Veteres aquam, vinum, acetum, aliosque liquores, haud secus ac oleum, admensos fuisse mensuris, quæ æquale pondus singulorum horum liquorum, veluti uncias decem, vel septem & dimidiam, ceperint; sed quæ pro majori vel minori eorundem liquorum gravitate, diversæ magnitudinis fuerint.

Ad hoc probandum eximie facit auctoritas ejusdem Galeni, quippe qui lib. IV. c. 14. *de composit. medicamentor. per genera*, libræ aceti æque duodecim uncias mensurales tribuit, ac libræ olei. Sic enim ait, secundum verba versionis Latinæ: *Voco nunc libram olei & aceti Romanam, quæ uncias duodecim peculiares continet.* Præterea, omnes auctores veteres, qui de mensuris Romanis, veluti *sextario* & *hemina* locuti sunt, sextario duas libras, sive 24 uncias, & heminæ sive cotylæ Romanæ unam libram, sive 12 uncias, in genere, & nulla distinctione liquorum facta, assignant. Horatius enim *Sermon.* lib. II. *Sat.* 2. sextarium Romanum vocat *cornu bilibre*: & Plautus in *Milite act.* 3. *sc.* 2. *bilibrem aqualem.* Mensuram autem hanc corneam bilibrem fuisse sextarium Romanum, patet ea Galeno lib. I. c. 16. *de compositione medicament. per genera*; ubi de seatario Romano loquens, dicit, eum plerumque fuisse corneum, capientem 20 uncias ponderales: unde sequitur, eundem seatatarium cepisse 24 uncias mensurales, sive duas libras mensurales, ob rationes supra expositas. Lubet ipsa Galeni verba, Latine versa, hic adducere: *Apud Romanos*, inquit, *sextarius libram unam & dimidiam & sextam ejus partem pendit, ut omnes simul juncta unciæ sint 20. quas plurimum in cornibus metiuntur, incisis extrinsecus lineis quibusdam orbicularibus.* Eodem loco Galenus nos docet, Græcos, postquam Romani eos subegissent, vocem Latinam *sextarii* in linguam suam recepisse, quamvis sextarius ipse, quo Græci utebantur, Romano æqualis non esset. Verba Galeni, Latine versa, hæc sunt: *Cæterum sextarii, hoc est, Xesti Romani Heram meminisse puto: Nam apud Athenienses neque mensura, neque nomen hoc erat. Nunc ex quo Romani imperare orbi cœperunt nomen sextarii apud omnes, quæ Græca lingua utuntur, nationes existit, ipsa vero mensura Romanæ æqualis non est; quippe alii aliam sextarii mensuram usurpant.*

Ut ad institutum nostrum redeamus, & ulterius probemus, mensuras Romanas fuisse æquales, si pondus liquorum, illis contentorum; inæquales vero, si diversam illorum capacitatem & magnitudinem, pro diversa liquorum metiendorum gravitate, spectes; auctores, qui de ponderibus & mensuris antiquis scripserunt, editi ad calcem Operum Galeni, clare insuper assertionem nostram confirmant. In tractatu enim de ponderibus & mensuris, qui Galeno vulgo adscribitur, Oribasius auctoritate Adamantii probat, sextarium Italicum, sive Romanum, 24 uncias mensurales, & viginti ponderales capere. Verba interpretationis Latinæ sic se habent: *Oribasius inquit ex Adamantii sententia, Italicum sextarium mensura quidem habere uncias 24. pondere vero libram unam, uncias octo.* Diodorus secundum versionem Ruellii dicit, cotylam continere libram; & Hippoiatrici sive Veterinarii affirmant, eam capere duodecim uncias, quod eodem redit. S. Isidorus heminæ tribuit duodecim uncias, uti & S. Epiphanius eo loco, quo de mensura, *alabastrum* appellata, agit; quorum auctorum verba de unciis mensuralibus, non vero ponderalibus libræ Romanæ accipienda sunt. Quoniam enim secundum auctores hos hemina est duodecima pars congii, & congius octava pars quadrantalis, sive amphoræ, cui iidem auctores viginti libras ponderales tribuunt; concludimus inde, eos de libra Romana mensurali loqui, cum heminam unius, & sextarium duarum librarum pondus capere dicunt. Cum enim amphora capiat 80 libras ponderales Romanas, & sextarius sit quadragesima octava pars amphoræ, hemina vero, nonagesima seata, secundum auctores supra laudatos; non possumus utique sextario plus 20 uncias ponderales, nec heminæ plus decem tribuere: id quod dictum volumus de mensuris Romanis, quoniam nonnulli heminæ sive cotylæ novem tantum uncias tribuunt, sed qui loquuntur de cotyla Attica, quippe quæ novem tantum uncias mensurales Romanas, ut supra probavimus, & septem ponderales & dimidiam capiebat. Hac cotyla Attica Græci, & præcipue Medici, præ Romana uti solebant, teste Plinio lib. XXI. cap. ultimo, ubi ait: *Fere Attica observatione Medici utuntur:* Secundum quam observationem Atticam non solum libra mensuralis Attica, sed etiam ponderalis quadrante minor erat Romana, ut discimus ex Fannii carmine *de ponderibus & mensuris*, & tractatu Prisciani, quem de simili argumento conscripsit.

At objicient aliqui, Fannium, aliosque auctores supra memoratos, qui *de ponderibus & mensuris*, scripserunt, oleum, aquam, vinum & acetum eodem vase metiri, dum seatarium ex. gr. vini, aquæ & aceti, viginti unciarum; eundem vero seatarium oleo plenum, duodeviginti unciarum pondere censent; eademque ratione heminæ sive cotylæ, aqua, vino, vel aceto plenæ, decem unciarum; eidem vero heminæ, oleo plenæ, novem tantum unciarum pondus tribuunt.

Sed respondeo cum Pæto, auctores hos non ita esse intelligendos, quasi aquam, vinum, acetum & oleum eodem vase & eadem mensura metienda esse censeant, (neutiquam enim verisimile videtur, Veteres una eademque mensura in tam diversis liquoribus admetiendis usos fuisse, quoniam alter alterum odore & sapore suo facile inficere potuisset;) sed ita existimare debemus, auctores illos hac ratione nobis indicare velle differentiam ponderis, quæ inter modo dictos liquores, cum quantitate & mensura sibi respondent, intercedit; quoniam ita res sese habere solet, ut vinum, aqua, & acetum ejusdem quantitatis & mensuræ, pondere sibi respondeant, vel adeo parum inter se differant, ut discrimen illud nullius prorsus sit momenti; oleum vero, eandem mensuram implens, plus decima parte modo dictis liquoribus levius deprehendatur.

Tot sunt rationes, quare credendum sit, mensuras Veterum par quidem liquorum pondus continuisse, sed diversæ magnitudinis fuisse, pro diversa liquorum metiendorum gravitate & levitate, ut hodieque multis in locis mensuras tales usitatas esse videamus. Mariana enim refert, pharmacopolas in Hispania tres habere mensuras ejusdem nominis & ponderis, sed magnitudinis diversæ, quarum una metiantur oleum, altera aquas destillatas,

&

ut volgo loquuntur, & tertia ſyropum: Menſuram olei ex his capaciſſimam eſſe, quod oleum levius ſit reliquis duobus liquoribus; menſuram aquarum deſtillatarum minorem eſſe priori, quod aquæ illæ graviores ſiot oleo; denique menſuram ſyropi eſſe omoium minimam, quod ſyropus duos alios liquores gravitate vincat.

Pætus quoque teſtatur, Romæ hodie menſuras olei & vini pondere ſibi reſpondere, quamvis capacitatis ſint diverſæ.

Idem etiam obſervator Pariſiis: nam in libello, Gallico, qui inſcribitur *Declaratio menſurarum & ponderum*, bæc verba leguntur: *Notandum eſt menſuram olei multo majorem eſſe menſura vini, quoniam quartarius & ſeſquiquadrans ſextarii* (quarte & poiſſon & demy) *vini, capacitate reſpondent uni quartario olei.*

Ex bis omnibus, quæ a nobis diſputata ſunt, diſcere licet, Galenum, dum aliquo loco dicit, ſe ſex libras ſanguinis una ſectione aliquando ex vena eduxiſſe, intelligendum eſſe de libris menſuralibus, non ponderalibus, quoniam quas uno loco vocat ſex libras ſanguinis, alibi appellat ſex heminas: quo accedit, quod Galenus, quoties de libris liquorum loquitur, ſemper menſurales intelligat.

Cæterum, quoniam Medici, & io primis Græci, menſuris Atticis potius, qoam Romanis uti ſolebant, vero haud omoioo diſſimile videtur, per has ſex libras potius eſſe intelligendas cotylas Atticus, quam Romanas: quod quidem ſi verum eſſe ſtatuamus, uoa ex his libris ſex tantum uncias ponderis noſtri & inſuper quatuor goſſos & dimidium pondere æquare potuit; qua ratione tota quantitas ſanguinis, una ſectione ex venis educti, triginta novem unciarum, & trium groſſorum pondus habuerit. Cum enim libra ponderalis veterum Romanorum, ut ſopra probavimus, exacte reſpondeat decem unciis & dimidiæ ponderis noſtri; libra menſuralis Romana, quæ ſexta parte minor eſt ponderali, cootinere tantum poterit octo uncias & ſex groſſos ponderis noſtri: de quibus ſi detrahas quartam partem, quanto ſcilicet cotyla ſive libra Attica minor erat quam Romana, reſtabuot ſex unciæ, quatuor groſſi & dimidius, quæ ſi ducantur in ſex, propter numerum ſex librarum, producetur inde ſumma 39 unciarum, & 3 groſſorum, quæ ad menſuram Pariſienſem, circiter quinque ſemiſextarios ſaoguiois conficiunt, ſi ſemiſextario undecim uncias ponderis ooſtri tribuas.

Sin autem in locum libræ hujos menſuralis Atticæ, ſubſtituere placeat heminam Romanam, quæ ſexta parte ponderis mioor erat libra ponderali; hemina hæc, ut dictum eſt, pondere æquaverit 8 uncias & 6 groſſos marcæ noſtræ, quæ ducta in ſex, ob rationem antedictam, producunt numerum $52\frac{1}{2}$ unciarum, quæ ad menſuram Pariſienſem tres circiter cheopinas (*chopines*) & quadrantem ſextarii (*un poiſſon*) ſanguinis cooficiunt, ſi cheopinæ 16 uncias tribuas.

Quoniam autem poſterior modus ſanguinis quibuſdam nimius videri queat; cui ſi jungas rationem, ſupra adductam, nimirum Medicos menſura Attica potius quam Romana uti ſolitos fuiſſe, veriſimilius forte videbitur, Galenum potius una ſectione quinque Pariſienſes ſemiſextarios ſanguinis, quam tres cheopinas & ſextarii quadrantem, ex vena eduxiſſe. Nihilominos, ſi conſideremus, Galenum, tum Romæ eſſet, ſectionibus his aperuiſſe venas juvenum vegetorum, & nimia ſanguinis copia laborantium; & cum idem Galenos, quoties libræ mentionem facit, ſemper de Romana loqui videatur, potius eſt, ut credamus, eum una ſectione tres cheopinas & quadrantem ſextarii potius, quam quinque ſemiſextarios ſanguinis ex vena elicuiſſe.

DISSERTATIONUM DE NVMMIS ANTIQVIS, PARS QUARTA AGENS

De pretio hodierno Nummorum antiquorum.

CAP. I.

Notitiam numiſmatum antiquorum tribus precipue partibus abſolvi, de quarum tertia Auctor in hac ultima parte ſe acturum profitetur. Qua ratione Auctor tertia hujus partis notitiam conſecutus ſit.

Ad notitiam numiſmatum antiquorum tria potiſſimum requiruntur: primo, ut illorum materiam & pondus, ſive, ut vulgo loquuntur, *pedem* exploratum habeamus: ſecundo, ut figuras & inſcriptiones illorum recte intelligamus: tertio, ut ſciamus quænam ex illis elegantia & raritate cæteris præſtent, & eam ob cauſam majori vel minori pretio æſtimentur.

Primum videtur omniom eſſe difficillimum; quæ ratio eſt, qoare ſatis ample & prolixe ea de re ſuperiori libro egerim.

Secundæ partis ſcientia videtur eſſe nobilior & pulchrior reliquis, quoniam finem primarium complectitur, quem illi, qui ſtudio rei oummariæ operam dant, ſibi proponunt.

Tertia pars videtur maxime eſſe neceſſaria; tum, quia ſecundæ partis certitudo illi innititur (abſque tertia enim bac parte ſi ſit, ſciri non poteſt, num id, quod in oomiſmatibus repræſentatur, ſit vere anriquom;) tum quia oollus adhuc auctor de hac parte accurate egit; quoniam quæcunque de

ea ab aliis scripta sunt, vel pauca sunt, vel erroribus plena.

Secundæ partis notitiam facilius consequi possumus, quia plurimi auctores argumentum istud scriptis suis illustrarunt, ut apparabit ex catalogo, quem ad calcem libri hujus e ahibebo. Tertia pars contra multo majorem habet difficultatem, quoniam, ut modo dixi, quicquid de eo argumento ab aliis scriptum est, nullius prorsus est momenti, nec quenquam novi, præter Æneam Vicum, & Hulsium, qui hanc materiam explicare conati sint. Sed quæ uterque vir doctus ea de re tradidit, non solum valde sunt imperfecta, sed etiam obscura & confusa; quo accedit, quod posterior non raro graviter hallucinatus sit. Præterea, secunda pars multo minus temporis & impensarum requirit, quam tertia, quoniam secundæ partis notitia hauriri potest ex libris, de illo argumento conscriptis, qui & mediocri pecuniæ summa emi, & exiguo temporis spatio perlegi possunt: tertia vero pars ingentem omnis generis numismatum apparatum, qui non nisi longissimo temporis spatio, & immensis sumptibus comparari potest; vel crebram inspectionem & per lustrationem multorum Nummophylaziorum & numismatum, uti & conversationem cum multis Antiquariis, longo tempore continuatam, requirit.

Cum igitur sortis meæ tenuitas, & facultatum mearum ratio non serret, ut ære meo ingentem numismatum thesaurum mihi compararem, ad supplendum hunc defectum, spatio sex annorum cum doctissimis & peritissimis Antiquariis magnæ hujus urbis Lutetiæ, quæ in omni scientiarum & studiorum genere præstantissimos totius Europæ viros alit, crebrum commercium habere studui, usque pleraque eorum, quæ in capitibus sequentibus de numismatibus observo, accepta refero, præcipuo vero Domiuo Fontenæo Neufvillæo, Abbati S. Quintini Bellovacensis, cui quod innotuerim tam gaudeo, quam cui singularis felicitas contigerit.

CAP. II.

Cur numismata alia aliis majori in pretio habeantur.

Numismata alia magis, alia minus æstimantur, pro varia illorum conditione & qualitate. Alia enim sunt antiqua, alia hodierna; utraque vel a bonis vel malis artificibus fabricata: alia sunt nitida, nullumque a vetustate detrimentum passa, alia secus: alia rubigine vel situ sunt obsita, alia a sordibus, quas contraxerant, purgata: alia inscriptiones magis habent integras, alia minus. Præterea ratio haberi solet diversæ illorum magnitudinis, materiæ, ponderis, temporis, provinciarum & locorum, in quibus vel cusa, vel inventa fuerunt, imaginum vel figurarum, quæ vel Numina, vel personas illustres, vel Principes, aliasve res repræsentant; item inscriptionum, & partium aversarum sive posticarum: præter quæ omnia spectari etiam solet, num ad constituendam vel continuandam aliquam seriem faciant. Hinc de nummis antiquis cujuscunque generis recti dici potest, quod Comicus Latinus de aureis tantum dixit: *Etsi nihil tam simile, quam solidus solido, tamen etiam distantia quæritur in auro, vultus, ætas, & color, nobilitas, literatura, patria, gravitas, atque ad scriptulos quæritur in auro plus quam in homine.*

CAP. III.

De numismatibus antiquis, & quibus modis ea internosci queant. De numismatibus lamina tectis (fourr es,) & interpolatis.

Numismata, vel sunt genuina & antiqua, tam ratione typi sive commatis, quam metalli; vel ex metallo quidem antiquo constant, sed sunt interpolata, sive novi commatis; cui fraudi æs maxime opportunum est. Quoniam enim hodie ignoramus artem orichalcum veterum conficiendi, interpolatores numismatum, quo facilius merces suas pro genuinis obtrudant aliis, antiqua numismata, ex modo dicto æris genere facta, quorum figuras induxit & delevit vetustas, novo typo, veteris similitudinem referente, percutiunt.

Est & alius numismata antiqua interpolandi modus, quo vel literæ inscriptionum, vel figuræ exolescentes jam & vetustate evanescentes subtili fraude interpolantur & renovantur. Interdum inscriptiones & figuræ, quamvis adhuc satis integræ sint & expressæ, ope scalpelli in alias artificiose immutantur, ita ut numisma interpolatum forma exteriori prorsus diversum sit a priori. Interdum etiam numismatibus figuræ & inscriptiones prorsus novæ, loco priorum, quas vetustas delevit, inducuntur.

Omnes hæ fraudes tantum metuendæ sunt in numismatibus rarioribus, non vero vulgaribus, quippe quæ ab his & similibus interpolationibus immunia sunt, quoniam in illis opera & impensa periret.

Itali alio insuper modo numismata antiqua ærea, quæ a vetustate detrimentum aliquod passa sunt, interpolant, dum nempe cimentum sive signinum illis nummorum locis, quæ literas figurasve habent vetustate exesas, vel alio quodam vitio laborant, inducunt, quod postea scalpro facillime fingunt & aptant (cimentum enim multo facilius patitur scalprum, quam æs) adeo ut numisma eo modo interpolatum, omnino integrum videatur. Ut fraus hæc eo magis lateat, numisma vernice fusco vel nigro illinitur: quod tamen non impedit, quo minus interpolatio ista facile deprehendi queat, si nempe acuto quodam ferro nummum pungas & fodices, quoniam cimentum multo est mollius ære, & proinde ferri acumini multo facilius, quam æs, cedit.

CAP. IV.

De numismatibus adulterinis tam cusim, quam fusim effictis, (moulees) & de modo, quo falsitas illorum deprehendi queat.

Numismata adulterina vel sunt percussa, vel fusa. Illa vel formata sunt ex metallo nummi antiqui, cui novus character, ut dictum est, loco prioris, vetustate exesi, impressus est; vel tam metallo, quam charactere novo constant. Si character sive typus novus a perito artifice ad similitudinem rarioris cujusdam nummi antiqui eleganter expressus sit, numismata, tali charactere notata, quamvis sint adulterina, pluris tamen æstimantur, quam numismata antiqua, quæ nullius sunt raritatis. Illi tamen nummi, qui ad similitudinem veterum ex ære antiquo percussi sunt præferendi sunt illis, qui ex ære novo & hodierno constant.

Nu-

Numismata fusim effecta, sive fusa, (*moulées*) vel ad exemplar numismatis antiqui, vel hodierni, formata sunt; eademque post fusionem vel expolita sunt, vel secus. Quæ ad exemplar numismatis antiqui formata, & post fusionem probe expolita sunt, non solum præferenda sunt aliis, quæ simpliciter tantum fusa sunt, & quandam adhuc a forma ruditatem servant; sed etiam illis, quæ novo typo percussa sunt, quoniam propius & melius similitudinem antiqui nummi, ejusque characterem, exprimunt, quam quæ cusim effecta sunt, etiamsi ea summa cura & arte fabricata sint.

Quæ ad exemplar numismatis bodierni fusa sunt, minimi pretii habentur.

Numisma antiquum ab adulterino sive hodierno dignosci potest ex rubigine, sive ærugine, quam nummi vetustate contrahunt: eam quippe nulla ars imitari potest.

Præterea, quod admiratione dignum est, vix unquam contingit, ut duo reperiantur numismata antiqua, adeo sibi similia, ut nulla omnino differentia inter ea deprehendi possit; cum contra numismata adulterina, sive hodierna, characteres & figuras sibi examussim similes habeant.

Numismata fusa a cusis dignosci possunt, eo quod illa, quæ cusa sunt, interdum fissuras habeant, tenuissimis capillis similes, & in minutissimas quasi fibras desinentes, quas forma, in qua nummi funduntur, imitari & exprimere nescit. Præterea, numismata fusa, si non sint probe & accurate post fusionem expolita, facile dignoscuntur ex ruditate figurarum & lineamentorum, quæ multo distinctius in nummis cusis repræsentantur; uti & ex exiguis quibusdam fossulis, & granis, quibus numismata cusa semper carent. Porro, nummi fusim effecti examussim archetypo suo respondent, cum nummi antiqui cusi, ut antea dictum est, nunquam ita sibi sint similes, quin aliquatenus sint dissimiles. Adhæc, nummi fusi vix unquam ex metallo æque puro constant, ac nummi antiqui, quoniam metallum purum non tam facile funditur, nec formæ suæ ectypum tam facile recipit, quam metallum mixtum. Huc accedit, quod numismata fusa non possint non esse leviora numismatibus antiquis, ad quorum similitudinem effecta sunt, tum quia metallum mixtum levius est metallo puro, tum etiam, quia metallum liquefactum plus spatii occupat, utpote ab igne rarefactum, quam cum refrixit: tunc enim, quia densius est, multo contractiorem & minorem molem habere deprehenditur, quam antea. Hæc ratio est, quare numismata fusa minus materiæ contineant, quam eorum archetypa, & ob eandem causam illis leviora sint; quod experientia unumquemque docebit, qui pondus nummi fusi, ejusque archetypi ad stateram exigere voluerit. Cæterum, manifestissimum indicium, quo nummi cusim effecti ab aliis dignosci possint, est barba quædam, margini illorum adhærens, quam si lima tollas, vestigia limæ apparent, quibus nullo vernice vetustatis speciem induere possis. Quamvis autem omnes modos numismata adulterandi & interpolandi quam potui clarissime exposuerim, non tamen putandum est, omnes has fraudes illico agnosci & deprehendi posse ab eo, qui solam hanc descriptionem legerit, quoniam necessario insuper requiritur, ut quis hujus generis numismata ipse possideat, eaque frequenter inspexerit: Hinc exemplaria adulterinorum nummorum quocunque pretio nobis comparare debemus, ut ex illorum inspectione veros & genuinos nummos eo melius discernere discamus: quod ita factum legimus tempore Plinii, quippe qui lib. XXXIII. c. 9. testatur, nummum adulterinum pluris emptum fuisse, quam verum, ideo nempe, ut nummi veri a falsis hac ratione eo melius dignosci possent. *Falsi denarii*, inquit Plinius, *spectatur exemplar, pluribusque veris denariis adulterinus emitur.* Marius Gratidianus olim Romæ modum docuisse legitur, quo nummi veri a falsis dignosci possent; quæ res Pop. Romano adeo grata fuit, ut ei statuæ vicatim erigerentur.

CAP. V.

De numismatibus, quæ ab artificibus magis minusve peritis fabricata sunt. Sub quibus Imperatoribus talia numismata frequentius vel rarius occurrant.

Numismata a peritis artificibus fabricata, ob operis & figurarum elegantiam, quam præferunt, in magno habentur pretio, præcipue ab illis, qui sculptura, pictura, similibusque artibus delectantur.

Priscis temporibus clarorum artificum opera multo majori in pretio habebantur, quam hodie, quoniam Plinius lib. XXXV. c. 7. refert, tabulas Apellis, Echionis, Melanthii & Nicomachi, tanti olim æstimatas fuisse, ut singulæ oppidorum opibus venirent.

Pleraque numismata, quæ a Nerone ad Pertinacem usque, id est, eo tempore, quo Imperium Romanum læta & beata pace effloruit, cusa exstant, pulchre & affabre elaborata sunt; id quod minime mirum est, quoniam tempore pacis omnes scientiæ & artes, præcipue illæ; quæ ad delectationem hominum inventæ sunt, maxime florere solent. Quæ ante Neronem, & post Commodum percussa sunt numismata, operis elegantia rarissime se commendant: quæ ratio est, quare horum temporum numismata, si polite & affabre facta sint, ob raritatem suam multo pluris æstimentur, quam ea, quæ tempore inter hæc medio percussa sunt, etiamsi artis elegantia prioribus non cedant.

Nihilominus numismata, quæ vulgo *Crotoniata*, vel potius *Contorniata* appellantur, a quibusdam pluris æstimantur, quam alia, etiamsi fere omnia rudi arte fabricata sint.

CAP. VI.

De numismatibus integris, & nullum a vetustate detrimentum passis; item de illis, quæ a situ & rubigine purgata sunt (decouvertes,) *& de modo ea purgandi, & conservandi.*

Numismata, quæ Galli bene *conservata* (*bien conservées*) vocant, sunt ea, quibus vetustas nullum attulit detrimentum, sed quæ adeo nitidas & asperas etiamnum habent figuras, ut recens demum percussa esse videantur. Talia numismata, si de novitate suspecta non sint, merito magni æstimantur; uti contra numismata illa, quæ vel usu attrita, vel rubigine exesa sunt, parvi fiunt, nisi forte caput, vel partem aversam admodum raram habeant; quo casu habetur quidem illorum ratio, sed tamen tanto minori pretio æstimantur, quanto magis damnosa vetustas ipsis nocuit.

Numismata, quæ a rubigine, aliisque sordibus, quas vetustate contraxerant, purgata & mundata sunt, a nostratibus appellantur *decouvertes*. Notandum autem est, numismata, talibus sordibus obsita, vix posse absque læsione purgari, præcipue ea, quæ ex ære, quod vulgo *Corinthium* dicitur, con-

constant, quoniam situs & rubigo metallo tam firmiter inhærent, ut alterum abs altero vix separari possit.

Quamvis varii sint modi numismata a rubigine purgandi, omnium tamen facillime purgatio hæc peragitur ope materiæ, a nostratibus *benture* dictæ, quæ composita est ex Tartaro, vel fæcibus vini exsiccatis, quibus additum est parum aluminis, & sufficiens aquæ copia. In hac materia numismata per dimidiæ fere horæ spatium conquuntur, & deinde in eadem, ubi jam a calore refrixit, per 10 vel 12 horas relinquuntur; quo tempore exacto, inde eximuntur, & aqua pura abluuntur, ablutaque pulvere corticis querni, quo coriarii utuntur, vel surfure fricantur & extergnntur.

Alii ad purgationem hanc peragendam utuntur aqua forti, quam ubi leviter induxerunt numismatibus, ea continuo in aquam frigidam injiciunt, ne scilicet aqua fortis diu in illis moretur. Modus hic compendiosior quidem est præcedenti, sed non æque tutus, quoniam aqua fortis, non solum rubiginem, sed etiam metallum erodit & consumit, ex quo proinde particulas quasdam facile secum auferre potest, præcipue si numisma ex ære, quod vulgo *Corinthium* dicitur, conflatum sit.

Si nummi ærosi (*de billon*) rubigine & situ squaleant, cavendum est, ne ad illorum mundationem aqua fortis adhibeatur. Quoniam enim aqua fortis argentum potius quam æs erodit, tantum abest, ut nummus ærosus ejus ope mundetur, & nitorem quendam nanciscatur, ut potius facies ejus magis fœdetur. Horum ergo nummorum mundationi nihil aptius est, quam materia illa, quam supra *bentura* à nostratibus vocari diximus. Eadem aqua fortis inutilis quoque est ad mundationem æris, quod cum stanno, plumbo, vel calamina, præcipue vero cum stanno vel plumbo mixtum est, ita ut usui æris simplicis tantum inservire possit.

Sunt, qui nummos in ignem conjiciant, eosque tamdiu ibi relinquant, donec candescant, idque ideo, ut ignis rubiginem & sordes, nummis adhærescentes, a metallo separet: at sæpe contingit, ut non minus metallum, quam rubigo ab igne consumatur.

Modus hic non inutiliter adhibetur ad purganda numismata ex ære ollario facta, qualia maximam partem sunt ea, quæ post Alexandrum Severum cusa exstant.

Numismata, ex ære ollario facta, si igni tradantur, exiguas stanni vel plumbi, quod ipsis admixtum est, guttulas ex se emittunt, idque indicium est, quo temperatura illorum deprehendi possit.

Solent etiam numismata absque ullo fere metalli detrimento mundari pumice, vel illo lapide, quem nostrates *tripolis* vocant, quoniam hi lapides ita comparati sunt, ut id tantum erodant & consumant, quod est mollissimum, terreas nempe sordes & rubiginem; metallo vero, utpote duriori, nocere non possint.

Mundatio numismatum, quæ fit adhibito cœlo, tanquam tutissima, reliquis mundationum modis præferenda est, sed est omnium difficillima, quoniam multum temporis & operæ requirit, nec fieri potest nisi ab eo, qui sculpturæ & cœli tractandi peritus sit.

Itali, qui huic studii generi magis dediti sunt, quam ulla alia natio, numismata illinunt materia quadam, quæ composita est ex sulphure, ærugini, & aceto, ob duas tresve rationes: prima est, ut numismata ubique eundem habeant colorem: secunda, ut omnia figurarum lineamenta eo distinctius conspiciantur: tertia, ne in posterum rubigini sint obnoxia, quoniam sulphur impedit, ne humor, qui est causa rubiginis, metallo adhærescere possit.

Iidem Itali, ut numismata eo melius conservent, illa includere solent circulis corneis, quippe qui impediunt ne sese mutuo attritu lædere possint.

Numismata *integra* sunt ea, quæ inscriptionem habent integram, una cum limbo, qui eam ambit; qualia plerumque sunt numismata illa, quæ magnitudine vel paulo excedunt, vel saltem æquant formas suas archetypas, & quibus character ita impressus est, ut medium orbem exacte obtineat, nec uni margini propior sit, quam alteri. Alias enim, si orbis nummi minor sit cuneo, sive forma ejus archetypa, & nisi forma hæc archetypa nummo ita applicetur, ut exacte medium orbem feriat, fieri non potest, ut nummus integram inscriptionem repræsentet, quoniam quædam loca dimidiatas tantum, vel nullas omnino literas habebunt; talesque nummi multo minoris merito æstimantur, quam alii, qui integram inscriptionem exhibent.

CAP. VII.

De numismatibus tam majoris, quam minoris moduli, ex omni metallo, eorumque pretio. Numismata ærea, præcipue Imperatorum, quatuor diversorum modulorum esse.

Numismata quo sunt grandiora, eo pluris æstimantur, exceptis iis, quæ ponderum usum olim præbuerunt. Quoniam igitur ex nullo metalli genere majora reperiuntur numismata, quam ex ære, ea ratio est, quare numismata ærea maximi moduli, uti omnia alia magnitudine superant, ita etiam maximo pretio æstimentur.

Numismata Romana aurea & argentea majoris moduli rarius occurrunt.

Inter numismata Hebræorum argentea exstant adhuc nonnulla grandiora, uti & inter numismata Græcorum, sed quæ omnia antiquiora sunt illo tempore, quo Græcia a Romanis subjugata fuit.

Exstant etiam numismata aurea & argentea Romana, magnitudine paulo infra ordinariam, quæ inter numismata Consularia & Imperatoria florentis Imperii multo rarius occurrunt, quam ea, quæ sunt magnitudinis ordinariæ: horum tamen raritati non respondet pretium, si nempe spectes numismata grandiora, quæ ob raritatem suam multo pluris æstimantur.

Porro, numismata grandiora in majori habentur pretio quam minora, quoniam in illis figuræ melius & distinctius sunt expressæ, quam in his.

Sola tamen magnitudinis diversitas causa non est, quare numismata Regum & Urbium Græcarum diverso admodum pretio æstimentur.

Quod ad numismata labentis Imperii, ex quocunque metalli genere percussa, adtinet, inter ea rarissime occurrunt quæ sint grandioris moduli.

Inter numismata Consularia reperiuntur ærea majoris moduli.

Numismata Imperatorum ærea quatuor diversarum magnitudinum inveniuntur, quorum maxima sunt ea, quæ vulgo *medaliones* dicuntur; his proxima, quæ simpliciter grandiora appellantur; hæc excipiunt, quæ sunt mediæ magnitudinis; infimam classem denique occupant minimi moduli numismata.

Meda-

Medaliones admodum rari ſunt, & ob magnitudinem ſuam maximo in pretio habentur, cujuſcunque ſint Imperatoris vel inſcriptionis.

Medaliones a ſecundi moduli numiſmatibus diſcerni poſſunt non ſolum ex magnitudine, ſed etiam ex nota S. C. qua medaliones raro, ſecundi vero moduli numiſmata frequentius inſignita ſunt.

CAP. VIII.

De materia numiſmatum antiquorum, eorumque ob hanc cauſam raritate.

Præter numiſmata ex materia ordinaria, nimirum auro, argento, & ære percuſſa, reperiuntur etiam, quamvis rariſſime, plumbea, ſtannea, & ferrea; cujus generis numiſmata habui, inter quæ unum erat ferreum, quod tale eſſe eo indicio deprehendi, quod a magnete attrahebatur.

Omnia numiſmata aurea veterum Græcorum & Romanorum ex auro puro ſignata ſunt. Hæbræorum veterum non puto ulla amplius exſtare numiſmata aurea. Reperiuntur quædam Gothica, ex auro infimæ notæ percuſſa. Quamvis Alexander Severus ex auro mixto, quod *electrum* vocabatur, nummos percuſſiſſe legatur, hodie tamen nullos hujus generis reperias. Qui inter nummos antiquos ex auro mixto & deteriori percuſſi occurrunt, ii vel mentiuntur antiquitatem, vel olim ab adulteratoribus monetarum cuſi ſunt. Etiamſi enim legamus, quoſdam Imperatores ex metallo deterioris notæ nummos ſignari juſſiſſe, eorum tamen nulli ad noſtram ætatem pervenerunt, quoniam uſus illorum a ſequentibus Imperatoribus in commerciis interdictus fuit.

Numiſmata Græca & Hebraica ex metallo puro & ſimplici conſtant, uti etiam Romana, quæ tempore liberæ Reipublicæ, & ſub primis Imperatoribus percuſſa ſunt: poſt illud tempus enim a priſtina puritate paulatim deſciverunt, uſque ad Alexandrum Severum, a quo bonitas illorum ita imminuta fuit, ut ab ærosis temperatura non differrent. Non ſubſiſtente vero hic cœpta ſemel depravatione, ab eo tempore uſque ad Diocletianum in deterius ſemper mutata, tandemque eo redacta fuerunt ut, quæ a Galieno uſque ad modo memoratum Diocletianum cuſa extant numiſmata, ex ære tantum inargentato conſtent. Inde priſtinæ bonitati reſtituta, ex argento puro uſque ad Heraclium omnia conſtare deprehenduntur.

Inter numiſmata argentea reperiuntur quædam mentitæ bonitatis, quæ nimirum, cum ſint ærea vel ferrea, lamella argentea extrinſecus obducta ſunt: ea noſtrates *fourrées* appellant.

Inter numiſmata aurea non reperiuntur, quæ ſimili modo incruſtata ſint; cujus rei ratio, meo quidem judicio, hæc eſt, quod fraus iſta ex pondere facile deprehendi potuiſſet. In argento enim incruſtatio hæc multo facilius fallere poterat, quoniam differentia ponderis, quæ inter nummum argenteum, aureo plerumque dimidia parte minorem, & æreum, qui laminam argenteam habebat adjunctam, adeo exigua erat, ut ſenſu percipi vix poſſet. Quamvis pleraque numiſmata Gothica ex argento ſatis puro percuſſa ſint, bonitate tamen inferiora ſunt Conſularibus. Interdum reperiuntur numiſmata argentea, quibus aurum admixtum eſt, licet, ſi colorem ſpectes, argentea tantum videantur.

Variæ hæ mutationes, quæ diverſis temporibus circa temperaturam numiſmatum argenteorum contigerunt, probe ſunt notandæ, quoniam inde colligere poſſumus, quænam numiſmata ſint adulterina, ſi nempe obſervemus, an numiſma aliquod eandem habeat temperaturam, quam habere debent nummi temporis illius, cujus notam præfert.

Numiſmatum æreorum varia ſunt genera: alia quippe ex ære ſimplici, alia flavo, alia denique candido conſtant.

Numiſmata ex ære flavo facta rurſus in varia genera dividuntur; quorum alia conſtant ex ære rubro inaurato; alia ex ære, proxime ad colorem auri accedente, quod hodie non amplius exſtat; alia ex orichalco; alia ex ære flavo inaurato; alia ex orichalco inaurato; alia denique, ex illo æris flavi genere, quod noſtrates *potin* vocant, ex quo candelabra hodie fabricari ſolent. Numiſmata ex ære flavo inaurato, quod hodie periit, uti & ex quovis alio æris inaurati genere facta, *Corinthiaca* hodie vulgo appellari ſolent, quamvis ex ære Corinthio minime conſtent. Numiſmata ærea Romana uſque ad tempus Alexandri Severi ex aliquo dictorum quinque generum æris conflata ſunt; poſt Alexandrum Severum autem, fere omnia ex tali ære, quod vernacula lingua *potin* vocamus, vel ex ære rubro conſtare deprehenduntur.

Æs candidum vel ex ære inargentato, vel ope ſtanni candefacto, conficiebatur. Ex ære poſterioris generis (cui eodem, quo hodie aciculis argenteis, modo color candidus conciliabatur) numiſmata duobus modis fabricabantur. Interdum enim veteres metallum candefacere prius ſolebant, quam nummi ex eo ſignarentur; exſtantque adhuc hodie numiſmata, ex duobus his æris candidi generibus florente imperio percuſſa, quæ vulgo *Corinthiaca* appellantur. Si numiſmata, ex ære candido poſterioris generis cuſa, igni tradantur, ſtannum fuſum inde ſeparabitur, quamvis difficulter; quoniam ſtannum cum ære quaſi conglutinatum eſt, eique arctiſſime adhæreſcit.

Erat & tertius modus æs candidum faciendi, quo nimirum ſtannum æri inducebatur (eodem fere modo, quo aciculari aciculas ſuas candefacere ſolent;) ſed quod non ante fiebat, quam numiſma cuſum eſſet. At modus hic figuris numiſmatum omnem elegantiæ & venuſtatis, quæ in ſubtilitate lineamentorum ſita eſſe ſolet, gratiam adimebat, quoniam nummi, hoc modo ſtanno inducti, ruditatem quandam præferebant, & nummis, in forma fuſis, ſimiles videbantur. Hujus generis numiſmata, ſub Aureliano & Probo percuſſa, adhuc hodie exſtant, quæ quamvis ſtannea videantur, revera tamen ex ære conſtant, ſtanno tantum extrinſecus inducta, quod a paucis obſervatum fuit.

Numiſmata ærea videntur eſſe præferenda numiſmatibus aureis & argenteis, ob multas rationes: nam nulla reperiuntur numiſmata aurea vel argentea, quæ non etiam inter ærea exſtent, ſi a paucis diſcedas: at multa contra reperiuntur ærea, quæ inter aurea & argentea fruſtra quæſiveris. Huc accedit, quod numiſmata ærea & magnitudine formæ & varietate modulorum antecellant numiſmatibus aureis & argenteis: quod pondera antiqua non alia quam ærea exſtent: quod pauca vel nulla numiſmata Græca Imperatorum, quæ ſint aurea, & pauciſſima argentea reperiantur, quæ tamen numiſmata Græca magno in pretio habentur: quod *Contorniata* vel *Crotoniata*, quæ itidem magni æſtimantur, tantum ex ære cuſa exſtent, uti & numiſmata Coloniarum, nec non nota aliqua inſignita (*contremarquées*) & illa, quæ inſcriptiones, duplici circulo conſtantes, repræſentant: denique,

quod figuræ & literæ multo clarius & distinctius expressæ sint in numismatibus æreis, quam aureis & argenteis, quoniam illa his multo sunt majora.

Fatendum tamen est, inter numismata illa, quæ a Græcis, adhuc liberis, olim percussa fuerunt, psuciora reperiri ærea, quæ integra sint & a vetustatis labe immunia, quam aurea & argentea. In Consularium quoque classe numismata ærea, multo vero magis aurea, numero ab argenteis vincuntur.

CAP. IX.

De numismatibus ob pondus suum magis minusve raris.

Maximum pondus, quod numismata aurea, & quidem antiquissima, habere deprehenduntur, sunt circiter duo grossi, & septem grana: quod pondus successu temporis paulatim fuit imminurum, ita ut numismata aurea, circa tempus Alexandri Severi percussa, non plus 5 denarios & sex grana nostri ponderis; circa tempus vero Constantini M. 4 tantum denarios, & 12 grana (quod pondus usque ad Heraclium retinuerunt) pendere deprehendantur. Quantam ponderis diminutionem numismata aurea quovis tempore passa sint, accurate sciri vel dici nequit: id tantum observari potest, si numismata quædam aurea occurrant, quæ majoris vel minoris sint ponderis, quam oportet esse numismata illius temporis, cujus notam præferunt, ea pro suspectis habenda esse. Quamvis veteres historiæ prodere videantur, Alexandrum Severum primum fuisse, qui semisses & tremisses aureorum percusserit, diu tamen ante Alexandrum Severum hujus generis numismata cusa exstant. Post Constantinum M. usque ad Heraclium hujusmodi semisses & tremisses frequentius occurrunt.

Quod ad numismata Græca aurea adtinet, de illorum pondere nihil certi affirmare possum, propter nimiam Rerumpublicarum & Populorum, qui in Græci fuerunt, varietatem.

Numismata argentea Consularia grossi nostri pondus pleraque æquant, idque pondus fere usque ad Neronis imperium retinent. Dixi pleraque Consularia hujus ponderis esse, quoniam nonnulla reperiuntur, quæ partim leviora, partim ponderosiora existunt. Quædam enim occurrunt duplo graviora; alia contra plus dimidia parte leviora, alia item tribus partibus, quæ tantum quartam ordinarii ponderis partem continent. Talia numismata, quæ ordinario pondere vel graviora vel leviora existunt, aliis Consularibus rariora habentur.

A Nerone usque ad tempus Septimii Severi, ordinarium illorum pondus respondet ponderi Scutati nostri, qui duos denarios & quindecim grana pendet. Quædam tamen inter ea minoris ponderis esse deprehenduntur, quæ itidem ob raritatem aliis præferenda sunt, uti & illa, quæ ordinarium pondus multum excedunt, quoniam & hujus generis numismata, quamvis rarissime, occurrunt. Ea quæ ordinariis paulo tantum vel graviora vel leviora deprehenduntur, non ideo præ cæteris pluris æstimantur.

De pondere nummorum ærosorum, uti & illorum, qui post Diocletianum ex argento puro percussi fuerunt, vix quicquam certi dici potest, quoniam ultimis illis temporibus forma & magnitudo numismatum admodum fuit varia.

Numismatum æreorum pondus nunquam tam scrupulose in officinis monetalibus ad stateram exigi solet, quam aureorum vel argenteorum, ob materiæ, ex qua constant vilitatem: quæ ratio est, quare illorum pondus valde sit ambiguum.

Uti de pondere numismatum aureorum Græcorum, ita & de pondere argenteorum & æreorum nihil certi affirmari potest, ob eandem rationem, quam supra exposui, cum de numismatibus Græcorum aureis loquerer.

Multo difficilius est, verum Gothicorum numismatum pondus investigare, quoniam talia numismata magis sunt ignota quam cætera, neque ab Antiquariis magna eorum ratio haberi solet.

Nihil dixi de pondere numismatum Hebraicorum, quoniam, quæ ejus generis sunt, mihi suspecta videntur, ob rationes, quas infra exponam.

Quoniam nonnulli, quamvis falso, opinantur, numismata antiqua aurea habere pondus duarum drachmarum; argentea vero, unius drachmæ; observandum est, an forte pondus illorum numismatum, quæ pro suspectis habentur, respondeat hodierno ponderi Romano, quoniam aliqui falso sibi persuadent, libram hodiernam Romanam parem esse libræ antiquæ. Hinc illi, qui Romæ numismata antiqua adulterant, cum ponderum antiquorum notitia careant, ea ad pondus, quod hodie Romæ in usu est, percutere solent, nimirum numismata aurea pondere 5 denariorum, & 14 granorum ponderis nostri, quæ efficiunt duas drachmas, hodie Romæ usitatas; argentea vero, pondere 2 denariorum, & 19 granorum, itidem ponderis nostri, quæ hodiernæ drachmæ Romanæ respondent. Cum igitur numismata, sive aurea, sive argentea, ponderis modo dicti, occurrunt, ea pro suspectis habenda sunt, præcipue si pondus istud non conveniat numismatibus temporis illius, cujus notam præferunt.

CAP. X.

De numismatibus ob capita sua raris.

Tribus capitibus sequentibus de numismatibus ob capita sivo vultus, partes aversas, & inscriptiones suas magis minusve raris, in genere tantum agam, specialiter de iisdem acturus alio capite, quo de numismatibus Romanis tractabitur, quoniam pauca dicenda & monenda occurrunt de aliis numismatibus, tam Hebraicis, quam Græcis & Gothicis, quippe quorum notitiam non æque certam habemus, ac Romanorum.

Omnia igitur numismata, ex quocunque metalli genere, præcipue sub Imperatoribus, percussa, quæ utrinque vultum repræsentant, inter rariora numerantur, præsertim, si in parte postica nulla alia figura occurrat. Rarioribus etiam accensentur illa, quæ ab uno latere plures habent vultus, exceptis numismatibus Coloniæ Nemausensis, quorum sat magna invenitur copia.

Si numismata unius Imperatoris fere omnia vultus habeant, unum idemque latus spectantes, & reperiatur numisma ejusdem Imperatoris, cujus vultus partem oppositam spectet, id rarioribus annumerabitur. Ex. gr. in majoribus numismatibus Claudii, fere omnibus, capita spectant latus dextrum; in mediis vero latus sinistrum: quod si igitur ex priori genere reperiantur aliqua, quorum vultus latus sinistrum; ex posteriori vero, quorum vultus latus dextrum spectent, ea rarioribus accensebuntur.

Numismata quoque, quæ effigies Principum pecto-

pectore tenus repræsentant, cæteris præferuntur.

Dantur præterea numismata, quæ ob nomina sua vel vultus rara quidem sunt, sed non in omni metalli genere. Ex. gr. numismata Commodi aurea pro raris habentur; ærea non item.

Quod ad numismata Imperii adtinet, quæ nominum vel vultuum suorum gratia rarioribus annumerantur; notandum est, omnia numismata Græca, sub Imperatoribus percussa, quemcunque vultum repræsent, rariora esse Latinis.

Porro, numismata, quæ vultibus Cæsarum, sive Principum illorum, qui designati erant successores Imperii, signata sunt, rarioribus annumerantur; exceptis numismatibus M. Aurelii & Commodi. In nummismatibus Cæsarum solus titulus *Cæsaris* expressus est, non addito titulo *Augusti*, eorundemque pleraque pars coronis caret, qua nota a nummis Augustorum distingui possunt.

CAP. XI.

Quænam numismata, præsertim Imperii, ob inscriptiones partium posticarum rariora sint.

Numismata quoque illa, quæ in parte postica unam tantum habent inscriptionem, sive eam cingat corona, sive non, in pretio habentur, si excipias numismata Augusti medii moduli, & grandiora Triumvirorum monetariorum, de quibus infra agetur; uti & numismata Tiberii medii moduli, & grandiora ejusdem Imperatoris, quæ carent capite; nec non numismata Claudii, quæ coronam Civicam habent; duo numismata Galbæ, quorum unum hanc habet inscriptionem S. P. Q. R. OB. CIV. SERV. & alterum, in quo est hæc inscriptio EX SC. OB. CIV. SERVATOS: Unum Trajani medii moduli, in quo legitur S. P. Q. R. OPTIMO PRINCIPI: Unum Antonini, quod præcedenti prorsus simile est: Alterum ejusdem Imperatoris, cum inscriptione PRIMI DECENNALES: Duo Marci Aurelii, quorum unum simile est numismati Antonini; in altero leguntur hæc verba, VICTORIA GERMANICA: Duo Commodi, quorum unum itidem eandem refert inscriptionem, quam duo præcedentia, Antonini nempe, & Marci Aurelii; in altero legitur VOTA XX.

Excipienda quoque sunt ex hoc numero numismata labentis jam Imperii, in quibus conspicitur literæ VOT. præter illa, in quibus vox MULT. non reperitur. Numismata enim, in quibus hæc vox non occurrit, & quæ duplicia tamen vota repræsentant, rara sunt: ex. gr. in quibus loco MULT. legitur ET. ut in quibusdam nummis aureis Galieni, qui hanc habent inscriptionem, VOTIS DECENNALIBUS ET VICENNALIBUS, non vero, *votis decennalibus multis vicennalibus.*

Illa etiam numismata pro raris habentur, in quorum partibus aversis effigies Numinis alicujus conspicitur, excepta imagine Romæ, præsertim quæ in numismatibus sub Nerone, Galba, & Vespasiano percussis occurrit, nisi septem collibus insidens repræsentetur.

Rarioribus etiam annumerantur, quæ in parte postica ædificium aliquod exhibent, exceptis numismatibus Augusti & Tiberii medii & minimi moduli, in quibus inscriptio hæc Templo subjecta legitur, ROMÆ ET AUGUSTO; nec non numismatibus Probi & aliorum Imperatorum, in quorum inferiore parte ædificium vel Templum conspicitur.

Porro, pro raris quoque habentur illa, quæ repræsentant portum, pontem, Theatrum, Amphitheatrum, unam vel plures Pyramides, Basilicam, Forum, arcum triumphalem, arcum una cum pharetra, clavam, congium, Restitutiones, triremem cum velis, arborem, figuram equestrem, exceptis nummis minoribus Probi, profectionem, decursionem, si excipias nummos Neronis, provinciam, urbem, fluvium, & sim.

Numismata itidem, quorum partes posticæ sunt incusæ, pro raris habentur.

Notandum præterea est, portus, theatra, amphitheatra, circos, pyramides, basilicas, arcus triumphales, restitutiones, liberalitates, pluribus figuris repræsentatas, allocutiones, consecrationes, pluris æstimari in numismatibus medii, quam majoris moduli, quamvis interdum in minori pretio habeantur illis, quæ in grandioribus numismatibus occurrunt, quoniam figuræ in illis minus eleganter expressæ sunt.

CAP. XII.

De numismatibus ob inscriptiones suas raris.

Uti nullum numisma alicujus est pretii, quod non habeat aliquam inscriptionem; ita numismata illa, quæ inscriptiones habent raras & minime vulgares, maximi æstimantur. Illa, quorum partes posticæ nihil aliud repræsentant, nisi literas Græcas, signantes tantum annum imperii Augusti, in rariorum numero non habentur. Contra, numismata, quorum pars antica inscriptionem omnino integram exhibet; pars postica vero inscriptione caret: Item illa, quorum inscriptio ab uno eodemque latere duplicem circulum integrum describit: nec non illa, in quibus vox *restituit* occurrit, inter rariora referuntur.

CAP. XIII.

De numismatibus, quæ pro diversitate locorum & temporum, quibus percussa sunt, in rariorum vel vulgarium numero habentur.

Numismata ob solam antiquitatem alia aliis non præferuntur: nam ex. gr. multo pluris æstimantur numismata grandiora decrescentis, quam florentis Imperii, eam solam ob caussam, quod rariora sint. Non ergo antiquitas, sed raritas potius est mensura pretii numismatum. Notandum hic est, casu interdum fieri, ut bona & probata numismata diversis temporibus nunc pluris nunc minoris æstimentur. Nam ex. gr. si forte thesaurus numismatum antiquorum inveniatur, fieri solet, ut cum raritate etiam pretium illorum imminuatur. Contra, pretium illorum intenditur, cum multi sunt Principes, aliique primariæ dignitatis viri, qui numismatibus delectantur, eorumque copioso apparatu cimeliarchia sua instruunt. Illorum enim curiositas, cui ob ingentes, quas possident, divitias, melius satisfacere possunt, quam alii tenuiores conditionis homines, numismatum antiquorum pretium in immensum auget. Quo accedit, quod multi homines, si videant Principes & Proceres numismatibus delectari, illorum exemplum in colligendis numismatibus imitentur; unde fit, ut numismatum pretium propter emptorum multitudinem augeatur.

Numismata quoque vario æstimantur pretio pro diversitate regionum, unde afferuntur; populorum, qui

qui illis monetæ loco usi sunt; & locorum, in quibus percussa sunt. Nam ex. gr. numismata Græca multo majori æstimantur pretio Parisiis, quam Romæ; eademque Romæ carius veneunt, quam in Græcia. Contra, numismata Posthumii viliori æstimantur pretio in Gallia, quam Italia, quoniam modo dictus Posthumius in Gallia regnavit, ibique monetas suas percussit. Sunt autem quatuor potissimum numismatum genera, quæ a quatuor diversis populis, a quibus cusa sunt, nomen acceperunt, nimirum Hebraica, Græca, Latina, & Barbara, sive Gothica, de quibus singulis ordine agam.

CAP. XIV.

De numismatibus Hebraicis.

Quamvis multa de monetis sive nummis S. Scripturæ, tam veteris, quam novi Testamenti dici possent; nibilominus, quoniam tractatio hujus argumenti potius ad Theologum, quam Medicum pertinet, & cum illi, qui de hac materia scripserunt, veluti Alchazarus & Villalpandus, ipsi inter se dissentiant, præcipue, quod ad siclum Hebraicum adtinet; sufficiat dixisse, Chokierium, secundum opinionem Villalpandi, siclos in duo genera distinguere, argenteos nempe & æreos. Quod ad siclos argenteos adtinet, illorum alii habent pondus stateris Græci, qui continebat quatuor drachmas Articas; alii dimidia parte leviores sunt præcedentibus, qui binas tantum drachmas Atticas, sive 5 denarios & 6 grana ponderis nostri pendent: utrique ab una parte repræsentant figuram exigui vasis, quod creditur esse urna, in qua manna asservabatur; ab altera parte figoram virgæ, quæ putatur esse virga Aaronis. Sicli ærei ab una parte exhibent figuram, quæ creditur repræsentare radicem balsami, in Judæa nascentis; ab altera parte figuram palmæ.

Wassero alia placet siclorum divisio, secundum quam alii erant sicli *sacri*, pendentes 4 drachmas Atticas, sive 3 grossos & $\frac{1}{2}$ ponderis nostri; alii sicli *communes*, dimidia parte prioribus leviores.

Prioris generis sicli, sive *sacri*, ab una parte repræsentant castellum, quod, secundum sententiam Wasseri, denotat urbem, vel Templum Hierosolymitanum, addita inscriptione Hebraica, quæ Latine reddita, sic sonat: *Hierosolyma urbs Sanctitatis:* ab altero latere hanc exhibent inscriptionem, itidem Hebraice: *David Rex, & filius ejus Salomon.*

Posterioris generis sicli easdem prorsus ab utraque parte habent figuras, quas sicli argentei Chokierii.

Sub Pontificatu Julii secundi, & Leonis decimi, ut idem Wesserus refert, duo alia numismatum Hebraicorum, tam argenteorum, quam æreorum, genera inventa fuerunt; quorum numismatum alia ab una parte impressam habent imaginem Servatoris nostri, addito nomine JESUS; ab altera vero, inscriptionem hanc, literis & vocibus Hebraicis constantem: *Rex unctus venit cum pace, Deus factus est homo.*

Posterioris generis numismata prioribus omnino sunt similia, si unum latus spectes: ab altero vero latere hanc inscriptionem Hebraice repræsentant: *Et lux hominis facta est vita.*

Numismata duorum posteriorum generum manifesto sunt adulterina, omniaque item alia argentea pro suspectis haberi debent.

Præterea, numismata illa, quæ vulgo inscriptiones Syriacas habere putantur, mibi valde suspecta videntur, quoniam, cum characteres illi tam ab ab hodiernis literis Syriacis, quam antiquis, quæ in Bibliotheca Vaticana conspiciuntur, toto, ut ajunt, cœlo differant, miror, qui dici possit, characteres hos esse Syriacos, & quomodo illi a quoquam legi potuerint, quoniam nec cum literis antiquis, nec hodiernis ullam affinitatem babent. Huc accedit, quod omnia, quæ vidi, numismata, poodus habeant hodiernæ semunciæ Romanæ, non vero stateris argentei Attici, quem sedecim granis ponderis nostri leviorem esse oportet semuncia Romana.

CAP. XV.

De numismatibus Græcis Rerumpublicarum & Regum, & quænam ex illis in rariorum numero habeantur.

Numismata Græca a Civitatibus & Principibus Græcorum percussa sunt vel ante, vel postquam a Romanis subjugati essent. Numismata a Græcis, jam subjugatis, cusa, fere omnia impressum habent vultum illius Imperatoris, sub quo percussa sunt.

De posterioribus his numismatibus infra agam, ubi de numismatibus Imperii Romani, ad quorum classem pertinent, differetur.

Notandum igitur est, numismata ærea Principum vel Regum Græcorum multo esse rariora, quam argentea & aurea; & numismata ærea Civitatum multo frequentius occurrere, quam argentea. Contra numismata Græca, tempore Imperatorum percussa, quibus illorum vultus impressus est, fere omnia sunt ærea, cum pauca vel potius nulla ejus temporis aurea, & paucissima argentea exstent. Numismata igitur Græca Imperatorum argentea sunt rarissima, eaque pondus drachmæ non excedunt.

Inter numismata argentea Urbium & Principum Græcorum multo major reperitur modulorum & magnitudinum diversitas, quam inter aurea.

Quædam etiam occurrunt, inscriptionem Latinam habentia, veluti in quibus legitur, *Romano, Sueffano, Minturnens*, literis Latinis, quæ tamen pro Græcis habentur.

Difficile est, numismatum Græcorum, præcipue ab Urbibus & Principibus Græcis percussorum, æque certam & perfectam habere notitiam, ac Latinorum; tum, quia major illorum est paucitas, quam Latinorum; tum quia non æque communia sunt ac Romana.

Veniam igitur facile merebor, si non æque specialem & particularem numismatum Græcorum ac Romanorum descriptionem tradidero, sed in genere tantum, quæ ad notitiam illorum pertinent, exposuero, ita tamen, ut generali hac notitia adjuti, numismata vulgaria & communia a rarioribus discernere queamus.

Hoc igitur nulla alia ratione melius fieri posse puto, quam si illorum numismatum, quæ mihi minus rara videbuntur, catalogum secundum alphabeti seriem exhibeam: sic enim facile apparebit, quænam in rariorum numero habenda sint; omnia nimirum illa, quæ in boc catalogo non reperientur. En igitur primo seriem numismatum, a Regibus Græcis percussorum, quæ minus rara sunt.

Ἀγαθοκλέους, excipe numismata, quæ capite, vel vultu Agathoclis signata sunt: illa enim rara sunt.
Ἀλεξάνδρου.
Γέλωνος.
Διονυσίου.
Δημητρίου.
Ἱέρωνος.
Ἱερωνύμου.
Λυσιμάχου.
Βασιλέως Μιθριδάτου Εὐπάτορος.
Πτολεμαίου βασιλέως; nisi cognomen aliquod vel caput in illis occurrat.

Sequitur Catalogus numismatum, a Civitatibus & Rebuspublicis percussorum, quæ minus rara sunt.

Ἀντιγονέων.
Αὐλλωνιέων.
Ἀγεσσίων.
Ἀκράγαντος. excipiuntur illa, in quibus Jupiter aquilam, manui ipsius insidentem, tenet: item illa, in quibus cancer, & infra eum serpens, piscem devorans, conspicitur.
Ἀτελλάνων.
Ἀριμινέων.
Ἀπολλωνιατᾶν.
Ἀντιγονέων.
Ἀπειρωτᾶν.
Ἀκαρνάνων.
Ἀντίων. illis exceptis, quæ lyram & gryphum repræsentant.
Ἀχαιῶν.
Ἀνθηδονίων.
Ἀθηναίων.
Ἀρτίων.
Βρεττίων.
Valentiæ, quæ & Ἱππωνίων.
Βυζαντίων.
Γέλας. nisi in parte eorum postica Tigris occurrat.
Γυθεατῶν.
Δυῤῥαχίων.
Δέλφων.
Δημητριέων.
Διονυσοπολιτῶν.
Ἐμποριτῶν.
Ἐπιδαυρίων.
Ζεφυριέων.
Ἡρακλητῶν.
Ἡμερίων.
Θουρίων.
Θυῤῥίων.
Θυραίων.
Θεσσαλῶν.
Ἰστρίων.
Ἰστιαιέων.
Ἱμεραίων.
Καλσιτῶν.
Καπυάνων.
Καρκίνων.
Κροτωνιατᾶν.
Κόσων.
Κορινθίων.
Κερκυραίων.
Κρηταίων.
Κωρυκίων.
Κώων.
Λαρισαίων.
Λυσιμαχέων.
Λευκαδίων.
Λεοντίνων.
Λόκρων.
Μαμερτίνων.
Μεταποντίνων.
Μασσαλιητῶν.
Μεγαρέων.
Μεσσηνίων.
Μακεδόνων.
Νικομηδέων.
Νεαπολιτῶν.
Νωλαίων.
Ὀλυμπίας.
Ὀπουντίων: illis exceptis, quibus stella impressa est.
Περινθίων.
Παρίων.
Πυτεολιτῶν.
Ποσειδωνιατᾶν.
Romano.
Ῥοδίων.
Σεριφίων.
Συρακοσίων. excipe illa, quæ cancrum, & infra duos pisces repræsentant; item illa, in quorum parte antica Jupiter, & in parte postica aquila conspicitur, & quæ imagine equi. &, ut videtur, vultu Jani signata sunt.
Suessano.
Συβαριτῶν καὶ Θουρίων, καὶ Κοπιατᾶν.
Τηίων.
Τεριναίων.
Ταραντίνων.
Ὑελήτων.
Ὑδρουντίνων.
Γαλαίων.

Qui curiositate ducti hujusmodi nomismatum apparatu museum suum instruere volent, illis suadeo, ut præ cæteris auctoribus omnibus consulant Golzium, quippe qui summa diligentia omnia, quæ in variis totius Europæ cimeliarchiis reperire potuit numismata Græca, scripto consignavit.

CAP. XVI.

Observationes speciales de nummorum, ante dictorum, item aliorum huc pertinentium raritate.

Quamvis ex inspectione catalogi præcedentis cuilibet facile pateat, utrum nummi aliqui sint rari, annon; attamen ut pleniorem & certiorem hujus rei consequamur notitiam, haud abs re me facturum puto, si aliquas insuper de raritate numismatum Græcorum subjungam observationes, profuturas illis, qui studii hujus amore tenentur. Observandum igitur primo, nulla reperiri numismata Regum Assyriæ, Persiæ & Judææ.

Inter numismata Regum Macedoniæ reperiuntur aliqua, præferentia nomen Amynthæ, qui creditur esse tertius hujus nominis; quisquis autem sit ille Amynthas, numismata hæc rara sunt.

Numismata Philippi & Alexandri M. minime rara sunt.

Post divisionem Imperii Macedonici a compluribus Regibus, nominatim Ptolemæis in Ægypto, cusa extant numismata, præsertim argentea, in quibus nullum cognomen occurrit, duobus vel tribus exceptis; ita ut sciri non possit, cujus Ptolemæi sint, quoniam plures hujus nominis Reges in Ægypto fuisse constat.

Numismata Philadelphi & Euergetæ ex cognomine adjecto ab aliis dignosci possunt, eaque mediocris sunt raritatis. Notandum est, nonnulla reperiri numismata, in quibus nomen Ptolemæi occurrit, quamvis non Ptolemæorum, sed Jovis effigiem repræsentent.

Exstant etiam numismata ærea Cæsarionis. Numismata Cleopatræ, matris ejus, præcipue aurea, eximiæ sunt raritatis Reperiuntur etiam numismata ærea & argentea ejusdem Cleopatræ, una cum effigie Antonii.

Inter numismata Regum Macedoniæ, successorum Alexandri M. minus rara sunt ea, quæ a Lysimacho cusa exstant: Numismata Antipatri & Cassandri sunt rarissima.

Numismata Antigoni argentea occurrunt: at vero, cum plures fuerint Antigoni, nec cognomen in illis numismatibus sit expressum, haud facile sciri potest, a quo Antigono percussa sint.

Exstant quoque numismata Demetrii, in quibus itidem nullum cognomen reperitur.

Philippi, penultimi Macedonum Regis, argentea exstant numismata, quæ nulla alia nota a numismatibus alterius Philippi, patris Alexandri Magni, distingui possunt, nisi vultus diversitate. Posterioris Philippi numismata plerumque tantum drachmæ circiter pondus habent: reliqua sæpe duas drachmas, vel circiter, pendere deprehenduntur.

Persei quoque, ultimi Macedonum Regis, numismata inveniuntur, sed raro.

Quod ad numismata Regum Syriæ attinet, haud pauca Seleuci argentea occurrunt, sed absque cognomine.

In numismatibus Antiochi Epiphanis, quæ non admodum rara sunt, expressum est cognomen Epiphanis. Numismata, in quibus conspicitur Elephas, rariora sunt, uti & Antiochi Soteris, & conjugis ejus Cleopatræ, quorum capita uno latere juncta exhibentur.

Numismata Demetrii Nicatoris rarius occurrunt; quibus tamen numismata Tryphonis & Bachidis raritate longe præstant. Inter numismata Regum Bithyniæ, exstant adhuc a Nicomede Epiphane cu-

sæ: Nicomedis Philopatoris autem sunt rariora: Prusiæ magis obvia. Quantum ad nummos primi & quarti Nicomedis attinet, illi valde difficiles distinctu sunt, raroque admodum inveniuntur.

Regum Ponti nummi, qui vulgo in veniuntur, sunt Mithridatis Magni, alias in nummis Eupatoris cognominati. Inveniuntur etiam parentis ejus Mithridatis Euergetis, qui illis rariores sunt.

Pharnacis numismata valde sunt rara. Sunt etiam quædam, oomen Mithridatis gerentia, sed absque cognomine, quæ ob id difficulter discerni possunt ab aliis.

Nummi Regum Pergami omnes rari sunt, sed præcipue Attali atque Eumenis. Reperiuntur etiam Phileteri argentea numismata, quæ non æque rara sunt, quanquam respectu aliorum eximiæ sint raritatis. Quantum ad Siciliæ Tyrannos; Hieronis numismata obvia sunt: Hieronymi minus; Gelonis minime. Reliquorum Siciliæ tyrannorum nummi omnes valde rari sunt.

Omnes nummi Regum Parthicorum & Mauritaniæ admodum rari sunt, exceptis Jubæ numismatibus, quæ ab uno latere literas Romanas, ab altero Punicas habent.

Omnes memorati nummi longe sunt ex ære, quam ex argento & auro rariores. Omnia Urbium & Rerumpublicarum numismata, ex quocuoque metalli genere, minus rara sunt.

CAP. XVII.

De divisione nummorum Romanorum, & primum quidem de Consularibus, eorumque numero, tam æreorum, quam argenteorum & aureorum.

Nummi Latini dividuntur in Consulares atque Imperatorios. Fulvius Ursinus eadem cura in conscribendo libro de Familiis Romanorum usus est, qua Goltzius in componendo suo de Numismatibus Græcis; adeo ut, si sit nummus Consularis, qui in Fulvii Ursini libro de Familiis Romanorum non extet, eo ipso sæpe in eorum numero haberi possit, qui rariores sunt.

Equidem, Gorlæus in Thesauro suo Numismatum Romanorum nummos quosdam Consulares exhibet, qui Fulvii numismatibus non per omnia similes sunt; verum adeo parum illius hujusque nummi ab invicem differunt, ut diversitas, quæ inter hos illosque est, ut plurimum nequidem attendi mereatur, cum differentia illa maximam partem non nisi a literarum quarundam, aut eorum qui eos fabricarunt, proficiscatur diversitate.

Quantacunque cura Fulvius Ursinus nummos omnes, quos sua ætate nancisci potuit, conquisiverit atque recensuerit, non tamen plures nobis in universum quam septingentos circiter & quinquaginta quatuor, tam aureos, quam argenteos & æreos exhibuit, duodecim nempe aureos, sexcentos & quinquaginta septem argenteos, ac octoginta quinque æreos, atque in horum præterea numero sunt, qui duabus vel tribus familiis inserviant; adeo ut, nisi fallar, unus idemque nummus bis aut ter quandoque numeratus sit. Aurea & argentea numismata duplicis potissimum, vel triplicis exstant ponderis & magnitudinis diversæ. Ærea vero triplices, nimirum maximæ, mediæ atque minimæ magnitudinis.

Observandum quoque, perinde uti inter numismata Græca inveniuntur nonnulla, quorum inscriptio Latina est, ita inter Consularia quoque reperiri quorum inscriptio Græca sit.

CAP. XVIII.

Enarratio Familiarum omnium Consularium Fulvii Ursini, secundum Ordinem Alphabeticum disposita, & cur Auctor eam hic inseruerit.

Cum duas potissimum ob causas, illis, qui in nummorum Consularium cognitione non admodum versati sunt, difficile sit scire, ad quam familiam quisque nummus referri debeat: primum quidem quod in nummis, in quibus nomen familiæ signatum est, ut plurimum non nisi duæ vel tres priores nominis familiæ extent literæ, quo fit, ut reliqua pars nominis inventu difficilis sit, nisi aut ad librum Fulvii Ursini recurratur, quem ob magnitudinem non semper nobiscum ferre possumus; aut nomina omnium familiarum firmiter memoriare teneamus, id quod tironibus præcipue, perquam difficile est.

Deinde, quod magna eorum nummorum copia sit, in quibus nomen ejus familiæ, ad quam referri debent, plane non invenitur, sed aliquod tantum cognomen, ad quod cognoscendum Fulvius Ursinus indicem nullum confecit. Propter has itaque causas in hoc exiguæ molis libro, quem quisque facile penes se habere poterit, in gratiam tironum, duos Catalogos exhibendos esse existimavi: quorum prior secundum seriem Alphabeti continebit nomina omnia Familiarum Consularium Fulvii Ursini: alter docebit, ad quam familiam quæque cognomina referenda sint.

Catalogus Alphabeticus omnium Familiarum Consularium Fulvii Ursini.

A.

Aburia.
Accoleja.
Acilia.
Aelia.
Aemilia.
Afrania.
Alliena.
Aonia.
Antestia.
Antistia.
Antia.
Antonia.
Apronia.
Aquilia.
Arria.
Asinia.
Atilia.
Aurelia.
Axia.

B.

Bæbia.

C.

Cæcilia.
Cæcina.
Cæsia.
Calidja.
Calpurnia.
Caninia.
Carisia.
Cassia.
Cestia.
Cipia.
Claudia.
Clodia.
Cocceja.
Coelia.
Considia.
Coponia.
Cordia.
Cornuficia.
Cosconia.
Cossutia.
Creperia.
Crepusia.
Cupiennia.
Curiatia.
Curtia.

D.

Didia.
Domitia.
Durmia.

E.

Egnatia.
Egnatuleja.
Eppia.

F.

Fabia.
Fabricia.
Fannia.
Farsuleja.
Flaminia.
Flavia.

Fon-

Fonteja.
Fufia.
Fulvia.
Fundania.
Furia.

G.

Gallia.
Gellia.

H.

Herennia.
Hirtia.
Horatia.
Hosidia.
Hostia.

I.

Itia.
Julia.
Junia.

L.

Labiena.
Licinia.
Livineja.
Livia.
Lollia.
Lucilia.
Lucretia.
Luria.
Lutatia.

M.

Mæcilia.
Majania.
Mamilia.
Manlia.
Marcia.
Maria.
Menenia.
Mescinia.
Mettia.
Minatia.
Minucia.
Mucia.
Munatia.
Mussidia.

N.

Nævia.
Nasidia.
Neria.
Novia.
Norbana.
Numonia.

O.

Ogulnia.
Opimia.
Oppia.

P.

Papia.
Papiria.
Pedania.
Petilia.
Petronia.
Pinaria.
Plætoria.
Plancia.
Plotia.
Poblicia.
Pompeja.
Pomponia.
Porcia.
Postumia.
Procilia.

Q.

Quinctia.

R.

Revia.
Roscia.
Rubria.
Rustia.
Rutilia.

S.

Salvia.
Sanguinia.
Satriena.
Saufeja.
Scribonia.
Sempronia.
Sentia.
Sergia.
Servilia.
Sestia.
Sicinia.
Spurilia.
Statia.
Statilia.
Sulpicia.

T.

Tarquitia.
Terentia.
Thoria.
Titinia.
Titia.
Tituria.
Trebatia.
Tullia.

V.

Valeria.
Varguoteja.
Vergilia.
Vettia.
Veturia.
Vibia.
Vinicia.
Vipsania.
Voconia.
Volteja.

Alter Catalogus, itidem secundum ordinem alphabeti dispositus, qui monstrat, ad quam familiam numismata illa, in quibus nomen familiæ omissum est, referenda sint.

A.

Acisculus,	Valeria.
Agrippa,	Luria, Vipsania.
Ahala,	Servilia.
Ahenobarbus,	Domitia.
Atratinus,	Sempronia.
Augur,	Cornuficia.
Augurinus,	Minucia.

B.

Baala,	Aelia.
Balbus,	Acilia, Antonia, Cornelia, Thoria, Nævia.
Barbatus,	Valeria.
Bibulus,	Calpurnia.
Blasio,	Cornelia.
Brocchus,	Furia.
Brutus,	Junia.
Buca,	Aemilia.
Bursio,	Julia.

C.

Cæpio,	Junia, Sestia, Servilia.
Cæsar,	Julia.
Caldus,	Cælia.
Calenus,	Fufia.
Capito,	Fonteja, Maria.
Capitolinus,	Petilia.
Carbo,	Papiria.
Casca,	Servilia.
Cato,	Porcia.
Catullus,	Valeria.
Celer,	Cassia.
Celsus,	Papia.
Censorinus,	Marcia.
Cerco,	Lutatia.
Cestianus,	Plætoria.
Cilo, vel Chilo,	Flaminia.
Cinna,	Cornelia.
Cocles,	Horatia.
Cordus,	Muria.
Cossus,	Cornelia, Vipsania.
Crassipes,	Furia.
Crassus,	Licinia.
Crispinus,	Quinctia.

D.

Dossenus,	Rubria.

F.

Fabatus,	Roscia.
Flaccus,	Rutilia & Valeria.
Florus,	Aquilia.
Fostulus,	Pompeja.
Frugi,	Calpurnia.

G.

Galba,	Sulpitia.
Geminus,	Aburia.
Geta,	Hosidia.
Graccus,	Antistia, Sempronia, Julia,
Gallus,	Asinia, Caninia, Memmia.

H.

Hemis,	Flavia.
Hypsæus,	Plautia.
Hispaniensis,	Fabia.

I.

Judex,	Vettia.

L.

Laber,	Fabia.
Læca,	Porcia.
Lamia,	Aelia.
Lariscolus,	Accoleja.
Lentulus,	Cornelia.
Lepidus,	Aemilia.
Libo,	Martia, Scribonia.

Limetanus,	Mamilia.
Longinus,	Cassia.
Longus,	Cassia, Mussidia.
Lucanus,	Terentia.
Lupercus,	Gallia.
M.	
Macer,	Licinia, Sepulia.
Magnus,	Pompeja.
Malleolus,	Poblicia.
Marcellinus,	Cornelia.
Marcellus,	Claudia.
Mandianus,	Cossutia.
Maximus,	Egnatia, Fabia.
Mensor,	Farsuleja.
Messala,	Valeria.
Metellus,	Cæcilia.
Molo,	Pomponia.
Murena,	Licinia.
Musa,	Pomponia.
N.	
Naso,	Axia.
Natta,	Pinaria.
Nerva,	Cocceja & Licinia.
Nurcus,	Statia.
O.	
Otho,	Salvia.
P.	
Pætus,	Aelia, Considia.
Palicanus,	Lollia.
Pansa,	Vibia.
Parthicus,	Labiena.
Paullus,	Aemilia.
Philippus,	Martia.
Philus,	Furia.
Pictor,	Fabia.
Piso,	Calpurnia.
Plancus,	Munatia, Plautia.
Platorinus,	Sulpitia.
Pulcher,	Claudia.
Purpurer,	Furia.
Q.	
Quintilianus.	Nonia.
R.	
Reginus,	Antistia.
Regulus,	Livinia.
Restio,	Antia.
Rocus,	Creperia.
Rufus,	Cordia, Licinia, Mescinia, Minutia, Plautia.
Rompeja,	Pomponia, Sulpitia.
Rullus,	Servilia.
S.	
Sabinus,	Minatia, Tituria.
Sabula,	Cossutia.
Salinator,	Livia.
Saranus,	Atilia.
Saserna,	Hostilia.
Saturninus,	Sentia.
Scarpus,	Pinaria.
Scaurus,	Aemilia, Aurelia.
Scipio,	Cornelia.
Secundus,	Arria.
Silanus,	Junia.
Silianus,	Licinia.
Silus,	Sergia.
Sisenna,	Cornelia.
Spinter,	Cornelia.
Stolo,	Licinia.
Suffenas,	Novia.
Sulla,	Cornelia.
Sulpitianus,	Quinctia.
Sardinus,	Nævia.
T.	
Tampillus,	Bæbia.
Taurus,	Statilia.
Thermus,	Minutia.
Torquatus,	Manlia.
Trigeminus,	Curiata.
Trio,	Lucretia.
Triumpus,	Papia.
Tullus,	Mæcilia.
Turpilianus,	Petronia.
V.	
Vaala,	Numonia.
Varro,	Terentia.
Varus,	Vibia.
Vetus,	Antistia.

CAP. XIX.

Quarum Familiarum Romanarum numismata pro rarioribus habenda sint, ostenditur.

Postquam Catalogum numismatum Consularium exhibui, cujus ope unusquisque facillime scire potest, ad quam Familiam quæque numismata referenda sint, sive nomen Familiæ in illis sit expressum, sive non; restat, ut Lectorem doceam, quænam ex illis pro rarioribus habenda sint: in cujus rei & materiæ declaratione ordinem Familiarum sequar, ut sic quælibet numismata facilius inveniri possint.

Aburia.

Quamvis pleraque hujus Familiæ numismata sint vulgaria & obvia; ærea tamen pro raris habentur, quæ ab uno latere repræsentant caput, una cum pelle Leonis, & tribus punctis; ab altero, Inscriptionem hanc, C. ABV. GEM. ROMA. cum fragmento navis.

Acilia.

Pleriqoe hujus Familiæ nummi vulgares sunt; primus tamen, qui æreus est, rarioribus accensetur. Hic ab una parte exhibet caput barbatum; ab altera serpentem, cujus amplexo baculus circumplicatur, cum inscriptione, M. ACILA.

Æmilia.

Quamvis multa hujus Familiæ numismata reperiantur, quæ vulgaria sint, quintum tamen, sextum, duodecimum, & decimum tertium rara sunt.

Quintum est argenteum, cujus unum latus exhibet caput absque inscriptione; alterum vero, ædificium cum hac inscriptione, AIMILAS. C.M. LEPIDVS REF.

Sextum, quod itidem argenteum est, in una parte habet caput, cum hac inscriptione ALEXANDREA; in altera, duas figuras, quarum una alteram coronat, addita hac inscriptione M. LEPIDVS PONT. MAX. S.C. TVTOR REG. Numisma hoc perrarum est.

Duodecimum itidem argenteum est, quod ab uno latere signatum est capite, additis literis CABE; ab altero, cornu copiæ, cum inscriptione LEPI.

Decimum tertium Itidem argenteum est, habens in una parte caput, cui adscriptum est M. LEPIDVS IIIVIR R. P. C. in altera, figuram nudam, cum hac inscriptione, L. MVSSIDIVS T. FI. LONGVS IIIVIR A. P. F.

Alliena.

Nummi hujus Familiæ rari sunt.

Antistia.

Omnia numismata Familiæ Antistiæ rara quidem sunt, sed primum raritate cæteris præstat. Est

Est id argenteum, & ab una parte exhibet caput Augusti, cum inscriptione CÆSAR AVGVSTVS; ab altera, tripodem, simpulum, lituum & pateram, cum hac inscriptione C. ANTISTIVS REGINVS IIIVIR.

Antonia.

Numismata Familiæ hujus alia sunt rara, alia vulgaria. In rariorum numero habenda sunt sequentia:

Primum, in cujus utroque latere signata sunt duo capita, addita inscriptione, M. ANT. IMP. AVG. IIIVIR. R.P.C.M. NERVA PROQ. & in altera parte, L. ANTONIVS COS.

Quartum, cujus unum latus repræsentat caput, mitra tectum, adjecta inscriptione C. ANTONIVS M. F. PROCOS. alterum, duos simpulos & secespitam, subjecta voce PONTIFEX.

Septimum, cujus una pars signata est capite absque inscriptione; altera, itidem capite, cum hac inscriptione, M. ANTONIVS IIIVIR. R. P. C.

Octavum in una parte hanc habet inscriptionem, M. ANTONIUS IM. COS. DESIG. ITER. ET TERT. in altera, IIIVIR. R. P. C. Hoc numisma ordinariam formæ magnitudinem excedit.

Nonum valde rarum est, in cujus uno latere signatum est caput, absque inscriptione; in altero legitur hæc inscriptio Græca AUTOKPA. inter duo cornua copiæ, in quorum summitate duo capita conspiciuntur, & tertium insuper in medio illorum.

Decimum in una parte habet duo capita, quorum unum alteri impositum est: juxta legitur inscriptio hæc, M.ANTONIUS IMP. COS. DESIG. ITER. ET TERT. in altero latere conspicitur statua hominis stantis, basi imposita, & utrinque duo serpentes, cum inscriptione IIIVIR. R. P. C.

Undecimum est optimæ notæ, in cujus uno latere conspicitur caput, addita hac inscriptione, ANTONI. ARMENIA DEVICTA. In altero latere itidem caput, cum hac inscriptione: REGINÆ REGUM FILIORUM. REGUM CLEOPATRÆ.

Duodecimum mediocriter rarum est, in cujus uno latere signatum est caput, cum inscriptione M. ANT. IMP. in altero, itidem caput, adjectis his literis CÆSAR DIC. Numismata hæc modo memorata omnia sunt argentea.

Vigesimum secundum est æreum, in cujus uno latere conspicitur caput absque inscriptione: in altero, navis, addita inscriptione L. BIBVLVS.

Vigesimum tertium itidem est æreum, cui ab una parte impressa sunt duo capita, quorum unum alteri impositum est; ab altera parte, navis cum velis, adjecta hac inscriptione L. BIBVLVS.

Vigesimum quartum itidem est æreum, cujus unum latus repræsentat duo capita, sibi invicem imposita, cum inscriptione FONTEIVS CAPITO PROPR. alterum exhibet navem cum velis, juxta quam hæc legitur inscriptio, M. ANT. IMP. COS. DESIG. ITER. ET TERT. III.

Vigesimum quintum itidem est æreum, & optimæ notæ, cujus unum latus exhibet duo capita, sibi invicem obversa, cum inscriptione, M. ANT. IMP. TER. COS. in altero latere legitur hæc inscriptio, L. ATRATINVS.

Trigesimum sextum est argenteum, in cujus uno latere conspicitur navis, addita inscriptione ANT. AVG. IIIVIR. R. P. C. in altero, signa militaria, cum hac inscriptione, CHORTIVM PRÆTORIARVM. Hoc numisma mediocris est raritatis.

Trigesimum septimum itidem est argenteum, in cujus uno latere notata est navis, uti in numismate præcedenti, addita eadem inscriptione, ANT. AVG. IIIVIR. R. P. C. in altero, signa militaria, cum hac inscriptione CHORTIS SPECVLATORVM.

Quod ad legiones adtinet; numisma, in quo signata est Legio sexta, est argenteum, hanc habens inscriptionem, ANTONIVS ET VERVS AVG. REST.

Denarius, in quo expressa est Legio duodecima, itidem est argenteus, hac notatus inscriptione, LEG. XII. ANIQVÆ. Hic denarius non est rarus.

Porro, denarius Legionis decimæ septimæ, qui itidem est argenteus, hanc habet inscriptionem, LEG. XVII. CLASSICÆ.

Denarius Legionis duodevigesimæ itidem est argenteus, qui hanc exhibet inscriptionem, LEG. XVIII. LYBICÆ. Omnes nummi, in quibus signatæ sunt Legiones supra vigesimam secundam, sunt rari.

Aquilia.

Quamvis plerique denarii Familiæ hujus rari sint, quartus tamen reliquis est rarior, qui est argenteus, cujus unum latus repræsentat caput, cum hac inscriptione, CÆSAR AVGVSTVS; alterum, florem, addita inscriptione, L. AQVILIVS FLORVS IIIVIR.

Sextus itidem est argenteus & rarus, in cujus uno latere expressum est caput, cum hac inscriptione L. AQVILIVS FLORVS IIIVIR; in altero, quadrigæ, addita inscriptione, CÆSAR AVGVSTVS.

Arria.

Unus tantum in hac Familia reperitur denarius, qui perquam rarus est.

Axia.

Unus duntaxat Familiæ hujus, uti præcedentis, exstat nummus, qui rarus est.

Cæcilia.

Omnes denarii Familiæ hujus vulgares sunt, exceptis quatuor ultimis.

Primus horum est argenteus, in cujus una parte exhibetur figura, cum hac inscriptione, Q. METEL. PIVS SCIPIO IMP. G. T. A. in altera, alia figura, addita inscriptione, P. CRASSVS JVNI. LEG. PROPR.

Secundus itidem est argenteus, ab una parte habens caput, cum inscriptione, METEL. PIVS SCIP. IMP. ab altera, bilancem & cornu copiæ addita inscriptione, P. CRASS. JVNI. LEG. PROPR.

Tertius pariter est argenteus, ab una parte repræsentans caput, cum inscriptione, CRASS. JVNI. LEG. PROPR. ab altera, tropæum, cum inscriptione, SCIP. IMP.

Quartus est æreus, in cujus uno latere signatum est caput cum tribus punctis; in altero, fragmentum navis, addita inscriptione, M. METELLVS ROMA. Modo memorati denarii mediocris sunt raritatis.

Cæcina.

Unus tantum Familiæ hujus reperitur denarius, qui rarus est.

Calpurnia.

Septimus, octavus, & decimus tertius Familiæ hujus denarii rari sunt.

De septimo & octavo supra in Familia *Antonia* locuti sumus, uti ex cognomine BIBVLVS apparebit.

Decimus tertius est æreus, in cujus uno latere expressum est caput Augusti, cum inscriptione, CÆSAR AVGVSTVS TRIBVNIC. POTEST.

TEST. in altero, caput barbatum, addita inscriptione, CN. PISO CN. F. IIIVIR. AAAFF.

Caninia.

Denarii familiæ hujus rari quidem sunt, at secundus raritate præstat primo.

Primus est argenteus, cujus unum latus repræsentat caput, cum inscriptione, AVGVSTVS; alterum, figuram, genibus nixam, addita inscriptione, L. CANINIVS GALLVS IIIVIR.

Secundus, itidem est argenteus, ab uno latere exhibens caput, cum hac inscriptione. AVGVSTVS; ab altero, L. CANINIVS GALLVS IIIVIR AVGVSTVS TR. POT.

Carisia.

Nummi Familiæ hujus, in quibus signatus est vultus Augusti, rari sunt; horum sex numerantur, nimirum septimus, octavus, nonus, decimus, undecimus, duodecimus: omnium tamen rarissimus est duodecimus, in cujus uno latere ca pressum est caput Augusti, cum his litteris, IMP. CÆSAR AVGVST; in altero, persona, sive larva, addita inscriptione, P. CARISIVS LEG. PROPR. Omnes hi denarii sunt argentei, excepto undecimo, qui est æreus, ab una parte repræsentans caput Augusti, cum inscriptione. CÆSAR AVG. TRIB. POTEST. in medio partis alterius legitur, P. CARISIVS LEG. AVGVSTI.

Cassia.

Quintus, sextus & septimus rariores sunt cæteris.

Quintus restitutus est a Trajano, in cujus uno latere conspicitur caput, cum hac inscriptione. Q. CASSIVS VEST. in altero, Templum, addita inscriptione, IMP. CÆS. TRAIAN. AVG. GER. DAC. PP. REST. AC.

Sextus est argenteus, cujus unum latus exhibet caput, cum inscriptione, C. CASSEI. IMP. alterum, figuram cancri, addita inscriptione, M. SERVILIVS LEG.

Septimus est aureus, cujus unum latus repræsentat caput, addita hac inscriptione, C. CASSEI. IMP. alterum, effigiem rami, quam ambit inscriptio, M. SERVILIVS LEG.

Claudia.

Denarius in tabella nostra omissus, & secundus ad Gentem hanc pertinens, rarus est, & argenteus. In uno latere signatum est caput, cum inscriptione, CÆSAR IMP. in altero, figura stans, juxta quam hæc legitur inscriptio, P. CLODIVS M. F.

Cocceja.

Unum tantum Gentis hujus numisma reperitur, quod rarum est.

Cornelia.

Quamvis plerique hujus Gentis nummi vulgares sint, trigesimus tamen pro raro habetur, in cujus uno latere conspicitur caput, cum hac inscriptione AVGVSTVS COS. XI. in altero itidem caput, addita inscriptione, COSSVS LENTVLVS AGRIPPA COS. TER.

Trigesimus primus quoque in rariorum numero habetur, qui est argenteus, & ab una parte exhibet caput, cum inscriptione, AVGVSTVS DIVI F. ab altera, figuram equestrem, addita epigraphe, CN. LENTVLVS COSSVS.

Cornuficia.

Duo tantum hujus Gentis exstant denarii, qui rari sunt.

Cosconia.

Unus tantum hujus Familiæ reperitur nummus, qui itidem rarus est.

Creperia.

Et hujus Familiæ duo tantum reperiuntur denarii, qui pro raris habentur.

Domitia.

Quartus, quintus & septimus hujus Familiæ nummi sunt rari.

Quartus est argenteus, cujus unum latus repræsentat caput, cum hac inscriptione ÆNOBARB. alterum, tropæum, addita hac epigraphe, DOMITIVS IMP.

Quintus itidem est argenteus, ab una parte exhibens caput, cum hac inscriptione, ANT. IMP. IIIVIR R. P. C. ab altera, fragmentum navis, addita inscriptione DOM. AHENOBARBVS IMP. CN.

Septimus itidem est argenteus, in cujus uno latere conspicitur caput, cum inscriptione OSCA. & in altero leguntur hæ voces, DOM. COS. ITER. IMP.

Durmia.

Omnia Gentis hujus numismata rara sunt: primum tamen, quod est argenteum, raritate cæteris præstat. In uno ejus latere signatum est caput, cum hac epigraphe, M. DVRMIVS IIIVIR HONORI; in altero, quadrigæ, cum inscriptione CÆSAR AVGVSTVS SC.

Egnatia.

Omnia Gentis hujus numismata mediocris sunt raritatis: quamvis ultimum rarius sit cæteris. Unum ejus latus repræsentat caput absque inscriptione; alterum, coronam, cum literis, interiori ejus parti adscriptis, M. EGN. Q. OCT. IIVIR SP. SC.

Fabrinia.

Unus tantum hujus Gentis exstat denarius, qui alicujus est raritatis.

Fulvia.

Et hujus Familiæ unus tantum reperitur denarius, qui mediocriter rarus est.

Horatia.

Unum duntaxat hujus Familiæ nummum Ursinus exhibet, qui est argenteus, & a Trajano restitutus. In uno latere habet caput, cum inscriptione, COCLES; in altero, decursionem, cum hac epigraphe IMP. CÆS. TRAIAN. AVG. GER. DAC. REST. ROMA.

Julia.

Sequentes Gentis hujus denarii pro raris habentur, præcipue undecimus, qui pertinet ad Familiam Allienam.

Vigesimus octavus, in cujus uno latere conspicitur caput, absque inscriptione; in altero taurus, addita epigraphe, L. LIVINEJVS REGVLVS.

Trigesimus secundus, cujus unum latus habet caput, absque epigraphe; alterum, taurum, inscriptis his literis, Q. VOCONIVS VITVLVS Q. DESIGN.

Trigesimus quintus, cujus unum latus repræsentat caput, absque inscriptione; alterum, cornu copiæ, additis his litteris, EX SC.

Ultimus est aureus, cujus unum latus signatum est effigie capitis, addita epigraphe, CÆS. DIC. Q. VAR. alterum, effigie coronæ lauteæ, absque inscriptione.

Junia.

Omnes hujus Gentis denarii pro minus raris habentur; excepto decimo, qui est argenteus, & in parte aversa impressos habet duos pugiones, & in medio illorum pileum, scriptis infra his literis, EID. MR.

Labiena.

Unus tantum Gentis Labienæ exstat denarius, qui inter Consulares rarissimis accensetur.

Licinia.

Licinia.

Nonus tantum Gentis hujus denarius, qui argenteus est, in rariorum numero habetur. In una parte signata est figura equestris, cum inscriptione, AVGVSTVS DIVI F. in altera hæc leguntur verba, P. STOLO. IIIVIR.

Livineja.

Sextus & septimus hujus Gentis denarii pro raris habentur.

Prior est argenteus, quem jam supra in familia Julia descripsimus.

Posterior itidem est argenteus, cujus una pars signata est effigie capitis, addita epigraphe, C. CÆSAR IIIVIR R. P. C. altera, effigie Victoriæ, cum inscriptione, L. LIVINEIVS REGVLVS.

Livia.

Ursinus unum tantum Gentis Liviæ nummum exhibet, qui est æreus, & mediocriter rarus. In una parte impressum habet caput Jani; & in altera fragmentum navis, addita inscriptione, C. CASSI. L. SALIN.

Maria.

Nummi Gentis hujus minus rari sunt, si excipias tertium, quartum, quintum & sextum, qui omnes sunt argentei; inter quos tamen ipsos quintus & sextus raritate reliquis præstant.

Tertius in una parte impressum habet caput, addita epigraphe AVGVSTVS; in altera duas figuras, cum inscriptione, C. MARIVS C. F. TRO. IIIVIR.

Quartus ab una parte exhibet caput, inscriptis his litteris, CÆSAR AVGVSTVS; ab altera, quadrigas, cum inscriptione, C. MARIVS C. F. TRO. IIIVIR.

Quintus in una parte habet effigiem capitis, addita epigraphe, CÆSAR AVGVSTVS; in altera, itidem capitis effigiem, cum inscriptione, C. MARIVS TRO. IIIVIR.

Quod ad sextum adtinet, in ejus uno latere signatum est caput, cum epigraphe, AVGVSTVS DIVI F. in altero, corona, inscriptis his litteris, C. MARIVS TRO. IIIVIR.

Mescinia.

Omnes Gentis hujus denarii mediocriter rari sunt.

Mettia.

Gentis hujus numismata paris cum præcedentibus sunt raritatis.

Minatia.

Duo tantum Gentis hujus reperiuntur denarii, qui satis rari sunt.

Munatia.

Omnes Gentis hujus nummi paris fere cum præcedentibus raritatis sunt.

Nasidia.

Unus tantum Gentis Nasidiæ reperitur denarius, qui rariorum numero adscribitur.

Numitoria.

Et hujus Gentis unus duntaxat reperitur denarius, qui æreus est, & valde rarus.

Ogulnia.

Duo tantum Gentis hujus exstant denarii, & ii quidem mediocris raritatis.

Oppia.

Unus duntaxat Gentis Oppiæ nummus ad nos pervenit, qui æreus est, & nonnihil rarus.

Papia.

Denarii Gentis hujus minime rari sunt, exceptis quarto, quinto, & sexto, qui sunt argentei, & rariores cæteris.

Quartus in una parte expressum habet caput, tectum pelle caprina, & in tabella quadrata, hanc inscriptionem, PAPI. in altera, Pegasum, litteris his infra scriptis, L. PAPI.

Quintus ab una parte repræsentat caput, cum epigraphe, CELSVS; ab altera, lyram, addita inscriptione, L. PAPI.

Sextus in una parte signatus est effigie capitis alati, absque inscriptione; in altera habet figuram stantem, una cum effigie serpentis, addita epigraphe, L. PAPIVS CELSVS.

Papiria.

Tertius tantum Gentis hujus denarius, qui æreus est & Græcus, rariorum numero adscribendus est.

Pedania.

Unus duntaxat Gentis Pedaniæ exstat denarius, mediocris raritatis.

Petronia.

Inter nummos Gentis hujus, qui non admodum rari sunt, primus, tertius, septimus, & octavus raritate cæteris præstant.

Primus est argenteus, in cujus uno latere expressum est caput, cum inscriptione, CÆSAR AVGVSTVS; in altero, figura, addita epigraphe, P. PETRON. TVRPILIANVS IIIVIR.

Tertius ab uno latere exhibet caput, adscriptis his litteris, CÆSAR AVGVSTVS; ab altero, equum alatum, addita epigraphe, P. PETRON. TVRPILIAN. IIIVIR.

Septimus est argenteus, in cujus uno latere conspicitur caput, addita inscriptione, TVRPILIANVS IIIVIR F. FRO. in altero bigæ, quibus duo elephanti juncti sunt, adscriptis litteris his, CÆSAR AVGVSTVS.

Octavus itidem est argenteus, in cujus una parte signatum est caput, cum inscriptione, TVRPILIANVS IIIVIR. FERON. in altera hæc legitur inscriptio, CÆSAR AVGVSTVS SIGN. RECE.

Plætoria.

Inter Gentis Plætoriæ denarios primus tantum, qui argenteus est, pro raro habetur. Una pars signata est effigie capitis, absque inscriptione; altera hanc habet inscriptionem, M. PLÆTOR. CEST. S. C. SORS.

Pompeja.

Inter Gentis hujus denarios primus, quintus, undecimus & decimus tertius rarioribus accensendi sunt.

Primus est aureus, in cujus uno latere expressum est caput, adscriptis litteris, MAG. PIVS IMP. ITER. in altero, duo conspiciuntur capita, se mutuo intuentia, addita inscriptione, PRÆF. CLAS. ET ORÆ MRIT. EX SC.

Quintus est argenteus, cujus una pars signata est effigie capitis, cum inscriptione, SAL. SEX. MAGN. PIVS IMP. altera exhibet figuram stantem, addita epigraphe, PIETAS.

Decimus tertius itidem est argenteus, cujus unum latus repræsentat caput, cum inscriptione, Q. POM. RVF. P. RVFVS COS. in altero itidem cernitur caput, litteris his adscriptis, SVLLA COS.

Pomponia.

In Gente Pomponia decimus quartus tantum denarius rariorum numero adscribi potest, qui in uno latere expressum habet caput, cum hac inscriptione, RVFVS SC. in altero, figuram stantem, addita epigraphe, Q. POMPONI. MVSA.

Sanguinia.

Gentis hujus nummi mediocriter rari sunt: secundus tamen reliquis raritate præstat.

In uno ejus latere signatum est caput Augusti, addita epigraphe, AVGVSTVS DIVI F. in altero,

tero, aliud cernitur caput, adscriptis his litteris, M. SANGVINIVS IIVIR.

Saufeja.

Hujus Familiæ denarii mediocriter rari sunt.

Sempronia.

Inter Gentis hujus nummos ultimus duntaxat rarus est, quem descripsimus in Familia *Antonia*.

Sestia.

Omnes Gentis Sestiæ denarii mediocriter rari sunt.

Spurilia.

Inter Gentis hujus nummos unus tantum mediocriter rarus habetur, qui est argenteus.

Statia.

Hujus Gentis unus tantum reperitur denarius, qui est rarissimus.

Sulpitia.

Inter nummos Gentis Sulpitiæ tertius tantum & nonus pro raris habentur.

Tertius est argenteus, in cujus una parte cernitur caput, cum hac inscriptione, L. SERVIVS RVFVS; in altera, duæ figuræ, absque inscriptione.

Nonus ab uno latere exhibet caput, addita hac epigraphe, PLATORINUS IIIVIR M. AGRIPPA; ab altero, aliud caput, literis his adscriptis, CÆSAR AVGVSTVS.

Tarquitia.

Unus tantum Gentis Tarquitiæ denarius exstat, qui est argenteus, & mediocriter rarus.

Titinia.

Et in hac Gente unus tantum denarius argenteus reperitur, qui satis rarus est.

Trebatia.

Hujus Gentis itidem unus duntaxat reperitur denarius argenteus, qui rarioribus accensetur.

Valeria.

Inter Gentis hujus nummos secundus tantum rarior est, in cujus una parte cernitur caput Dei vel Numinis alicujus, adjecta inscriptione, ACISCVLVS; in altera, Siren, vultu fœminam, reliquo vero corpore avem referens, litteris his adscriptis, L. VALERIVS.

Vergilia.

Duo tantum Gentis Vergiliæ exstant denarii, unus argenteus, & alter æreus, qui rari sunt.

Vettia.

Unus tantum Gentis hujus reperitur denarius, qui argenteus est, & rarus.

Veturia.

In hac Gente duo tantum reperiuntur nummi, quorum posterior est aureus, & mediocriter rarus.

Vibia.

Inter nummos Gentis hujus ultimus tantum, qui argenteus est, pro raro habetur. In una parte expressum habet caput, cum inscriptione C. VIBIVS C. in altera caput absque epigraphe.

Vinicia.

Inter denarios Gentis hujus secundus tantum & quartus, qui argentei sunt, in rariorum numero habentur.

Quod ad secundum adtinet, in ejus una parte cernitur caput, cum hac inscriptione, AVGVSTVS TR. POT. VIII. in altera, Basis statuæ, cui inscriptus est hic titulus, S. P. Q. R. IMP. CÆ. QVOD. V. M. S. EX. EA. P. Q. IS. AD. A. DE. Basin hæc ambit inscriptio, L. VINICIVS L. F. IIIVIR.

Quartus rarior est priori, cujus unum latus exhibet caput, absque titulo; alterum, arcum triumphalem, addita inscriptione, S. P. Q. R. IMP. CÆS. in parte inferiore adscriptum est, L. VINICIVS.

Vipsania.

Omnes denarii Gentis hujus rari quidem sunt: at primus, tertius & quintus cæteris rariores habentur.

Primus est argenteus, in cujus una parte signata sunt duo capita, ad se mutuo conversa, adscripto titulo, DIVOS JVLIVS DIVI F. in altera hæc legitur inscriptio, M. AGRIPPA COS. DESIG.

Tertius itidem est argenteus, cujus unum latus exhibet caput, cum inscriptione, CÆSAR AVGVSTVS; alterum, itidem repræsentat caput, cui adscriptus est titulus, M. AGRIPPA PLATORINVS IIIVIR.

Quintus itidem, ut duo priores, est argenteus, in cujus una parte expressum cernitur caput, adscripto titulo, AVGVSTVS COS. XV. in altera, aliud caput, cum inscriptione, M. AGRIPPA COS. TERT. COSSVS LENTVL.

Voconia.

Duo tantum Gentis hujus reperiuntur nummi, qui satis rari sunt: prior tamen rarior est posteriore, eumque supra in Familia *Julia* descripsimus.

CAP. XX.

De rarioribus Imperatorum numismatibus, tam Latinis, quam Græcis, præcipue vero Latinis. Ea præferenda esse Græcis. Æreorum longe majorem esse copiam, quam ex quovis alio metalli genere percussorum.

Quamvis Latina Imperatorum numismata copia & numero omnia alia numismatum genera longe vincant, reliquis tamen præferuntur, quia multo melius suorum temporum historiam illustrant, quam aliorum generum numismata: quo accedit, quod figuras habeant majore arte elaboratas, & intellectu faciliores, quam alia. Itali quoque, qui numismatum notitia reliquas rationes facile antecedunt, ea Græcis Imperatorum numismatibus præferunt. Ex omni quidem metalli genere percussa reperiuntur, ærea tamen & copia, & figurarum magnitudinumque varietate reliqua genera longe superant.

Numismata Imperatorum magis vel minus rara sunt, pro diversitate materiæ, magnitudinis, ponderis, inscriptionum, locorum & regionum, in quibus fabricata sunt.

Pauca vel nulla numismata Græca, vel Coloniarum aurea reperiuntur, ut jam supra observavimus. Eadem raro ex argento cusa occurrunt, ita ut, si ærea sint rara, argentea certe longe sint rariora.

Pauca etiam vel nulla reperiuntur numismata Imperatorum, aurea & argentea, præcipue florente Imperio percussa, quæ sint grandiora, ut itidem superius jam observavimus. Et quamvis hujus generis numismata, vergente Imperio percussa, frequentius occurrant, nihilominus & ea eximie sunt raritatis, licet sint ærea: ita ut, si grandiora numismata aurea & argentea vergentis sive occidentis Imperii pro raris habenda sint; florentis certe Imperii, longe rariora censeri debeant. Grandiora numismata ærea florentis Imperii minime rara sunt, secus ac minora, quæ rarioribus accensentur; cum contra grandiora vergentis Imperii apprime rara sint, minora vero nullius raritatis habeantur.

Quinam nummi ob inscriptiones suas, & partium posticarum figuras magno in pretio habeantur, supra

pra docui; ad quem locum Lectorem remitto.

Antea etiam, cum de raritate numismatum Græcorum in genere agerem, monui, numismata Græca Imperatorum, quorum inscriptiones nil præter annum Imperatoris indicant, nullius pretii esse.

Quod ad numismata Coloniarum adtinet; in memoriam, nobis revocare debemus ea, quæ supra dicta sunt, ubi egimus de numismatibus, quorum alia aliis majore in pretio habeantur, ob diversitatem locorum & regionum, in quibus fabricata sunt.

Postquam de numismatum Imperatoriorum raritate in genere egimus, respectu quinque qualitatum, supra memoratarum; ordo postulat, ut singulorum raritatem ad easdem quinque qualitates speciatim nunc exigamus. Et primo quidem, quod attinet ad

Numismata Pompeji,

ut sciamus, quænam ex illis rariora sunt, animo repetenda sunt ea, quæ supra de numismatibus Familiæ Pompejæ dicta sunt; & præterea notandum est, aurea esse rariora argenteis & æreis, quamvis unius tantum generis ærea exstent, in quorum uno latere conspicitur caput Jani, in altero, fragmentum navis.

Julii.

De numismatibus Julii notanda sunt ea, quæ supra, ubi de omnis Familiæ Juliæ egimus, dicta sunt; præter quæ sciendum est, numismata Julii aurea esse rara; ærea mediæ magnitudinis esse rariora grandioribus; & ærea minimæ magnitudinis raritate longe præstare grandioribus.

Bruti.

Quoniam Brutus ex Familia *Junia* ortus erat, videnda sunt ea, quæ supra de numismatibus hujus Familiæ diximus.

Lepidi.

Quoniam Lepidus Genti Æmiliæ originem suam debebat, recordari debemus eorum, quæ supra de nummis Gentis hujus exposita sunt. Præterea notandum est, numismata Lepidi ærea rariora esse aureis & argenteis; aurea vero raritate præstare argenteis.

Antonii.

Videnda sunt ea, quæ de omnis Familiæ *Antonia* superius diximus; & præterea sciendum, numismata Antonii ærea valde rara esse.

Agrippæ.

Quoniam Agrippa ad Gentem *Vipsaniam* genus suum referebat, remittendus est Lector ad ea, quæ supra de numismatibus Gentis hujus dicta sunt; præter eaque notandum est, omnia aurea & argentea Agrippæ numismata rara esse, præcipue vero aurea.

Augusti.

Imperatorem hunc ex Gente Julia originem suam traxisse constat: ob quam causam videnda sunt ea, quæ supra de nummis Gentis hujus diximus; & præterea notandum est, omnia numismata grandiora Augusti pro raris haberi; mediæ vero magnitudinis, nullius esse raritatis, uti & minimæ, in quorum parte aversa signatum est Templum, addita inscriptione, ROMA ET AVGVSTO; vel Aquila: reliqua enim exigui moduli numismata (loquor tantum de æreis) sunt rara. Porro, sciendum est, omnia numismata ærea Triumvirorum monetalium, quæ sequuntur, in rariorum numera haberi:

P. QVINCTILI. SEX. F. VARVS.
C. SENTIVS C. F. SATVRNINVS.
M. FVRIVS. P. F. CAMILLVS.
T. STATILIVS. T. F. TAVRVS.
C. CALVISIVS. C. F. SABINVS.
L. DOMITIVS AHENOBARBVS.
P. CORNELIVS. P. F. SCIPIO.
P. LENTVLVS CN. F. SCIPIO.
M. SANQVINIVS Q. F.
M. LICINIVS CRASSVS.
C. CANINIVS REBILVS.
SEX. ÆLIVS CATVS.
P. CORNELIVS DOLABELLA.
C. SILIVS. P. F.
M. SANGVINIVS Q. F.
P. VINICIVS M. F.
L. MVNATIVS L. F. PLANCVS.
M. SERVILIVS GEMINVS.
T. STATILIVS TAVRVS.
S. APPVLEJVS S. F.
VOLVSVS VALER. MESSALA.
L. CORNELIVS SVLLA.

In numismatibus modo enumeratis, numismata T. Statii, T. F. Tauri, L. Domitii Ahenobarbi, L. Munatii, L. F. Planci, T. Statilii Tauri, non æque rara sunt, ac reliqua; at S. Appuleji S. F. & Volusi Valer. Messalæ, omnibus reliquis raritate præstant.

Liviæ, alias Juliæ, conjugis Augusti.

Omnia Liviæ hujus numismata, cujuscunque sint magnitudinis & materiæ, pro raris habenda sunt. Reliquis tamen rarius est argenteum, quod in uno latere hunc habet titulum, LIVIA AVGVSTA; in altero, DIANA LVCIFERA. Numisma hoc, tam aureum, quam argenteum, est rarissimum, æreum minus rarum habetur: mediæ magnitudinis vix reperitur.

Tiberii.

Omnia grandiora hujus Imperatoris numismata, in quibus sunt capita, rarissimis accensentur.

Duorum Drusorum.

Numismata junioris Drusi aurea & argentea rara sunt; aurea tamen rariora habentur argenteis: contra, majoris Drusi argentea rariora sunt aureis. Ærea majoris Drusi numismata, & vulgaria sunt, & grandiora: mediæ enim magnitudinis non exstant; contra, minoris Drusi mediæ tantum magnitudinis reperiuntur numismata.

Antoniæ.

Numismata Antoniæ argentea & aurea rara sunt; ærea vero, satis obvia.

Germanici.

Germanici numismata rarissima sunt, tam aurea, quam argentea: ærea vero mediæ magnitudinis minus rara sunt: grandiora vel pauca vel nulla reperiuntur.

Agrippinæ, conjugis Germanici.

Numismata Agrippinæ hujus, tam aurea quam argentea, rara sunt; ærea vero mediæ & minimæ magnitudinis rarissima.

Caligulæ.

Numismata aurea & argentea Imperatoris hujus, ut & ærea minimæ magnitudinis, rara sunt.

Inscriptio hæc, DIVVS AVG. PATER PATRIAE, admodum raro in numismatibus argenteis occurrit; uti & numismata illa argentea rara sunt, quæ coronam civicam habent, addito elogio, S. P. Q. R. PP. OB. CS.

Claudii.

Hujus Imperatoris numismata non sunt rara, cujuscunque sint materiæ & magnitudinis; exceptis æreis minimæ magnitudinis.

Agrippinæ, Claudii conjugis.

Quod de raritate numismatum Germanici, idem etiam de raritate numismatum Agrippinæ dici potest.

Britannici.

Omnia Britannici numiſmata, cujuſcunque ſint generis, rariſſimis accenſentur.

Neronis.

Hujus Imperatoris numiſmata minime rara ſunt, cujuſcunque ſint materiæ & magnitudinis. Illud tamen numiſma argenteum & aureum, quod hanc habet inſcriptionem, SACERDOS COOP. IN OMN. CONL. SVPRA NVM. EX. SC. ſatis rarum eſt.

Octaviæ & Poppeæ, uxorum Neronis.

Harum numiſmata, cujuſcunque ſint generis, in rariorum numero merito habentur. Vix reperiuntur, niſi Græca, & ærea tantum mediæ magnitudinis.

Clodii Macri.

Hoc numiſma, cujuſcunque ſit materiæ & magnitudinis, rariſſimum eſt.

Galbæ.

Aurea tantum Imperatoris hujus numiſmata, ob raritatem ſuam in pretio habentur.

Othonis.

Otho æreus eſt omnium rariſſimus; aureus, huic raritate proximus; argenteus, utrique raritate cedit.

Vitellii.

Vitellius æreus itidem valde rarus eſt; aureus, mediocris raritatis; minoris vero, argenteus.

Veſpaſiani.

Hujus Imperatoris numiſmata, ex quocunque metalli genere conſtent, minime rara ſunt: excepto illo numiſmate argenteo, quod in uno latere hac inſcriptione inſignitum eſt, IMP. CÆSAR VESPASIANVS; & in altero, PACIS EVENTVM: item illo æreo, cujus una pars hunc habet titulum, IMP. CÆS. VESPASIAN. AVG. COS. III. altera, TVTELA AVG. SC.

Domitillæ, uxoris & filiæ Veſpaſiani.

Hæc numiſmata in quovis metalli genere raro occurrunt. Argentea tamen reliquis raritate cedunt.

Titi.

Hujus Imperatoris numiſmata, ex quocunque metallo conſtent, non habentur pro raris: exceptis illis, quæ hæc exhibent elogia BONVS EVENTVS AVGVSTI, vel, SECVRITAS ORBIS TERRARVM.

Juliæ, filiæ Titi.

Numiſmata hæc, cujuſcunque ſint metalli, rariorum numero accenſenda ſunt: aurea tamen, argenteis & æris; & argentea, æreis raritate præſtant. Ærea tantum mediæ magnitudinis reperiuntur.

Domitiani.

Hujus Imperatoris numiſmata in nullo non metalli genere ſatis ſunt obvia. Rariora tamen ſunt ea, in quibus hæc exſtat inſcriptio JOVI DOMITORI ORBIS TERRARUM CENS. PPP. vel etiam hæc, JOVI JVVENI TRIVMPHATORI.

Domitiæ, uxoris Domitiani.

Numiſmata hæc, ex quocunque metalli genere conſtent, pro raris habentur. Aurea tamen & ærea rariora ſunt argenteis.

Nervæ.

Hujus Imperatoris numiſmata, cujuſcunque ſint materiæ, minus rara habentur: aurea tamen non æque ſunt obvia, ac reliqua. In rariorum numero habentur, quæ inſcriptiones habent, corona laurea cinctas; vel hanc, DIVVS AVGVSTVS PATER.

Trajani.

Numiſmata hujus Imperatoris minime rara ſunt, cujuſcunque ſint materiæ & magnitudinis.

Plotinæ, uxoris Trajani.

Plotinæ numiſmata, tum aurea, quam argentea & ærea rara ſunt; ærea mediæ magnitudinis tantum reperiuntur.

Marcianæ, ſororis Trajani.

Numiſmata Marcianæ etiam, cujuſcunque ſint generis, admodum rara habentur.

Matidiæ, Marcianæ filiæ.

Et hæc numiſmata, nullis exceptis, eximiæ ſunt raritatis.

Hadriani.

Hujus Imperatoris numiſmata, nullo metalli genere excepto, vulgaribus accenſentur: illa tamen ob raritatem ſuam in pretio habentur, quæ hanc habent inſcriptionem RELIQVA VETERA &c. item hanc, MEMORIA AVGVST. PERPETVA; item SÆCVLVM AVREVM; & hanc, ANNO &c. NATALI VRBIS CIRCVM CONDIDIT.

Sabinæ, uxoris Hadriani.

Sabinæ numiſmata pro mediocriter tantum raris habentur, cujuſcunque ſint generis.

Antinoi.

Numiſmata Antinoi, nullo metalli & magnitudinis genere excepto, rariſſima ſunt. Pauca vel nulla argentea & aurea reperiuntur, & omnia ſunt Græca.

L. Aelii.

Ælii aurei eximiæ ſunt raritatis; ærei grandiores mediocriter rari habentur.

Lucillæ, uxoris L. Aelii.

Nulla Lucillæ hujus reperiuntur numiſmata.

Antonini Pii.

Hujus Imperatoris numiſmata, ex quocunque metalli genere conſtent, nullius ſunt raritatis, exceptis illis, quæ his inſignita ſunt elogiis, AMPLIATORI CIVIVM, GENIO SENATVS SC. ROMVLO AVGVSTO, & FORTVNA OBSEQVENS.

Fauſtinæ, uxoris Antonini Pii.

Auguſtæ hujus numiſmata, nullo metalli genere excepto, vulgaria ſunt: ea tamen, quæ caput habent velatum, alicujus ſunt raritatis.

M. Aurelii.

Et hujus Imperatoris numiſmata, tam aurea, quam argentea & ærea, nullius ſunt raritatis.

Fauſtinæ, uxoris M. Aurelii.

Auguſtæ hujus numiſmata, æque ac M. Aurelii, vulgaribus accenſentur, exceptis illis, quæ hunc titulum præferunt, MATRI CASTRORVM.

Avidii Caſſii.

Avidii Caſſii in nullo non metalli genere ſunt rariſſimi.

L. Veri.

Hujus Imperatoris numiſmata, cujuſcunque ſint metalli, vulgaria quidem ſunt; at minus tamen, quam præcedentia.

Lucillæ, uxoris L. Veri.

Auguſtæ hujus numiſmata nullius ſunt raritatis.

Commodi.

Numiſmata Imperatoris hujus in rariorum numero non ponuntur, exceptis aureis, quæ ſatis rara ſunt; nec non illis, quæ has habent inſcriptiones, FORTVNÆ MANENTI, OPTIME MAXIME C. V. PP. PATER SENATVS, JOVI EX SVPERIS. GENIO AVG. FELICI, JOVI OPTIMO MAXIMO SPONSORI REL. AVG. JOVI DEFENS. SALVTIS AVG., HERC. COMODIANO, AEL. AVRE. COMM. AVG. P. FEL., I. O. M. SPONSOR. SEC. AVG.

Criſ-

Crispina, uxoris Commodi.

Augustæ hujus numismata argentea & ærea vulgaria sunt; aurea vero eximiæ raritatis habentur, quæ hanc habent inscriptionem, DEI GENITALIBUS.

Pertinacis.

Pertinacis numismata ærea, cujuscunque magnitudinis, eximie rara sunt; aurea & argentea itidem rara quidem habentur, sed minus tamen, quam ærea. Inscriptio hæc rarissime occurrit, DIIS CUSTODIB.

Didii Juliani.

Juliani hujus numismata aurea & argentea, nec non ærea mediæ & minimæ magnitudinis, rarissima sunt.

Manlia Scantilla, uxoris Didii.

Manliæ Scantillæ numismata, nullo metalli genere excepto, eximiæ raritatis habentur: ærea mediæ magnitudinis sunt rarissima.

Didia Clara, filia Didii.

Didiæ Claræ numismata ex omni metalli genere percussa, & nominatim ærea mediæ magnitudinis, eximiæ sunt raritatis.

Pescennii Nigri.

Nomismata Pescennii Nigri, non solum aurea, sed etiam argentea & ærea, post nummos Othonis æreos, reliquis omnibus raritate præstant. Ærea, quæ exstant, plerumque Græca sunt; argentea vero, Latina.

Albini.

Numismata Albini aurea eximie rara sunt; argentea non æque; minus vero, ærea: ultimi generis grandiora raritate longe cedunt iis, quæ mediæ magnitudinis sunt.

Septimii Severi.

Hujus Imperatoris numismata argentea & ærea obvia sunt, secus ac aurea, quæ ob raritatem suam in pretio habentur. Ea, quæ sequentes habent inscriptiones, rara sunt, J. VICTO IMP. DIVI M. PII. F., FIDEI EXERCITUS GALL. LUG., INDULGENTIA IN ITALIAM, & JOVI IMPERATORI.

Julia, uxoris Septimii Severi.

Augustæ hujus numismata in omni metalli genere vulgaria sunt. Inscriptiones sequentes raro occurrunt, MATRI CASTRORUM, item MATER, & DIVA JULIA AUGUSTA.

Caracalla.

Imperatoris hujus numismata in quocunque metalli genere satis obvia sunt; aurea tamen minus, quam reliqua. Quæ sequentem habent inscriptionem, rara sunt. DESTINATO IMPERATORE; item, SÆCULARIA SACRA.

Plautilla, Caracalla uxoris.

Plautillæ numismata argentea non sunt æque rara ac aurea & ærea; eaque quæ exstant, mediæ duntaxat sunt magnitudinis.

Geta.

Getæ numismata aurea & ærea non sunt æque obvia, ac argentea.

Macrini.

Macrini numismata argentea obvia sunt, secus ac aurea & ærea, quæ rara sunt: posteriora tamen raritate præstant prioribus. Ærea grandiora rarius occurrunt, quam mediæ magnitudinis; & inter ea ipsa, rariora sunt ea, quæ barbæ promissæ effigie signata sunt.

Nonia Celsa.

Celsæ hujus numismata nulla reperiuntur.

Diadumeniani.

Omnia quidem Diadumeniani numismata rara sunt; aurea tamen raritate præstant reliquis, & ærea argenteis. Quod ad ærea attinet; grandiora, & quæ sunt minimæ magnitudinis rarius occurrunt, quam ea, quæ sunt mediæ magnitudinis.

Elagabali.

Elagabali numismata in quovis metalli genere obvia sunt, exceptis illis, quæ hunc habent titulum, SACERDOS DEI SOLIS ELAGAB. Inter ærea præcipue rara sunt ea, in quibus hæc legitur inscriptio, SOLI ELAGAB.

Julia Paula, uxoris Elagabali.

Augustæ hujus numismata aurea eximiæ raritatis sunt; ærea vero, mediocriter rara habentur.

Julia Aquilia Severa, secunda uxoris Elagabali.

Augustæ hujus numismata, ex quocunque metallo constent, pro raris habentur; argentea tamen minus, quam reliquorum generum: aurea sunt rarissima.

Annia Faustina, tertia uxoris Elagabali.

Faustinæ hujus numismata, cujuscunque sint generis, rarioribus accensentur.

Julia Mæsa, sororis Julia Domna.

Numismata Mæsæ aurea, rara sunt; argentea vero & ærea, obvia.

Julia Soæmia, filia Mæsa.

Hujus generis numismata rara sunt, præcipue vero aurea.

Julia Mamæa, itidem Mæsa filia, & matris Alexandri Severi.

Numismata hæc, non solum aurea, sed etiam argentea & ærea, obvia sunt.

Alexandri Severi.

Hujus etiam Imperatoris numismata, tam aurea, quam argentea & ærea, minime rara sunt; exceptis illis, in quibus hæ inscriptiones expressæ sunt, MONETA RESTITUTA. RESTITUTOR MON., PERPETUITATI AUG., IMP. PATER PERPETUUS, ÆTERNITATIBUS.

Sulpitia Memmia, filia Mamæa.

Sulpitiæ hujus nulla exstant numismata.

Maximini.

Numismata Maximini argentea & ærea obvia sunt; aurea non æque.

Paulina, uxoris Maximini.

Paulinæ hujus non alia vidi numismata, quam quæ in parte postica repræsentant consecrationem aliquam; cujus generis numismata grandiora ærea non sunt rara; mediæ enim magnitudinis non exstant: si alia reperiantur, ea pro rarissimis habenda sunt. Argentea rara sunt, aurea vero multo magis.

Maximi.

Maximi numismata aurea & argentea, rara sunt; ærea vero, obvia.

Duorum Gordianorum, Africanorum.

Horum numismata, tam ærea, quam argentea & aurea, eximiæ raritatis sunt: ærea tamen rariora habentur cæteris, eaque nonnisi grandiora reperiuntur.

Balbini & Pupieni.

Numismata Balbini & Pupieni aurea rariora sunt argenteis & æreis: argentea & ærea paris sunt raritatis, ita tamen, ut mediæ & minimæ magnitudinis rariora sint grandioribus.

Gordiani tertii.

Hujus Imperatoris numismata, ex quocunque metallo cusa, obvia sunt.

Furia Sabina Tranquillina, tertia uxoris Gordiani.

Hujus Augustæ numismata, non solum aurea, sed etiam argentea & ærea, in rarioribus numerantur: aurea tamen cæteris raritate præstant; nec nisi Græca hujus generis reperiuntur.

M. Marcii.

Hujus nulla extant numismata.

Severi Hostiliani.

Nec hujus reperiuntur numismata.

Philippi patris.

Hujus Imperatoris numismata in omni metalli genere obvia sunt.

Martiæ Otaciliæ, uxoris Philippi patris.

Hæc numismata itidem nullius sunt raritatis.

Philippi filii.

Et hujus Imperatoris numismata, nullo metalli genere excepto, obvia sunt.

Trajani Decii.

Imperatoris hujus numismata aurea rara sunt, secus ac argentea & ærea.

Barbiæ Orbianæ, uxoris Decii.

Hæc numismata, non solum aurea, sed etiam argentea & ærea rara habentur: aurea tamen longe rariora sunt cæteris.

Herennii Etrusci.

Herennii Etrusci numismata aurea rarissima sunt; ærea non æque rara habentur; minus vero, argentea. Ærea mediæ magnitudinis rariora sunt grandioribus.

Hostiliani.

Hostiliani nummi, tam ærei, quam argentei & aurei, pro raris habentur; aurei tamen multo magis, quam reliqui: ærei mediæ magnitudinis rariores sunt grandioribus.

Perpennæ Liciniani.

Hujus nulla extant numismata.

Treboniani Galli.

Hujus numismata aurea duntaxat in rariorum numero habentur.

Hostiliæ Severæ.

Hujus nulla reperiuntur numismata.

Volusiani.

Volusiani aurea numismata duntaxat rara sunt.

Herenniæ Etruscillæ.

Omnia Herenniæ numismata, exceptis aureis, vulgarium numero adscribuntur.

Æmiliani.

Ex quocunque metallo cusa extent Æmiliani nomismata, in rarioribus numerantur; minus tamen argentea, quam reliquorum generum. Ærea mediæ magnitudinis majori in pretio habentur quam grandiora.

Licinii Valeriani.

Aurea tantum Licinii Valeriani numismata ob raritatem suam in pretio habentur: sequens etiam inscriptio raro occurrit, RESTITVT. GEN. HVMANI.

Marinianæ, uxoris Licinii Valeriani.

Marinianæ numismata argentea non admodum rara sunt, secus ac aurea, quæ sunt exquisitæ raritatis, uti & ærea grandioris moduli.

Gallieni.

Horum numismatum, tam aureorum, quam argenteorum & æreorum sat magna repentur copia.

Saloninæ, uxoris Gallieni.

Saloninæ numismata aurea pro raris habentur; argentea vero, ærosa & ærea, obvia sunt.

Salonini Valeriani.

Omnia quidem Valeriani hujus numismata rara sunt; aurea tamen rariora habentur cæteris. Ærea grandioris moduli rarissima sunt.

Salonini Gallieni.

Omnia Gallieni hujus numismata, nullo genere excepto, rarioribus accensentur.

Licinii Valeriani filii.

Numismata hæc paris cum numismatibus Salonini Valeriani sunt raritatis.

Triginta Tyrannorum.

Omnium horum Tyrannorum numismata, non solum aurea, sed etiam argentea & ærea, pro raris habentur; exceptis tamen numismatibus Postumi, duorum Victorinorum, & duorum Tetricorum, quorum aurea tantum pro raris habenda sunt, ut & ærea grandioris mediique moduli, si ex horum numero eximas Postumi patris: filii enim numismata omnia satis rara sunt. Sequentes inscriptiones in numismatibus utriusque Postomi raro occurrunt, MINERV. FAVTR., HERCVLI ARGIVO, CASTOR, DIVO POSTVMO, POSTVMVS DIVVS PATER. In Lectoris gratiam nomina & seriem triginta Tyrannorum ordine hic exhibebo.

Cyriades.	*Q. Nonius Regilianus.*
D. Lalius Ingenuus.	*Sex. Iulius Saturninus.*
Odenatus.	*C. Annius Trebellianus.*
Herodes.	*T. Cornelius Celsus.*
M. Acilius Aureolus.	*Ap. Claudius Censorinus.*
M. Fulvius Macrianus.	*Herennius Trosolaus Vaballathus.*
Q. Fulvius Macrianus.	*Maonius.*
Cn. Fulvius Quietus.	*A. Pomponius Ælianus.*
Ser. Anicius Balista.	*M. Aureolus Victorinus.*
P. Valerius Valens.	*L. Aurel. Victorinus.*
L. Calpurnius Piso.	*P. Pivus Tetricus.*
T. Cestius Alexius Æmilianus.	*C. Pivus Tetricus.*
M. Cassius Latienus Postumus.	*Zenobia.*
C. Junius Cassius Postumus.	*Victorina seu Victoria.*

Claudii Gothici.

Nummi hi ex auro, & ære grandiori & medio rari occurrunt; multo vero rariores ex ære grandiori, quam medio. Sequentes inscriptiones raræ sunt VICTORIA GOTHICA, DIVO CLAVDIO GOTHICO.

Quintilli.

Quintilli numismata aurea & argentea, nec non ærea grandioris & medii moduli, rarissima sunt.

Aureliani.

Hujus Imperatoris nummi aurei rari sunt; his vero rariores argentei, & ærei grandioris moduli. Sequens etiam inscriptio raro occurrit, DEO ET DOMINO NOSTRO AVRELIANO.

Severinæ, uxoris Aureliani.

Aurei Severinæ hujus nummi rari sunt; argentei, rariores.

Firmi & Saturnini.

Horum nummi ex omni metallo eximiæ sunt raritatis.

Taciti.

Nummi aurei Imperatoris hujus rari sunt; rariores vero, argentei.

Floriani.

Floriani numismata ex quovis metallo raro occurrunt; ærea tamen minimi moduli minus rara sunt.

Probi.

Nummi aurei Probi hujus pro raris habentur, quibus tamen argentei & ærei grandioris & medii moduli raritate præstant.

Cari.

Inter nummos Cari & Probi, quod ad raritatem attinet, nulla est differentia, nisi quod ærei minimæ magnitudinis paulo sint rariores nummis Probi similis generis. Inscriptiones, quæ sequuntur, raro occurrunt, DEO ET DOMINO NOSTRO CARO, DIVO CARO PERSICO, DIVO CARO PARTHICO.

Carini.

Carini.

Nummi Carini paris cum præcedentibus sunt raritatis.

Numeriani.

Et hi nummi raritate respondent præcedentibus. Illi, qui hanc inscriptionem, VNDIQVE VICTORES, exhibent, rari sunt.

Diocletiani.

Aurea & argentea Diocletiani hujus numismata rara sunt; aurea tamen rariora sunt argenteis: ærea grandioris moduli duntaxat rarioribus accensentur.

Sex Tyrannorum, qui tempore Diocletiani exstiterunt, nimirum,

Æliani.	*Alecti.*
Amandi.	*M. Aurelii Juliani.*
Carausii.	*Achillei.*

Nummi horum Tyrannorum ex omni metallo rarissimi occurrunt.

Valerii Maximiani.

Argentea & aurea hujus Imperatoris numismata haud mediocriter rara sunt: ærea vero minimæ & mediæ magnitudinis obvia sunt, secus ac grandiora, quæ eximiæ sunt raritatis. Inscriptiones, quæ sequuntur, raro occurrunt, HERCVLI DEBELLATORI, GAVDETE ROMANI, IMP. MAXENTIVS DIVO MAXIMIANO PATRI SOCERO.

Eutropiæ.

Eutropiæ nummi ea omni metallo rarissimi occurrunt.

Fl. Valerii Constantii.

Aurea & ærea hujus Imperatoris numismata non sunt rara; exceptis æreis grandioris moduli. Hæ inscriptiones rarius occurrunt, IMP. MAXENTIVS DIVO CONSTANTIO COGNAT., DIVO CONSTANTIO PIO PRINC.

Helenæ & Theodoræ uxorum Constantii.

Hæc numismata, si sint aurea & argentea, pro raris habentur; ærea minus rara sunt, exceptis iis, quæ ex ære grandioris & medii moduli occurrunt.

Galerii Maximiani.

Aurea & ærea Maximiani numismata minime rara sunt, exceptis tamen æreis grandioris moduli, quæ non sunt obvia. Hæc inscriptio, FORTI FORTVNÆ raro occurrit.

Galeriæ Valeriæ, uxoris Maximiani.

Augustæ hujus numismata, tam ærea, quam argentea & aurea in raris habentur; ærea tamen non æque rara sunt, ac reliquorum generum; exceptis iis, quæ grandioris moduli sunt.

Alexandri.

Alexandri hujus numismata, cujuscunque sint generis, ob raritatem in pretio habentur.

Galerii Maximini.

Imperatoris hujus numismata aurea & argentea, nec non ærea grandiora, in raris numerantur. Duæ hæ inscriptiones non sunt obviæ, BEL. PART. & BONO GENIO PII IMPERATORIS.

Valerii Severi.

Hujus Imperatoris nummi, cujuscunque sint generis, rarioribus accensentur: ærea tamen grandiora raritate longe præstant iis, quæ mediæ sunt magnitudinis.

Constantini Magni.

Imperatoris hujus numismata in omni metalli genere satis obvia sunt; exceptis tamen æreis grandioris moduli, quippe quæ in raris habentur. Hæ inscriptiones præ cæteris raro occurrunt PERPETVA VIRTVS, SAPIENTIA PRINCIPIS PROVIDENTISSIMI, BONO GENIO PII IMPERATORIS, GAVDIVM ROMANORVM, VICTORIA GOTHICA, FELICITAS PERPETVA AVGEAT REM DOMINORVM NOSTRORVM, CONSTANTINIANA DAFNE, LIBERATORI VRBIS, FVNDATORI QVIETIS. Illud etiam numisma æreum minimæ magnitudinis, quod in parte postica sigoatum est Labaro, pro raro habetur.

Faustæ, secundæ uxoris Constantini.

Aurea & argentea Augustæ hujus numismata pro raris habentur; ærea, non æque, nisi sint grandioris vel medii moduli.

Martiniani.

Numismata hæc, ex quocunque constent metallo, rarissima sunt.

Crispi.

Argentea Crispi numismata rariora sunt aureis: ærea minimæ magnitudinis, obvia sunt, secus ac grandiora, quæ in rarissimis numerantur. Hæc inscriptio raro occurrit, VBIQVE VICTORES.

Maxentii.

Aurea & argentea Imperatoris hujus numismata pro raris habentur: ærea obvia sunt, exceptis illis, quæ grandioris sunt moduli.

Magniæ Urbicæ.

Numismata hæc in omni metalli genere raro occurrunt: ærea tamen minus, quam reliqua, nisi grandioris sint moduli.

M. Aurelii Romuli.

Aurea & argentea Imperatoris hujus numismata sunt rarissima: reperiuntur etiam ærea grandioris & medii moduli; rarius tamen, quam præcedentium Imperatorum.

Duorum Liciniorum, patris & filii.

Aurea & argentea horum Liciniorum onmismata rara sunt; ærea, obvia, nisi grandioris sint moduli.

Constantiæ, uxoris Licinii patris.

Constantiæ hujus numismata, non solum aurea, sed etiam argentea & ærea, in raris habentur.

Delmatii.

Delmatii numismata ex omni metallo rarissima occurrunt.

Constantini Junioris.

Numismata Imperatoris hujus in omni metalli genere satis obvia sunt; exceptis æreis grandioris moduli.

Constantii.

Numismata Constantis raritate præcedentibus non cedunt. Duæ hæ inscriptiones in raris habentur, VRBS ROMA BEATA, & OB VICTORIAM TRIVMFALEM.

Nepotiani & Nigriani.

Horum numismata, cujuscunque sint generis, in rarissimis numerantur.

F. Julii Constantii.

Hujus Imperatoris numismata, tam ærea, quam argentea & aurea, satis sunt obvia; exceptis tamen æreis grandioris moduli. Hæ inscriptiones raro occurrunt, VICTOR OMNIVM GENTIVM, HOC SIGNO VICTOR ERIS, SAPIENTIÆ NOSTRI PRINCIPIS.

Eusebiæ & Faustinæ primæ & secundæ uxorum modo dicti Imperatoris.

Harum Augustarum numismata rarissima sunt, quoniam paucissima, vel nulla ejus generis extant.

Magnentii & Decentii.

Aurea & argentea duorum horum Imperatorum nomis-

numismata, præcipue Decentii, in raris habentur: A ærea sunt obvia, exceptis illis, quæ grandioris sunt moduli.

Galli, Constantinæ, Desiderii, Vetranni, Nepotiani, & Silvani.

Numismata hæc adeo rara sunt, ut vel paucæ, vel nulla in quovis metalli genere reperiantur.

Juliani.

Hujus Imperatoris numismata tam aurea, quam argentea & ærea, satis obvia sunt; exceptis tamen æreis grandioris moduli, quippe quæ eximiæ raritatis habentur. Hæc inscriptiones non sunt obviæ, VOTA PVBLICA, DEO SERAPI.

Helenæ, filiæ Constantini Magni. B

Numismata hæc, ex quocunque metalli genere cusa existent, ob eximiam raritatem magni fiunt.

Joviani.

Numismata Imperatoris hujus, ex quocunque constent metallo, admodum rara sunt; ærea tamen minus, quam reliqua, nisi grandioris sint moduli.

Valentiani primi.

Omnia hujus Imperatoris numismata satis obvia sunt, exceptis æreis grandioris moduli.

Severæ Justinæ & Procopii.

Numismata hæc, ex quocunque metallo constent, in rarissimis habentur. C

Valentis.

Horum numismatum in quocunque metalli genere sat magna reperitur copia; exceptis æreis majoris moduli.

Dominicæ & Andragatii.

Numismata hæc, sive sint aurea, sive argentea, sive ærea, in rarissimorum numero ponuntur.

Gratiani.

Numismata Gratiani, ex quocunque metallo cusa existent, minime rara sunt; exceptis æreis majoris moduli. Inscriptio hæc rara est, GLORIA NON SAECVLI. D

Valentiniani secundi.

Omnia Imperatoris hujus numismata, præter ærea majoris moduli, obvia sunt.

Magni, Maximi & Victoris.

Horum numismata aurea & argentea mediocriter rara sunt; ærea itidem, præsertim Victoris, non admodum sunt obvia: at ærea majoris moduli in rarissimis numerantur. Inscriptio hæc, quæ in quibusdam nummis Victoris occurrit, BONO REIP. NATI, rara est.

Theodosii Senioris.

Imperatoris hujus nummi, tam aurei, quam argentei & ærei satis sunt obvii; exceptis tamen æreis majoris moduli. Inscriptio hæc raro occurrit, GLORIA ORBIS TERRARVM. E

Æliæ Flaccillæ, Gallæ & Eugenii.

Numismata hæc, ex quocunque constent metallo, in raris habentur.

Arcadii & Honorii.

Horum Imperatorum numismata minime rara sunt, exceptis æreis majoris moduli.

Liciniæ Eudoxiæ.

Omnia Eudoxiæ hujus numismata in rarissimis numerantur.

Theodosii Junioris.

Hujus Imperatoris numismata ejusdem sunt raritatis cum nummis Theodosii Senioris. F

Æliæ Eudoxiæ, Prisci Attali, Jovini, Joviniani, & Joannis.

Hæc quinque numismata in omni metalli genere occurrunt rarissima, & vix alia, quam aurea reperiuntur.

Valentiniani tertii, alias Placidii Valentiniani.

Hujus Imperatoris numismata raritate fere æquant numismata priorum Valentinianorum.

Martiani, Petronii Maximi, & Macilii Aviti.

Numismata hæc ex omni metallo exstant rarissima.

Leonis primi.

Hujus Imperatoris nummi, tam aurei, quam argentei & ærei, in raris habentur; quamvis ærei non æque rari sint, ac cæteri.

Majoriani, Libii Severi, & Anthemii.

Numismata hæc ob eximiam raritatem magno in pretio habentur, ex quocunque metallo cusa existent: ærea tamen raritate reliquis præstant, & argentea, aureis.

Leonis secundi.

Hujus Imperatoris numismata raritate respondent nummis Leonis primi.

Glyceru, Julii Nepotis, Basilisci, & Romuli Augusti, vulgo dicti Momilli Augustuli.

Horum Imperatorum numismata, tam ærea, quam argentea & aurea in rarissimis numeranda sunt.

Zenonis.

Hujus Imperatoris numismata ærea rarissima sunt; argentea, non æque; minus vero, aurea.

Anastasii Dicori.

Numismata Imperatoris hujus argentea raritate præstant aureis & æreis.

Ariadnæ.

Ariadnæ numismata in omni metalli genere rarissima sunt.

Anicii Justini I.

Uti Imperatoris hujus numismata argentea, aureis; ita aurea æris raritate præstant.

Justiniani.

Justiniani numismata non admodum rara sunt, ex quocunque metallo cusa exstent.

Theodoræ & Theodahati, Regis Gothorum.

Numismata Theodoræ & Theodahati, non solum aurea, sed etiam argentea & ærea in rarissimis habenda sunt.

Justini secundi.

Hujus Justini numismata ex omni metallo minime rara sunt.

Tiberii Constantini, & Tiberii Mauritii.

Horum Imperatorum numismata argentea rariora sunt aureis; aurea vero, æreis, nisi majoris sint moduli.

Phocæ.

Phocæ numismata ærea cum capite rarissima sunt; quamvis & ea, quæ capite carent, satis rara sint. Argentea non cedunt prioribus raritate; aurea vero magis obvia sunt.

Leontiæ.

Leontiæ numismata in quovis metalli genere rarissima sunt.

Heraclii.

Numismata Heraclii argentea raritate præstant aureis & æreis, nisi posteriora sint majoris moduli. Aurea non admodum rara sunt.

CAP. XXI.

Catalogus numismatum, ab Ortelio secundum seriem Numinum sive Deitatum concinnatus, addita declaratione eorum, quæ cæteris rariora sunt, vel secus.

Ortelius alium numismatum catalogum exhibet, eorum nempe, quæ Dei vel Deæ alicujus imagine signata sunt: quem catalogum

gum in gratiam eorum, qui studii hujus amore tenentur, hic inserendum duco, & quidem ita, ut numismatibus secundum alphabeti seriem dispositis, ea, quæ rariora sunt, litera R; quæ vero obvia sunt & minus rara, litera O notentur.

Æsculapii. R.
Ammonis. O.
Apollinis. O.
Bacchi. O.
Boni eventus.
Canonis. R.
Diana C.
Felicitatis. R.
Feronia. R.
Fidei R.
Flora R.
Fortuna Antiatis R.
Genii. P. R.
Herculis. R.
Honoris. R.
Jani. O.
Jovis. O.
Jovis Axur. O.
Isidis. R.
Junonis. O.
Libera. O.
Libertatis. O.
Martis. R.
Mercurii. O.
Neptuni. O.
Pacis. R.
Palladis. R.
Panos. O.
Penatum O.
Plutonis. O.
Quirini. O.
Roma. O.
Salutis. O.
Sarapidis. R.
Saturni. O.
Solis. O.
Sortis. R.
Spei. O.
Sybelis. O.
Termini. O.
Veneris. O.
Vejonis. O.
Vesta O.
Victoria. R.
Virtutis. O.
Vulcani. R.

CAP. XXII.

De nummismatibus Gothicis, eorumque pretio.

Numismata, quæ *Gothica* dicuntur, nullius fere habentur pretii, nisi habeant literas & inscriptiones, quæ facile legi possint. Nullam ab arte habent elegantiam, sed ruditas illorum satis arguit artificum, a quibus fabricata sunt, imperitiam. Origo illorum repetenda videtur ab illis temporibus, quibus populi, Romanis antea subjecti, jugo illorum excusso, in variis Orbis partibus se in libertatem asserere cœperunt: quædam enim sunt, quæ nummis primorum Regum nostrorum vetustate non cedunt. Præterea, ad illustrandam temporum suorum historiam parum vel nihil faciunt, quoniam pleraque illorum sibi mutuo prorsus similia sunt; eaque ratio est, quare ab Antiquariis non magna eorum habeatur ratio. Hinc igitur, cum & ego exiguam illorum habeam notitiam, plura de illis dicere supersedeo, finemque Tractatui huic impono.

ALBERTI RUBENI DISSERTATIO DE GEMMA TIBERIANA, ET AUGUSTÆA.

ALBERTI RVBENI

DISSERTATIO

DE

GEMMA

TIBERIANA,

ET

AVGVSTÆA.

ILLVSTRI VIRO

CASPERIO GEVARTIO,

CÆSAREO REGIOQVE

CONSILIARIO, AC HISTORIOGRAPHO, ARCHIGRAMMATEO ANTVERPIANO, &c.

ALBERTVS RVBENIVS

S. P. D.

MITTO *tibi meas de utraque Gemma, nempe* TIBERIANA, *quæ in Regis Christianissimi;* & AVGVSTÆA, *quæ in Imp. Cæs.* RODOLPHI *Aug. Gazophylacio spectatur, opinationes, quas flagitasti. Duodecim amplius anni sunt, cum jussu patris mei,* τῦ μακαρίτυ, *(qui duo hæc nobilissima Antiquitatis monumenta in æs incidi curarat) meam de illis sententiam scripto complexus sum: deinde post visos Sanctamantii Commentarios, Tiberianam iterum recognovi: nunc vero ambas e schedis meis, hortatu tuo, collectas juris tui facio.*

Primus Nicolaus Fabritius Peireskius (de quo satius est tacere quam pauca dicere) animadvertit in Sardonyche ista Tiberiana non Triumphum Josephi (ut vulgo existimabant) sed potius profanam quamdam historiam repræsentari, credidit que Apotheosin esse Augusti, prout testatur elegantissimus Gassendus in Vita Peireskii; ubi etiam notat, eum varias hac de re litteras dedisse ad amicos in Germaniam, in Italiam, per totam Galliam, præsertim vero ad Petrum Paulum Rubenium, parentem meum. Et asservantur etiamnum a me plures Peireskii Epistolæ, in quibus suam de hac Gemma sententiam expromit, plane cum relatione Gassendi consentaneam. Quod hic dico, ne quis fidem Gassendi aut memoriam in dubium revocet, ut factum video a nobili viro Joanne Tristano Sanctamantio, cui plurimum sane debent omnes Antiquitatis studiosi, non solum quia infinitum rarissimorum numismatum thesaurum in lucem protulit, sed etiam quia egregium hoc Sacrarii Palatini κειμήλιον *primo Historicorum Commentariorum volumini inseruit,*

ruit, & tam luculenta face illustravit, ut verendum mihi sit, ne præposteri aut temerarii consilii arguar, qui actum agere, & aliquantulum non ab illa solum, sed etiam a Peireskio deflectere ausus sim. Quamvis enim hos viros antiquarum rerum scientissimos suspiciam, tamen ad eos me non alligo: sed nunc Peireskium, nunc Sanctamantium, aliquando neutrum sequor: nonnumquam jubeo eos sententiam dividere: nonnunquam nihil improbo ex his quæ priores censuerint, & dico, Hoc amplius censeo.

Tu videris, an juveniles hos conatus dignos prælo existimes. Ego quidem illos domi continere statueram, ne laureolam in mustaceo quærere viderer, neve in aliquam forte eruditi viri offensam inciderem, quem licet e scriptis suis tantummodo notum, colo ac revereor. Etenim nonnulli ex iis, qui nunc e litteris humanioribus nomen petunt, Regum sibi animos induunt; & si quis vel leviter ab eorum sententia discedere præsumat, auctoritatem suam violatam & diminutam esse credunt, atque ob improbatam unam atque alteram conjecturam suam, non minus quam ob editam in capitale crimen subscriptionem, Vatiniana odia exercent. A quo quidem vitio longe alienus esse studeo; ac enixe caveo, ne nimium mihi contra veritatem faveam, gnarus ex Hesiodi monito, Secundam virtutem esse, moneri velle ac posse. *Quamobrem te obsecro, ut si me alicubi errare animadverteris, comiter monstres viam; & quidquid ex opinione mea minus in meis divinationibus tibi placebit, corrigas, aut inverso stylo deleas. Qua sub lege & conditione concedo, ut si tibi ita visum fuerit, hæc qualiacumque sunt publicum accipiant. Vale Vir clarissime, & me ama. Bruxellæ Kalend. Augusti* CIƆ. IƆC. LV.

A L-

ALBERTI RVBENI DISSERTATIO DE GEMMA TIBERIANA.

Inter Peireskium & Tristanum convenit, principem hujus gemmæ locum obtineri a Tiberio; qui throno insidet habitu Jovis, & eodem plane cultu ornatus, quo Augustus Cæsar in subsequenti gemma; præterquam quod hic velamentum femorum & tibiarum squamis asperatum, & serpentibus fimbriatum est, prout Ægis describitur a Virgilio:

Ægidaque horrificam, turbata Palladis arma,
Certatim squamis serpentum auroque polibant,
Connexosque angues.

Quapropter Peireskius vestem hanc Imperialem non immerito Ægidem Jovis esse dixit. Sed adversatur huic opinioni vir de antiquitate optime meritus, & demonstrare conatur, Ægida dici non posse, cum nec pellis caprinæ speciem referat, nec caput Medusæ insertum habeat, nec demum pectus occupet, ut Ægides in Palladiis solent. Verum quod quidem ad pellem caprinam attinet, Herodotus libro 4. diserte negat, Ægidas simulacris deorum & Græcis apponi solitas, e pellibus fuisse confectas: Τὴν δὲ ἄρα ἐσθῆτα, καὶ τὰς αἰγίδας τῶν ἀγαλμάτων τῆς Ἀθηναίης ἐκ τῶν Λιβυσσέων ἐποιήσαντο οἱ Ἕλληνες. πλὴν γὰρ ὅτι σκυτίνη ἡ ἐσθὴς τῶν Λιβυσσέων ἐστὶ, καὶ οἱ θύσανοι οἱ ἐκ τῶν αἰγίδων αὐτῇσι οὐκ ὄφιές εἰσι, ἀλλ' ἱμάντινοι, τὰ δὲ ἄλλα πάντα κατὰ τωὐτὸ ἔσταλται. Eustathius ad ἑ Iliados, ubi hunc Herodoti locum explicat: Τὸ δὲ πλὴν ὅτι σκυτίνη ἡ ἐσθὴς τῶν Λιβυσσῶν, δηλοῖ τὰς παρ' Ἕλλησιν αἰγίδας ἐν ἀγάλμασι τυχὸν Διὸς ἢ Ἀθηνᾶς ὑφαντὰς ἢ πλεκτάς τινας εἶναι, καὶ οἷον σαγοειδεῖς μαλλωτάς. Τυχὸν μὲν ἐξ εὐπορίστου ὕλης, τυχὸν δὲ ἐκ τιμιωτέρας, ὁ μὲν ἀντεχρῆμα αἰγὸς, ἤτοι αἰγίδας, ὅ ἐστιν αἰγῶν δοράς.

Et sane, si Græcorum Ægides squamis serpentum variatæ fuerunt, ut ex Virgilio constat; non video, quomodo pellibus caprinis similes esse potuerint. Non etiam squamata hæc Jovis vestis, Tiberio circumdata, ideo Ægidis appellationem obtinere non potest, quia caput Gorgonis nequaquam appositum est. Illud enim a Minerva demum Ægidi sibi a Jove concessæ adjectum fuit, ut Poëtæ fabulantur, & ipse contrariæ sententiæ Auctor alicubi annotat. Ad ultimum non diffiteor, in priscis monumentis plurimas Imperatorum imagines extare Ægide ad pectus armatas, ut in nummis Antonini Caracallæ, & Alexandri Severi apud Octavium Stradam, & in eximio Achate Ducis Bucquingamii, qui Constantinum Augustum præfert hoc habitu.



De

De statua Julii Cæsaris Christodorus lib. 5. Anthologiæ:

Καῖσαρ δ' ἐγγὺς ἔλαμπεν Ἰούλιος, ὅς ποτε Ῥώμην
Ἀντιβίοις ἔστεψεν ἀμετρήτοισι βοείαις
Αἰγίδα μὲν βλοσυρῶπιν ἐπώμαδον ἧεν ἀείρων.

Nec aliunde petenda explicatio nummorum Neronis apud Tristanum numero 14. 20. & 23. in quibus angues loricæ ejus adjecti sunt. At vero in hac gemma cum Tiberius plane Jovi assimulatus sit, qui intecto pectore fingebatur, quemadmodum supra diximus, non quidem Ægis pectori circumdata, sed ut sculptoribus non minus quam

— Pictoribus atque Poëtis
Quodlibet audendi semper fuit aqua potestas;

tegmen femorum in Ægidis morem formatum est, ab artifice veteris Mythologiæ, ut apparet, non imperito. Nonnulli enim ex antiquis Theologis Jovem esse dicebant Cœlum & Aërem. Homerus ó Iliados:

Ζεὺς δ' ἔλαχ' οὐρανὸν εὐρὺν ἐν αἰθέρι καὶ νεφέλῃσι.

Ad quem locum Eustathius: *Ζεὺς πᾶς ὁ ὑπὲρ γῆς ἀὴρ, ὅτι φωτιζόμενος ἀπὸ γῆς ἕως νεφῶν, καὶ ὁ ὑπὲρ τὰ νέφη, ὃν καὶ οὐρανὸν ὀνομάζει.* Servius ad secundum Georgicorum: *Interdum pro aere Juno, & pro æthere Jupiter accipitur: aliquoties & pro aere & pro æthere Jupiter, Juno vero terra & aqua.* Hinc superiora quidem Jovis membra, id est, Æther,

Perpetuum nulla violatus nube serenum,

absque ullo velamento exposita conspiciuntur; sed inferiora, quæ Aërem designant, nubibus obductum, & tempestatibus sæpe turbidum, Ægide tecta sunt. Hæc enim procellarum nimborum atque turbinum symbolum est. Ideo Virgilius Ægida *nigrantem* dixit, & Silius Italicus

Nimbos flammasque vomentem.

Servius ad 8. Æneidos: *Sane Græci Poëtæ turbines & procellas καταιγίδας* appellant, quod Ægis moto faciat tempestates. Eustathius ad I Iliados: *Αἰγὶς νοεῖται τὰ κατὰ τὸν ἀέρα πάθη, καὶ φοβήματα, ὧν ἴσια οὐ μόνον καταιγίδες λέγονται, ἀλλὰ καὶ αἰγίδες ἀνωθίτας.*

Forte etiam cælator significare voluit hoc schemate, Tiberium civibus quidem Romanis intectum serenumque apparere, ut Jupiter cælicolis videri credebatur: at vero Barbaris infra se positis Ægida ostentare, & fulmina tempestatesque armorum suorum immittere.

Dextrum *Tiberii* latus claudit *Antonia* Drusi, sinistrum *Livia*, seu *Julia Augusta*, ut bene Peireskius. Illa recta adstat, & Germanicum filium amplectitur, hæc in eodem quo Tiberius solio sedet, utpote quæ Augusta erat, & dominationis fere socia, ita ut litteræ Tiberio scriptæ etiam matri ejus inscriberentur, teste Dione libro 57. Quod miror non animadversum esse a viro oculatissimo, qui mutatis partibus personam Liviæ tribuit Antoniæ; & contra, quam Peireskius & nos Liviam esse censemus, ipse Antoniam nominat. Sed ut argumentum illi suum reponam, nullam veri speciem habet, Antoniam quidem, quæ demum a Cajo Cæsare Augustæ titulum obtinuit, in Augustali throno locatam esse, Liviam vero Augustam Tiberio adstare.

Dextra gestat Livia spicas & papavera, ut omnes fere Augustæ in numismatis & marmoribus antiquis. *μήκωνες* enim *τῆς πολυγονίας σύμβολον*, ut Porphyrius ait apud Eusebium lib. 3. cap. 11. Præparat. Euang.

Adjacet solio Barbarus quidam, tiara, tunica manicata, & sarabaris velatus. Tristanus putat esse servum aut libertum notarium, Tiberii & Germanici verba excipientem. Ego Armeniam esse opinor, quæ simili prope cultu, tiarata, tunicata & braccata conspicitur in L. Veri nummis. De quo Orientalium Barbarorum habitu late agit Brissonius de regno Persarum. Ego id solum hic adjiciam, ex hac imagine liquido apparere, quænam sint apud Lucretium *anademata*, apud Virgilium

— redimicula mitra.

Sustentat tristis Armenia sinistra manu inclinatum caput, eodem gestu quo Judæa aliæque provinciæ sæpe in nummis effigiatæ spectantur. Infestabatur enim tunc temporis regio hæc Vononis & Parthorum motibus; ad quos componendos, & opem afflictæ Armeniæ ferendam Livia Germanicum adhortari videtur.

Ille galea, clypeo, & ocreis instructus alacriter operam suam pollicetur, & tacto capite se obstringit, paratus caput & vitam Reipublicæ & Tiberio patri impendere.

Adsistit Germanico Cajus Cæsar Caligula manipulario habitu, qui patrem comitatus est in Syriaca expeditione, ut Suetonius refert cap. 10.

Agrippina Germanici, filio & marito adjuncta, non stola, ut Livia & Antonia, sed chlamyde fibulatoria circumvelatur; quia nempe in castris ac expeditionibus plerumque versata est. Sic Didoni ad venationem proficiscenti chlamydem tribuit maximus Poëtarum:

Tandem progreditur magna stipante caterva
Sidoniam picto chlamydem circumdata limbo,
Cui pharetra ex auro, crines nodantur in aurum,
Aurea purpuream subnectit fibula vestem.

Agrippina quoque Claudii uxor Naumachiam in lacu Fucino spectavit aurea chlamyde amicta, ut Tacitus, Plinius & Dio notant.

Ab altera parte pone thronum Tiberii, sedet puella in humili lecticula aut subsellio sphingis imagine exornato, quæ ob illud insigne, Julia Augusti filia existimatur a Tristano. Sed vix credere possum, vomicam hanc domus Augustæ hic expressam esse, & quidem sub Tiberio, qui infesto semper odio illam prosecutus, mox ut principatum adeptus est, extorrem, infamem, & post interfectum Agrippam, omnis spei egenam inopia ac tabe longa peremit. Incidit autem mors Juliæ, Tacito teste, in annum Julianum 59. ab Urbe condita 767. At certum est, gemmam hanc cælatam esse post reditum Germanici e Germania, qui contigit exeunte anno Juliano 61. aut ineunte 62. duobus minimum post Juliæ mortem annis. Itaque rectius meo judicio Peireskius censuit, esse Liviam seu Livillam Germanici sororem, nuptam Druso Tiberii filio. Cui sententiæ suffragatur insignis gemma Bocquingamii Ducis, quæ refert Livillam eodem filo vultus, serto e spicis & papaveribus contexto coronatam, duosque gemellos in sinu habentem. Quantum ad sphingem, vulgari apud Romanos Græcosque artificio fulcra lectorum & sellarum

larum in ſphingium & grypbum ſpeciem deformari ſolebant. Callixenus Rhodius apud Athenæum lib. 5. Ἔκειντο δὲ καὶ κλῖναι χρυσαῖ σφιγγόποδες, ἐν ταῖς δυσὶ πλευραῖς ἑκατόν. Iſidorus lib. 20. cap. 11. *Sphinga ſunt ſphingata effigies, quas nos Gryphos dicimus.*

Adſiſtit Livillæ juvenis galeatus & paludatus, dextram cœlum verſus protendens. Hunc Triſtanus Numerium Atticum eſſe credit, eo geſtu expreſſum, quo Auguſtum in cœlum aſcendentem a ſe conſpectum affirmaverat. De qua opinione ut nihil aliud dicam, certe non video, qua ratione Numerio Senatori & Prætorio viro galea & chlamys conveniat, cum ille non in expeditione aliqua, ſed Romæ, aut extra Urbem via Appia, Auguſti apotheoſin ſibi viſam juraverit; nec Romæ aut in Latio Senatores cum galea & chlamyde aut paludamento incedere ſolerent, niſi Conſules & Prætores; cum ad bellum ex Urbe proficiſcebantur, aut ex bello redibant.

Adhæc, tropæum quod adoleſcens ille humeris geſtat, planiſſime ſententiam hanc condemnat. Nec enim mihi probat vir nobilis, hoc tropæum denotare exuvias mortales Auguſti ex æthere decidentes. Itaque cum Peireſkio Druſum hunc eſſe puto Tiberii filium, Livillæ maritum, qui tropæum fert, quia tunc cum Germanicus in Syriam profectus eſt, in Illyrico feliciter res geſſit, & Suevos atque Marcomannos mutuis diſcordiis attrivit; qua de cauſa paulo poſt ovatio ei decreta fuit. Expanſam vero dextram ad cœlum elevat Druſus, ut promptum ſe teſtetur ad quævis pericula pro majeſtate Imperii Romani ſubeunda. Ita apud Lucanum,

—— Cuncta ſimul aſſenſere cohortes,
Elataſque alte quæcumque ad bella vocaret,
Promiſere manus.

In ſuperiori gemmæ parte quatuor Divi aut Heroës conſpiciuntur, quorum unus orbem manibus tenet. Hunc Æneam eſſe, facile Triſtano aſſentior: niſi quis forte ex juvenili & imberbi facie conjicere malit Julum eſſe, Juliæ gentis auctorem: habitus certe Phrygem arguit, nempe tiara, tunica manicata, chlamys & braccæ, qui cultus Phrygum erat; a quibus ad Armenios fluxit Phrygum colonos, ut Herodotus ait lib. 7. Ἀρμένιοι δὲ κατάπερ Φρύγες ἐσεσάχατο, ἐόντες Φρυγῶν ἄποικοι. De tiara aut mitra Phrygia obvia paſſim Scriptorum veterum teſtimonia. De tunica & manicis Virgilius lib. 9. Æneidos:

Et tunica manicas, & habent redimicula mitræ.

De chlamyde & braccis idem lib. 11.

—— Tum croceam chlamydemque, ſinuſque crepantes
Carbaſeos, fulvo in nodum collegerat auro,
Pictus acu tunicas, & barbara tegmina crurum.

Euripides in Cyclope de Helena & Paride:

—— ἣ τοὺς θυλάκους τοὺς ποικίλους
Περὶ τοῖν σκελοῖν ἰδοῦσα, καὶ τὸν χρύσεον
Κλοιὸν φοροῦντα περὶ μέσον τὸν αὐχένα.

Londini in ædibus Arundellianis extat haloſis Trojæ in antiquo marmore, quod omnes Trojanos hoc modo cultos exhibet.

Orbem manu geſtat Æneas aut Julus, ob imperium orbis terrarum, quod Julia familia obtinuit.

Supra hunc emicat alius radiata corona, & velo ſceptroque inſignis, qui Peireſkio Auguſtus, Triſtano Jupiter eſt. Ego Peireſkio accedo; nam Jupiter diverſo omnino ſtatu & habitu in priſcis monumentis apparet. Etenim, ut alia nunc omittam, quis neſcit, profundam Jovi barbam ab omni antiquitate tribui? Cicero lib. 1. de Natura deorum: *Iſto namque modo dicere licebit Jovem ſemper barbatum, Apollinem ſemper imberbem, caſios oculos Minervæ, cæruleos eſſe Neptuni.* Arnobius lib. 6. *Ricinatus Jupiter atque barbatus.* Prudentius:

Barbam rigentem dum Jovis
Circumplicat.

Nec eſt quod aliquis Jovem Anxurum & Caſium opponat: nam & hic & ille puerili aut juvenili ſpecie facti erant. Servius ad 7. Æneidos: *Circa hunc tractum Campaniæ colebatur puer Jupiter, qui Anxurus dicebatur, quaſi ἄνευ ξυροῦ, id eſt, ſine novacula, quia barbam numquam raſiſſet; & Juno virgo, quæ Feronia dicebatur.* De Caſio Jove Achilles Tatius lib. 3. de Clitophontis & Leucippes amoribus: Τὸ δὲ ἄγαλμα νεανίσκος ἦν. Idem cenſendum de ſtatuis Jovis, quas Pauſanias memorat. 5. Eliacor. Ἔστι δὲ καὶ ἄλλος Ζεὺς οὐκ ἔχων πω γένεια. & paulo poſt: Ἄγαλμά ἐστι Διὸς οὐκ ἔχον γένεια οὐδὲ αὐτό. At noſter ſenilem plane ætatem præfert, & raſum tamen mentum habet, quod Jovi nullo modo convenit. Et ſane ſi quis vultum ejus conferat cum priſcis gemmis & numiſmatis Auguſtum jam ſenem referentibus, haud dubie aſſentietur Peireſkio: radiata autem corona cinctus eſt, quia Auguſtus

—— Phœbigenam ſeſe gaudebat haberi.

Et a patre ſuo viſus fuit in ſomnio mortali ſpecie amplior, cum fulmine & ſceptro, exuviiſque Jovis optimi maximi, ac radiata corona, ſuper currum laureatum, ut Suetonius narrat cap. 94. Tranſiit autem ab Auguſto ad ceteros Imperatores radiatæ coronæ uſus: maxime ad eos qui in deos relati erant. Lucanus lib. 7.

Bella pares ſuperis facient civilia divos,
Fulminibus manes, radiiſque ornabit & aſtris,
Inque Deum templis jurabit Roma per umbras.

Velum capiti circumpoſitum conſecrationis inſigne eſſe, viri docti annotarunt ex numiſmatis. Euſebius lib. 4 cap. 73. de Vita Conſtantini: Ἤδη δὲ καὶ νομίσμασιν ἐνεχαράττοντο τύποι, πρόσθεν μὲν ἐκτυποῦντες τὸν μακάριον ἐγκεκαλυμμένον τὴν κεφαλήν. Θατέρου δὲ μέρους ἐφ᾽ ἅρματι τεθρίππῳ ἡνιόχου τρόπον, ὑπὸ δεξιᾶς ἄνωθεν ἐκτεινομένης αὐτῷ χειρὸς ἀναλαμβανόμενον. *Jam vero in numiſmatis quoque expreſſa forma, quæ ab una parte beatum hunc noſtrum obvoluto capite repræſentabant, ab altera parte quadrigæ, inſtar aurigæ, inſidentem ſuſceptum a dextra manu cœlitus demiſſa.* Habeo aliquot hujuſmodi nummos penes me, ſed eorum formam jam publico dederunt Eminentiſſimus Baronius ad annum 337. Antonius Auguſtinus dialogo 1. & Triſtanus tomo 3. qui etiam ſtudioſe quærunt, cur Imperatores poſt conſecrationem capite obvoluto repræſentati fuerint. Ego arbitror ideo illud fieri ſolitum, quia cadavera hoc habitu rogo imponebantur. Virgilius lib. 11.

—— arſuraſque comas obnubit amictu.

E rogo autem aſſurgere ad immortalitatem credebantur divi.

Sed ut ad gemmam noſtram revertar, cum Auguſto jam ſuus locus aſſignatus ſit, non magnopere mihi laborandum eſt, ut viri eruditi opinionem refellam, qui Auguſtum alato equo imponit. Et ſane vector Pegaſi, adoleſcentis potius quam ſeneſcentis faciem habet, quemadmodum obſervavit Peireſkius, qui proinde Marcellum eſſe credebat.

Mihi

Mihi videtur, ex filo vultus, Drusus Germanicus esse, Tiberii frater, Germanici Cæsaris pater. Sed qua de causa alatus illi equus tribuatur, accuratius inquirendum. Et olim quidem existimavi, Drusum Bellerophonti comparatum esse, non solum ob eximias corporis ac animi dotes; verum etiam quia, ut Bellerophoo a Pegaso excussus coxam fregit, ita Drusus ex fractura, equo super crus ejus collapso, obiit tricesimo post die. Sed & alia nunc hujus rei ratio occurrit: deprehendo etenim ex Pedone Albinovano, aliquem ex Poëtis illius ævi finxisse, solemni tunc adulatione, Drusum ex rogo a Venere ereptum, & in stellam Hesperum mutatum fuisse. Pedonis verba sunt in Epicedio Mæcenatis, quæ non nescius sum aliter a Scaligero explicari:

Quæsivere chori juvenem sic Hesperon illum,
Quem nexum medio solvit in igne Venus.
Quem nunc in fuscis placida sub nocte nitentem
Luciferum contra currere cernis equis.

Ubi sub juvenis nomine manifeste Drusum intelligit, quem ita passim appellat, ut in carmine ad Liviam:

Nec juvenis positi supremos destrue honores.

&, *Accipient juvenem Germanica signa ferentem.*

Sic etiam, in principio Epicedii Mæcenatis:

Defleram juvenis tristi modo carmine fata.

Nam aliud agebat Scaliger, dum scripsit, Epicedium de morte Drusi hic non posse intelligi; quia post Agrippam mortuus sit. Ita quandoque etiam magni viri dormitant.

Hanc vero fabulam de Druso a Venere in cœlum translato, & in Hesperon converso, secutus sculptor gemmæ, Drusum hic pennato equo, Veneris ministro, imposuit: eodem enim modo & comam Berenices, Veneris jussu in cœlum a Pegaso deportatam tradidit Callimachus, & ex eo Catullus:

Abjunctæ paulo ante coma, mea fata, sorores
Lugebant, cum se Memnonis Æthiopis
Unigena impellens nutantibus aera pennis
Obtulit Arsinoes Chloridos ales equus.
Isque per ætherias me tollens advolat auras,
Et Veneris casto collocat in gremio.
Ipsa suum Zephiritis eo famulum legarat.

Præterea cum Drusus in Hesperum mutatus fuisse post obitum creditus sit, non immerito volucri equo vehitur; namque singulares equos Lucifero & Hespero ab antiquitate datos fuisse, jam à Scaligero, lib. 2. de Emendatione temporum, & aliis annotatum est. Immo Lucifero (qui idem cum Hespero) Pegasum tribui in priscis monumentis docet vir Cl. Janus Casperius Gevartius in Pompa Introitus Ferdinandi Austriaci Hisp Infantis, Cardinalis, in urbem Antverpiam. Auroram quoque (cujus filius Hesperus) Pegaso vectam inducit Lycophron. Qua de re videndi Isaacius Tzetzes ad Lycophronem, & Eustathius ad Ψ Iliados.

Porro ut clarius constaret, equum hunc Veneris famulum esse, & Drusum Hespero assimilatum,

Quem Venus ante alios astrorum diligit ignes,

appositus est Cupido ductor & moderator habenarum, cujus sub imagine haud dubie hic expressus est filius Germanici, de quo Suetonius cap. 7. lib. 4. *Unus jam puerascens raptus est insigni festivitate, cujus effigiem habitu Cupidinis in æde Capitolina Veneris Livia dedicavit: Augustus in cubiculo suo positam, quotiescumque introiret, exosculabatur:* quod Peireskio & Tristano etiam visum.

Superest unus etiamnum Heros paludatus & laureatus, ac clypeum utraque manu retinens. Hunc Peireskius D. Julium, Tristanus Drusum Germanicum esse credunt. Sed de Druso jam dictum. Peireskii sententiæ repugnant omnes veteres nummi, gemmæ & statuæ, Julium Cæsarem diversa plane facie exhibentes. Ego, cum videam totam fere Tiberii Cæsaris domum hic expressam esse, non invenio alium, cui hanc personam assignem, quam Tiberium Claudium Neronem, Tiberii Cæsaris patrem naturalem, qui Alexandrino bello classi præpositus, Ægyptios prælio navali vicit, ut Dio narrat libro 42 qua de causa hic laurea coronatus est. Deinde Perusino bello L. Antonium secutus, deditione a ceteris facta, solus permansit in partibus atque ideo [illegible]litan in hac gemma clypeum utraque manu retinet: nam deditionem facientes solebant clypeum abjicere, aut convertere, aut capiti imponere. De his Appianus libro II. Civilium: Οἱ δὲ ἐπέθεσαν ταῖς κεφαλαῖς τὰς ἀσπίδας, ὅπερ ἐστὶ σύμβολον ἑαυτοὺς παραδιδόντων. De conversione clypei Ammianus l. 26. *Eumque secuti complures, jam pila quatientes & gladios, ad Imperatorem transeunt cum vexillis, scuta perversa gestantes, quod defectionis signum est apertissimum.* Themistius Orat 9. de eadem hac defectione· Ἅμα τῷ γενέσθαι ἐντὸς τῶν σῶν ὀφθαλμῶν ὑπὸ μάλης ἐκαυσάντων τὰς ἀσπίδας, ὥσπερ φῶρες κακοῦργοι καταληφθέντες ἐπαυτοφώρῳ. Ambrosius de Elia & jejunio cap. 13. *In bello si quis inferiorem se viderit, arma convertit, & meretur veniam.* Argute itaque Tiberius Nero hic expressus videtur, non convertens & sub ala occultans clypeum, sed sinistræ aptatum, dextra etiam complectens, atque eo gestu ad D. Augustum accedens: quia, ut dixi, deditione a ceteris facta solus permansit in partibus, ac primo Præneste, inde Neapolim evasit, servisque ad pileum frustra vocatis in Siciliam profugit, & demum ad M. Antonium trajecit in Achajam, cum quo, brevi reconciliata inter omnes pace, Romam redit, ut Suetonius tradit. *Sanctiores* autem, Seneca teste, *tutioresque sunt hostibus suis, qui in fidem cum armis veniunt.*

Imum gemmæ segmentum refert illustres captivos Germanos, a Cæsare Germanico in triumpho traductos. Plerique recensentur a Strabone lib. 7. cujus verba adscribenda: Ἔισεπε δὲ δίκας ἅπαντες καὶ παρέσχεν τῷ νεωτέρῳ Γερμανικῷ λαμπρότατον θρίαμβον, ἐν ᾧ ἐθριαμβεύθη τῶν ἐπιφανεστάτων ἀνδρῶν σώματα καὶ γυναικῶν. Σεγιμοῦντος τε ὁ Σεγέστου υἱὸς Χηρούσκων ἡγεμὼν, καὶ ἀδελφὴ αὐτοῦ, γυνὴ δ' Ἀρμενίου τοῦ πολεμαρχήσαντος ἐν τοῖς Χηρούσκοις ἐν τῇ πρὸς Οὔαρον Κουιντίλιον παρασπονδήσει, καὶ ἔτι συνέχοντος τὸν πόλεμον. ὄνομα Θουσνέλδα, καὶ υἱὸς τριετὴς Θουμελικός· ἔτι δὲ Σεσίθακος Σιγημήρου υἱὸς τῶν Χηρούσκων ἡγεμόνος· καὶ ἡ γυνὴ Ῥαμὶς Οὐκρομήρου θυγατὴρ ἡγεμόνος Χάττων· καὶ Δευδέριξ Βαιτορίτος τοῦ Μέλωνος ἀδελφοῦ υἱὸς Σύγαμβρος. Σεγέστης δὲ ὁ πενθερὸς τοῦ Ἀρμενίου καὶ ἐξ ἀρχῆς διέστη πρὸς τὴν γνώμην αὐτοῦ, καὶ λαβὼν καιρὸν ηὐτομόλησε, καὶ τῷ θριάμβῳ παρῆν τῶν φιλτάτων ἐν τιμῇ ἀγόμενος. ἐπόμπευε δὲ καὶ Λίβυς τῶν Χάττων ἱερεὺς, καὶ ἄλλα δὲ σώματα ἐπομπεύθη ἐκ τῶν πεπορθημένων ἐθνῶν. *Pœnas tamen universi dederunt, & Germanico pulcherrimam triumphi materiam, in quo viros illustrissimos ac feminas traduxit, inter quos Segimundus erat Segestis filius, Cheruscorum Dux, sororque ejus uxor Arminii, (qui bello dux fuerat, cum violata pace Quintilium Varum circumvenerunt, & nunc etiam bellum fovet) nomen Thusnelda: nec non filius ejus Thumelicus, tres natus annos; & præterea Sesithacus, Segimeri Cheruscorum Ducis filius*

filius, ejusque uxor Rhamis, Veromeri Cattorum Ducis filia: & Deudorix Sicamber, Bætoritis filius qui frater erat Melonis. Segestes autem Arminii socer, qui & ab initio belli sententia genero adversatus erat, & captato tempore ad Romanos transfugerat, tunc cum honore & dignitate intererat triumpho, in quo liberi ejus traducebantur. Ductus est etiam in pompa Libys Cattorum sacerdos, aliique plures. Hactenus Strabo. & omnes quidem ab illo enumeratos captivos hac in Gemma spectari, vix mihi dubium est. Thusneldam sane agnosco, & in gremio ejus Thumelicum, qui capite gestat circulum, non dissimilem spiris illis rotundis, quibus capita infantium munire solemus in Belgica & Germania; cetera nudus est. Tacitus de liberis veterum Germanorum: *In omni domo nudi ac sordidi, in hos artus, in hæc corpora, quæ miramur, excrescunt.* Thumelicum vero triennem in triumpho Germanici traductum fuisse, Strabo scribit: at, si Tacito fides, biennium vix excesserat. venit gravida Thusnelda in potestatem Germanici, & virilis sexus stirpem edidit, vere anni Juliani LX. Druso Cæsare & Norbano coss. Triumphavit autem Germanicus A. D. VII. Kal. Junias, anno Juliano LXII. C. Cælio, L. Pomponio coss.

Juvenem, qui Thusneldæ assidet, fratrem ejus Segimundum esse suspicor, de quo Tacitus lib. I. Annal. *Neque multo post Legati a Segeste venerunt, auxilium orantes adversus vim popularium, a quis circumsidebatur, validiore apud eos Arminio, quando bellum suadebat. nam Barbaris, quanto quis audacia promptus, tanto magis fidus, rebusque commotis potior habetur. Addiderat Segestes Legatis filium nomine Segimundum. sed juvenis conscientia cunctabatur: quippe anno quo Germaniæ descivere, Sacerdos apud Aram Ubiorum creatus, ruperat vittas, profugus ad rebelles. Adductus tamen in spem clementiæ Romanæ, pertulit patris mandata, benigneque exceptus, cum præsidio Gallicam in ripam missus est.* Ara hæc Ubiorum videtur sacrata fuisse D. Julio & Augusto. Hinc Arminius apud Tacitum libro eodem: *Coleret Segestes victam ripam, redderet filio sacerdotium hominem Germanos numquam satis excusaturos, quod inter Albim & Rhenum virgas, & secures, & togam viderint.* ubi legendum: *redderet filio sacerdotium hominum: Germanos numquam satis excusaturos, quod inter Albim & Rhenum virgas, & secures, & togam viderint.* aut cum viro Magno (a): *redderet filio sacerdotium manium: Germanos numquam*, &c.

Adhæret Segimundo alius captivus revinctis post tergum manibus. Hunc Sesithacum patruelem Segimundi esse conjicio, mulieremque illi adjunctam, quæ parmæ incumbit, Rhamin uxorem Sesithaci. De Sesithaco Tacitus: *Jam Stertinius ad accipiendum in deditionem Segimerum fratrem Segestis præmissus, ipsum & filium ejus in civitatem Ubiorum perduxerat. data utrique venia; facile Segimero, cunctantius filio, quia Quinctilii Vari corpus inlusisse dicebatur.*

Barbarus in extremo gemmæ angulo sedens horrida facie, tortisque crinibus, Deudorix Sicamber esse videtur.

Ab altera parte, pone Thusneldam, alius captivus manu caput sustinet: hunc culter, seu machæra sacrifica, qua succingitur, Libyn esse arguit Cattorum sacerdotem: immo & vittæ mitraque capiti circumpositæ id indicare videntur, quamvis liquido discerni non possint in Gemma, quæ hac in parte injuria temporis imminuta est.

Inter Libyn & Thusneldam apparet matrona Barbara, cum puella, quæ & ipsa barbarum in morem culta est. Arpi Principis Cattorum conjugem filiamque esse reor. de quibus Tacitus lib. 2. Annalium: *Neque Silio ob subitos imbres aliud actum, quam ut modicam prædam, & Arpi Principis Cattorum conjugem filiamque raperet.*

Atque hæc mea de pretiosissimo hoc monumento sententia: quæ si forte, ut vereor, nequaquam omnibus probatur, non repugno.

Καὶ πρὸς μὲν τούτους ἀρκεῖ, λογὰς ὡς ὁ παλαιὸς
Σοὶ μὲν ταῦτα δοκοῦντ' ἐστὶν, ἐμοὶ δὲ τάδε.

(a) Gronovius lib. 2. c. 3. Observat.

DISSERTATIO
DE
GEMMA AVGVSTÆA.

Laudat Suetonius moderationem Cæsaris Augusti, quod *templa, quamvis sciret etiam Proconsulibus decerni solere, in nulla tamen provincia, nisi communi suo Romæque nomine susceperit.* Hinc in marmoribus antiquis sæpe legimus:

ROMÆ. ET. AVGVSTO
CÆSARI. DIVI. F.
&, SACERDOS. PERP. ROM. ET AVG.
in aliis: FLAM. ROM. ET AVG.

Athenis quoque, antequam a Mahomete Turcarum Principe everterentur, vestibulo templi in arce inscriptum fuisse ajunt:

Ο ΔΗΜΟΣ. ΘΕΑΙ. ΡΩΜΗΙ. ΚΑΙ
ΣΕΒΑΣΤΩΙ ΚΑΙΣΑΡΙ.

Pari adulatione Herodes magnus, postquam urbem, Stratonis turrim ante nominatam, reparavit, & Cæsaream appellavit, templum ibi Augusto sacrum exstruxit, binaque in illo simulacra posuit, τὸ μὲν Ῥώμης, τὸ δὲ Καίσαρος, ut Josephus tradit lib. XV. cap. XIII. Antiquitat. & uberius lib. I. cap. XVI. Excidii: Καὶ τοῦ στόματος ἄντικρυς ναὸς Καίσαρος ἐπὶ γηλόφου κάλλει καὶ μεγέθει διάφορος, ἐν δὲ αὐτῷ Κολοσσὸς Καίσαρος οὐκ ἀποδέων τοῦ Ὀλυμπίασιν Διὸς, ᾧ καὶ προσείκασται, Ῥώμης δὲ ἴσος Ἥρᾳ τῇ κατ' Ἄργος. quæ male versa a veteri interprete: *Contra ostium vero portus in colle, Cæsaris templum, magnitudine simul & pulchritudine conspicuum, in eoque Cæsaris colossus, non minor quam Jovis apud Olympiam, cujus ad exemplar factus est, Romano autem par, & Junonis, quæ Argis est.* Nec melius Josephi mentem percepit Auctor librorum de excidio urbis Hierosolymitanæ, qui sub Hegesippi persona circumfertur lib. I. c. 35. *Et templi medio colossum constituit, Augusti nomine, velut simulacrum ipsius, quod non minoris magnitudinis foret simulacro Olympii Jovis, aut Junonis Argivæ.* Sed utraque hæc interpretatio longissime a Josepho abit: dicit enim ille, colossum quidem Cæsaris Olympico Jove non minorem, atque ad eamdem formam effectum fuisse; statuam vero urbis Romæ, æqualem magnitudine simulacro Junonis Argivæ. Porro ut colossus Cæsariensis Jovis Olympici specie formatus erat; ita in hac gemma Augustus, σύνθρονος Romæ, Jovi assimilatus est. Nam & Pedo Albinovanus ei viventi Jovis nomen tribuit in Elegia ad Liviam:

Nata quod es alte, quod fœtibus aucta duobus,
Quodque etiam magno consociata Jovi.

Habitum, quo Jupiter pingi solebat, describit Porphyrius apud Eusebium lib. 3. cap. 9. Præparationis Evangelicæ: Ἀνθρωπόμορφον δὲ τοῦ Διὸς τὸ δείκελον πεποιήκασιν, ὅτι νοῦς ἦν καθ' ὃν ἐδημιούργει, καὶ λόγοις σπερματικοῖς ἀποτελεῖ τὰ πάντα. κάθηται δὲ, τὸ ἑδραῖον τῆς δυνάμεως αἰνιττόμενος. γυμνὰ δὲ ἔχει τὰ ἄνω, ὅτι φανερὸς ἐν τοῖς νοεροῖς καὶ τοῖς οὐρανίοις τοῦ κόσμου μέρεσιν ἐστί· σκέπεται δ' αὐτῷ τὰ πρόσθια, ὅτι ἀφανὴς τοῖς κάτω κεκρυμμένοις· ἔχει δὲ τῇ μὲν λαιᾷ τὸ σκῆπτρον, καθ' ὃ μάλιστα τῶν τοῦ σώματος μερῶν τὸ ἡγεμονικώτατόν τε καὶ νοερώτατον ὑποικουρεῖ σπλάγχνον ἡ καρδία. βασιλεὺς γὰρ τοῦ κόσμου ὁ δημιουργὸς νοῦς· προτείνει δὲ τῇ δεξιᾷ, ἢ ἀετὸν, ὅτι κρατεῖ τῶν ἀεροπόρων θεῶν, ὡς τῶν μεταρσίων ὀρνέων ὁ ἀετὸς, ἢ νίκην, ὅτι νενίκηκεν αὐτὸς πάντα. Codinus in Constantinopoli: Ἄγαλμα πλάττουσι τοῦ Διὸς καθήμενον ἔχον τὰ μὲν ἄνω γυμνὰ, τὰ δὲ κάτω σκεπασμένα· κρατεῖ δὲ τῇ μὲν εὐωνύμῳ χειρὶ σκῆπτρον, τῇ δὲ δεξιᾷ ἀετὸν προτείνει. Adde his, si lubet, Suidam in voce Ζεύς. Extant passim Græca & Romana numismata, in quibus Jupiter hac specie expressus cernitur, seminudus, & inferiores tantum corporis partes peplo tectus, sellæ insidens, & sinistra sceptrum tenens, dextra aquilam aut victoriam protendens. Immo in Tarraconensium nummis inscriptis DEO AVGVSTO, ipse (b) Augustus ita effictus est cum hasta & victoria, plane ut in hac gemma; præterquam quod non victoriam hic vel aquilam (quæ tamen sellæ apposita est) sed lituum dextra portat, ob auguratum nempe, quo omnes Romanorum Reges & Imperatores insigniti fuerunt. Romulum quidem Plutarchus affirmat Augurem fuisse, & gestasse ἐπὶ μαντικῇ τὸ καλούμενον λίτυον. Virgilius de Pico Latii Rege:

Ipse Quirinali lituo, parvaque sedebat
Succinctus trabea.

Numa Pompilius, Ancus Marcius, Julius Cæsar, Augustus, aliique Cæsares, in nummis antiquis sæpissime occurrunt cum lituis.

Roma Dea, Augusto assidens, Liviam vultu referre videtur: galeam, hastam, clypeum & parazonium habent, prout a Claudiano & Sidonio

(b) Apud Antonium Augustinum dialogo 7.

Roma



Roma ipsa describitur, & in priscis monumentis, quæ in Urbe, in hortis Cæsiis & ædibus Justinianeis supersunt, etiam nunc spectatur.

Romæ & Augusto superpositus est in orbiculo Capricornus: (c)

> —— *In Augusti felix qui fulserit ortum.*

Suetonius c. 94. *Tantam mox fiduciam fati Augustus habuit, ut thema suum vulgaverit, nummumque argenteum nota sideris Capricorni, quo natus est, percusserit.* In Genethliaco enim themate Augusti, sors Fortunæ (quæ ab antiquis Astrologis censebatur ὥσπερ σεληνιακὸς ὡρόσκοπος, velut *lunaris Horoscopus*, a quo thema Astrorum deducebant) Capricornum obtinuit, ut optime pervidit Ptolemæus sæculi nostri Gotifredus Vendelinus, qui in Commentario *de Die natali Augusti*, quem nobis propediem promittit, nodum hunc de Horoscopo Augustæo, magnorum hactenus virorum ingeniis inexplicabilem, feliciter dissolvit. Atque illius sane sententiam egregie firmant nummi Augustæi nota hujus sideris percussi, in quibus Capricornus plerumque gubernaculum navis, orbem & cornucopiæ præfert, ipsa nempe Fortunæ insignia; de qua Lactantius lib. III. c. 29. Institutionum Divinarum: *Nam simulacrum ejus cum copia cornu & gubernaculo fingunt, tamquam hæc opes tribuat, & humanarum rerum regimen obtineat.* Immo etiam fortassis eamdem ob causam, Capricornus hic orbiculo inclusus est: sortem enim Fortunæ circulo decussato designant Astrologi, quia, ut Scaliger existimat, sortes omnes ligneæ vel eburneæ ita scalperentur. Genitus autem Augustus (ut hoc obiter hic addam) non mense Julio Juliano, in quem convenisse tunc Septembrem antiquum credunt Scaliger, Calvisius, Kepletus, & alii; sed IX. Kal. Octobris ad Kalendarium Julianum reducti, paulo ante solis exortum, M. Tullio Cicerone & C. Antonio coss. Dies vero vigesima tertia Septembris Juliani, seu IX. Kal. Octobris, incidit anno illo in XV. aut XIV. Kal. Novembris antiqui; qua die Cicero e somno excitatus a M. Crasso, M. Marcello, & Scipione Metello, ac de conjuratione edoctus ex litteris ad Crassum aliosque scriptis, prima luce convocavit Senatum, Octaviusque pater Augusti, ob uxoris puerperium, serius in Curiam venit.

Sed hæc in antecessum dicta sunto; alias enim latius de hac re agemus Deo volente, annosque Romanos veteres a consulatu Ciceronis & Antonii usque ad reformationem Julianam, cum annis Julianis, quos fingimus semper fuisse, comparabimus.

A tergo Augusti conspicitur matrona turrito diademate & velo tecta, quæ senem, nudum & vultu crinibusque horridum, complectitur. Hunc Neptunum, illam Cybelen esse existimo, a quibus Augustus laureo serto coronatur, ob victorias terra marique partas.

Adjacet his Agrippina Germanici, quæ dextro cubito solio Augustæo innixa, securitatem populi Romani, hoc gestu fere semper in nummis expressam, repræsentat, & simul hilaritatem generis humani ob felix Augusti imperium: qua de causa cingitur corona hederacea,

> *Læta quod pubes hedera virenti*
> *Gaudeat.*

Cornucopiæ quoque tenet, & puerulis nudis stipatur, ut Hilaritas in nummis Hadriani. Præterea ornata est circulo περιτραχηλίῳ, a quo aurea bulla dependet. Hoc genus ornamenti muliebris, Græci μηνίσκους, Latini *lunulas* appellabant. Ut enim Plutarchus ait in Quæstionibus Romanis, ubi de bullis puerorum agit: Τὸ φαινόμενον σχῆμα τῆς σελήνης, ὅταν ᾖ διχόμηνος, οὐ σφαιροειδὲς, ἀλλὰ φακοειδές ἐστι καὶ δισκοειδές. De his lunulis Hieronymus ad caput tertium Isajæ: *Habent mulieres in lunulæ similitudinem bullulas dependentes.* Et Basilius: Μηνίσκος τοίνυν κόσμος ἐστὶ χρυσοῦς περιτραχήλιος κυκλοτερῶς ἀπειργασμένος. Suidas μηνίσκους interpretatur πέταλα περιτραχήλια. Extat apud me Cleopatræ imago in gemma, simili omnino bulla insignis, cum M. Antonii imagine in pectore. Livillam quoque Drusi, nec non Messalinam, eodem modo adornatas præferunt gemmæ veteres, quas Dux Bucquingamius olim a parente meo comparavit. Sed de his aliisque ornamentis muliebribus latius alibi agam Deo volente.

Ab altera sellæ Augustææ parte stat Germanicus Cæsar, Agrippinæ maritus, paludatus accinctusque, & læva manu capulum parazonii continens, nisi forte bulla triumphalis sit; nam in ectypo quidem liquido discerni non potest. Bullam autem inter insignia triumphantium enumerat Macrobius; & Germanicum triumphalibus ornamentis exornatum fuisse Dio testatur, ob strenue navatam in bello Illyrico operam.

Hoc bellum, quod gravissimum omnium externorum bellorum post Punica, ut Suetonius ait, per 55. legiones, paremque auxiliorum copiam triennio gessit Tiberius, exarsit æstate anni ab Urbe condita Varroniani 759. sive Periodi Julianæ 4719. M. Æmilio, C. Arruntio COSS. & profligatum ac demum confectum fuit anno V. C. 762. Periodi Julianæ 4722. P. Sulpitio Camerino, C. Poppæo Sabino COSS. Quo quidem tempore ob domitos Dalmatas & Pannonas, triumphus Tiberio decretus: Germanico autem, Legatisque aliis triumphalia ornamenta concessa fuerunt. Sed nuntiata interim clade Variana, Tiberius triumphum distulit: nihilominus Urbem prætextatus & laurea coronatus intravit, atque statim ab Augusto in Germaniam missus fuit, ubi territo Arminio restituit rem, ut narrant Suetonius in Tiberio, Dio, Vellejus, & alii.

Ad istam de Dalmatis Pannoniisque victoriam, dilatumque a Tiberio triumphum, pertinere videtur hæc gemma, quæ Tiberium laureatum, & picta aut prætexta toga amictum exhibet e curru triumphali, cujus habenas Victoria moderatur, descendentem, ut nempe reparet fractas in Germania res, & Quinctilium Varum cæsasque legiones ulciscatur.

(d) In segmento inferiori, Romani milites tropæum statuunt de Dalmatis ac Pannoniis. Clypeus tropæo aptatus, insigne Scorpii præfert, quod bellicosis illis Gentibus non male convenit. Manilius lib. IV.

> *Scorpius armata violenta cuspide cauda*
> *In bellum ardentes animos & Martia castra*
> *Efficit, & multo gaudentem sanguine civem,*
> *Nec præda quam cæde magis: quumque ipsa sub armis*
> *Pax agitur, capiunt saltus, silvasque pererrant.*

Captivi braccis, torquibus, cæteroque cultu Gallico adornati, Dalmatæ & Pannones sunt, quos Gallica etiam armatura usos Strabo tradit lib. VII. Ὁ δ' ὁπλισμὸς Κελτικός. Omnes fere earum nationum in hoc bello Duces Tiberius in triumpho

(c) Manil. l. 1.

(d) Segmenti inferioris descriptio.

traduxit, quem demum egit anno V. C. 765. Ovidius:

Totque tulisse Duces captivis addita collis
Vincula, pane hostes quot satis esse fuit.

Vellejus lib. II. *Quippe omnes eminentissimos hostium Duces occisos fama narravit, sed vinctos triumphus ostendit.* Præcipui inter eos fuere Bato Dysidiates, & Pinnes. Vellejus: *Ferocem illam tot millium juventutem, paulo ante servitutem minatam Italiæ, conferentem arma quibus usa erat apud flumen nomine Bathinum, prosternentemque se universam genibus Imperatoris, Batonemque & Pinnetem excelsissimos Duces, captum alterum, alterum a se deditum, justis voluminibus ordine narrabimus, ut spero.* Et Pinnes quidem Batonis Breuci proditione in Romanorum potestatem venit, ut Dio auctor est l. XXXXXV. Ὁ Βάτων ὁ Βρεῦκος, ὁ τόν Πίννην προδούς. Ideo Barbarum, qui tropæo adsidet torvo vultu, vinctisque post tergum manibus, Pinnetem esse suspicor. Alter, qui in genua procumbens supplicis modo manus tendit, quin Bato Dysidiates sit, non dubito. Ille enim post expugnatum a Tiberio Anderium, pacem petiit, & misso prius filio Scæva, incolumitatem pactus, se suosque Romanis tradidit; adductusque ad Tiberium pro tribunali sedentem, nihil quidem pro se deprecatus est, caput etiam tamquam abscindendum protendens; multa vero pro suis verba fecit, uti fuse narrat Dio. Tiberius enim post traductionem triumphalem, vita, veniaque, ac ingentibus etiam præmiis donavit. Ovidius:

Totque tulisse Duces captivis addita collis
Vincula, pane hostes quot satis esse fuit.
Maxima pars horum vitam veniamque tulere;
In quibus & belli summa caputque Bato.

Suetonius in Tiberio cap. 20. *Batonem Pannonium Ducem ingentibus donatum præmiis Ravennam transtulit, gratiam referens, quod se quondam cum exercitu iniquitate loci circumclusum passus esset evadere.*

F I N I S.

ALBERTI RVBENI

DE

VRBIBVS NEOCORIS

DIATRIBE.

VIRO NOBILI ET AMPLISSIMO

MATTHÆO VAN BEUGHEM,

TOPARCHÆ D'OTTIGNIES, HAUTEM, &c.

CATHOLICO REGI A CONSILIIS ET RATIONIBUS IN BRABANTIA

S. P. D.

JOANNES GEORGIUS GRAEVIUS.

EX omnibus rebus, quæ ad præsidia vitæ humanæ nobis divinitus sunt concessæ, nihil majus & præstantius est Sapientia; quæ regina est vitæ humanæ, moderatrix illius partis, qua censemur homines, & quæ sola beatis illis geniis, quibus summus rerum Auctor ab ipsis mundi natalibus ingenuit omnium præclararum scientiarum intelligentiam, quin ipsi fere Deo nos reddit proximos. Quid enim Deus, nisi ipsa Sapientia? Hoc autem divinum munus, ut nunc est, sine eruditione non possumus adipisci. Nam quamvis facultas intelligendi nobis sit insita, vires tamen suas illa nequit exercere, nisi animus liberali doctrina imbuatur: sicut auri, quamdiu venis suis mersum, & in luto jacet abditum, nullum est pretium, nisi manu & industria hominum effodiatur, & fæcibus suis purgetur. Sane doctrina vim illam sapiendi a natura nobis inditam promovet, ac quasi in excelsam quamdam arcem locat, ex qua imperium in res mortales inhibet, & hunc mundum gubernat tamquam provinciam sibi assignatam. Magistri autem hujus doctrinæ unici, sunt prisci Scriptores Græci Latinique, quorum egregia monumenta complectuntur artes illas & disciplinas, quibus ad Sapientiam instituimur. Illa vero cum tetris tenebris & caligine, propter antiquorum temporum, morum & sermonis ignorantiam, sunt obscurata, tum fœdis obsita maculis, quas temporis & barbarorum injuria eis inussit. In quibus tollendis, & illis discutiendis qui suam ponunt operam, næ illi ad sapientiam non leve quid conferre judicandi sunt. Quantum in hoc genere valuerit socer tuus; quantam lucem rebus obscurissimis offuderit; quot turpes extirpaverit mendas, quibus pulcherrima scripta contaminabantur, fama pridem celebravit; & cum maxime hi, quos ex schedis ejus eruimus, & nunc tibi offerimus, libelli loquuntur. Cujus enim nomine justius exornabuntur quam tuo, qui & ipse præclare de his elegantioribus litteris existimas, & gravissimas occupationes, quas pro publica re sustines, qui te totum Regi & Patriæ tuæ impendis, Musarum consuetudine oblectas, & laudes soceri tui tuas ducis. Is (si quis manium sensus) gaudebit filiam suam tam pulchram & felicem invenisse conditionem, ex qua orituri sint nepotes, qui & tuæ, Vir Amplissime, familiæ & Rubeniani nominis decus & gloriam aliquando sint propagaturi. Quod & ego voveo, Deumque volo hujus voti te reddere compotem. Trajecti ad Rhenum, A. d. Kalend. Decemb. CIↃ. IↃC. LXIV.

ALBERTI RUBENI DE URBIBUS NEOCORIS DIATRIBE.

Qui fuerint *νεωκόροι* templorum apud Græcos, nemo nescit; custodes nempe sacrarum ædium. Ita in Etymologico *νεωκόρος* explicatur *ὁ τοῦ ναοῦ ἐπιμελούμενος*. Apud Suidam *νεωκόρος, ὁ τὸν ναὸν κοσμῶν καὶ εὐτρεπίζων*. Itaque & claves templorum custodiæ Neocori commissæ erant, ut constat ex Aristide Orat. 1. sacra, & aliis. Latini *Æditumos* olim, ut Varro & Gellius ajunt, deinde *Æditues* vocavere, (*a*) a cura tutelaque templi. Ita & Commentator vetus Horatii ad lib. II. epist. *Æditui sunt templorum custodes & sacerdotes, dicti ab æde & sacris tuendis*: nam & sacra templi omnesque cæremoniæ ad curam Æditui pertinebant Hinc & Suidas *ἱερόν τι νεωκορήσας*, exponit *εὐφημότερον ἱερατεύσας*. Sed & Latini quandoque Neocori verbo usi sunt, ut V. C. Seldenus probat ex marmoribus antiquis: quibus addi potest Julius Firmicus de Errore profanarum religionum c. 14 de Serapide: *Hic in Ægypto colitur, hic adoratur. Hujus simulacrum Neocororum turba custodit, & ad memoriam vetustatis errans populus, ordinem sacrorum in honorem integerrimi ac prudentissimi hominis constitutum, contentiosa hodie animositate custodit.* Et alter Firmicus lib. IV. Matheseos cap. 7. *Ista conjunctio sacri certaminis palmas coronasque largitur, aut sacris certaminibus faciet esse præpositos, aut templorum fabricatores, aut simulacrorum consecratores, aut certe Neocoros, vel sacerdotum principes, aut magna in templis officia tractantes* Ab his Neocoris, aut Æditúis, translatus est haud dissimili analogia titulus *νεωκόρων* ad populos aut civitates, in quorum solo constitutum erat templum aliquod toti Provinciæ commune, & publica panegyri ludisve celebre. Namque, ut Strabo ait lib. IX. olim in Græcia civitates inter se, & gentes conveniebant, cum natura ad communicationem facti, tum utilitatum invicem percipiendarum gratia; nisdemque de causis & ad sacrificia communia, festosque dies & solemnitates celebrandas coibant. Ad amicitiam quippe conducit quidquid a mensæ libationum contuberniique proficiscitur communitate; quod quanto majus est, & quanto per plures pervagatur, tanto etiam majore cum utilitate conjunctum habetur. Atque hæc est causa, a qua processit ludorum Olympicorum, Pythiorum, aliorumque certaminum communium in Græcia institutio.

Civitates enim illæ aut populi, quorum in solo aut territorio sita erant templa aut aræ, ad quæ conventus communes totius Provinciæ agebantur, maxima cura studebant, ut sacrificiis sacrisque certaminibus illa celebria redderentur. Sic Strabo lib. VIII. scribit, Ætolos Oxylo duce cum occupassent Elidem pulsis Epeis, suscepisse procurationem templi Jovis Olympii, *τὴν ἐπιμέλειαν τοῦ ἱεροῦ τοῦ Ὀλυμπιάσιν, ἣν εἶχον οἱ Ἀχαιοί.* quam vero hic *ἐπιμέλειαν τοῦ ἱεροῦ* vocat, paulo ante *ἀγωνοθεσίαν* appellat: *Οἱ οὖν Πισάται τὴν Ὀξυλίου ἀπολαβόντες αὐτοὶ συνετέλουν τὸν Ἀγῶνα ὁρῶντες εὐδοκιμοῦντα. χρόνοις δ᾽ ὕστερον μεταπεσούσης πάλιν τῆς Πισάτιδος εἰς τοὺς Ἠλείους μετέπεσε πάλιν εἰς αὐτοὺς καὶ ἡ Ἀγωνοθεσία.* A Græcia templorum communium, sacrorumque certaminum exemplum transiit in Asiam: nam & Iones cum ex Europa in maritimam oram Cariæ migraverunt, & Dorienses, his contigui, templa construxerunt communibus expensis; Iones Dianæ fanum Ephesi, Dorienses Apollinis Triopii, quo statis temporibus (verba sunt (*b*) Dionysii Halicarnassei) cum uxoribus & liberis convenientes, una sacris dabant operam & festis, mercimoniis, institutisque equestribus, gymnicis & musicis certaminibus variis; deos quoque communibus donariis honorabant. Peractis vero spectaculis ac festis solemnibus, ceterisque humanitatis officiis invicem exhibitis, si qua inter civitates intercessisset offensio, considebant judices qui litem componerent; tum de bello contra barbaros gerendo, deque mutua gentis concordia consulebatur in medium. Panegyris illa solemnis, quæ Ephesi in Dianæ Ephesiæ honorem a communi Ionum celebrabatur, *Ἐφέσια* vocabatur, ut Thucydides indicat l. III. ubi de Delo insula: *Ἦν δέ ποτε καὶ τὸ πάλαι μεγάλη ξύνοδος ἐς τὴν Δῆλον τῶν Ἰώνων τε καὶ περικτιόνων νησιωτῶν· ξύν τε γὰρ γυναιξὶ καὶ παισὶν ἐθεώρουν, ὥσπερ νῦν ἐς τὰ Ἐφέσια.* Quod festum ludosque ibi institutos usque ad Caracallæ tempora perdurasse, testatur vetus inscriptio Arundelliana, in qua ΕΦΕΣΗΑ inter cetera certamina sacra numerantur. Atque ad hæc Ephesia referri debet nummus (*c*) M. Antonii triumviri, in quo expressus tripus in corona oleagina, cum inscriptione, ΕΦΕΣΙΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ. tripus enim & corona, symbola sunt sacrorum certaminum, quæ Ephesi peragi solebant. Itaque Ephesii se Neocoros inscribunt, quia in urbe sua situm erat templum Dianæ, in cujus honorem conventus ille solemnis sacraque certamina a communi Ionum peragebantur. Atque hoc significatu D. Lucas vocem *νεωκόρον* accipit Actorum cap. 19. ubi Scriba, tumultum a Demetrio argentario excitatum compescens, ita loquitur: *Ἄνδρες Ἐφέσιοι, τίς γάρ ἐστιν ἄνθρωπος, ὃς οὐ γινώσκει τὴν Ἐφεσίων πόλιν νεωκόρον οὖσαν τῆς μεγάλης θεᾶς Ἀρτέμιδος καὶ τοῦ Διοπετοῦς*; id est, *Viri Ephesii, quisnam est hominum qui ignorat, Ephesiorum civitatem cultricem seu aditumam esse magna dea Diana, & simulacri e cælo delapsi?* Vocat hic Scriba, Ephesum Dianæ *νεωκόρον*, ut Tacitus Con insulam appellat Æsculapii ministram lib. 12. Annalium: *Retulit*, inquit, *deinde* [Claudius] *de immunitate Cois tribuenda, multaque super antiquitate eorum memoravit: Argivos vel*

(*a*) Gellius l. XII. c. 10. Varro l. VI. de LL. Festus Pompejus.

(*b*) Lib. IV. Antiq. (*c*) Goltzius tab. 35. in Julio.

Ceum

Coum Latona parentem, vetustissimos insulæ cultores: mox adventu Æsculapii artem medendi illatam, maximeque inter posteros ejus celebrem fuisse, nomina singulorum referens, & quibus quisque ætatibus viguissent. Quin etiam dixit Xenophontem, cujus scientia ipse uteretur, eadem familia ortum: precibusque ejus dandum, ut omni tributo vacui in posterum Coi sacram & tantum Dei ministram insulam colerent. Ubi exprimere voluisse videtur vocem Græcam νεωκόρ☉: etenim in Co insula templum erat (*d*) Æsculapii, Græcorum atque Insularum cultu celebre. Sed ut ad continentem Asiæ revertar, non solum Ephesiæ Dianæ templum, sacraque Ephesia, communia erant Ionum; sed & alia quædam, ut Alexandrea, quæ prope Clazomenion celebrabantur, de quibus Strabo l. XIII. Ὑπέρκειται δὲ καὶ τῶν Κλαζομενίων Χαλκιδέων ἄλσ☉ καθιερωμένον Ἀλεξάνδρῳ τῷ Φιλίππου, καὶ ἀγὼν ἀπὸ τοῦ κοινοῦ τῶν Ἰώνων Ἀλεξάνδρεια καταγγέλλεται, συντελούμεν☉ ἐνταῦθα. In Prienensi quoque agro, Panionio dicto, templum erat Heliconii Neptuni, ὅπου, inquit Strabo (*e*), τὰ Πανιώνια κοινὴ πανήγυρις τῶν Ἰώνων συντελεῖται τῷ Ἑλικωνίῳ Ποσειδῶνι καὶ θυσία, ἱερῶνται δὲ Πριηνεῖς. Quod latius explicat lib. IX. (*f*) ubi ait, mitti solitum ex populo Prienensi juvenem, quem βασιλέα appellabant, τῶν ἱερῶν ἐπιμελησόμενον.

Sed & Smyrnæ ad templum Jovis, Iones Olympia celebrabant, quæ Philostratus (*g*) appellat τὰ κατὰ τὴν Ἀσίαν Ὀλύμπια, & τὰ κατὰ τὴν Σμύρναν Ὀλύμπια: quorum etiam mentio extat in marmoribus antiquis, & apud Pausaniam l. VI. ὡς δὲ ἀφίκετο ἀγῶν☉ καιρὸς, ὃν Σμυρναῖοι Ἰώνων ἄγουσιν. atque etiam apud Philostratum, ut opinor, lib. IV. cap. 2. de Vita Apollonii: Ἀφικομένῳ δὲ αὐτῷ ἐς τὴν Σμύρναν, προσαπήντων μὲν οἱ Ἴωνες. καὶ γὰρ ἔτυχον Πανιώνια θύοντες. Et ad hæc Olympia spectare videtur nummus (*h*) Augusti, in quo corona ex olea aut oleastro, & inscriptio ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ; ubi Smyrnæi Neocoros se appellant, ob procurationem cæremoniarum, sacrorumque communium, quæ illis incumbebat; utpote quorum in urbe situm erat templum, ad quod Olympia illa Ionum celebrabantur. Qua fere notione Suetonius Æditui verbo utitur in Augusto, cap. 5. *Cn. Lectorius, adolescens patricii generis, in deprecanda graviore adulterii pœna, præter ætatem atque natales hoc quoque patribus conscriptis allegavit, se esse possessorem ac velut Æditumum soli, quod primum D. Augustus nascens attigisset, petiitque donari quasi proprio suo ac peculiari Deo.* Namque possessores soli, in quo templum, quod alii commune, situm erat, ad farta tecta templi tuenda, & sacrorum ludorumque statutorum celebrationem tenebantur. Ita Xenophon, ut ipse tradit lib. V. Ἀναβάσεως templum Dianæ Ephesiæ ex manubiis hostium extruxit in eo qui ad Sciluntem situs erat agro, & sacra ac festa ibi instituit, & columellam erexit prope templum, cum inscriptione: ΙΕΡΟC Ο ΧΩΡΟC ΤΗC ΑΡΤΕΜΙΔΟC. Τὸν δὲ ἔχοντα καὶ καρπούμενον τὴν μὲν δεκάτην καταθύειν ἑκάστου ἔτους. ἐκ δὲ τοῦ περιττοῦ τὸν ναὸν ἐπισκευάζειν. ἐὰν δέ τις μὴ ποιῇ ταῦτα, τῇ θεῷ μελήσει.

Extat etiam Julii Cæsaris nummus inscriptus ΙΛΙΕΩΝ ΔΙC ΝΕΩΚΟΡΩΝ. quia nempe in Iliensium urbe olim sacrarium erat Palladii, quod antea ignobile Alexander donariis auxit, & debellatis Persis promisit se delubrum celeberrimum conditurum, sacrumque certamen instituturum: mortuo autem Alexandro, Lysimachus templum extruxit, Strabone teste lib XV. Sacrum etiam Agonem (*i*) instituisse videtur, quem ΙΛΙΑ vocatum fuisse existimo, cujus mentio apud Eusebium in Chronico de Nerone: Ἰσθμίοις, καὶ Πυθίοις; καὶ Ἰλίοις, καὶ Ἀκτίοις ἐστεφανοῦτο. vide Hesychium in voce Ἴλιεια. Deinde vero Julius Cæsar, cum ob æmulationem Alexandri Magni, tum etiam ob cognationem sibi cum Iliensibus intercedentem, exornandum Ilium suscepit, ut Strabo memorat: Χώραν τε δὴ προσένειμεν αὐτοῖς καὶ τὴν ἐλευθερίαν καὶ τὴν ἀλειτουργησίαν αὐτοῖς συνεφύλαξε. Quin etiam (ut ex hoc nummo, qui Æneam præfert, conjicere licet) templum aliud Æneæ, Juliæ gentis auctori, ædificavit, & ludos in honorem ejus constituit; ita ut Ilienses ΔΙC ΝΕΩΚΟΡΟΙ facti sint, Palladis nempe & Æneæ.

Non ignoro, longe diversam esse Cl. V. Jo. Seldeni sententiam, qui τὸ ΔΙC aut ΤΡΙC, quod voci ΝΕΩΚΟΡΩΝ in nummis sæpe adjicitur, non numerum Agonum, festorumque solemnium urbis νεωκόρου, signare existimat, sed *tantum muneris τῶν νεωκόρων vices continuas: unde fiebat*, inquit, *ut intermissa prorogatione, alia nimirum ad æditnandum urbe suffecta, cives, qui hoc munere antea bis, ter, quaterve continenter functi essent, vices suas, seu prorogationes denuo minime unquam dinumerarint; sed a prima vice, si quando iterum plures νεωκόροι fierent, similiter ut primo redauspicarentur.* Sed opinio hæc, & fundamenta, quibus illam superstruit, non nimis solida sunt. Existimat enim, Asiæ & ceterarum Provinciarum urbes mutitasse inter se, & νεωκόρου titulum ab una ad aliam in orbem translatum fuisse; atque ita nunc quidem Ephesios, deinde Smyrnæos, aliquando Pergamenos aut Magnesios communium Asiæ sacrorum procuratores fuisse, & ideo Neocoros dictos. Et præcipuum quidem hujus sententiæ robur ponit in D. Lucæ Actorum cap. 19. Τίς γάρ ἐστιν ἄνθρωπ☉, ὃς οὐ γινώσκει τὴν Ἐφεσίων πόλιν νεωκόρον οὖσαν τῆς μεγάλης θεᾶς Ἀρτέμιδ☉, καὶ τοῦ Διοπετοῦς. quem locum vertit: *Viri Ephesii, quisnam est hominum, qui ignorat Ephesiorum civitatem* ΝΕΩΚΟΡΟΝ *seu æditnam jam esse magnæ deæ Dianæ, & simulacri ejus e cælo delapsi?* atque ita explicat: *Qualesnam νεωκόροι fuerint, ubi ita cives vocantur, hinc perspicuum esse videtur. Scriba, qui velut Syndicus erat urbis, ut sedaret tumultuantem de Diana sacris Ephesiorum turbam, a Demetrio, ut suo quæstui consuleret, excitatam, & in theatrum ruentem, monet eam, ut in memoriam revocaret, Ephesi cives tunc temporis νεωκόρους Dianæ esse. Scimus enim ex Maximini numismatis, Magnesios ejusdem fuisse alias νεωκόρους.* Sed rationes hæ, quibus conjecturam suam fulcit, parum validæ mihi videntur; nec enim Scriba dicit apud D. Lucam, cives Ephesi tunc temporis Dianæ neocoros fuisse, sed urbem Ephesiorum magnæ Dianæ καὶ τοῦ Διοπετοῦς νεωκόρον, id est æditaam & ministram esse: ut enim S. P. Chrysostomus ait in argumento Epistolæ ad Ephesios, ἡ Ἔφεσός ἐστι μὲν τῆς Ἀσίας μητρόπολις, ἐτελεῖτο δὲ τῇ Ἀρτέμιδι. Et Theophylactus: *Ephesus Asiæ metropolis erat. hujus incolæ Dianam colebant, cui & templum dicaverant ornatissimum & magnificentissimum, quod in summa erat, cum apud Græcos omnes, tum apud ipsos Ephesios, veneratione, unde Ephesus Dianæ Neocoros dicebatur, quemadmodum in Actis Apostolorum, litteris est mandatum.* Nec quidquam adjuvat opinionem eruditissimi viri numisma Maximini (*k*), inscriptum ΜΑΓΝΗΤΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ ΑΡΤΕΜΙΔΟC; nam & Magnesii titulo hoc gloriabantur, quia scilicet Magnesiæ templum erat Dianæ Leucophry-

(*d*) Sanctamantius t. 1. (*e*) Lib. XIV.
(*f*) V. eundem l. IX.
(*g*) In vita Polemonis.

(*h*) Apud Goltzium in Augusto tab. 49.
(*i*) Ex Alexandri promisso.
(*k*) Ant. August. lib. II. f. 50. ubi Maximini nummus est.

nes (*l*), magnitudine quidem & multitudine donariorum Ephesio cedens, concinnitate autem & artificiosa structura longe superius; magnitudine etiam omnia Asiatica superans, duobus exceptis, Ephesio, & quod Didymis est, ut Strabo tradit lib. XIV. Pausanias etiam lib. I. Μάγνητες Λευκοφρύνην Ἄρτεμιν ἄγουσιν ἐν τιμῇ. Quamobrem in aliis Magnetum nummis Dianæ caput expressum est cum arcu & pharetra; sed plura de hoc templo Lipsius ad tertium Annal. Taciti, & Seldenus ad fœdus Smyrnæorum & Magnetum.

Simili modo etiam Perga, urbs Pamphyliæ, Dianæ æditua erat, quia in sublimi loco prope urbem illam templum erat Dianæ Pergææ, ἐν ᾧ πανήγυρις, inquit Strabo, κατ' ἔτος συντελεῖται, cujus templi effigiem cernimus in Valeriani Salonini nummis, cum inscriptione (*m*), ΠΕΡΓΑΙΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ ΑCΥΛΟC ΙΕΡΟC. Atque hæc satis de urbibus νεωκόροις Dianæ, aliorumque deorum. Nunc de illis aliquid dicendum, quæ ob cultum & sacra Romanorum Imperatorum penes se instituta, Neocoros se vocant.

Postquam summa rerum ad Augustum transiit, Provinciæ, Regesque socii, eo adulationis processere, ut divino illum cultu vivum etiamnum venerarentur, templaque ac aras, ludosque quinquennales ut Deo sacrarent. Philo de Legat. ad Cajum: Ἀλλ' ὅτι καὶ πᾶσα ἡ οἰκουμένη τὰς ἰσολυμπίους αὐτῷ τιμὰς ἐψηφίσατο, καὶ ναοὺς, προπύλαια, προτεμενίσματα, στοὰς, αἱ ἴσα τῶν πόλεων ὅσαι νέα ἢ παλαιὰ τῷ κάλλει καὶ μεγέθει τῶν Καισαρείων περιγνωρίζεσθαι.

Suetonius c. 59. Provinciarum pleræque super templa & aras, ludos quoque quinquennales pene oppidatim constituerunt: Reges amici atque socii, & singuli in suo quisque regno Cæsareas urbes condiderunt: *Et cuncti simul ædem Jovis Olympici Athenis antiquitus inchoatam perficere communi sumtu destinaverunt, genioque ejus dedicare.*

Inter Reges qui templis aliaque devotione Augustum prosecuti sunt, eminuit Herodes Judææ Rex, qui in Samaria urbe condidit, ναὸν τε ἐνιδρυσάμενος (verba sunt Josephi lib I Ἀλώσ. c. 16.) τῷ Καίσαρι μέγιστον, καὶ αὐτῷ τέμενος ἀποδείξας τριῶν ἡμισταδίων, τὸ ἄστυ Σεβαστὴν ἐκάλεσεν, ἐξαίρετον δὲ τοῖς ἐν αὐτῷ παρέσχεν εὐνομίαν.

Phœniciæ etiam urbem, Stratonis turrim antea vocatam, restauravit, & portu ædificiisque splendidissime exornatam *Cæsaream* appellavit, & contra ostium portus, templum Cæsaris Augusti constituit, magnitudine simul & pulchritudine conspicuum, & quinquennale certamen adjecit, ut idem Josephus testatur lib. I. Ἀλώσ. c. 16. & lib. XV. Antiquit. cap. 13. Sed & ad Jordanis fontes, in loco qui *Paneum* dicebatur, elegantissimum fanum construxit Augusto e candido marmore; ubi deinde Philippus Tetrarcha urbem ædificavit, Cæsaream Philippi: cujus incolæ se Neocoros Augusti vocant in nummo æreo (*n*), qui ab una parte exhibet caput radiatum ΘΕΙΟΥ ΣΕΒΑΣΤΟΥ ΠΑΤΕΡΟΣ ΠΑΤΡΙΔΟC; ab altera, templum ipsum ab Herode Augusto consecratum, cum inscriptione ΚΑΙΣΑΡΕΩΝ ΦΙΛΙΠΠΟΛΙΤΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ. Nec minor fuit Provinciarum quam Regum adulatio, quarum pleræque magno ambitu impetrarunt, ut liceret sibi aras ac templa Augusto vivo mortuoque statuere in celebri aliqua urbe, atque ibi communi nomine totius Provinciæ sacra ludosque celebrare (*o*). Et Galli quidem, Iulo Antonio & Fabio Maximo coss. consecrarunt Lugduni templum & aram Augusti cum inscriptione gentium LX. Galliæ (*p*), & imagine singularum: de qua & conventibus ludisque ibi celebrari solitis, videndi Strabo, Juvenalis, Suetonius, Dio & alii. Ab Hispanis vero in Tarraconensi colonia ara Augusto statuta fuit, in qua palmam enatam esse nuntiantibus Tarraconensibus lepide Augustus, Apparet, inquit, quam sæpe accendatis (*q*). Et Tarraconensium nummi reperiuntur, in quibus ara cum palma expressa est. Vide Antonium Augustinum Dialogo 2. & Epigraphe C. V. T. T. Post mortem deinde Augusti, petentibus Hispanis a Tiberio permissum, ut in colonia Tarraconensi strueretur templum Augusto, *datumque*, inquit Tacitus, *in omnes Provincias exemplum*. Hujus templi a Communi Hispaniæ extructi icon apparet in nummo inscripto: C. V. T. T. ÆTERNITATIS AVGVSTÆ. quem videre licet apud Antonium Augustinum d. Dialogo secundo, ubi litteras illas C. V. T. T. interpretatur, *Colonia*, *Victrix*, *Togata*, *Tarraco*. Occo etiam aliud aureum numisma profert, in quo idem templum expressum cum inscriptione: CVSTOS ÆTERNITATIS AVGVSTÆ. Quæ (si modo recte exscripta ab Occone) Tarraconensis colonia se Custodem Æternitatis Augustæ videtur appellare, eadem ratione qua Græcæ urbes, in quibus templa communia sita erant, Neocoros se vocant. Sed nusquam magis viguit hæc templorum ludorumque Augusto, aliisque Imperatoribus sacrandorum ambitio, quam in Bithynia atque Asia, ubi civitates non solum hoc præcipue titulo gloriabantur, quod plura aut pulchriora templa & sacra ejusmodi haberent, sed & gravissimas eo nomine controversias inter se exercebant, dum singulæ primatum sibi vendicant in communi Provinciæ concilio, ob numerum aut præstantiam templorum, quorum νεωκόροι erant; de quo infra latius. Nune adscribam locum Dionis e lib. LI. ubi originem hujus consuetudinis exponit: Καῖσαρ δὲ ἐν τούτῳ τά τε ἄλλα ἐχρημάτιζε, καὶ τεμένη τῇ τε Ῥώμῃ καὶ τῷ πατρὶ τῷ Καίσαρι, ἥρωα αὐτὸν Ἰούλιον ὀνομάσας, ἔν τε Ἐφέσῳ καὶ ἐν Νικαίᾳ γενέσθαι ἐφῆκεν. αὗται γὰρ τότε αἱ πόλεις ἔν τε τῇ Ἀσίᾳ καὶ ἐν τῇ Βιθυνίᾳ προτετίμηντο. καὶ τούτους μὲν τοῖς Ῥωμαίοις τοῖς παρ' αὐτοῖς ἐποικοῦσι τιμᾷν προσέταξε· τοῖς δὲ δὴ ξένοις (Ἕλληνας σφᾶς ἐπικαλέσας) ἑαυτῷ τινα, τοῖς μὲν Ἀσιανοῖς ἐν Περγάμῳ, τοῖς δὲ Βιθυνοῖς ἐν Νικομηδείᾳ τεμενίσαι ἐπέτρεψε. καὶ τοῦτ' ἐκεῖθεν ἀρξάμενον, καὶ ἐπ' ἄλλων αὐτοκρατόρων οὐ μόνον ἐν τοῖς Ἑλληνικοῖς ἔθνεσιν, ἀλλὰ καὶ ἐν τοῖς ἄλλοις, ὅσα τῶν Ῥωμαίων ἀκούει, ἐγένετο. ἐν γάρ τοι τῷ ἄστει αὐτῷ, τῇ τε ἄλλῃ Ἰταλίᾳ, οὐκ ἔστιν ὅστις τῶν καὶ ἐφ' ὁποσονοῦν λόγου τινὸς ἀξίων ἐτόλμησε τοῦτο ποιῆσαι· μεταλλάξασι μέντοι κἀνταῦθα τοῖς ὀρθῶς αὐταρχήσασιν ἄλλαι τε ἰσόθεοι τιμαὶ δίδονται, καὶ δὴ καὶ ἡρῷα ποιεῖται. Unde liquet, duplicis fuisse generis delubra hæc: quædam enim Imperatoribus a Senatu Romano in deos relatis decernebantur, quæ a civibus Romanis, qui illic habitabant, colebantur: alia Principibus vivis a Communi Provinciæ statuebantur, quæ Provincialium solummodo cultu & veneratione honorabantur. Talia fuere templa hæc, quæ Augusto viventi Commune quidem Bithyniæ (id est, τὸ κοινὸν τῶν ἐν Βιθυνίᾳ Ἑλλήνων, ut in L. 25. C. tit. de appellat.) extruxit Nicomediæ; Commune vero Asiæ, Pergami. Καὶ ἔλαβον, inquit Dio, οἱ Περγαμηνοὶ τὸν Ἀγῶνα τὸν ἱερὸν ὀνομασμένον ἐπὶ τῇ τοῦ ναοῦ αὐτοῦ τιμῇ ποιεῖν. In inscriptionibus antiquis hunc Agona Αὐγούστεια vocari observavit V. C. Seldenus.

Sed & aliud deinde fanum Ancyræ, Augusto sacratum fuisse a Communi Asiæ, testis ipse Augustus in edicto, quod refert Josephus lib. XVI. Antiquit. cap. 10. cujus sacris qui præerat, ΣΕΒΑΣΤΟ-

(*l*) Apud Occonem & Erizzum. (*m*) Occo f. 475. & 476.
(*n*) Goltzius in Augusto tab. 74. Occo 71. & 82. illic.

(*o*) Suet. in Claudio. (*p*) Strabo l. IV. f. 1914.
(*q*) Quinctil. l. VI. cap. 4.

ΦΑΝ-

ΦΑΝΤΗΣ dictus fuisse videtur, ut elicio ex inscriptionibus antiquis apud Gruterum, f. cccx. & ccccxv.

Tiberius postquam Augusto successit, hoc honore diu abstinuit; immo & prohibuit, ne qua urbs aut provincia sibi templum statueret. Sed deinde damnato Capitone procuratore Asiæ, quem Provinciæ accusaverunt (r): *Decrevere Asiæ urbes templum Tiberio, matrique ejus, ac senatui, & permissum statuere.* Certasse ingenti ambitione in Senatu undecim Asiæ populos, dum in urbe quisque sua templum hoc statui postulant, & Smyrnæos tandem Senatusconsulto prælatos narrat fuse Tacitus lib. IV. Annal. atque hoc fuit, ut opinor, primum, *δόγμα συγκλήτου*, quo Smyrnæi *νεωκόροι τῶν Σεβαστῶν* facti sunt.

Ut enim antea in Asia atque alibi *νεωκόροι* Dianæ, Jovis, Neptuni, &c. vocari solebant urbes illæ, quæ habebant ædes sacras, ubi panionia aliive gentium conventus celebrabantur; ita postquam templa & ludi sacri Imperatoribus a communi Provinciæ institui cœpere, civitates illæ, in quibus templa Cæsarum decreto Senatus extructa erant, se Neocoros Imperatorum appellabant, ob commissam sibi curam templi & cæremoniarum Cæsaris illius, cujus *νεωκόροι* erant: immo etiam publice NUMINI EJUS IN PERPETUUM COLENDO se obligabant, ut apparet ex inscriptione Aræ Narbonensis apud Gruterum pag. CC. XXIX. Hinc Cyziceni, qui inchoatum Augusto templum non perfecerant, objecta sub Tiberio fuit incuria cæremoniarum D. Augusti, & amisere libertatem, ut constat ex Tacito lib. IV. Annal. & Dione lib. LVII. Ad hunc Cæsarum cultum pertinere existimo pleraque nomismata, in quibus urbes Asiæ, Bithyniæ, Syriæ, ceterarumque Provinciarum se Neocoros appellant, non adscripto alterius Dei nomine: certe omnia illa post Augusti imperium signata, in quibus numerus ΔΙС, ΤΡΙС, ΤΕΤΡΑΚΙС voci ΝΕΩΚΟΡΩΝ adjicitur. Quod apparet ex nummo, quem Occo recenset; in quo ab una parte effigies videntur Caracallæ & Getæ, ab altera Diana Ephesia inter duas statuas equestres, cum inscriptione, ΕΦΕСΙΩΝ ΔΙС ΝΕΩΚΟΡΩΝ ΚΑΙ ΤΗС ΑΡΤΕΜΙΔΟС. id est, ut interpretor, ΕΦΕΣΙΩΝ ΔΙС ΝΕΩΚΟΡΩΝ ΤΩΝ ΣΕΒΑСΤΩΝ, ΚΑΙ ΝΕΩΚΟΡΩΝ ΤΗС ΑΡΤΕΜΙΔΟΣ. In inscriptione antiqua, quam exhibet Gruterus pag. CIↃXXI. vox ΣΕΒΑСΤΩΝ plenius exprimitur, ΑСΙΑС ΚΑΙ ΔΙС ΝΕΩΚΟΡΟΥ ΤΩΝ ΣΕΒΑСΤΩΝ. Nec hactenus vidi inscriptionem, aut nummum post Augustæum, ut dixi, ævum, ubi expresso Dianæ aut Jovis, alteriusve dei nomine, ΔΙС aut ΤΡΙС ΝΕΩΚΟΡΟΥ titulus orbi alicui tribuatur. Unde liquet, ad templa Cæsarea plerasque has nummorum inscriptiones referendas esse: namque olim quidem, cum primum consuetudo illa suborta est, in Provinciis observasse videtur Senatus Romanus, ut ædes hæ & sacra in civitatibus vacuis, & nullo alterius numinis cultu occupatis statuerentur. Ita in celebri illo certamine undecim urbium Asiæ de templo Tiberii, *Pergamenos (eo ipso nitebantur) æde Augusti ibi sita satis adeptos creditum; Ephesii Milesiique, hi Apollinis, illi Dianæ ceremoniis occupavisse civitates visi*, ut ait Tacitus lib. 4. Sed cum eadem vigente adolatione, novi semper honores novis Principibus dandi essent; plura procedente tempore, una in urbe, Cæsarea exstructa fuere, a quorum numero civitates illæ se ΔΙС, ΤΡΙС, ΤΕΤΡΑΚΙС ΝΕΩΚΟΡΟΥΣ vocabant. Et primum quidem a communi Asiæ templum Augusto Pergami statutum, & sacro certamine honoratum fuit, ut jam notavimus. Deinde Smyrnæi ut obtinuere, Tiberio Matrique ejus & Senatui decretum. Vide Dionem in excerptis H. Valesii de Cajo. Claudio etiam delubrum a Communi Asiæ consecratum fuisse indicant nummi: cujus Ephesiis cura & tutela mandata fuit, ut suspicor; atque ita tres hæ metropoles Asiæ factæ sunt neocori ΤΩΝ ΣΕΒΑСΤΩΝ.

(r) Tacitus l. IV. Annal.

Sub Trajano vero aut Hadriano, Pergami alterum templum Trajano extructum fuit, in cujus honorem agon institutus ΤΡΑΙΑΝΕΙΑ dictus, cujus mentio in inscriptione Arundelliana Publii Septimii, ΠΕΡΓΑΜΟΝ ΑΥΓΟΥΣΤΕΙΑ Γ ΤΡΑΙΑΝΕΙΑ ΑΣΚΛΗΠΕΙΑ ΚΟΜΟΔΕΙΑ Β. Quamobrem deinceps Pergameni se ΔΙС ΝΕΩΚΟΡΟΥС inscripsere in nummis M. Antonini, Crispinæ, Pescennii, Plautillæ & Getæ, donec sub Caracalla ΤΡΙС ΝΕΩΚΟΡΟΙ facti sunt, ut infra uberius dicam.

Nullus autem Romanorum Principum adulationi Græculorum hac in re plenius indulsit Hadriano, qui passim sibi in Græcia sacra ludosque fieri permisit: & per Asiam iter faciens, templa sui nominis consecravit, Spartiano teste. Hæc a Græcis *Ἀδριανεῖα* vocata; & multa eorum, quæ imperfecta manserant, mortuo antequam absolverentur Hadriano, in Christianorum Ecclesias conversa fuisse observavit Casaubonus ad Historiæ Augustæ Scriptores: ita Hadrianæum, quod Tiberiade inchoatum erat, longo post tempore a Josepho Comite, Christiano ritu consecratum fuit; & alterum Alexandriæ, *ὃ πρότερον Ἀδριανεῖον ἐτύγχανεν, ὕστερον Λικινιανὸν γέγονε γυμνάσιον, εἶτα βασιλικόν. μετέπειτα δὲ ἐν χρόνοις Κωνσταντίου ἔδοξεν αὐτὸν ἀνοικοδομηθῆναι Ἐκκλησίαν*, ut ait Epiphanius contra Arrianos, quæ Ecclesia a Christianis quoque Cæsarea dicta fuit, eodem Epiphanio teste, aut *Καισάρειον*, ut apud Socratem lib. VII. cap. 15. Quod nomen illi adhæsit, non quia a Cæsare Constantio dedicata erat, ut viri docti existimant; sed quia olim Hadriano Cæsari destinata fuerat: omnes enim ædes Cæsaribus Romanis sacratæ, generali nomine *Καισάρεια* aut *Σεβάστεια* vocabantur, ut liquet ex Philone Judæo de Legatione ad Cajum, & Josepho lib. I. de bello Judaico cap. 16. Inter cætera templa sui nominis, quæ Hadrianus per Asiam iter faciens consecravit, Hadrianæum sibi a communi Asiæ decretum Ephesi dedicasse videtur: namque in urbe illa ædem Hadriano exstructam fuisse colligo ex inscriptione Farnesiana, ubi habemus, ΕΦΕΣΟΝ Γ ΑΔΡΙΑΝΕΙΑ; ut & in Arundelliana, ΕΦΕΣΟΝ ΑΔΡΙΑΝΕΙΑ. Agones enim illos Augustales in honorem templorum institui solitos, inter viros eruditos convenit. Itaque ab illo tempore Ephesii, qui antea ædiui erant Claudii, vel alterius Imperatoris, *δὶς νεωκόρους* se vocant, ut in nummis Antonini Pii, qui Dianæ Ephesiæ delubrum inter duo alia præferunt cum titulo, ΕΦΕΣΙΩΝ ΔΙС ΝΕΩΚΟΡΩΝ. In alio L. Veri, inscriptio, ΕΦΕΣΙΩΝ ΔΙС ΝΕΩΚΟΡΩΝ ΠΡΩΤΩΝ ΑΣΙΑС, expressum est simulacrum Dianæ Ephesiæ, medium inter togatas duorum Imperatorum statuas. In æreo quoque Caracallæ numismate, quod supra explicavimus, legitur ΕΦΕΣΙΩΝ ΔΙС ΝΕΩΚΟΡΩΝ ΚΑΙ ΤΗС ΑΡΤΕΜΙΔΟС. quod quidem postremum est inter omnia quæ hactenus vidi, ubi Ephesiis ΔΙС ΝΕΩΚΟΡΩΝ titulus tribuitur; nam ab ipso Caracalla deinde *τρὶς*, immo *τετράκις* neocori facti sunt. Enimvero cum Pergameni & Ephesii jam *δὶς νεωκόροι* essent, Smyrnæi, qui de primatu contendebant, nec hac quidem in re inferiores esse voluere. Quare operam dedere, ut urbs sua etiam templo Hadriani, & titulo ΔΙС ΝΕΩΚΟΡΩΝ augeretur; atque id tandem impetravere, subnixi gratia & facundia Pole-

monis Sophistæ, de quo Philostratus: Ἀδριανὸν γοῦν προσκείμενον τοῖς Ἐφεσίοις, οὕτω τι μετεπείσατο τοῖς Σμυρναίοις, ὡς ἐν ἡμέρᾳ μιᾷ χιλίας μυριάδας ἐπαντλῆσαι αὐτὸν τῇ πόλει. ἀφ᾽ ὧν τά τε τοῦ σίτου ἐμπόρια ἐξεποιήθη, καὶ γυμνάσιον τῶν κατὰ τὴν Ἀσίαν μεγαλοπρεπέστατον, καὶ νεὼς τηλεφανὴς ὁ ἐπὶ τῆς ἄκρας, ἀντικαῖσθαι δοκῶν τῷ Μίμαντι. Templum hoc ἐπὶ τῆς ἄκρας Hadriano sacratum fuisse nullus dubito, cum & Gymnasium illud Ἀδριανεῖον vocatum fuisse videam. Aristides Orat. prima sacrarum: Λουσάμενος γυμνασίῳ ἐδόκουν ἐν τῷ Ἀδριανείῳ κεχρῆσθαι μὲν, κελεῦσθαι δ᾽ οὔ. Accedit præterea templi situs, quem Philostratus ponit ἐπὶ τῆς ἄκρας, ut Cæsarea templa statui solebant in urbibus maritimis. Vide Philonem in Legatione de Σεβαστείῳ Alexandriæ, Aristidem in Cyzicena de Æde Hadriani, & Josephum lib. I. cap. 16 belli Judaici, de templo Augusti Cæsareæ ab Herode condito. Sed omnem hac de re dubitandi ansam præcidit marmor Arundellianum donaria Smyrnæ continens, quod tradit Smyrnæos Polemone intercedente δὶς νεωκόρους factos. Verba ipsa ponam: ΚΑΙ ΟΣΑ ΕΠΕΤΥΧΟΜΕΝ ΠΑΡΑ ΤΟΥ ΚΥΡΙΟΥ ΚΑΙΣΑΡΟΣ ΑΔΡΙΑΝΟΥ ΔΙ ΑΝΤΩΝΙΟΥ ΠΟΛΕΜΩΝΟΣ ΔΕΥΤΕΡΟΝ ΔΟΓΜΑ ΣΥΝΚΛΗΤΟΥ ΚΑΘ Ο ΔΙΣ ΝΕΩΚΟΡΟΙ ΓΕΓΟΝΑΜΕΝ ΑΓΩΝΑ ΙΕΡΟΝ ΑΤΕΛΕΙΑΝ ΘΕΟΛΟΓΟΥΣ ΥΜΝΩΔΟΥΣ. Id est: *Et quæ accepimus a Domino Cæsare Hadriano per Antonium Polemonem, secundum nempe Senatusconsultum, quo bis Æditui facti sumus*, (non enim accedo viro erudito, qui vertit: *Quo tempore bis Æditui eramus*) *certamen sacrum, immunitatem, theologos, hymnorum cantores, &c.* Antonium autem Polemonem qui hoc in lapide memoratur, esse ipsum Sophistam de quo Philostratus, patet ex rescripto Hadriani ad Smyrnæos dato Ἀντώνιος Πολέμων, & male editum Ἀντωνῖνος Πολέμων, quæ corrupta lectio obstitit, quo minus recte eruditus Interpres hunc locum verteret. Sed ut ad marmor revertar, hoc nos docet, etiam ἀγῶνα ἱερὸν Smyrnæ in honorem Hadriani tunc temporis constitutum fuisse, qui ΑΔΡΙΑΝΕΙΑ vocatur in Arundelliana inscriptione P. Septimii, & etiam a Philostrato in Polemone Artemidoro lib. I. cap. 66. & in Farnesiana ΑΔΡΙΑΝΙΑ ΟΛΥΜΠΙΑ. atque ita etiam appellante Philostrato, qui scribit, Polemoni & posteris ejus datum, τὸ προκαθῆσθαι τῶν Ἀδριανοῦ Ὀλυμπίων. Hæc Adrianæa Olympia male a doctis viris cum Olympiis Ionum, de quibus antea, confunduntur, ut nec rectius illi qui certamen τὸ κοινὸν Ἀσίας, ipsissima esse τὰ κατὰ τὴν Ἀσίαν Ὀλύμπια affirmant. Seldenus ad marmora Arundelliana f. 159. nam hi tres agones planissime distinguuntur in inscriptione Farnesiana ΖΜΥΡΝΑΝ Ε ΚΟΙΝΑ ΑΣΙΑΣ, ΔΙϹ ΤΟ ΔΕΥΤΕΡΟΝ ϹΤΗϹΑϹ ΤΟΥϹ ΑΝΤΑΓΩΝΙϹΤΑϹ ΟΜΟΙΩϹ ΕΝ ΖΜΥΡΝΗ ΟΛΥΜΠΙΑ ΚΑΙ ΑΔΡΙΑΝΙΑ ΟΛΥΜΠΙΑ.

Sed ut apertius hæc pateant, operæ pretium me facturum existimo, si pauca proposuero, quæ olim in adversaria mea retuli de communi Asiæ, præsertim cum ad illustrandam hanc, quæ sub manu est, quæstionem de urbibus νεωκόροις, non parum conferant.

In Asia varia fuisse συνέδρια, Ionum nempe, Doriensium, Carum, Lyciorum, atque aliorum, ex Pausania, Strabone, Dionysio Halicarnasseo, aliisque Scriptoribus constat; in quibus communia totius συστήματος negotia tractabantur, & communium templorum sacrorumque ratio constituebatur. Tradit Strabo lib. XIV. tres & viginti fuisse urbes, quæ in communi Lyciæ jus habebant suffragii; conveniebant vero in eam quæ commoda videbatur urbem, Ἐν δὲ τῷ συνεδρίῳ, inquit, πρῶτον μὲν Λυκιάρχης αἱρεῖται, εἶτ᾽ ἄλλαι ἀρχαὶ αἱ τοῦ συστήματος. Sic etiam Galatia quoque commune Concilium habebat, cui Galatarches præerat, ut constat ex antiquorum monumentorum inscriptionibus, quas refert Gruterus pag. 410. & 415. Idem in Pamphylia, Cappadocia, ceterisque Asiæ Provinciis obtinuit. Sed celeberrimum erat τὸ κοινὸν τῆς Ἀσίας συνέδριον, quod ad Asiam minorem pertinebat, quo non solummodo conveniebant urbes illius Provinciæ, sed etiam Legati ex plerisque aliis Asiæ urbibus, quæ τῷ κοινῷ τῆς Ἀσίας associatæ erant, & fraternitatis quodam vinculo junctæ, templorum ac sacrorum communium participes erant, eadem ratione, qua Strabo ait, τοῦ Καρίου Διὸς ἱερὸν κοινὸν ἁπάντων Καρῶν fuisse, οὗ μέτεσι, inquit, καὶ Λυδοῖς καὶ Μυσοῖς ὡς ἀδελφοῖς. Itaque Galatia, quamvis proprium συνέδριον & Galatarchen haberet, tamen communis Asiæ concilii pars erat, ut colligo ex Augusti epistola apud Josephum lib. XVI. Antiquit. c. 10. ubi memoratur fanum Augusto a Communi Asiæ erectum Ancyræ, quæ metropolis Galatiæ erat.

Idem de plerisque Asiæ cis Taurum provinciis censeo. Bithyniam excipio, quæ ab Asiæ Communi separatas habuit rationes, ob æmulationem aliquam, quod Dio Chrysostomus deplorat Orat. 38. ad Nicomedienses: Ὄφελον ἐξῆν, καὶ τὸν Ἐφεσίων δῆμον ποιήσασθαι ἀδελφὸν ὑμῶν. ὄφελον καὶ τὰ Σμυρναίων οἰκοδομήματα κοινὰ ὑμῖν ἐγένετο. ταῦτα δὲ πάντα τηλικαῦτα ὄντα ἀγαθὰ, ἑνὸς ἕνεκα ὀνόματος ἀπόλλυται. πόσαι φιλίαι, ποίαν ἡδονήν; Concilium hoc Asiæ singulis, ut puto, quinquenniis congregabatur, non uno quidem in loco semper, sed alternatim in celeberrimis τοῦ συστήματος urbibus; etenim nunc quidem Pergami τὸ κοινὸν τῆς Ἀσίας fuisse invenio, ut cum Aristides celebrem illam de concordia orationem habuit: alias Ephesi, ut cum Antoninus Pius Epistolam de Christianis Communi Asiæ misit, quam refert Eusebius lib. IV. cap. 12. Historiæ Ecclesiasticæ, & addit, προετέθη ἐν Ἐφέσῳ ἐν τῷ Κοινῷ τῆς Ἀσίας. sæpe Smyrnæ, ut inscriptiones antiquæ nos docent. aliquando in Phrygia superiore, ut testatur Aristides Orat. 4. sacrarum: Καὶ συμβαίνει μετὰ τοῦτο, συνέδρους μὲν ἐξιέναι Σμυρναίων εἰς Φρυγίαν ἄνω, καὶ μέλλειν φέρειν τοὐμὸν ὄνομα ἐν τῷ συνεδρίῳ τῷ κοινῷ. Nominaverat eum jam antea Smyrnæorum populus in concione Aristidem ad Asiarchiam, ut scribit eadem Orat. 4. Ὡς δὲ παρῆλθον εἰς τὴν Ἐκκλησίαν, καὶ ὁ Δῆμος τὰ εἰωθότα ἐθορύβησεν, ἔργῳ ἔχοντο οἱ παρεσκευασμένοι, κροτοῦντές τε, καὶ τὴν ἱερωσύνην τὴν κοινὴν τῆς Ἀσίας ἀνατιθέντες μοι. Itaque σύνεδροι Smyrnæorum nomen ejus ad Commune Asiæ, quod tunc in superiori Phrygia celebrabatur, detulere; & electus fuit tertio vel quarto loco: καὶ γίνομαι τρίτος ἢ τέταρτος τῇ χειροτονίᾳ. unde liquet, in hoc Asiæ concilio non unum solummodo Asiarcham creari solitum, ut in Lycia unus Bithyniarches eligebatur; sed ob magnitudinem συστήματος, plures eodem tempore Asiarchas fuisse. Quod etiam D. Lucas docet cap. 19. Actorum: Τινὲς δὲ τῶν Ἀσιαρχῶν ὄντες αὐτῷ φίλοι, πέμψαντες πρὸς αὐτὸν, παρεκάλουν μὴ δοῦναι ἑαυτὸν εἰς τὸ θέατρον. Et Strabo lib. XIV. ubi de Trallibus: Συνοικεῖται δὲ καλῶς, εἴ τις ἄλλη τῶν κατὰ τὴν Ἀσίαν ὑπὸ εὐπόρων ἀνθρώπων, καὶ ἀεί τινες ἐξ αὐτῶν εἰσιν οἱ πρωτεύοντες κατὰ τὴν ἐπαρχίαν, οὓς Ἀσιάρχας καλοῦσιν. Munus & cultum Asiarcharum eleganter describit Dion Chrysostomus in Oratione 35. Celænis habita: Ἀλλ᾽ ὡς σοφὸς ὑμῖν ἀποδεικνύουσι, τρεῖς ἢ τέτταρας, κομήτας, καθάπερ τοὺς ἱερέας τῶν παρ᾽ ὑμῖν. Τοὺς μακαρίους λέγω, τοὺς ἁπάντων ἄρχοντας τῶν ἱερῶν, τοὺς ἐπωνύμους τῶν δύο ἠπείρων τῆς ἑσπέρας ὅλης. Ταῦτα γάρ ἐστι τὰ ποικίλα καὶ τύποις εὐδαίμο-

εὐδαίμονας, τέφανον, καὶ πορφύραν, καὶ παιδάριον κομῶντα καὶ λιβανωτὸν φέροντα. Ita enim legendum hic cum Casaubono locum hunc docte emendante, qui ait, Quærendum esse, quinam sint hi sacerdotes; nec enim se quidquam legisse, quo lucem afferat. Ego existimo per sacerdotes *ἐπωνύμους τῶν δύο ἠπείρων τῆς ἑσπέρας ὅλης*, a Dione Asiarchas describi: quæ etenim sint hæ duæ continentes, a quibus denominabantur hi sacerdotes, Herodotus declarat lib. IV. ubi Asiam describit, & *ἀκτὰς* appellat: *Ἐνθεῦτεν δὲ τὸ πρὸς ἑσπέρην ἀκταὶ διφάσιαι.* Vide Isaacum Vossium in Notis ad Scylacem Caryandenum f. 2. Ad hæc coronam aoream sacerdotum Provincialium insigne fuisse, Tertullianus docet de Idololatria cap. 17. Ad Asiarchas autem communium τοῦ συστήματος τῆς Ἀσίας templorum, sacrorumque curam pertinuisse, ex Aristide apparet, qui Asiarcham appellat *ἱερωσύνην τὴν κοινὴν τῆς Ἀσίας*, & Dione, qui Asiarchas describit *τοὺς ἐπιστάτας ἄρχοντας τῶν ἱερῶν*. Nulla autem alia templa aut sacrificia communia fuisse τῷ κοινῷ Græcorum in Asia habitantium (nam togati & Judæi ad κοινὸν τῆς Ἀσίας non pertinebant) quam ædes cærimoniasque Cæsarum Romanorum, invenio. Unde non satis recte locutus videtur A. Gellius lib. II. c. 6. dum scribit: *Quondam a communi Asiæ Concilio decretum, uti nomen ejus, qui templum Dianæ Ephesiæ incenderat, ne quis ullo in tempore nominaret.* namque ad Commune Ionum pertinebat templum Dianæ Ephesiæ, non ad commune Asiæ.

Ceterum ad communium templorum sacrorumque sumptus, omnes urbes τοῦ συστήματος conferre solitas, ex Dione patet Orat. 35. Celænis habita: *Καὶ μὴν τῶν ἱερῶν τῆς Ἀσίας μέτεστιν ὑμῖν, τῆς τε δαπάνης τοσοῦτον, ὅσον ἐκείναις ταῖς πόλεσιν ἐν αἷς ἐστὶ τὰ ἱερά.* Hanc collatitiam pecuniam dispensabant Asiarchæ inter civitates νεωκόρους ad sarta tecta templorum communium, editionesque certaminum sacrorum, quæ a Communi Asiæ in urbibus νεωκόροις ad honorem templorum Cæsareorum instituta erant, ut Augustæa Pergami, Hadrianæa Ephesi, Hadrianæa Olympia Smyrnæ, quæ stato tempore & loco peragebantur. Sed præter hosce ludos & ipsi Asiarchæ suo quisque die in urbibus μητροπόλεσι, suis sumptibus spectacula edebant communi Provinciæ nomine, non secus ac Romæ Prætores ac Ædiles, in aliis urbibus duumviri, decuriones, atque quinquennales in auspiciis dignitatis suæ facere solebant: de quibus Asiarcharum editionibus cap. 10. Euseb. lib IV. cap. 14. ubi ait, cum Polycarpus inductus esset in theatrum sub titulo Christiani, Græcos omnes atque Judæos Smyrnam incolentes exclamasse, atque postulasse a Philippo Asiarcha, *ἵνα ἐπαφῇ τῷ Πολυκάρπῳ λέοντα. ὁ δὲ ἔφη μὴ εἶναι ἐξὸν αὐτῷ, ἐπειδὴ πεπληρώκει τὰ κυνηγέσια.* Quod Ruffinus vertit: *Et post hæc verba acclamabant Philippo Munerario, ut leonem Polycarpo dimitteret. Qui respondit, Non sibi licere, quia jam editionis suæ munus explesset.* Asiarcharum autem, Bithyniarcharum, Syriarcharum munera perdurasse etiam sub Principibus Christianis, abolito jam cultu numinum templorumque communium, annotarunt Cujacius, Albaspinæus, & alii; ita ut officium sacerdotum Provincialium hac sola spectaculorum editione censeretur. unde in Basilicis Græci exponunt *τὴν ἱερωσύνην τὸ ἐπιτελεῖν τὰ κυνηγέσια.* Hosce ludos ab Asiarchis exhiberi solitos, ΚΟΙΝΑ ΑΣΙΑΣ vocata fuisse existimo, ut in inscriptione Arundelliana ΣΜΥΡΝΑΝ ΚΟΙΝΟΝ ΑΣΙΑΣ: & in Farnesiana ΣΜΥΡΝΑΝ Ε ΚΟΙΝΑ ΑϹΙΑϹ. In Severi quoque & Gallieni nummis legimus ΠΡΩΤΑ ΚΟΙΝΑ ΑΣΙΑΣ ϹΜΥΡΝ. Unde apparet, prima Asiarcharum certamina Smyrnæ edi solita, quod obtinuit, ut existimo, postquam Smyrnæi primatum inter Asiæ metropoles adepti sunt. De quo pauca dicenda sunt. In communi Provinciæ concilio, pompisque ac ludis Provincialium sacerdotum, civitatis μητροπόλεως legatis primum locum attributum fuisse, non est dubium. Sed cum titulus μητροπόλεως ab Senatu aut Imperatoribus Romanis aliquando ab una urbe ad aliam transferretur, immo & plures metropoles nonnullis in Provinciis essent, maximæ sæpe controversiæ ob primatum excitatæ fuere.

Sic in Bithynia Nicæenses olim metropolitani erant; a quibus deinde honos hic ad Nicomedienses transiit. Hinc inimicitiæ gravissimæ & æternas lites inter has urbes exarsere; ita ut tota Provincia duas in factiones scissa fuerit, dum alii Nicæensium, alii Nicomediensium partes fovent. Etenim Nicæenses quamvis metropoleos honore spoliati essent, tamen se *πρώτους τῆς ἐπαρχίας* inscribebant, ut in nummo Domitiani apud Sanctamantium (a) in quo ara expressa est cum inscriptione, ΔΙΟΣ ΑΓΟΡΑΙΟΥ, ob conventus nempe forenses (*ἀγοραίους* D. Lucas appellat, ut Strabo) qui illic stato anni tempore a Præside Bythyniæ celebrari solebant. De his forensibus Proconsulum aut Legatorum conventibus vide Plinium lib. X. Epist. Plutarchum in libello, Animi, an corporis passiones pejores sint; & Dionem in Orat. Celænis habita, cujus verba aliqua adscribam: *Αἱ δίκαι καθ' ἔτος ἄγονται παρ' ὑμῖν.* Et paulo post: *Τοιγαροῦν, μέγιστον νομίζω πρὸς ἰσχὺν πόλεως τὸ τῶν δικῶν, καὶ πάντες ἐσπουδάκασιν ὑπὲρ οὐδενὸς οὕτω. μέτεστι δὲ αὐτῶν ταῖς πρώταις πόλεσιν, ἐν μέρει παρ' ἔτος:* unde suspicor omnes civitates, quæ conventum habebant, primas se vocasse. Quamvis Antoninus Pius in Epistola ad Commune Asiæ, quam refert Modestinus lib. VI. ff. de Excusat. maximas urbes definiat, *τὰς μητροπόλεις τῶν ἐθνῶν*; in secunda vero classe locet eas, quæ licet Metropoleos titulo non essent ornatæ, conventus tamen Forenses habebant, *τὰς ἐχούσας ἀγορὰς δικῶν.* De hoc nomine controversiam Dionis Chrysostomi tempore movere Nicomedienses Nicæensibus, dum pati nolunt, hos primos se scribere, ut constat ex pulcherrima Dionis Oratione, qua concordiam suadet Nicomediensibus, quibus inter cetera dicit: *ἂν δὲ τὸ μὲν τῆς μητροπόλεως ὑμῖν ὄνομα ἐξαίρετον ᾖ, τὸ δὲ τῶν πρωτείων κοινὸν ᾖ, τί κατὰ τοῦτο ἐλαττοῦσθε.* Unde explicari potest inscriptio nummorum Antonini Pii (b) ΝΙΚΟΜΗΔΑΙΑΣ ΜΗΤΡΟΠ. ΠΡΩΤΗϹ. Demum rursus Nicææ honorarius metropoleos titulus datus est rescripto Valentiniani & Valentis, quod extat in Concilio Chalcedonensi part. 2. act. 13. sed corruptum & mutilum; quo præterea Imperatores illi, ut novam hanc metropolim aliquo modo æquarent Nicomediæ, ubi, utpote in vera metropoli, Bithyniarches solennem Provinciæ festivitatem & pompam agere solebat, alium sacerdotem creari jubent, qui similem Nicææ solennitatem celebret. Sic intelligo verba illa: *Καὶ εἰς τὸ ἑξῆς αὐτὸν στέψαντας ἐν τῇ ὑμετέρᾳ πόλει προϊέναι ἐθεσπίσαμεν. Διαμενέτω τοίνυν εἰς τὸ διηνεκὲς ἡ συνήθεια αὕτη· καὶ ἡ πόλις ὑμῶν μητρόπολις ἔστω, τῆς συνηθείας τῆς ἐπὶ τῇ προόδῳ τοῦ Βιθυνιάρχου διαμενούσης· οὐδεὶς γὰρ ἀφαιρεῖται τι τῶν ἄλλων.* Nec minori mole in Asia de primatu certavere metropoles Provinciæ illius; plures enim erant, ut docet Ulpianus in lib. IV. §. 5. de Officio Procos. ubi Antoninus Augustus rescribit, *Proconsuli necessitatem impositam per mare Asiam applicare, καὶ τῶν μητροπόλεων Ἔφεσον, id est, inter matrices urbes Ephesum primam attingere.* male enim

(a) T. 1. p. 334. (b) Apud Tristanum T. 1. f. 592.

vir eruditus (c), qui corrigit καὶ τὴν μητρόπολιν Ἐφεσίων, atque inter Smyrnæos quidem, Ephesios & Pergamenos, ut plurimum controversias eo nomine agitatas fuisse, constat ex Aristide, & aliis. Quare cum res sæpe ad seditionem spectaret, vel ab Imperatoribus Romanis decretum, vel communi partium consensu statutum fuisse videtur, ut primatus de quo dissentiebant, cederet urbi metropoli, quæ plurium aut celebriorum templorum communium νεωκόρος esset. Sed nova hinc rursus rixarum Ilias exorta, dum unaquæque templorum festorumque suorum magnitudinem ac pulchritudinem extollens, primas occupare partes conatur. Indicat hoc Aristides in eleganti illa Orat. (d) quam Pergami in Communi Asiæ ad discordes urbes habuit. verba ipsa quia pluscula sunt, Latine adscribam: *Miror autem vos, cum de templis ac certaminibus, quæ communia ducitis, non leviter gloriemini, de illis ipsis inter vos dissidere. Atqui cum de iis rebus, quibus tamquam communibus gaudetis, inter vos contenditis, de qua re tandem consentietis? nam ego quidem hoc esse communis & privati discrimen arbitror, & huc referri sapientum dictum, quo tradunt, communia eorum oportere esse omnia, qui beate volunt vivere. ubi enim seorsum quisque sua possidet, utilitas etiam cujusque seorsum est posita: inde vero seditiones oriuntur, ac pugnæ & contentiones; nam illud, Non tuum hoc, sed meum, omnis est contentionis initium. Verum, ubi omnes omnia ducunt communia, communem etiam illorum curam gerunt. Jam vos has appellationes velut argumenta contra seditiones, rebus imponentes, communia quidem concilia, communia templa, communes ludos, & maxima fere quæque nominastis communia; quapropter alterutrum necessario peccatis? Si enim recte de istis quæ communia sunt gloriamini, quomodo de istis non pudet contendere? sive ista nullius sunt pretii, cur ob ea vos jactatis? Etenim existimo, si vos id latuisset hactenus, & ab aliquo repertum, vobis esset patefactum, quamdam horum partem etiam ad alios pertinere, nec eorum dumtaxat esse qui ea possident, verum omnibus communia, ut opes; nec posse alios prohiberi, quæ minus de iis glorientur, omnes tum dissensionis finem jure facturos fuisse. At cum ipsi scientes, nominantes, appellatione gaudentes, concordiæ occasiones in seditionem vertitis, & nominibus faustis ad rerum perturbationem utimini, atque inde ægrotatis, unde vos sanari oportebat; quis non id esse perinde dixerit, ac si quis e pharmacis ad salutem comparatis non modo non sanitatem, sed interitum sibi acquireret?* Atqui templa ac certamina communia, de quibus inter se dissidebant, non alia fuisse, quam illa quæ a Communi Asiæ Cæsaribus sacrata erant, constat ex eodem Aristide in eadem illa Oratione, cum Pergamum prædicaturus ita orditur: Ἄρξομαι δ᾽ ἀπὸ τῆς δεξαμένης ἡμᾶς ταυτὶ, καὶ ἣ τὸ βουλευτήριον τοῖς περὶ τούτων λόγοις παρέχεται. ὡς μὲν οὖν ἦρξέ ποτε τῶν περὶ τὸν τόπον τοῦτον, καὶ ὡς ὕστερον αὐτὰ ταῦτα, ἐφ᾽ οἷς φιλοτιμούμεθα, ἐντεῦθεν ἔσχε τὴν ἀρχὴν, ἐᾶσαι μοι δοκῶ. *Incipiam autem ab ea urbe, quæ nos nunc excipit, & hisce sermonibus curiam præbet. Quod quidem locis finitimis quondam imperavit, & deinde ea ipsa, de quibus gloriamur, originem hinc habuerint, omittendum duco.* Pergami enim primum omnium templum Augusto a Communi Asiæ statutum fuit.

Ceterum ab Imperatore & Senatu Romano, cum lis hæc Asiaticarum urbium Romam delata esset, Smyrnæos ob magnitudinem atque pulchritudinem Hadrianæi templi prælatos fuisse, Aristides docet in Epistola ad Imperatores Antoninum & Commodum, qua Smyrnam terræmotu eversam, & templum hoc subversum deplorat: Τῷ γὰρ νεὼ τῷ νῦν καταδύντι οὕτω λαμπρῶς λέγεται τυχεῖν. ἀγῶνος γενομένου τῆς μὲν Ἀσίας τῶν ἄλλων ἐθνῶν προκριθῆναι. Τῶν δ᾽ ἐν τῇ Ἀσίᾳ πόλεων τὴν Σμύρναν ἐξαιρέτως. ὥστε τῆς μὲν ἄλλης Ἀσίας ἑπτὰ μόνας ψήφους μεταλαβεῖν. τήνδε πόλιν τετρακοσίας γενέσθαι μόνην. τοῦτο μὲν οὖν καὶ ἀπὸ τῆς Ἀσίας κοσμηθεῖη ἂν ἴσως. ἐν ὑμῖν δοκεῖ. ἡ δὲ τῆς ὅλης ἐπανόρθωσις μόνων ὑμῶν, οἷς οἱ θεοὶ τὴν τοιαύτην ἐξουσίαν. *Quod enim nunc subversum est templum, adeo fertur splendidum fuisse, ut contentione exorta, Asia reliquis gentibus prælata sit, Asiæ urbibus Smyrna tantum; ut reliqua Asia septem dumtaxat calculos, urbs hæc sola quadringentos ferret. Atque hoc quidem forte ab Asia, si vobis ita videtur, restaurari poterat; universa vero urbis instauratio ad vos solos pertinet, quibus dii facultatem hanc dedere.*

Philostratus hanc aut similem Smyrnæorum victoriam adscribit eloquentiæ Polemonis, qui pendente lite defunctus erat: Ἤριζεν ἡ Σμύρνα ὑπὲρ τῶν ναῶν, καὶ τῶν ἐπ᾽ αὐτοῖς δικαίων, ξύνδικον πεποιημένη τὸν Πολέμωνα, ὁ δ᾽ ἐν τέρμασιν ἤδη τοῦ βίου ὢν ἐτύγχανεν· ἐπεὶ δὲ ἐν ὁρμῇ τῆς ὑπὲρ τῶν δικαίων ἀποδημίας ἐτελεύτησεν, ἐγένοντο μὲν ἐπ᾽ ἄλλοις ξυνδικοις ἡ πόλις. πονηρῶς δὲ αὐτῶν ἐν τῷ βασιλείῳ δικαστηρίῳ διατιθεμένων τὸν λόγον, βλέψας ὁ Αὐτοκράτωρ ἐς τοὺς τῶν Σμυρναίων ξυνηγόρους, Οὐ Πολέμων εἶπε τουτὶ τὸ ἀγῶνος ξύνδικος ὑμῖν ἀπεδέδεικτο; Ναὶ ἔφασαν, εἴγε τὸν σοφιστὴν λέγεις. καὶ ὁ Αὐτοκράτωρ, Ἴσως ἂν ἔφη καὶ λόγον τινὰ συνέγραψεν ὑπὲρ τῶν δικαίων, ὅτα δὴ ἐπ᾽ ἐμοῦ τε ἀγωνιούμενος καὶ ὑπὲρ τηλικούτων. Ἴσως ἔφασαν, ὦ Βασιλεῦ, ἡμεῖς γε οὐκ εἴδομεν. Καὶ ἔδωκεν ἀναβολὰς ὁ Αὐτοκράτωρ τῇ δίκῃ ἐς ὃ διακομισθῇ ὁ λόγος. ἀναγνωσθέντος δὲ ἐν τῷ δικαστηρίῳ κατ᾽ αὐτὸν ἐψηφίσατο Βασιλεύς. Καὶ ἀπῆλθεν ἡ Σμύρνα τὰ πρωτεῖα ἔχουσα. *De templis suis eorumque jure Smyrna contendebat, & syndicum suum designaverat Polemonem, ad vitæ finem jam inclinantem. Ut vero in ipso procinctu profectionis suæ obiit, alii syndici fuere substituti. Qui cum in Senatu coram Imperatore male caussam agerent, conversus ad caussidicos Smyrnæorum Imperator, Nonne, inquit, Polemon hujus caussæ syndicus erat designatus? Immo vero, inquiunt, si de Sophista loqueris. Adhæc Imperator: Fortasse igitur & orationem aliquam conscripsit de jure Smyrnæ, ut coram me acturus, & de re tanti momenti. Fortasse, responderunt illi, non tamen certo scimus. Tum judicio dilationem Imperator concessit, donec adferretur oratio; qua in Senatu lecta, secundum ipsam decrevit Imperator, & Smyrna primas obtinuit.*

Eodem S. C. quo Smyrna primatum adsecuta est, & illud decretum fuisse videtur, ut Asiarchæ, qui singulis quinquenniis (ut videtur colligi posse ex inscriptionibus antiquis & nummis) per urbes metropoles Asiæ spectacula communia edebant, primo loco ea Smyrnæ ederent. & sic explico nummos Severi & Gallieni, in quibus ΠΡΩΤΑ ΚΟΙΝΑ ΑΣΙΑΣ CΜΥΡΝ, memorantur. Sed & Occo refert nummum Caracallæ, cum inscriptione CΜΥΡΝ ΠΡΩΤΩΝ ΤΩΝ CΕΒΑCΤΩΝ ΚΑΛΛΕΙ ΚΑΙ ΜΕΓΕΘΕΙ. ubi existimo Smyrnæos se inscribere ob ΠΡΩΤΟΥΣ ΚΑΛΛΕΙ ΚΑΙ ΜΕΓΕΘΕΙ ΤΩΝ CΕΒΑCΤΙΩΝ, id est, primos Asiæ, ob pulchritudinem & magnitudinem templorum Augustalium; nam templa hæc Cæsarea, & σεβάστεια vocata fuisse jam supra notavimus. Philo Judæus in Legatione ad Caium de Augusto: Πᾶσα ἡ οἰκουμένη τὰς ἰσολυμπίους αὐτῷ τιμὰς ἐψηφίσαντο, καὶ ναοὺς, καὶ προπύλαια, καὶ προτεμενίσματα, καὶ στοάς, ὡς ὅσαι τῶν πόλεων ἢ νέα ἢ παλαιὰ τῷ κάλλει καὶ μεγέθει τῶν Καισαρείων παρευημερεῖσθαι, καὶ μάλιστα κατὰ τὴν ἡμετέραν Ἀλεξάνδρειαν. Οὐδὲ γὰρ τοιοῦτόν ἐστι τέμενος οἷον τὸ λεγόμενον Σεβάστειον, ἐπιβατηρίου Καίσαρος νεώς, ἀντικρὺ τῶν εὐορμοτάτων λιμένων μετέωρος ἵδρυται μέγιστος καὶ ἐπιφανέστατος. Videndum.

(c) Gothofredus. (d) T. 2. f. 330.

dentur autem Smyrnæi in hoc Caracallæ numismate se expresse vocare *primos* ob magnitudinem & pulchritudinem templorum Augustalium, quia Ephesii & Pergameni illo tempore numero potiores erant: namque Ephesios se in Getæ & Caracallæ nummis se Γ Νεωκόρους, & deinde Δ Νεωκόρους se inscribere video; & Pergamenos quoque sub Caracalla Γ Νεωκόρους factos apparet ex pulcherrimo nummo Caracallæ inscripto (*e*): ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ ΠΡΩΤΩΝ Γ ΝΕΩΚΟΡΩΝ ΕΠΙ ΣΤΡ. Μ. ΚΑΝΙΤΩΝΟΣ ΑΤΤΑΛΟΥ. in quo tria templa expressa sunt, unum nempe Augusti, qui Jovis habitu in medio templi collocatus est, aquila & hasta pura: alterum Trajani, ut reor: tertium, novum illud sub Caracalla erectum, quo ΤΡΙΣ ΝΕΩΚΟΡΟΙ facti sunt. Et hoc quidem Commodo consecratum fuisse existimo; nam certamina Commodæa Pergami instituta fuisse, Arundelliana inscriptio nos docet: ΠΕΡΓΑΜΟΝ ΑΥΓΟΥΣΤΕΙΑ Γ ΤΡΑΙΑΝΕΙΑ ΑΣΚΛΗΠΕΙΑ ΚΟΜΟΔΕΙΑ Β. & Commodo templa passim in Asia sacrata fuisse sub Severo & Antonino Caracalla testantur plures nummi. Sic Laodiceæ commune Commodo & Antonino Caracallæ delubrum exædificatum fuit, & ingens in eo colossus Antonino erectus, quem exhibet numisma æreum (*f*) cum inscriptione ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ ΚΟΜΟΔΟΥ ΚΕ ΑΝΤΩΝΕΙΝΟΥ ΔΟΓΜΑΤΙ ΣΥΝΚΛΗΤΟΥ. unde & hoc constat, urbes Provinciales Senatusconsulto Romano crearas plerumque: quod & Tacitus testatur, & marmor Arundellianum, ubi Smyrnæi memorant *δεύτερον δόγμα συγκλήτου*, quod bis neocori facti sunt. Præterea Dio tradit, Saoterum Nicomediensem, qui postea occisus a Cleandro, magna apud Commodum gratia fuisse. Καὶ διὰ τοῦτο; inquit, καὶ οἱ Νικομηδεῖς καὶ ἀγῶνα ἄγειν καὶ νεὼν τοῦ Κομμόδου παρὰ τῆς βουλῆς ἔλαβον. Ob quod S. C. Nicomedienses, qui antea neocoros se inscribebant ob templum Augustæum illic a Communi Bithyniæ erectum, ut in nummo (*g*) M. Aurelii & Commodi, tunc titulum ΔΙΣ ΝΕΩΚΟΡΩΝ assumpsere, ut in alio numismate Commodi, quod duo templa præfert, & in medio triremem cum inscriptione, (*h*) ΝΙΚΟΜΗΔΕΩΝ ΔΙΣ ΝΕΩΚΟΡΩΝ. Qui idem titulus iis tribuitur in multis aliis nummis (*i*) Severi & Caracallæ, atque etiam Albini; nam male, ut existimo, Goltzius legit ΝΙΚΟΜΗΔΕΩΝ Δ ΝΕΩΚΟΡΩΝ, ΔΙΣ ΝΕΩΚΟΡΩΝ, cum non dubitem scriptam fuisse ΔΙΣ ΝΕΩΚΟΡΩΝ. Qui nummi Nicomediensium hoc titulo notati planissimam opinionem nostram de neocoris confirmant: exhibent enim plerique duo templa, ut etiam alii (*k*) Caracallæ tria templa, cum inscriptione ΤΡΙΣ ΝΕΩΚΟΡΩΝ ΝΙΚΟΜΗΔΕΩΝ. quem tamen titulum deinde intermiserunt, cum templum (*l*) Caracallæ imperfectum remanserit, ut suspicor: itaque rursus in Juliæ Mammææ nummis (*m*) se ΔΙΣ ΝΕΩΚΟΡΟΥΣ appellant: atque in pulcherrimo numismate Gordiani, in quo templum signatum est, ramis frondibusque, & eximie adornatum. Sub Valeriano deinde rursus resumpsere Nicomedienses nomen ΤΡΙΣ ΝΕΩΚΟΡΩΝ, ut indicant nummi duo apud Occonem (*n*), quorum unus exhibet aram inter tria templa, alter aram non habet, sed templa solummodo.

(*e*) Apud Tristanum T. 2.
(*f*) Apud Occonem, Erizzum & Tristanum.
(*g*) Occo f. 296. Tristanus T. 1. f. 747.
(*h*) Apud Occonem f. 362. & 363.
(*i*) Apud Occonem f. 385. Stradam f. 87.
(*k*) Apud Erizzum f. 426. (*l*) Occo f. 408.
(*m*) Apud Tristanum T. 2. f. 517.
(*n*) Occo f. 566. & f. 467.

F I N I S.

A L

ALBERTI RUBENI DISSERTATIO DE NUMMO AUGUSTI CUJUS EPIGRAPHE: ASIA RECEPTA.



INter nummos D. Augusti unus extat argenteus, in cujus postica parte expressi sunt gemini angues adversi, caudisque & spiris suis inter se impliciti, medio inter illos Victoriæ simulacro, cum inscriptione, ASIA RECEPTA. Similis nummus Vespasiani cernitur in Croyacis tab. 26. & D. Titi tab. 30. Ille Vespasiani inscriptus est, PONT. MAX. TR. P. COS VI. Titi, PONTIF. TR. P. COS. IIII. Atque ita hi nummi eodem anno percussi sunt, cum Vespasianus VI. Titus IIII. Consules erant. Occo etiam ponit nummum aureum Antonii, in quo ab una parte caput ejus visitur cum lituo, cum inscriptione, M. ANTON. IMP. ab alia, duo serpentes, in quorum medio basis, cui superstat figura stolata, dextra hastam, sinistra urceolum tenens, cum inscriptione, III VIR RPC.

Argentea quoque ejusdem numismata extant, in quibus ab una parte capita Antonii & Cleopatræ simul juncta conspiciuntur; ab alia, eadem figura cum urceolo & serpentibus, M ANTON. IMP. COS. DESIG. ITER. ET TERT. ab alia parte III VIR RPC. In aliis Antonii effigies in corona hederæ: & ab aversa parte caput muliebre cippo impositum inter duos angues cum eadem inscriptione. Hi nummi Antonii signati sunt post autumnum anni V. C. 715. tunc enim Antonius post pacem Misenensem in Græciam proficiscens, designatus fuit Cos. iterum & tertium. Vide Appianum lib. V. Civilium. In octo annos designati tunc fuerunt Coss. ultimus annus erat annus V. C 723. Vide Dionem. Nusquam magis quam in his argenteis ænigmatis explicandis sese torserunt Antiquarii, ut Pierius, Valerianus, Sebastianus Erizzius, Æneas Vicus, & Antonius Augustinus: qui tamen ingenue se hæc non satis assequi confitetur.

Novissime etiam Ioannes Tristanus in nuperis suis de Nummis commentariis, Serpentes hic pro Victoriis accipit, ut & in aliis nummis D. CLAVDII: cujus sententiam explodet V. Clarissimus Casperius Gevartius in Triumpho Austriaco, sive Pompa introitus Serenissimi Principis Ferdinandi Austrii, Hispaniarum Infantis Cardinalis, in urbem Antverpiam. *Serpentem*, hostilitatis, dissidii, seditionis, bellique symbolum hic esse censet Gevartius. Utque in Mercurii Caduceo *Angues gemini*, virga media divisi, hostes sejunctos, pacemque factam esse designant; ita in Numismate isto Augusteo idem symbolice & hieroglyphice denotari asserit. Nempe, Romani Imperii geminas in factiones divisi hostilitates & dissidia, bellumque civile, *Victoria* media esse dirempta, post M. Antonium apud Actium, auspiciis ductuque Octaviani Augusti superatum. Et tunc ASIA est RECEPTA, quæ in divisione Imperii M. Antonio obtigerat. *Angues* autem hostilitatis, bellique symbola esse, plurimis ille veterum Scriptorum testimoniis dicto libro adductis probat. Illius ego sententiam secutus sum in meo ad prisca numismata Romanorum Imperatorum Commentario, quem adolescens scripsi. Nec mihi nunc animus illam, aut aliorum opiniones hic refutare; meam solum, quæ deinde mihi incidit, sententiam hic in medium feram, quam sub-

submitto censuræ Eruditorum, & præcipue Doctissimi viri D. Ludovici Nonnii, cujus exstant eruditissimi in prisca Græciæ Numismata Commentarii. In numismatis Romanis & Græcis sæpe nomen civitatis ubi percussa sunt, adjicitur, sæpe insigne solum urbis illius aut regionis. Ita quædam Julii Cæsaris, quæ, ne dubitari posset in Africa signata esse, litteris Punicis inscribuntur, elephantem præferunt: alia ejusdem formæ Latinis litteris insignita sunt. Sic etiam quædam percussa Valentiæ (quæ Calabriæ civitas est) olim Hipponium vocata, ob fertilitatem territorii illius; unde & Gelo Siciliæ tyrannus, locum a se prope Hipponium extructum, *Cornucopia* vocavit, ut refert Duris Samius apud Athenæum lib. XII. Hæc numismata duo cornucopiæ habent cum adscripto nomine VALENTIA. Alia sine nomine urbis, ipsum solummodo insigne gerunt, cum inscriptione, CÆSAR. DICT. PERP. Sic & in Augusti nummis, in quibus leo cervum devorans conspicitur cum inscriptione M. DVRMIVS III VIR; leo ille Veliæ civitatis insigne est, ut patet ex nummis ΥΕΛΗΤΩΝ apud Goltzium, qui leonem habent itidem cervum devorantem; unde aut nummi illi Veliæ percussi sunt, aut Durmius ille Velia oriundus erat. Idem videri potest in Lepidi nummis, qui equum cum scorpio præferunt, qui denotat, ut mihi videtur, nummos illos Hippone Africæ cusos esse. Antonii etiam numismata quædam, Alexandriæ percussa, palmam habent, Alexandriæ symbolum, cum inscriptione, ALEXANDR. ÆGYPT. alia Augusti ibidem signata, palmam solum præferunt, sine adscripto nomine Alexandriæ. Sed & aliquando, quamvis in postica parte nummi insigne civitatis cernitur, ubi nummus ille signatus est; tamen & quædam alia adjiciuntur, ad Imperatorem aut Regem, in cujus honorem signatus est, spectantia. Sic in nummis Augusti rostrum navis expressum est ob victoriam Siculam: sed & adjuncta est meta quædam seu obeliscus, Copiæ civitatis insigne, ut non male animadvertit Tristanus, atque in quibusdam nomen COPIA adscriptum est, in aliis non. Sed ne longior sim, Alexandri magni solum & Philippi numismata consideremus.

In majori parte numismatum Alexandri, ab una parte Alexandri caput leonina pelle indutum visitur, ab altera Jupiter sedens, hastam sinistra, aquilam dextra præferens. Sed & alia quædam signa apponuntur, nempe caput bovis, pegasus, acrostolion, navis, rosa, tridens, sphynx, &c. Ubi caput bovis, in Euboea signatum nummum indicat: pegasus vero Corinthi, rosa Rhodi, acrostolion Leucadis, tridens Trœzenis, aut Teoi, sphynx Chii insignia sunt. Sic & in Philippi nummis cernitur juvenis equo insidens, allusione nempe ad Φιλίππου nomen facta; sed nunc adjicitur clypeus seu scutum, nunc vero securis anceps, quæ in Tenedo nummum signatum denotat, ut clypeus ille Thebarum aut Bœotiæ symbolum est. Eadem ratione in nummis L. Marcii Philippi homo equo insidens visitur. Quod quidam explicant de statua illa, quam Livius lib. IX. scribit positam Marcio Tremulo ante ædem Castorum; alii de statua, quam Philippus Octavio Cæsari decrevit. Male, cum nihil aliud sit quam mera allusio ad nomen Φιλίππου, ut & in Philippi Macedonum regis nummis.

Cum igitur constet, sæpe in postica parte nummorum, civitatis aut regionis insigne adjici solere, ubi nummi illi percussi; ita & censeo hos Antonii, Octavii, Vespasiani & Titi nummos signatos esse in loco aliquo, cujus insigne erant duo serpentes implexi. Romæ etenim hos nummos haud quoque percussos esse, colligitur satis ex forma ipsorum. Cum enim omnes argentei Romani usque ad Neronem æquali quasi pondere sint, septimam aut octavam videlicet unciæ partem habentes, hi omnes aut majores aut minores solito sunt. De illo sane Antonii, ubi mulier est cum urceolo, ita Occo: *Argenteus hic nummus est solito major, antiquus tamen & legitimus, ut videtur, sicut & præcedens trium denariorum seu drachmarum pendere, cusus in Asia fortassis aut Ægyto.* Augusti vero nummus, quem penes me habeo, fere haud dimidiam partem ordinarii ponderis habet. de quo & ita Occo: *Putant quidam hunc nummulum esse sestertium, qui dicti sunt quasi semistertii, eo quod duos asses cum semisse valerent.* Cum igitur alibi quam Romæ nummi hi signati sint, ego non dubito affirmare, illos in Creta insula percussos esse, atque hoc denotare duos illos angues, qui Cretensium insigne sunt, ut patet ex nummis eorum apud Goltzium in Insulis Græciæ tab. 3. qui habent duos serpentes eodem modo implicitos, cum pharetra intermedia, & inscriptione ΚΡΗΤΑΙΩΝ. Alii etiam apud eumdem tab. 4. habent templum quoddam inter hos angues positum, cum inscriptione ΚΥΔΑΙΩΝ ΑΡΙΣΤΟΚΛΗΣ, Quidam etiam habent hos angues implexos cum Jove intermedio & inscriptione ΚΥΔΑΣ ΚΡΗΤΑΡΧΑΣ. Ex quibus satis patet, hoc Cretensium insigne gentilitium esse.

Fortasse etiam fulcit hanc nostram sententiam, quod in nummo Antonii, ubi caput muliebre visitur inter duos angues, ab altera parte Antonii ipsius effigies ponitur in corona hederæ, quæ etiam in Cretensium nummis adjicitur. Quamvis enim sciam hoc explicari posse, quia Antonius Bacchus dici voluit; tamen haud ita absurdum est, existimare ob duplicem rationem adjunctam esse hanc coronam hederaceam, cum haud temere reperiri possit, eam addi Antonio nisi in nummo hoc, & quibusdam aliis Alexandriæ signatis; quæ urbs etiam Baccho sacra erat, ut constat ex Theophilo lib. II. ad Autolycum. Ita & in quibusdam Augusti nummis (qui tamen haudquaquam se Dionysium appellari voluit) hederacea hæc corona adjungitur.

Sed quod omnem mihi dubitationem eximit, est, quod video basim illam, cui in Antonii nummis muliebre caput, & semius urceum tenens insistit; in Augusti vero, Vespasiani & Titi, Victoria, non aram esse vel cippum, ut credunt. Quod etiam vidit Antonius Augustinus Dialog. 3. ubi non audet definire, quidnam illud sit. *Est*, inquit, *Victoria columnæ insistens, sive trapezum illud, sive pulpitum appellare libet* Cum enim in his Antonii & Augusti nummis semper eodem modo basis illa efficta sit, striis multis & lineis eam dividentibus; nusquam alibi in nummis aliis altare aut cippum eo modo effictum vidi. unde accurate inspecto nummo Augusti qui penes me est, assero, non aram esse vel cippum cui Victoria insistit; sed cistam mysticam (quod & vidit Pierius, qui lib. XV. Hieroglyph. cap. 14. ait Victoriam calathisco insistere) eadem plane forma, qua cernitur in nummis Cretensium apud Goltzium in Insulis Græcis tab. 3. nummo 5. & tab. 4. nummo 3. nisi quod in his Cretensium nummis cistæ illæ levato paululum orificio expressæ sunt, in illis vero Augusti & Antonii penitus clausæ, utpote quibus alia quædam figura insistit. Cistam autem esse ostendunt illæ striæ, quæ cannas significant, ex quibus conflabantur cistæ, Isidorus XX. orig. 9. *Canistrum fissis cannis contextum, unde nuncupatur: alii Græcum asserunt. Cistella a costis ex canna vel ligno, quibus contexitur, nominata.* Unde mihi videtur, ut Cretenses in num-

 mis

mis suis ab una parte duos angues, ab altera sacram cistam exprimebant; ita & in his Romanorum Impp. nummis in Creta signatis, cum Imperatoris caput unam partem numismatis occupet; a postica parte utraque simul Cretensium insignia, duos angues implexos & cistam mysticam, impressa esse.

Nec obstat, quod nummi hi litteris Latinis inscripti sint, cum lingua Græca Cretenses uterentur. Etenim multos Imperatorum Romanorum nummos reperias, qui, quamvis in Græcia vel Syria cusi sint, litteras tamen Latinas præferunt. Sic nummum Antonii habeo, in quo ab una parte Antonii caput est cum inscriptione: IMP. ANTON. AVG. IMP. IIII. COS. DES. III. IIIVIR II. R. P. C. ab altera parte palma est in corona hederacea, cum inscriptione, ALEXANDR. ÆGYPT. qui nummus cum sine dubio ullo Alexandriæ in Ægypto percussus sit, tamen Latinam inscriptionem habet. Sic & nummi Bruti & Cassii quamvis magna ex parte in Græcia, Macedonia, aut Asia signati, litteris tamen Latinis inscripti sunt, ut & multi Lepidi nummi, quamvis in Africa percussi.

Adhæc urbes aliquæ in Creta erant, in quas Coloniæ Romanorum deductæ erant, ut de Cnosso Strabo testatur lib. X. Νῦν δὲ Κνωσσὸς καὶ Ῥωμαίων ἀποικίαν ἔχει. *Nunc vero Cnossus & Romanorum Coloniam habet.* Nunc videndum, quare Cretenses in numismatis suis duos angues implicitos, & cistam cum serpente impresserint; cum Creta insula nullum venenatum animal producat, quod testantur Diodorus Siculus, Solinus, Ælianus, & alii. Cretenses ut apud se natos Deos primum, ita etiam sacrificia & mysteria atque Orgia inventa fuisse in Creta asserebant, quamvis & Phryges, & Thraces, & alii, Orgiorum inventionem sibi ipsi adscriberent. Luculentus hac de re locus apud Diodorum Siculum lib. V. Bibliothecæ: Τὰς δὲ τιμὰς καὶ θυσίας καὶ τὰς περὶ τὰ μυστήρια τελετὰς ἐκ Κρήτης εἰς τοὺς ἄλλους ἀνθρώπους παραδεδόσθαι λέγοντες, τοῦτο φέρουσιν, ὡς οἴονται, μέγιστον τεκμήριον· τήν τε γὰρ παρ' Ἀθηναίοις ἐν Ἐλευσῖνι γινομένην τελετὴν ἐπιφανεστάτην σχεδὸν οὖσαν ἁπασῶν, καὶ τὴν ἐν Σαμοθρᾴκῃ, καὶ τὴν ἐν Θρᾴκῃ ἐν τοῖς Κίκοσιν (ὅθεν ὁ καταδείξας Ὀρφεὺς ἦν) μυστικῶς παραδίδοσθαι· κατὰ δὲ τὴν Κρήτην ἐν Κνωσσῷ νόμιμον ἐξ ἀρχαίων εἶναι φανερῶς τὰς τελετὰς ταύτας πᾶσι παραδίδοσθαι, καὶ τὰ παρὰ τοῖς ἄλλοις ἐν ἀπορρήτῳ παραδιδόμενα παρ' αὐτοῖς μηδένα κρύπτειν τῶν βουλομένων τὰ τοιαῦτα γινώσκειν. *Perro ut honores quoque Deum, & sacrificia ritusque initiorum a se ad ceteros mortales pervenisse probent, hoc pro maximo & firmissimo, ut persuasum habent, argumento confirmationis adducunt. Initiales, inquiunt, ritus apud Athenienses Eleusinis omnium celeberrimi, itemque Samothracii, & qui in Thracia usitati sunt, Ciconibus (unde institutor horum Orpheus erat) mystice traduntur. At in urbe Creta Cnosso ab antiquo sancitum est, in propatulo illa tradi, & quæ in secreto a ceteris administrantur, ea neminem apud se, qui modo cognoscere illa studet, celari.* Sed de hac Cretensium cum Phrygibus, Thracibus, & aliis controversia, videndus Strabo lib. X. Euripides quoque in Bacchis Cretenses enumerat inter ministros Bacchi una cum Phrygibus, Lydis & Thracis:

> Ὦ θαλάμευμα Κουρήτων
> Ζάθεοί τε Κρήτης
> Διογενέτορες ἔναυλοι
> Τρικόρυθές τ' ἐν ἄντροις
> Βυρσότονον κύκλωμα τόδε
> Μοι Κορύβαντες εὗρον, &c.

> *O contubernium Curetum,*
> *Et divini Cretenses,*
> *Jove geniti incola,*
> *Triplicemque galeam gestantes in antris,*
> *Hunc tympani rotundum orbem, intentum pelle,*
> *Invenerunt mihi Corybantes.*

Ut igitur Cretenses se Bacchicorum Orgiorum inventores esse significarent, cistam mysticam cum serpente in nummis suis signarunt; ut enim Clemens Alexandrinus ait in Parænetico: σημεῖον ὀργίων βακχικῶν ὄφις ἐστὶ τετελεσμένος. *Symbolum Bacchicorum Orgiorum est serpens mysteriis initiatus.* Porphyrio ad lib. II. Odarum: *Bistonides Thraces sunt, quæ cum in sacris Liberi patris crinibus solutis versantur, angues & in capite & in manibus gestant.* Adde Catullum in Argonautico, & Euripidem, in Bacchis.

Hi autem Orgiastici serpentes fere erant ex illo anguium genere, quos Græci παρείας vocant. Demosthenes pro Ctesiphonte de Æschine: Ἐν δὲ ταῖς ἡμέραις τοὺς καλοὺς θιάσους ἄγων διὰ τῶν ὁδῶν τοὺς ἐστεφανωμένους τῷ μαράθρῳ, καὶ τῇ λεύκῃ, τοὺς ὄφεις τοὺς παρείας θλίβων, καὶ ὑπὲρ τῆς κεφαλῆς αἰωρῶν καὶ βοῶν Εὐοῖ Σαβοῖ καὶ ἐπορχούμενος Ὕης Ἄττης, Ἄττης Ὕης, ἔξαρχος καὶ προηγεμών, καὶ κιττοφόρος καὶ λικνοφόρος, καὶ τὰ τοιαῦτα, ὑπὸ τῶν γρᾳδίων προσαγορευόμενος, μισθὸν λαμβάνων τούτων ἔνθρυπτα καὶ στρεπτοὺς καὶ νεήλατα. Quæ ita vertit H. Wolfius: *Interdiu autem praeclaros illos cœtus per viam ducens fœniculo & populo redimitos, serpentes, quos parias vocant, elidens, & super caput efferens, & clamitans, Evoe Saboe, & interim saltitans, Hyes Attes, Attes Hyes, auspex & dux & picifer & vannifer, & ejus generis aliis nominibus ab aniculis salutabare, mercedem pro istis ab aliis accipiebas placentas, & scriblitas, & recentes panes.* Sed ridiculus Wolfius, qui hic κιττοφόρον *piciferum* vertit, secutus Erasmum qui Chiliade 4. Cent. 3. ita scribit: Κιττοφόρος, *id est Picifer. vulgare convicium videtur in hominem infimum & despicatissimæ sortis. Siquidem Demosthenes in oratione pro Ctesiphonte, dicit Æschinem hoc nomine ab aniculis compellatum, quemadmodum &* λικνοφόρον, *quod picas & vannos capite bajularet; nam his in mysteriis Bacchanalibus utebantur, quod ea avis sacra sit Baccho.* Melius Henricus Stephanus, qui in Thesauro suo κιττοφόρον exponit *hederiferum*, sive *hedera coronatum*, ut solebant esse ii qui Baccho Orgia faciebant, ut constat ex Plutarcho de Liberis educ. Sed nec hoc mihi satisfacit: non enim Baccho Orgia faciebat Æschines, sed Matri magnæ, ut asserit Strabo lib. X. Demosthenes quoque ait hos θιάσους τῷ μαράθρῳ καὶ τῇ λεύκῃ, *fœniculo & populo*, non hedera redimitos fuisse. Unde mihi videtur scribendum esse in Demosthene κιστοφόρος, non κιττοφόρος. V. Suidam in κιστοφόρος. notum etiam illud Martialis,

> *Nupsisti Gellia cistifero.*

Nec adeo recenter locus hic Demosthenis corruptus est, cum jam ætate Harpocrationis quidam illic κιττοφόρος, alii κιστοφόρος scriberent. Harpocration: Κιττοφόρος. ἔνιοι γράφουσι κιστοφόρος. τὰς γὰρ λεγομένας κίστας ἱερὰς εἶναι ἔλεγον τοῦ Διονύσου, καὶ ταῖν θεαῖν. ita expresse locus hic legitur in M.S. F. Morelli, ut notat Phil. Jacob. Maussacus. Quam lectionem etiam confirmat Suidas in voce κιστοφόρος. male vulgo editum est in Harpocratione: Κιττοφόρος· ἔνιοι διὰ δύο σσ γράφουσι κισσοφόρος. τὰς γὰρ λεγομένας κίσσας ἱερὰς εἶναι ἔλεγον τοῦ Διονύσου, καὶ ταῖν θεαῖν. Quæ corrupta lectio imposuit Erasmo & aliis, quod haud ita mirum. Illud magis mirum, Phil. Jacob. Maussacum, qui veram lectionem Codicis Morelliani vidit adhuc βαλανοφαγεῖν;

φαγεῖν; ille sic in dissert. critica. f. 317. *Quamvis, ut verum fatear, parum mihi constet de vero hujus intricatissimi, & ut ego existimo, obscurissimi loci sensu, &c.* Et post longam disputationem interpretatur illud κισσοφόρ@ aut κιτlοφόρ@ de Citta pisce Baccho sacro. Quam bene, alii viderint.

Sed ut ad angues παρείας revertamur, de hoc genere serpentium ita Interpres Aristophanis in Plutum: Εἶδ@ δὲ ὄφεως ὁ παρείας παρὰ τὸ ἐπῆρθαι τὰς παρειάς. φασὶ δὲ αὐτὸν μὴ δάκνειν, ἢ καὶ δάκνοντα μὴ λυπεῖν· μέμνηται δὲ αὐτῶ καὶ Δημοσθένης τὰς ὄφεις τὰς παρείας φάσκων, καὶ Λυκῦργ@ ἐν τῷ κατὰ Δημάδυ λόγῳ· ἔςι δὲ καὶ τὸ τοιῦτον εἶδ@ καὶ ἐν τῇ Ἀλεξανδρείᾳ, τὸ δὲ τοιῦτον εἶδ@ εὑρίσκεται ἐν τοῖς ἱεροῖς τῦ Διονύσυ. V. etiam Suidam in voce ὄφεις παρείας. Quos etiam vocari tradunt παρὰ τὸ πεφυσωμένας ἔχειν τὰς γνάθυς ἤγυν τὰς παρειάς. Hesychius, magni Etymologici auctor, & alii. In his autem Augusti, Vespasiani & Titi nummis observavi, serpentes, cum cristati haudquaquam sint, inflatis magis genis esse quam alios serpentes in numismatis expressos. In Cretensium vero nummis anguis in cistam mysticam insilit. In Bacchicis enim Orgiis dracones aut serpentes cistis includebant; quod ex marmoribus antiquis patet, in quibus Bacchantium chori expressi sunt, ubi semper cistula aliqua cum serpente incluso cernitur; ut Romæ in vasis marmoreis quæ extant in hortis Justinianeis, si recte memini, ex quibus cistulas expressas hic exhibeo.



Clemens Alexandrinus in Parænetico: Οἷαι δὲ καὶ αἱ κίςαι αἱ μυςικαί; δεῖ γὰρ ἀπογυμνῶσαι τὰ ἅγια αὐτῶν, καὶ τὰ ἄῤῥητα ἐξειπεῖν. ὐ σησαμαῖ ταῦτα καὶ πυραμίδες καὶ τολύπαι καὶ πόπανα πολυόμφαλα, χόνδροι τε ἁλῶν καὶ δράκων ὄργιον Διονύσυ Βασσάρυ. *Quales autem sunt cistæ eorum mysticæ? oportet enim sancta eorum revelare, & arcana enuntiare: an non ea sunt sesamides & pyramides, & lana bene elaborata, libaque multis distincta umbilicis, salisque pugilli, & draco orgium Dionysi Bassare* Sic & in vanno mystica conclusos serpentes habebant. Plutarchus in Aleaandro: Ἡ δὲ Ὀλυμπιὰς μᾶλλον ἑτέρων ζηλώσασα τὰς κατοχὰς, καὶ τὺς ἐνθυσιασμὺς ἐξάγυσα βαρβαρικώτερον, ὄφεις μεγάλυς χειροήθεις ἐφείλκετο τοῖς θιάσοις * οἳ πολλάκις ἐκ τῦ κιτlῦ καὶ τῶν μυςικῶν λίκνων παραναδυόμενοι, καὶ περιελιτlόμενοι τοῖς θύρσοις τῶν γυναικῶν καὶ τοῖς ςεφάνοις, ἐξέπλητlον τὺς ἄνδρας. *Olympias autem præ ceteris motum lymphaticum simulans, & fanaticum peragens ritum, horribiliore spectaculo serpentes mansuefactos trahebat thiasis ingentes, qui ex hedera subinde & mysticis cunis obiter prorepentes, thyrsosque & coronas circumplexi percellebant viros.* Erat autem τὸ λίκνον, sive vannus, ut Junius Phylargyrus ait in 1. Georgicon, *vas vimineum latum, in quod propter capacitatem rustici congerere frugum primitias solent.* Sic & Hesychius λίκνον κανῦν exponit, & Julius Pollux lib. VI. cap. 12. Τὸ δὲ νῦν κανίσκιον, κανήτιον ἐκάλυν, ὡς καὶ τὸ λίκνον κάνυλα.

Ex his nullum dubium est, Cretenses cistam cum serpente in nummis suis signasse ob Orgia Bacchica, quæ apud eos celebrabantur; quod & corona hederacea adjecta indicat.

Eamdem ob rationem etiam Macedones cistam mysticam aliquando nummis suis impresserunt, ut apud Goltzium in Græcia tab. 34. quia & ipsi Orgia hæc apud se inventa gloriabantur; hinc & Bassarides fœminæ Bacchi comites peculiari significatu vocantur Μακέται, ut constat ea Eustathio ad Iliad. Rapsod. quod observavit Casaubonus ad Athenæum l. V. c. 7. Atque hæc satis de cista.

Eadem causa adferri potest, quare Cretenses duos angues implexos in nummis suis impresserint. Etenim in Bacchanalibus *pars sese tortis serpentibus incingebant.*

Sed cum videam ab una parte nummorum Cretensium cistam sacram cum serpente cerni, ab altera hos duos angues eodem modo semper implexos, hic aliud quiddam mysticum latere credo.

Cretenses cum alia omnia mysteria Cereris, Bacchi & Magnæ Matris cum aliis gentibus communia celebrarent, tum hoc peculiare habebant, quod ipsi sacra Jovis etiam cum Orgiis peragebant; quod nusquam alibi fiebat. Strabo lib. XV. postquam de Phoebi, Musarum, Cereris, Bacchi, & Matris Deum Orgiis egit, Ἐν δὲ τῇ Κρήτῃ, inquit, καὶ ταῦτα, καὶ τὰ τῦ Διὸς ἱερά ἰδίως ἐπετελεῖτο μετ' ὀργιασμῦ. *In Creta præter hæc peculiariter Jovis sacra celebrantur cum Orgiis.* Hinc Jupiter *Sabazius* vocabatur, & Orgia hæc *Sabazia* sive *Jovis Sabazio sacra: Sabazii* enim vocantur Dii illi, in quorum honorem Orgia celebrantur. Sic Thraces, qui Dionysiaca Orgia peragebant, Bacchum *Sabazium* vocabant, ut notat Scholiastes Aristophanis in Vespas & in Aves. & Suidas ex eo in V. Σαβάζι@. V. etiam Harpocrationem & notas ibi

* Hic etiam forte legendum οἳ πολλάκις ἐκ τῶν κιτῶν καὶ τῶν λίκνων παραναδυόμενοι, &c.

ibi Philippi Jac. Maussaci. Phryges econtra, qui Magnæ Matris & Atthidis Orgiastæ erant, Atthidem hoc nomine appellabant. Strabo lib. X. Καὶ ὁ Σαβάζιος τῶν Φρυγιακῶν ἐστι καὶ τρόπον τινὰ τῆς Μητρὸς τὸ παιδίον. *Sabazius quoque est ex diis Phrygiis, & quodam modo Matris filius.* Et Apulejus lib. VIII. Metamorph. *Omniparens Dea Syria, & sanctus Sabazius.* Eodem modo Cretenses, ut existimo, qui soli mortalium sacra Jovis cum Orgiis celebrabant, Jovi in sacris suis hoc nomen tribuebant: Τὸ γὰρ εὐάζειν οἱ βάρβαροι σαβάζειν φασίν· ὅθεν καὶ τῶν Ἑλλήνων τινὲς ἀκολουθοῦντες τὸν εὐασμὸν σαβασμὸν λέγουσιν, ut ait Interpres Aristophanis in Aves. Hinc Jovis Sabazii mentio in antiquis inscriptionibus apud Gruterum pag. 22. Valerius Maximus lib. I. cap. 3. *C. Cornelius Hispallus prætor, qui Sabazii Jovis cultu simulato mores Romanos inficere conati sunt, domos suas repetere coëgit.* Huic Jovi Sabazio sacri erant dracones. Artemidorus Oneirocrit. lib. II. c. 13. Δράκων ὁρώμενος σημαίνει καὶ θεοὺς πάντας, οἷς ἐστιν ἱερός· εἰσὶ δὲ οἵδε· Ζεὺς Σαβάζιος (ita legendum, non σεβάσμιος, ut bene vidit Rigaltius) ἥλιος, δημήτηρ καὶ κόρη, ἑκάτη, ἀσκληπιός, ἥρωες. *Draco visus significat etiam Deos omnes quibus sacer est: sunt autem hi, Jupiter Sabazius, Sol, Ceres & Proserpina, Hecate, Æsculapius, & Heroes.* Hinc aliquis credat in nummis Coryciorum apud Goltzium in Insulis Græciæ tab. 3. num. 9. ubi ab una parte cistula sacra expressa est, ut in aliis Cretensium; ab altera caput lauro coronatum cum serpente, qui circumvolutus est baculo, id Jovis Sabazii caput esse, non Æsculapii; ut in ΚΥΔΑΙΩΝ nummis idem caput visitur, sed sine serpente, & ab altera parte aquila. non tamen id affirmo. Sed ut ad Orgia Jovis revertar, in his varii concubitus Jovis in draconis specie exprimebantur. Julius Firmicus de Errore profanarum religionum cap. 11. *Sebazium colentes Jovem, anguem, cum initiantur, per sinum ducunt. Adhuc primi erroris vitia grassantur; & quidquid hominem perdidit, colitur, & funesti anguis callida & malitiosa crudelitas adoratur.* Repræsentabatur autem per anguem hunc, qui per sinum ducebatur, concubitus Jovis cum Proserpina, cum qua coisse eum credebant in forma draconis. Clemens Alexandr. in Parænetico: Σαβαζίων γοῦν μυστηρίων σύμβολον τοῖς μυουμένοις ὁ διὰ κόλπου θεός· δράκων δέ ἐστιν οὗτος, διελκόμενος τοῦ κόλπου τῶν τελουμένων, ἔλεγχος ἀκρασίας Διός. *Sabaziorum certe mysteriorum signum est iis qui initiantur, Deus qui sinum pervadit: est autem is draco qui extrahitur a sinu eorum qui initiantur, evidens argumentum Jovis incontinentia.* Eadem habet Arnobius l. V. adversus Gentes. Sic etiam credo, duos angues ita implicitos symbolum fuisse, quod in istis Jovis Orgiis usurpabant; ob concubitum nempe Jovis cum Rhea matre, cum qua in dracænam versa coiit ipse in draconem mutatus. Athenagoras in Legatione pro Christianis de Jove: Καὶ ὅτι τὴν μητέρα Ῥέαν ἀπαγορεύουσαν αὐτοῦ τὸν γάμον ἐδίωκε· δρακαίνης δ' αὐτῆς γενομένης, καὶ αὐτὸς εἰς δράκοντα μεταβαλὼν, συνδήσας αὐτὴν τῷ καλουμένῳ Ἡρακλεωτικῷ ἅμματι, ἐμίγη, τοῦ σχήματος τῆς μίξεως σύμβολον ἡ τοῦ Ἑρμοῦ ῥάβδος. εἶθ' ὅτι Περσεφόνῃ τῇ θυγατρὶ ἐμίγη βιασάμενος καὶ ταύτην ἐν δράκοντος σχήματι, ἐξ ἧς παῖς Διόνυσος αὐτῷ. *Matrem Rheam, quæ concubitus ejus respuebat, persecutus est, & cum illa se in dracænam convertisset, mox ipse draco factus mixtus est cum illa, Herculeo, quod vocant, nodo adstricta; cujus concubitus species in caduceo Mercurii spectatur. Postea etiam Proserpinam filiam similiter sub draconis specie violavit, & Dionysium ex ea genuit.* Porro hujus concubitus speciem in his nummis expressam esse mihi persuadet nodus ille, quo duo angues inter se conjuncti sunt; etenim & *hi dracones parte media voluminis sui invicem nodo, quem vocant Herculis, obligantur.* ut de caduceo Mercurii scribit Macrobius lib. I. cap. 19. De nodo Herculano videndus Oribasius de Laqueis cap. 8.

Atque hæc mea de his serpentibus opinio est; cui nihil officit, quod Creta nullum animal venenatum producat, ut supra diximus: etenim serpentes illi, quorum in Orgiis usus erat, fere erant ex illo anguium genere, quos Græci παρείας vocant, qui haudquaquam venenati sunt, nec quamvis mordeant aliquem, nocent illi; tales autem in Creta insula etiamnum reperiri testatur oculatus testis P. Bellonius lib. 1. cap. 18.

Deinde orgiastici illi serpentes, quibus in mysteriis utebantur, haud semper veri & vivi angues erant, sed sæpe ficti ex auro, vel alio metallo: ita draco ille, qui in Jovis Orgiis per sinum eorum ducebatur, qui mysteriis initiandi erant, ex auro factus erat. Arnobius lib. V. *Ipsa novissime sacra & ritus initiationis ipsius, quibus Sebazius nomen est, testimonio poterunt esse veritati, in quibus aureus coluber in sinum demittitur initiatis, & eximitur rursus ab inferioribus partibus atque imis.*

Nunc ut particularem horum numismatum explanationem adjiciamus; in Cretensium nummis apud Goltzium tab. 3. Insularum Græciæ, ab una parte signati sunt hi duo serpentes implexi cum pharetra intermedia, ob Orgia Iovis a Cretensibus celebrari solita, & simul ob eorum in sagittandi arte peritiam. Solinus c. 11. de Creta: *Prima mari potuit remis & sagittis.* Ab altera parte est cista mystica cum serpente in corona hederacea, ob Bacchica mysteria.

In nummis ΚΥΔΑΙΩΝ apud eumdem tab. 4. ab una parte est eadem cistula, ab altera iidem serpentes cum templo quodam in medio, quod Iovis esse credo.

In aliis ibidem Jupiter visitur in medio anguium, tutelaris nempe Deus Cretæ, cui Orgia hæc celebrabant.

(*o*) In Antonii nummis ab una parte effictum caput Antonii in corona hederæ M. ANT. IMP. COS. DESIG. ITER. ET TERT. ab alia caput muliebre cistæ impositum inter duos dracones cum inscript. III VIR. R. P. C.

Sebastianus Erizzus tradit caput hoc muliebre galeatum esse; quod si verum est (nec enim ipsum nummum videre mihi contigit) est caput Minervæ, quæ cor Liberi patris a Titanibus occisi cistæ inclusit. Julius Firmicus de errore profanarum Religionum cap. 6. de mysteriis Cretensium: *Praefertur cista, in qua cor soror latenter absconderat.* Si caput hoc sine galea est, Cleopatræ aut Dianæ Britomartidos esse existimo.

(*p*) In aliis Antonii ab una parte expressæ sunt imagines Antonii & Cleopatræ, cum inscriptione M. ANTON. IMP. COS. DESIG. ITER. ET TERT. Ab altera parte inscriptio est III VIR R. P. C. & duo serpentes impliciti, ac cista mystica, & figura muliebris ei insistens, quæ urceum dextra, sinistra hastam puram tenet.

(*q*) Quam pietatem Antonii esse existimo, qui forte mysteriis his initiari voluit. Urceum manu tenet, ob Auguratum Antonii, aut Sacerdotium D. Julii. Hinc & Antonius in nummis sæpe cernitur cum urceo ejusdem formæ, ut apud Goltzium tab. 32. numism. 12. & in Augusto tab. 25. num. 7. & tab. 26. num. 5. & sæpe alias.

Nec mirum, in Creta hos nummos in honorem Antonii signatos esse, cum pater ejus Creticus co-

(*o*) 1. Antonii nummus.

(*p*) 2. Antonii nummus. (*q*) Pietas M. Antonii.

gno-

gnominatus sit, teste Plutarcho.

(r) Antonius etiam Cretam insulam liberam esse voluit. Cicero in Orat. contra Antonium apud Dionem lib. XLV. Καὶ πῶ τῦτο γεγραμμένον εὗρες; ὥσπερ καὶ τὸ τὰς Κρῆτας ἐλευθέρους μετὰ τὴν τῶ Βρύτυ ἀρχὴν γενέσθαι, ὃν ἡμεῖς μετὰ τὸν τῶ Καίσαρος θάνατον ἄρξαι ἐψηφισάμεθα. *Ubi vero hoc scriptum invenisti. Quemadmodum & illud, ut Cretenses post Bruti praefecturam liberi forent. Quibus nos ut imperaremus, post Caesaris mortem statuimus.* Cui respondet deinde lib. XLVI. Q. Fusius Calenus.

Augusti Caesaris nummus ab una parte habet caput ejus cum inscriptione, CÆSAR IMP. VII. ab altera parte cista eadem inter duos serpentes, cui insistit Victoria, cum inscriptione, ASIA RECEPTA. In hoc vero nummulo in Creta percusso, praeter serpentes & cistam Cretae insignia, adjuncta est victoria Actiaca, qua Caesar Asiam recepit; in qua victoria obtinenda haud malam operam Caesari praestiterunt Cydoniatae & Lampaei Cretae incolae, quibus ideo Caesar statim post victoriam libertatem dedit. Dio lib. LI. Κυδωνιάτας τε καὶ Λαμπαίους ἐλευθέρους ἀφῆκεν, ὅτι τινὰ αὐτῷ συνήραντο· καὶ τοῖσγε Λαμπαίοις καὶ τὴν πόλιν ἀνεστᾶσαν συγκατῴκισε. *Cydoniis ac Lampais libertatem dedit, praestiti sibi auxilii causa, instaurata etiam Lampaeorum civitate, quae eversa fuerat.*

(ſ) In nummis Vespasiani & Titi, victoria Iudaica cum Cretensium insignibus expressa est. Sed toto coelo errant, qui nummulum illum Augusti sestertium Romanum esse credunt: cum enim sestertius quarta solummodo denarii pars esset, hic nummulus valet dimidium denarii & duo circiter minuta. unde haud vane credo Cistophorum esse, qui nummus erat Graecus, qui per Asiam, Euboeam, Rhodum, & circumvicinas insulas eo tempore currebat, ut ex Cicerone & Festo constat, & aestimabatur quinque assibus, & aliquot minutis, ut hic nummus Augustaeus. Festus: *Euboicum talentum nummo Graeco septem millium & quingentorum cistoporum est, nostro quatuor millium denariorum.* Unde conjicio, Cistophorum fuisse monetae Creticae speciem quae Cistophoros dicebatur, quod cistam mysticam, Cretae insulae insigne, impressam haberet.

(r) Creta Libera. (ſ) Occo f. 51. D. Lud. Nonnius Archiater Antverpianus, Antiquarius eximius, quem suae & Gevartianae super *Augustaei Nummi* interpretatione controversiae arbitrum delegerat Rubenius, juxta Gevartii sententiam suffragium suum dedit.

F I N I S.

ALBERTI RUBENI
DISSERTATIO
DE
NATALI DIE
CÆSARIS AUGUSTI.

De natali die Auguſti lis haud magni quidem, ut verum dicam, per ſe momenti, ſed quæ tamen ingentem hiſtoriæ lucem affundere poſſit, jam dudum ingenia eruditorum exercet. Nodus & cardo controverſiæ naſcitur ex Suetonio, qui cap. 94. ſcribit: *In ſeceſſu Apolloniæ Theogenis mathematici pergulam comite Agrippa aſcenderat, cum Agrippæ, qui prior conſulebat, magna & pæne incredibilia prædicerentur, reticere ipſe genituram ſuam, nec velle edere perſeverabat, metu ac pudore, ne minor inveniretur. Qua tamen poſt multas adhortationes vix & cunctanter edita exſilivit Theogenes, adoravitque eum. Tantam mox fiduciam fati Auguſtus habuit, ut thema ſuum vulgaverit, nummumque argenteum nota ſideris Capricorni, quo natus eſt, percuſſerit.* At cap. 5. aſſerit, Auguſtum natum nono Kalendas Octobris paulo ante ſolis exortum. Quærunt viri docti, an nono Kal. Octobris, quem non ſolum Suetonius, ſed etiam marmora antiqua natali Auguſti aſſignant, intelligendus ſit ex ratione Kalendarii veteris Romani anni Juliani: deinde ſi nono Kal. Octobr. Pompil. natus ſit Auguſtus, in quem diem Kalendarii Juliani natalis ejus incidat. Dubium enim eſt, an nono Kal. Octob. anni veteris Romani ante emendationem Julianam intelligendus ſit dies ille ſecundum annos Julianos. Si Kalendarium vetus ſecutum eſſe Suetonium dicimus, quæritur, in quem diem anni Juliani, ut appellamus, cadat dies IX. Kal. Octobr. veteris; ſin vero natum Auguſtum dicimus A. D. IX. Kal. Octobris anni Juliani, ſupereſt ille inexplicabilis nodus, quomodo Capricornus poſſit dici ejus horoſcopus, cum ſit Libra, vel, ut alii volunt, Virgo; & tamen Auguſtum tantam ſideris ſui fiduciam habuiſſe Suetonius teſtetur, ut nummos percuſſerit, quales imagine Capricorni ſignati plurimi etiamnum extant. Ut omittam velitationes Teſſauri & Monodi, ipſe Joſephus Scaliger, qui emendandi temporis provinciam propriam ſibi vendicavit, quantum hac in re æſtuat, ut Protei more

— formas ſe vertit in omnes.

& poſt hariolationem de horoſcopo ἐχορίμῳ, quæ a Ludovico Carrione refutata eſt lib. II. Emendat. cap. 2. demum decernit manifeſtum mendum eſſe in Suetonio, non utique librarii, ſed ipſius Suetonii, qui ſcribit natum paulo ante exortum Solis. *Si Auguſtus*, inquit de Emendat. temporum lib. 5. *natus eſt ante exortum Solis Capricorno horoſcopante, ergo natus eſt Sole Capricornum obtinente; & proinde natus fuiſſet menſe Decembri Juliano aut Januario, & conſequenter non Septembri antiquo, ſed Martio. quod eſt abſurdum. Auguſtus ergo natus eſt circiter 21. aut 22. Julii poſt Solem occaſum, Sole ultimas partes Cancri obtinente. Proinde ultimis partibus Capricorni orientibus natus eſt ſole occaſo: niſi quis dicat uno aut altero gradu minus, quod nihil refert. Hoc tantum conſtet, Auguſti geneſin cadere in Julium menſem, ſiquidem natus eſt Septembri Romano: item nocturnam eſſe, ſiquidem Capricorno horoſcopante: idque anno periodi Julianæ 4651. cyclo Lunæ 15. Solis tertio.* Quæ effata Scaligeri a ſevero ejus cenſore Dionyſio Petavio probari admodum miror. Ita ille lib. X. de Doctrina temporum cap. 64. f. 274. *Ceterum natalis Auguſti contigit 9. Kal. Octobr. Cicerone & Antonio Coſ. ſed ob laxatum & depravatum menſium ſtatum. Septembris Pompilianus in Junio Juliove circiter inibat anni Juliani. Multa de hoc argumento, deque Suetonii hallucinatione diſputantur a Scaligero hoc in capite, quæ nobis probantur.* Idem aſſerit rurſus lib. XI. cap. 6. Horum auctoritatem ſecutus, ut videtur, Joannes Triſtanus Sanctamantius (*a*) uno ictu hunc nodum diſcindit, & culpam, quam illi Suetonio impingunt, in librarium transfert, & contendit a Suetonio ſcriptum *paullo ante ſolis occaſum, non vero ante ſolis exortum*; ſed aſtronomica ratiocinia ejus de μεσεχενήμα'ι, quæ affert, aliis diſcutienda relinquam. Ipſa Suetonii verba cap. 49. aperte huic correctioni repugnant: *Quo natus eſt die*, inquit, *cum de Catilinæ conjuratione ageretur in curia, & Octavius ob uxoris puerperium ſerius adfuiſſet, nota ac vulgata res eſt, P. Nigidium, comperta moræ cauſa, ut horam quoque partus acceperit, affirmaſſe, Dominum terrarum Orbi natum.* Quid enim? an Senator tardius mane in Senatum veniens cauſabitur, natum paulo ante occaſum ſolis filium? Quod etiam vidit Keplerus Aſtronomus exactiſſimus, qui aliam init viam. cujus verba audi de hac quæſtione: *Si quis tamen judicium hic meum requirit, id obiter addam. Fertur natus Auguſtus paulo ante ſolis ortum; Octavius enim pater Auguſti tardius in Senatum veniens, qui ſummo mane coactus erat, ob periculum conjurationis Catilinariæ, moram puerperio uxoris excuſavit. Atque et Nigidius ex tempore partus fortunam nati ampliſſimam prædixit. Præter hanc traditionem confirmata eſt etiam Auguſti ipſius opinio, ſe ſub Capricorni ſidere natum. Atqui menſe Julio ſole orituro, Capricornus occaſum obtinet. Quomodo ergo* qui

(*a*) T. I. Comment. Hiſtoric. f. 68.

qui sub Capricorno natus, idem ante solis ortum nasci potuit? Conciliatorem audi Manilium. Veteres sub eo quemque sidere natum putabant, quod eo nascente Luna obtinebat. Inter ergo 23. Junii & 18. Julii per dies 25. quære, an Luna potuerit obtinere Capricornum, & quibus diebus, invenies 1. & 2. Julii. Non fuit igitur omissus in his annis 17. mensis intercalarius. At nec quantitas anni dierum plane 355. cum intercalario servata esse potest; desunt enim dies 6. 7. vel 8. seu Pontificum arbitrium ordinatione derogaverit, seu male retulerint de anni quantitate auctores ætate posteriores. Hactenus Keplerus. Sed mihi non verisimile videtur, annum Romanum Cicerone & Antonio Coss. adeo luxatum fuisse, ut dies IX. Kal. Octobreis incurrerit in mensem Junium vel Julium. Nam si cum Scaligero in A. D. K. IX. Kal. Octobris, qui natalis Augusti fuit, rejicimus in Julii Juliani diem 21. aut 22. sane dies V. Idus Novembris Romani incidet in principium Septembris. At Cicero qui V. Idus Novembris Romani babuit Catilinariam secundam, diserte testatur, eo jam tempore Æquinoctium autumnale fuisse confectum in Apennino: *Verumtamen quid isti sibi miseri volunt? num suas secum mulierculas sunt in castra ducturi? quemadmodum autem illis carere poterunt, his præsertim jam noctibus? quo autem pacto illi Apenninum atque illas pruinas ac nives perferent?*

Sed diem natalem Augusti secundum Kalendarium Julianum, non vero ad rationem anni veteris in IX. Kal. Octobr. incidisse ipse Suetonius indicat, qui c. 100. scribit, illum decessisse Sextis Pompejo & Apulejo Coss. 14. Kal. Septembris hora diei nona, septuagesimo & sexto ætatis anno, diebus 5. & 30. cui consentit Dio, cujus verba sunt lib. XXXXXV. Καὶ ὁ μὲν οὕτω τῇ ἐννεακαιδεκάτῃ τοῦ Αὐγούστου, ἐν ᾗ ποτε τὸ πρῶτον ὑπάτευσε, μετήλλαξε. Ζήσας μὲν πέντε καὶ ἑβδομήκοντα ἔτη, καὶ μῆνας δέκα, καὶ ἡμέρας ἓξ καὶ εἴκοσι. Τῇ γὰρ τρίτῃ καὶ εἰκοστῇ τοῦ Σεπτεμβρίου ἐγεγένητο. *Vita excessit* XIIII. *Kal. Septemb. qua die quondam primum consulatum inierat. Vixit annos 75. menses 10. dies 26. siquidem natus est* IX. *Kal. Octobris.* & quidem a die 23. Septembris Julianæ 4651. quo natus est Augustus Cicerone & Antonio Coss. usque ad 19. Augusti seu XIIII. Kal. Septemb. Juliani anni P. I. 4727. qua die decessit, juste conficiuntur anni 76. Sed demus viris eruditis historicos illos plebejo more & ἰδιωτικῶς sic locutos fuisse, quasi eadem perpetuo annorum fuerit forma, proinde septuagesimum sextum annum supergressum fuisse Augustum, quod quidem de Suetonio & Dione exactis annorum computatoribus, & quibus emendatio Juliana satis nota erat, vix credi potest; an vero ipse Augustus, qui thema suum diligenter confici curavit, maximamque in illo fati fiduciam habuit, Kalendarium Julianum Pontificum culpa depravatum correxit, tam incuriosus fuit, ut natalem suum, qui in Junium aut Julium mensem incidit, IX. Kal. Octobr. celebrarit, & annum suum climactericum, non vero die suo natali, sed demum tribus post verum natalem suum mensibus confectum fuisse existimarit. En verba ejus ex epistola (*b*) ad Cajum filium & nepotem IX. Kal. Octobr. scripta anno Juliano 46. *Ave, mi Cai, meus ocellus jucundissimus, quem semper medius fidius desidero, cum a me abest: sed præcipue diebus talibus, qualis est hodiernus. Oculi mei requirunt meum Cajum; quem ubicumque hoc die fuisti spero lætum & * benivelentem celebrasse quartum & sexagesimum natalem meum. nam, ut vides, κλιμακτῆρα communem seniorum omnium tertium & sexagesimum annum evasimus.* Incredibilis jam fuerit Augusti ignorantia, si climactericum annum suum deduxit ex veteri Kalendario in tanta Mathematicorum, Ægyptiorum & Chaldæorum Romæ copia & se communem seniorum omnium κλιμακτῆρα evasisse lætetur IX. Kal. Octobris Juliani, quem a præcedenti Junio aut Julio prætergressus erat, cum præsertim hæc epistola ab illo scripta sit post emendatum a se annum Julianum, qui iterum post Julianam correctionem negligentia Pontificum labefactatus fuerat. Sed an & ipsum Theogenem, quem non ultimum sæculi sui mathematicum fuisse liquet, tam omnis Astronomiæ imperitum fuisse credemus, ut diem & horam natalem ab Octavio sibi indicatum ex veteri Kalendario Romano, non potuerit ad annorum Ægyptiorum formam cursumve solis numerare, ac ad Kalendarium Julianum jam tum institutum reducere? Etenim Octavius, post receptam a Cæsare Hispaniam, demum Apolloniam præmissus fuit, ubi Theogenem de themate suo consuluit. Nam quod Scaliger (*c*) allegat, *Agrippam & Augustum non potuisse tempus geniturarum suarum edere in tanta confusione anni Romani, qui quoties intercalatum sit a natalibus suis ad eadem Cæsaris, omnino nesciebant, & ne ipsos quidem Pontifices potuisse asseverare in 20. annis, quoties & quando intercalatum sit.* Sed non videtur, cum omnes menses intercalarios a Pontificibus publicari & in fastis notari solitos fuisse constet. Certum igitur mea quidem sententia natum Augustum M. Tullio Cicerone & L. Antonio Coss. paulo ante exortum solis A. D. IX. Kal. Octobris ad rationem Kalendarii Juliani, atque ita horoscopantes habuit ultimas partes Virginis, vel principium Libræ, quo Virgilium respexisse facile eruditis assentior viris. Is enim lib. I. Georg. redituro in cœlum Augusto eamdem sedem & cœli regimen adsignat inter Virginem & Chelas, qua horoscopante in lucem editus fuit:

Anne novum tardis sidus te mensibus addas,
Qua locus Erigonem inter, Chelasque sequentes
Panditur: ipse tibi jam brachia contrahit ardens
Scorpius, & cœli justa plus parte relinquit.

Sed ille nunc etiam restat nodus, si Virgo aut Libra fuit horoscopus Augusti, qua ratione nota sideris Capricorni, quo natus fuit, nummos percusserit, ut Suetonius ait c. 94. Sed & Germanicus Cæsar Capricornum Augusti natali assignat:

Hic, Auguste, tuum genitali corpore numen
Attonitas inter gentes, patriamque paventem
In cœlum tulit, & maternis intulit astris?

Et Manilius:

—— contra Capricornus in ipsum
Convertit visus: quid enim mirabitur ille
Majus, in Augusti felix qui fulserit ortum?

Et alibi: *Tum venit Auguste Capricornus sidere fulgens.*

Si quidem Kepleri rationes sequi vellem, facile ex his vinclis me explicare possem; nam si, ut ille ait, veteres sub eo quemque sidere natum putabant, quod eo nascente Luna obtinebat. Si 2. Julii Luna Capricornum tenuit anno natali Augustæo, etiam 23. Septembris ejusdem anni Luna in eadem sede fuit: nam a 2. Julii ad 22. Septembris tres periodicos cursus Luna conficit. Sed hæc Astrologica doctissimo Gothofredo Vendelino nostro relinquo, qui jam diu nos longa editionis Capricorni sui spe torquet, quo non dubiis rationibus probabit, sortis Fortunæ locum in themate Genethliaco fuisse in Capricorno. Sors autem Fortunæ ab anti-

(*b*) Gellius l. XV, c. 7. * Alii *benevalentem*.

(*c*) Ad Manilium l. II. f. 163.

qui

quis Astrologis censebatur esse horoscopus, a quo thema Athlorum deducebatur, ut Scaliger docet ad Manilium. Ptolemæus lib. III. ad Tetrabibl. *Ἵνα ὃν ἔχει λόγον καὶ σχηματισμὸν ὁ ἥλιος πρὸς τὸν ἀνατολικὸν ὁρίζοντα, τοῦτον ἔχῃ καὶ ἡ σελήνη πρὸς τὸν κλῆρον τῆς τύχης, καὶ ᾖ ὥσπερ σεληνιακὸς ὡροσκόπος. Ut quam habet rationem & positum Sol ad horoscopum, eamdem habeat Luna ad sortem Fortunæ, ut hæc sit veluti lunaris horoscopus.* Sed scrinia compilare viderer Vendelini nostri, qui Capricorni sui editionem quotidie nobis pollicetur. ad alia progredior. Illud tamen addam, & ipsos nummos, quos nota sideris Capricorni Augustus percussit, non levem conjecturam præbere, Capricornum sedem fuisse sortis Fortunæ in themate Augusti: nam in numismatis Augustæis aureis, argenteis & æreis (*d*), quæ notam Capricorni præferunt, adjecta sunt plerumque gubernaculum navis, cornucopiæ, & orbis terrarum, ipsa nempe insignia Fortunæ, quæ illi tribuit Lactantius lib. III. Instit. Div. cap. 29. de Fortuna: *Nam simulacrum ejus copia cornu & gubernaculo fingunt, tamquam hæc opes tribuat, & humanarum rerum regimen obtineat.* Imo etiam forte in gemma Augustæa Capricornus orbiculo inclusus est, quia character vulgaris sortis Fortunæ hoc charactere ⊕ designatur; aut, ut rotam Fortunæ denotaret, quod Seldeno placet ad marmora Arundelliana; aut quia sortes omnes ligneæ, eburneæ, ita scalperentur, ut Scaliger existimat (*e*). Cum itaque Augustus natus sit 23. Septembris Juliani, paulo ante solis exortum, ut jam demonstratum est, superest ut quæramus, in quem diem Kalendarii veteris Romani inciderit 23. dies Septembris Juliani. Quod si eruimus, anni veteres octodecim a consulatu Ciceronis usque ad emendationem Julianum ad annos Julianos facile reduci poterunt, & historia Catilinariæ conjurationis, exilii & reditus Ciceronis, belli civilis inter Pompejum & Cæsarem, aliarumque rerum illo tempore gestarum valde illustrabitur. Et annum quidem Romanum veterem ætate Ciceronis 355. dierum fuisse inter omnes fere convenit. *Sed cum*, inquit Macrobius, *Romani ex distributione Pompilii ad Lunæ cursum, sicut Græci, annum proprium computarent, necessario & intercalarem mensem instituerunt more Græcorum. Nam & Græci cum animadverterent temere se trecentis quinquaginta quatuor diebus ordinasse annum (quoniam appareret de Solis cursu, qui trecentis sexaginta quinque diebus & quadrante Zodiacum conficit, deesse anno suo undecim dies & quadrantem) intercalares stata ratione commenti sunt, ita ut octavo quoque anno nonaginta dies, ex quibus tres menses tricenum dierum composuerunt. Id Græci fecerunt, quoniam erat operosum atque difficile omnibus annis undecim dies & quadrantem intercalare. Hunc ergo ordinem Romanis quoque imitari placuit. Sed frustra: Quippe fugit eos unum diem additum esse ad Græcum numerum, in honorem imparis numeri: ea re per octennium convenire numerus atque ordo non poterat. Sed nondum hoc errore comperto per octo annos nonaginta quasi superfuadendos, Græcorum exemplo computabant dies; alternisque annis binos & tricenos, alternis ternos & vicenos intercalares expensabant intercalationibus quatuor. Sed octavo quoque anno intercalantes octo affluebant dies ex singulis, quibus vertentis anni numerus apud Romanos supra Græcum abundasse jam diximus. Hoc quoque errore jam cognito, hæc species emendationis inducta est. Tertio quoque octennio ita intercalandos dispensabant dies, ut non nonaginta, sed sexaginta sex intercalarent, compensatis viginti & quatuor diebus pro illis, qui per totidem annos supra Græcorum numerum creverant.*

(*d*) V. Goltz. tab. 67. in Augusto.
(*e*) In secundum Isagog. Manilii.

Vir eruditissimus & optime de Chronologia, aliaque omni scientia meritus credit (*f*), anno vigesimo quarto cycli Romani intercalationem 23. dierum, & diem unum omissum fuisse. Cui secundas facit Leo Allatius cap. 18. de Mensura temporum. Ego existimo sexaginta sex dies tertio octennio tribus intercalationibus dispensatos fuisse, ita ut in 22. & 24. annis viginti duo dies intercalati sint. Atque ita bina octennia 5860. dierum, & tertium dierum 2906. juste conficiant dies 8766. & cum viginti quatuor annis Julianis pares rationes faciant. Et hæc quidem si recte observata fuisset a Romanis ratio annorum, non difficile esset annos Romanos veteres cum Julianis comparare. Post perfectum enim 24. annorum cyclum ad eamdem metam Solis, unde orsi erant, recurrissent. Sed fuit tempus, ut Macrobius ait (*g*), cum propter superstitionem intercalatio omnis omissa est; deinde Pontificum *arbitrio intercalandi ratio permissa, sed horum plerique ob odium vel gratiam, quo quis Magistratu citius abiret, diutiusque fungeretur, aut publici redemptor ex anni magnitudine in lucro damnove esset, plus minusve ex libidine intercalando rem sibi ad corrigendum mandatam ultro depravarunt*, adeoque fastos turbaverunt (*h*), *ut neque messium feriæ æstati, neque vindemiarum autumno competerent.* Cum itaque intercalatio annorum Pontificum libidini permissa esset, perdunt operam viri eruditi, qui ex periodis, quas formant, credunt se annos Romanos veteres annis Julianis conciliare, ut Sethus Calvisius, qui annum post consulatum Ciceronis, quo Coss. fuerunt Silanus & Murena, incepisse ait circa 30. Octobris anni periodi Julianæ 4651. littera D. qua ratione dies 23. Septembris Juliani incideret circa IX. Kal. Novembris veteris. Nam a 22. die Novembris Romani ad Kal. Januarias sunt dies 37. quot dierum etiam intervallum est inter 23. Septembris Juliani, & 30. Octobris. Samuel Petitus, vir singularis eruditionis, sed ingenio suo nimium forsan indulgens, novam periodum Romanam 20. annorum excogitavit, qua se annos Romanos ad Julianos reducere posse credidit, & ea annorum veterum principia pronuntiat ab anno consulatus L. Domitii & Appii Claudii, qui fuit annus Urbis Varronianus 700. secundum alterum calculum, quem Petitus sequitur 699. Hunc incepisse asserit die 22. Decembris Juliani, a quo, si ascendimus per periodum ejus ad annum, qui consulatum Ciceronis proxime insequitur, inveniemus illum incepisse 24. Septembris Juliani, atque ita 23. Septembris Juliani incidere in 27. Septembris veteris. Nam idem intervallum dierum est inter 23. Septembris Juliani ad 24. Decembris, quod a 27. Septembris Romani ad Kalendas Januarias, dierum scilicet nonagintanovem.

Sed ipse Petitus cum videret rationem periodi suæ hac in re non procedere, (nec enim IX. Kal. Octobris anni Juliani, qua natus fuit Augustus, ex methodo sua ad annum veterem reductum convenire tempori Catilinariæ conjurationis, cum tamen Suetonius dicat, eo quo natus Augustus est die, cum de Catilinæ conjuratione ageretur, Octavium ob uxoris puerperium tardius adfuisse) aliam init rationem, & III. Nonas Decembris Romani, Sole in primis Capricorni partibus versante, natum Augustum asserit. Sed quibus hoc argumentis probet, videre operæ pretium est. *Cadit*, inquit, *hic dies III. Nonas Decembris Romani in diem IX. Kal. Octobris anni Juliani, qui dies natalis Augusti fuisse perhibetur, si intervalli ratio habeatur, quod est a*

(*f*) Petav. l. II. cap. 74. de doctrina Temp.
(*g*) Censorinus de die natali c. 20. (*h*) Sueton. in Cæsare.

Kalen,

Kalendis Januariis anni ultimi Romani, qui confusionis dicitur, ad diem III. *Non. Decembr. ejusdem anni & intervalli illius, quod est ab eo die, quo cœpit annus hic confusionis in anno Juliano, quem fingimus semper fuisse ad diem Kal. Octobreis. Utrumque enim intervallum est dierum trecentorum viginti trium. Nam cœpit annus confusionis, ut alibi probavimus, Nonis Novembribus in anno Juliano, cujus formam semper fuisse fingimus. Supersunt igitur dies quinquaginta septem anno absolvendo: adde dies ducentos sexaginta sex, qui numerantur in anno Juliano a Kalend. Julianis ad IX. Kal. Octobris, utroque termino incluso. Fiunt itaque dies trecenti viginti tres. Totidem dierum est intervallum a Kalendis Januariis anni confusionis ad diem* III. *Non. Decembris ejusdem anni.* Hæc me non capere fateor. Nam cum annus primus Julianus inceperit a Kalendis Januariis anni P. I. 4669. dies III. Non Decemb. anni veteris congruit 5. Decemb. P. Jul. 4668. non autem 23. Septembr. Addit deinde: *Non ignoro, sexaginta septem dies in hoc anno intercalatos fuisse ante hunc tertium Nonas Decembr. atque hos 67. dies in tres intercalarios menses distributos fuisse, quorum primus fuit ex consuetudine suo loco intercalatus; ceteri duo in Novembrem & Decembrem interpositi sunt. Sed intercalarii isti menses non numerantur: pro momento enim temporis observantur. Cato putat mensem intercalarem additicium esse, omnesque ejus dies pro momento temporis observat, extremoque diei mensis Februarii attribuit. Quintus Mutius: Mensis autem intercalaris constat ex diebus viginti octo. l. cum bissext. §. 1. & 2. D. de verbor. signif. Ergo in hoc anno confusionis Februario imputandi sunt tantum dies viginti duo: intercalaris namque est, qui ex diebus viginti octo constat. Quare a Kalendis Januariis anni confusionis ad diem tertium Nonas Decembr. numerantur tantum dies trecenti viginti tres, quot dierum fuisse diximus intervallum a Nonis Novembribus ad nonum Kal. Octobris Juliani: atque ita factum conjicio, ut dies natalis Augusti dicatur dies nonus Kalendas Octobris, cum tamen natus sit* III. *Non. Decemb. Romani, sole in primis Capricorni partibus versante, M. Tullio Cicerone, C. Antonio Coss.* Quæ quidem pluribus refellere haud opus; nam etiam nemine impellente per se corruunt. Videamus igitur, an certius quid, aut verosimilius de die, in quem natalis Augusti incidit in Kalendario veteri, constituere queamus. Quod fieri non potest, nisi a Kalendis primi anni Juliani usque ad annum Consulatus Ciceronis sursum enitamur, & ex auctoribus illius ævi, quinam anni intercalati fuerint, & quot dierum intercalationibus, colligamus, aut certe divinemus. Etenim certi aliquid hac in re demonstrare non opis est nostræ, sed conjectoris sæpe indulgendum est in tam exigua luce, cum tantum scintillas aliquas ex scriptoribus temporum illorum elicere possimus. Annus ultimus confusionis, qui fuit V. C. Varron. 708. fuit dierum 445. ut diserte tradit Censorinus: *Adeoque aberratum est, ut Cajus Cæsar Pontifex Maximus suo* III. *& M. Æmilii Lepidi Consulatu, quo retro delictum corrigeret, duos menses intercalarios dierum sexaginta septem, in mensem Novembrem & Decembrem interponeret, cum jam mense Februario dies tres & viginti intercalasset, faceretque eum annum dierum* CD. XLIV. Itaque Kalendæ Januarii anni illius in 13. diem Octobris Juliani anni P. Jul. 4667. incidere, ut pluribus demonstrat eruditissimus Petavius lib. IV. c. 1. de Doctrina temporum. Cujus sententiam egregie firmat locus Auctoris de Bello Africo varie a viris doctis exceptus: *Per id tempus fere Cæsaris exercitui res accidit incredibilis auditu. Namque Virgiliarum signo confecto, circiter vigilia secunda noctis, nimbus cum saxea grandine subito est exortus ingens.* Id post VI. Kal. Februar. accidisse idem scribit. Nam VI. Kal. Februarias, equestri prælio Cæsar Scipionem & Lælium in castra coëgit, ut narrat cap. 27. postero die ex omnibus præsidiis cohortes deduxit, atque omnes suas copias in campo instruxit. Cum jam prope Solis occasum exspectavisset, reductis copiis in castra, postero die propius eorum aciem instituit porrigere munitiones; tertio quartove inde die nimbus hic saxeus exortus est, ut ex his verbis patet: *Ad hoc autem incommodum accesserat, quod Cæsar non more superiorum Imperatorum in hibernis exercitum continebat, sed in tertio quartoque die procedendo, propiusque hostem accedendo, castra communiebat.* Ubi legendum existimo, *sed jam tertio quartoque die*; ergo quarto die post D. IV Kal Februari hoc contigit, id est, secundo Februarii Romani id contigit. Convenit autem dies ille duodecimo Novembris Juliani, cum annus inceperit 13. Octobris. Virgiliarum autem occasum matutinum Plinius statuit ex Julii & Sosigenis mente in III. Id. Nov. id est, 11. die Novembris. Sed de Virgiliarum occasu postea amplius agendum erit.

A. D VI. Idus Aprilis veteris, qui congruit 8. Februarii, Romani, Cæsar Jubam devicit ad Thapsum, ut Ovidius lib. IV. Fastorum testatur, & ex auctore de Bello Africo colligitur Idibus Junii, id est, 14. Aprilis Juliani Cæsar Uticæ classem conscendit III. Kal. Quinct. a Caralibus secundum terram provectus duodetricesimo die, eo quod tempestatibus in portubus cohibebatur, ad Romam urbem venit. Rediit itaque Romam ab Africana expeditione Cæsar VII. Kal. Sextiles, qui dies cadit in 26. Junii Juliani.

Sed de anno confusionis, ut vulgo vocatur, hæc sufficiunt: nunc ad annos proximos ascendamus, & quot dierum fuerint quæramus.

Anno V. C. Varroniano 707. quo Cæsar dictator Magistro equitum M. Antonio sine Coss. in fastis perscribitur, intercalatum non fuisse, ne quidem anno præcedente 706. V. C Cæsare & Servilio Coss. probat insignis Ciceronis locus epistola penultima libri X. ad Atticum. *Nunc quidem æquinoctium nos moratur, id scilicet eras erit. Utinam idem maneat Hortensius, siquidem adhuc erat, liberalius esse nihil potest.* Scripsit hanc epistolam Cicero XVII. Kal. Junias anno V. C Varroniano 705. a quo die ad Kalendas Januarias anni insequentis numerantur dies 222. qui collecti cum duobus annis Romanis communibus 355. dierum, conficiunt dies 932. qui numerus dierum retro numeratus ab 13. die Octobris anni periodi Julianæ 4667. desinet 25. die Martii anni periodi Jul. 4665 atque ita dies XVII. Kal. Junias, qua Cicero epistolam illam scripsit, convenit 24. Martii Juliani, pridie ejus diei, quo æquinoctium vernum eo tempore committi credebant.

Immerito igitur viri eruditi hunc locum Ciceronis corruptum emendare conantur: & Simeo quidem Bosius ex decurtato libro in quo *æras* erat, corrigit: *id si ἀκμάς erit.* Josephus Scaliger scribendum ait (*e*): *Nunc quidem æquinoctium noctium nos moratur, quod valde perturbatum erat. Id si eras erit, utinam idem maneat. Hortensio (siquidem adhuc erat) liberalius esse nihil potest.* Idibus enim Majis Romanis æquinoctium fuisse credit, atque ita duobus solummodo diebus a nobis dissidet. Samuel Petitus lib. IX. Miscell. rescribit: *Nunc quidem ἀγὴς, νότιον nos moratur, quod valde perturbatum erat. Id si ἀγγὰς erit, utinam idem maneat Hortensius.* Sed hoc portentum emendationis jam refutatum est ab eruditissimo Petavio in Auctario

(*e*) Lib. II. de Emend. cap. ult.

operis de Doctrina temporum lib. V. cap. 13. Ego, si quid corrigendum est, in Ciceronis hoc loco legerem: *Nunc quidem a quinellinum nos moratur, quod valde perturbatum erat; id scilicet cras erit. Utinam idem maneat Hortensius: sic ut quidem adhuc erat; liberalius esse nihil potest.* Nam mirificam Hortensii ἐκτένειαν erga se laudat principio epistolæ. Sed tamen dubitat, an idem maneat, nec immerito. nam sequente epistola scribit Attico: *Nam illa Hortensina omnia fuere infantia, ita fiet homo nequissimus.*

Cum itaque annis 706. & 707. Varroniano intercalatum non fuisse demonstratum sit, si unicuique anno dies 355. imponas, constat annum quidem Romanorum 707. P. Jul 4666. 23. Octobris, præcedentem 2. Novembris A. P. Jul. 4665. inisse. Sed & anno 705. qui primus belli civilis fuit, intercalatum non fuisse ex serie historiæ, & epistolis Ciceronis ad Atticum, apparet. Prid. Non Februarias Cicero venit Capuam ex jussu Consulum, qui eum Nonis ibi adesse jusserant (k). Nonis Lentulus eo venit sero, alter Cos. omnino non venerat. VII. Id. Febr. quo die Cicero Capua decessit, & mansit Calibus. Ita Cicero Epist. 21. lib. VII ad Atticum, quam postridie 6. Idus scripsit (l) 9. Idus Febr. vesperi a Philotimo litteras accepit, Domitium exercitum firmum habere, cohortes ex Piceno, Lentulo & Thermo ducentibus, cum Domitii exercitu esse conjunctas: *Quæ litteræ me quidem, inquit, non nimis, sed eos qui in his locis erant, admodum delectarunt. Ecce postridie Cassio litteræ Capua a Lucretio familiari ejus, Nigidium a Domitio Capuam venisse, eum dicere, Vibullium cum paucis militibus currere ad Pompejum, Cæsarem confestim sequi.* Sed Domitius Vibullium retinuit contra Pompeji voluntatem; & quamvis Domitius constituisset v. Id. Febr. Corfinio proficisci, & cum Pompejo Luceriæ se conjungere, tamen Corfinii mansit, quod audierat Cæsarem Firmo progressum in castra Truentinum venisse. Apparet ita ex epistola prima Pompeji ad Ciceronem, quæ extat lib. VIII post epistolam undecimam ad Atticum, & prima Pompeji ad Domitium, quæ legitur eodem libro post XII. ad Atticum, qua Pompejus Domitium denuo ad se Luceriam advocat, ne distrahantur copiæ: ut etiam epistola sequenti, qua rescribit litteris Domitii a M. Calenio allatis. A. D. XIV. Kal. Mart. octavo ante Feralia die, id est, XVI. Kal. Martias Cæsar cum Corfinium venisset, cohortes V. præmissæ a Domitio ex oppido pontem fluminis interrumpebant, qui erat ab oppido millia passuum circiter III. Ibi cum antecursoribus Cæsaris prælio commisso, celeriter Domitiani a ponte repulsi se in oppidum receperunt. Cæsar legionibus transductis ad oppidum constitit, juxtaque murum castra posuit. Re cognita, Domitius ad Pompejum in Apuliam peritos regionum magno proposito præmio cum litteris mittit, qui petant atque orent, ut sibi subveniat, Cæsarem duobus exercitibus & locorum angustiis facile intercludi posse. Hæc Cæsar lib. I. de Bello Civ. cap. 17. Has Domitii litteras Pompejus recepit A. D. XIII. Kal. Mart. ut ex responso Pompeji constat, quo negat, se eorum, quos secum habebat, voluntati satis confidere, ut de omnibus fortunis Reip. dimicet: quod ubi Corfinium allatum est sexto, ut ex Cæsaris Commentariis conjicere licet, obsidionis die, milites tumultuantur (m), oppidumque & Domitium Cæsari dedunt. Cæsar Corfinio recepto, eodem die castra movet, justumque iter conficit, septem omnino dies ad Corfinium commoratus, & per fines Marrucinorum, Frentanorum, Larinatium in Apuliam pervenit.

(n) Jam ante Pompejus Brundisium versus Luceria moverat, Canusiumque pervenerat; ex quo oppido A. D. X. Kal. Martias scribit Ciceroni, ut celeriter Brundisium veniat. Canusio profectus est Feralibus, eodem die mane, quo Cæsar à Corfinio post meridiem. ita Cicero epist. 14. ad Atticum. Feralia notantur in Kalendariis antiquis ad diem IX. Kalend. Martias. Emendandus itaque locus Ciceronis Ep. 1. lib. IX. ad Att. *Etsi, cum has litteras legeres, putabam fore, ut scirem jam, quid Brundisii actum esset. Nam Canusio VIII. Kal. profectus erat Cnæus.* Ubi legendum IX. Kal. ut liquet etiam ex iis, quæ Cicero addit: hoc autem scribebam pridie, Nonas 14. die postquam ille Canusio moverat. A IX. Kal. Martiis quartus decimus dies est prid. Non. Martias. Plura alia hic addere possem, sed hæc, ut reor, sufficiunt ad probandum, nullam mense Februario hujus anni intercalationem intervenisse. Incepit itaque annus primus belli civilis, quo Lentulus & L. Marcellus Consulatum obtinuere, 13. die Novembris anni P. J. 4664. anno autem proxime præcedenti coss. L. Æmilio Paullo & C. Claudio Marcello intercalatum non fuisse, diserte Cœlius testatur Epist. 6. ad Ciceronem lib. VIII. Famil. *Quod tibi supra scripsi, Curionem valde frigere, jam calet; nam ferventissime concerpitur. Levissime enim, quia de intercalando non obtinuerat, transfugit ad populum, & pro Cæsare loqui cœpit, legemque viariam, non dissimilem agrariæ Rulli, & alimentariam, qua jubet ædiles metiri, jactavit. Hoc nondum fecerat, cum priorem epistolæ scripsi; nam Curio tribunatum hoc anno gessit.* Dio etiam lib. II. ita de Curione: *Ab eo tempore, cum multum temporis aliis atque aliis obtentis causis, nequid horum omnium decerneretur, consumpsisset, indigne se id ferre simulans, petiit, ut alius mensis ad eas leges tandem perferendas intercalaretur. Ea intercalatio usurpabatur, quotiescumque id res exigebat, tum vero non competebat; quod Curionem ipsum, quippe Pontificem, minime fugiebat. Verumtamen opus esse intercalatione contendebat, collegasque Pontifices clamoribus exagitans, quum ut assentirentur sibi, persuadere non posset (ac ne volebat quidem) ne aliam quidem ullam rem quoque decerni passus est.*

Cum itaque intercalatum non fuerit, 355. dies retro numerari a Kalendis Januariis anni sequentis, id est, 13. Novembris P. Jul. 4664. incident in 23. Novemb. anni P. Jul. 4663. quo die annus hic incepit. Et annus præcedens Ser. Sulpitio & M. Marcello Coss. 3. Decembris P. Jul. 4662. Nam ille etiam annus communis fuit, ut ex Cicerone colligitur lib. V. epist. 13. quam hoc anno dedit ad Atticum: *Ephesum venimus A. D. XI. Kal. Sext. sexagesimo & quinquagesimo post pugnam Bovillanam.* id est, post cædem Clodii, qui a Milone interfectus, ut Asconius testatur XIII. Kal. Februarias anni superioris, quo Pompejus solus Consul creatus collegam sibi assumpsit Q. Cæcilium Metellum Scipionem socerum suum. Ab illo autem die ad IX. Kal. Sextiles conficiuntur 560. dies, si modo ad 537. qui interessent, si simplex fuisset annus cædis Clodii, mensis intercalarius 23. dierum adjiciatur. nam intercalatum tunc Asconius liquido testatur: *Hæc agebantur mense intercalari post diem tricesimum fere, quam erat Clodius occisus.* Et iterum: *Pompejus ab interrege Ser. Sulpitio V. Kal. Mart. mense intercalario Consul creatus est.* Sed an 23. dierum, an vero 22. fuerit, non admodum liquet. Etenim quamvis ex loco Ciceronis supra adducto

(k) Ep. 23. l. VII.
(l) Ep. 24.

(m) Lib. I. de Bello civili cap. 20.
(n) Lib. V. Epistol. 11. ad Attic.

dies

dies 23. intercalati; tamen in oratione pro Milone, quam VI. Idus Aprilis Cicero habuit; centesimam lucem eam numerat ab interitu P. Clodii: *Centesima lux est hæc ab interitu P. Clodii.* Nam dies A. D. VI. Id. April. centesimus juste dies est a XIII. Kal. Januarias, si 22. tantummodo dies intercalarii interponantur. Verum, ut Asconius notat, ad orationem in Pisonem amat Cicero rotundum numerum ponere, quod illum in oratione potius quam in epistola fecisse arbitror. Nec tamen vehementer pugnem, si quis 22. tantum dies intercalaros fuisse contendat. Interim intercalationem 23. dierum admittam, & anno 702. V.C. Varron. quo Clodius occisus, 378. dies adsignabo; atque adeo Kalendas Januarias componam 18. Novembris anni periodi Julianæ 4661. Annum qui præcessit V. C. DCC. Varron. quo Cn. Domitius & Marcus Messalla septimo demum mense consulatum accepere, communem fuisse 355. tantum dierum existimo: nam duobus annis continuis unquam intercalatum fuisse nondum observavi.

* reliqua desiderantur.

ALBERTI RVBENI
EPISTOLÆ TRES
AD
CLARISSIMVM VIRVM
GOTHIFREDVM WENDELINVM.

Vir clarissime, Compellit me Gevartius noster auctoritate sua, ut dissertationes meas de Gemmis Augustæa & Tiberiana prælo committam. In altera earum, ut scis, Capricornus cernitur in orbiculo, genitale Augusti sidus, qua occasione pauca de illo inserenda videntur, præcipue contra Tristanum, qui nodum, in quo solvendo Scaliger & alii frustra laborarunt, uno ictu discindit, nativitatem Augusti post occasum Solis statuens, atque ita in Suetonio rescribi jubens. Quam insanam ejus criticen refellit luculente Suetonius ipse c. 94. *Quo natus est die, cum de Catilinæ conjuratione ageretur in Curia, & Octavius ob uxoris puerperium serius affuisset*, &c. Memini a te audivisse, sortem Fortunæ, sive lunarem horoscopum, in Capricorno fuisse cum Augustus natus est. Si pateris hujus sententiæ tuæ, quam non dubito veram esse, mentionem a me fieri, oro me latius de tota re certiorem facias, ne ignorantia a mente tua aberrem. His diebus nescio quis ventus me detulit ad Chronologiam Historiæ Romanæ, & animadverti in omnibus fastis unum Consulum par desiderari, quod necessario inserendum ante annum (a) V. C. Varron. 328. inter Consulatum C. Servilii Ahalæ, L. Papirii Mugillani, & tribunatum militum T. Penni, C. Furii, M. Postumii & A. Corn. Cossi. Nam Livius lib. IV. cap. 20. scribit: *Tertium ab Consulatu Cossi annum Tribunum cum militum consulari potestate habet.* Atqui in fastis vulgatis unus tantum annus interjicitur inter Consulatum & Tribunatum Cossi. Deinde cap. 30. Livius ait: *Tribuni militum consulari potestate quatuor creati sunt, T. Quinctius Pennus ex Consulatu (b), C. Furius, M. Postumius, A. Cornelius Cossus.* Si T. Quintius ex Consulatu Tribunus militum creatus est cum Consul esset, ergo Consul erat anno qui tribunatum eorum præcessit: & recte in Sigonii libro notatum est, Quintium ter Consulem fuisse, antequam hoc anno tribunus militum designatus est. Adhæc eodem cap. in Livio, omnes priscæ editiones & MSS. (certe Busticlianus, quem consului) præferunt: *Pervicere Tribuni, denuntiando se impedituros delectum, ut Quintius Consul de bello ad populum ferret.* pro quo Sigonius substituit, *ut Consules de bello.* Ceterum videntur in Livii exemplaribus voculæ aliquot deesse, forte ita supplendæ, (c) *ut Quintius Consul (jam enim Consulatum* III. *inierat cum* · · · · *Quintius) de bello ad populum ferret.* Ut sane absque hoc Consulatu non facile Livianam Chronologiam expedias. Verum hoc addito egregie constat, ratiocinium tabularum censoriarum, quas Halicarnassensis citat, quæ Consulatum Manlii & Potiti secundo ante cladem Alliensem anno, centesimum decimum nonum annum post exactos reges constituunt. Sunt & alia de quibus tecum garrire vellem, ut de anno captæ Urbis, quem Petavius Olymp. 97. anno tertio affingit, cum videatur potius hæc clades incidisse in ultimum mensem anni primi Olymp. 98. Archonte Athenis Pyrrhione, quo sane anno id accidisse Dionysius Halic. pro confesso ponit. Immo etiam Polybius tradit, *Atticum* annum post cladem Alliensem, cum adhuc Galli Urbem obtinebant, qui Februario demum mense expulsi fuere a Camillo, decimum nonum fuisse post pugnam ad Ægospotamon, decimum sextum ante pugnam Leuctricam. Atque eo ipso anno pacem Antalcidæ factam, quam omnes Scriptores conferunt in annum, quo Theodotus Archon fuit, qui Pyrrhionem subsequitur. At secundum calculum Petavii, annus ille, quo Galli Roma ejecti sunt a Camillo, est decimus sextus post pugnam ad Ægospotamon; decimus nonus

(a) Ad annum 310. sed hic annus tertius numeratur inclusive, & est biennium tantum.

(b) Illud, *ex consulatu*, additum pro nota ignominiæ, quod qui Consul fuerat, nunc crearetur Tribunus militum, essetque imminuta ejus dignitas, & referebat permagni hoc addi.

(c) Existimo ego, Quintium vocatum *Consulem* toto sui Tribunatus tempore, ejusque Collegas Tribunos tantum appellatos.

vero ante pugnam Leuctricam: & duobus annis pacem Antalcidæ præcedit. Illud etiam me male habet, quod Olympias 143. ab omnibus fere Chronologis statuatur in Consulatu Marcelli & Crispini, cum tamen Livius diserte scribat, æstate anni sequentis, Nerone & Salinatore COSS. Olympicos ludos celebratos. Sed non me hinc expedio; tu quæso me extrica: est enim dignus te vindice nodus. Vale, vir clarissime, & ama

devotissimum tibi
Alb. Rubens.

Bruxellæ Eidib. Junii
Anni Christiani M. DC. LI.

ALIA EPISTOLA
AD EUMDEM.

Vir clarissime, Si φιλαίτιος essem, merito de te queri possem, qui me jam plusquam annum litterarum tuarum & Capricorni exspectatione torques. Adeone me penitus animo tuo excidisse, aut tam vilem tibi esse amicitiam nostram, ut ne γρῦ quidem a te post tot menses! Ἀλλὰ τὰ μὲν προτετύχθαι ἐάσομεν ἀχνύμενοί περ. Tu modo usuram solve, & Capricornum tuum quam primum mitte. Etenim gemmarum Cæsarearum explicatio, cujus causa illum desidero, est jam dudum confecta. Nec est quod totum opus mittas, si nondum est paratum. Hoc solum scire velim, si Augustus natus fuit anno ad formam Julianam redacto, IX. aut VIII. Kalendas Octobres ante exortum Solis Quis fuerit horoscopus, quæ sors Fortunæ. Et horoscopum quidem in extremo Virginis aut principio Libræ fuisse fere video; de forte Fortunæ, quam in Capricorno ponis, nondum assequor, cum secundum calculum meum sors Fortunæ postremis gradibus Sagittarii conveniat. Nec hic quemquam habeo, qui hanc rem extricare possit. Vidi hac æstate apud Gevartium nostrum, opinionem tuam de natali Augusti inchoatam. Ubi IX. aut VIII. Kal. Octobris Juliani, natali Augusti assignas. Quod valde placet; sed quod addis IX. aut VIII. Kalend. Octobris Juliani, anno Ciceroniano in Nonas Decembres prisci anni sequentis Catilina cæsus fuit a Petrejo. Id hyeme contigisse Cicero scribit diserte pro Sextio. Verum si Nonæ Decemb. veteres cadunt in Septembrem Julianum, Catilinæ clades non hyeme, sed autumno contigit. Ego existimo, & tibi me, si coram esses, persuadere posse confido, anno Ciceroniano VIII. Kal. Octob. Juliani occupasse XII. Kal. Novemb. antiqui. Quo die actum de conjuratione Catilinæ, & S. C. factum, ut Consules viderent, ne quid R. P. detrimenti caperet, decimo octavo die ante habitam a Cicerone primam Catilinariam. Incepit itaque annus Varron. post Urbem conditam 692. Muræna & Silano COSS. 4. Decembris Juliani anno Per. Jul. 4652. a quarta autem die Decembris illius usque ad Kal. Januarias primi anni Juliani qui fuit Per. Jul. 4669. consurgunt dies 6237. & totidem dies conficiunt anni septemdecim veteres, ordine illo quem in adjuncta scheda videbis. Undecim nempe anni dierum 355. tres dierum 377. duo dierum 378 & annus confusionis dierum 445. Vale, vir clarissime, summum seculi nostri decus, & si me amas, nominis & doctrinæ tuæ cultorem devotissimum, cito Capricornum tuum, aut saltem litteras mitte, quibus me cura liberes.

Bruxellæ 11. Martii, 1652.

A. Rubens.

(*a*) Annus V. C. Varron. 692. incepit 4. Decemb. Juliani. Per. Jul. 4652. hoc anno Cæsarem, qui Pontifex maximus erat, intercalationem obtinuisse a collegio Pontificum, ut diutius frueretur, conjicio. intercalatio autem fuit dierum 22. Itaque

(*b*) A. V. C. 693. incepit 16. Decembris Juliani anni P. Juliani 4653. nec fuit intercalatus annus. at cum annus Julianus sit bissextilis, incidunt Kal. Januarii anni (*c*) V. C. 694. in 5 Decembris Juliani, nec hoc quidem anno intercalatum videtur. Itaque

(*d*) Annus V.C. 695. incepit 25 Novembris; at tunc Cæsarem, qui Pontifex maximus erat, hunc annum consulatus sui intercalasse, valde verosimile est. intercalatio fuit dierum 23.

(*e*) A. V. C. 696. incepit 8. Decembris. non fuit intercalatum. itaque incepit annus V. C. 697. 28. Novembris (*f*) Lentulus COS hujus anni Pontifex erat, & forte etiam collega ejus Qu. Metellus. Itaque intercalatos fuisse existimo dies 22.

(*g*) Incepit igitur annus sequens V. C. 697 nona Novembris Juliani, quo anno non fuit intercalatum.

(*h*) Annus V. C. 698. incepit 29. Novemb. Juliani; & tunc fuisse intercalatum persuadet potentia & auctoritas COSS. Pompeji & Crassi. Intercalati dies 23.

(*i*) Annus V. C. 700. incepit 12. Decembris Juliani; nec intercalatus fuit.

(*k*) A. V. C. 701. incepit 2. Decembris, non intercalatus.

(*l*) Annus V. C. 702. incepit 21. Novembris Juliani, intercalatum fuisse ex Asconio liquet. Sed intercalationem fuisse dierum 22. ex Cicerone ipso in Miloniana constat, quam orationem habuit VI. Id. April. & ait in peroratione: *Centesima lux est hæc ab interitu Clodii.*

(*m*) Anno V. C. 703. incepit 3. Decembris, nec intercalatum fuisse apparet ex Cicerone Epist. 13. lib. V. ad Atticum, ubi XI. Kal Sextil. numerat diem sexagesimum & quingentesimum post pugnam Bovillam, id est, post cædem Clodii.

(*n*) A. V.C. 704. incepit 23. Novembris. hoc anno intercalatum non fuisse docet Cœlius Epist. 9. l. VIII. famil *Curio, quia de intercalando non obtinuerat, transfugit ad populum.*

(*o*) A. V. C. 705. incepit 13. Novemb. XVII. Kal. Junias scribit Cicero ad Atticum: *Nunc quidem æquinoctium nos moratur.* at XVII. Kal. Junias secundum calculum nostrum incidit in 24. Martii Juliani: ex quo loco liquet, nec sequentibus duobus annis, nec hoc ipso fuisse intercalatum.

(*p*) A. V. C. 706. incepit 2. Novembris.

(*q*) A. V. C. 707. incepit 23. Octobris.

(*r*) A. V. C. 708. *Confusionis* vulgo dictus, incepit 13. Octobris, & fuit dierum 445. Atque ita Kal. Jan. anni primi Juliani incidunt in Kal. Jan. anni P. Julianæ 46. 9.

(*a*) A. 692. fuit dierum 377. (*b*) A. dierum 355.
(*c*) A. dierum 355. (*d*) A. dierum 378.
(*e*) A. dierum 355 (*f*) A. dierum 377. (*g*) A. dierum 355.
(*h*) A. dierum 378. (*i*) A. dierum 355.

(*k*) A. dierum 355. (*l*) A. dierum 377.
(*m*) A. dierum 355. (*n*) A. dierum 355. Adde Dionem.
(*o*) A. dierum 355. (*p*) A. dierum 355.
(*q*) A. dierum 355. (*r*) A. dierum 445.

ALIA

ALIA EPISTOLA
AD EVMDEM.

Biennium jam & amplius editionem Gemmarum differo, dum quotidie tuum de Capricorno Augusti sidere sententiam expecto; de illo etenim aliquid in ista dissertatione dicendum, quia Capricornus in gemma Augustaea prope Augustum in circulo descriptus est, quod opinionem tuam de sorte Fortunae valide firmat, quam circuli forma exprimunt Astrologi: quia, ut Scaliger & Salmasius censent, sortes omnes ligneae & eburneae ita scalperentur. Immo etiam gubernaculum navis cum orbe & cornucopiae, quae attribuuntur Capricorno in nummis Augusti, significare videntur, in themate Augustaeo locum sortis Fortunae in Capricorno fuisse; gubernaculum enim orbis & cornucopiae insignia Fortunae sunt, ut Lactantius & omnes passim docent. Et ex calculo quidem meo colligo, anno Periodi Jul. 4651. die 23. Septembris, hora 6. post mediam noctem, Lunam circa ingressum Aquarii, atque ita partem Fortunae, paulo ante Solis exortum, in ultimo gradu Capricorni fuisse. Sed mathematicis scientiis tam leviter tinctus sum, ut ratiociniis meis fidere non audeam. Quamobrem te iterum atque iterum rogo & obtestor, ut medios & veros motus ☉ & ☽ & locum ⊕ nascente Augusto indicare velis, atque insuper perscribere, num Cicerone Consule plenilunia aliqua Ecliptica fuerint, praeter illud quod Sethus Calvisius indicavit. Verum si tibi vel otium vel animus deest, ut precibus meis hanc operam praestes, hoc ipsum, quaeso, rescribe, ne diuturniori expectatione pendeam. Vale vir maxime, & me, ut solebas, ama. Bruxellis VI. Kal. Majas Anni Dionysiani CIↃ. IↃC. LIV.

GOTHIFREDI WENDELINI
AD SVPERIORES
ALBERTI RVBENI
EPISTOLAS RESPONSIO.

Amplissime vir, Eruditorum clarissime Rubens, Ternas jam abs te litteras totidem istis annis accepi, primas quidem Eidibus Juniis 1651. alteras V. Idus Martis 1652. tertias denique V. Kal. Majas hujusce anni 1654. Primarum argumentum fuit Augusti nascentis horoscopus, magnis opinionum divortiis volutatus ac distractus: cui subjungebas Chronologicam quoque quaestionem non unam de Fastis Romanis constituendis, opera pretio (si verum aestimamus) necessario; & in quod altera tua magno serio incumbunt. Tertiae nimio quam suaves, rescriptionem ad quaesita meam eblandiuntur. Dicam ergo quod res habet. Numquam existimavi pudori meo convenire, ut quae scriberem ad amicos, digna censerem legi extra chorum amicorum: sed quoniam audio nunc in Gallia publicatam meam ad Petavium Epistolam subitaria scriptione exaratam; teque jam video pertinacem in studio Chronologico, nec minus in isto argumento Gemmae Augusteae perseverare: quam ego spem abjeceram, ominatus de lentore Gevartii nostri in edendo MANLIO *suo, ob forenses occupationes, ne & tua foret perinde pandicularis molitio; resumo seriam ac confidentem fiduciam, non frustra me impensurum horas aliquot bonas optimo isti tuo desiderio. Resumo, inquam, in manus chartas, & ad te perscripta partim, partim perscribenda adhuc adversaria. Quae omnia saltem intra hunc mensem, dico ante Maji hujus finem, habebis spondeo abs*

Semper atque aeternum tuo
G. Wendelino.

Tornaco Kal. Majis. M. DC. LIV.

ALIA EPISTOLA
AD EVMDEM.

Amplissime Vir, Toties abs te interpellatus per annos 1651. 1652. & 1654. hoc est, toties tibi debendi reus, ut praestem promissa super Capricorno, Augusti horoscopo, non video dilationem causariam post abdicatum munus istud Officialatus, dicam an Officialatus, semper quidem & apud omnes grave, sed in sene jam fere decrepito non ferendum. Itaque liberatus tandem ablutusque atque absolutus sordibus tricosarum cognitionum, tempus habes (dices) explicandae libertatis, qua jam annum totum perfrueris. Fateor equidem, ut dudum factum oportuit quod utcumque potuit: nisi quia potuisse non fuit satis, si non etiam aliud officeret

Ἴσχει γὰρ χαλεπῆς πεῖραρ' ἀμηχανίης.

Primum, quod postliminio quinquennis restitutus patrio Parnasso dum ad illum contendo, vatum me sensi ac compernem, ut ad formandum novum incessum opus mihi fuerit serperastris; ad resumenda inquam mea studia pristina, de integro me oportuerit fieri alphabetarium, ac velut repuerascendum, quique

Cantando longos memini me condere soles,
Nunc oblita mihi tot carmina

cogar agnoscere. Alterum accessit infortunium: quo per

per lubricum gelicidiis lapsus afflictusque gravi casu tertium jam mensem lectum servo; ac vix nunc me attollo ad tentandum claudicantem gressum. Vix manus calamum sumunt, observantiæ testem in te meæ.

An addo & tertiam eamque decumanam remoram? Scu opinor, ut anno 1632. *natus Sabaudo Principi filius ingenia virorum illic eruditorum excitaverit ad istius partus encomia varia: inter quos de Societate quidam Thesaurus parem illi cum Augusto quondam, horoscopum Virginem adstruxerit: adversus quem* P. MONODVS *pro Capricorno asserendo. Variis scriptis magnisque contentionibus inter hos duos Patres decertatum est, in tantum, ut inscriptioni marmoribus incisæ scalprum minari videretur rasuram. Cui audaciæ ut obviam iretur, visum est bonum factum fore, si virorum etiam extra Italiam doctorum experiretur judicia. Itaque Serenissimus Princeps Franciscus Thomas arbitrium istius litis in me trajecit: cui & sententiam dixi pro Capricorno, dictamque in manus consignavi præsenti ipso Thesauro, docuique natum Augustum cum horoscopo surgentis Virginis, natumque eumdem sidere Capricorni quintam sub terris domum Fortunæ signante.*

Quamdiu ergo advixit Princeps Thomas, neque certus ego sum, quid ille super edendo meo scripto cogitaret statuendum, non debui prævertere istam mentem: nunc postquam ille in fatum suum abiit, Capricornus ab integro meus est, tuus est, & cum convalescente me deproperandus, quod intra hunc mensem me perfecturum confido.

Amplissime Domine tui plenus
G. Wendelinus.

Postrid. Kal. Martias. 1656.

ALBERTI RUBENI
EPISTOLA AD CL.
GOTHIFREDVM WENDELINVM.

CLarissime Vir, Gaudeo te Officialatus vinculis exsolutum, postliminio Parnassum rivisere, & Capricornum diu a me desideratum resumere, brevique nos ejus compotes facturum. Quod etiam atque etiam ut efficias rogo. Cum Antverpiæ nuper essem, Moreto nostro explicationem Gemmæ Cæsareæ prælo ut subjiceret, tradidi, in qua cum necesse esset de Capricorno Augustæo, qui illic expressus est, aliquid dicere, affirmavit te propediem publico daturum veram hac de re sententiam, & contra Scaligeri, Kepleri, Petiti & aliorum hallucinationes probaturum, Augustum natum esse 23. Septembris Juliani, & in themate Augusti sortem Fortunæ Capricornum obtinuisse: quod a te olim me audivisse credebam. Sed nunc video te diversam inire viam, & non alio nomine Capricornum Augustæo themati assignare, quam *quia quintam sub terris domum, quæ Fortuna dicitur, occupaverit.* Sed vereor, ne hæc ratio non satis efficax sit, ut tantam Augusto thematis sui fiduciam tribuerit, nisi & sortem Fortunæ in hanc ipsam domum Fortunæ deducis, de quo serio cogites velim: mihi quidem rudi Minerva hæc computanti non abhorrere a calculo meo id videtur. Etenim 23. Septemb. Juliani anno P. Jul. 4651. hora 5. 50. post mediam noctem Sol adhuc hærebat in 26. aut 27. gradu ♍: distantia autem Solis a Luna, erat signorum 4. gr. 5. aut 2. ita ut Luna obtinuerit 28. aut 29. gradum Capricorni, & sors Fortunæ fuerit in ultimis partibus Capricorni. Sed in his astronomicis ego in tenebris mico; nec enim ipsis artis hujus principiis instructus sum. Itaque taceo, teque enixe oro, ut quam primum tuam hac de re sententiam perscribas, quo illa, quæ Moreto edenda commiseram, ad tuam mentem corrigam. Vale decus meum, & me ama

Bruxellæ XX. *Martii anni* CIↃ. IↃC. LVI.

Devotissimum tibi
A. Rubens.

F I N I S.

MAR-

MARQVARDI FREHERI

CONSILIARII PALATINI,

DE RE

MONETARIA VETERVM ROMANORVM,

ET

HODIERNI APVD GERMANOS IMPERII,

LIBRI DVO.

ELENCHVS CAPITVM.

LIBRI I.

CAP. I.

De antiquis Romanorum Numismatis, an & quæ fuerint Monetæ.

CAP. II.

Definitio Monetæ expofita.

CAP. III.

Leges nummariæ Romanorum.

CAP. IIII.

Philofophi veteris Anonymi de re monetaria monitio ad Theodofium Aug. ejufque filios Honorium & Arcadium Cæſ. cum Notis.

LIBRI II.

CAP. I.

De Romanæ Reip. declinantis Moneta: nominatim de Byzantiis.

CAP. II.

Veterum Francorum Gothorumque Monetæ, Denarii, Solidi, Libræ, Fertones.

CAP. III.

Variæ variarum gentium Monetæ enumeratæ: nominatim de Florenis, *Ducatis, Taleris.*

CAP. IIII.

Hodiernæ Romani Imperii apud Germanos leges nummariæ.

CAP. V.

De prævaricatione harum legum, præcipue in minuta pecunia ufuali. Cauſſa fluctuantis rei monetariæ detecta, & remedium unicum.

REVE-

REVERENDISSIMIS ET SERENISSIMIS

S. ROM. IMPERII PRINCIPIBUS

ELECTORIBUS AD RHENUM,

D. JOHAN. SVICARDO MOGUNTINO,

D. LOTHARIO TREVIRENSI,

D. ERNESTO BAVARO COLONIENSI,

ARCHIEPISCOPIS, & ARCHICANCELLARIIS &c.

D. FRIDERICO PALATINO RHENI,

BAVARIÆ DUCI, ARCHIDAPIFERO &c.

Dominis suis longe clementissimis.

Quos singulos coram affari tremiscerem, ut scripto appellem junctos, Præcelsi Principes, fidentem facit materia: quæ est de instrumento humanæ societatis utilissimo, deque insigni principatus non infimo, id est, Moneta. Nam & ab omni ævo ad Principes ea nominis vultusque vulgandi ratio propria pertinuit, & administrationem rei propemodum sanctæ præ aliis in Republica cordi habuerunt. Neque vero Ecclesiæ præsules sua cura inferiorem aut indignam censuerunt, quin & fomitem illum peccandi ad suam censuram revocarent, & ingenio calamoque nobilem cumprimis materiam illustrarent. Quorum quidem monumenta per omnes & gentes & ætates in hoc genere extiterunt; e priscis, in Græcia Epiphanii Constantiensis in Cypro; e mediis & imis, in Gallia Nicolai Oresmii Lexoviensis, & postea Roberti Cœnalis Abrincensis, in Germania Johannis Dalburgii Wormatiensis Episcoporum, in Italia aut Hispania Antonii Augustini Ilerdensis demumque Tarraconensis Archiepiscopi, magni nominis & virtutis virorum. Cæteros enim qui hoc campo versati sunt, non facilius quam Homericarum navium nomina enumeravero. Post quorum omnium diligentiam si quid nobis insuper non vulgatæ observationis repertum videtur, non erit amicorum consilii, quorum impulsu illud nunc profero, quod me debeat pœnitere. Id vero quidquid est opellæ, neque alii quam vobis, Principes venerandi, deberi, neque aliter quam junctis offerendum existimavi: quos ab Augusto culmine secundos, & primas Imperii destinas, præter collegii Septemviralis vinculum, ipse Rhenus peplo suo, ceu peculiari quodam fœdere implexos tenet; instituto ut a majoribus inde accepto, ita constanti fide & fraterna conjunctione feliciter hactenus propagato, & æternum sancte conservando. Vos nobilissima Europæ ora, viris armisque & opibus artibusque florentissima, quæ Romanis olim sub Primæ & Secundæ Germaniæ nomine possessa, non minus quam cis-Rhenana Teutonia dominos agnoscit. Rhenus pater, cujus olim terribilem ripam, inde Defensores, Ballistarii, Acincenses, Armigeri, Martenses, Vindices, Pacenses prætexebant; hinc feræ & indomitæ gentes Nicri & Mogani Loganique accolæ premebant, nunc medius & securus vestra arva secat: vestra castella Augusta antiquitate nobilia, Moguntiacum, Bacchi aras, Confluentes, Tuitium, tranquillus & incruentus prælabitur: utramque ripam &

 Roma-

Romanam & Germanam agnoſcens non dirimit, ſed ornat: nec jam luſoriis infeſtus, ſed lembis & onerariis lætus; & proprias dotes fundit, & ultro citroque

Longinqua omnigenæ vectat commercia terræ.

Quibus non donis abundans! ſive Bacheia munera miremur, illa tot populorum gulis expetita: ſive quæſiti piſcis delicias, quem Rheni advenam civem Venantius Pictavenſis Epiſcopus vocat: ſive adeo quibus Hermus Taguſque ſuperbiunt, rutilantis metalli ramenta. Quod quidem præter vernaculum teſtem Orfridum Weiſſenburgenſem Monachum, qui auriferas Francorum arenas laudat, & Æneam Senenſem Cardinalem, neque Græcos olim ignoraſſe Nonnus Panopolitanus & ipſe antiſtes Edeſſenus indicio eſt, in Dionyſiacis ita ſcribens:

> Νηρεὺς μὲν τάδε δῶρα πολύτρεπτα, δῶκε δὲ κούρῃ
> Περσικὸς Εὐφρήτης πολυδαίδαλον εἶδος ἀράχνης,
> Χρυσὸν ἴβηρ πόρε Ῥῆνος· ἐχεκτεάνων δὲ μετάλλων
> Ἤλυθεν ἴκελα δῶρα γέρων Πακτωλὸς ἀείρων.

Neque aliunde nimirum repetenda aureæ monetæ origo, cui a Rheno nomen natum, a majoribus veſtris ceu IIII-Viris quibuſdam procuſæ, & cæterorum deinde Ordinum imitatione frequentatæ. Quem morem etiamnum retinentes, aureos argenteoſque nummos aut conjunctim, aut eadem lege modoque, ſumma certe præ multis aliis integritate publicatis; & ſaluberrimo conſilio inſtitutos conventus (quibus mihi intereſſe aliquando contigit) examinandis taxandiſque omne genus pecuniis diligenter habetis; & fluctuanti jamdiu rei nummariæ, quatenus morbi pertinacia admittit, remedium afferre ſatagitis, legum bonarum non minus hac etiam parte vindices acerrimi, quam cætera ſalutis paciſque & tranquillitatis publicæ cuſtodes vigilantiſſimi. Quando autem ita Comitiorum ſententia tulit, ut quæ ſuper hac re Circuli ſinguli inter ſe, quæ conjuncti pleno ſenatu in commune conſulenda cenſerent, ad Moguntinum prius Præſulem, Germaniæ Archicancellarium, ὡς ἡ Λατίνων βούλεται φωνή, ὡς δ' Ἕλληνες εἴποιεν, λογοθέτην *(ut de eo Nicetas Choniates loquitur) pro more referantur; tuæ inprimis Celſitudini, Illuſtriſſime Præſul, hæc etiam qualiacunque ſi reverenter offerrem, nonniſi rite & ordine me facturum putavi: magna ſpe fretus, in re bona vel leves conatus, utut a privato homine, nec tam forte iſtarum intelligente quam patriæ certe & veritatis amante profectos, apud tantos Principes non minus æquitate & comitate laudatos, quam dignitate & potentia ſuſpiciendos, locum aliquem non meriti, ſed gratiæ reperturos. Quod ſane non poterit mihi animum non addere, ad ampliorem hujus argumenti tractationem, ſub Pomponii nomine dudum promiſſam, tandem abſolvendam: ubi modo prius affectos de Romano Imperio, itemque de Germanica lingua commentarios, imo jam plene maturos & clauſtra indignantes, favente Domino in lucem protulero. Valete, Clementiſſimi Principes. Lobodunui, IIII. Non. Mart. Anno Meſſiæ nati MDCV.*

Rever. & Sereniſſ. VV. Celſitud. ſubjectiſſ.

MARQVARDVS FREHERVS.

MAR-

MARQVARDVS FREHERVS

DE RE

MONETARIA VETERVM ROMANORVM.

LIBER PRIMVS.

CAPVT I.

De antiquis Romanorum numismatis, an & qua fuerint moneta.

NUlla in re, ausim dicere, populi Romani tantam aut sollertiam industriamque extitisse, aut in propaganda longe lateque & ad omnem posteritatem consecranda sui memoria ambitionem, quanta in sola re nummaria & toto monetarum numismatumque genere observari potest. Nam ne de infinita & prope incredibili eorum varietate dicam, quæ tanta est, ut quot nummos, tot singulares & diversas formas observate liceat; ut liquido confirmare possim, in immensa eorum copia, quæ partim apud antiquarios homines vidi, partim ipse habeo, vix semel atque iterum me duo numismata conspexisse, quæ licet inscriptione annoque atque adeo utriusque (ut sic dicam) paginæ icone convenirent, gemina tamen sibi essent, id est, ab eodem artifice eodemque instrumento cusa & efformata. Quale quæso illud est, quod omnes pene res sacras profanasque, domi militiæque gestas, quotquot ullis historiis & & annalibus commendare, ullo marmorum & monumentorum apparatu exprimere & celebrare potuerunt; easdem plerasque omnes, atque etiam plures quam ullo in alio veterum memoriarum genere reperiantur, nummorum orbibus insculpere & includere studuerunt: genere monimenti non tantum compendiosiore & faciliore, verum etiam ad famam rerum late longeque dissipandam commodiore, & ad posteritatis memoriam longe durabiliore. Nam & ad eos populos, qui Romanæ urbis aut aliarum ornamenta, virorumque fortium statuas, & Principum arcus columnasque, & templa Deorum videre non potuerunt; jam tum illatus per commercia nummus, omnia illa suo orbe complectens, cumque nummo ipsa rerum fama penetravit: & ad nostram ætatem, quæ vix insignium tot monimentorum pauca & lacera fragmina, annaliumque auctores partim mutilos & dimidiatos, partim fœde corruptos maleque habitos retinuit, multis etiam omnino caret; numismatum ingens & admiranda multitudo pervenit, etiam selectissimorum, & adhuc satis integrorum, ut quædam ab incude adhuc recentia velutique aspera videantur. Quæ seu in veterum urbium excisarum ruinis & parietinis, seu in thesauris & flavissis illo ævo hac illac reconditis, sepulchrisque & urnis funeralibus sæpenumero inventa sunt & inveniuntur; seu in ipsis veterum ædificiis (quod memorabile mihi visum) inter singlorum lapidum commissuras hoc ipso consilio inserta, etiamnum a coriosis hominibus eruuntur & depromuntur. Ut vix credibile possit videri, tantam vim etiam cusi auri argentique & æris e terræ visceribus sine fine erui & hauriri. Sed faciebat singularis illa veteris legis Corneliæ nummariæ cautio & sanctio, non minus notatu digna, quam hactenus a nostris hominibus parum animadversa, qua conflare & dissolvere nummos probos non minus interdictum erat, quam improbos falsosque cudere & monetam adulterare. Paulus 1. Sentent. Tit. XXV. in princ. *Lege Cornelia tenetur* (a), *qui nummos aureos argenteos adulteraverit, laverit, conflaverit, raserit, corruperit, vitiaverit, vultuve Principum signatam monetam præter adulterinam reprobaverit.* Ut enim *flare nummos* Latinis est nummos fingere, fundere, formare, quod & *proflare* Plinius vocat, unde & *flavissas* veteribus dictas Gellius auctor est, quod in eis non argentum rude & infectum, sed flata signataque pecunia condi consuevisset: & *flaturarios* homines pecuniæ formandæ operatos Impp. vocant. l. 6. C. Th. de fals. monet. Ulpianus in l. 9. D. ad Leg. Cornel. de fals. *quive argenteos nummos adulterinos flaverit.* quod apud Græcos ita legitur, *νόθυς ἀργυρῦς νούμμυς ποιήσας*: Ita *conflare* (b) profecto est ejus rei contrarium agere, & quæ flata erant prius, igne subacta rursus in massam redigere, ut apud Lampridium in Alexandro: *Quartanos jam formatos in moneta detinuit, expectans, ut si vectigal contrahere potuisset, & eosdem ederet: sed cum non potuisset per publicas necessitates, conflari eos jussit, & tremisses tantum solidosque formari.* *Resolvere* idem vocat in eodem: *Formas binarias, ternarias, & quaternarias & denarias etiam, atque amplius usque ad bilibres quoque & centenarias, quas Heliogabalus invenerat, resolvi præcepit, neque in usu cujusquam versari.* Non licuit itaque jam tum per legem Corneliam nummos Principum conflare; quod & constitutionibus deinde interdictum fuit, ne injussu Principum a quoquam fieret, l. 1. C. de auri publ. prosecut. l. 12. 13. C. Th. de susceptor. præpos. l. 1. C. Th. si quis pecun. conflaverit. ne ni-

a L. Cornelia nummaria. b Conflare.

mirum ipsa icon & rei impressæ memoria, cujus fine & contemplatione pecunia formata erat, periret. Eadem ratione qua nec statuas & imagines Imperatorum consecratas conflare citra majestatis crimen licuit. l. 4. in fine & l. 6 D. ad leg. Jul. majest. (in qua ea verba, *aliudve quid simile admiserint*, non possit quis aptius quam de conflatis nummis interpretari) Tacitus lib. III. *L. Ennium equitem Romanum majestatis postulatum, quod effigiem Principis promiscuum ad usum argenti vertisset, recipi Cæsar inter reos vetuit.* Nisi forte cujus memoria damnata esset d. l. 4. D. ad leg. Jul. majest. Hoc genus, ut statuas, imagines, clypeos dejici, detrahi, confringi, aboleri solitos: ita etiam nummos conflari Dion de Cajo testatur lib. LX. *Τῇδε τῦ Γαΐε μνήμῃ ἀχθόμενοι τὸ νόμισμα τὸ χαλκῦν πᾶν, ὅσον τὴν εἰκόνα αὐτῦ ἐντετυπωμένην εἶχε, συγχωνευθῆναι ἔγνωσαν.* Idque quod de nummis minore conflandis dico, usque adeo verum est, ut etiam posteriores Principes, quamvis declinante Imperio & fisco pauperiore, potius tamen quam priorum Principum nummos conflarent & suo iconio recuderent, monetam deteriore argento, & (ut quidam Poeta loquitur) venæ secundæ facere maluerint: quæ *Majorina* illa dicta videtur, a Constantio Imp. l. 6. C. Th. de falsa mon. Secus ac hodie, ubi non tantum priorum Principum monetæ a successoribus plerumque recuduntur, sed & aurifabris omne pecuniæ genus conflare & in promiscuum manupretii usum convertere impune liberumque est. Atque hæc (ut opinor) vel præcipua causa esse potest, quod tanta veterum nummorum copia salva remanserit: non tantum qui integri & notabiles sint, sed & multorum qui omnino detriti & inaspicui: adeo ut & Justiniani tempore plurimi veterum aureorum solidorum in urbe Roma & aliis Italiæ partibus invenirentur, ut ipse scribit in pragmatica sanctione ad ad Vigilium Episcopum Romæ cap. 19. multoque magis Valentiniani. l. 1. C. de veter. numis. potest. & adhuc nostro seculo multi tantam eorum vim possideant, ut priscorum illorum Crassorum & Lucullorum census eo ipso pecuniæ numeratæ genere æquare posse videantur.

Interea vero dubitari apud nos etiam a doctis video, utrum totum illud nummorum genus Cæsareos vultus & a tergo exquisitissima variis modis signa impressa habens, illo ævo in promiscuo & quotidiano monetæ & commerciorum usu fuerit? Qua de re si sententiam meam roger, hoc tantum dicere habeam. Aut nullam apud veteres Romanos monetam fuisse, aut certe hanc fuisse, qua de agimus: & quidem æneam (quod illi minime admittere volunt) vel maxime. Nec tamen (ut hoc prius expediamus, quod a nullo prius annotatum videmus) omne nummi genus ab eodem profectum fuisse videtur. Totum enim fere genus æneorum nummorum Senatus auctoritate in gratiam & honorem Principum cusum formatumque fuisse stantis Imperii temporibus deprehendi. Senatus siquidem consulto, ut statuæ, effigies, arcus, & id genus alia; ita & nummi Principibus modo primum electis & inauguratis, modo alia atque alia gerentibus decerni soliti. Dion. lib. XLIV. de Julio: *πρὸς δὲ τύτοις τοιύτοις ὖσι, πατέρα τε αὐτὸν τῆς πατρίδος ἐπωνόμασαν, καὶ ἐς τὰ νομίσματα ἐνεχάραξαν.* Herodianus in Severo: *ὁ δὲ Σεβῆρος καὶ πρὸς τὴν σύγκλητον τὰ αὐτὰ ἀνενεγκών, ὡς ἂν μᾶλλον αὐτὸν ἐς πίστιν ὑπαγάγοιτο, νομίσματά τ' αὐτῦ κοπῆναι ἐπέτρεψε, καὶ ἀνδριάντων ἀναστάσεσι ταῖς τε λοιπαῖς τιμαῖς τὴν δοθεῖσαν χάριν ἐπιστώσατο.* Et ita quidem, ut causa decernendi in ipso nummo nonnunquam notis literisque exprimeretur, veluti in Augusti: *Ob cives servatos. Quod per eum respublica in ampliore atque tranquilliore statu est. Quod viæ munitæ sunt, &c.* Sed cudebatur Senatus jussu æreus tantum nummus, ut ex Dionis loco supra allato videre est, ubi omnem Gaji nummum, æneum tantum, conflatum Senatus jussu refert. Cujus rei certissimum argumentum est, quod omnibus fere æneis, quocunque genere flatis, nota S. C. (c) impressa cernitur: idque in omnibus Latinis nummis (in Græcis enim nummis (d) apud eas provincias cusis, quæ per præsides regerentur, idem non apparet) ad id usque temporis, quo per triginta Tyrannos respublica miserandum in modum lacerata fuit, deinceps vero Senatus auctoritas paulatim evilescere cœpit, constanter servatum observare licet: quas tamen notas in nullo aureo argenteove nummo adhuc videre mihi licuit. Nimirum quia aureos argenteosque (e) ipsi Imperatores suo arbitrio in aulicis & palatinis monetis cudebant, & (ut auctor quidam vetustus, sed Anonymus, Notitiæ Imperii subjectus, loquitur) *potentia Regalis pro licentia speciem suam in auro tantum argentoque signavit: quæ pro reverentia figura nullis usibus proficiens ad honorem regum sacrata permansit.* De auro primum fidem facit Plinius lib. XXXIII. cap. 3. ubi de aureo nummo loquitur; *paulatim* (inquit) *Principes imminuere pondus aureorum; minutissime Nero* (ita corrigentibus adsentior) *ad XLV. M.* Et Papinius in epitaphio Hetrusci, qui quæstor fuerat Domitiani:

> *Quod domuum celsis niteat laquearibus aurum:*
> *Quæ Divum in vultus igni formanda liquescat*
> *Massa, quid Ausoniæ scriptum crepet igne monetæ.*

De argento fidem facit Suetonius in Octavio: *Tantam mox fiduciam fati Augustus habuit, ut thema suum vulgaverit, nummumque argenteum nota sideris Capricorni, quo natus est, percusserit.* Et Philostratus de Apollonio lib. I. drachmæ argenteæ a Tiberio signatæ meminit. Addo & electreos (f) a Principibus signatos, quippe auro argentoque remixtos. Lampridius in Alexandro: *Alexandri habitu nummos plurimos figuravit, & quidem electreos aliquantos, sed plurimos tamen aureos.* Hoc loco nescio an non Trajanum (g) excipiam, cujus etiam in aureis & argenteis, etiam qui denariis majores, semper fere hæc inscriptio visitur, *S. P. Q. R. optimo Princips.* Quod ex singulari ejus principis modestia factum credibile est, qui etiam statuas & honores deprecatum legimus, quam tantopere Plinius Secundus in Panegyrico deprædicat. Tandem vero oppressa penitus per Principes republica, Senatusque auctoritate veluti capite deminuta, factum est; ut omne nummi genus etiam æneum quodvis a Principibus ipsis cuderetur. Et hinc est, quod in posteriorum Principum, circa Constantini tempora, nummis æneis nunquam amplius SC. nota illa pristina cernatur: sed aliæ potius, locum significantes monetæ Palatinæ, ubi cusi essent. veluti: PTR. & P. TRE. & T. TR. & TRS. & TR. & P. S. quæ *pecuniam Treveris signatam* innuunt. Quippe cum & Libellus Dignitatum (qui sub posterioribus Imperatoribus confectus videtur) *Procuratoris Monetæ Treverorum* meminerit, & in lapidibus quoque *III. virorum moneta Treverica* mentio inveniatur. Eadem ratione, qua & P. LVG. *pecuniam Lugdunensem*, & AQPS. *Aquileja pecuniam signatam* in ejusdem generis nummis denotat; & sic de reliquis.

Et hæc cum ita sint (ut ad rem redeam) nullus equidem dubito, quin omne illud genus aureorum, argenteorum, æneorum nummorom monetæ & pecuniæ usu vulgo fungeretur: & quidem eo magis,

c S C. d Græci nummi. e Aurei & Argentei.

f Electri. g Trajani Imp.

quo

quo magis ad honorandum Principem, resve gestas famæ & posteritati consecrandas factum esset: quippe cum non alia melius ratione in manus & ora hominum pervenire posset, quam per commerciorum & quotidiani usus liberrimam facultatem. Quod ne longius repetamus, satis intellexit vel Rex ille Italiæ Theodericus, Gothus licet & qualiscunque Romanorum imitator, cum apud Cassiodorum in formula Comitivæ Sacrarum Largitionum lib. VI. cap. 7. ita scribit: *Supplicum fortunas per te erigimus: Kalendis Januariis affatim dona largimur, & lætitia publica militia tua est. Verum hanc liberalitatem nostram alio decoras obsequio, ut figura vultus nostri metallis usualibus imprimatur, monetamque facis de nostris temporibus futura sæcula commonere. o magna inventa prudentum! o laudabilia instituta majorum! ut & imago principum subjectos videretur pascere per commercium, quorum consilia invigilare non desinunt pro salute cunctorum.* Idemque lib. VII. cap. 32. *Monetæ debet integritas quæri, ubi & vultus noster imprimatur. Quidnam erit tutum, si in nostra peccetur effigie? Sit mundum, quod ad formam nostræ securitatis adducitur. Claritas regia nihil admittit infestum. Nam si vultus cujuslibet sincero colore depingitur, multo justius metallorum puritate principalis gratia custoditur.* Auctor ille anonymus, Philosopus tamen, in opusculo quodam ad Honorium & Arcadium Impp. (ut videtur) scripto, & notitiæ Imperii subjecto: *Sequentior ætas æris redundante materia, quam publicus jam recusabat manuum ornatus, diuturna ut prior monumenta meditata, at validum ipso pondere pretiosius figuravit: cujus species pro qualitate (ut diximus) ponderis diuturnior fuit. Sed potentia regalis pro licentia speciem suam tantum in auro argentoque signavit: quæ pro reverentia figura nullis usibus proficiens, ad honorem regium sacrata permansit. Æris autem materia, quæ jam præ copia vilior erat, ad dona militaria & varia populorum commercia signabatur.*

Extra dubium itaque habeo, aureos veterum Imperatorum nummos, illos ipsos (quorum toties in nostro jure mentio) Solidos (*b*) fuisse.



Argenteos vero, denarios (*i*), quinariosque, & libellas sembellasque tam certo fuisse, quam consulares argenteolos: fuisse illos ipsos Bigatos & Victoriatos, quorum Plinius meminit, & Serratos, quorum Tacitus, dubitari non potest.



Majores vero aureos argenteosque pro ponderis sui ratione ad sestertiariam rationem redactos computatosque fuisse.

Ad æreos autem quod attinet, quos Auctor ille *pondere ipso pretiosiores* eleganter & vere scribit, (quis enim non videt, decem asses, vel quinque dupondios ab unius denarii argentei pretio, si metallum solum æstimemus, longe abesse) observavi tria eorum esse genera, quæ frequentius occurrant. Unum ex ære cyprio flatum, non spissum valde, & tale, ut omnes prope ejus generis nummi in magnitudine & pondere probe inter se conveniant, nisi quatenus unus magis altero terræ (in qua tot seculis delituit) acrimonia & ærugine erosus & tenuatus esse potest: eos Asses (*k*) fuisse mox docebo.



Raroque illo genere minores ex ære hac ætate invenire contingit; quamvis olim & semisses trientesque (*l*) & quadrantes, & alia id genus raudiuscula minima, etiam uncialia & semiuncialia ex ære cusa essent: & quædam adhuc ejusmodi raudiuscula, sed paucissima, etiam antiquorum Principum visantur. Credo, quod propter exiguitatem suam temporis & terræ injuria vel maxima ex parte consumpta & penitus exesa sint.

Alterum est genus magnitudine non magnopere ab illo differens, sed duplo crassius, pondere fere duplo, & ære (non cupro) flavo constans: in quo & a tergo, fere ut in priori assium genere, singularia plerunque sigilla impressa videre est. Eos ego dupondios (*m*) fuisse duosque asses valuisse affirmo.



Et si quod inter hæc duo genera medium invenitur, eos sesquiasses (*n*) fuisse crediderim, quorum quidem mentionem facit Didymus apud Priscianum. Tertium denique his majus & amplius, & inter eos nummos, qui a Senatu cusi, notamque S. C. impressam habent, omnium maximum, figuris etiam plerunque insignioribus, variisque complurium personarum notis insignitum est, ære & ipsum meliore flavoque constans: quod sestertios (*o*) fuisse assevero, non tam mea conjectura ductus, quam insigni Plinii loco, quo hæc modo dicta omnia comprobantur, lib. XXXIV. cap. 2. ubi de ære agit: *Summa gloria*, inquit, *æris nunc in Marianum conversa, quod & Cordubense dicitur. Hoc a Liviano cadmiam maxime sorbet, & aurichalci bonitatem imitatur in sestertiis dupondiariisque, Cyprio suo assibus contentis.* Unde perspicuum est, errare etiam eos, qui sestertios sub Principibus tantum argenteos fuisse scribunt, Cum non tantum Vespasiani temporibus ex ære Mariano cusos Plinius modo dixerit: ex quo genere est iste, & alio loco a nobis exhibitus.



Sed visantur plurimi ex ære Corinthio (*p*), optimo illo

b Solidi. *i* Denarii. *k* Asses. *l* Trientes.

m Dupondii. *n* Sesquiasses. *o* Sestertii. *p* Æs Corinthium.

illo & (ut cum Prudentio loquar) aurulento effićti, quod metallum (ut Tullius III. Tusculanarum ait) tardius æruginem contrahit, seu propter sui bonitatem, seu ob quantamcunque auri portionem remixtam. Quam adeo ob causam, quod legimus, *sestertii pretium tandem crevisse ad quatuor asses*, cujus rei vestigium extat in l. ult. C. de donat. id ipsum existimare quis possit, etiam ad æneos illos sestertios vel maxime pertinuisse; cum quidem non posset non ejus metalli bonitas cæterorum nummorum pretium vincere. Eadem ratione qua Plutarchus in lib. de Pyth. orac. ubi de ære Corinthio disserit, memorat fabrum quendam ærarium Corinthi, cum in cistam multo auro repletam incidisset, metuentem ne palam hoc fieret, paulatim aurum abscidisse, & æri sensim permiscuisse; idque mirabili contemperatum modo colorem pulcrum fuisse adeptum, magnoque idcirco pretio venditum. Et sestertios magnos satis amplosque fuisse, argumento potest esse Juvenalis locus, mulli pondus & magnitudinem mirantis, Satyra IV.

— mullum sex millibus emit
Æquantem sane paribus sestertia libris.

Et hinc nimirum factum est, cum sestertiorum illi nummi omnium ut maxime insignes, ita in usu frequentissimi essent, ut tota olim apud populum Romanum calculi ratio in omnibus publicis privatisque negotiis non ad aliam quam sestertiariam rationem plerunque semper revocaretur.

Neque hoc loco dissimulandum est, esse etiam æneorum nummorum genus, prægrande illud & solito majus ponderosiusque (*Metalliones (q)* vulgo vocant) & plerunque res notabiliores insignioresque insculptas habens, non tantum apud provincias Græcas vel Asiaticas, sed etiam urbem Romam in Cæsarum honorem procusum, in quo nunquam S.C. nota visatur, quo uno argumento statim extraordinarios agnoscas, ubi videris.



Prorsus ut (si quid conjectura assequi valemus) non tam ad quotidianum pecuniæ usum, quam eo potius effictum cusumque ab ipsis Principibus videatur, ut congiarii loco populo distribueretur, pro donativo militibus ducibusque præberetur, vel in theatro circove aut in triumphalibus pompis missilium vice per φιλοτιμίαν (uti Harmenopulus ait) spargeretur; aut alias propinquis, amicis, senatoribus, pro strenis aut apophoretis, quavis denique causa donaretur: neque eo minus tamen, si usus ferret, publice expendi pro ponderis ratione & valore, quaternis puta senisve aut octonis assibus, & sic quintussium, octussium, decussium aut centussium vicem fungi posset. Cum præsertim nefas esset ullum nummi genus, imagine Principis signatum, in commerciis recusare.

Neque etiam hoc negavero, fuisse semper quoddam nummorum genus (r), quod non tam in promiscuo pecuniæ usu versaretur, quam potius ob raritatem aliquam vel memoriam asservaretur, neque facile expenderetur: adeo ut etiam in eo genere constitui usumfructum posse Pomponius J. C. scribat. l. 28. D. de usufr. *Numismatum aureorum vel argenteorum veterum, quibus pro gemmis uti solent, ususfructus legari potest.* Eorumque numismatum meminit & l. 9. §. 4. D. ad exhibend. l. 27. §. 4. D. de auro argent. leg. Et Plinius lib. XXXIII. cap. 3. *Qui nunc Victoriatus appellatur*, inquit, *lege Clodia percussus est: antea enim hic nummus ex Illyrico advectus mercis loco habebatur.* & Volusius Mætianus J. C. in lib. de Asse: *Peregrinus* (inquit) *nummus loco mercis, ut nunc tetradrachmum & drachma, habebatur.* Ex quibus tamen omnibus locis apparet, ea numismata peregrini & exotici generis magis quam Romani fuisse; Daricos puta, Philippeos, Atticos, idque genus alios. Sane sub posterioribus Principibus non omnem nummum in publico usu fuisse, manifeste apparet ex l. 1. C. Th. si quis pecun. confl. & l. 2. ubi ita statuunt Arcadius & Honorius Impp. *Centenionalem tantum nummum in conversatione publica tractari præcipimus, majoris pecuniæ figuratione submota. Nullus igitur Decargyrum nummum alio audeat commutare sciens fisco eandem pecuniam vindicandam, quæ in publica potuerit conversatione deprehendi.* Quæ vero hæc nummorum genera fuerint, nondum mihi satis liquet.

r Numismata non monetalia.

q Medaglioni, Medaillons.

CAP.

C A P. I I.

Definitio Monetæ exposita.

Placet definitio monetæ apud Paulum l. 1. D. de contr. emt. *Materia forma publica percussa, usum dominiumque ex quantitate magis præbens, quam substantia.* Forma publica est, quæ imposita a Triumviris æri, argento, auro flando, feriundo; aliisve magistratibus monetalibus jam inde Lege 12. Tabularum creatis: *Minores magistratus æs, argentum, aurum, publice signanto.* aut postquam majestas imperiumque a populo in Principem translata est, a Principe ipsi, qui auctoritatem nummo tribuit: nam privata forma quæ est, adulterinam esse necesse est. Denique forma publica est iconium publicum, quod habetur & exercetur in officina monetaque publica vel palatina l. 6. §. qui cum in moneta. D. ad leg. Jul. pecul. nam & ipsa officina sive ἀργυροκοπεῖον vocatur *moneta* ibi, & in l. 2. C. de fal. monet. l. 3. & 6. C. Th. eod. Macrob. 2. in fom. Scipio. *semen locari intra formandi hominis monetam.* quamvis Moneta proprie sit ipse character & σφραγιστήριον, iconium (ut Suetonius vocat) quo nummus insignitur, ceu sigillo annuloque bulla. Harmenopulus: *Μονῆτα καλεῖται τὸ ἀρχέτυπον σφραγιστήριον ἢ βουλλωτήριον, μεθ' οὗ ὁ τῶν νομισμάτων τύπος διαχαράττεται.* Tota enim monetæ faciendæ ratio hæc est, ut primo ipsum metallum ignibus excoctum & temperatum (*flare* id vocamus, Plinius *proflare*) præparetur: deinde in lamellas æquales concidatur, quæ κέρματα dicuntur: tum denique iconio & typario cudatur, feriatur, percutiatur & signetur. Quæ omnia eleganter, licet non suo ordine, expressit Lucanus:

Primus Thessalica rector telluris Ionos
In formam calida percussit pondera massa.
Fudit & argentum flammis, aurumque moneta.
Fregit, & immensis coxit fornacibus æra.

Quinimo etiam pleraque vetera numismata, ærea præsertim illa magna & extantia (quæ *Medallias* & *Medalliones* vulgo vocant) primum quidem liquefacto metallo typis formisque infusa & rudius formata, deinde demum incudi reddita, & iconio ferreo sive chalybeo incuso & adacto signata. Nec aliter tam crassa & extantia ita accurate excudi potuisse ab artificibus didici, quamvis & hi obscuram sibi illam rem, & inimitabilem veterum ea in parte solertiam esse fateantur. Idque illis verbis significatur *flando*, *feriundo*; quæ in ipsis etiam antiquis nummis his literis expressæ visuntur A. A. A. F. F. Quod non ita probe in adulterinis servatum fuisse animadvertere licet. Adulterinorum enim (ut & de his aliquid addam) etiam olim nimium quam multum passim subinde irrepebat nummorum: adeo ut vel hodie plurimi falsi & mendosi etiam inter antiquæ notæ argenteos aureosque nummos inveniantur, qui cum bracteati extrinsecus speciem aliquam præ se ferant, intus tamen ærei & sic suppositicii deprehendantur; ut artis non exiguæ esset eos posse discernere. Plinius lib. XXXIII. cap. 9. *Miscetur æs falsæ monetæ. Alii e pondere subtrahunt, cum justum sit LXXXIV. e libris signari. Igitur ars facta denarios probare. Mirumque, in hac artium sola vitia discuntur: & ut falsum denarii spectetur exemplar, pluribus veris denariis adulterinus emitur.* Ex hinc tam frequens Adulterinorum nummorum in jure & alibi mentio. l. 13. C. Th. de susceptor. præpos. *non solidi, pro quibus adulterini sæpe subduntur.* Hi non materia tantum deteriores erant probis, quippe ea ipsa re compendium falsariis illis quærentibus: sed nec forma tam bona, cum plerique flarentur tantum & funderentur ad imitationem verorum, non etiam ferirentur, forte quod iconium & forma falsariis deesset. Ulpianus l. 9. D. ad Leg. Cornel. de fals. *qui argenteos nummos adulterinos flaverit.* Idem *fingere* vocat hoc quod dico l. 8. eod. Imp. Constantinus l. 2. C. de falsa mon. *Si quis nummos falsa fusione formaverit.* Licet nonnulli & percuterent, l. 19. D. eod. *Qui falsam monetam percusserint, si in totum formare noluerunt, suffragio justæ pœnitentiæ absolvuntur.* Ideoque olim in cautionibus plerumque addebatur, *ut probi nummi solvantur*, qui non sint subærati, in quibus nulla sit lacuna, nulla deminutio justi ponderis, ut l. lecta. D. de reb. credit. *probam pecuniam reddi.* L. Titius. D. de constit. pecun. & in formula fœderis Antiochi Regis apud Livium XXXVIII. *Argenti probi Attici talenta duodecim millia dato.* & sæpe apud Demosthenem in syngraphis: *ἀποδώσει τὸ ἀργύριον δόκιμον*, Plus addebatur in manumissione sacrorum causa, auctore Festo, *puri, probi, profani, sui*: quia nec solutio pecuniæ impuræ vel reprobæ vel sacræ vel alienæ liberat debitorem.

Ea autem nummi forma, ex quo (ut dixi) in Principem omnis potestas translata est, vultum fere Principis habet cum inscriptione; ut stante republica Consulum nomina, non tamen vultus, sed Romæ plerunque galeatæ alteriusve pro arbitrio numinis. Idque ita perpetuum est, uti non alio melius e re nata argumento Pharisæorum rebelles Romanis animos damnare Dominos potuerit, quam ex ipso denario censui debitu, habente Tiberii Cæsaris *εἰκόνα καὶ ἐπιγραφήν.* Prudentius:

En Cæsar agnoscit suum
Nomisma nummis inditum,
Cui nummus omnis scribitur.

Unde Juvenalis Satyr. 14. monetam ita definit:

Concisum argentum in titulos faciesque minutas.

& Satyra 8.

—— —— lance beata
Dacicus aut scripto radiat Germanicus auro.

Quantitas ea est, quam paulo ante dixit, æqualitate sua, quod publicam ac perpetuam æstimationem habet, difficultatibus permutationum subvenire. Quia rerum nimirum omnium incerta, fluxa & variabilis est æstimatio, ut Plato inquit: *Τὰς μὲν χρείας ὥρας τε καὶ καιρῷ καὶ νόμῳ καὶ ἡδοναῖς καὶ ἰδέαις καὶ τύχαις ἄνω καὶ κάτω εἰς τὴν τιμὴν καὶ ἀτιμίαν μεταβαλλομένας.* Nummi perpetua & certa est æstimatio, ut ait Ulp. in l. 3. D. de in lit. juran. adeo ut omnibus rebus vænalibus possit adæquari semper commodissime: omnes enim res pecunia æstimantur. l. pen. C. de constit. pecun. Ideo nummum usum dominiumque ex quantitate ait præbere magis quam ex substantia. In nummis & pecunia non corpora spectantur, sed valor & potestas: ut pecunia valeat & censeatur non lamella, sed æstimatu & indicatura. l. 1. §. non solum. D. ad leg. Falcid. l. 1. D. de contrah. empt. l. 29. & l. 94. D. de solut. Res cæteras ex substantia, non quantitate, quia quantitas & valor earum perpetuus non est: sed (ut Tullius loquitur) precia earum sæpe jacent. Nummi precium est perpetuum, ut ejusdem ponderis nummi eodem semper valore censeantur, æqualitate quadam admirabili, etiamsi diversorum sint vultuum; ne Philippei (puta) pluris sint quam Antoniniani. l. 3. C. de veter. numism. potest. Theodos.

dos. novel. 25. de pret. solidi. Leo Philos. novel. 51. si modo in pondere conveniant, quod solent. Hæc est illa æqualitas, quam etiam Barbaris fuisse admirabilem Plinius & Solinus scribit: *Stupuisse regem Taprobanes pecuniam, quæ cum liberto Annii Plocami capta fuerat, quod tametsi signata disparibus foret vultibus, parem tamen haberet modum ponderis*, (vel ut Plinius loquitur) *quod pares pondere denarii essent in captiva pecunia, cum diversæ imagines indicarent a pluribus factos. Cujus æqualitatis contemplatione Romanam amicitiam flagrantius concupivit.* Et quam aliquando Nicephorus Phocas, quod contra legem moremque majorum violasset, tetartero excogitato, non parum subditis incommodasse scribitur: Νόμον καὶ ἔθος, inquit Cedrenus & Zonaras, ὄντων πάντα χαρακτῆρα βασιλέως, εἰ μὴ τῷ σταθμῷ ἐλαττοῖτο, δύναμιν ἰσοφέρειν καὶ ἔχειν ἰσότιμον, ὁ τὸν ἑαυτοῦ προκεκρίσθαι ἐνομοθέτησεν, ὑποβιβάσας τοὺς τῶν ἄλλων. Ἐξ ἧς αἰτίας οὐ μικρῶς ἔθλιψε τὸ ὑπήκοον ἐν τοῖς ἀγομένοις ἀλλαγίοις. Et hoc vult ipsa Monetæ effigies, quæ eadem plane figura pingitur qua Æquitas, cum bilance & cornu copiæ, in nummis Hadriani, Domitiani, Diocletiani, Constantis,



Et in nummis Probi & Crispi Impp. tres tales divæ effictæ cernuntur, tria (ut puto) Monetæ genera ex auro, argento, ære significantes, singulæ cum bilance & cornu Amaltheæ: quorum hoc significat, nummo omnia esse parabilia, ut & Philemo comicus, *argentum esse cornu Amalthea:* illa æqualitatem illam cudendæ monetæ, ut ejusdem generis & gradus nummi eodem pondere ad amussim cudantur; qui ejusdem ponderis sunt, eodem valore perpetuo censeantur.

CAP. III.

Leges Nummariæ Romanorum.

I.

TRIVMVIRI MONETALES AVRVM, ARGENTVM, ÆS PVBLICE SIGNANTO. Vetustissima XII. Tabularum sanctio. Pomponius l. 2. D. de orig. jur. §. Eodem tempore: *& triumviri monetales, æris, argenti, auri flatores.* Qui his notis nori: IIIVIRI. A. A. A. F. F. Tullius epist. 13. lib. VII. *Treviros vites censeo. audio capitales esse: mallem auro, argento, ære essent.* Et hi quidem stante Republica magistratus monetales erant. Sub Principibus Procuratores monetæ vel Præpositi, qui sub cura Comitis sacrarum largitionum, & Monetarios magno numero sub se habebant, ut ex Codice, Noticia Imperii, Marcellino aliisque constat. Summa legis est, *Ne quis præter magistratus monetales monetam facere audeat.* Quisquis enim privatus privatim facit, falsam vel falso facit, adulter est monetæ, & vindex est Lex Cornelia Nummaria. l. 1. 2. 4. 5. 8. C. de falsa mon. Παραχαράκτας vocat l. 8. C. Th eod. grave crimen, quod etiam in legem Majestatis incidit, ut ibi dicitur, & l. 7. C. Th. de indulg. crim. Quorum artes erant variæ. Alii enim falsa fusione faciebant, d. l. 2. & l. 3. C. Th. eod. quod est *fingere nummos.* l. 8. & 9. D. ad leg. Cornel. de fals. ubi *flaverit* est fuderit, utique deteriores bonis, pro argenteis subæratos, vel stanneos aut plumbeos. l. 9. §. 1. D. eod. Alii etiam percutiebant, falso iconio confecto, ut l. 19. eod. Alii *tingebant*, ut loquitur D. l. 8. id est, deaurabant, inargentabant, vel aliqua arte colorem conciliabant: unde *Tinctura* nomen (*Elissir* Arabes vocant) inter illos notum. Pœna autem falsariorum monetæ apud Ægyptios fuit manus amputatio, teste Diodoro Siculo lib. II. & Græcos, teste Harmenopulo lib. VI. Tit. περὶ διαφόρων ποινῶν. §. περὶ μονήτας. Basilic. lib. LX. Tit. περὶ χαρακτῶν. Novella 34. cap. 13. Longobardor. lege lib. II. cap. 98. Wisigothor. lib. II. Tit. 5. lege 8. Caroli M. Capitul. Tit. de falsa monet.

II.

MONETARII IPSI JVSTE SINCEREQVE NVMMOS FACIVNTO. *Juste*, a metallo & pondere. Metalla *sincere* administranto: *Auri flamma nulla injuria permixtionis albescat: argenti color gratia candoris arrideat: æris rubor in nativa qualitate permaneat*, ait idem Cassiodor. lib. VII. epist. 32. Itaque peculatus tenebatur, qui in aurum, argentum, æs publicum quid inderet, immisceretve, aut fieri permitteret. l. 1. D. ad leg. Jul. de peculat. Ait *publicum*: quia ex privato metallo nec in publica moneta impune pecunia cuditur. l. 6. 7. 9. C. Th. de falsa monet. Ponderis deinde ratio constet, qua potissimum moneta censetur. *Pondus quinetiam constitutum denariis præcipimus debere servari, qui olim tam pensi quam numero vendebantur: unde verborum vocabula competenter ab origine trahens* compendium & dispendium *pulchre vocavit antiquitas*, ait idem Rex apud Cassiodor. Hoc est, quod loquitur ipsa MONETÆ effigies, eadem plane figura qua Æquitas repræsentata in ipsis nummis, cum bilance & cornucopiæ; quorum hoc significet; nummo omnia esse parabilia, illa æqualitatem cusionis, ut ejusdem generis & gradus nummi etiam sub diversis Principibus (quam æqualitatis curam in Romana pecunia Regi Taprobanes summæ admirationi fuisse, Plinius & Solinus scribunt) eodem pondere ad amussim cudantur; qui ejusdem ponderis sunt, eodem valore perpetuo censeantur. Id quod sequitur.

III.

NVMMORVM EJVSDEM GENERIS PROBORVM OMNIVM IDEM PRECIVM ESTO, etiamsi diversorum sint Principum. l. 3. C. de veter. numism. potest. etiamsi diversa orbis figura aut mensura sint, modo pondus idem. l. unica. C. Th. Si quis solidi circul. exter. incider. Hac lege violata, & tetartero (quod vocabat) excogitato, male audiit Nicephorus Phocas, ut Zonaras & Cedrenus scribit: Νόμου καὶ ἔθους ὄντος, πάντα χαρακτῆρα βασιλέως, εἰ μὴ τῷ σταθμῷ ἐλαττοῖτο, δύναμιν ἰσοφέρειν καὶ ἔχειν ἰσότιμον, ὁ τὸν ἑαυτοῦ προκεκρίσθαι ἐνομοθέτησεν, ὑποβιβάσας τοὺς τῶν ἄλλων· ἐξ ἧς αἰτίας οὐ μικρῶς ἔθλιψε τι ὑπήκοον ἐν τοῖς ἀλλαγίοις.

IV.

NVMMOS LEGITIMOS REPROBARE NVLLI FAS ESTO, sub pœna legis Corneliæ capitali. Paulus 5. sentent. tit. 25. in princ. *vultuve Principum signatam monetam præter adulterinam reprobaverit.* Arrianus ad Epictetum lib. III. Τὸ τοῦ Καίσαρος νόμισμα οὐκ ἔξεστιν ἀποδοκιμάσαι τῷ τραπεζίτῃ, οὐδὲ τῷ λαχανοπώλῃ, ἀλλ' ἂν δείξῃς, θέλει οὐ θέλει προέσθαι αὐτὸν δεῖ τὸ ἀντ' αὐτοῦ πωλούμενον. l. 1. C. de veter. numism. potest. Id quod & multis Principum legibus repetitum est, Theodosii Novella 25. de prec. solid. Majoriani novel. 1. §. præterea nullus. Justiniani pragmatica sanct. ad Vigil. Pap. cap. 19. Leo Philosop. novel. 52. Et tandem adeo Caroli M Imp. lib. 3. Longobard. leg. Tit. 28 *Quicunque liber homo denarium merum & bene pesantem recipere*

cipere noluerit, bannum nostrum, id est, LX. *Solidos componat &c.* Reprobos autem nummos recusare fas est: qui etiam numerati non liberationem pariunt solventi. l. eleganter. 24. § 1. D. de pignerat. act. Imo deprehensi publice abolebantur, conflabantur, concidebantur. Etymologici auctor: *Διακόπτειν, οἷον ἀδοκίμαστον ἐστι. Διάκοπτον γὰρ τὸ ἀδόκιμον νόμισμα οἱ παλαιοί.*

V.

NVMISMA PVBLICE SIGNATVM NVLLVS VIOLATO. Non descalpendo, rodendo vel in orbem attondendo, quod est *radere*. l. 8. D. de falsis. & apud Paulum. d. Tit. 25. sentent. de quo est peculiaris Constantini Imp. lex C. Theod. lib. VIIII. Tit. 22. *qui mensuram circuli exterioris in solido inciderit & arroserit.* Idest, *παρακόπτειν* Basilicis, & *παραψαλίζειν*, qui id agunt: de quibus est Titulus lib. LX. Basilic. *περὶ χαρακτῶν καὶ παραψαλιστῶν.* Quo crimine infamem quendam Alexandrum Logothetam *ψαλίδιον* sive *Forsiculum* a Byzantinis dictitatum Procopius lib. III. de bello Goth. meminit: idemque gravissime in publicam pecuniam tractantibus, si ejus integritas deminuta sit, improbat Theodahatus Rex apud Cassiodorum lib. I. Epist. 10. Non purgando, sive argentum ab ære separando. l. 6. C. Th. & falsa mon. qua re vitiari & corrumpi monetam oportebat, quod totum genus jam inde Lege Cornelia severissime prohibitum fuisse supra exposuimus. Paulus d. loco: *Qui nummos adulteraverit, laverit, conflaverit, raserit, corruperit, vitiaverit.* C. Theod. *Si quis pecunias conflaverit &c.* l. unica C. de auri publ. prosecutor. *Censemus, ne quis absque præcepto viri illustris Comitis sacrarum largitionum, coquendum aurum sumat &c.* Et ad finem ejus legis, conservationem nimirum monetæ Principum, pertinet etiam sequens:

V I.

NEQVE AD EXTEROS MERCANDI CAVSA TRANSFERTO. Neque enim frugibus, vino, oleo, liquamine Barbaros instruere licebat. l. 3. & 4. C. quæ res vendi non possunt. l. 1. C. quæ res export. non deb. Multo minus armis telisque & omni ferro. l. 2. C. eod. Minime omnium auro & pecunia l. 2. C. de commer. & mercatorib. Et commutare quidem cum illis certis temporibus merces speciesque fas erat. l. 4. C. eod. emere non item, pecunia pro mancipiis aliisque rebus data: multo minus pecuniam ad illos vendendam deferre, ultra quam ad sumptus itineris opus sit. l. 5. C. Theod. *Si quis pecunias conflaverit vel mercandi causa transtulerit &c.* Nostri quoque imperii lege publica argentum & aurum infectum, sed & vasa argentea præterquam deaurata, item Ducati probi, aurumque Rhenanum signatum exportari vetatur, sub eadem pœna qua falsa pecunia. Comit. LIX. §. 77. & 84. Deput. §. 31.

V I I.

PECVNIA CVM MORTVIS NE DEPODITOR. Quod est ex XII. Tabulis: *Neve aurum addito.* Quamvis non intermitterent simpliciores homines, & mulierculæ, ut apparet ex l. 14 §. impensa. D. de religios. l. ult. §. ult. D. de auro arg. leg. Ideo mandatis etiam Principalibus interdictum fuit, *Ne pecunia sepeliatur.* l. 4 §. non fit locus. D. ad leg. Jul. pecul. Et in Basilicis Titulus est lib. XXXXV. *Οὐκ ἔξεστι συντάττειν τοῖς τεθνεῶσι χρήματα.* Cassiodorus lib. IV. epist. 34. *Ædificia tegant cineres, columnæ vel marmora ornent sepulchra: talenta non teneant, qui vivendi commercia reliquerunt.* Ibidemque ait, *Culpæ genus esse inutiliter in abditis relinquere mortuorum, unde se vita potest sustentare viventium.*

Finis Libri primi.



PHILOSOPHI VETERIS ANONYMI

DE RE

MONETARIA MONITIO

AD

THEODOSIUM AUG. ejusque filios HONORIUM & ARCADIUM CÆSS.

De inhibenda largitate.

BEllicam laudem & gloriam triumphorum utilitas semper imitatur (a) *ærarii, ne profusa largitio semina magis excitet præliorum. Quæ si providentia Majestatis Imperatoriæ reprimatur, non amplius bellorum florebit improbitas, sed collatorum potius defecta subsidia recreabuntur. Quod si largitio immoderata servanda profuderit, opum delectabilitas* (b) *nullo vetustatis more poterit jam necessitatibus subvenire. Quamobrem patrum nobis est paulisper providentia referenda, quam in rebus egenis habuerint, vel quæ nunc in tanta facultatum licentia videatur. Rectores superioris vitæ non otiosis opibus, sed condendis potius mœnibus lætabantur, in quorum decorem universam auri argentique materiam conferebant. Æris quoque copiam in simulachris propriis ad virtutis suæ testimonia figurabant. Ut vero emendi & vendendi utilitas, & ut facultas regiæ largitati suppeteret, in æris usum excultam politius terram & igne solidatam, certis quoque expressionibus figuratam, auro argentoque reposito usui habuerunt. Sed posteriores fastidientes priscæ vilitatis inventum, formatos e coriis orbes auro modico signaverunt, quibus Regum munificentia, & commutationum necessitas intactis collatoribus utebatur. Sequentior vero ætas æris redundante materia, quam publicis jam mœnium recusabat ornatus, diuturna ut prior monumenta meditata, æs validum ipso pondere preciosius figuravit: cujus species pro qualitate (ut diximus) ponderis diuturnior fuit. Sed potentia regalis pro licentia speciem suam tantum in auro argentoque signavit: quæ pro reverentia figuræ nullis usibus proficiens, ad honorem regium sacrata permansit. Æris autem materia, quæ jam præ copia vilior erat, ad dona militaria & varia populorum commercia signabatur. Constantini temporibus profusa largitio aurum pro ære, quod antea magni precii habebatur, vilibus commerciis assignavit. Sed hujus avaritiæ origo hinc creditur emanasse. Cum enim antiquitus aurum argentumque & lapidum pretiosorum magna vis in templis reposita, ad publicum pervenisset, cunctorum dandi habendique cupiditates accendit. Et cum æris ipsius, quod Regum (ut diximus) fuerat vultu signatum, enormis jam & gravis erogatio videretur; nihilominus tamen a cæcitate quadam, ex auro-quod preciosius habetur, profusior erogandi diligentia fuit. Ex hac auri copia privatæ potentium repletæ domus, in perniciem pauperum clariores effectæ, tenuioribus videlicet violentia oppressis. Sed*

(a) *f. comitatur.* (b) *f. defectibilitas.*

afflicta

afflicta paupertas, in varios scelerum conatus accensa, nullam reverentiam juris aut pietatis affectum præ oculis habens, vindictam suam malis artibus commendavit. Nam sæpe gravissimis damnis affecit imperia, populando agros, quietem latrociniis persequendo, inflammando odia, & per gradus criminum fovit Tyrannos, quos ad gloriam virtutis tuæ produxit magis quam succendit audacia. Erit igitur curæ prudentiæ tuæ, optime Imperator, repressa largitate prospicere, & in posterum nominis tui gloriam propagare. Denique paulisper felicium temporum revolve memoriam, & antiquæ paupertatis famosa regna considera; quæ agros colere, & abstinere opibus norant, qua hac honoris laude per omne ævum frugalitas incorrupta commendet. Certe Aurea nuncupamus, quæ aurum penitus non habebant.

De fraude & correctione Monetæ.

INter damna reipublicæ non ferenda, solidorum figura aliquantorum fraudibus depravata diversa populos ratione solicitat, & regiæ Majestatis imaginem, dum per monetæ culpam refutatur, imminuit. Ementis enim eundem solidum fraudulenta calliditas, & vendentis damnosa necessitas, difficultatem quandam ipsis contractibus intulerunt, ne rebus possit interesse simplicitas. Ergo huic quoque parti Majestatis vestræ est, ut in omnibus, adhibenda correctio: ita ut opifices monetæ redacti undique in unam insulam congregentur, nummariis & solidorum usibus profuturi: a societate videlicet in perpetuum contiguæ terræ prohibiti, ne commixtionis licentia fraudibus opportuna, integritatem publicæ utilitatis obfuscet. Illic enim solitudine suffragante integra fides monetæ præstabitur: nec erit fraudi locus, ubi nulla est mercis (c) *occasio. Verum ut qualitas futuræ discussionis appareat, formas & magnitudinem tam areæ quam aureæ figurationis pictura prænunciante subjeci.*

(c) *f. commercii.*

Felix inchoatio sacræ divinæque monetæ.

N O T Æ.

CONDENDIS *mænibus*) Observatu dignum est, urbis Romæ mœnia mirabili magnificentia fuisse, & cæteris omnium urbium nimio præstantiora: quippe in quorum (ut hic dicitur) decorem universam auri argentique & æris materiam conferebant: *Dignitas publicorum mænium urbis æternæ* dicitur in l. 3 C. Th. de calc. coctor. urb Rom. *Pulchra mœnia* dicit Prudentius lib. I. Symmachus ipse lib. X epist. 34 ad Impp. hosce Theodos. & Arcad. *justa inquisitionis, qua me cultum spoliatorum mænium investigare jussistis.* Cassiodorus 3. Variar. epist. 21. scribit, *nullibi tantam mænium pulchritudinem reperiri posse.* Idem epist. 29. ait, *multa in ea urbe decora mænium esse.* Et lib. VII. cap. 17. *mirabilem sylvam mænium Romanorum* prædicat: ubi *sylvam* accipere videtur pro columnarum multitudine, quomodo Sidonius in Burgo Leontii: *arctatis stat saxea sylva columnis.* Idem Cassiodorus in fine Chronici refert, Theodoricum regem Gothorum cum Romam advenisset, *admirandis mænibus* deputasse per annos singulos maximam pecuniæ quantitatem. Apud eundem Variar. 3. epist. 31. Theodericus Rex jubet diligenter inquiri in fures, qui *æs & plumbum de ornatu mænium Romæ sustulerant, quæ auctores suos saculis consecrarant.* Hisce accedat iste Philosophi locus, & quod mox dicit: *æris redundante materia; quam publicus jam mænium recusabat ornatus.*

Simulachris propriis) Quo nomine Ammian. Marcellinus lib. XIIII. reprehendit Romanos sui seculi, quod ardenter affectarent statuas, æternitati se posse commendari æstimantes: *quasi plus præmii (inquit) ex figmentis æreis sensu carentibus adepturi, quam ex conscientia honeste recteque factorum.* In quam sententiam est & Symmachi epistola 105. lib. IX. Quinimo, ut scribit Cassiodorus VII. Variar. c. 13. Romæ in plateis erat quidam velut *populus copiosissimus statuarum preciosarum.* Et 14. *Tot ibi statuas fuisse, ut posteritas parem populum arte dederit, quam natura procreaverit.* adeo ut peculiares ad eas servandas custodes, & eis præfectus Comes, fuerint deputati.

Formatos e coriis orbes) Numa Pompilius populo Romano pro congiario dedit ligneos & scorteos asses, ut Eusebius in Chronicis scribit, interprete Hieronymo. Seneca lib. V. de Benefic cap 14. *Æs alienum habere dicitur, & qui aureos debet, & qui corium forma publica percussum, quale apud Lacedæmonios fuit, quod usum numeratæ pecuniæ præstat.*

Auri argentique in templis) Idipſum in Conſtantino deplorat Zoſimus, Eunapius, Libanius; gratulatur Euſebius. Unice huc facit locus Jul. Firmici Materni, in lib. De erronib. profan. relig. ad Conſtantinum & Conſtantem: *Tollite, tollite ſecuri, ſacratiſſimi Imperatores, ornamenta templorum. Deos iſtos aut monetæ ignis, aut metallorum coquat flamma. Donaria univerſa ad utilitatem veſtram dominiumque transferte. Poſt excidia templorum in majus Dei eſtis virtute provecti.* Et veriſſimum eſt, quod hic Auctor ſcribit, poſt Conſtantinum Imp. auri uſum magis quam prius unquam increbuiſſe. Naſcentis Romæ tempore Saturnus & Janus æneam pecuniam ſignaverant, æs grave in uſu erat, per æs & libram omnia gerebantur, mulctæ quoque aut in pecudibus aut in ære dicebantur. Sub Conſulibus & Cæſaribus argentum potiſſimum terebatur, ſeſtertiaria calculi ratio & denariaria in uſu: victis quoque gentibus (ut Plinius annotat) in tributo argentum imperabatur, ſicuti Carthagini victæ & Judææ. At ſub poſterioribus Principibus illis Chriſtianis aureorum & ſolidorum & obryzatorum perpetua mentio crepat, omnia ad aurariam rationem redacta, tum tributa & illationes in auro, aurum coronarium: mulctæ adeo per pondo & libras auri infligebantur. Et cum veterum Cæſarum aurei perpauci appareant, horum frequentiſſimi inveniuntur. Quin & in poſterioribus Græcorum hiſtoriis ſubinde legimus, aurum per centenarios dimenſum & numeratum. Plane Lucretii illud dicas:

Nunc jacet æs, aurum in ſummum ſucceſſit honorem.

Repreſſa largitate) Eo ſane nomine huncce Theodoſium laudat Panegyriſtes Latin. Pacatus: *At te voluiſti incipere cenſuram, & impendia palatina minuendo, nec ſolum abundantem rejiciendo ſumtum, ſed vix neceſſarium uſurpando dimenſum, quod natura difficillimum eſt, emendaſti volentes. An quis ferret moleſte, ad Principis ſemet modum coerceri? aut ſubtractum ſibi doleret de privata luxuria? cum videret Imperatorem rerum potentem, terrarum hominumque dominum, parce contenteque viventem, modico & caſtrenſi cibo jejunia longa ſolantem: ad hoc aulam omnem Spartanis gymnaſiis duriorem, laboris, patientiæ, frugalitatis exemplis abundantem.*

Per monetæ culpam refutatur) Hoc eſt, quod Theodoſius & Valentinianus Impp. queruntur Novella 25. *Frequens ad nos, Quirites, temerariis auſis querela pervenit, ut in parentum noſtrorum contumeliam, inſignitis ſolidi eorum nominibus ab omni emptore recuſentur: quod diu impunitum eſſe non patimur. Hoc ergo edicto agnoſcat univerſitas capitale manere ſupplicium, ſi quiſquam vel domini patris mei Theodoſii, vel ſuperiorum Principum ſolidum aureum integri ponderis refutandum eſſe crediderit, vel pretio minori taxaverit.* Quo pertinet & l. ult. C. de veter. numiſm. poteſt. Ait *per monetæ culpam*, dum nimirum vendentes in nummis neſcio quid ſubinde cauſantur. Quam moroſitatem eleganter depingit Plautus in Querulo: *Quid tam ſimile, quam ſolidus ſolido? Tamen etiam diſtantia quæritur in auro, vultus, ætas, & color, nobilitas, literatura, patria, & gravitas ad ſcripulos quæritur in auro plus quam in homine.*

Ementis ſolidum) id eſt, accipientis, ſive is nummularius aut campſor ſit, ſive alius quiſcunque in foro vænalium. *Vendere* enim nummum dicitur, qui erogat; *emere* qui accipit. Ulpianus in l. 9. §. 3. D. ad leg. Cornel. de falſ. *Ne quis nummos ſtanneos, plumbeos, emere vendere dolo malo vellet.* Cod. Th. lib. IX. Tit. 22. *Omnes ſolidi uno pretio æſtimandi ſunt atque vendendi, quamquam diverſa forma ſit.* Et ibidem: *vel figuratum ſolidum adultera imitatione in vendendo ſubjecerit.* Caſſiodorus VII. Variar. 32. *Pondus etiam denariis præcipimus ſervari, qui olim tam penſo quam numero vendebantur.* Hinc argentarii, qui omne genus monetæ repræſentare poſſent, *venditores pecuniæ* dicuntur. Symmachus lib. X. epiſt. 42. *Vendendis ſolidis, quos plerumque publicus uſus expoſcit, collectariorum corpus obnoxium eſt.* Novella Theodoſii XXV. *Ne unquam intra ſeptem millia nummorum ſolidus diſtrahatur, emptus a collectario ſeptem millibus ducentis.* Ut Græcis νομισματοπώλης apud Antiphonem, & νομισματοπωλικὴ apud Platonem, idem quod ἀργυραμοιβὸς & ἀργυραμοιβικὴ, cujus eſt καταλλάττειν καὶ κατακερματίζειν τὰ νομίσματα, juxta Pollucem. Quod in Theophane ſæpe occurrens, totidem locis interpres Hiſtoriæ Miſcellæ vertit, *Venditores pecuniæ.*

Opifices monetæ) Cælatores, fuſores, malleatores. *Aurifices ſpecierum, aurifices ſolidorum, ſculptores*, l. 7. & ibi inſerta noticia. C. de Palatin. ſacrar. largit. Quorum totum corpus & ſchola erat, Procuratoribus & Rationalibus ſubditum, hominum genus cum liberis & uxoribus huic ſoli miniſterio addictum & obnoxium. l. 5. 7. 13. C. de murileg. monetar. Et ab aliis dignitatibus remotum. l. 6. C. de dignitat. Eorumque tantus numerus & factio erat, ut Aureliano Imper. procuratore ſuo Feliciſſimo interfecto, adverſus Principem ſe extulerint, unde grave bellum motum, quod vix extingui potuit, Vopiſco, Eutropio, Victore, Suida auctoribus.

Commixtionis) non tantum ſequioris metalli cum auro vel argento, ſed etiam privati metalli cum publico: qua in re olim non minus quam hodie a cupidis hominibus lucrum per fraudem quæſitum, patet ex l. 6. & 7. C. Th. de fal. monet.

MAR-

MARQVARDVS FREHERVS
DE RE
MONETARIA GERMANICI IMPERII.
LIBER SECVNDVS.

CAPVT I.

De Rom. Reipubl. declinantis moneta: nominatim de Byzantinis.

DE veteris Imperii re monetaria diximus, dum apud Romanos rerum dominos gentemque togatam illud stetit: quod argumentum antea multis tractatum, & in antiquis scriptoribus multum adminiculi habet. Nunc de mutato Imperio, & ad Germanos translato aliquid adjiciamus; in quo nummaria res densis tenebris involuta, nec aliquid fere lucis aut subsidii nobis apparet. Dabimus tamen quod possumus.

Romæ imperio declinante, & barbaris nationibus, Gothis, Longobardis, Francis invalescentibus, quandiu Imperatores apud Novam Romam residentes, & Exarchos suos apud Ravennam habentes, aliquatenus saltem in speciem in Occidente recognoscebantur (nam per annos illorum Imperii & Indictiones tempora computare ipsa Roma solebat) eorum etiam moneta apud Byzantium cusa, aurea præsertim, per Occidentis provincias, Italiam dico, Galliam & Germaniam frequens usurpabatur. *Byzantios* & *Byzantinos* dixerunt: de quibus mox plura dicam, ubi prius eorum figuram exposuero.


Romani enim Principes ut in cudenda moneta non minimam majestatis suæ partem posuerunt, eique gloriæ suæ monumenta summo studio & ambitione impresserunt; ita postquam Christo Domino nomina dederunt, omissis prioribus illis e gentilitate petitis figurarum characteribus, religionem veram etiam nummis consecrare voluerunt. Constantinus M. ad fidem veram conversus, Crucis signum, ut labaro, clypeoque & galeæ suæ, ita etiam nummis insculpsit, Eusebio & Sozomeno auctoribus: quod institutum posteritas ejus sequuta constanti devotione servavit, & diversis modis expressit, ut apud Lipsium lib. III. de Cruce cap. 15. & seqq. & Anton. Augustinum Dial. 1. Tab. 6. 7. videre est. Postea ipsum etiam Dominum apposuerunt, modo Imperatori ad latus, & diadema ei sua manu imponentem; ad exprimendum scilicet titulum illum, *θεοστεφῆ, a Deo coronati*, quem illorum æmulatione Francos etiam usurpasse legimus: modo aversa nummi parte, tenentem librum vitæ, cum inscriptione: IHESVS. CHRISTVS. REX. REGNANTIVM.



Alii vero in totum omissa sua imagine & titulo, Christum solum insculpserunt, cum litteris: IHS. XPS. EMMANVEL. aversa parte modo has litteras: IHESVS. CHRISTVS. BASILEVS. BASILEON, quod Johanni Zimisci Imp. Cedrenus, Scyllitzes, & Glycas tribuunt: *Προσέταξε καὶ ἐν τῷ νομίσματι καὶ ἐν τῷ ὀβόλῳ εἰκόνα ἐγγράφεσθαι τοῦ Σωτῆρος, μὴ πρότερον τούτου γινομένου. ἐγράφοντο δὲ καὶ γράμματα Ῥωμαϊκὰ ἐν θατέρῳ μέρει ὧδε διεξιόντα: Ἰησοῦς Χριστὸς Βασιλεὺς Βασιλέων. Τοῦτο δὲ καὶ οἱ καθεξῆς ἐτήρησαν Βασιλεῖς.* modo crucem quadratam, cum litteris: IHS. XPS. NIKA. quod omnino imitati Franci, solenne illud in suis aureis circa crucem florescentem fecerunt: CHRISTVS VINCIT, CHRISTVS REGNAT, CHRISTVS IMPERAT. Ut plane agnoscas, quod Paulinus ad Cytherium canit:

Regemque Christum confitentur Principes,
Et sceptra submittunt cruci.

Aliquando & Virginem Theotocon hoc honore affecisse, meminit Balsamon in Nomocan. Phot. Tit. 11. cap. 2. & nummi ipsi exhibent.



Hi ergo Byzantini illi fuerunt: quorum quidem in annalibus eorum temporum, & diplomatis, bullis, fundationibus, omnisque generis instrumentis & memoriis mentio frequentissima. Historia Florentina a Theod de Nihem edita, in Conrado IIII. *Promittentes maximam Byzantiorum summam dictis Gallicis, si ab eadem obsidione decederent.* Ita in cap 10. de jurejur. *Quod cum V. Clericus duos Bysantios nomine Ecclesiæ de statera se annuatim soluturum firmasset.* In confirmatione Henrici IIII. anno MLXXV. apud Trithemium in Chron. Hirsaug. *Super hac omnia Comes sæpedictus Apostolicum privilegium adquisivit, & constituit, ut unus aureus quem Byzantium dicimus, singulis annis Romam ad altare S. Petri ab Abbate persolvatur.* Et in ipso privilegio Gregorii PP. quod sequitur: *data annua aures Byzantii pensione postulavit.* Et apud eundem in bulla Urbani PP. anno MXCV. *Ad indicium percepta hujus a Romana Ecclesia libertatis, Byzantium aureum Lateranensi palatio persolvetis.* Et in sexcentis aliis. Hi sunt quos Francogalli *Besants d'or* dixerunt: quorum mentio cum alibi multa, tum notabilis in historia S. Ludovici IX. Regis, cap. 42. *Que si la Reine vouloit bailler deux cens mille Besans d'or (qui valeyent lors cinq cens mille livres) qu'elle delivreroit le Roy en ce faisant.* Et in quadam fabella ludionis, cui nomen Courte Barbe: *Tenez, je vous donne ce Besant: c'estoit une piece d'or valant environ un Angelot.* apud Cl Faulchet. lib. II. de ling. Gall. cap. 86. Vide & Franc. Raguellum in Lexico, verbo: *Bezant d'or.* Nec aliunde factum puto, quod Vesontioni notæ civitati Maximæ Sequanorum, hodie *Bezançon*, *Chrysopolis* nomen, velut a chrysinis illis, ob solam soni allusionem fecerit Guntherus Poeta lib. V. Lagurini, de regno Arelatensi loquens:

Has ubi metropoles & clari nominis urbes,
Chrysopolim placidam, Lugdunum, sive Viennam,
Quaque tuos spumante mari Provincia fines
Claudit Arelatum, validis obnoxia ventis.
Chrysopolim Dubius, reliquas prolabitur amnis
Maximus Allobrogum Rhodanus dominator aquarum.

Et libro VI.

Wascones, Hispani, seu quos Provincia dives
Misit, & Allobrogum contingens Gallia fines,
Chrysopolin celeres aderunt.

Et hæc de Byzantinis dicta sint, aureis nimirum illis sive obryzatis. De reliquis enim Græcorum argenteis & æneis, Miliarensis, Ceratiis, Diceratis, Hyperpyris, Scaramangis, alibi fusius (Deo dante) exponemus.

CAP. II.

Veterum Francorum Gothorumque Monetâ, Denarii, Solidi, Libra, Fertones.

NOn tamen interea Franci qui Gallias & Germaniam tenebant, Gothi qui Italiam & Hispaniam, monetas nullas vernaculas habuerunt. De Francis nominatim scribit Procopius lib. III. de bello Goth. Francorum Reges ipso Justiniano Imp. volente Galliam tenentes, Massiliæ & Arelati residentes, aureum nummum nativo e Gallarum metallo cudisse, non Imperatoris Romani, at cæteri solent, sed sua imagine impressa: quod nec Persarum, nec aliorum Barbarorum Principi fas fuerit. Et vidi ipse aureolos ejus generis, cum inscriptione CHARIBERTVS REX, quamvis rarissimos. Gothos autem Reges monetam suo vultu & nomine signasse, dubium esse non potest ex Cassiodori formulis, lib VI. cap. 7. & lib. VII. cap. 32 quamvis nullam mihi videre hactenus contigit. Wisigothorum quoque Regum, qui Hispaniam & Aquitaniæ partem tenuerunt, nummos multos indicat & exponit Anton. Augustinus Dialogo 6. 7. & 8. sed omnibus his tamen augustiores & frequentiores puto fuisse Byzantios illos, de quibus diximus: etiam cum Cæsarum Constantinopolitanorum auctoritas apud Romanos imminuta esset & pene evilulsset, ex eorum decremento Pontificibus suam potentiam stabilientibus. Nominatim autem Leonem III Iconomachum dictum, quod picturas Synodicas & Sanctorum statuas imaginesque e templis erasisset, Constantinus Papa eo nomine hæreseos condemnaverat, & cum populo Romano statuerat: *Ne nomen Imperatoris heretici aut in chartas, aut in figuram solidi seu numismatis susciperetur.* unde nec effigies ejus pro more in Ecclesiam introducta, nec nomen ad missarum solennia prolatum fuit, ut scribit Paulus Diaconus VI. Longobard. cap. 31. Anastasius Bibliothecarius, Ado, Beda, Platina, Nihemius, Massonus. Nihilominus tamen Byzantiorum usus (ut paulo ante expositum) apud Germanos Francosque diu permansit.

Sane ex quo ad Francos summa rerum pervenit, deletis non tantum Gothis & Longobardis, sed etiam Græcis Latio omnique Hesperia exclusis, nihil ex omni illorum republica minus notum est, quam rei nummariæ ratio: propterea quod ex illorum nummis tam parum, imo nihil fere hoc ævo superfit. Habeo Caroli, Ludovici, Hlotharii, Arnulfi quosdam argenteolos: sed quid fuerint aut valuerint, liquido statuere non possum. In Carolinis legibus, diplomatis, Librarum & Solidorum perpetua est mentio: & ut Romani ad sestertios, ita hi ad solidos in negociis, commerciis, mulctis indicendis, omnia redegisse videntur. Et Libram quidem per viginti solidos computatam, Annales Francorum Fuldenses sub Anno 882. expresse testantur; Solidum autem quadraginta denarios continuisse cum ex Legibus Salicis, Alemanicis, Bajoariis, Ripuariisque colligi manifeste potest, tum vero ex insigni loco Hincmari Archiepisc. Remens. quem Fr. Pithœus V. C. prodidit: *In testamento a B. Remig. io condito Lector attendat, quia Solidorum quantitas numero quadraginta denariorum computatur, sicut tunc solidi habebantur, & in Francorum lege Salica continetur. Et generaliter in solutione usque ad tempora Karoli perduravit, velut in ejus capitulis continetur.* Unde solidos aurei genus fuisse conjicio, quomodo & apud Romanos, quod quadraginta ex illis denariis argenteis contineret. Inde apud Francos olim in contractibus, sponsalibus, libertatibus rite faciendis, mos offerre Solidum & Denarium. Fredegarius lib. IIII. cap. 18. *Legato offerens solidum & denarium, ut mos erat Francorum, eam partibus Chlodovei desponsavit.* Et Solidorum Gallicorum aliquoties habetur etiam in Gregorii M. Epistolis mentio.

Apud Germanos superioribus ævis Marcarum ratio in usu fuit, ut omnia per Marcas (argenti potissimum) computarentur: quod in Annalibus, Legibus, Instrumentis omne genus apparet. Et Marca rursum in partes suas, ut olim As, dividebatur. Ex quibus Fertones apparet quadrantem Marcæ (a) esse; ut legimus in Guntheri Parisiensis historia occupatæ a Balduino Constantinopoleos, ubi ita scribit: *Habebant MDC. piscatorias naves, quarum qualibet per totum annum ad quatuor decem dies a Dierbing.*

Fisco

Fisco Regio persolvebat nummum aureum, qui perperam vocari solet Ferdoni, id est, quarta pars Marca unius aquivalens. Ita in Aurea Bulla Caroli IIII. Imp. §. ult. *Sexaginta sex marcas cum uno Fertone.* Et postea: *sigillatori unum Fertonem.* Teutonicum exemplar habet, einen Ferting. Iidem FARTI dicuntur in Innocentii decretali, cap. 2. De sentent. & re judic. in 6. *Posset etiam merito reprehendi, quod mille quidem Fartorum annuam pensionem, in qua pro eodem Regno ipsi Ecclesia Romana tenetur, per novem annos & amplius solvere praetermisit.*

CAP. III.

Varia variarum gentium moneta enumerata: nominatim de Florenis, Ducatis, Taleris.

JAM ut quæque regna, regiones, principatus, respublicæ, civitates, suo sibi arbitrio monetas fabrefecerint, quæ a loco pleræque nomina sortitæ, longum fuerit enumerare; pro ævo autem singularum aut dignitate locorum disponere, prorsus impossibile. Nos in ea rerum temporumque confusione & rei ipsius obscuritate, si, quæ præcipua legendo observavimus Monetarum genera, literario ordine effundamus potius quam enumeremus, abunde Lectori gratificatum putabimus. Ergo sinum pande.

AMIRCUS, aureus nummus Persicus, cujus meminit Benjamin Tudelensis Itinerario pag. 82.

ASPERI Turcorum sunt & modernorum Græcorum, de quibus Leunclavius Pandect. Turc. cap. 18. Asperi quinquaginta coronatum constituunt, ut Busbequius scribit. Sed & apud Africanos Asperi in usu, quorum CLXX. unciam unam penduot, quadrata forma, cudeotibus Judæis, ut Leo Africaous scribit lib. II. cap. de Tednesta.

BERNA, solidus vel denarius veterum Alemanorum, cujus mentionem invenio in Ordinatione B. Adelheidis Cæsarissæ, fundatricis Abbatiæ Salsensis, de villa Kilberg: *Item ordinavit, quod in festo B. Andrea Apostoli dicti Officiales, Scultetus, Cellerarius & Banwardus, Domino Abbati duos debeant emere porcos bonos, ad quoddam convivium faciendum, ubi dimidia Berna debebat expendi; & ad illud quod vulgo dicitur Vasgnat, ubi una Berna & dimidia debebat expendi. Sed illa die qua convivium fieret, omnes debentes jus quod dicitur Wisungen, scapulas & vinum debebant dare & solvere plenarie, dato super his bona pignora vel denarios numeratos.* Hanc Bernam communem fuisse monetam villæ Bernæ, in aliis locis ejusdem libri, unde hæc exscripsi, invenio. A qua verisimile est nomen etiam deinceps sumsisse collectam & contributionem publicam (fortasse in singula capita onam Bernam exigentem) cujus mentio in Chronica Aulæ Regiæ (*Königs saal hodie*) apud Bohemos, a nobis edita, cap. 27. *Interea Rex exercitum congregat, & ad bella se coaptat; generalem Steuram, qua Berna dicitur, ab omnibus recepit, & super hoc exactiones claustralibus & civitatibus gravissimas imposuit.* Æneas Sylvius Histor. Bohem. cap. 58. *Nisi populares in sumtus regias pecuniam conferant, quam vocant Bernam.* M. Albertus Argentinens. sub Anno MCCCCXLVIII. *Collecta inibi imposita, qua Ursus dicitur, & de novo Regi creato debita apud Bohemos permansit.* Fabricius Orig. Saxon lib. VI. fol. 663. *Balthasar Landgravius Thuringia imperavit in singula capita nummum argenteum, quem thesaurum collectum Ursum vulgo appellarunt.*

BATZIONES posterior ætas dixit, a Bernensibus cum Ursi primum signo introductos, quorum tota Germania jam plurimus usus, cum quintadecima pars sint floreni, per quos in Alemania & Suevia omnia computantur, ut in Saxonia per Grossos.

CABALLUCII, æneoli Neapolitani infimi generis, in quis equus sculptus, cum literis EQUITAS, quod alicubi ridet Ant. Augustinus.

CORONATI, qui & *Scutati*, regni Franciæ Gallicæ moneta aurea. *Solares* dicti a *Solido*, non (ut vulgo) a *Sole*, ut vult Bodin. de Republ. lib. III. cap. 6. & lib. Sing. de augmen. & decrem. monet. Quod mihi omnino probatur, qui videam post Romanos Francis solidorum pro aureis mentionem frequentissime usurpatam, ut supra attigimus. Ita Gregorius I. Pontifex epistola quadam ad Dynamium *Gallicorum Solidorum* meminit: & alia ad Fannum, ubi CL. *solidorum grave nomen habetur:* & Candido ad regendum Ecclesiæ patrimonium in Galliam misso mandat, *ut solides Galliarum, qui in Italia expendi non possunt, utiliter expendat in alimenta & vestes pauperum.* Mansit igitur in his nomen *Escu Sol* apud Francogallos (quamvis non nesciam etiam semiargenteos illos minores, *Souls* apud eos dici) ut Ducatos etiam Hungaricos legimus *Solidos Regales* dictos. cap. ult. De rerum permut. Et in Gallicis illis ab omni antiquitate video insculptum illud, quod adhuc usurpari videmus: CHRS. VINCIT. CHRS. REGNAT. plane ad imitationem Græcorum illius: IHC. XPC. NIKA. de quo supra in Byzantinis.

DUCATI, aurei a Venetis primo & Genuensibus percussi. Sed & ab Anglis, ut Polydor. Vergilius scribit. Cui tamen nescio quid in mente fuerit, cum alio loco scriberet, Ducatum quod Romæ cuderetur, dictum a *Ducatu*, quem magistratum Longinus primum constituisset, a Justino Imp. Narseti Italiæ præfecto successor datus lib. II. de inventor. rer. cap. 21. Inter hos autem insignes maxime Hungarici, qui κατ' ἐξοχὴν *Solidi Regales* dicuntur in cap. ult. de rer. permut.

FARTI, *Fertones*, quadrantales, ut modo expositum. Tantum addam locum ex Jagellonis Regis Poloniæ constitutione Petricoriensi Anno 1541. *Nisi forte aliquis de jure pro censibus & decimis fertonalibus debeat exigere latos grossos moneta Pragensis*, Statut. fol. 290.

FLORENTINI, aurei primum in ea urbe cusi, cum signo floris lilii una, altera parte Johannis Baptistæ; deinde ad eorum imitationem ab aliis, ut frequentissime in contractibus usurpati sint, *Florenzer Gulden.* Nec aliunde FLORENI nomen natum existimo. Quo facit locus lib. II. Extravagant. commun. Tit. 12. *Nonnullos esse in Lombardia Superioris & Marchia Jannensis partibus, qui prasumentes illicita cudunt & fabricant Florenos auri, secundum formam & signum, sonum ac circumferentiam literarum, qui in civitate Florentia cudi sunt soliti, &c.* Hi ergo ut olim erant frequentissimi, ita hodie cum rarissimi reperiantur, in quæstione reluitionis a Cameræ Imperialis judicio Spiræ taxati sunt XXV. batziis, ut annotavit D. Mynsinger. Centur. IV. Observat. cap. 1.

FRANCI, aurei primum sunt cusi, ut Bodinus notavit: hodie argentei, trientes coronatorum, viginti solidos continentes. Sed & olim duplices, *Francs a pied, Francs a cheval.*

GROSSI monetæ usualis genus apud Saxones, Silesios, Borussos, Poloons, Bohemos: nobis semis batzionis. Grossorum mentio etiam in Extravag. de empt. & vendit. & Polydorus Urbinas veteres denarios Romanos & drachmas Atticas Grossis pondere æquos scribit lib. II. de Invent. cap. 4. Sed & *Grossorum Turonensium* meminit constitutio Johannis

hannis XXII. Extravag. 13. & adhuc in Gallia frequentes in usu, *Gros Tournois*.

HALLENSES, minutissimæ monetæ usualis genus, apud Hallam Sueviæ primo signatum. Olim & nunc in usu *Libra Hallenses*.

JOACHIMICI Taleri, de quibus infra. Suaves autem Galli, qui *Iocondales* scribunt.

LEONES, aurei in Belgo noti.

LVCENSES, moneta ærea usualis, cujus mentio in cap. 20. De censib.

MARAVEDINVS, Hispanicus nummus, cujus mentio in cap. 14 de privileg. *duo millia Marabatinorum*. de quo multa Didacus Covarruvias in collat. veter. numism. cum hodiernis. Benjaminus in Itinerario pag. 82. *Morabetinum* scribit.

MEDALIÆ, nummi nescio quod genus, cujus mentio in d. cap. 20. De censib. Ita quidem numismata vetera hodie Italis vocantur, *Medaglie ordinarie, col cerchio, Medaglioni*.

MEDINVS, Africanus nummus, de quo ibidem Bodin. Gallis *Medin de Barbarie*.

MILARESIOS idem ibidem nominat, vulgo *Milrais*, Portugallicos aureos cruce oblonga insignitos. Nescio an non a Miliarisiis Græcorum nomine retento.

PAGATINI, æneoli Venetorum, infimum pecuniæ genus, a solvendo dicti, quod paratissimi ad mercenariam operam vel res levissimas compensandas.

PAPIENSES, argentei, tribus Lucensibus olim æstimati. De quibus in cap. 20. De censib.

PHILIPPEI taleri, a Philippo Caroli V. Imp. F. potentissimo Rege Hispaniæ & Indiæ cusi, qui & κατ' ἐξοχὴν *Regales* taleri dicuntur: non minus hodie celebres, quam olim *regale numisma Philippi*.

PISTOLETI, coronati aurei Italici, Hispanici, Sabaudici, Burgundici, Helvetici.

POLOMÆI nummi mentio est d. Extravag. De empt. & vendit. *Vendidit annuos census unius vel plurium marcarum, aut grossorum Pragensium, nummi Polomai & pagamenti consueti.* Puto accipiendum, *Empolas*, id est, forensis & consueti.

REGALES Hispanici argentei.

RHENENSES Floreni, a quatuor Electoribus ad Rhenum, Moguntino, Treverico, Coloniensi, Palatino primum percussi: de quibus mox plura.

RIDEVS, coronatus Burgundicus, Bodino Gall. *Riddes*, nobis *Ryder*, ab equite cataphracto impresso.

ROMANINI, moneta usualis, pro quo, dum Curia residebat Avenione, grossus Turonensis succedebat, ex constitutione Johannis XXII. PP. Extravag. 13. Sic dicti, ut Byzantini, Sultanini, Pagatini.

SCHILLINGVS nummus Germanorum, a *Siliqua* nomine detorto, ut videtur. Ita enim antiquitus scribebatur, SILIHHA, ut video in vetustissimo Glossario Latino-Theotisco: *Numisma*, Silihha. *Nummi percussa*, Silihha duruhslagen / das ist pfantine. In eodem alio loco: *Obolum dimidium scripuli, quod facit siliquas tres.* Stuchi halb scriptolus / daz tet silihhun tri. Et rursus: *Stater est nummus, ut quidam affirmant, unciam unam, aureos sex.* Waga ist silihhono / so sinne Zasastinot / unce ainan / scillinga sehsi. Siliquæ enim & Sicilici vox a Romanis in re monetaria usurpata, pro unciæ quarta parte; ut l. 21. §. filium. D de ann. legat. Auth. sed hodie, C. de Episc. & Cler. Auth. ad hæc. C de usur. ad Longobardos etiam pervenit: ut l. 2. & 3. Tit. De eo qui pecul. in dam. inven. & aliis locis.

SCVTATI, qui & *Coronati*, de quibus supra.

STERLINGI, in Anglia, Scotia, & Hibernia.

SVLTANINI aurei Imperatorii Turcici.

TALENSES vel TALERI, argentei unciales dicti a valle Joachimica, ubi primum cusi per Slickones Comites (ut Georgius Agricola lib. II. de ponder. & mensur. notavit) in Bohemia circa annum 1520. qui adhuc non infrequentes apparent, una parte Joachimum Abbatem, & insignia Slickensia præferentes, cum literis: AR. DOMI. SLI. STE. ET. FRA. COM. D. B. altera leonem Bohemicum, cum literis: LVDOVICVS. PRIM. D. GRACIA. R. BO. Quos deinde Saxonum Duces in Misena, & alii Principes atque etiam Reges sunt imitati.

TARENI, Siculorum moneta & Apulorum, cujus mentio in cap. 5. De empt. & vendit. ubi Cujac.

TESTONES, sive Capitati Gallorum, a vultu Regum impresso. Bodin. d. loco.

TVRONENSES, argentei. Clement. 2. lib. V. Tit. 1. Extravag. 13. in teloniis Rhenensib. *Turnes*.

DE TVRCICIS monetis, Manguris, Aspris, Siderocapsiis, Hyperpyris, Dramis, Scachis, Sultaninis, Seraphinis, Altumleriis, docte & eleganter Leunclavius noster Pandect. Turc. cap. 18. quo Lectorem remittere quam singula frustillatim hic inserere malui.

Ex his monetarum generibus Florentinorum maxime institutum Principibus Germaniæ arrisit, adeo ut ad eorum imitationem aureos suis nominibus plerique & ipsi cuderent. Itaque videre licet id genus aureos diversis inscriptionibus, una quidem parte florem lilii habentes, altera vero Principis sui: LVDOVICVS REX. KAROLVS REX. ROPERTVS DVX. LVPOLDVS VIEN. 5. Item: WENCESL. DVX. P. (id est, *Plocensis*) Item: GERL. AREPS. WILEL. ARHEPVS. BOEMVNDVS AREPS. & similium. Adeo ut frequentissimus horum in veterum contractibus fuerit usus, & mentio in antiquis instrumentis perfrequens, *Florentzer Gulden*: nec aliunde FLORENI nomen natum. Qui tamen paulatim degenerarunt in Florenos Rhenenses, ita dictos a quatuor Principibus Electoribus ad Rhenum, Moguntino, Treverensi, Coloniensi, Palatino; & a cæteris deinde etiam usurpatos, paulo sequiores primis illis Florentinis, Ducatorum bonitatem omnino adæquantibus. Donec tandem Floreni & Aurei etiam ex argento facti, tunc quidem aureis Rhenensibus pares, hodie multo inferiores. Et quia ineundis & miscendis inter populos & nationes commerciis nihil aptius commodiusque, quam ejusdem generis & nominis moneta; cum Ducatos (Venetorum & Genuensium primum institutum) cæteri quoque Reges Hungariæ, Bohemiæ, Poloniæ, Daniæ, Sueciæ, Angliæ, Hispaniæ imitarentur, Germani quoque Cæsares & Principes, velut in medio illorum collocati, fecerunt. quo de genere Karoli IIII. Imp. & Bohemiæ Regis Ducati adhuc apparent, & deinceps Maximiliani primi, anno 1517. & 1518. cusi, cum titulo: DVCATVS CARENTANVS. Ut vicissim Taleros, quos primum Slickones Comites in Valle Joachimica cum Bohemiæ Regum nomine procudisse diximus, primum Principes Germaniæ plerique, deinde alii etiam vicini Reges, Sueciæ, Daniæ, Poloniæ, Hungariæ, commerciorum inter subditos populos juvandorum gratia, sunt secuti. Quo de genere talerus extat, quem SIGISMVNDVS I. REX POLON. ET SIGISM. AVGVSTVS SECVND. REX POL. anno 1533. & alius quem WLADISLAVS D. G. REX. VNGARIÆ additis nominibus civitatum TVRSO & KREMIZ anno 1560. publicarunt. Quamvis antiquiores etiam Joachimicis in hoc genere, sed minus frequentes, videamus aliquos: ut quem MAXIMILIANVS. MAGNANIMVS. ARCHIDVX. AVSTRIE. BVRGVND. ET MARIA.

KAROLI.

KAROLI. FILIA. HERES. BVRGVND. BRAB. CONIVGES. anno 1479. item quos SIGISMVNDVS. ARCHIDVX. AVSTRIÆ anno 1486. nominis æternandi ergo formari jusserunt.

C A P. IV.

Hodierna Romani Imperii apud Germanos leges Nummariæ.

IGitur cum in imperio jam dudum res monetaria, singulis Principibus vel Ordinibus suo sibi arbitrio modo horum, modo illorum imitatione nummos procudentibus, mirum in modum fluctuaret; rei in republica maxime necessariæ legem & normam dari tandem necesse visum est. Atque ita in Comitiis primum Augustanis Anno M. D. imperante Maximiliano omnes omnium monetæ hactenus sine lege modoque vagantes, inhibitæ & suspensæ fuerunt, donec nova lex promulgaretur. Quod cum diversis postea in Comitiis apud Treviros, Coloniam, Noribergam, Spiram, Augustam, Ratisbonam, tentatum magis quam inchoatum esset: sub Carolo tandem V. maximo & felicissimo Imperatore in Comitiis Augustæ Vind. Anno MDLI. habitis communi Ordinum consensu ad certam perpetuamque formam redactum, & sequntis deinceps per annos LIX. LXVI. LXX. LXXI. LXXI. LXXVI. XCIIII. XCVIII. Comitiis declaratum, confirmatumque fuit; utinam tam facile fideque observandum, quam clare & diffuse verbis formulisque perscriptum. Ejus legis Monetariæ capita præcipua breviter digerere, ut in veteri Romana lege fecimus, operæ pretium fuerit.

I.

JVS CVDENDÆ MONETÆ NISI CVI AB IMP. CONCESSVM FVERIT, NEQ ALITER QVAM SECVNDVM LEGEM NEMO VSVRPATO. Ut enim stante Rep. Romana nonnisi apud Principem & Senatum facultas monetæ fuit; ita in Germano quoque Imperio inter ea habita, quæ *Regalia* vocantur, quod soli Principi competerent, vel cui Princeps ea indulsisset. lib. II. Feud. Tit. 56. *Quæ sint regalia.* Guntherus lib. VIII. *Cudenda jura monetæ.* Itaque Regi Bohemiæ ceu Principi Imperii jus monetæ nominatim confirmari legimus Aureæ Bullæ cap. 10. Et diversa veterum Cæsarum diplomata videmus, quibus illis & illis Comitibus, Abbatibus, Prælatis, Civitatibus jus percutiendæ monetæ conceditur. Jam vero quibus id ipsum privilegii competit, nonnisi certa lege & modo uti debent. Nec enim ubivis, sed tribus duntaxat vel quatuor locis a Circulo, cui adscripti, designatis, monetam ferient: exceptis his, qui proprias in suo solo habent metallifodinas, aut officinas monetarias antiquitus institutas. Ii aurum argentumque penes se natum duntaxat libere in nummos convertent. Comit. LXX. §. 135. & Deput. LXXI. § 28. Deinde ipsi uti debent suo sumtu & opera: nec fas est jus monetarium alteri cedere, vendere, locare, aut monetariis redimendum transcribere: contra facientibus juris ejus privatio, Fiscali sedulo observante, impendet. Conductores autem X. marcis auri multantur. Comit. LIX. §. 86. & 88. Comit. XCIIII. §. 110.

II.

FORMAS NVMMORVM AVRI ARGENTIVE DVNTAXAT RECEPTAS, EASQVE PROBAS FERIVNTO. Sunt autem hæ formæ in Imperio nostro (quod hac quidem in parte monetarum specie & amplitudine veteri Romano etiam antecellit) probatæ, hisque legibus DVCATI e Coloniensi marca auri puri LXVII. cudantur, CIIII. cruciferos valituri. AVREI RHENENSES LXXII. cruciferos LXXV. valituri. Comit. LIX. §. 55. & seqq. Exterorum Regum & Principum Coronati, Scutati, Nobiles, Engeloti, sua quidem æstimatione definita permissi sunt; in Imperio tamen ne cudantur. Ibid. §. 61. & Deputat. LXXI. §. 49. TALERI Joachimici olim cusi LXVIII. cruciatis taxantur. Comit. LIX. §. 35. Deinde ita recepti sunt, ut marcæ Coloniensis argenti puri octavam pendant, eorumque semisses etiam & quadrantes cudere liceat. Comit. LXVI. §. 157. FLORENI ex marca IX cum semisse fiant, LX. cruciferos valituri: semisses eorum, quadrantes, sextantes pro rata valeant. Nota eorum, hinc Cæsaris nomen & Aquila biceps, insertum pectori Imperii globum habens, globo numerum cruciatorum inscriptum; inde nomen & insignia Domini monetalis. Comit. LIX. §. 3. 10. CRVCIATI ipsi valent: sed horum quinarii, ternarii, binarii, donec aliud statuatur, districte sunt prohibiti. Comit. LXVI. §. 160. & XCVIII. §. 56. PFENNINGI & Hallenses ad necessarium fori & annonæ usum permittuntur, cum Circulorum moderatione, non ultra: alias confiscandi. Comit. LIX. §. 12. & LXX §. 127. & 129. Quod genus in dissolutionem majoris summæ accipere nemo tenetur: ut nec quinariis minores ultra summam XXV. florenorum. Comit. LIX. §. 11. & 32. & LXXVI. §. 77. Extra has igitur formas nullæ aliæ procudantur, aut solutionis vice fungantur, sub pœna indignationis Cæsareæ & L. marcarum auri, partim fisco, partim Circulo inferenda. Com. LIX. §. 6. Et has ipsas pondere & bonitate probas monetarii dare studento. Qua causa & ipsi & docimastæ, non solum Domino cui operam suam locaverint, sed & toti Circulo (cujus inquisitione prius approbantur) juramento in leges nummarias obstringuntur, cum cautione omnium bonorum, & repromissione se quoties exigentur sistendi. Comit. LXX. §. 136. & XCIIII. §. 110. in fine. Falsarii autem, nummorum adulteratores, corruptoresve, pro gravitate admissi, mulctis, confiscatione, proscriptione, corporali poena, ignis denique supplicio acerrime puniuntur: accusatione Populo data, & Fiscali invigilante. Comit. LIX. §. 72. & seqq. & XCIIII. §. 110. Denique legum violatores præter ceteras poenas, & amissionem juris sui, proscriptionem ipso jure incurrunt, executione Circulis demandata. Com. LXVI. §. 31.

III.

HIS LEGIBVS SERVANDIS CONVENTVS SEMESTRES ET EXAMINA ACCVRATE HABENTOR. Domini monetales per singulos Circulos bis quotannis conveniant, aut consiliarios mittant, Kal. Maji & Octobris: & cusos iis locis nummos a sealiisve exhibeant, inspiciant; adhibito Zygostare, per libram, coticulam, caminum, ad scriptulos examinent. Comit. LIX. §. 69. Comit. LXVI. §. 177. & LXX. §. 140. & seq. Jure monetæ abutentes, legum negligentes, Magistratus fraudum vel participes vel remissos ultores ad Fiscalem deferant. Com. LXVI. §. 175. Insuper Electores quatuor Rhenani mercatibus Francofurtensibus, Senatus oppidani adjumento, ne quid in edictum committatur, providere jubentur: idemque Saxo & Brandeburgicus suis emporiis facere: adeoque Cæsari in propriis & Imperii civitatibus ea res curæ erit. Comit. LXX. §. 150. & seq.

C A P. V.

De Prævaricatione harum Legum, præcipue in Minuta Pecunia assuete. Causa fluctuantis rei monetariæ detecta, & remedium unicum.

HÆ sunt hodiernæ Imperi nostri leges Nummariæ, utinam tam sanctè integreque ab omnibus servatæ, quam bono consilio & ad ipsam justi æquique amussim excogitatæ. Cum enim in diversa harum capita diversis modis peccatur (quod quidem ab omni ævo legibus Nummariis factum fuisse observare licet, vitio humani ingenii ad captanda undecunque compendia proclivis, & in re præsertim Pecuniæ, quæ veluti finis omnium rerum vulgi opinione habetur, ingeniosi) tum in illud potissimum velut effusis habenis licentiosissime, quod minutam & usualem monetam ut minime ad legis præscriptum, ita maxima copia sine fine modoque passim procudi videmus. Usualem monetam pro omnis generis annona & foro rerum vænalium, atque etiam ad expediendas calculi excurrentis minutias necessariam; quo & propter exilitatem minutissimæ particulæ argenti cerni contrectarique posset, & usu quotidiano minus contereretur, æris parte remixta fieri apud nos & plerasque gentes obtinuit: quamvis forte melius esset, veterum Romanorum Græcorumque, & hodierno Venetorum exemplo, puram vel ex argento vel ære fieri, ut bene viri docti disputant (a). Nam pro obsonatione mercium macelli & fori holitorii, Romani sestertios, asses, dupondios, sesquiasses, semisses, quadrantes, besses, octusses, sescunces, teruncios, mere æneos omnes; Græci obolos, stateres, folles, aliosque χαλκοῦς & κέρματα habebant. Ut de rustico ex urbe domum reverso Vergilius dicat:

Venales holerum fasces portabat in urbem:
Inde domum cervice levis, gravis ære redibat.

Et alibi:

Non unquam gravis ære domum mihi dextra redibat.

Quamvis non nesciam posterioribus Principibus & Imperio declinante pecuniam minorem argenteam æris parte remixta in usu fuisse, quam *Majorinam* vocabant, ut discimus ex l. 6. C. Th. de falsa moneta. Ex hoc genere mixtorum, semiargenteorum, aut potius semiæreorum sunt nostri halleri, pfenningi, cruciferi, semibaziones, tricruciati, grossi, albi. Quorum ad necessarium fori & quotidianum usum (majores enim merces solidis integrisque aureis & argenteis pensari justum est) cum moderate pro qualibet regione conficere singulis Ordinibus lege concessum esset: monetarii qui eam fabricam non sine aliquo compendio esse videbant, & fraudem in eo genere admissam minus facile aut observari, aut in tantilla re curari, præsentem lucri faciendi occasionem avide amplexi, toti in raudusculla illa procudenda incumbere jam dudum cœperunt, & impigre pergunt. Quotidie plures nummulos passim ceu pullulantes & fruticantes uberrime increbescere videmus: quotidie deteriores & dilutiores. Adeo ut deperditis fere & exolescentibus bonæ notæ Taleris veteribus, & rarescentibus etiam hodiernis, quos pessimo more monetarii in fabricam illam absumunt, utatur jam Germania pleraque (ut Aristophanis Comicis verbis utar) τέτοις, τοῖς πονηροῖς χαλκίοις χθές τε καὶ πρώην κοπεῖσι τῷ κακίστῳ κόμματι. Neque amplius locus futurus sit Plautino verbo, *nequiores quam nummi novi*: quando nihil hisce nequius supererit.

Et miramur, si aureæ argenteæque monetæ valor in prima indicatura sua non subsistit, sed excedit dudum, & quotidie magis magisque intenditur. Quod non alia causa quam ex usualis monetæ depravatione contingit, & contingere necesse est, & mirarer non contingere. Cum enim majores solidæque monetæ non aliter quam per minores æstimationem & indicaturam suam accippiant: solidi per denarios, denarii per asses, taleri & floreni per baziones, grossos, schillingos, albos; & omnino (ut Volusius Mætianus JC. in lib. *de Asse* scribit) omnis nummus argenteus ex numero æris potestatem accipiat, adeoque, ut vere Ausonius dixit,

Auri magnus honos, auri precium tamen est æs. (b)

necesse est, ut pecuniarum indicatura stabilis esse possit, proportionem quandam esse ejus æris ad aurum argentumque, non tantum pro metalli precio, quod per se vile & magis corruptibile nonnisi parcissime argento permisceri debet, sed etiam pro usu utriusque & instituto: quandoquidem minutiores illi nummi non ad colligendas opes (quis enim Euclio tales pro thesauro acervare & servare velit?) sed tantum ad res præsenti necessitate emendas; easque minores, sint comparati, & in una tantum regione fungibiles; ideoque minori eorum numero respublica opus habeat. Quæ proportio si violetur, ut ærei vel minores levioresve aut inquinatiores fiant, aut nimis frequentes, adeo ut etiam in grandioribus summis passim obtrudantur; tum vero formas solidas, utut earum indicatura ex prima lege & origine fuerit constituta & sancita, & paulatim a communi usu hominum, & ob evidentem bonitatis differentiam, precii incrementum accipere, ut plures ex minoribus illis contineant & adæquent, non tantum non mirum, sed omnino necessarium, imo justum æquumque fit: non minus equidem, quam cum pro nummo argenteo plura parva & semiputria quam magna & recentia poma comparantur. Quod cum ita contingit, quantumcumque tandem incommodum Reipublicæ afferre videatur, improbari tamen facilius & deplorari quam mutari aut inhiberi potest. Nam & consensus voluntarius contrahentium intervenit, ut volenti nulla iniqua conditio allata, aut præter fas obtrusum aliquid dici possit; quando etiam juri publico per pacta & consensum derogari nihil vetat, & consuetudo pervulgata, quæ alias Tyranni instar habere dicitur, & juri scripto derogare, imo ipsa jus facere perhibetur, hoc casu eo placidiorem speciem habet, quod præter libertatem commerciorum (quandoquidem tanti res quæque censetur, quanti emtorem invenit) etiam æqualitatem in accipiendo & erogando ultro citroque tacito quodam consensu Populi inducit, idemque Cajo quod Sejo, Principibus quod Privatis concedit. Quin & (ne quid dissimulem) nulla omnino per ejusmodi monetæ dignationem aut Principibus aut legibus fieri injuria videtur: nimirum quibus id tantum caveri videmus, ne eorum nomine & figura insignita pecunia aut refutetur, aut infra indicaturam suam accipiatur: ut l. 1. & ult. C. de veter. num. potest. Novella Theodosii XXV. nusquam vero, ne supra: quod etiam ipsorum nec honori nec commodis (si verum amamus) adversari noscitur.

Et hoc ita habere, si non ipsa quam dixi ratio & sensus communis dictaret, & experientia clamaret, exemplis omnis ævi comprobare facile esset. sed pauca sufficiant. Quid enim causæ fuit, quod Denarius apud Romanos, argenteus drachmali pondere, pro ipso nomine decem assibus factus, paulatim ad duodecim, tandemque ad sedecim asses ascenderit? Plinium vide libro XXXIII. cap 3. Itaque non mirum, milites legionis Pannonicæ sub initia Tiberii, Percennio duce & impulsore seditionem moventes, conquestos: *Militiam ipsam gravem,*

a Bodin. lib. sing.

b Add. L. etiam aureos. 159. D. de Verb. signif.

gravem, infructuosam: denis in diem assibus animam & corpus æstimari, hinc vestem, arma, tentoria, hinc sævitiam centurionum & vacationes munerum redimi (c). Et mox hoc eorum postulatum: *Ut singulos in diem denarios mererent, sextus decimus stipendii annus finem afferret.* Quod ita Dio reddidit: ὑπὲρ ἑκκαίδεκα ἔτη στρατεύεσθαι ἤθελον, καὶ δραχμὴν ἡμερησίαν φέρειν, τότε ἆθλα εὐθὺς αὐτοῦ ἐν τῷ στρατοπέδῳ λαμβάνειν ἠξίουν. Aperta ratione, quia denarium & plusquam decem assibus vulgo erogare poterant, & servare quam illos malebant. Et hoc quod in denario argenteo accidit, idem etiam in solido aureo. Extat relatio Symmachi præfecti urbis ad Theodosium Imp: (d) quæ intercedit pro collectariis sive nummulariis, qui vendendis solidis, quos plerunque publicus usus exposcit, obnoxii erant: *Huic hominum generi*, inquit, *taxationis exigua vilitate nutanti, Divus frater Numinis vestri tantum pro singulis solidis statuit conferendum, quantum æquitas illius temporis postulabat. Sed paulatim auri* ENORMITATE CRESCENTE, *vis remedii divalis infracta est. Et cum in foro venalium rerum majore summa solidus censeatur, nummularius precia minora penduntur. Petunt igitur de Æternitate vestra, pro ratione præsentis justissima definitionis augmenta: qui jam tanto oneri sustinendo pares esse non possunt.* Causam enim hujus enormitatis indies crescentis non aliam fuisse existimo, quam parvæ pecuniæ pravitatem, sive æremixta sive mere ærea fuit. Quales enim fuisse illos nummulos putamus, quorum tunc septem millia & ducenti solido uno continebantur, ut ex ejusdem Theodosii Imp. Novella XX. quæ *De pretio solidi* inscripta est, & Cassiodori epist. 10. lib. 1. discimus. Et tamen cum tanti ab ipsis nummulariis (ut ibi dicitur) solidus redimendus esset, in foro vænalium ad amplius precium paulatim ascendisse locus ille Symmachi testatur. Hoc ex Romana antiquitate exemplum sit. Jam ex media videamus. Coram Innocentio III. (e) Pontifice conquestus est Episcopus Spoletanus, Clericos plebis Rupinæ cum ipsi quotannis sex denarios Papienses (argenteos fuisse existimo) pro synodatico deberent & consuessent persolvere, a triginta sex annis jam non Papienses, sed pro illis monetam numerare, tres nimirum Lucenses vel Medalias pro singulis Papiensibus. Quod quidem cum prædecessor suus Lotharius utcumque tulisset, jam sibi ferendum ultra non videri, Lucensibus modernis ita depravatis, ut tres illi qui antea solvebantur, quinque vel sex recentes bonitate & valore æquent; atque ita Papiensis unus senis modo Lucensibus sive Medalis possit permutari. Pontifex Innocentius statim deprehendit, ut controversiam hanc ex mutatione & augmento pecuniæ solidæ Papiensium, ita illud augmentum ex minoris MONETÆ (ut loquitur) DECLINATIONE, id est, deteri-ratione & culpa monetariorum proficisci: eam tamen domino census, hoc præsertim casu quo præscriptio integra non intercessisset, fraudi esse non debere, quin ad solutionem denariorum Papiensium in specie, aut quidem æstimationem eorum pro tempore debitores teneantur. Hoc ex media antiquitate, circa Annum MCC. De superiori ævo, patrum memoria, nostra denique tempestate dicere quid attinet? plena sunt omnia querelis, & hanc mali causam omnes denotant. Videatur Nicolai Oremii Lexoviensis Episcopi, qui antea Caroli V. Francorum Regis cognomine Sapientis præceptor fuerat, tractatus *de Mutatione Monetarum ac variatione facta per Reges aut Principes*, scriptus circa Annum MCCC. Videatur Gabrielis Biel, Johannis Aquilæ, ante centum prope annos de eodem argumento commentationes. Utinam & Johannis Dalburgii Episcopi Wormatiensis & Palatinatus Cancellarii, de eodem liber extaret, quem ab illo scriptum Trithemius Abbas alicubi refert. Denique non in sola Germania hoc fit: sed etiam in Gallia, Sabaudia, Belgio, Italia, Anglia, Polonia, idem evenire queruntur omnes, ut moneta magis magisque inquinata, mixtura & compositione declinante, aureorum argenteorumque valor velut contra nitens assurgat. Neque vero remedium labenti hac quoque in parte reipublicæ, luxata & concordia & disciplina, afferri posse vident, nisi Billone (f) (quem vocant) illo plane remoto, & moneta omni ad meram auri argentique puritatem revocata. Qua de re elegans & acuta extat disputatio Johannis Bodini libro singulari, *de Augmento & Decremento pecuniæ, contra Paradoxa Malestretti*, & lib. VI. de Republ. cap. 6.

Quapropter si Cæsar Augustus, si Electores, Principes, & Ordines Imperii, aureæ argenteæque pecuniæ suæ optimæ & pulcherrimæ, indicaturam, quam lege publica indiderunt, constantem & perpetuam esse volunt; bonitatem primo ejus a metallo integre religioseque conservent, deinde vero nummulos illos minores non tantum rigidissimo examine & probos & non supra modum a lege præfinitum procudi curent: sed vero tandem, quia eorum plus satis jam procusum est, & copia magis eorum respublica laborat, nullos deinceps amplius, intra aliquot saltem annos, fabrefieri permittant, & ab eo genere manus omnino abstinere monetarios sub gravissimis pœnis jubeant. Id enim nisi fiat, & quanto ocyus fiat, si in libera republica ingenuo homini libere loqui fas est, clare dico, aut me omnia fallunt, aut crescentis Solidorum precii cursum non magis ulla ratione sistere & reprimere poterunt, quam hactenus tot fixis refixisque edictis potuerunt, imo quam olim Romana tanta & potentia & εὐνομία in Denario Solidoque (uti dictum est) efficere potuit.

c Tacitus 1. Annal. d lib. X. Epist. 42.

e C. XX. de Censib. f Billon.

JANUS GRUTERUS.

Vidi, ut vis, legique tuum, Marquarde, libellum
Jura Monetalis quo moderare rei.
Vidi, inquam, legique; sed haud ibi pars fuit, atri
Qua Theta posset commeruisse notam.
Usque adeo fuerant aut vera, aut proxima veris:
Id nec Aristarchi lima severa neget.
Sumpsi etenim ipso ejus vultum, vitiique colorem
Omni aliquem cupii prendere posse modo.
Sed tua visa Venus mihi tam est perfecta, nec ipsas
Ut crepidas posset carpere Momus iners.

ELEGANS DESCIPTIO

NOVI INVENTI

Fabricæ monetariæ in Halis Teriolanis, qua nummi prælis imprimuntur.

Ex Hercule Prodicio STEPHANI PIGHII

Campensis. Pag. 232.

Hinc pergunt ad Archiducis fabricam monetariam, uti novum nostri sæculi inventum formandæ monetæ viderent; nimirum quod aurei, argentei, ereique nummi non flando feriundove fiant, aut malleis cudantur, sed expeditissime prælis imprimantur. Aquaria rota impetu magno circumagit machinam ferream, organo horologico non absimilem. Constat enim ex rotis dentatis multis, sic inter se connexis, ut se mutuo impellant coacta per rotam aquariam. Volvunt autem in medio machinæ junctos duos cylindros ex chalybe in summam duritiem temperatos. Quorum unus alteri superpositus est, & aguntur ambo simul rotis illis dentatis contrario motu adversum sese, ut superior deorsum, inferior sursum semper rotetur. In his cylidris artifice manu sunt insculpta nummorum formæ vel characteres per circuitum ea magnitudine & proportione, qua nummus justo cum pondere suo debet exprimi. Habet autem in circuitu suo cylindrus quilibet tot formas ejusdem nummi similes, quot pro spissitudine capere potest; easque nonnihil extantes cum marginibus acutis a reliqua cylindri superficie, quo possint superabundans metallum calatura separare, & e characteribus ejicere. In superioris cylindri formis calatæ sunt Cruces, aut Principum imagines cum suis titulis atque parergis, quæ in uno numismatis latere debent exprimi. Sic in inferioris cylindri formis, quæ in altero latere: scilicet insignia Principum aut aut Civitatum, aut alia emblemata cum suis elogiis & annorum notis, in quibus illa primum moneta formatur. Jam vero cylindri tam apte junguntur inter se, ut formæ æqualiter, & summa cum proportione simul inter volvendum conjungantur, nummique ab utroque latere perfecti figuram absolvant. Itaque nihil aliud ibidem agit monetarius, quam ut laminas auri, argenti, arisve, jam antea pro formanda moneta pondere, ac magnitudine præparatas in orbem euntibus cylindris admoveat, & formis se claudentibus inferat. Mox formæ laminam a fronte suis characteribus velut dentibus apprehensam attrahunt, degluttiunt, sensimque devorant totam; & a tergo numismata perfectissime eodem temporis momento cum excrementis metalli superfluis evomunt, & in pelvim suppositam dejiciunt. Delectabatur admodum hac consideratione Carolus Princeps, & gaudebat laminas ipse vel aureas, vel argenteas cylindris inserere, atque brevissimo spatio decem aut duodecim perfectissima numismata perficere. Perlustrant deinde tabernas monetariorum omnes, & vident ubique Nymphas operariorum labores quosque maximos graviter subire. Movent enim hic rotis aquariis folles, & flammas in fornacibus excitant, ubi metalla liquefiunt, & temperantur; illic magno cum fragore plures malleos ordine & vicissim incudibus quatiunt, ut faber artifex nil aliud habeat quod agat, quam uti metalla calida malleis subjiciat, & extrahat, versandoque in incude in eam, quam velit formam, tenuitatemque reducat. Laminas aut formis subjiciendas hoc fere modo præparant. Certum pondus metalli puri catinis injectum liquefaciunt in fornacibus, adduntque mixturam, auro argenti tantum & argento tantum æris, quantum permittitur lege monetaria Imperiali, vel decreto Principis, aut Civitatis, cujus impensis moneta formatur. Jam liquidum, ac ita temperatum fundunt in canales ferreos, & formant in bacillos bipedales; quos deinde (ut dixi) malleis subjiciunt, & extendunt in laminas crassas, aut tenues, latas aut strictas, prout ratio, pondus & magnitudo monetæ formandæ postulat. Itaque lamina facillime formis supplet, & eo minus superflui reddit. Formæ vicissim tanta perfectionis nummos proferunt, ut correctoribus parum negotii fiat in iis ad æquilibrium sive legitimum suum pondus per bilances redigendis.

FINIS.

R O-

ROBERTVS CENALIS

DE

VERA MENSVRARVM PONDERVMQVE RATIONE.

Liber jam tertio auctus & recognitus ab auctore. Accedunt & paralipomena quædam.

AD CHRISTIANISSIMVM DOMINVM NOSTRVM FRANCORVM REGEM FRANCISCVM PANEGYRIS.

QUiſquis veterum monumenta revolvet, Chriſtianorum Regum Chriſtianiſſime Franciſce, Princeps noſter clementiſſime, is facile intelliget beate ac feliciter actum cum Imperatoribus & Regibus (ſive hi Orientis, ſive Occidentis gubernacula tenuerint) quibus cum maternis auſpiciis vitam ducere, ſuique regni ſceptra moderari, ſuperni afflatu numinis conceſſum eſt. Ut enim a ſapientiſſimo Salomone ordiamur, tantum abeſt, ut Bethſabeæ regiæ ſuæ prolis unice dilectæ gloriam obnubilaverit, ut gnatum omnibus etiam ſeculis, regia in matrem pietas, longe reddiderit illuſtriorem: adeo ut nec majorem quidem a ſapientia commendationem retulerit Salomon ipſe omnium judicio ſapientiſſimus, quam a pietate erga matrem gloriam reportarit, & eo quidem ampliorem, quo ſapientiam pietas magno ſuperat intervallo: vel hac etiam ratione, quod pietatem erga parentes fructus ſequatur uberrimus. Nam qui honorât parentes, jocundabitur in filiis, & vita vivet longiore. Hujus pietatis ſymbolum eſt Ciconiæ ſimulacrum, quod ſummis regum ſceptris olim inſerebatur. Quo ſane argumento vetuſtas declarare voluit ſummam ex pietate, ac majorem quam ex majeſtate regibus imminere pararique gloriam. Quotquot enim legimus reges aut imperatores ſummi ac glorioſi nominis, rerum geſtarum titulis inſignes, eos cum majeſtate pietatem conjunxiſſe, luce clarius compertum eſt. Ut autem Ethnicos valere ſinamus, & inter hos Ninum Semiramidis, Alexandrum Olympiadis, Ptolemæum Beronices, argumento nobis eſt Conſtantinus ille Helenes, qui primus ſub Chriſtiano ſtemmate militavit crucis munitus inſignibus, magnus & vir & imperator. Sic enim a maternis uberibus hauſerat pietatem, ut primus legem tulerit de Chriſto publicitus colendo, primus templa erexerit, quibus donaria magnificentiſſime largitus eſt. Quo factum eſt, ut merito Magni cognomentum ab Alexandro Græcorum Imperatore, & a Pompejo Romanorum ſuo tempore monarcha, quaſi ab Hercule clavam eripuerit. Hujus matriſque Helenes auſpiciis, crux perpetuo ac ſummo veneranda cultu reperta eſt, cæteraque noſtræ redemptionis inſignia: quo vel unico nomine magnus ille Imperator una cum pientiſſima ac religioſiſſima matre, non humanæ tantum laudis titulos, quinetiam divorum prope (ut ſic dicam) honores reportavit. Horum, inquam, auſpiciis, Conſtantini ſcilicet & Helenæ, inſignis illa Nicæna ſynodus, qua non præſtantior ulla poſt Apoſtolos aut auditur aut legitur, celebrata eſt, centum quinquaginta patrum inſignita corona. Ad hunc ſane modum videmus floruiſſe imperia, quæ cum vita maternæ auſpiciis conjuncta fuere. Huic non ſine grandi religionis ſucceſſu, acceſſit & alius Conſtantinus Irenes: cujus, maternaque opera ſuus orbi nitor redditus eſt, veraque pietas reſtituta. Curarunt enim, ut erant probitatis opinione inſignes, indicto eccleſiaſticorum ſacerdotum conventu, quem ſeptimam Synodum poſteri appellarunt, templis ſuos honores reſtitui, divis imagines abla-

tas

tas Christianæ pietatis cultoribus venerandas proponi ac restaurari. Quod præclarum egregiumque facinus sacra tua majestas imitata est, dum illatam deiparæ virgini injuriam, pietatis zelo accensus, vindicasti, & de lapidea fecisti argenteam, non sine grandi Parisinæ plebis gaudio & exultatione, quæ etiam publicitus fausta ac læta omnia tibi huic rei intento succedere precabatur. Egit itaque Irenes prudentia, ut summum Græci imperii monarcham, consilii materni non omnino pœnituerit. Nec temere accidisse credendum est, quæ in ea tempora reponunt spectaculum rerum gestarum scriptores, dum recluso quodam monumento reperta est lamina, cujus inscriptio talis erat: Christus nascetur ex virgine Maria, credo in eum. O sol Constantini & Irenes temporibus item me videbis. *Quo sane spectaculo, ea tempora clariora reddita, nemo jure ambigere queat. In eo ipso honoris & gloriæ albo inscribendi sunt Michael Græcus Imperator & Theodora genitrix: quorum industria, superis bene faventibus, Bulgari, Scythicum genus, Christianam pietatem populariter amplexati sunt. Theodosius ille senior adversus Thessalonicam maternæ gloriæ memoriam tutatus est ac fovit, adeo ut Thessalonicensium petulantiam, materno nomini insultantium, non sine gravi cæde represserit: indigno tamen tanta majestate, nec a posteris imitando exemplo, dum in ea ultione nec innocentiæ parcit, nec ætati. Et ob id Theodosius ille, alioqui non parva erga superos pietate, pari ad subditos clementia, & in hostes militaris disciplinæ gloria insignis, quum sub Ambrosio severitatis contra Thessalonicenses nimiæ, ecclesiasticam pœnam subiret, castigationis legem patientissime tulit: ut quo major esset, tanto se humiliorem præstaret, ac omnibus summæ magnanimitatis summa cum humilitate conjuncta, etiam usque ad miraculum, posteris exemplum praberet. Hic ille, de quo scripsit Claudianus:*

> O nimium dilecte Deo! tibi militat æther,
> Et conjurati veniunt ad classica venti.

Accedit & alius Romani moderator imperii, qui non inferiore gloria maternam pietatem coluit, Alexander Mammææ, cognomento Severus. Hic, ut Egnatius ait, optimis æquandus Principibus, & innocentia, & in viros bonos benevolentia, & (quæ Principum dos est maxima & præcipua) singulari in subditos clementia, illud inter cætera studiose observavit, ut incruentum, dum viveret, teneret imperium. Et ne veræ pietatis foret omnino expers, etsi non integre & perfecte, aliqua tamen ex parte nostræ religionis lumen agnovit. In larario enim suo Christi numen adorabat. Abrahæ, & Moysi memoriam venerabatur. Sed nec omnino a religione abhorrens, illud semper in ore habebat, a Christiano dogmate mutuatum: Quod tibi fieri nolis, alteri ne feceris. *Hic pauperis miseratus inopiam, omnes omnium fœneratorum usuras ad trientarium fœnus coartavit, tanquam ad minimum malorum. Quod ante eum Antoninus Pius fecisse legitur. Quo sane erudimur, quam vigilanter & exacte nostra ætate usurarum vorago cohibenda foret: quum non pudeat viros Christiano nomine gloriantes, in publicis nundinis supra centesimam usuram excessu quadruplo, sesquisexto, fœnus exercere. Quæ res etiam inter Barbaros, fidei Christianæ expertes, prædonum omnium crudelitatem superat. Atque utinam non ad capitalis quantitatem, annuum fœnus accederet. Nunc ad Severum redeamus. Habebat ille a consiliis innumeros legalis scientiæ proceres, ut Paulum, & Ulpianum scrinii magistrum: quos ambos fuisse Papiniani assessores tradit Lampridius: nec eos solum justitiæ causa suo adhibebat lateri, verum etiam cum convivaretur, eruditorum fruebatur colloquio, ut haberet fabulas literatas, quibus se recreari dicebat & pasci. Quem morem a tua serenitate observatum, clementissime Princeps, ipsi sumus experti. Nulla enim dies elabitur, in qua non erudita aliqua lectio, etiam & arrectis auribus astantibus omnibus aulicis, inter epulas cum magno silentio attente ac diligenter a tua majestate audiatur. Quum tales viros regio lateri adhibendos Mammææ providentia curaverit, addunt ad hæc nonnulli scriptores, quod ascitum sibi Origenem favore juverit & opibus: ideoque*

ideoque caussa fuit, ut ad posteritatem insignia ejus opera prodirent. Quocirca non immerito de hoc Alexandro tradit Lampridius, qua in matrem Mammaeam unice Pius fuerit: ita ut Romae in palatio faceret dietas nominis Mammaeae, & in Bajano palatium cum stagno, quod Mammaeae nomine censetur. Et talis erat Alexandri erga maternum & nomen & numen affectus. Qua quidem ratione apud posteros gloriam sibi peperit immortalem. Haec de externis commemorare libuit, cum tamen inter nostros Principes Gallicae rei moderatores non desint pleraque erga nomen vitamque maternam pietatis exempla. Ut enim omittam, quae de Theodorico Clotildis filio natu majore Austrasiorum Principe historiae tradunt, qui Thuringiam cum rege sibi subjugavit, Italiam cum armatorum octoginta millibus trajecit, Belisarii copias repentino impetu fregit, Cispadanam omnem regionem imperata facere compulit, & alia pleraque virtutis ingenia posteritati reliquit. Ut interim taceam, quae de Childeberto referunt historiae, qui post patris ac patrui mortem regnavit in Austrasia cum Brunichilde matre annos viginti, quae scilicet coenobia, templa, sacras aedes, solo vitae suae tempore aedificavit, ac muneribus munificentissime ornavit, ad quam etiam Gregorii Magni nonnullae extant epistolae, suae gloriae & laudis indices. Cujus etiam verba subjungere libet. Ait enim: Excellentiae vestrae praedicandam, ac deo placitam bonitatem, & gubernacula regni testantur, & educatio filii manifestat. cui non solum incolumem rerum temporalium gloriam conservastis, verum etiam aeternae vitae praemia providistis: dum mentem ipsius in radicem verae fidei, materna, ut decuit, & laudabili justificatione plantastis. Unde non immerito contigit, ut cuncta gentium regna praecelleret: quippe qui earum creatorem & pure colit & veraciter confitetur. Extat & alia ad hunc Childebertum epistola, in haec verba: Quanto caeteros homines Regia dignitas antecellit, tanto caeterarum gentium regna, regni vestri profecto culmen excellit. Et paulo mox in fine epistolae sequitur: Claves sancti Petri, in quibus de vinculis catenarum ejus inclusum est, excellentiae vestrae direximus, quae collo vestro suspensae, ab omnibus malis vos tueantur. Haec Childeberti & Brunichildis matris, Gregorio teste & auctore, celeberrima eulogia. Quid memorem Batildem Clotarii matrem, quae post viri Clodovaei hujus nominis secundi mortem, Chalarum monasterio sese perpetuo dicavit? Coenobium est in agro Parisiensi ad fluvium Matronam situm. In summa, clarissimi maximique fuere omnes & Imperatores & Reges, qui cum regnorum suorum gubernaculis pietatem conjunxerunt. Quod ut liquido constet, illud quoque argumento est, praeter ea quae protulimus exempla, ex Pipino Carolus, ex Augusto Augustus, ex brevi procerus, ex parvo magnus prodiit Imperator, insigni erga genitricem Bertam pietate clarissimus: quem Macropedem, ob pedis proceritatem, cognominavit antiquitas. Addunt insuper scriptores, eam apud divi Dionysii coenobium ingenti pompa elatam. Cujus magnificentiae studiosus aemulator extitisti, Regum magnificentissime. Eam siquidem operam, his nuper transactis diebus, in nostrae Ludovicae funere egregie navatam esse nonnullorum relatione didici, non sine grandi, immo durissima animi anxietate, & acerrima aegritudine: tum ob gravissimam non meam tantum, immo & regni totius acceptam, illustrissimae heroidis, ac dominae meae magnificentissimae morte jacturam: tum etiam, quod mihi horum casuum ignaro (neque enim hos, nisi re confecta, & absolutis funebris pompae exequiis, rescire potui) abesse contigerit. Nunc autem cum non potuerit fieri quod volui, id volo quod possum: daturus operam, dum vixero, ne ipsius & memoria & nomen de intimis animi penetralibus aliquando deleatur. Ad Bertam nostram redeo, quam, dum viveret, tradunt ut alteram Minervam, negotio textorio operam assiduam dedisse, adeo ut cum Penelope olim, lassaret viduas pendula tela manus: ne videlicet cum forti illa muliere panem ociosa comederet. Texebat autem non ad caducos mundi honores, verum quicquid ex operosa illa textura prodibat, id omne templorum ac sacrorum usibus devovebatur. Felicem sane prole matrem, & matre filium. Ita enim pedi magno magnus congruebat soccus. Secun-

dum hos, quos supra meminimus Imperatores, ac Reges, non mediocrem in hac pietatis arca sortem ac conditionem obtinet divorum numero adscriptus Ludovicus, religiosissimæ matris Blanchæ sanctissima proles. Cujus ad matrem pietas, vicissimque matris erga ipsum educatio, tantum viguit & valuit, ut post praeclarissimas animi dotes utrinque datas & acceptas, post egregie rectam Rempubl. post militiam adversus hostes fidei strenue susceptam, deo & hominibus gratam & gloriosam, procerum ecclesiæ suffragio in sanctorum numerum relatus sit. Domi bella nulla excitavit, mota incredibili celeritate compescuit: foris autem, hoc est, adversus fidei hostes, contineri non potuit, quo minus semel atque iterum instaurata acie Mahumeticam perfidiam usque ad mortem funditus delere niteretur. Tanta in condendis templis magnificentia usus, & cœnobiis erigendis: ut mirum sit unius regis & opes & vitam, tot bellorum sumptibus impliciti, tot tamque superbis structuris superesse potuisse, nisi illud omnem ambiguitatem superaret, quod Sapiens ait: Justum deduxit dominus per vias rectas, & ostendit illi regnum dei: honestavit illum in laboribus, & complevit labores illius. Post hæc tam multa, tamque insignia veræ pietatis exempla, clarissimum ac lympidissimum pietatis speculum in te uno residere videtur, clementissime Princeps, cujus insignem pietatem, nullus casus, eventus nullus, neque mors, neque vita extinguere potuerit, usque adeo arctissimis vinculis tuæ majestatis, ac maternæ teneritudinis affectus, repagulis plusquam adamantinis agglutinatus erat & conjunctus, ut æstimare par sit, unam in gemino corpore mentem, cor unum, animum unum, toto utriusque tempore vitæ delituisse.*

Quod autem ad illustrissimæ dominæ meæ sortem conditionemve attinet, mihi imperare non possum, quo minus aliquando pariat, quæ jamdudum parturiit animus, etiam citra omnem assentationis suspicionem, ut qui sciam scriptum esse: Lauda post mortem, magnifica post consummationem: quando nec laudantem assentatio, nec laudatum ultra invadere possit elatio. Siquidem aptissimus locus est post funera laudum. Qui enim accidere solet in vivis livor, post fata quiescat necesse est. Quocirca mihi ipse nunquam satisfacio, quoties memoria repeto, & assidua cogitatione revolvo, quam consulte, quam etiam strenue & constanter sub signis majestatis tuæ serenissimæ, rem tractaverit Gallicam illustrissima herois Ludovica, domina mea beneficentissima. Hujus enim rei etiam inimici nostri sunt judices, quod incredibili serenitate ingruentes rei Gallicæ procellas, tuæ semper majestatis ductu & auspicio temperaverit, sedaverit, mitigaverit. Jam clara luce intuetur Gallus, Anglus profitetur, agnoscit Italus, non inficiatur Hispanus. Nulla major per historiam legitur huic augustissimo regno, quam his paucis ante diebus, ingruisse tempestas: verum nec tam subita, nec tam grata, nec tam quieta, aut tranquilla traditur affulsisse serenitas. Sic enim negociorum telam texebat, ut ipsa prius peracta sentiretur, quam crederetur incohata: idque tam profundo silentio, ut omnia peragendo, nihil agere videretur. Harum rerum nisi orbi fidem faciam, sum omnium, quos sua familia aluit, clientum ingratissimus. Eorum enim quæ dixi, conscius sum, & testis oculatus. Cum essem inter aulicos tumultus, inter malleos gladiosque parantem incudem, ea omnia non satis agnoscebam. Obsurdescebat enim auris ingenti strepitu, ut fabris ac malleatoribus ad fornacem candens ferrum ferientibus, usu venire solet. Nunc autem mihi in remotiore secessu constituto, ac paulo tranquilliore ocio fruenti, longe secus accidit. Nam posito omni stupore, mirari non desino, quoties memoria repeto, qua via, quibus artibus, quibus consiliis, tot reconciliationum anfractus, tot fœderum ambages, tam varios in concordiæ finem tractatus, denique tam brevi tamque grato concluserit omnia fine: invidentibus nonnullis, sed temere: quibusdam viam pacis interrumpere, sed frustra, cupientibus: aliis etiam, si qua arte fieri potuisset, seu clam, seu palam repugnaturis. Verum omnipotentis dei benignitate atque clementia, a cujus nutu pax ipsa pendebat, uti a magnete ferrum, versa est tempestas in auram, & siluerunt fluctus

Ita

Ita enim rem texebat Olympus, ita Sapientia divina vicit militiam, ut attingeret a fine usque ad finem fortiter, & disponeret omnia suaviter. Hic ille est auctor pacis, Deus optimus, clementissimus, qui memor fuit nostri, & benedixit nobis: ille, inquam, qui afflixit nos propter iniquitates nostras, nostri tandem misertus est propter misericordiam suam, & quidem eo tempore quo vidimus, & re ipsa experti sumus, vanam esse salutem hominis: cumque in Deo fecissemus virtutem, ipse ad nihilum deduxit tribulantes nos. Meminisse credo aulicorum omnium numerosam catervam, quam crebro inculcatum fuerit, a Deo magis quam ab homine nostram pendere salutem. Quo stabilito fundamento, continuo tranquillitatis splendor affulsit, cœpitque arridere nobis dominus, qui se antea præstiterat iratum: quo tandem annuente, & augustæ auctoritatis tuæ interventu, nostræ Ludovicæ magnanimitas semper assurgens ad ardua, pacem nobis peperit, artibus belli longe superiorem. Est enim pax ipsa triumphis innumeris potior. Quo vel uno nomine, corona suæ celsitudini plusquam civica (quam meretur, qui civem unum liberaverit) merito debetur: quæ pacem nobis reddidit, immo verius nos ipsos, vitam ac fortunas omnes nobis restituit: ideoque triumphali merebatur insigniri corona. Nec uno censetur digna triumpho, ut cujus opera non solum pax reddita sit, immo etiam furens ac sæviens fortuna superata. Implevit sane suæ familiæ titularem inscriptionem, Fert Fert, *tolerantiæ & cunctationis nominibus commendabilem. Semel enim atque iterum victa est fortuna ferendo, & hac fortitudine, crucis scilicet toto orbe venerandæ, rotam fortunæ tenuit, ut nec ultra sævire aut audeat, aut valeat. Quo fit, ut jure optimo, pacis conciliatricem, fortunæ domitricem appellare possimus: quæ ut Romanis olim Fabius ille Maximus, ita nobis hodie cunctando restituit rem. non ponebat enim rumores ante salutem. Porro insultantis fortunæ rabies, tantum abest, ut suo quicquam detraxerit honori, seu aliquid nubili suo splendori insperserit, ut etiam laudis jubar vehementer auxerit, illustrarit, amplificaverit. Quis enim non probet Nasonis sententiam, ita dicentis?*

> Si nihil adversi durus vidisset Ulysses:
> Penelope felix, sed sine laude foret.
> Scilicet adversis virtus exercita rebus,
> Materiam tristi tempore laudis habet.

Ut enim clarior est solito post plurima nubila Phœbus, ita quoque victis domitisque adversis clarior extat honos, & gloriæ fulgor splendidius illucescit. Quod si quis aut nasutus forsitan, aut fellis aliquid in pectore gestans, ex earum (quas prædiximus) rerum commemoratione assentatorium aliquid sentire se credat: illum intelligere oportet, in re orbi cognita, & apud omnes confessa commemoranda, nullum esse assentationi locum: imo potius si tacuerimus, sceleris arguemur, oscitantiæ scilicet, aut ingratitudinis. Quid, quod in omnibus his Dei potius majestatem, quam hominum commendamus industriam? Ea enim omnia eo fine velim accipi, ut cum angelo Thobiæ benedicamus Deum cœli, & coram omnibus viventibus confiteamur ei, quia fecit nobiscum misericordiam suam. Quamquam enim, ut idem ait, sacramentum regis abscondere bonum est: opera certe dei revelare & confiteri, honorificum est. Quod si quis forte erit, qui ad hoc contumacis invidiæ cervicem flectere nolit, aut cor alioqui duriusculum mollescere non permittit: illum, inquam, si quis fortassis talis erit, cepas edere jubemus, ut est in proverbio. Redeo igitur ad dominam meam illustrissimam, altricem meam clementissimam: cujus benignitate, sub Deo & sacræ tuæ majestatis magnificentia sum id quod sum. Gratia enim vestra in me vacua non fuit. Cujus si oblitus fuero, oblivioni detur dextera mea. Adhæreat lingua faucibus meis, si non meminero vestri. Illud unum toto istius vitæ decursu summis votis a Christo domino, vestro nomine implorandum superest: ut qui germinastis sicut lilium, floreatis in æternum ante dominum, qui & ipse vos benedicat

nedicat ex Sion cæleſtis Hieruſalem bona viſuros: qui noſtræ Ludovicæ dum viveret, id muneris largitus eſt, quæ videret filios filiorum ſuorum, pacem ſuper Iſrael. Id quoque præſtat, ut anima ejus in bonis demoretur, & ſemen illius hereditet terram. At quoniam verbis nulla fides, niſi dicta factorum conſtantia ſequatur: ut ingentem, cujus me vinculis irretitum profiteor, obligationem uno aliquo teſtarer indicio, decrevi tandem fœturam aliquam, quæ ad manum erat, ex ſacræ ſcripturæ, veterum, recentiorumque ſententiis conflatam, ſuperilluſtri tuæ majeſtati devovere, ac dicare. Verum ſi cui forte videbitur tantillum iſtud indignum tanto Principe munus, meminiſſe illum oportet, veterum Romanorum peritiam Jovi ſuo unam amphoræ menſuram devoviſſe ac dicaſſe. Quodque ſanctius eſt, Deo ſummo, vivo, ac vero, deque ipſius juſſu & mandato, Moyſes urnam auream, in qua manna erat reconditum, in arca repoſuit. Exod. 16. Sume vas unum, & mitte ibi man, quantum poteſt capere gomor: & repone coram domino, ad ſervandnm in generationes veſtras. *Quod & Paulus in Hebræis confirmat. Mihi itaque per tuam ſerenitatem liceat in omnibus menſuris, quod Hebræos & Romanos in uncia feciſſe non pœnituit. Proderit enim iſtud fortaſſe nonnihil ad ſtatuendas populo Gallico juſtas menſuras, injuſtas vero lege reprimendas. Præclarum enim eſt id noſſe legiſlatorem, ut una omnibus ſubditis menſuræ lex tradi poſſit. Quod & Philippum cognomento Longum attentaſſe legimus, ut una foret in toto regno menſurandi ratio, juſta ponderis inſtitutio, & in cudendis monetis auri ad argentum proportio ſervaretur: opus utique præclarum, ſi mature fiat, plebi Gallicanæ admodum utile, & unde regio tuo ſtemmati apud poſteros, laudis plurimum & gloriæ accedere poſſit. Omnia etiam conſtituit divina ſapientia in pondere, numero, & menſura. Nemo igitur noſtram temeritatem accuſet, qui in ea re morem ſum imitatus eorum, qui cum alieno ære obſtricti ſint, ut nec debiti quadrantem perſolvere queant, munuſculis aliquot interim ſuis creditoribus porrectis ſpem fallunt, animumque ſolantur, uſque dum forte felix affulſerit hora, qua ſeſe in totum extricare poſſint. Sic ego opellam hanc noſtram tuæ celſitudini offerendam ſtatui, non quod minutiſſimum hoc xeniolum cedere debeat in ſolutum, quin potius ac verius in ſolutionis futuræ pignus, ſi tamen aliquando futura ſit, cum obligationi tam immenſæ condigna ſatisfactio ſuccedere nulla poſſit. Præclare ſecum actum exiſtimabit, ſi ſenſerit famulus addictiſſimus, aut offerentem ex muneribus, aut munera ex offerente non omnino diſplicuiſſe: is inquam famulus, qui uſque adeo tuus eſt, ut ſuus jam eſſe non poſſit: quique egregium illum Regiæ dignitatis ſplendorem, ad ſummi & optimi Dei gloriam, Chriſtianæ ac Gallicæ ſalutis incrementum, divini numinis afflatu, in multos annos ſervari precatur incolumem.*

Robertus Abrincatenſis epiſcopus, tuus ac illnſtriſſimæ heroidis Ludovicæ alumnus: quem, ut ſibi eſſet a concionibus ſacris, piiſque largitionibus, ſua magnificentia delegerat.

AD LECTOREM SATISFACTIO.

NEmo mihi vitio vertet, qui modo æquum se præstare vel & candidum, quod a priore non multos ante annos edita de liquidorum mensuris observatione, hoc loco tota (quod ajunt) via recedam. Siquidem in ea quæ præcessit editione, insignem illum pictorem Appellem imitari me velle profitebar, quem dum sua vulgi judicio opera exponeret, ita subscribere solitum referunt *Apelles hoc faciebat*, quo apertissime significaret nondum manum extremam apposuisse operi. Idque mihi contigisse ingenue profiteor. Quod enim tum suspicabar, accidit: futurum scilicet ut paulo altius repetito negotio, alia quandoque methodus appareret, qua progrediendum certius foret & tutius ad colligendam veterum mensurarum symmetriam: hoc interim agens, quod divus Petrus in sua canonica de prophetarum scrutandis vaticiniis admonet, ita dicens: *Bene facitis attendentes prophetico sermoni, sicut lucenti in caliginoso loco, donec oriatur dies.* Quod ergo statuit sanctissimus ille apostolus in prophetarum studiosa lectione, illud ego in auctorum decretis perscrutandis (quantum ad mensurarum rationem pertinebat) perficere atque implere conatus sum. Perlustratis enim Budæi, Alciati, Georgii Agricolæ, Leonardi Porcii, virorum in omni dicendi genere consummatorum, collatisque invicem eorum rationibus & placitis, lux quædam veluti per transennam nobis adfulsisse visa est, qua non tantum veritatem, certissimumque in ea re judicium me attigisse existimo, quinetiam ad veræ symmetriæ scopum omnium inter se mensurarum pervenisse, omnibus facile persuasum iri nullatenus dubito: nisi me mea vehementer fallit. Qua in re si quid fœliciter actum est, eorum quos supra commemoravi, & diligentiæ & eruditioni acceptum referri volo: quos, nobis etiam tacentibus, commendat rarissimæ eruditionis, lectionis plurimæ, consummatissimæ eloquentiæ laurea & triumpbus. Quum autem a libræ mensuralis ratione, sextarii: & a vera pedis constitutione, amphoræ observatio tota pendeat: qui sine pedaneæ mensuræ delectu rem aggrediuntur, ut in ea aliquid certi constituere se posse putent, ita mihi ludere videntur operam, uti si non profecturis littora bobus ararent. hoc enim agentes, sine fundamento ædificant. Quam quidem observationem Parisinus ille legislator, primariusque mensurarum institutor, quisquis ille tandem fuerit, in suo semimedimno, quæ vera est amphora, ad rationem pedis Parisini cubice ducti constituta, ita observasse visus est, ut ne ad latum quidem unguem a geometricis legibus discesserit. Quod quidem in exteris mensuris minime fuisse observatum, in ipso bujus operis recessu luculenter apparebit. Oportet igitur eum, qui in hoc negotio certum aliqnid & fixum statuere velit, præcipuas mensuras suo pede metiri. Nam constituta libra mensurali, stabilitisque ad sui pedis rationem sextario & amphora (quam, si vere cubica est, centum quadragintaquatuor libras mensurales juxta proprii ac legitimi pedis dimensionem complecti necesse est) prono cætera procedent alveo. Est enim amphora mensura quædam inter imas summasque media. Quod an feliciter a nobis tentatum sit, an secus: tuum erit judicare lector, & pro tui animi candore boni consulere. Quod ad me attinet, satius duxi a minus recte cœpta itinere citius recurrere, quam a via perpetuo deflectendo, per incerta & invia semper errare: & mibi ipsi potius veritatis scopum præfigere, quam a duro iniquove censore, tametsi veram, sed nimium forte severam reprehensionem experiri, dum vivo, aut post fata non sine proprii jactura nominis expectare. Eum nihilominus venerabor & amplectar reprebensorem, qui certiora & potiora proferre & velit & possit. Memineris itaque lector suo pede metienda esse singula. Interim vive beatius, ut felicius semper valeas.

ROBERTI CENALIS DE VERA MENSVRARVM PONDERVMQVE RATIONE

COMMENTARII.

QUiſquis noſtrarum cum exteris rationem menſurarum totam ſemel aſſequi deſiderat, illum oportet intelligere, unciæ, ſextarii, & amphoræ veram capacitatem, & menſuram, ſed & unciarum, ſextariorum & amphorarum inter ſe proportionem: quam ſi ſemel aſſecutus fuerit, nulla jam ſupererit in reliquis difficultas. In primis autem definienda eſt, deinde in partes ſecanda uncia.

Eſt ergo uncia, libræ ſeu ponderalis ſeu menſuralis pars duodecima, quæ in menſuris oblongis & quadratis pollex dicitur, ut alio loco monſtratum eſt. In cubicis autem, ſeu liquidorum aridorumque capacibus menſuris, quomodo ſe habeat ad pollicarem, ſuo loco differetur. Denique uncia linealis, eſt pars duodecima pedaneæ longitudinis, quadrata vero quadrati, & cubica cubi.

Jam ſupereſt illam in duas partes dividere.

Hujus medietas eſt ſemuncia.

Tertia pars unciæ, gemina ſextula, atque etiam duella dicitur. Fannius de hac ita ſcripſit:

Sextula quam dupla eſt, veteres dixere duellam.

Quarta ejus pars ſiciliquus unciæ quartarius, ita appellatus, quod ſemunciam ſecet. De hac idem Fannius: *Drachmam ſi gemines, aderit quem dicier audis Siciliquum.*

Sexta pars, ſextula dicta eſt. idem Fannius auctor: *Drachma, ſcrupuli ſi adjecto fiet, Sextula, quæ hinc dicta eſt, quod ſex his uncia conſtet.*

Septima pars, denarius. Unciam enim denariorum ſeptem eſſe abunde probat Agricola ex Celſi & Scribonii Largi auctoritatibus. Sic fit, ut denarii octoginta quatuor libram conſtituant: nam duodecies ſeptem, hunc numerum perficiunt, ſcilicet quatuor & octoginta. Hic denarius dividitur in duos victoriatos: qui victoriatus, quinarius olim dicebatur, a quinque aſſibus, ut denarius a decem appellationem ſortitur: ut ſi noſtro nomiſmate albulum quinarium, caroleum vero nummum denarium appellemus. Hujus inſcriptio erat, *Victoria.* Dividitur etiam hic denarius in ſex ſextantes, ſicut drachma Græcis in ſex obolos. Verum de aliis ſectionibus denarii alias.

Octava pars, unciæ eſt drachma, in medicinali uſu frequens & celebris. Cum autem mediis partibus unciæ nomina deſint; ad vigeſimam quartam tranſiliendum eſt, quæ eſt ſcriptulum, tertia pars drachmæ.

Scriptulum ſeu gramma, vigeſima quarta pars unciæ appellatur. Hæc autem omnia, quæ de uncia ponderali diximus, ad unciam menſuralem referenda eſſe neceſſitas cogit: quod manifeſte patebit ex ſequentibus: non quod uncia menſuralis unciæ ponderali reſpondeat. Nam auctore Dioſcoride unciæ novem menſurales pendent ſeptem uncias ponderales cum dimidia, ſeu drachmas ſexaginta. Hæc de unciæ Romanæ diviſione.

Sequitur de uncia Græca, quæ etiam ut Romana, eſt as, ſive pars duodecima libræ.

Priuſquam autem aliquid de hujuſmodi uncia ſtatuatur, hoc fundamento præmuniendus eſt lector, quod talentum minus habet ſexaginta minas, majus vero octoginta. Mina vero Atticis duplex fuit, vetus ſcilicet drachmarum ſeptuaginta quinque, altera recentior drachmarum centum: quo fit, ut ſi de uncia loquamur, quæ eſt duodecima pars minæ centenariæ, illa in ſe capiat drachmas octo, & obolos duos; nam octies duodecim ſunt nonaginta ſex, reſtant drachmæ quatuor, quæ per obolos diviſæ, conſtituunt vigintiquatuor obolos. Supereſt geminos cuique unciæ aſſignare obolos: ſic evadent centum drachmæ. Veteris autem minæ Atticæ duodecima pars, quam unciam appellamus, ſex drachmas capit, & drachmæ ſemiſſem: nam ſexies duodecim ſunt ſeptuaginta duo. Reſtant tres drachmæ, que dimidiatæ ſex ſemiſſes faciunt ſingulis drachmis adſcribendos. Oportet igitur drachmam in ſuas partes dividere. Sexta pars drachmæ eſt obolus.

Duodecima pars drachmæ, ſemiobolus, ſeu hemiobolon.

Semiobolus dividitur in æreola tria.

Æreolum ſeu chalcos dividitur in minutias ſeptem, quæ lepta dicuntur, quæ individua manent veluti quædam inſectilia puncta.

Alia eſt unciæ diviſio ponderali menſuralique communis, quæ ſic habet:

Libra in duodecim uncias dividitur: uncia octo drachmas capit: quare nonaginta ſex drachmas habet libra, ſelibra vero quadraginta novem, & ſelibræ dimidia, quatuor & viginti cum ſemiſſe. Hæc igitur uncia quum uſu auctorum drachmas octo recipiat, ſic dividenda eſt.

Semuncia, unciæ medietas eſt drachmarum quatuor. Drachma habet ſcriptula ſive grammata tria.

Quum ergo ter octo ſint viginti quatuor, ſequens eſt ſcriptulum ſive ſcrupulum eſſe vigeſimamquartam partem unciæ.

Scriptu-

Scriptulum a scripto deductum nomen habet, gramma appellatum. nam minima scriptura est litera. scrupus autem dicitur a scrupo lapillo vel calculo: quater ac vigesies unciam ingreditur, terrepetitum drachmam conficit. duos in se recipit obolos.

Obolus semiobolos duos habet, siliquas tres, grana duodecim: est quadragesima octava pars unciæ. nam bis viginti quatuor sunt quadraginta octo.

Semiobolus habet siliquam unam cum dimidia, grana vero sex.

Siliqua habet grana quatuor.

Hæc est divisio usu medicorum frequens, quum prior magis ad rem nummariam pertineat.

Cæterum ponderum observatio in profundis cavisque mensuris; ad differendam inter eas proportionem nihil aut parum affert luminis, quin potius obscuritatis & caliginis plurimum: quum ejusdem mensuræ varii liquores varia subeant pondera. Aliud est enim aquæ pluvialis pondus, quam aut fluvialis aut fontanæ. sed neque idem pondus habent imber æstivus & hybernus: crassior enim est hybernus æstivo. Huc accedit, quod vinum parte nona oleo gravius est: mel autem purum & despumatum, vinum gravitate superat tertio ponderis gradu. quæ Fannii auctoritate probantur, ita scribentis:

> *Hec tamen assensu facili sunt credita nobis:*
> *Namque nec errantes undis labentibus amnes,*
> *Nec mersi puteis latices, aut fonte perenni*
> *Manantes, par pondus habent: non denique vina,*
> *Quæ campi aut colles nuperve aut ante tulere.*
> *Illud præterea tecum cohibere memento,*
> *Finitum pondus varios servare liquores.*
> *Nam libra, ut memorant, bessem sextarius addet,*
> *Seu puros pendas latices, seu dona Lyæi,*
> *Addunt semissem libræ liventis olivi.*

Adde & istud, quod regionis calidioris liquores plus levitatis habent, quæ vero frigidiore regione nascuntur, graviores sunt. In tanta igitur ponderum varietate, quum vix duarum regionum liquores, etiamsi sint ejusdem naturæ, nemo possit uno metiri pondere, & inter ex nimi parte nutantes conjecturas, nihil constans solidumve colligi possit. idcirco ad librarum mensuralium subsidium recurrendum esse suadet ratio, urget necessitas, eruditorumque persuadet auctoritas. Inter quos unus erit instar omnium Georgius Agricola, vir accuratus sane & doctus, quique adeo utrunque tenet, ut utrum magis, non facile dijudices. Hic est, qui unciæ mensuralis vetustatis tenebris pene sepultæ nomen nobis restituit. De hac igitur uncia mensurali disserere videtur opportunum.

Uncia mensuralis seu pollicaris, duodecima pars pedis est. Nam unciam pro pollicis mensura accipiendam esse scriptura docet, ut in mensuris oblongis docuimus. Pes enim dividitur in pollices seu uncias duodecim, digitos vero sedecim. quod agnovit Fannius, dicens:

> *Modium sextarius ipsum*
> *Sexdecies haurit, quot solvitur in digitos pes.*

De uncia vero,

> *Unciaque in libra pars est, qua mensis in anno.*

Est autem pollex ad digitum sesquitertius, ut qui digitum una tertia superet. Tres enim pollices quatuor digitos æquant. Sex ergo sunt octo digiti, & duodecim pollices sedecim digitos complent.

A Uncia mensuralis triplex est, linealis scilicet, mensuræ oblongæ pars duodecima: superficialis, quadratæ in se multiplicata: tertia vero cubica. Sicut autem pollex duodecies resumptus pedaneam mensuram constituit, ita & cubica uncia duodecies infusa libram mensuralem perficit. Unciam cubicam appello, vas intus inane & vacuum, cubice conflatum, ex mensura pollicari seu unciali ex omni parte circumscriptum. Hoc, inquam, vasculum pollicare cubicum materno idiomate nostro appellatur, *ung pousson*, sicut vas pollicare dicimus a pollice.

B Quum igitur tessera ista uncialis intus inanis & vacua, sit pars aliquota pedis, a pedanea mensura dependens: necesse est ubi inæquales sint pedaneæ mensuræ, inæquales quoque esse uncias. Pedis autem Romani & Parisini non æquam esse mensuram, certa experientia didicimus, collato pede Parisino ad typum pedis Romani, quem nobis tradidit Leonardus Porcius, asseverans in ea quantitate passim Romæ pedem cerni & sculptum & pictum. Facta inquam collatione unius ad alterum, deprehendimus Parisinum majorem esse toto pollice, & sexta digiti parte. Si quis autem diffidit, ipse periculum

C faciat, & agnoscet quod dico esse verissimum. Ex hoc themate ista sequuntur:

In primis quod pes Parisinus major est pede Romano in sesquidigito: tertia & sexta digiti semissem digiti faciunt. sic fit ut pollex & sexta digiti mensuram impleant sesquidigitalem. Habet autem pes sesquidigitos decem, & digitum unum.

Secundo hinc sequitur, quod duodecim unciæ pedis Romani æquant undecim uncias pedis Parisini, dempta sexta digiti parte. Verum observatio hujus sextæ partis digiti plus esset onerosa quam utilis. Ideo ea neglecta, toto decursu hujus operis

D ita constituemus proportionem pedis Parisini ad Romanum, quasi ille istum una uncia superet. Si quis autem exactam rationem sequi vellet, haberet sexto quoque pede Romano accedente digitum superaddere, ultra eam quam observaturi sumus in mensuris rationem.

Sequitur & istud, quod quum duodecim Romanæ unciæ undecim Parisinas perficiant, omissa, ut prædixi (levandi oneris gratia) sexta digiti parte, quod si quis volet pedes Parisinos referre ad Romanos, & e diverso, Romano addat unciam, &

E exurget Parisinus: demat unciam a Parisino, & exurget Romanus. Hæc observatio plurimum lucis est allatura ad effugandam eorum quæ dicenda sunt obscuritatem.

Qui tamen exactum sequi volet, istud inveniet: quod cum sesquidigito, sive (ut apertius dicam) in tribus semidigitis pes Parisinus Romanum superet, sitque semidigitus sui assis pars trigesima secunda, sicut & digitus pars est decima sexta pedis, hac ratione necesse est unciam pollicarem pedis Parisini superare Romanam in eadem proportione, videlicet supertripartiente trigesimas secundas. ita enim geometræ loqui solent.

F Est autem unciæ pars trigesima secunda, quarta pars drachmæ, cum drachma sit octava, & semis sit decimasexta. Drachma autem pro semisse habet scriptulum unum, & semissem scriptuli, ut in unciæ partitione videre est hujus semissis medietas est semis scriptuli, & quarta ejusdem, hoc est, sesquiobolus. nam obolus est scriptuli medietas. Hinc apertissime sequitur, quod uncia Parisina superat Romanam in tribus sesquiobolis, hoc est, duobus scriptulis & semiobolo: & hæ quidem minutiæ nullius numeri repetitione unciam æquare possunt. Nunquam enim aberit fractio, sive in scriptula, sive in drachmas hæc fragmenta reduxeris: est enim proportio non multiplex, sed superpartiens

Quocirca

Quocirca ne truncatim ob neglectas minutias processisse videamur (nam quantumvis modicæ in parvis neglectæ, in majoribus ingentem acervum faciunt) ideo præstiterit forsan exactissimo calculo rem totam prosequi: hic ergo murus aheneus esto.

Certum est unciam octo perfici drachmis, digitum vero sex, cum uncia sit ad digitum sesquitertia, sicut sedecim numerus digitorum ad duodecim numerum unciarum. Jam autem diximus pedem Parisinum superare Romanum in sesquidigito. Habet ergo drachmas novem, hoc est, unciam & drachmam, quæ est sexta pars digiti ultra Romanum. Quoties igitur reducendi erunt pedes Romani ad Parisinos, demere oportebit de majori unciam & drachmam, & habebis Romanum. E diverso si Romano totidem drachmas, novem scilicet addideris, habebis Parisinum: sic singulas mensuras suo pede metiri oportet. Consequens est de libra mensurali disserere, quæ capacitate unciæ cubicæ duodecies infusa complectur: de qua mox sequitur.

Sequitur de libra mensurali, & partibus ejus.

DIscussis his, quæ ad unciæ mensuralis rationem spectare videbantur, nunc libræ mensuralis ratio habenda est: ponderali in alium relata locum. Est ergo libra mensuralis, vas cubicum intus inane, tantum liquoris capiens, quantum vas unciale duodecies infusum adferre potest. Erat autem Galeni temporibus, Romanis in usu vas corneum lineis intersectum, ipsum in duodecim lineas dividentibus: quam a ponderali libra differre vel hoc uno argumento probat Georgius Agricola ex Galeno, quod dodrans libræ mensuralis seu novem mensurales unciæ, pendeant septem libræ ponderalis uncias, & semissem. Adde quod sextarius oleo plenus, viginti uncias mensurales continens pendet uncias sedecim, quinque drachmas & scriptulum unum. Vini insuper sextarius libræ unius & bessis in mensura, pendet libram & bessem in pondere, & insuper semunciam, siliquas duas cum duobus granis, & duabus tertiis grani: non est igitur eadem libræ mensuralis ponderalisque ratio: nam mensura una eademque est omnibus liquoribus, pondus ut assem auctores dividere solent: partim itaque operæprecium est. Hujus duodecima pars est uncia. Cui altera adjecta sextantem reddit. Sextanti tertia juncta fit quadrans. Quadranti quarta adjecta trientem totius assis reddit. Quinta si accesserit, habet quincuncem. Sexta vero superaddita semissem constituet. Accessio septimæ ad semissem, septuncem procreat: cui octava superaddita, bessem: bessi nona succedens, dodrantem: dodranti decima apposita, dextantem: dextanti undecima juncta, deuncem: deunci vero undecima si jungatur, libram constituet. Mensuræ bilibris meminit Horatius, dicens:

Cornu ipse bilibra
Caulibus instillat veteris non parcus aceti.

Ibi de mensura, non de pondere agitur.

Hujus libræ mensuralis insigniores partes hæ sunt: Sextarii quartarius, quinque unciarum, libræ mensuralis quincunx.

Cotyle Græca novem unciarum capax. Hujus mensuræ dodrans.

Hemina sextarii Romani decem uncias capiens, & ob eam causam dextans libræ mensuralis merito dici potest.

Cotyla vero hippo-iatrica libralis, est unciarum Romanarum duodecim. Parisina autem libralis quidem est, sed ea libra quæ Romanam superat ea proportione, qua pes Parisinus Romano pede major est, videlicet drachmis novem, hoc est, uncia & drachma, quam sesquidigitalem profunditatem dicere possumus conferendo lineales mensuras cum cavis.

Cotyla georgica major est quam libralis. tenet enim uncias mensurales tredecim, & semunciam, hoc est, libram Romanam, & sescunciam. Ex his duo sequuntur, unum ad libras, aliud pertinens ad cotylas.

Libra mensuralis una fuit in usu Græcis & Latinis, quæ uncias Romanas duodecim capit. Nam Græci medicinæ auctores, suas mensuras ad libram mensuram Romanam reduxerunt, ut copiose docuit Georgius Agricola. Hujus rei si quis testimonia desiderat, consulat Agricolam. Illic affatim reperiet, unde sui animi desiderium implere possit. Est ergo in universum libra mensuralis duplex juxta variam pedis dimensionem. Nam a pede pendet uncia, & ab uncia libra.

Una est libra Romana unciarum Romanarum duodecim, a qua etiam pendet exterarum mensurarum dimensio. Alia Parisina unciarum totidem, verum uncias habet majores quam Romana: ideoque capacior est illa, juxta id quod dictum est de pedis Parisini super Romanum excessu. Superat ergo illam in drachmis mensuralibus novem, seu uncia & drachma una. Hæc libra est hemina Parisina, seu semisextariolus, quam etiam cotylem dicere possumus Parisinam. Qua in re, ne quis hæsitare possit, sciat me id experientia didicisse: quandoquidem ad lineam unciæ pedis Parisini curavi mihi fabricari vas unum cubicum intus inane, omnifariam unciale seu pollicare, Galli vocant *ung poulcon*, hoc inquam vasculum duodecies repetita infusione agnovi implevisse nostrum semisextarinlum. Est igitur semisextariolus iste, libra mensuralis Parisina, nostra cheopina bilibris, pinta vero quadrilibris. Id autem quod dico, cuique promptum est experiri.

Hæc de libra mensurali dicta sint. Ordo postulat, ut de sextario disseratur.

De sextariorum varietate, & partitione.

VAriat sextarii ratio hac potissimum de causa: nam qui absolute sextarium dicit, mensuram designat, quæ duas in se seu cotylas seu heminas recipit, quæ est in mensuris concavis idem quod in geometricis pes; & in ponderibus as. Alias autem sextarius pro sextante solidi alicujus accipitur: ut cum dicimus sextarius medimni, intelligi volumus sextam ejus partem, sicut nomine tertiarii tertiam, & quartarii quartam. Alias etiam sextarius neque mensuram neque sextam partem rei solidæ significat: verum trigesimamsextam modii Parisini præsentat, a senarii hujus numeri quadrata radice triginta sex. nam sextarius Parisinus trigesies sexies modium implet, porro sexies sex sunt triginta sex. Primum quidem sextarium xesten Græci vocant, secundum hecteum, tertius vero non ex se, sed a radice sua quadrata nomen accepit. Jam ad singulos sextarios progrediendum est.

Sextarius Romanus, auctore Fannio, hinc nomen accepit, quod sexto repetitus congium impleat. sic enim ait:

A quo sextarI nomen fecisse priores
Crediderim, quod eos capiat sex congius unus.

Capit autem libram unam & bessem, seu uncias mensurales viginti, dividiturque more Romano in duode-

cim cyathos more assis, siquidem duo cyathi sextantem faciunt. Martialis:

Sextantes, Callisto, duos infunde falerni.

Videntur autem quædam pocula tum fuisse in usu, quæ quod duos cyathos caperent, sextantes adpellabantur.

Tres cyathi quadrantem reddunt, de quo Martialis ita loquitur: *Quadrantem duplices de seniore cado.* Quatuor cyathi trientem perficiunt. Propertius, *Cum fuerit multis exacta trientibus hora.* Persius,

— — — Calidumque trientem
Excutit e manibus.

Superest quincunx, quinque cyathos complens.
Quincunci succedit semis seu hemina, hoc est, sex cyathi.
Septunx, septem cyathorum est.
Bes vero octo cyathos comprehendit. Martialis:

Quincunces & sex cyathos bessemque bibamus,
Cajus ut fiat, Julius & Proculus.

Huic proxime succedit dodrans, hoc est, novem cyathi, deinde dextans cyathorum decem, deunx vero undecim, cujus meminit Martialis:

Poto ego sextantes, tu potas, Cinna, deunces,
Et quereris, quod non, Cinna, bibamus idem.

Cui si cyathus duodecimus accesserit, sextarium efficit. Martialis in Posthumianum meminit bessis & selibræ. De besse quidem ita ait:

Bessalem ad scutulam sexto pervenimus anno.

De selibra vero mox adjungit:

Post hunc in cotula rasa selibra data est.

Est & alia sextarii Romani partitio, siquidem sextarius habet heminas duas, quartarios quatuor, acetabula seu oxybapha octo: quæ acetaria aut salsamentaria vasa dici possunt, Gallice *saussieres*: cyathos, ut dictum est, duodecim. Quum autem sextarius iste Romanus sit unciarum viginti mensuralium, hinc necesse heminam decem habere uncias, quartarium quinque, acetabulum duas cum semisse. Cyathus autem habet sescunciam, & sextam unciæ partem, hoc est, drachmam & scriptulum: ut facile colligi potest ex partitione unciæ, quam supra descripsimus.

Nunc cyathus describendus est, & partiendus.

De cyatho.

CYathus, sextarii Romani (ut ita dicam) uncia, tanti mensura liquoris, quantum quis uno haustu levissime exhauriat, Gallice *goblet*: & *gobber* dicimus leviter absorbere, & subito deglutire. Bibebant Romani non ad quoscunque potus æquales, sed ad cyathos: quos toties ebibere solebant, quot essent elementa nominis illius, in cujus gratiam ad bibendum sese provocabant. Hinc illud: *Nævia sex cyathis, septem Justina bibatur.* quo liquet huic verbo *Nævia* non deesse diphthongum, sed nec *Cæsaris* nomini, de quo Martialis ita ait:

Addere quid cessas puer immortale falernum?
Quadrantem duplica de seniore cado.
Nunc mihi dic, quis erit, cui te calathisse deorum
Sex jubeo cyathos fundere? Cæsar erit.

Commendatur Cæsaris Augusti frugalitas, qui tametsi aliquando minus, nunquam tamen amplius quam duodecim cyathos uno convivio solebat ebibere. Quæ mensura si cum Parisina conferatur, minor est cheopina Parisina, ut sequentia docebunt. Hujus autem ætatis antibibaces non cyathis, sed congiis se provocant, ut in eo duello quandoque ex certantibus unus, imo quandoque etiam omnes non mentis tantummodo, sed & vitæ luce priventur. quos scire oportuit sub Abassuero rege floruisse imperium, quo tempore nemo cogebat nolentes bibere: contra vero sub Baltasare summa imperii ad Persas translata est, ab eo scilicet convivio celebrato, de quo scriptum est Danielis quinto apud LXX. quod *coram mille vinum bibebat, & unusquisque secundum suam bibebat ætatem.*

Cyathi autem partitio sic habet. Habet enim ligulas quatuor, seu cochlearia magna: nam minus, cochleare expressit Martialis in Posthumianum dicens:

Octavus ligulam misit sextante minorem.
Nonus acuteolis in cochleare tulit.

Recipit igitur ligula drachmas tres, & scriptulum unum. De cochleari minori dicetur in Græcis mensuris.

Hactenus de sextario Romano, & partibus ejus: quem libram bessemque tenere Fannius docet, his verbis: *Nam libra, ut memorant, bessem sextarius addet, Seu puros pendas laticos, seu dona Lyæi.*

Hoc autem verius de mensurali, quam ponderali librà, intelligi oportet.

Addunt nonnulli sextarium castrensem, qui est duplus ad urbicum, qui tres libras mensurales cum triente recipit.

Sequitur de xeste, seu sextario Græco Atticò, & partibus ejus.

SExtarius Atticus in usu Medicorum frequens cotylas duas comprehendit. Fannius:

At cotylas, quas, si placeat, dixisse licebit
Heminas recipit geminas sextarius unus.

Deinde cotyla dividitur in quartarios duos: quartarius in duo oxybapha seu acetabula. acetabulum sesquicyathum recipit, cyathus conchas duas habet, mystra quatuor, chemas quinque, cheme verò cochlearia duo.

Cotyle sive cotyla, aliàs triblion, & semisextarius dicitur. minor est hemina Romana, uncia una: quo fit, ut sextarius Atticus minor sit Romano unciis duabus, habetque selibram seu uncias decem & octo. Ille vero viginti uncias habet: hemina Romana decem, cotyle Attica novem, quartarius vero Atticus quatuor & semissem: oxybaphum uncias duas, & drachmas totidem: cyathus sescunciam, hoc est, drachmas duodecim: concha drachmas sex, mystrum drachmas tres: cheme drachmas duas, & scrupulum unum, & grana quatuor cum quatuor quintis ejusdem: cochlearium drachmam unam, semissem scrupuli, duo grana, & duas quintas grani. quæ omnia mente potius, quam sensu accipienda sunt. Verum nequis dubitet hæsitans, ne forte unciæ Atticæ minores sint Romanis, omnem ambiguitatem resolvit Galeni auctoritas citata ab Agricola de mensuris libro secundo ita dicentis.

Cotyle Attica, novem unciarum Italicarum exiftit. etenim novem unciæ Italicæ in cornibus intersectis discretæ pendent uncias septem cum dimidia. sic fit, ut unciæ mensurales a ponderalibus discrepent. sequitur etiam, quod unciæ & libræ mensurales medicæ sint eædem Atticis & Romanis, quod & Galenus testatur alio loco dicens: Ex multis medicamentis olim conscriptis, priusquam res Romanæ in tantam potentiam venirent, conjeci quam illi nominant cotylen, parem esse unciis novem libræ Romanis nunc consuetæ: hac cotyle utuntur medici,

diei, ut ſit eadem Attica & medica. Illud quoque annotatu dignum eſt, quod cotyle, & quæ infra cotylem ſunt menſuræ, ſolidorum & liquidorum dimenſionibus ſunt communes. Quod autem ad obſeuritatem vocabulorum retegendam attinet, ligula a figura primum nomen accepit, eo quod formam habeat *liga* oblongæ, & intus profundæ, & lingula *lingua*. Deinde tamen ad certæ menſuræ ordinem redacta eſt, nec video quo minus utrunque dici poſſit, & lingua, & ligula, cum utriuſque figuram referat hæc menſura, etiamſi contra ſentire videatur Martialis, qui ait:

Quamvis me ligulam dicant equiteſque patreſque,
Dicor ab indoctis lingula Grammaticis.

Cochleare vero duplicis menſuræ nomen, majoris ſcilicet & minoris, cochleæ formam præ ſe fert, & ab ea ſortitur appellationem. docet hoc Martialis his verbis:

Sum cochleis habilis, ſed non minus utilis ovis:
Nunquid ſcis potius, cur cochleare vocere?

Quaſi mirum eſſe dicat, ſi quis ignoret quod a forma cochleæ potius, quam a rei alicujus uſu nomen accipiat.

Myſtrum vero & cheme imaginem teſtæ conchyliorum habent, myſtrum quidem majoris, cheme vero minoris.

De ſextario georgico, & partibus ejus.

QVi de georgicis menſuris verbum fecerunt, ſextarii non meminere, ſed cotyles tantum, & quæ infra cotylen ſunt menſurarum. Verum nihil prohibet ſextarium aliquem conſtituere, qui duas in ſe cotylas capiat georgicas, ut æqua ſervetur in his minoribus menſuris linea, & a ſimili per omnes capite ordiamur. Has omnes ad unam deſcripſiſſe Cleopatram fœminam, auctor eſt Agricola: cujus rei fides ſit penes auctorem. Hujus itaque Cleopatræ auctoritatem ſecuti, illud ſupponimus, cotylem ſextarii Attici tres quartas in ſe recipere. Quum igitur ſextarius Atticus decem & octo uncias capiat, ſequitur cotylen georgicam libram unam & ſeſcunciam comprehendere, hoc eſt, tredecim uncias cum ſemiſſe: quam cum ſextarius duplet, ſequitur hunc ſextarium georgicum bilibrem eſſe, & ſuper hæc trium unciarum. Capit igitur duas libras cum quadrante.

Cotyle ſextarii medietas, libram & ſeſcunciam in menſura retinet, & oxybapha quatuor capit.

Oxybaphum eſt ſeſquicyathus, tres uncias, & drachmas totidem accipiens.

Cyathus myſtra quatuor habet, duarum unciarum & totidem drachmarum capax.

Myſtrum menſura in georgicis noviſſima, drachmas quatuor dimidiamque retinet. Sunt ergo iſtæ menſuræ ad ſibi reſpondentes Atticas ſeſquialteræ rationis. quod mutuo illas conferendo colligere facile eſt.

Supereſt Græcarum menſurarum noviſſimum ordinem explicare.

De ſextario hippo-iatrico, & partibus ejus.

QVamvis ſextarii hippo-iatrici nomen apud auctores non legatur, nihilominus ordinis ſervandi gratia, nihil erit piaculi, ſi cæterarum menſurarum caput ipſum eſſe faciamus. Sextarius igitur geminam cotylam, ſimulque duas libras menſurales capit, hoc eſt, uncias quatuor & viginti.

Cotyle libram in menſura, & oxybapha duo in partibus recipit.

Oxybaphum ſelibram, & tres cyathos.

Cyathus myſtra quatuor, geminamque tenet menſuralem unciam.

Myſtrum cochlearia duo, hoc eſt, ſemunciam capit menſuralem.

Cochleare duabus drachmis perficitur.

Ex his quæ dicta ſunt, promptum eſt elicere, quod, quum cotyle georgica ſit unciarum tredecim & ſemunciæ, hippo-iatrica vero duodecim, Romana decem, & Attica novem: georgicæ ad hippoiatricem eſſe proportionem ſeſquioctavam, quum ſeſcuncia ſit octava pars libræ. Ejuſdem ad Romanam eſt proportio ſuperſeptipartiens viceſimas, ad Atticam vero ſeſquialtera.

Hippo-iatricæ autem ad Romanam eſt proportio ſeſquiquinta, ad Atticam vero ſeſquitertia, demum Romanæ ad Atticam proportio ſeſquinona, & eadem eſt proportio ſextariorum inter ſe: & idquidem non parum habet momenti ad conferendas, quæ ſequntur, menſuras cum prioribus. Nunc de ſextario Hebraico differendum, & ejus partibus.

De ſextario Hebraico, & partibus ejus.

QVem log Hebræi vocant, Hieronymus ſextarium ubique reddidit. Eſt autem log omnium Hebræorum conſenſu menſuræ hin pars duodecima, ſex ovorum capax: alterius autem, quam ſatum ſeu ſeah appellant Hebræi, portio vigeſima quarta. Rabbi Salomon Exod. 29. ſic ait, *Quarta pars hin ſunt tres log.* Idem capite. 30. *Hin duodecim logim capit.* Videatur Santes Pagninus in verbo *Log*: & Munſterus in Leviticum 14. capite: eodemque Rabbi Salomone auctore ſatum habet ſex cabos, cabus vero quatuor logim.

Iſtud autem ex Joſepho ſecundo ſupponendum eſt libro Antiquitatum tertio, capite duodecimo & decimotertio, quod hin duos choas Atticos capit. Chus autem Atticus (ut poſtea eluceſcet) novem libras recipit menſurales. ſic ergo chus geminatus, d cem & octo libras habet, cujus pars duodecima eſt libra cum ſemiſſe, hoc eſt, unciæ decem & octo, quæ ſextarium Atticum ex æquo conſtituunt. Hinc ergo luce clarius apparet menſuram log eſſe capacitatis ejuſdem cum ſextario Attico, ſextario vero Romano duabus tantum unciis minorem. Hinc ſecundo ſequitur, quod cum log ſit vigeſimaquarta pars ſati: ſatum igitur habet vigintiquatuor ſextarios. Ea re nihil apertius.

Rurſum iſtud quoque ſequens eſt, quod cum tria ſata conſtituant epha Hebraicum, epha illud Hebraicum capit ſeptuaginta duos ſextarios Atticos. ſic fit ut metrete, medimnuſque Atticus, & epha ſive ephi, ſint menſuræ æquales. quod clarius ex his quæ dicenda ſunt, eluceſcet. Quinetiam ex his quæ dicta ſunt, facile eſt conſtituere menſuram gomor, quæ eſt decima pars ephi: inſuper & capacitatem chori Hebraici, qui menſuram ephi decies accipit: ſed & cabi capacitatem hinc elicere facile eſt. Satum enim ſex cabos capit. de quibus omnibus ſuo loco differetur. Hic autem choa accipimus, ut habeat ſextarios ſex, cotylas duodecim: quæ dictio tametſi uſu peritorum octo cotylarum menſuram nonunquam ſignificet, alias etiam pro menſura quatuor ſextariorum, immo & aliquando pro ea, quæ quatuor impletur cotylis, accipiatur. Si quis tamen omnia in unum conferat, inveniet ſolam menſuram quadrare eam, quæ ſex ſextariorum eſt quæ enim de menſura gomor dicenda ſunt, non patiuntur dicta Joſephi de menſura hin ad alium choa referri, quam ad eum qui ſex ſextarios habet, &

duodecim

duodecim cotylas. qus de re amplius in gomor dilleretur.

Sextarii Hebraici (quem log esse diximos, ejosdem cum Attico mensuræ) portio trigesima est ea, quam Hebræi caph appellant: quæ tantum dicitur continere liquoris, quantum vola manus comprendi potest: & juxta Rabbi Kimhi est trigesima pars mensuræ log. Caph enim modo volam manus, modo illius mensuræ capacitatem significat. Quod genus mensuræ, si ad exactum libeat modulum referre, quum sit trigesima pars sesquilibræ, invenies eam mensuram continere, semunciam, scriptula duo, totidemque siliquas, granum unum cum semisse, & decima parte grani. Est igitur paulo minor concha Attica, & major mystro. Hujus autem dictionis loco, divus Hieronymus *mortariolum* vertit; alii vero neoterici *cochleare* interpretantur, Numeri septimo. Erit igitur cochleare paulo majus ligula Romana, quæ est quarta pars cyathi, nec longe recedit a tertia parte cyathi.

Est & alia mensura quam Hebræi quearah, nostri acetabulum interpretantur, quæ si apud Hebræos, uti apud Græcos oxybaphum, exacti moduli rationem habet, quearah dicemus esse sesquicyathum, duarum videlicet unciarum, & drachmarum totidem. Quod si ad reliquas pergere animus est, semissem hujus sextarii appellabimus baqua, trientem vero scilschi, quadrantem vero arbâith seu reba.

Novissime sequitur de sextario Parisino.

Sextarius Parisinus apud nos mensuram implet, quæ cheopina dicitur. Nam cheopinæ medietas semisextariolus vulgo appellatur. hic autem semisextariolus sextarii medietas, libram unam Parisinam capit: sic fit, ut sextarius sit bilibris ad modulum libræ Parisinæ, quæ libra Romana major est: ut supra in libra experientia compertum fuisse declaravi. Ex his autem quæ in uncia dicta sunt, libra Parisina superat Romanam sesquidigitum, hoc est, uncia & drachma. Ita enim mihi liceat dicere sesquidigitalem, sicut dixi unciam mensuralem. Hinc ergo manifestum est, quod cheopina Parisina, quam sextarium appellamus, duas libras Romanas habet, & duas uncias cum duabus drachmis. Tenet ergo uncias sex & viginti Romanas, & drachmas duas: sicque sextarius noster Parisinus selibra & quadrante unciæ superat Romanum, qui viginti uncias habet, & Parisinus viginti sex, & duas drachmas. Sextarium vero Græcum, ac perinde log Hebraicum superat in besse libræ, hoc est, unciis octo & quadrante. Quoties igitur conferendæ erunt Parisinæ mensuræ cum exteris, hac methodo progrediendum erit, ut ad libras mensuræ reducantur: & post, sextariorum numero, si reducendus erit Romanus ad Parisinum, adde pro unoquoque sextario uncias sex & quadrantem unciæ, facies de Romano Parisinum, quibus ademptis facies de Parisino Romanum. Si autem conferas Parisinum cum Attico, addito besse & quadrante unciæ, fiet ex Attico Parisinus. Illo vero ablato, fiet de Parisino Atticus. rursum si Atticum ad Romanum reducere cupies, aufer de Romano uncias duas, & evadet Atticus. Quas si addideris Attico, emerget Romanus. Hæc methodus non modicum allatura est facilitatis ad majores mensuras inter se conferendas. Hic sextarius cheopina dicitur a χέω, quod est *fundo*, & πίνω, *bibo*. levi enim momento exhauritur & ebibitur. Sextarium Romanum superat in selibra & drachmis duabus, Atticum in besse seu unciis octo, duabus drachmis: Georgico minor est uncia una. Cum itaque sextarius Parisinus seu cheopina duas libras Romanas capiat, cum duabus unciis & duabus drachmis, hoc est, uncias sex & viginti Romanas, cum excrescentia duarum drachmarum: baucalium vero Mediolanense uncias vigintiocto capiat, haud dubium, quin Romanas. planum est hunc sextarium esse minorem uncia una & dextante. Vide Alciatum lib. dispunct. 4. cap. 21.

De amphora, & partibus ejus.

TRes mensurarum esse ordines vel literarum expertibus constat. sunt enim mensuræ infimæ: harum caput est sextarius. sunt mediæ, quarum summa est amphora, quæ est summarum infima, & summa mediarum. sunt & maximæ, quarum fastigium apud Romanos est culeus. Ab amphora igitur in mediis sumendum est exordium, priusque differendum est de amphoræ Romanæ capacitate: si prius tamen dixerimus vas amphoreum constitui ex pede cubico, cujus area ac latera ipsa quadrate constituta pedaneam mensuram non excedant, nec ab ea ulla diminutione recedant. quod Fannius explicat hoc carmine, ita dicens:

Pes longo spatio latoque notetur in anglo,
Angulus ut par sit, quem claudit linea triplex,
Quatuor ex quadris medium cingatur inane.
Amphora fit cubus: quam ne violare liceret,
Sacravere Jovi Tarpejo in monte Quirites.

Hæc igitur est tessera quædam vacua, & cubus inanis, quæ & quadrantal dicitur, ex pede in quadrum, deinde ex quadro in cubum capacitate resoluta. quo fit, ut ubi major sit pedanea mensura, ibi major sit amphora. Quum autem dicatur a figura quadrantal, eo *amphora* dicitur, quod *ex omni parte ansam habeat*, qua circumferri possit. Metretem etiam appellant. Ab ea enim tanquam metro mensura & centro, summas, infimas, mediasque pendere mensuras necesse est, si justa proportione constituantur. Dicitur & cadus, quæ dictio a continendo derivationem habet. Appellatur etiam & ceramion plerunque in scriptura apud Septuaginta interpretes. Quod autem Græcis est metreta in liquidis, hoc medimnus in solidis: qui cum amphoram Romanam intelligi volunt, appellant metretam, sed Italicam, ut Romani Græcam seu Atticam amphoram, quæ mensuræ tametsi communi gaudeant nomine, nequaquam tamen sunt æquales. Illud tamen omnibus exploratum esse debet, amphoram vere geometricam debere habere numerum ex cubica multiplicatione collectum, ut ita dicamus: Duodecim unciæ libram constituunt: duodecies vero duodecim quadratum numerum reddunt, qui est centum quadraginta quatuor: verum duodecies duodecim duodecies, aut si mavis duodecies centum quadraginta quatuor, constituunt mille septingentas viginti octo uncias, quæ ad libras per partitionem duodenariam reductæ efficiunt centum quadraginta quatuor libras mensurales: & hinc manifeste sequitur, tam Romanam quam Græcam amphoras magis usuales esse, quam vere geometricas. Romana enim octoginta libras veterum testimonio, qui eam quæ in usu erat apud Romanos amphoram tradiderunt, comprehendit. Attica vero centum & octo libras mensurales recipit. Neutra ad justam mensuram amphoræ geometricæ accedit. Longius tamen abest Romana quam Attica. Attica enim distat a justa quantitate amphoræ libris mensuralibus sex & triginta, Romana vero sexaginta quatuor libris mensuralibus minor est, amphora ad legem geometricam constituta. Et hæc quidem præfari vice dicta sint. Nunc singulæ mensurarum classes medii agminis aciei que inter extremas constitutæ nobis describendæ sunt: quas non tam ex geometricis legibus, quam ex usu aucto-

rum describemus. Ab amphora igitur Romana initium esto.

Amphora Romana recipit sextarios quadraginta octo, heminas duplo numero nonagintasex, quartarios quadruplo centum nonagintaduos, acetabula trecenta octoginta, cyathos ad sesquialterum quingentos octoginta sex, ligulas bis mille trecentas & quadraginta. Cum autem sextarius libram & ejus bessem capiat, hoc est, uncias viginti, hemina uncias decem, quartarius quinque, acetabulum duas cum dimidia, cyathus sescunciam, drachmam & scriptulum unum, ligula vero drachmas tres cum scrupulo, sequens est, ut amphora libras mensurales octoginta recipiat. Qui ergo ita amphoram constituerunt, usum magis quam veræ amphoræ rationem secuti sunt Nunc ad amphoræ partitionem progrediendum est.

Urna, Romanæ amphoræ medietas est auctore Fannio, qui ait:

Hujus dimidium fert urna.

Libras quadraginta mensurales, sextarius vero quatuor & viginti sua capacitate ebibit. Hæcenim est librarum sextariorumque medietas. Eo vase majorum suorum cineres recondebant veteres Romani. Hinc illud est: *Cœlo tegitur, qui non habet urnam.* In eo quoque tesseræ recondebantur, cum sorte rei cujuspiam fieret divisio, juxta illud Sapientis: *Sortes mittuntur in urnam, sed a domino temperantur.* Ab *urinando* dictam volunt, quod urinatorum more sub aquis mersa statim emergat.

Quum autem amphora tres modios capiat Romanos, sicut epha Hebraicum tria sata, sequens est modium sexdecim sextarios capere, quem modium quater absorbet demensum, cibi mensura menstrui, de quo suo loco dicetur. Meminit modii Juvenalis, dum ait:

Servorum ventres modio castigat iniquo.

Habet autem libras mensurales modius septem & viginti, unciam unam, drachmas duas, scriptula sex. Hæc tamen ratio amphoræ ad modium, minus observata videtur a Martiali hoc carmine:

Amphora vigessis, modius venit ære quaterno.

Subducta enim tertiarum ratione, modium non quatuor assibus, sed sex & amplius æstimari oportuit. Ad quod ita respondendum videtur, ex quo in hujus auctoris interpretatione locus frequens solet esse conjecturis, intellexisse Martialem vinum caro precio vendi, modum vero tritici vili æstimari. Erat igitur duplici nomine agricolæ conditio deterior, ut qui vili precio venderet triticum, caro autem emeret vinum. Modius enim aridorum est, amphora vero liquidorum. Nec erat proportio precii ad precium, qualis est amphoræ ad modium.

Quartarius amphoræ si quis esset usu receptus auctorum, sicut modium tertiarium fecimus, sextarios duodecim, libras vero mensurales viginti caperet, & duo urnam perficerent.

Congius, amphoræ bes seu octava pars, decem mensurales libras, sextarios sex continet: & inde sextario Romano nomen est inditum, Fannio auctore, qui ait: *A quo sextarI nomen fecisse priores. Crediderim, quod eos capiat sex congius unus.*

A *congio congiarium* dicebatur, munus viritim populo distributum, aut amicitiæ aut liberalitatis ergo: sicut donativum militibus, judicibus vero causarumque patronis sportula donabatur. Illud tamen animadvertendum est, quod tametsi congius apud Romanos, & chus apud Græcos sex sextarios capiat, superat nihilominus congius Atticum choa libra una mensurali, eo quod sextarius Romanus sit major Attico duabus unciis. & quemadmodum hemina Romana decem uncias habet, Attica vero novem; ita quoque congius decem libras, chus vero novem tantum recipit. De chœnice dicetur in Græcis. Superest ad metretem medimnumque Atticos procedere.

De metrete Attico, & partibus ejus.

METretes Atticus seu metreta (utrumque enim legimus) amphora liquidorum capax non est ad amphoram Romanam sesquialtera. quæ res Fannium fefellit, ita dicentem:

Attica præterea dicenda est amphora nobis,
Seu cadus: hanc facies, nostra si adjeceris urnam.

Tametsi enim septuaginta duos sextarios capiat metretes, qui numerus est sesquialter ad quadraginta octo, summam videlicet sextariorum Romanorum: quia tamen sextarii sunt inæquales, ideo capacitas tota metretæ non est ad Romanam sesquialtera, sed ferme sesquitertia: id quod librarum mensuralium calculus docet. Nam Romana octoginta libras, Græca vero centum & octo continet. Nam libræ inter variantes mensuras sunt veluti proxenetæ & mediatrices. Centenarius itaque octonarius, octogenarium superat in libris octo & viginti, qui numerus est ferme tertia pars octogenarii. Superat enim solum quaternario rationem sesquitertiæ proportionis. Qui contra sentiunt, qua ratione id faciant, ipsi viderint. Nec verum est quod existimant tres urnas Romanas metretem conficere, alias metretem facerent esse librarum centum & viginti: cum tamen suo ipsorum testimonio constet centum & octo libras habere metretem. Est ergo metretes ad amphoram Romanam sesquitertius, dempto quaternario: nam ter viginti octo (superante tantum quaternario) octoginta efficiunt. Recedit nihilominus hæc mensura a geometrica amphora in libris triginta sex: nam vere geometrica amphora ex librarum numero quadrate, unciarum vero cubice multiplicatarum aggregatione collecta, centum quadraginta quatuor libras habere debet. De hac mensura intellexisse divum Joannem nemo dubitabit, ita dicentem: *Erant ibi lapideæ hydriæ sex positæ secundum purificationem Judæorum, capientes singulæ metretas binas vel ternas.* Joannis secundo. qui modo sibi persuaserit divum Joannem Græcis Græce scripsisse, & in Græcia. Ad hoc etiam facit, quod Josephus divo Joanni contemporaneus suam historiam Græce scribens, mensuras Hebraicas ad Græcas retulit, ut postea dicetur, ut gomor ad cotylas, & hin mensuram ad choas: quo fit, ut hydria quæ ternas metretas caperet, habuisse credatur ducentos sexdecim sextarios, & totidem log sextarios Hebraicos: quæ vero binas continebat, centum quadraginta quatuor sextarios. Hinc fit, ut aqua in vinum mutata, decem & octo amphoras, Atticas ad summum, duodecim vero ad minimum impleret. Duodecim autem amphoræ Atticæ Parisinis mensuris commensuratæ, suo proventu reddunt centum quadraginta novem quartarios, heminas sex, seu pintam cum cheopina, & quatuor drachmas; quæ quidem capacitas chorum Hebraicum cum sextante capit. Nam chorus decem amphoras Atticas habet: eademque modium Parisinum excedit quatuor quartariis & cheopina. Si vero dicamus fuisse amphoras octodecim, augenda erit mensura ad sesquialterum, ut dicamus fuisse ferme sesquimodium Parisinum, & batos Hebraicos duos, demptis duabus amphoris, neglectis aliquot fragmentis. Ejus, quam diximus, in metreta capedinis fidem perficit Æneas Sylvius in Euro-

pa,

pa, cap. 32. asserens Magdeburgi apud Sanctum Mauricium, esse marmoream hydriam oneris equini liquoris capacem, paulo plus minusve.

Nunc de partibus metretæ agendum est.

Metretæ pars duodecima chus Atticus, capiens sextarios sex Atticos, libras mensurales novem: quam mensuram nona parte superat congius Romanus. Novem ergo congii decem choas Atticos reddunt. Sextarius metretæ pars septuagesima secunda: de quo supra dictum est. Hæc de metretæ partibus.

Nunc de medimno.

Medimnus solidorum mensura, totidem sextarios accipit, quot & metreta, videlicet septuaginta duos, & libras mensurales totidem. Chœnix medimni pars quadragesima octava, sextarium habet Atticum & semissem. Est igitur sesquisextarius, appellatur & hemerotrophis, ut sit pabuli mensura diurni, celebrata Pythagoræ adagio: *Super chœnice ne sedeas.* quo adagio labor pro crastino cibo commendatur. cui Paulus allusit: *Qui non laborat, non manducet.* CHRISTVS vero suo edicto, quo jubet *non esse curandum de crastino*, solitudinem seu curam a re Evangelica avocantem prohibet, non laborem. alias Paulus non gloriaretur, ita dicens: *Mihi, & his qui mecum sunt, ministraverunt manus istæ.* Cum enim prædicationi verbi insisteret, nocturno labore scenofactoriæ artis sibi suisque cibum quærebat, comparabatque in diem crastinum. Cura igitur nimia prohibetur, non labor. Hoc ergo symbolo ocium, Christiano vero edicto sollicitudo prohibetur, curaque plus justo assumpta. Significatur etiam turpe esse ita sectari ocium, ut semper expectes aliena vivere quadra. Hujus chœnicis dimidium est hemichœnicon: ea est prandii cœnæve portio. Quum autem chœnix libras duas mensurales capiat, & quadrantem, hoc est, uncias septem & viginti, prandii cœnæve portionem dicemus esse libræ unius & sescunciæ. Hæc parum recedit a bilibri, de qua in Apocalypsi: *Bilibris tritici denario uno.*

Nunc de georgicis.

Medimnus georgicus fœcundior est urbano: plus enim cibi laborantibus quam sedentariis & otiosis competit. Hic ergo medimnus habet in se duos semi-medimnos. Cumque centum sexaginta duas libras mensurales habeat, necesse est semi-medimnum unam & octoginta recipere.

Dividitur etiam in tres tertiarios. Habet autem tertiarius libras quatuor & quinquaginta.

Habet & sextarios sex, qui (ut supra dixi) non absolute sextarii, sed sextarii medimni, seu sextantes appellandi sunt. Est autem sextarius iste medimni librarum septem & viginti.

Hujus medietas semisextarius libras tredecim & selibram capit. Dividitur etiam medimnus in semiduodecimas viginti quatuor. Accipit autem semiduodecima, libras sex, uncias novem: habet & chœnicas octo & quadraginta: ita tamen, ut chœnix georgica Atticam superet una cotyla georgica scilicet libra, & sescuncia una. Chœnix enim Attica sesquisextarium Atticum implet, hoc est, duas libras cum tribus unciis. Georgica vero quatuor libras habet, uncias quatuor, & semunciam unam. Et quemadmodum chœnix Attica tres cotylas Atticas, ita & georgica tres georgicas capit.

A Quo fit, ut cotyle georgica libram & sescunciam recipiat. Hæc ergo chœnix quum sit quadraginta unciarum & semissis, duos sextarios Romanos, superante tantum semuncia, tenet. Castrensis autem sextarios duos urbicos comprehendit. Quo fit, ut iidem pene sint, & in eandem mensuram coeant, chœnix georgica, sextariusque castrensis, qui bis capit urbicum.

Jam reliquum est partiri medimnum hippo-iatricum.

B Medimni hippo-iatrici seu veterinarii cotylæ, sunt unciarum duodecim. Quas si cubice multiplicatas per duodecim recipiat, veram perficiet amphoram ex cubica multiplicatione constitutam, habebitque cotylas seu libras centum quadraginta quatuor, uncias vero mille septingentas viginti octo: qui est numerus cubice auctus & multiplicatus ad rationem pedis Romai.

Cotyla est libræ unius oxybaphus, selibra sexta ejus pars, cyathus seu sextans cotylæ duarum unciarum. Duodecima pars est uncia. Quum autem cyathus quatuor mystra capiat, mystrum erit semunciale. Cochlearium autem, mystri medietas, C duas tantum drachmas habet. sic fit, ut cotyle quandoque pro libra Romana accipiatur, & cyathus pro sextante ejus, ut hic videmus. Hæc ergo de mensuris Græcis dicta sint: superest transire ad Hebraicas.

De ephi amphora Hebraica, & partibus ejus.

Ephi & batus æquales sunt mensuræ, ephi pro solidis, batus vero pro liquidis. Ad statuendam igitur eorum capacitatem, mensuramque ex certo & liquido agnoscendam, illud ex his quæ D in sextario Hebraico dicta sunt, ad memoriam reducendum est, quod Hebræorum omnium consensu ephi tria sata capit, satum vero viginti quatuor log, qui est Hebraicus sextarius, quem supra probavimus æqualem sextario Attico. Ter autem viginti quatuor sunt septuaginta duo, quo fit, ut epha capiat septuaginta duos sextarios Hebraicos æquales Atticis. Jam autem demonstratum est metretem & medimnum, in Græcis septuaginta duos sextarios comprehendere. Qua re apertius nihil dici potest, adeo ut minime opus sit alia probatione. Veruntamen in lectorum gratiam adducemus, alia quæ in E hanc sententiam manifeste conspirant. Primo quidem ad hanc rem facit, quod Septuaginta interpretes Esajæ quinto dixerunt: *Decem jugera vinearum facient ceramion unum.* ubi Hieronymus ait: *Omnes alii batum interpretati sunt.* Santes Pagninus ita reposuit: *Decem jugera vineæ facient batum unum, & sementis chorus faciet epha.* Hebræus habet: *chorus sementis faciet ephi.* Ubi vides *ephi* Hebraicum accipi pro ceramio in solidis, & batum pro amphora in liquidis. Nos autem ita legimus: *Decem jugera vinearum facient laguunculam unam.* ubi *lagunucula* pro bato ponitur. &: *Triginta modii sementis* F *facient modios tres.* Ex quo illud quoque sequitur, triginta modios facere chorum seu chomer, & tres modios reddere ephi. Accedit ad id comprobandum Josephi sententia, qui asseverat batum capere sextarios sexaginta duos, non dubium, quin Atticos. Batum autem & ephi esse æquales mensuras, vel hinc liquet. Ezechielis quadragesimo quinto: *Capiet decimam partem chori batus, & decimam chori ephi.* Sunt igitur æquales mensuræ, cum sint ejusdem chori decima pars.

Quod autem epha contineat tria sata, docet editio Caldaica, Ruth secundo, quæ pro dictione *epha tria sata* reposuit. Idem asseverat Rabbi Salomon

in Ezechielem, capite quadragesimo quinto: qui & tertii Regum septimo, ait duo millia batorum capere sex millia satorum. Sic fit, ut batus tria sata capiat. Idem Exodi decimo sexto, ubi de gomor agitur, dicit quod epha continet tria sata. Hieronymus quoque istud comprobat in Esajam quinto, nisi quod amphoram eo loco pro modio retulit. Verum id quod ex eo sequitur, nostram intentionem declarat, cum ait: *Et triginta modii seminis, id est, chorus, faciet ephi.* Ubi Septuaginta dicunt *metra tria*, hoc est, mensuras, seu modios tres. Hoc autem ex Hebræis censuimus annotandum, quod ephi dicunt tantum in mensura capere, quantum sufficiat ad clibanum implendum una decoctione, vulgo *unum fornagium* appellant. Cæterum, ne ullum ambiguitati locum superesse sinamus, illud expendendum se offert, quod scriptum est Ruth secundo: *Collegit ergo in agro usque ad vesperam, & quæ collegerat, virga cædens & excutiens invenit hordei quasi ephi mensuram*, id est, *tres modios.* & istud maxime sententiam nostram confirmat, quod hunc textum Lyranus ait additum esse a translatore in libro differentiarum. Hinc enim aperte liquet, ephi & amphoram esse ejusdem mensuræ, videlicet trium modiorum. Verum quo pacto, inquies, tres bossellos portare potuit in civitatem ipsa Ruth? At non refert, unane, an pluribus vecturis, solane an a pluribus adjuta id fecerit. Utrumlibet enim dixeris, manet incolumis scripturæ auctoritas. Illud autem urget acrius quod sequitur: *Expande, inquit Booz, pallium tuum quo operiris, & tene utraque manu. Qua extendente & tenente, mensus est sex modios hordei, & posuit super eam: quæ portans, ingressa est civitatem, & venit ad socrum suam.* Jam neque adjuta, neque vecturis pluribus, sed una tantum, quomodo sex modios deferre potuit, ut textus ostendit, si modios bossellos esse dicamus? sub tanto enim onere etiam asinus ilia duceret. Verum istud non offendit eam, quæ dicta est de ephi, assertionem. Illud dixisse sufficit, quod in Hebræo habetur *mensus est hordei sex*, ut subintelligere possis quamcunque mensuram, vel etiam minimam, utpote log, quam sextario Attico æqualem probavimus, aut levem aliquam, quæcunque illa tandem fuerit, mensuram. Sic enim fit, ut *modius* pro *modiolo* nonnunquam accipiatur: sicut chœnicem mensuram per se & modium auctores nonnunquam appellant. Id quoque nolim præteriri silentio, quod cum ephi, juxta superius dicta, sit decima pars chori, medietas ephi erit vigesima chori, & quarta pars erit quadragesima, & sexta pars ephi, sexagesima pars chori: quo fit, ut primitiarum nomine, Hebræi ad modulum mensuræ hin, oblationem facerent. Est enim sextans ephi, qui pro choro hordei seu tritici collecto debebatur. & id quidem aperte colligitur ex Ezechiele 45. *Hæ sunt primitiæ quas tolletis, sextam partem ephi de choro frumenti, & sextam de choro hordei.* Chorus ergo cum habeat quartarios centum viginti tres, sequens est modulo primitiarum tribuendos esse quatarios duos, & semisextarioli ferme semissem: quæ est medietas sati Hebraici. Nunc secanda est in partes amphora Hebraica.

De partibus ephi.

EPha, sive batus, hic liquidorum capax, ille vero solidorum, ut supra abunde docuimus, continet logim mensuras Hebraicas duas & septuaginta æquales sextariis Atticis, ejusdem capacitatis cum metreta seu ceramio: ideoque merito appellatur amphora Hebraica, sicut metretes amphora dicitur Attica, & in tria sata dividitur.

Satum sive seah tertia pars ephi, sicut modius Romanus tertia pars est amphoræ: non tamen sunt æquales modius Romanus & satum Hebraicum. Nam amphora Romana quæ in tres modios dividitur, octoginta tantum libras mensurales habet, cujus numeri pars tertia ferme viginti septem libras comprehendit. Ephi vero quum habeat sua logim seu sextarios suos æquales & numero & capacitate cum sextariis metretæ Atticis, metreta vero capiat libras mensurales centum & octo, cujus numeri tertia pars triginta sex librarum est: sic fit, ut satum & tertiarius medimni Attici seu etiam metretæ æquales sint: si tamen esset aliquis modius Atticus tertiarius. Nam reperitur sextans medimni Attici, tertiarius vero seu triens georgici: sed hoc parum refert. Continet igitur satum duos sextarios seu sextantes medimni Attici: non sic de georgico. Nam cotyle georgica major est Attica. Rursum cum satum triginta sex librarum mensuralium sit capax, modius vero Romanus solum viginti septem ferme capiat; sequens est satum superare modium Romanum, in novem libris mensuralibus, hoc est, ferme sesquitertio, sicut supra dictum est metretem ad amphoram Romanam esse ferme sesquitertiam, quæ reddunt sex sextarios Atticos. Non tamen præcise causam agnoscere potes ex prædictis: veruntamen parum abest. Ideo minutiarum explicandarum labori parcendum esse duximus. De hoc sato scribitur Genesis 81. *Accelera tria sata farinæ, & commiste, & fac subcinericios panes.* Quod quidem satum cum sit triens medimni Attici, sicut & ephi, viginti quatuor sextarios Atticos habet. Nam ter viginti quatuor sunt septuaginta duo, & quum metretes capiat choas duodecim, satum quatuor choas Atticos comprehendere necesse est; & hac ratione continet duas mensuras hin. Hin enim, ut supra probatum est, duos choas capit. sic fit, ut hin sit sexta pars ephi, quum sit medietas trientis ejusdem. Non est ergo modius Romanus, quem pro sato reposuit beatus Hieronymus 4. Regum 7: *In tempore hoc modius similæ uno statere erit, & duo modii hordei statere uno.* Hebræi *seah* dicunt, ubi Latini *modium* verterunt. Santes Pagninus ita vertit: *Cras satum similæ seclo, & duo sata hordei seclo.* ubi vides *seclum* pro *statere* accipi, & pro *sato modium.* nam in Hebræo habetur *seah*. Stater autem, ut alibi dictum est, quatuordecim est solidorum Turonensium nostro nomismate: & hinc etiam sequitur, quod triticum duplo æstimabatur ad hordeum. In Apocalypsi vero æstimatur ad triplum, ubi sic dicitur: *Bilibris tritici denario uno, & tres bilibres hordei denario uno.* Sed hæc parerga. Quo modo autem satum se habeat ad bossellum Gallicum, & brochon liquidorum mensuram, dicetur in mensuris Parisinis. Satum ergo modius est non Romanus, sed Hebraicus. Novissime expendendum occurrit, quod quum ex prædictis constet log & sextarium Atticum esse æquales, & quemadmodum metretem, ita & batum, duos & septuaginta continere sextarios: quomodo ergo stare possit, quod scribitur tertii Regum septimo, de labro æneo, quod *duo millia batorum capiebat, & tria millia metretarum.* Hac enim ratione bati ad metretem esset proportio sesquialtera, cum duo bati tres metretas caperent. Jam autem probatum est batum & metretem esse æquales. Hanc nebulam excutit Lyranus in libro, quem differentiarum appellat. Ait enim hæc verba *tria millia metretarum*, non haberi in Hebræo, neque in libris correctis. Qui ergo id addidit, qua ratione fretus id fecerit, viderit ipse; cum textus Hebraicus nihil habeat de metretis, nec inde aliquid quod ad metretarum rationem pertineat, colligi possit. Jam de sextante ephi differendum est. Hin altera pars sati, sexta vero ephi, im-

plet

plet sexagesimam partem chori, seu modulum primitiarum, quem describit Ezechiel cap. 45. Cæterum Josephi testimonio libro tertio Antiquitatum, capite duodecimo & decimotertio, capit duos choas Atticos: chus vero, ut supra docuimus, habet sextarios sex Atticos: quo fit, ut hin habeat duodecim sextarios, & totidem logim. Log enim est duodecima pars hin. De hac mensura Josephus ita tradidit: *Lex præcipit in publicis privatisque sacrificiis farinam mundissimam offerri. In agno assarii mensuram, in ariete duorum, in tauro trium; & statim ait: Olei oblationem ab immolantibus, in bove hin medietatem, in ariete tertiam, quartam vero in agno. Hin autem mensura Hebræorum antiqua choas duos recipit.* Hæc Josephus. Idem Numeri 28. Meminit hujus mensuræ Ezechiel quadragesimo quinto, dicens offerendum esse olei hin pro singulis ephi. Sic fit, ut sexta parte minus offeratur olei quam tritici. Sic Ezechielis quadragesimo sexto: *Et faciet sacrificium super eo mane mane*, id est, per singula mane, *sextam partem ephi, & de oleo tertiam partem hin.* Hic tertia parte minus offertur olei quam tritici. Meminit etiam Ezechiel sextæ partis hin, quæ est duorum logim, capite quarto: *Aquam in mensura bibes sextam partem.* Ex quo deprehenditur, unum log seu sextarium Atticum designari pro prandio, & unum pro cœna. Quod manifestum est ex prædictis. Log enim est duodecima pars hin, sexta vero duos logim comprehendit. Jam autem probavimus log & sextarium Atticum esse æquales. Hanc mensuram more assis partiri possumus, ita ut log habeatur pro uncia: qui cum sit sextario Attico symmeter, ex his quæ in sextario dicta sunt, liquido constat Parisinum esse majorem octo unciis, & duabus drachmis. nam sextarius Parisinus viginti sex uncias Romanas habet, & duas drachmas, quum Atticus tantum uncias decem & octo recipiat, ut supra in sextario monstratum est. Ablato igitur besse, & drachmis duabus, restant unciæ decem & octo Romanæ, sextarium implentes Atticum, quæ faciunt libram unam Parisinam, hoc est, semisextarium tredecim unciarum Romanarum & drachmæ. Restant igitur quatuor unciæ Romanæ cum drachmis septem. Sic ergo log & sextarius Atticus libram Parisinam implet, & uncias quatuor, drachmas septem.

Sextans duos logim recipit, & ex procedente calculo ad duplum aucto cheopinam Parisinam, & uncias novem, drachmas sex: quod manifeste constat ex abaco.

Quadrans quarta pars hin tres logim continet, & capit pintam nostram, unciam unam, drachmas quatuor. sic fit, ut tres sextarii Hebraici pintam Parisinam constituant. quæ pinta est ad sextarium Atticum sesquitertia, neglectis minutiis unciæ unius, & drachmarum quatuor.

Triens quatuor logim, semisextariolos quinque nostros recipit, & sex uncias, & drachmas tres, ut facile colligi potest ex abaco, cum semisextariolus tredecim Romanas uncias & drachmam capere debeat, & cabi mensuram implet.

Semis quincunce omisso, habet sex logim, duosque sui assis quadrantes: quare ei tribuenda est mensura quartarii nostri adjectis tribus unciis. Hoc patet ex abaco.

Septunx septem logim habet, qui in ordinem Parisini moduli redacti, quartarium cum hemina Parisina, & uncias septem, & drachmas totidem constituunt: & prope accedit ad gomor. Ut enim suo loco dicetur, gomor continet quartarium & heminam Parisinam, uncias undecim, drachmas tres.

Bes octo logim sive quinque sextarios Parisinos tenet, uncias duodecim, drachmas sex, quartarium & cheopinam cum unciis & drachmis supradictis.

Dextans capax est logim decem. Bessem enim habet, & sextantem, tres pintas cum hemina recipit, superantibus unciis decem, drachmis tribus.

Neglecto deunce, ex his quæ dicta sunt, de toto asse facile est pronunciare, quod scilicet mensura hin ad Parisinam reducta, continet quartarios duos, uncias sex. hoc patet ex abaco. quod autem de logim diximus, idem quoque de sextariis Atticis intelligendum est. Quod ergo Josephus ait oblationem *in bove esse olei medietatem hin*, per hoc intellige mensuram quartarii nostri, & paulo plus. *In ariete* vero *tertiam partem hin*, intellige cabi mensuram seu pintam nostram cum semisextariolo & ferme semisse ejusdem semisextarioli. *quartum* vero *olei*, quæ *in agno* offertur, accipe pro pinta nostra cum modico excessu, uti in quadrante dictum est. Hæc mensura pro primitiis legitimo ritu offerebatur ab eo, qui de frugibus, quantum chorus capiebat, collegisset.

Gomor, decima pars est ephi. Exod. 16. a Josepho appellatur *assarium*. Belgæ *essino* mensura utuntur, dubium an æquali, ipsi viderint. Jam autem diximus ephi continere duos & septuaginta logim seu sextarios Atticos: cujus decima pars est septem logim.

Nam decies septem sunt septuaginta, adjecta decima parte duorum sextariorum Atticorum, quam perficiunt tres unciæ, semuncia una, scriptula duo cum semiobolo, dimidia siliqua, & decima parte siliquæ. Ita mihi per necessitatem liceat abuti vocabulis, a pondere ad mensuram translatis.

Ex his igitur quæ in septunce hin diximus, luculenter apparet, si quis recte colligat, gomor ad modulum Parisinum continere quartarium & ferme cheopinam Parisinam. Nam desunt tantum unciæ duæ, drachma una. Verum quid ad Josephum, qui duntaxat septem cotylas tribuit assariis seu (si mavis) gomor? Idem enim sunt. Quid? nisi quod Josephus, aut ejus interpres cotylam pro sextario reposuit: quandoque enim sextarium pro cotyla, & cotylam pro sextario accipi declarat interpretatio Vallæ in Herodotum. Omisit autem minutias Josephus historiam texens, civilitati, non exactis geometriæ regulis serviens. Utcunque res habeat; negari non potest gomor esse decimam partem ephi, & ex eo colligere necesse est, ita statuendam esse mensuram gomor, uti jam probavimus. Quum autem chœnix Attica, sesquisextarium impleat Atticum, gomor vero septem sextarios capiat & amplius: quid aliud dici potest, quam quod gomor quinquies ferme chœnicem continet? habet enim quatuor chœnices de integro, & insuper sextarium, tres uncias, semunciam, scriptula duo, semiobolum, dimidiam siliquam, cum decima parte siliquæ. Est autem chœnix Attica duarum librarum mensuralium capax, cum tribus unciis. Verum chœnix georgica, ut in georgicis dictum est, aut inde facile colligitur, libras quatuor semunciamque continet, sicque ferme æqualis est sextario castrensi. Inde promptum est elicere, quam rationem servet gomor ad chœnicem georgicam, quum gomor decem libras cum semisse & amplius contineat. Ex his igitur quæ dicta sunt, quam facillimum est ad Parisinam mensuram reducere Josephi sententiam, qua ait: *Lex præcepit in publicis privatisque sacrificiis farinam mundissimam offerri: in agno assarii mensuram: in ariete, duarum: in tauro, trium.* Siquidem duo assaria duos quartarios & pintam unam ferme constituunt, tria vero tres quartarios cum tribus ferme cheopinis. Dicitur autem *gomor* a dictione *omer*, per *ajn* literalem gutturalem:

lem: quæ dictio ſignificat etiam manipulum. ex quo intelligi volunt tantum recipere granorum, quantum ex manipulo ita legimus, Levitici vigeſimo tertio: *Feretis manipulos ſpicarum primitias meſſis veſtræ.* Pſalmiſta quoque ait: *De quo non implevit manum ſuam qui metet, & ſinum ſuum qui manipulos colliget.* Eſt igitur manipulus, id quod ſinu & amplexu comprehendi poteſt. quod tamen civiliter, non exacte interpretandum eſt. De hoc etiam, Job vigeſimo quarto: *Eſurientibus tulerunt ſpicas,* alias, *manipulum ſpicarum.* Sed & Ruth ſecundo: *Etiam ſi metere vobiſcum voluerit, ne prohibeatis eam.* alias, *etiam ſi inter manipulos collegerit,* Ea ſi quis penſiculatius conſideret, aſſequi poterit juſtam & ferme exactam menſuram panum propoſitionis, quos *panes facierum* Hebræi vocant. Siquidem unum ex his quemlibet, duas decimas ſimilæ comprehendere intelligimus, vel ex eo quod ſcriptum eſt Levitici vigeſimo quarto capite: *Accipies quoque ſimilam, & coques ex ea duodecim placentas, quæ ſingulæ habebunt duas decimas:* hoc eſt Hebraice, *ſchene aſcherenim.* Hic autem decimæ nomine, non gomor menſura, ſed ipſius decima pars intelligenda eſt. Neque enim tam ingens panis conficitur, ut duas gomor menſuras capiat, farinæ quartarios duos, & ſemiſſem. Non ergo intelligendæ ſunt duæ decimæ ephi, ſeu duo gomor. Supereſt, ut hoc nomine duas decimas menſuræ gomor intelligamus, ſeu quintam partem ejus, quæ æquipollet uni cheopinæ noſtræ. quam ſi farina impleveris, ex ea facile conficies albulum noſtrum panem unum cum ſemiſſe. Hinc ergo apparet quantitas panis propoſitionis, ſeu panis facierum, ſimulque colligitur & pondus & menſura panis primitiarum, Levitici 23. *Ex habitaculis veſtris efferetis panes primitiarum, duos de omnibus habitaculis veſtris, de duabus decimis ſimilæ fermentata, quos coquetis primitias domino.* Quo loco per *ſimilam* intelligit puriorem farinam, florem farinæ. Et per *duas decimas*, quintam partem gomor, quæ implet noſtro modulo unam cheopinam. Siquidem docuimus gomor continere quartarium & farinæ cheopinam, hoc eſt, cheopinas ferme quinque.

Quum igitur duæ quintæ partes hujus menſuræ, panem unum albulum perficiant, ſequens eſt duos panes, una tantum ſuperante quinta, ex gomor conſtitui, qui cum in cibum diurnum inſumantur, merito gomor Hebraicæ *chamuis* ſortietur appellationem. quinta enim reſtans vice corollarii adjecta, tenuitatis hujus cibi ſupplet inopiam.

Cabus ex Rabbi Salomone ſexta pars eſt ſati, quatuor logim comprehendens, nam quater ſex ſunt viginti quatuor. Log autem docuimus eſſe vigeſimam quartam ſati. Eſt ergo cabus decima octava pars ephi. Nam quater octodecim, ſunt duo & ſeptuaginta. Continet autem trientem menſuræ hin, quem æquare probavimus quinque ſemiſextariolos, ſex uncias, drachmas tres, ut ex abaco conſtat. & hinc manifeſte ſequitur, quod quarta pars cabi, de qua ſcribitur 4. Regum. 6. vere ſextarius Atticus cenſeri debet. Log enim & ſextarium Atticum ejuſdem eſſe menſuræ, ſupra probatum eſt. Sic ergo loquitur: *Facta eſt fames magna in Samaria, & tandiu obſeſſa eſt, donec venundaretur caput aſini octo argenteis, & quarta cabi ſtercoris columbarum quinque argenteis.* Quum itaque argenteus quatuordecim ſolidorum conſtituatur, dicendum eſt cabi quadrantem, ſeu ſextarium veniſſe ſeptuaginta ſolidis, cabum vero integrum libris Turonenſibus quatuordecim noſtro ære fuiſſe æſtimatum. æſtimatio autem capitis aſini aſſurget ad ſummam triginta duorum coronatorum una cum decem ſolidis. quod facile videre eſt rationem inire volenti, modo illud ſciat, ſtaterem & ſiclum pro eodem accipi, & utrumque æſtimari ſolidis quatuordecim, coronatum vero triginta quinque ſolidos valere, ut olim æſtimari ſolebat. Hoc tamen annotatu dignum eſt, quod nonnulli *caput aſini* pro ſolido animante accipiunt, non pro parte ejus. ſic enim more Gallico dicere ſolemus, *ung chef de beſte.* ubi *caput* pro integro animali accipimus. Hæc de partibus ephi hactenus dicta ſunt.

Illud ſupereſt excutere. Mirari enim aliquis merito poterit, in quem uſum tanti emeretur fex illa columbina. Sunt qui dicant ad ignem conſtruendum: quod minime credibile eſt, cum nec hujuſce modi materia ignem foveat, nec tam abundans eſſe potuerit, ut civitati ſatis eſſe poſſet. Exiſtimant alii in ſtrumis columbinis recondita granula nondum digeſta, empta fuiſſe ab his, qui inediam patiebantur. At nec id quidem fidem meretur: nam unde illis tanta copia, ut columbos alerent, cum deeſſet pabulum tribus aut quatuor equis alendis? Rectius ergo ſentit Joſephus, quod fece illa columbarum utebantur obſeſſi vice ſalis. quæ ſane miſera conditio ſummæ calamitatis ſpecimen dabat. Nunc ad alia.

Sequitur de amphora Pariſina, & partibus ejus.

AMphoram vere cubicam Pariſinam ita deſcribimus, ut ſit vas amphoreum, habens aream & latera ex omni parte pedalia ad pedis Pariſini rationem: continebitque uncias menſurales pollicares mille ſeptingentas viginti octo. Nam hunc numerum reddunt duodecim unciæ cubicæ multiplicatæ. qui numerus ad libras menſurales redactus, ita ut ex unciis duodecim libra una conſtituatur, emergent centum quadraginta quatuor libræ menſurales, ſeu ſemiſextarioli, quos librales eſſe diximus, cujus numeri medietas bilibres cheopinas perficit, hoc eſt, ſextarios Pariſinos duos & ſeptuaginta, totidemque ſextarios recipit amphora Attica: verum ſextarii illi minores ſunt Pariſinis beſſe drachmiſque duabus: ideoque longe major eſt amphora Pariſina, quam Attica. quod facile ex abaco colligitur. Siquidem Attica quartarios Pariſinos duodecim, heminas tres recipit: georgica ſeptemdecim, heminam unam, & tres drachmas complectitur. Hippo-iatrica quartarios ſedecim, pintam unam, uncias ſex, & drachmas quatuor habet. Romana comprehendit quartarios Pariſinos novem. Hæc autem Pariſina, quum centum quadraginta quatuor heminas habeat, neceſſe eſt ut cheopinas in ſubduplo ſeptuaginta duas, pintas vero numero dimidiato recipiat, videlicet triginta ſex, quartarios autem ad dimidium præcedentis numeri decem & octo. Eſt ergo hæc amphora ut georgicæ capacitati proxima, ita ſuperat Atticam pene in ſeſquialtero, hippo-iatricam in ſeſquioctavo, Romanam vero in duplo, neglectis hoc loco aliquot minutiis amphoræ Romanæ. Nam bis novem ſunt decem & octo. Jam autem ſupra diximus eandem eſſe Atticæ Hebraicæque amphoræ rationem. Horum omnium quæ diximus, probatio pendet ex abaco; quem ſi conſulueris, luculenter agnoſces rem ita ſe habere, ut diximus. Si igitur menſura aliqua deſignatur, decem & octo quartarios continens, illa merebitur amphoræ Pariſinæ nomen. Quæ res non parum momenti adferet, ad æquandas & conciliandas omnes ditiones Gallicæ menſuras, ſi ab amphora vere geometrica tanquam a centro, dupla proportione aſcendendo conſtituerentur menſuræ, ſubdupla vero deſcendendo progreſſus eſſet ad infimas. Verum de ea re viderint legiſlatores. Satis nobis facilem ad hæc paraſſe viam. Hujus capacitatis menſuram,

noſtri

nostri municipes hemimedimnum appellant, Gallice *ung minot*, quo fit, ut amphora geminata sit medimus, Gallice *une mine*. Hic cessent umbræ conjecturarum, ubi demonstrationis & experientiæ certissimus fulgor accedit. In his enim quærere conjecturas, est in luce investigare tennebras. Nos ad reliqua pergimus.

Urna Parisina medietas amphoræ, ex his quæ in amphora dicta sunt constat, quod libras mensurales seu semisextariolos heminasve Parisinas duas & septuaginta recipit, bilibres vero cheopinas triginta sex, decem & octo pintas, quartarios novem. qua ratione æqualis est amphoræ Romanæ, estque ad eam quæ proxime sequitur, mensuram sesquitertia. siquidem tres bossellos seu modios Parisinos amphora nostra capit.

Bossellus & brochus mensuræ Parisinæ, una liquidorum capax, altera vero aridorum, vulgato usu quartarios sex, pintas duodecim, cheopinas viginti quatuor tenent. Sunt ergo hæ mensuræ ad amphoram subtriplæ. nam ter sex sunt decem & octo. ad urnam vero sesquialtero minores. & ad sextarium Parisinum, qui proxime sequitur, sesquialteram proportionem habent: ut sex ad quatuor. hæc mensura cum sit triens amphoræ, modius minor appellari potest.

Sextarius Parisinus majoris modii portio trigesima sexta, quem eo consilio aut occasione ita appellatum existimo, ut senarii nomen habeat, a quo tanquam a radice quadrata, numerus sextariorum modii Parisini consurgit. siquidem sexies sex sunt triginta sex, qui numerus sextariorum modium implet. Quum autem modius Parisinus major, centum quadraginta quatuor quartarios habeat, necesse est hunc modium minorem quatuor tantum continere quartarios. multiplica triginta sex per quatuor, & intelliges verum esse quod dico. Excedit autem Romanum modium in sesquitertio, ab Hebraico vero sato una tantum hemina Parisina superatur, exceptis paucis admodum minutiis, quæ in Hebraicis mensuris explicantur. Quod si veterum placita exacte consideres, invenies suarum amphorarum trientes modios merito appellari posse, ad similitudinem modii Romani, qui triens est amphoræ Romanæ: sati Hebraici, quod est tertia pars ephi. Ideoque merito, modius Hebraicus dici potest, sicut & tertiarius medimni georgici, modius georgicus merito dicetur. quo fit, ut brochus seu bossellus amphoræ Parisinæ, triens modius amphoræ appellari possit. Modium amphoræ dico, ut sit nota discriminis inter hunc & modium majorem, qui absolute modius appellatur. Hæc mensura proxime accedit ad satum Hebraicum, quod in abaco probavimus quatuor habere quartarios, & heminam unam.

Quartarius Parisinus duplici ratione ita appellatur. nam & quatuor sextarios bilibres seu minores comprehendit, & quarto repetitus æquat sextarium majorem, ut nuper ostendimus. Capit ergo pintas duas, cheopinas quatuor, semisextarios octo; minor est enim congio Romano, hemina una. Id te docebit abacus, quare dici poterit congius Parisinus. Superatur etiam ab Attico choe quadrante heminæ unius, & a gomor mensura Hebraica, semisextariolo uno, unciis sex, drachmis tribus. Possunt itaque hæ mensuræ congii appellari, ita ut gomor sit Hebraicus congius, chus vero Atticus, & quartarius Parisinus congius appelletur. Tametsi enim hæ mensuræ sibi ex æquo non omnino respondeant, modico tamen excessu sunt impares. Est autem hin mensura Hebraica huic quartario dupla, superantibus tantum sex unciis, & ad sextarium Parisinum subdupla, eo quem diximus minutiarum excessu neglecto. Hactenus de Parisina amphora, & partibus ejus dictum sit. Jam restat tertiam partem, quæ superest, absolvere, qua tractandum est de his quæ supra amphoram sunt mensuris. Novissima hujus operis parte tertiam mensurarum classem, inverso tamen ordine, recensere operæpretium est, sumpto a minoribus exordio, quas simul cum exteris, juxta suæ capacitatis molem collocare studebimus.

Majorum itaque mensurarum minima est demensum cibi mensura menstrui, alias sitometrion seu tritici mensura apud Lucam 12. vocatur: *Quis est fidelis servus & prudens, quem constituit dominus super familiam suam, ut det illis in tempore tritici mensuram?* Continet autem demensum modios Romanos quatuor, sextarios vero quatuor & sexaginta. sicque mense in triginta dies diviso, diebus singulis duo sextarii respondent, superantibus corolarii vice aut quatuor sextariis, aut duobus. Mensis enim quandoque unum & triginta dies habet. Ex abaco autem constabit, demensum recipere quartarios duodecim, & præterea sextarium unum, tribus tantum drachmis superantibus, & scriptulo uno: id exigit exacta calculi observatio. Est ergo ad urnam Parisinam ferme sesquialterum. modium vero seu bossellum excedit ferme in duplo, quum sit ad Romanum modium quadruplum: æquat ferme Atticam amphoram, una tantum hemina dempta, & minutulis aliquot fragmentis: Romanam superat pene ad sesquitertium: ideoque in ordinem majorum mensurarum redactum est. Nam minus est Parisina amphora in subsesquialtero. Sic fit, ut duo bosselli Parisini, paulo plus minusve demensum Romanum absolvant: cum modius iste Parisinus sit ferme duplus ad Romanum. est autem medimnus Atticus apud Romanos sesquidemensum, siquidem ad mensem & semissem diarium pabulum suppeditat, etiam cum duorum aut trium dierum excremento. Nam cum sesquimensis quadraginta quinque sexve dies comprehendat: medimnus iste Atticus octo & quadraginta chœnicas complectitur. Est autem chœnix hemerotrophis, seu diarii pabuli mensura. Nec mireris, quod demensum Romanum quatuor modios, medimnus vero tres tantum Atticos comprehendat, utpote medimni trientes. Nam modius Atticus est ad Romanum sesquitertius, uti quatuor ad tria. Tres igitur modii Attici quatuor Romanos æquant. Sed illud mirum videri potest, quod cum medimnus sit æqualis demenso Romano, qui fiat, ut medimnus sufficiat alimento sesquimenstruo, cum demensum Romanum non nisi ad mensem victum suppeditet? Desines mirari, si perpendas Græciam orientalem parcioris esse cibi, quam Romam occidentalem. Ubi enim amplior æstus viget, ibi major viget frugalitas Nam uti in hyeme, ita & Septentrionem versus ventres sunt calidiores. Sic fit, ut chœnix Romana sit auctior Græca ferme ad sesquialterum. Chœnicem voco pabuli panici seu triticarii diurni mensuram.

Jam de Artaba, barbara quidem & peregrina mensura, ordo quantitatis exigit ut disseratur, quam varie descriptam in incerto reliquerunt auctores: qui cum de ea nihil certitudinis attulerint, nihil mirum, si a vero recedentes, sibi ipsis non constent. At si propius inspicere velimus, habebimus tandem fixam & solidam de sua mole & capacitate sententiam, ex Septuaginta interpretum testimonio, qui super Esaiam, ubi legimus: *Triginta modii sementis facient modios tres*, ita reposuerunt, *Qui seminat artabas sex, recipiet mensuras tres*, & pro tribus modiis tres mensuras, & pro triginta modiis sex artabas reddiderunt. Quo fit, ut decem modii duas artabas reddant, & quinque modios quæque artaba contineat. Quod si verum est, ex mo-

dii capacitate conſtat artabam unam quartarios Pariſinos quindecim, ſextarium bilibrem, uncias ſex & ſcriptulum cum tertia ſcriptuli recipere. quod facile cognoſcitur, ſi ad demenſum unum adjeceris modium. eſt enim artaba ad ipſum ſeſquiquarta. Quod ergo ſcriptum eſt Daniel. 14. *Erat idolum apud Babylonios nomine Bel, & impendebantur in eo per dies ſingulos ſimila artaba duodecim, oves quadraginta, & vini amphoræ ſex.* Duodecim artabæ, ſi rationem quis inire velit, centum nonaginta quatuor quartarios complent, uncias quinque, drachmas vero duas. Amphoræ vero (quas fuiſſe Atticas Græca editio docet, quibus etiam æquales ſunt Hebraicæ) cum ſint numero ſex: in ſumma conſtituunt quartarios ſeptuaginta quatuor, & ſextarium Pariſinum, ſeu cheopinam unam.

Hoc loco juxta ſuæ capacitatis ordinem, medimnus Pariſinus ſtatuendus eſt, quem nos minam vernacula lingua *une mine* appellamus: bis Pariſinam capit amphoram. Qua ratione quartarios triginta ſex comprehendit. Medimnum Atticum amphoræ Hebraicæ æqualem tripla proportione ſuperat, dempto quartario & ſemiſextariolo, quem tres Atticæ amphoræ ſupra medimnum recipiunt, ferme duplus ad medimnum georgicum, ut quem geminatum ſuperat quartariis duobus, dempta cheopina, drachmis ſex. Hippo-iatricum vero medimnum continet etiam geminatum, una cum tribus quartariis, demptis unciis decem & novem, quæ faciunt ſextarium Atticum cum una uncia.

Proxime ſequitur cadus Gallicus, quem vulgo caquum appellant: qui cum ſit triens modii Pariſini, comprehendit quartarios octo & quadraginta. Hic enim numerus tertio repetitus, centum quadraginta quatuor quartarios efficit, quos de integro modius Pariſinus recipit.

Sequens eſt ex ordine menſurarum, menſuræ Hebraicæ quam letheg appellant, meminiſſe. Eſt autem chori medietas, quare quinque ephi ſeu medimnos Atticos habet: qui medimnus duodecim quartarios & heminas tres Pariſinas recipit. Habet igitur letheg, ſexaginta duos quartarios Pariſinos una minus hemina, nec multum recedit a ſemodio Pariſino. De hac menſura Oſeæ 3. *Fodi eam mihi quindecim argenteis, & choro hordei, & dimidio choro hordei.* Ubi pro *dimidio choro* ponitur *letheg*.

Haymo in Oſeam, chorum hordei & ſemiſſem quadraginta quinque modiis comprehendit, & id quidem rectiſſime. Chorus enim decem epha: epha autem tria ſata, ſeu modios (ut dictum eſt) Hebraicos complectitur. Eſt igitur ſeſquichorus ſatorum ſeu modiorum quadraginta quinque: ut chorus triginta, letheg vero quindecim ſata modioſve capiat. Verba Haymonis hæc ſunt: *Quod autem ſequitur: Dies multos expectabis me: ad præſens pertinet tempus, quo populus Judæorum, qui quondam quindecim argenteis & quadraginta quinque modiis hordei conductus, poſt incarnationem Domini ejuſdem videlicet ſponſi adventum viri ſui exſpectat.* Hæc ille. Quæ omnia dictis quadrant vel ad minimum aſſem. De choro autem mox ſequetur.

Hic legitimo ordine locum tenet ſextarius triticarius Pariſinus, quaternas capiens amphoras, geminos medimnos, modios ſeu boſſellos duodecim, quartarios duos & ſeptuaginta. Hic tertius ſextarius eſt aridorum, quum duo priores Pariſini liquoribus menſurandis inſerviant, ſcilicet bilibris ſextarius, & is quem modii trigeſimam ſextam partem eſſe diximus.

Chorus ſive Chomer apud Hebræos menſura non incelebris, decupla ad batum ſive ephi, de qua Ezechielis 45 *Ephi & batus æqualia, & unius menſuræ erunt*, ut capiat decimam partem chori batus, & decimam partem chori ephi. Ex his autem quæ nuper dicta ſunt, continet quartarios centum viginti tres cum tribus ſextariis Pariſinis, juxtaque amphoras ſeptem, minus ſcilicet quartariis duobus & ſextario uno. Proinde chori ad amphoram Pariſinam analogia facile æſtimationem docebit, qua redimi olim oportebat agrum hordeo conſitum: quando ex Levitici 27. capite conſtat juxta menſuram ſementis æſtimandum fore precium agri, ita ut chorus hordei anno proventu quinquaginta ſiclis argenti æſtimaretur. Efficiunt autem quinquaginta ſicli, noſtro ære libras turonicas triginta quinque. Quo fit, ut hordeaceus ager unius amphoræ ferax, hac ratione redimendus ſit quinque libris turonicis. Quocirca reſpondet Moſaicum iſtud inſtitutum placito uſuique quotidiano, quo terræ dimenſio (quam acram vocant) quatuor virgatas in ſe comprehendens, precio temperato æſtimari ſolet quadraginta libris turonicis. Profert autem ſuo cultori annuo proventu medimnos quatuor, ſeu amphoras octo. Chorus vero (uti jam dictum eſt) capit amphoras ſeptem, niſi quod deficiunt quartarii duo, ſextarius unus: quo fit, ut choro aptiſſime congruat precium triginta quinque librarum turonicarum.

Quum autem ea quæ dicta ſunt, validis innitantur fundamentis: illud mirum videtur, quod Joſephus ait valere medimnos Atticos unum & quadraginta. Nam luculenter oſtendimus medimnum & epha eſſe ejuſdem capacitatis. Rurſumque ex Ezechiele probatum eſt, chorum ſolum decem ephi continere. Quare non amplius capere poteſt, quam decem medimnos Atticos. Ideoque ſive Joſephus ita dixerit, ſive ejus interpres ita repoſuerit, ſive alias fuerit codex mendoſus, non poſſunt hæc omnia apertiſſimæ luci veritatis ullas tenebras offundere. Nam & iſtud pugnat cum omnium Hebræorum placitis. Ajunt enim Hebræi uno conſenſu, ephi tria ſata tenere. Qua ratione ſatum pluſquam tredecim medimnos Atticos caperet, quod aſſeri nullatenus poteſt. Adde quod Rabbi Salomon (qui Gallus erat Trecenſis) chorum & chomer in ſuis commentariis adſerit Gallice appellari *ung muy*, hoc eſt, modium. Ita mihi adſeruit dominus Paulus Venetus, olim profeſſione Hebræus, nunc ſacri baptiſmatis unda renatus, apud Pariſios Hebraicarum literarum interpres, Chriſtianus. Ad hoc facit, quod ſi chorus unum & quadraginta medimnos Atticos caperet, ea ratione ad modulum Pariſinum contineret quinquies mille ſeptem quartarios, & ſemiſextariolum unum. Quæ res omnem fidem exuperat. Noſtrum autem in hac re judicium, credibilius facit ipſa rei experientia. Nam modius Pariſinus centum quadraginta quatuor quartarios tenet. Quod non longe abeſt a menſura chori, quam ſupra explicuimus, & centum viginti quartariorum eſſe diximus. Nec prætereundum quod ſupra recenſuimus, partem ſexageſimam chori, quæ eſt primitiarum debita menſura, duos quartarios cum quarta cheopinæ in ſe comprehendere: redditque ſemiſſem ſati Hebraici.

Modius Pariſinus ſextarios bilibres ſeu cheopinas quingentas ſeptuaginta ſex, pintas vero ducentas octoginta octo, quartarios centum quadraginta quatuor abſorbet, & amphoras Pariſinas octo. ſuperat chorum Hebraicum quartariis viginti, una tantum hemina Pariſina dempta. quo fit, ut chorus ferme ſeptem amphoras Pariſinas capiat. Ex hoc ſeſquimodium deſcribere facile eſt, quem Galli appellant *une queue*. Semodium iſtum ferme implebant ſex hydriæ poſitæ in Chana Galileæ, ſi metretas ternas ſingulæ hydriæ continerent: ſi vero binas, parum aberant a capacitate modii. Id conſtare poteſt ex abaco.

Culeus omnium menſurarum ut noviſſima, ita ſi maxime

si maxima: ea enim auctore Fannio nulla est major mensura liquoris. Capit autem viginti amphoras Romanas, uno omnium auctorum consensu: attestante etiam Plinio, qui lib. XIIII. cap. 4. sic ait: *In Cecubus Setinusque agris sæpenumero septenos culeos singula jugera, hoc est, amphoras centenas quadragenas, musti dedere.* Quas amphoras si partiaris septenario, septies viginti emergent. Sic fit, ut culeus viginti amphoras capiat Romanas. Romana autem amphora quartarios novem, heminam unam, uncias sex, drachmas septem, scriptula duo: Parisina vero decem & octo, hoc est, bis ferme amphoram Romanam tenet. Quid ergo clarius inferri potest, quam culeum decem tenere Parisinas amphoras? Addenda tamen sunt fragmenta & minutiæ, quas supra novem quartarios amphora Romana tenet, quibus adjectis culeus definiendus est capacitate centum octoginta trium quartariorum, cum tribus sextariis, adjectis sex unciis, quinque drachmis, & scriptulo. Cæterum ampliores sunt & capaciores quæ sequuntur. Modius siquidem triticarius recipit medimnos viginti quatuor, amphoras duplato numero quadraginta octo Parisinas. Quæ omnino mensura & sesquiculeare dolium & chorum Hebraicum non parva quantitate superat; nam dolium sesquiculeare ab antiquis usurpatum triginta amphoras Romanas sua capacitate absorbebat. Chorus etiam a Josepho designatus, semimedimnos Atticos unum & quadraginta habuit: quartarios quinquies mille & septem cum hemina una Parisina continebat. Sed & tertii Reg. septimo scribitur decem fuisse luteres seu conchas æneas, quarum quæque tenebat quadraginta batos, hoc est, quadragesies duodecim quartarios, & heminas tres cum duabus drachmis: qui in summa reddunt quadringentos nonaginta quinque quartarios, & uncias decem. Erant ergo conchæ illæ seu luteres ferme triculeares. Addamus & mare æneum, quod tria millia metretarum comprehendebat. Metreta vero ex dictis, duodecim quartarios & heminas tres capit, cum duabus drachmis: quo fit, ut mare illud æneum ultra novem millia heminarum, unciis neglectis, triginta sex millia quartariorum contineret. Sed hæc nihil ad culeum. Hæ siquidem capedines immensæ non sunt ad dimetiendos liquores designatæ, ut culeus. Est igitur summa mensurarum. Alias autem culeus recepto usu auctorum accipitur pro vase quodam coriaceo ad puniendos parricidas legibus instituto, de quo Juvenalis ita cecinit:

—— Quis dubitet Senecam præferre Neroni?
Cujus supplicio non debuit una parari
Simia, non serpens unus, non culeus unus.

Priusquam ad cætera progrediar, illud de mari æneo adjungendum, quod non ex æquo ter mille metretas, sed bis mille batos contineat, ut supra in epha ex Nicolao de Lyra docuimus: quare potius calculus sumendus est ad rationem batorum duum millium. Quo fit, ut quinquaginta luteres ex æquo implere potuerint mare illud, seu labrum fusile æneum. Luteres enim singuli quadraginta batos capiebant. Quinquagies autem quadraginta, bis mille reddunt. Multiplica itaque quadringentos nonaginta quinque quartarios & uncias decem, quos luteris mensura continet: ut in culeo videre potes. Hoc inquam multiplica per quinquaginta, habebisque quartariorum numerum ambitu maris fusilis comprehensorum. Nam bis mille bati, continent quartarios vigesies quater mille septingentos quinquaginta, & uncias quingentas. Unciæ autem quingentæ, quatuor millia drachmorum justo calculo perficiunt. Cum ergo hemina Parisina ex his, quæ eo loco dicta sunt, tredecim uncias & drachmam unam in se recipiat, calculo deprehenditur quater mille drachmas, triginta octo heminas, cum decem drachmis comprehendere. Sic ergo pro unciis quingentis adjunge quartarios quatuor & heminam unam: quod superat, minutulum est. Sic fit, ut universa maris fusilis capacitas, summa quadrante, recipiat vigesies quater mille septingentos quinquaginta quartarios & heminam unam: bis mille batis labro illi æneo juxta scripturæ auctoritatem attribuis. Hic ne quis aberret sciendum, quod cum 3. Reg. 7. mare istud fusile æneum *duo millia batorum* capere dicatur: alio nihilominus loco, nempe 2. Paral. 4. editione nostra comprehendere dicitur *ter mille metretas.* Quæ omnia vera sunt. Conciliantur enim hi duo loci interventu editionis Hebraicæ, quæ sic habet: *facienti impleri mensuras tria millia continebit.* De mensuris loquitur Hebraicis, nempe de batis: nulla mentione facta de Atticis metretis. Ut ita intelligamus, quod communi usu mare æneum continebat bis mille batos. Si autem impleretur usque ad summum, assurgere posset capacitas usque ad ter mille batos, mensura scilicet supereffluente. Hoc est, quod textus Hebraicus dixit, *facienti impleri.* Lege Cardinalem Cajetanum super eo loco. Partitione demum facta per centenos quadragenos quaternos quartarios, qui mensuram modii Parisini implent, prodibit numerus modiorum, mare illud Æneum complere valentium, qui sunt centum unus ac septuaginta modii, una cum quartariis centum viginti sex. Sunt autem nostra ætate vasa multo capaciora, ut quæ vix trecentis modiis impleantur: qualem ajunt esse capedinem Sistertiensem, quam divo Bernardo tribuunt.

Althamerus in Germaniam Cornelii Taciti, Erpachium cadum stupendæ (ut ait) capacitatis hoc carmine celebret:

Quid vetat Erpachium vas annumerare vetustis
Miraclis? quo non vastius orbis habet.
Dixeris hoc recte pelagus, vinique paludem:
Nectare qua Bacchi nocte dieque fluit.
Fac, Bernharde, voces quot habet Sistertia fratres:
Hosque tuis omnigenos ordines adde viros.
Annua præbebit cunctis hæc pocula trulla,
Nondum dimidio deficiente mero.
Securæ, Erpachii fratres, sorbete, lagena
Hæc salva est, vobis nulla timenda sitis.

Vereor ne licentiose nimis atque indulgenter, cum asserere audeat, dimidiatum illum cadum sufficere Sistertiensi conventui toto anno refocillando: cum satis constet ingentem illum culeum Sistertiensem trecentorum pene modiorum esse capacem. Ille vero cadus Erphachianus octo & viginti pedum longitudine protenditur, novemque pedibus in altum erigitur. Nos autem vidimus ipsi apud divæ Barbaræ cœnobium in Augea Neustriæ visendam ac suspiciendam vasis capedinem, diametro pedum novem, longitudine vero decem & octo. Pergit autem Althamerus suæ capedinis vastitatem demonstrare, asserens eam Rhenanæ mensuræ octoginta duo plaustra tenere. Plaustrum autem vult esse urnarum duodecim. Porro urnam hemiamphoriam esse nemo est qui ignoret, novemque continere quartarios. Quos si dyodecade multiplicaveris, habebis in plaustro uno quartariorum ogdoadem centuriæ accedentem. Deficit ea mensura a modio Parisino quartariis sex & triginta. Vide igitur quam longe absit a centum modiis Parisinis, ut ne dicam, aut ducentis, aut trecentis Erpachiani hujus vasis capacitas. Ex hoc uno reliqua disce.

Hæc de his dicta sint, quæ certam aliquam mensuram suo significatu comprehendunt.

Sunt & aliæ nonnullæ vasorum nomenclaturæ: quæ quoniam nulli mensuræ addictæ sunt, non merentur priorum inscribi catalogo.

Sunt enim vasa quædam ad condendos asservandosque liquores constructa, quale est dolium promiscuæ indifferentisque mensuræ, ex quo in amphoras vel cados vinum diffunditur.

Tina vas eliquandis racemis aptum, cuppa calcandis congruum, & cuppula, Gallice *tine, cuve, cuvier*. Cuppam tamen ad mensuram referri diximus apud Narbonenses.

Sunt quædam alia trajectitia vasa, quale est œnophorum, a vino ferendo nomen deductum. nos *flascones* dicere poterimus, *barres, bouteilles*. Aliqui gestatoria doliola summatas appellant.

Sunt & alia quæ a figura fortiuntur appellationem, ut orcha vas vinarium & olearium, orchæ belluæ marinæ similitudinem habens. Hujus meminit in Aureliano Vospiscus. *Aurelianus* (inquit) *vehementer delectatus est phagone, quem edacem seu comedonem merito dixeris, qui uno die aprum integrum, centum panes, vervecem & porcellum comederet: biberet autem infundibulo apposito plus orcha.* Hæc ille.

Gutturnium ad modum gutturis seu colli incurvi guttatim liquorem infundens.

Cucuma, quo vase ut plurimum æneo balneæ explentur & implentur, vas est ad cucumeris figuram fabrefactum, Gallice *coquemart*. Hinc beata Agnes apud Ambrosium: *Dii tui area sunt, ex quibus cucuma melius fiant ad usus hominum.* Trulla quoque vas est funditus amplum, in summo vero angustius, quemadmodum & phiala: sic lagunculа, lecythus, guttum olearium, cymbium vas ad cymbæ similitudinem constatum. Postremo quædam sunt, quæ significatum habent promiscuum, ut hydria vas aquarium, scyphus, phiala, Hebraice sephel, aquiminarium vas ad fundendum quoquoversum aquas idoneum. Hebræi autem utuntur hac dictione salis pro mensura magna. Psalmo 80. *Potum dedisti nobis in lachrymis in mensura*, subaudi magna. Quo loco divus Hieronymus reposuit *triplicuer*, hoc est, ad longum, latum, & profundum: Gallice dicere solemus *tout au long & tout au lé*. Esaiæ 40. *Mensus est in mensura pulverem terra*, id est, triplici dimensione. Serias appellare possumus vasa, quæ veluti sera clauduntur, ut flascones & cætera hujusmodi vasa, quæ clausuram habent.

Fideliam, nostri filletam appellant, de qua Persius:

Nec tamen invideas, quod multa fidelia putet
In locuplete penu.

Post hæc, eorum quæ toto opere fusius ennarrata sunt, epitomen quandam seu anacephalæosin ac brevem recordationem subnectere operæprecium esse visum est. In primis sextariorum librarumque mensuralium abacum, & ejus explanationem proponemus.

Sequitur figura, qua inter se conferuntur sextarii, Atticus, Hebraicus, Romanus, & Parisinus.

Ad prompte conferendas exteras omnes mensuras cum Parisinis, abacus.

Sextarii Attici, seu Logim Hebraici.	*Libra mensurales Romanis communes & Gracis.*	*Sextarii Romani.*	*Uncia Romana.*	*Drachma Romana.*	*Sextarii Parisini.*	*Uncia Romana.*	*Drachma Romana.*
Unus	*Sesquilibra.*	0	18	0	0	0	0
2	3	1	16	0	1	9	6
4	6	3	12	0	2	19	4
6	9	5	8	0	4	3	0
8	12	7	4	0	5	12	6
10	15	9	0	0	6	23	4
20	30	18	0	0	13	20	6
30	45	27	0	0	20	18	0
40	60	36	0	0	27	15	2
50	75	45	0	0	34	12	4
60	90	54	0	0	41	11	6
70	105	63	0	0	48	9	0
80	120	72	0	0	55	6	2
90	135	81	0	0	62	3	4
100	150	90	0	0	69	0	6

Pro hujus abaci assequenda intelligentia hæc annotatu digna visa sunt. Primum id præfari operæprecium esse visum est.

Ubi plures sunt sextarii, ibi minor est capacitas: ubi vero pauciores, ibi receptio major. Hujus rei sit istud exemplum in abaco. Plures sunt Attici sextarii quam Romani, & Romani quam Parisini: proinde Atticus minor est Romano, & Romanus Parisino. Cujus enim partis aliquotæ denominatio minor est, illa erit major: si vero major denominatio, illa erit minor. Nam octava pars rei cujuspiam minor est quarta ejusdem: cum tamen denominatio

nominatio octavæ partis major ſit quam denominatio quartæ.

Secundum præfatum eſt: Sextarius Atticus habet uncias 18. id eſt, libram Romanam & ſemiſſem. Sextarii vero hemina uncias novem. Sextarius vero Romanus viginti unciarum eſt. Libram ergo continet & beſſem: hujus hemina eſt unciarum decem. Sextarius uſque Pariſinus duas habet libras Pariſinas, hemina vero unam. Cum autem libra Pariſina ſuperet Romanam in ſeſquidigito, ut ſuo loco monſtratum eſt: ſuperat igitur Pariſina Romanam in uncia & ſexta parte digiti, quæ eſt drachma: quocirca hemina Pariſina habet tredecim uncias, drachmam unam. Sextarius vero bilibris libras Romanas duas capit cum duabus unciis, drachmis totidem, hoc eſt, viginti ſex uncias, & duas drachmas.

Tertium præfatum: Hinc aperte ſequitur, quod ſextarius Pariſinus ſuperat Romanum in ſelibra, drachmiſque duabus: Atticum vero ſuperat octo unciis, duabus drachmis, Romanus autem ſuperat Atticum duabus unciis.

Quartum præfatum: Prædictis quoque conſentaneum eſt, quod chœnix Attica, quæ eſt ſeſquiſextarius Atticus, viginti ſeptem habet uncias æquales ferme ſextario Pariſino, ut quem ſex tantum drachmis ſuperet. Vide quam parum abſit inter cheopinam noſtram bilibrem, & veterum chœnicem. Id quod aliunde agnoſces, ſi modo memineris medimnum Atticum, complecti chœnicas ſeu hemerotrophes octo & quadraginta, totidemque cheupinas duobus hoſſellis Pariſinis comprehendi, qui ferme æquant demenſum Romanum: ut ſuo loco oſtenditur. Chœnix tamen alia omnium tenuiſſima conſtituenda eſt, ex Honorii & Theodoſii imperatorum inſtituto, præeunte tamen lege 12 Tabularum, quæ diurnum demenſum his qui detinentur in vinculis, ita deſignat: *Carcere* (inquit) *detentus, ſi volet, ſuo vivito: ni ſuo vivat, qui eum vinctum habebit, duas libras farris in dies dato.* Demenſum illud diurnum duas libellas continet. Libellam autem ita deſcribit Rhemnius Palæmon:

Attica nam minor eſt, ter quinque hanc denique drachmis
Et ter vicenis tradunt explerier unam.

Atqui hæ ſeptuaginta quinque drachmæ, novem adimplent uncias cum drachmis tribus. Duæ itaque libellæ uncias decem & octo, drachmis ſex adjectis, ex æquo perficiunt. Chœnix itaque iſta leviſſima, ſextarium Atticum ſex tantum drachmis ſuperat. Qua de re in l. *Judices*. C. de epiſcop. audien. ex Imperatorum Honorii & Theodoſii conſtitutione: qui diurnum vinctorum cibum, libellis duabus aut tribus commentarienſis arbitratu definiendum decernunt. Conſule Alciatum, Parergon juris lib. 1. cap. 17.

Aliud præfatum:

Chœnix georgica, ſeſquiſextarius eſt georgicus, caſtrenſi ſextario ferme æqualis: hic enim quadraginta uncias, illa vero ſemiſſem ſuperaddit. Continet igitur tres Pariſinas heminas ſuperante ſeſquidigito, hoc eſt, uncia & drachma.

Aliud præfatum:

Non tam ex aliorum placitis, quos a recta linea deſciviſſe conſtat, quam ex certiſſima calculi ratione oſtendit hic abacus, pronam facilemque methodum ad inveniendam ſymmetriam ſeu adæquationem, inter peregrinas Pariſinaſque menſuras. Fecimus enim hoc labore, quod citra laborem lector quaſcunque volet menſuras conferre mutuo poſſit.

Hac igitur arte amphoræ Atticæ cum exteris ſymmetriam deprehendere poteris. Siquidem videbis ex abaco ſeptuaginta duos ſextarios Atticos, ſexaginta quatuor Romanos, libramque & trientem perficere. Sic ergo Attica excedit Romanam in ſextariis ſedecim, quæ Romana quadraginta octo ſextarios habet, ſicque eam ferme excedit in ſeſquitertio: nam ter ſedecim ſunt quadraginta octo. Reſtat ſolum libra cum triente, hoc eſt, unciæ ſedecim: quæ obſtant, quo minus ſeſquitertia ratio integre ſervetur.

Ex eodem quoque abaco invenies ſeptuaginta ſextariis Atticis correſpondere Pariſinos octo & quadraginta, & uncias novem: quibus ex eodem abaco addendi erunt ſextarii duo, qui in Pariſinis notulis capiunt ſextarium unum, uncias novem, drachmas ſex. Habes itaque ſextarios Pariſinos quadraginta novem, uncias decem & octo, quæ ſextarium Atticum reddunt, & tres drachmas: quæ omnia æquant amphoræ Atticæ, ſeu etiam Hebraicæ capacitatem.

Illud quoque deprehendes ex abaco: quod cum amphora Romana quadraginta octo ſextarios Romanos capiat, quadraginta quinque Romanis correſpondere quinquaginta Atticos, Pariſinos vero triginta quatuor, uncias duodecim, quatuor drachmas. Adde ergo tres ſextarios Romanos ad perficiendum octo & quadraginta, quibus in Atticis quatuor ſextarii correſpondent: ſic erunt quinquaginta quatuor Attici æquantes amphoram Romanam, adjectis duodecim unciis, Quod ſi exactam rationem inire velis, habebis pro quadraginta octo Romanis, Atticos quinquaginta tres, uncias ſex. In Pariſinis vero notulis, pro tribus Romanis habebis ſextarios duos, uncias ſeptem, drachmas quinque, & duo ſcriptula: quæ omnia ſi addideris triginta quatuor ſextariis Pariſinis, unciis duodecim, drachmis quatuor: invenies ſextarios Pariſinos triginta ſex, uncias viginti, ſcriptula duo: quæ ſumma reſpondet amphoræ Romanæ ad rationem moduli Pariſini.

Adde etiam ſymmetriam amphoræ georgicæ cum menſuris Pariſinis. Quum enim georgica centum ſexaginta duas libras capiat, invenies in abaco centum quinquaginta libras menſurales valere ſextarios Pariſinos ſexaginta novem, drachmas ſex: quibus jungendæ ſunt duodecim libræ: quæ ex abaci correſpondentia in Pariſinis ſextarios quinque, uncias duodecim, ſex drachmas perficiunt. Quibus in unum conjunctis, in unam ſummam coire facies ſextarios Pariſinos ſeptuaginta quatuor, uncias tredecim, drachmas quatuor: tredecim autem unciæ & drachmæ duæ libram Pariſinam ſeu ſemiſextariolum perficiunt.

De hippo-iatrica vero, conſtat illam tenere libras centum quadraginta quatuor: quam ut conferas cum Pariſinis menſuris, ex penultimo tabulæ loco, invenies libras centum triginta quinque, valere in Pariſinis ſextarios duos & ſexaginta; uncias Romanas tres, & drachmas quatuor: adde novem libras, quibus in Pariſinis reſpondent ſextarii quatuor, unciæ tres. Ex his omnibus colliges ſextarios Pariſinos ſexaginta ſex, cum ſex unciis, quatuor drachmis. Hæc ut diffuſe declarata ſunt, ſigillatim perſtringere libet.

Amphora Attica ſeu Hebraica habet ſextarios Pariſinos quadraginta novem, uncias decem & octo, drachmas tres: qua ratione tenet pintas viginti quatuor, tres heminas Pariſinas, uncias quinque, drachmas duas, quartarios vero duodecim, tres ſemiſextariolos cum duabus drachmis.

Amphora Romana ex his quæ probata ſunt,

 continet

continet ſextarios Pariſinos triginta ſex, uncias viginti, ſcriptula duo, hoc eſt, pintas decem & octo: heminam unam, uncias ſex, drachmas ſeptem, ſcriptula duo, quartarios novem, ſemiſextariolum unum, ſex uncias, ſeptem drachmas, duo ſcriptula.

Amphora georgica ſubducta ratione ad modulum Pariſinum, habet ſextarios ſeptuaginta quatuor, uncias tredecim, drachmas quatuor: hoc eſt, pintas triginta ſeptem, ſemiſextariolum unum, drachmas tres, quartarios decem & octo, heminas tres Pariſinas, & tres drachmas. Sunt igitur georgica Pariſinaque amphoræ pene æquales, ſicut Attica & Hebraica ſibi mutuo correſpondent: duæque amphoræ Romanæ amphoram Pariſinam & georgicam ferme implent.

Hippo-istrica amphora ex ſupputatione præcedenti habet ſextarios Pariſinos ſexaginta ſex, uncias ſex, drachmas quatuor: qua ratione capit pintas triginta tres, ſex uncias, quatuor drachmas, quartarios autem ſedecim, pintam unam cum ſex unciis, & quatuor drachmis.

Cæterum Pariſinam amphoram ex cubica multiplicatione unciæ, & calculo vere arithmetico, probavimus continere centum quadraginta quatuor libras menſurales ſeu heminas: quæ numero ſubduplato reddunt ſextarios Pariſinos, duos & ſeptuaginta: quo etiam dimidiato numero emerguot pintæ ſex & triginta: cujus numeri ſi accipias ſemiſſem, habebis quartarios decem & octo.

Nunc ex amphoræ Atticæ, quam Hebraicæ æqualem eſſe probavimus, circumſcriptione, primum ſequens eſt, quod chus Attica menſura duodecima pars metretæ continet quartarium unum, ſimul & heminæ Pariſinæ quadrantem cum medietate ſcriptuli, ſeu menſurali nbolo uno. In menſuris autem Hebraicis iſtud de ſato elicere promptum eſt: quod cum ſit tertia pars ephi medimnive Attici, recipit quartarios quatuor, heminam unam, ſcriptula duo. eſt ergo ſatum ad modum Romanum fere ſeſquitertium.

Hin vero ſextans ephi ſeu medimni Attici, habet quartarios duos, ſemiſſem heminæ, & ſcriptulum unum.

Gomur autem decima para ephi ſeu medimni Attici, novem ſemiſextariolos continet, quinque uncias, tres drachmas, ſcriptulum unum, cum ſemiſſe, cum minutiis reliquis ſuo loco deſcriptis, habet ergo quartarium ferme & cheopinam.

Ex amphoræ Romanæ capacitate modulis æquata Pariſinis plane ſequitur, urnam Romanam continere quartarios quatuor, pintam & ſemiſſem heminæ, uocias tres, drachmas quatuor, & dimidium ſcriptulum.

Modus vero cum ſit triens amphoræ, ea ratione tenet tres quartarios Pariſinos, tertiam partem heminæ, uncias duas, drachmas duas, & ſcriptulum unum cum duabus tertiis ſcrupuli.

Congius, bes ſeu octava para amphoræ, pari neceſſitate comprehendit quartarium unum cum ſemiſextariolo, & octava parte ſemiſextarioli: drachmas ſex, ſcriptula duo, & ferme ſcriptulum unum. Quum autem demenſum ſit quadrimodiale, ſequens eſt ipſum tenere quartarios duodecim, heminam unum cum tertia heminæ, uncias octo, drachmas octo, ſex ſcriptula, ſeu (ſi mavis) uncias novem, drachmas duas: quæ minutiæ una cum hemina reddunt ſextarium unum, tres drachmas cum ſcrupulo.

Verum artabam probavimus quinque modios in ſe recipere: quo fit, ut in ſumma contineat quartarios quindecim, heminam unam cum duabus tertiis heminæ, uncias decem, quæ eſt Romana cotyla, drachmas decem, hoc eſt, unciam cum drachmis duabus, ſcriptula quinque, cum decem tertiis ſcriptuli: quæ ſi reducantur ad aſſem, habebis ſextarium unum, uncias ſex, totidem drachmas, ſcriptulum unum, quum tertia ſcriptuli, ferme ad hippo-iatricæ amphoræ menſuram accedat.

De culeo vero facile eſt definire, cum viginti amphoras Romanas contineat. Romana autem amphora capit quartarios novem, heminam unam, uncias ſex, drachmas ſeptem, ſcriptula duo. ſic evadet numerus quartariorum centum octoginta trium, adjectis pinta una cum cheopina, ſex unciis, quinque drachmis, ſcriptulo uno. ad hunc modum reducuntur Romanæ menſuræ ad Pariſinas.

Nunc metiendæ ſunt menſuræ majores amphora Attica, & in ordinem moduli Pariſini redigendæ. De his loquor, quæ amphoram Atticam aliquoties capiunt, quales ſunt Hebraicæ letheg, chorus ſive chomer. Quum autem letheg ſit medietas chori, facile eſt unum ex alio colligere. chorus ergo decies continet ephi ſeu medimnum Atticum.

Jam vero diximus Atticum medimnum capere quartarios Pariſinos duodecim, tres ſemiſextariolos cum duabus drachmis. hoc numero decies aucto, provenient centum viginti tres quartarii, tres ſextarii Pariſini ſeu cheopinæ, unciæ duæ, drachmæ quatuor. Hujus medietatem letheg continet, ſcilicet unum & ſexaginta quartarios, pintam unam, cheopinam cum hemina, unciam unam, drachmas duas. Hæc eſt ſumma reductionis exterarum menſurarum ad Pariſinas.

Nunc ſe offert occaſio differendi de his menſuris, quæ ad longitudinem ſpectant, poſteaquam de concavis egimus. Qua in re mihi falli videntur, qui ſcriptorum auctoritatem ducem faciunt, apud quos idem eſt numerus opinionum, qui & capitum. Incedendum potius videtur ratione duce, auctoritate vero comite. In progreſſu autem ordo naturæ ſervandus eſt, ut a minimis tandem per medias aſcendamus ad maximas, illud lectorem præmonens, eandem eſſe apud Hebræos & Gallos dictionem, quæ menſuram ſignicat, utpote *meſures* quæ dictio Hebraica eſt & Gallica: hoc adjecto, quod etiam dictio *midah* menſuram deſignat, & quandoque magnam menſuram, unde apud eos vir proceræ ſtaturæ dicitur *Iſch midah*, id eſt, vir proceræ menſuræ.

Menſurarum longitudinis & naturalis progreſſus.

GRanum, omnium minima menſurarum.

Digitus granorum quatuor. Sunt qui digitum rotundum vocent fiſtulæ diametrum ad digiti quantitatem, ut intelligas digitum aquæ ex fontibus fluere, quando calamum, cujus diameter digitalis eſt, aquæ fluxus implet.

Pollex, ſeu pedis uncia, menſura ad digitum ſeſquitertia: nam quatuor digiti tres pollices faciunt. Hieronymus in prologum Job: *Habeant qui volunt veteres libros in membranis purpureis auro argentoque deſcriptos, vel uncialibus (ut ajunt) literis onera magis exarata, quam codices. unciales literas* dixit, extenſas ad pollicarem menſuram. Et quo rem apertius intelligas, accipe id quod habetur tertii Regum ſeptimo: *Groſſitudo autem luteris trium unciarum erat*; pro qua Hebræi reponunt quatuor digitorum. Et de hoc mari æneo ſecundi Paralippomenon quarto: *Porro vaſtitas ejus habebat menſuram palmi.* pro vaſtitate craſſitudinem intelligit, quam vult eſſe unius palmi quatuor digitorum menſuram æquantis: quo fit, ut pollex ad digitum ſit ſeſquitertius. Digitum Hebræi vocant

etsbaa,

etsbaa, & in plurali etsbaoth: bohen vero pollicem appellant, plurative behonath, sed vix ad mensuram referunt.

Palmus minor, quem & palæstem appellare possumus, tripollicaris, & quatuor digitorum est. hanc mensuram nominatim agnoscunt Hebræi, vocantque thophac seu thephac, ut in locis supradictis. Insuper & Exodi vicesimo quinto: *Facies que illi labium aureum, hoc est, clausuram per circuitum, & ipsi labio coronam interrasilem altum quatuor digitis, seu palmo.* Est ergo palmus mensura quatuor digitorum conjunctorum, & ponitur apud Hebræos palmus pro mensura brevi. Psalmo tricesimo sexto: *Mensurabiles posuisti dies meos*, hoc est, ad mensuram palmæ, quæ est brevis mensura: paucos enim dies palmares appellat. Hebræi volam manus chophen appellant. Proverbiorum trigesimo: *Quis continuit spiritum in manibus suis?* ubi pro *manibus volas* intelligunt. Idem per dictionem *caph* intelligi volunt, quæ etiam significat *cochlear*, ut in mensuris concavis dictum est, & Proverbiorum trigesimo primo palmam significat: *Palmas suas extendit ad pauperem.* Est & alius palmus major, in se comprehendens quatuor digitos cum pollice non lato, sed profundo. hujus profunditas trium dimensionum minima, latum digitum æquat. Est ergo palmus iste major quinque digitorum, quem vulgus appellat *mug dour*, Græci *doron*: unde & lateres *tetradori* & *pentadori*. Hoc autem dicimus inter palmum pugillumque interesse, quod inter manum concavam & extensam. Est ergo pugillus vola manus, seu palmæ curvatura. Hebræi, ut dictum est, modo caph, modo cophen appellant.

Palmus duplex, octo digitorum est, a nonnullis appellatur dichas seu duplicatus. Est igitur triplex palmus, minor quatuor digitorum, major quinque digitorum, quem doron appellavimus, & maximus octo digitorum, qui est palmus duplicatus.

Spithame mensura tripalmaris digitorum duodecim, quam Plinius dodrantem appellat: & eo clauditur intervallo, quod est inter pollicem extensum & minimum digitum. Dicitur autem dodrans, hoc est, unciarum novem: nam novem pollices seu unciæ, duodecim digitos complent. Hinc sequitur, quod sesquipalmus minor semispithamen seu semidodrantem efficiat, utpote digitos sex, seu pollices quatuor cum dimidio. Huic mensuræ si adjungas medii digiti mediam curvaturam, evadet mensura pedanea palmorum quatuor. Est autem spithame semicubitalis dimensio; cubitus enim est sesquipes, hoc est, palmorum sex. quæ quantitas juste conficitur ea intercapedine, quæ est a curvatura humeri usque ad cubitum, quod in semetipso quisque experiri potest. & id quidem Hebræi atsal appellant, plurative atsiloth: nostri appellant *ossellos.* Hierem. 38. *Pono veteres pannos sub cubito manuum tuarum.* Hebræi ita legunt, *sub atsiloth*, id est, *sub axillis.* Est igitur ea portio brachii, quæ est inter duas curvaturas cubiti & humeri, tripalmaris & semicubitalis. Hanc mensuram tripalmarem semicubitalem, quæ palmus maximus dici potest, cum minimus digitos quatuor, medius vero quinque comprehendat, quem doron dicunt. Hebræi zereth auctore Pagnino, qui ait zereth esse mensuram palmi aut dimidii cubiti, Exodi 28. *Palmus longitudo ejus.* Ezechielis 43. *Et definitio ejus usque ad labium ejus, in circuitu palmus unus.* Hebræus habet *zereth*, hoc est, *spithame*: cum tamen supra ubi ait: *In cubito verissimo, qui habebat cubitum & palmum*, ibi intelligatur *tophah*, *cubitus minor.* Pes palmorum quatuor, pollicum seu unciarum duodecim, digitorum vero sexdecim. Auctores pede utuntur pro asse, quem in duodecim pollicares uncias secernunt, quemadmodum & in concavis mensuris de sextario Romano assem faciunt. Est autem hujus assis uncia pollex, quadrans vero palmus minor, pugillus vero semis seu sescunx, spithame autem dodrans: quæ omnia ad pedaneam mensuram tanquam ad assem referenda sunt. Hebræi tametsi pedon pro mensura accipiant, utuntur nihilominus peam pro vestigio pedis, plurative peamim, Psalmo 16. *Perfice gressus meos in semitis tuis, ut non moveantur vestigia mea:* pro *gressibus* legentes *aschure*, & pro *vestigiis peame.* Est autem vestigium, figura ad quantitatem pedis extensa: nos autem vernacula lingua, cum qui immobiliter suis vestigiis insistit, aut gressu stabili incedit, nulla ex parte vacillanti aut nutanti, vocamus *assenré*, ea parte ad Hebraicam phrasin accedentes. Fit autem dimensio pedis ab extremo pollice ad extremum digitum extensum adjecta longitudine digiti medii, cujus longitudo palmum æquat. nam ex quatuor palmis pes constituitur: ut merito quis miretur, quam affabre constituta sit a sapientissimo rerum architecto membrorum proportio. Et hæc eadem mensura conficitur ex duobus pugnis clausis, extensis pollicibus. Rursum hanc pedaneam mensuram si exacte metiri volueris, reperies eam esse, quæ est a flexura cubiti ad summum manus fastigium, seu flexuram, quæ est inter brachium & manum, a qua ad summum digitum supersunt duo palmi, qui conjuncti prioribus senarium implent, & sesquipedem faciunt, qua dimensione clauditur cubitus. Hic igitur mihi vide, quam pulchra, quam naturali, quamque ordinata serie se consequantur humanorum membrorum longitudines: nam post palmum proxime sequitur palmus cum pollice extenso. quæ mensura est bipalmaris. secundum quam sequitur extensio pollicis ad summum digitum, æqualis axillarum dimensioni trium palmarum, & post hanc pedanea dimensio palmorum quatuor, de qua mox sequitur. Quam naturæ seriem si penitius introspexeris, nunquam desines admirari inexhaustam divinæ sapientiæ abyssum.

Palmipes, mensura est palmo pedeque conflata. sic fit, ut censeatur esse quinque palmorum. Hæc dimensio *pygon* appellari potest. minor est cubito palmo uno, quæ quantitas a flexura cubiti ad mediam juncturam digiti medii, quem impudicum vocant, extenditur. Illud pervium erit experiri volenti, adeo verum est illud, quod a sapiente scribitur: *Omnia consituit dominus in pondere, numero, & mensura.*

Cubitus quatuor & viginti digitorum, seu sesquipes, palmorum sex, a nonnullis *pichus* vocatur. unde sunt qui breves homines appellant *pichim*, id est, cubitales. Pichis enim cubitum significat, & pygon: unde Pygmæi cubitales dicuntur. Hac cubitali mensura Hebræi omnes pene metiuntur omnia, siquidem nulla est apud eos frequentior celebriorve dimensionis nomenclatura. Quoties enim in tota scriptura de re quapiam metienda fit mentio, toties eam cubiti meminisse videbis. Ut enim innumera pene exempla omittamus, audis arcam Noe trecentorum cubitorum longitudine, quinquaginta latitudine, altitudine vero triginta consummatam. Quid quod eadem est fenestræ & cubiti dimensio? Quid memorem Salomonis templum, quo vix in universo orbe fuit præstantius ullum? *Erat autem*, ut scribitur 3. Reg. 3. *longitudinis cubitorum sexaginta, vigintj latitudinis, altitudine autem sua triginta cubitos capiebat.* quid de porticu, quid de fenestris loqui attinet, cum nulla usque citra cubitalem dimensionem architecturæ sit mentio? hunc autem Hebræi *amah* appellant, duplæ quantitatis ad atsiloth, *atsal* aut (ut supra diximus) *axillam* significat

ficat, Gallice *esselle*. Est autem a medio pectore ad braebii curaturam cubitus unus: sic fit, ut cum extensis bracbiis ab uno digito in alium, longitudo sit quatuor cubitorum, quæ quantitas æquat suam cujusque longitudinem, experientia duce, & veterum auctoritate comite, ut omnes simus ad nostrorum cubitorum rationem quadricubitales, & singulorum longitudo sit hexapeda, & hoc singulis ad suorum pedum mensuram relatis. Quod autem de Alexandro poeta quidam cecinit:

Sufficit exciso defossa marmore terra,
Quinque pedum fabricata domus, qua nobile corpus
Exigua requievit humo:

Respexit ille forsan ad geometricam dimensionem. quinque enim pedes geometrici hominis pusillæ staturæ, qualem fuisse Alexandrum auctores tradunt, sex pedanea aut æquare facile possunt, aut superare: cubitum autem Hebræi gomed appellant, qua dictione & palmum etiam significari volunt. Hinc Hieronymus Ezechiel. 27. pro *gomadim Pygmæos* reposuit, quasi dicas *cubitales*. Cubitus vero Sanctuarii, qui verissimus & perfectus ab Ezechiele vocatur cap. quadragesimo tertio, septem palmos habet. sic enim scribitur: *Ista autem mensura altaris in cubito verissimo, qui habebat cubitum & palmum*. Sed & hic cubitus ferme constituitur ex sex palmis majoribus, nisi quod sex palmi majores superant septem minores unius digiti crassitudine. Possumus itaque ponere duplicem cubitum, ad rationem duplicis palmi.

Gradus duorum pedum spatio clauditur.

Gressus sese extendit ad duos pedes & semissem, cubitali siquidem & pedanes longitudine clauditur. Est autem passus dimidium. hunc Hebræi tsead appellant, plurative tsadim, hac dictione incessum & gressum, quinetiam & passum significare volentes. Est enim omnis passus gressus, non simplex, sed geminatus. Psal. 17 *Dilatasti gressus meos subtus me*. Et 36. *Apud deum gressus hominis diriguntur*. Comprehendit itaque gressus pedem & cubitum unum. hunc gressum passum simplicem vocant: qui vero sequitur, passus est geometricus. Passus quinqne pedum longitudine terminatur, communi nomine tsead appellatur 2. Regum 6. *Cumque transcendissent, qui portabant arcam domini, sex passus, immolabant bovem, arietem, & ovem*. Fateor tamen eo loco passum non exacte significare mensuram, quam supra diximus. satis esse visum est, si locum citaremus, quo de passu in scriptura sit mentio. Illud obiter advertendum est, passus Germanicum, Gallicum, & Italicum non esse æquales: ea ratione milliaria Germanica longiora esse Italicis, aut Gallicis: nam milliare Italicum mille passus & octo stadia comprehendit. Germanicum anut milliare duplex est. Quoddam est commune quadruplum ad Italicum, siquidem quater mille passus complectitur, & triginta duo stadia. Aliud vero Germanicum magnum, quod continet quinquies mille passus, stadia vero quadraginta. Galli vero per leucas, viarum interstitia distribuunt.

Leuca antem communi Gallorum descriptione duo milliaria complectitur, quamvis nonnulli velint leucam mille quigentos passus continere, hoc est, milliare cum dimidio. Leuca ergo major sedecim stadia habet, minor vero duodecim. Et ea ratione, cum sexaginta milliaria Italica uni gradui cœli respondeant, seu stadia quadraginta octoginta: sequens est, ut leucæ triginta Gallicæ majores respondeant, quadraginta vero minores. Nam sicut leuca ad milliare sesquialtera, ita sexagenarius numerus ad quadragenarium. Hac etiam ratione quindecim milliaria Germanica uni gradui cœli correspondent, & ea quidem communia, magna vero miliaria Germanica duodecim. Nam sexagenarii ad duodenarium est quincupla proportio, sicut milliaris Germanici magni ad Italicum.

Orgyia, ulna, amplexus, brassa, idem sunt, significantque mensuram hexapedeam, eam scalicet longitudinem, quæ inter brachia manusque extensas contineri potest. Hoc tamen interest inter hexapedam & orgyiam, quod illa fixam habet dimensionem, eam videlicet quæ a Principe statuitur ac designatur, Gallice *une toize*; hæc autem pro singulorum proceritate aut pusillitate major evadit & minor. nam quantus, quantulusve quisque est, tam magna aut parva respondet ulna vel pedis mensura: & quanta est uniuscujusque ulnæ amplexusve quantitas, tanta est sua cujusque longitudo. hinc elicere promptum est, hominem, modo sit in membris debita proportione formatus, suo pedi esse sexcuplum, cubito vero quadruplum, & suæ ulnæ æqualem. Appellatur autem ulna Hebraice *chotsem*, qua dictione ulnam sinumve significari volunt, juxta illud Psalmi: *De quo non implevit manum suam, qui metet, & sinum suum, qui manipulos colliget*. Solet enim manipulus ad eam redigi quantitatem, quæ amplexantis sinum & ulnam implere possit, quemadmodum metentis seu segetes falce resecantis manum implere debet aristarum acervus, Gallice *gerbée*. Crassior iste manipulus *gomor* appellatur ab Hebræis, eo quod grana excussa implere sufficiant mensuram diurnam, seu Hebraicam chœnicem, quam supra gomor esse diximus. Ut autem eo revertamur, unde sumus digressi, quum sua cujusque altitudo, status vel statura hominis appelletur, sequens est staturam & ulnam esse ejusdem quantitatis. de statura vero legitur: *Signi tantum sit fractura, qua nec status, nec statura signati minuitur*. & primi Regum 28. de Saule sic habetur: *Statimque cecidit Saul porrectus in terram*, hoc est, tota sua statura, sive juxta sui corporis extensionem. Et Canticorum septimo: *Statura tua assimilata est palmæ*. Illud occurrit addendum, quod cum ita sit, quod orgyia sive ulna excedat passum in proportione sesquiquinta, & stadium viginti quinque passus capiat seu comprehendat, necesse est orgyias centum justo stadio contineri, quod recte Herodotus tradit.

Perticam seu decempedam longitudinis decem pedum esse, vel ex ipso nomine constat. Hæc decies repetita centum pedes efficit, quæ summa reddit scrupulum unum jugeri, videlicet decem pedes longitudinis, & totidem latitudinis, qui quadrate in se ducti pedum centuriam faciunt. Huic autem decempedæ proxime accedit Hebraica illa, cujus meminit Ezeciel, mensura, quæ alias *calamus mensura* appellatur, hac nota discrepans a *calamo aromatario*, quem nos appellare solemus *canelle*. hanc igitur mensuram Hebræi dicunt *cane*: quo nomine arundinem, calamum, juncumve significant. Cui vocabulo alludunt Narbonenses Galli, quos hodie Provinciales appellamus: mensuram enim vocant *une cane*, quæ est ad ulnam Parisinam pene dupla. Hanc ita describit Ezechiel, ut censeatur esse mensuræ sex cubitorum & palmi. Quid autem sub his verbis lateat, pauci assequuntur. Nam Ezechielis quadragesimo, apud Septuaginta sic habetur: *In manu viri, calamus mensura cubitorum sex, & palmus in in cubito*. Nos autem ita dicimus: *Calamus mensura sex cubitorum, & palmo*: subaudi, *addito singulis cubitis*. non enim dicitur, quod palmus adjungendus sit calamo, sed cubito. & ita docet intelligendum esse Nicolaus de Lyra in libro differentiarum, quo loco ille accipit ulnam

pro

pro cubito, qua tamen ratione id faciat, ipſe viderit. Illud ſatius eſt demonſtrare ex lectione Septuaginta Interpretum, quod menſura ſanctuarii, utpote cubitus, erat major vulgari, palmo uno. Calamus ergo de quo id præſens ſermo eſt, comprehendit cubitos ſex vulgares, & ſex palmos. Ex quibus exurgit menſura decem pedum, & ſemiſſis. Eſt itaque calamus ſanctuarii major quam pertica ſeu decempeda, palmis duobus, ſeu dimidiato pede: & Gallice appellari poteſt *une cane*. Hic ergo calamus duplex, vulgaris ſcilicet, longus eſt novem pedes: totidem enim efficiunt ſex vulgares cubiti, ſeu orgyiam unam cum dimidia, quæ *acerra* Volaterrano dicitur. Alius autem eſt ſanctuarii, qui decempedam dimidiato pede ſuperat. Quum ergo calamus menſuræ ſex cubitos ſanctuarii comprehendat, ſeu ſeptem communes, fit ut mille calami ſanctuarii reddant ſexies mille cubitos majores, & ſepties mille vulgares. Hinc etiam ſequitur, quæ calami bis mille, quæ ſumma aſſignatur pro circuitu templi in quadro, conſtituant duodecim millia cubitorum ſanctuarii, & quatuordecim millia vulgaria. Quod autem Hieronymus aſſignat duodecim millia, trecentos triginta tres cubitos, illud eſt in cauſa, quia calamum ſanctuarii facit ſex cubitorum & palmi, cum tamen palmus iſte non ſit addendus calamo, ſed cubito, uti ſupra late diſſeruimus.

Plethrum menſura centum pedum, quæ ad quadratum reducta, jugeri ſcrupulum facit, ut ſupra diximus. Sunt autem ſcrupula in jugero ducenta quadraginta octo. Poteſt etiam plethrum appellari centuria pedum.

Stadium centum viginti quinque paſſus habet, octava pars milliaris, pedes vero ſeptingentos quinquaginta: hinc apparet liquido, quod cum Joannis capite undecimo Bethania diſtet a Hieroſolymis ſtadiis quindecim, quod inter Hieroſolymam & Bethaniam duo pene milliaria interſint. Rurſum ex Luca: *Emaus, quæ eſt Nicopolis*, & *quæ Calcide appellatur, ſpatio ſtadiorum ſexaginta a Hieruſalem diſtat.* hoc eſt, ſeptem milliaribus cum dimidio. Inſuper ſecundi Machabæorum duodecimo legimus: *Judas apud Jamniam portum cum navibus ſuccendit, ita ut lumen ignis appareret Hieroſolymis a ſtadiis ducentis quadraginta.* unde apparet Hieroſolymam a Jamnitico portu diſtare milliaribus triginta.

Diaulus menſura duorum ſtadiorum, hinc diaulodromi, qui decurſum ſtadium iterum recurrebant, quaſi duo ſtadia curſu abſolviſſent.

Milliare ſeu milliarium, a mille paſſibus deductum eſſe vel ex ipſo conſtat nomine. Continet autem octo ſtadia, cujus terminus lapis appellatur: ut cum dicimus rem aliquam ſexto ab urbe lapide diſtare, intelligi volumus, inter ſingulos lapides milliare comprehendi. Hebræi appellant *Cibrath* Geneſis trigeſimo quinto, ubi ita nos legimus: *Egreſſus, venit ad terram, quæ ducit Euphratem* Nicolaus de Lyra libro differentiarum, citat lectionem juxta Hebræos in hunc modum: *Adhuc erat ſpatium terræ uſque ad introitum Euphratis, quod ſpatium Hebræi cenſetur eſſe milliare.* Hieronymus dicit *vernum tempus*: & ſic dictio Cibrath eſt æquivoca ad vernum tempus, & ſpatium terræ quod eſt milliare. Quod etiam colligitur ex eo, quod habetur quarti Regum quinto de Naaman, pro eo quod legitur: *abiit electo tempore, ſeu verno tempore.* alii ita legunt: *Abiit ab eo per milliare terræ*, ita ut intelligas, quod *Naaman nondum receſſerat ab Heliſæo per milliare terræ, & ecce ſtatim adcurrit ad eum Giezi.* Vide dictionem *Barra*, & dictionem *Cabra*, apud Santem Pagninum. Pellicanus *ſpatium terræ* interpretatur: Thomas de vio reponit *prandium terræ*, hoc eſt, interſtitium itineris a loco decubitus ad diverſorium meridianum, qui eſſet dimidius ſtathmus. Illud tamen videndum eſt, ne forte Hebræi antiquitus uterentur milliari cubitorum. Dico *antiquitus*, quia noſtris temporibus ſe adaptant regionibus & provinciis, quas incolunt. Quod etiam tempore Chriſti fuiſſe conſtat ex Matthæo, apud quem legitur: *Si quis angariaverit te mille paſſus, vade cum eo & alia duo*, ſcilicet *paſſuum millia.* Quod de cubito dixi, illud colligere licet ex eo, quod habetur Numeri trigeſimo quinto: *Suburbana ſint pecoribus & jumentis, quæ a muris civitatem per circuitum mille paſſuum ſpatio tendantur.* Et ſequitur: *Contra orientem duo millia erunt cubiti.* ſed Hebræi legunt *mille cubitos* pro paſſibus. Nam dictio eſt *amah*, quæ *cubitum* ſignificat, quum *paſſum* vocent Hebræi *teshead*, vel *tſoadah.* ita etiam legunt Septuaginta. Quod ſi milliari cubitorum uterentur, cum milliare cubitorum mille quingentos pedes efficiat, ſequens eſt, ut mille quingenti pedes trecentos paſſus reddant. Eſt itaque milliare cubitorum, duorum ſtadiorum ſpatio paſſibus quinquaginta adjectis æquale. Suburbana igitur juxta quantitatem deſcriptam Numeri trigeſimo quinto, mille cubitos latitudinis habebant, hoc eſt, duo ſtadia, paſſus quinquaginta. Erat enim ſemidiameter porrectus a mœnibus civitatis, ad ſuburbanum limitem mille cubitorum, qui ſemediameter geminatus, quadrati ſuburbani coſtam complebat. Suburbana enim ſpeciem quadrati habebant: hujus coſta quaquaverſum erat bis mille cubitorum, & civitas ipſa vicem centri gerebat. Hoc enim eſt quod habetur Numeri trigeſimo quinto: *Præcipe filiis Iſrael, ut dent Levitis de poſſeſſionibus ſuis urbes ad habitandum, & ſuburbana earum per circuitum, ut ipſi in oppidis maneant, & ſuburbana ſint pecoribus ac jumentis: quæ videlicet ſuburbana a muris civitatem forinſecus per circuitum mille paſſuum* (Hebræa vero habet *cubitorum*) *ſpatio tendantur: & hic ſemidiameter mille cubitorum.* & mox ſequitur: *Contra Orientem duo millia erunt cubiti.* hic eſt limes ſive coſta orientalis totius quadrati. Sequitur: *Et contra meridiem ſimiliter erunt duo millia.* & hæc eſt ſecunda coſta quadrati. *Ad mare quoque quod reſpicit ad occidentem, eadem menſura erit*, ſcilicet bis mille cubitorum, quæ eſt tertia coſta quadrati. *Et ſeptentrionalis plaga æquali termino finietur.* Hæc igitur eſt quarta coſta quadrati. Et erit civitas vice centri, per id quod ſubjungitur: *Eruntque urbes in medio.* hæc eſt hujus textus plana intelligentia. Nunc ſupereſt reliqua proſequi.

Dolichos menſura ſtadiorum duodecim, qua ratione continet ſeſquimilliare, hoc eſt, paſſus mille quingentos. Sunt qui hoc ſpatio leucam circumſcribant, cui tamen alii duo milliaria tribuunt: ſunt enim leucæ quibuſdam majores, quibuſdam minores. hinc *dolichodromi* dicebantur, qui hanc leucam curſu abſolviſſent, aut qui ſex decurſis ſtadiis, idem ſpatium recurrendo abſolviſſent.

Paraſanga triginta ſtadia minimo interſtitio complectitur, quem nonnulli 50. ſtadiorum fecerunt: niſi quod Agathias de bello Gothico libro ſecundo, juxta Perſarum arbitrium paraſangam uno & viginti ſtadiis abſolvit, hoc eſt, duobus milliaribus ſupra quinque ſtadia. Prior autem menſura tria milliaria cum ſemiſſe ſtadiiſque duobus complectitur.

Schoenos, ſeu quaſi ita dicas funiculis, duos continet paraſangas: duos dixi, nam virili genere paraſanga utuntur auctores: habet ergo ſtadia ſexaginta. Plinius tamen quinque illi milliaria tribuit, hoc eſt, ſtadia quadraginta. Herodotus vero milliaria ſeptem cum dimidio, ſive ſtadia ſexaginta: quæ eſt diſtantia inter Emaum & Hieruſalem, auctore

ctore divo Luca cap. vigesimo quarto: *Ecce duo ex illis ibant ipsa die in castellum, quod erat in spatio stadiorum sexaginta abs Hierusalem nomine Emaus.* Jacobus autem Zyeglerus Cosmographus terræ sanctæ ichœnon vult esse quatuor milliarium, quantum est milliare Germanicum mediocre. de hac viæ distantia scribit Josephus libro antiquitatum Judaicarum octavo. Funiculum autem Hebræi vocant *chable*, quo nomine Gallicum vulgus appellat nauticos rudentes, funesque crassos & proceriores, oneribus in altum levandis destinatos. hujus meminit Psalmista dicens: *Funes ceciderunt mihi in præclaris.* adde & istud: *Divisit eis terram in funiculo distributionis.*

Stathmos stationem mansionemque significat, spatiumve diætæ unius: ajuntque milliaria octo & viginti comprehendere stathmum, quæ leucas efficerent quatuordecim, justam nimirum ac moderatam peregre proficiscentium dietam. Verum aliæ sunt stationes proficisceutis exercitus, aliæ vero cursorum seu veredariorum: stathmi enim mansionesve castrorum, quas filii Israel perficiebant in deserto, multo minores erant. Hebræi enim iter medium inter mare rubrum montemque Synai septimis castris absolverunt, quod erat milliarium sexaginta, uti a cosmographis observatum est. Quo fit, ut cuique stationi novem fere milliaria responderent, hoc est, quatuor leucæ cum dimidia: nec mirum si tantillum spatii Hebræorum castra uno die perficerent, cum impedimentis, & suppellectilis, & ætatis, & sexus infirmioris abundarent. Cursoribus vero stathmos multo distantiores assignare convenit. Ajunt enim veredarium unius horæ spatio quatuor ferme leucas de more conficere, duabus horis septem aut octo, & die uno sex & quinquaginta. Quod hinc colligunt: nam senatorio edicto, cursoris profectionem ab urbe Parisiensi Romam usque, hoc est, iter trecentarum leucarum, sex dierum metiuntur intervallo: nec potest per verisimilem notitiam efficax diploma obtineri, quod breviori tempore censeatur impetratum. juxta quam limitationem cursoriæ stationes quinquaginta, leucis ab invicem distare censebuntur, verum de his loquimur, quæ moderata ac temperatiori profectione perficiuntur, quas quatuordecim leucarum limites, plus paulo minusve esse diximus. Ex quo dimidiam stationem metiri licebit, quam diximus a nonnullis interpretatam prandium terræ: quasi Hebraice dicas *cibrath aarets.* quod iter perfecisse Giezi a nonnullis creditur, ut a Naaman Syro sanitatis adeptæ impiam reciperet mercedem, quæstum existimans pietatem.

Superest post cavas & intus inanes cubicas mensuras, postque lineales dimensiones de superficialibus, quæ in longum latumque protenduntur, quædam paucis attingere: a jugero, a cujus dimensione pendent reliquæ pene omnes, sumpto exordio.

Juger seu jugerum a diurna *jugalium* boum opera nomen habuisse videtur: hinc diurnale boum nonnulli vocant, Hebraice *manesch* appellatur: quæ dictio modo jugerum, modo sulcum aratro designatum significat, ut in Psalmo: *Super dorsum meum fabricaverunt peccatores, prolongaverunt iniquitatem suam*, seu alias *sulcum*: hoc est, cicatricem ad modum sulci delineatam. Alias jugerum appellatur *tsemed*, plurative *tsemadim*: quæ dictio significat juga boum. Esajæ quinto: *Decem jugera boum facient lagunculam unam.* ubi aream intelligit, quæ decem jugis boum uno die possit arari. Cum ergo nec apud omnes eadem sit terræ conditio, nec boum robur idem & fortitudo, jugeri quantitatem pro qualitate regionum variam esse oportet. Alia enim est jugeri Romani, quam aut Parisini aliarumve regionum quantitas. siquidem auctore Columella, jugerum tot pedes habet quadratos, quot intercluduntur spacio terræ, cujus longitudo sit ducentorum quadraginta pedum, latitudo vero centum viginti. quod si alterum altero multiplicaveris, prodibunt inde pedum viginti octo millia cum octingentis, qui hic pedum numerus, octingenas hexapedas quadratas constituit.

Jugerum autem Parisinum medie temperata dimensione ita definiunt, ut habeat in se pedes quadratos quadraginta octo millia quadringentos, quod jugerum perficitur ex perticarum centuria, modo pertica duos ac viginti pedes longitudine comprehendat: qui numerus in se ductus quadrate, ex se producit quadringentos octoginta quatuor pedaneas mensuras. Hic autem numerus centenario multiplicatus, nihil aliud procreabit quam quadraginta octo millia & octingentos pedes, quam diximus esse mensuram jugeri nostri medie temperati, ut præclare & eleganter docet Budæus in asse. Alia est apud Anglos jugeri metiendi ratio, auctore Polydoro Virgilio in historia Anglica. Jugerum illi appellant *acre*, quo etiam nomine utuntur nostri Abrincates, apud quos jugerum in quatuor partes dividitur, quas virgatas appellant. Habet autem jugerum Anglica dimensione, perticas quadraginta in longum, quatuor vero latum. Est autem pertica sexdecim pedum: quo fit, ut jugerum sit latum pedibus sexaginta quatuor, longum vero sexcentis quadraginta: quod si alterum numerum altero auxeris seu multiplicaveris, evadent pedes quadrati quadragesies mille nongenti sexaginta. Hæc est, Anglicani jugeri exacta dimensio.

Jugerum Abrincatense non longe abest a Parisino: siquidem in se continet pedes quadratos quadragies octies mille sexcentos, quandoquidem apud eos acra seu jugerum quatuor virgatas comprehendit. virgata autem habet quadraginta quinque perticas, qui numerus in se multiplicatus, reddit perticas quadratas bis mille viginti quinque: pertica vero pedes habet quatuor & viginti. quo numero si perticas quadratas multiplicaveris, prodibit numerus, quem diximus pedum quadraginta octo millium sexcentorum. Ajunt in uberiori solo, acræ attribui tantum quadraginta perticas, quinque superadditis: cum area aridior est & infoelicior (*terram mortuam* appellant) aliam vero vivam. Quocirca ex virgata quinque, ex jugero vero viginti perticæ adimendæ forent: hoc est, pedes quadrati quadringenti, octuaginta remanentibus pro minore mensura pedaneis octo & quadraginta millibus centumque & viginti.

Actus maximus quadratus medietas est jugeri, qui undique in quadrum clauditur pedibus centum viginti. Hic autem numerus in se ductus perficit quatuor decim millia quadringentos pedes, quæ est vera medietas pedum jugeri: jugerum ergo habet duos actus magnos.

Porca apud Columellam longissima dimensione centum viginti pedes habet, latitudine vero triginta: qui numerus ductus in alterum, profert pedes quadratos ter mille sexcentos. Est ergo porca octava pars jugeri, & quarta pars actus.

Uncia jugeri duodecima pars, comprehendit pedanea bis mille quadraginta, quæ aucta duodecies pedum jugeri numerum æquant.

Semuncia jugeri vigesima quarta, unciæ vero medietas pedes comprehendit mille ducentos.

Scrupulum denis pedibus omnifariam clauditur. Cum ergo decies decem centenarium reddant, necesse est quadratura decempedæ scrupulum unum perfici. Est ergo scrupulum duodecima pars semunciæ, unciæ vero vicesima quarta, jugeri vero

pars

pars quadragesima octava: nam jugerum continet duos actus, uncias duodecim, semuncias viginti quatuor, scrupula autem octo & quadraginta, porcas vero octo continet. Ex hac igitur porcæ quantitate designata, quam jugeri octavam partem appellamus, via sese nobis aperit ad deprehendendam aratiunculæ dimensionem, quæ est tantum terræ intervallum, quantum satum sementis implere & occupare possit. Duas enim aratiunculas spatium terræ, duorum satorum sementis Hebræi vocant. 3. Reg. 11. legitur quod *Helias fecit aquaductum quasi per duas aratiunculas in circuitu altaris.* Quid autem aratiuncula illa significet, tam a paucis invenitur, quam quæritur a multis. Eam autem dimensionem, tametsi non exacte, non longe tamen a scopo recedentes, attingemus: si primum id quod experimento deprehenditur, quodque ex veterum auctoritate Audæus collegit, in confesso habebimus, quod jugero Romano serendo medimni mensura sufficiat. Medimnum ad præsens voco mensuram sex modiorum seu bossellorum capacem: cujus capacitatis est medimnus Parisinus, non autem Atticus, ut suo loco probatum est. Id quod dicimus, experimento deprehendi potest. Nam arpennum Parisinum sesquimedimno novem modiorum seu bossellorum de integro seritur. Est autem arpennum ad jugerum Romanum ferme sequialterum.

Illud præterea in confessu habeatur, quod in sato probatum est, satum tertiam partem ephi continere, quartarios quatuor cum semisextariolo, & scriptulis duobus. Bossellum vero, ut eodem quoque loco diximus, sex quartarios comprehendit, qua ratione bossellus ad satum est ferme sesquialter. Quum igitur sex bosselli triginta sex sextarios capiant (nam sexies sex sunt triginta sex) & hujus numeri octava pars ex quatuor quartariis & semisse consistat, siquidem octies quatuor sunt triginta duo, & octo semisses quatuor pariunt quartarios, qui prioribus conjuncti, triginta sex quartarios complent: hinc aperte sequitur, satum ferme esse octavam partem ejus medimni. *ferme* dixi; nam octava ejus pars superat satum heminis ferme tribus seu semisextariolis: quo excremento neglecto, faciamus satum esse hujus medimni octavam partem. Jam illud constat etiam apertissime, quod si jugero serendo sufficit medimnus, octavam quoque partem medimni, satum implere poterit. Octavam etiam jugeri partem porcam esse probavimus. Est igitur porca ea terræ dimensio, cui serendæ satum sufficere possit, excepto tamen eo, quod nuper ex composito & levandi oneris gratia negligendum esse diximus. Sunt igitur hæ duæ aratiunculæ seu areæ duorum satorum capaces, duæ porcæ, quæ quartam jugeri, septies mille ducentos pedes quadratos continent, quod ex porcæ geminatæ calculo deprehendere promptum est. Et hinc etiam nobis alia via apparet, ad id quod asseruimus probandum. nam Lyranus libro differentiarum, ex Hebræorum sententia, ait spatium illud terræ ab Helia circumscriptum fuisse æquale atrio tabernaculi. Cujus areæ circuitus Exodi vigesimo septimo describitur, centum cubitorum longitudinis, latitudinis vero quinquaginta: quod si longitudinem latitudine auxeris, protinus emergent cubitorum quinque millia. Cum autem cubitus sit ad pedaneam mensuram sesquialter nihil aliud quam pedanea septem millia quingenta ex cubitis poteris elicere. At ex præcedente calculo docuimus aratiunculas duas, seu terram duobus satis seminabilem, constare pedibus quadratis septies mille ducentis. Hinc facile est deprehendere non longe nos abesse a scopo. non enim constat, quod Helias æqualem per omnia modum servaverit cum atrii holocausti dimensione. Si quis certiora proferet, amplectar. Interim ea quæ diximus, vicem subeant conjecturæ.

Hyda mensura terræ apud Anglos, auctore Polydoro Urbinate in historia Anglicana, viginti jugera Anglicana comprehendens, nomen sortita a corio bubulo: quod in tenuissimas laminas sectum hydæ quantitatem circumscribere posse videatur. Quod si verum est, longe abesset hyda a viginti jugerum dimensione. Verum nihil prohibet eam dictionem ab una significatione in aliam fuisse translatam, uti de centuria postea dicturi sumus. Verum auctorem habeo Henricum Archidiaconum Hintendunensem, qui asseverat hydam tot in se capere jugera, quot uni aratro annuo cultu sufficere possent. Quod si verum est, idem foret hyda apud Anglos, quod mansum apud jureconsultos: cujus significatio mox aperienda est.

Mansum nonnulli terram esse asseverant culturæ annuæ unius aratri capacem. Alii volunt tantum agri continere, quantum uni familiæ rusticanæ alendæ toto anno sufficere possit. Ex quo intelligi potest mansum ecclesiasticum ad eam agri quantitatem extendi, quæ suæ ecclesiæ ministris alimenta suppeditare possit.

Mansum autem tam legum quam canonum auctoritate, ab omni tributo immunem & liberum esse oportet. Qua de re scriptum legitur in cap. *Sancitum.* 23. quæstione 8. ubi ita legitur: *Sancitum est, ut unicuique ecclesiæ unus mansus integer absque ullo servitio attribuatur: & presbyteri in eis constituti, non de decimis, neque de oblationibus fidelium, neque de domibus, atriis vel hortis juxta ecclesiam positis, neque de præscripto manso aliquod servitium faciant præter ecclesiasticum.* Hoc caput tametsi *palea* inscriptionem subeat, versum tamen est in granum, in capitulo primo de censibus & exactionibus: quo loco eadem verba ex Concilio apud Vormatiam traducta repetuntur. Illud superest æstimare, quantum agriculturæ annuæ unius aratri sufficere possit. Tametsi enim jugerum diurna cultura perficiat, sunt tamen in anno plurimi ab omni labore immunes. Videndum ergo quousque progrediendum sit in mansi unius designanda quantitate. Jam autem diximus, Anglicana æstimatione mansum viginti jugerum dimensione circunscribi. Nostri tamen Abrincates ajunt mansi genus (quod *manerium* passim appellitant) tantum esse agri, quantum alendæ familiæ rusticæ decuriatæ, seu ex capitibus decem constitutæ sufficere possit: & eam agri aream quindecim acris seu arpentis Nortmanicis circunscribunt. Porro iidem ipsi ingenue profitentur plus agricultura annua (ademptis etiam & exclusis feriarum aliorumque impedimentorum ociis) coli & arari posse. Siquidem huic annuæ operæ acrarum viginti spatium tribuunt. Est igitur mansum duplex, culturæ scilicet annuæ viginti ferme acras continens. Aliud vero est mansum seu manerium familiæ rusticanæ (ut sic dicam) decuriatæ: & illud quindecim ferme acris terræ circunscribitur.

Ut novissima, ita & maxima omnium hujus generis mensurarum est centuria: quæ ex nominis ratione centum jugera, ex usu vero auctorum ducenta recipit. Hæc ergo duplicata prisimum nomen obtinet.

Uni trinoque numini innumera
Laudum centuria, cui gloria,
Supra omnem rerum ac temporum,
Et universi cogitatus mensuram.

TOMVS PRIMVS.

REi nummariæ penetralia ſcrutaturis, operæ precium eſt notiora quædam præfari: quæ ut certiſſima eſſe oportet, ita obſcurioribus rei, quæ ſupereſt tractanda, latebris, incredibilem lucem allatura facile lector agnoſcet. Erit igitur iſtum primum præfatum:

Pondera medica ita ſe habent apud Græcos:

Mina Attica, unciarum ſedecim.

Libra, unciarum duodecim.

Uncia, drachmarum octo.

Drachma, ſcriptula tria pendet, ſeu grana 72.

Scriptulum obolos duos, ſeu grana 24.

Obolus ſemiobolos duos, ſeu grana 12.

Semiobolus ſiliquam unam cum dimidia, grana vero ſex.

Siliqua grana quatuor.

Sed hæc ad rem nummariam non omnino pertinent.

Pondera Attica in re nummaria ita ſe habent:

Talentum minus Atticis uſu frequens, minas ſexaginta comprehendit.

Mina ſeu mna drachmas centum habet.

Drachma, quæ & olce, obolos ſex, ſcriptula tria.

Obolus ſemiobolos duos.

Semiobolus tres chalcos, ſeu æreola tria.

Chalcus minutias ſeptem, ſeu lepta, quæ inſecta remanent.

Et hæc non ſolum pondus, imo etiam numiſma, vel rei nummariæ ſummam aliquam ſignificant: ſicut libra Gallica nummaria viginti ſolidorum eſt.

Porro talentum duplex fuit Atticum; majus & minus. eſt enim majus talentum octoginta minarum, minus vero ſexaginta.

Duplex etiam mina recenſetur ab auctoribus, una Solonis centum drachmarum, alia vero vetus drachmarum quinque & ſeptuaginta, ut ſit major ad minorem ſeſquitertia: ſicut talentum majus, id quod minus eſt, tertia parte ſuperat.

In ponderibus Romanis hæc eſt partitio.

Centupondium, quod eſt centum librarum, poteſt dici talentum Romanum, tametſi Romanis peregrinum ſit, nec ſatis uſu ab eis receptum aut cognitum.

Libra ſive pondo duodecim unciarum, drachmarum nonaginta ſex: ſiquidem duodenarius octies reſumptus, hunc numerum reddit. Quæ in ſuas partes dividi poteſt, ſicut as, in ſextantes, quadrantes & trientes, tandemque reſolvi in uncias duodecim; unciæ enim unciæ addita ſextantem reddit, ſextanti adjuncta quadrantem, quadranti vero trientem, trienti quincuncem, quincunci ſemiſſem, ſemiſſi ſeptuncem, ſeptunci beſſem, beſſi dodrantem, dodranti dextantem, dextanti deuncem, deunci adnumerata uncia aſſem conſtituit libræ unius. Ab unitate autem uncia nomen habet. Præter hanc partitionem, libra dividitur in duodecim uncias.

Uncia octo drachmas habet, denarios vero ſeptem. Denarius duos victoriatos, ſeu quinarios pendit: qui nummus a ſigno Victoriæ appellationem ſortitur, nos vero quinarium *albulum* appellamus.

Denarius dividitur in ſex ſextantes, ſicut drachma apud Græcos in ſex obolos. Denarius autem hac ratione major eſt drachma in ſeptima parte, ita ut ſeptem denarii octo drachmas conſtituant. Alias dividitur uncia in ſemuncias duas, duellas tres; (eſt autem duella gemina ſextula) ſiciliquos quatuor (eſt ergo ſiciliquus quadrans unciæ, & duella triens) ſextulas ſex, denarios ſeptem, victoriatos quatuordecim, ſcriptula viginti quatuor.

Horum omnium ſi forte quis probationem requirat, conſulat Georgium Agricolam, quarto & quinto libro de ponderibus.

Aliud Præfatum.

In minæ Atticæ conſtitutione, tanquam in capitali totius ſtructuræ columna, tota dicendorum moles recumbit: qua diruta, ruit quod ædificatum eſt. Ea vero ſtabilita, quæ inde ſequuntur, ejus ponderibus innixa ſubſiſtunt. Mina igitur Attica argenti, centum drachmarum eſt, ex prædictis. Cujus valor eſt librarum ſeu francorum decem & ſeptem cum ſemiſſe. Porro hujus ſummæ centeſima pars, quæ in drachma comprehenditur, noſtro ære continet ſolidos tres cum ſex denariolis. Hujus probationem ſi quis forte requirat, illud intelligat oportet, quod auri argentique æſtimatio, partim a publicis negotiis, partim a materiæ inopia & jejunitate, potiſſimumque a legiſlatorum placitis dependet. Non enim a natura ſcaturit aureæ argenteæque monetæ precium, verum a principum nutu & auctoritate ſuam ſortitur æſtimationem. Siquidem libram octonariam, quam marcam appellamus, a paucis ante annis, cum decem libris turonenſibus æſtimaretur, vidimus fuiſſe auctam ad precium quindecim librarum, paulo plus minuſve. Quocirca neceſſe eſt deligere unam aliquam juſtam legitimamque indicaturam, quæ nec ſumma ſit, nec infima, a qua tanquam a fonte totius calculi ſeries defluat. Definienda eſt igitur libræ octonariæ (quam marcam diximus) æſtimatio, ad numerum librarum turonicarum undecim, & quatuor ſolidorum. Solidos quidem appello nummos duodenarios. Qua ratione ſequitur libram argenti duodenariam valere francicos ſedecim, cum totidem ſolidis: minam vero centum drachmarum, decem ſcutis coronatis, ſeu libris turonicis decem & ſeptem cum ſemiſſe. Hæc omnia in libra probantur. Sed & rationem inire volenti, notiſſima evadent. Si enim a centenaria libra decem coronatorum ſemunciam abſtraxeris, habebis duodenariam, & ejus valorem. Rurſus ſi a duodenaria quadrantem abſtuleris, prodibit octonaria, quam marcam eſſe diximus. Ex hinc manifeſte ſequitur, quod cum drachma ſit centeſima minæ Atticæ, quæ decem ſcutis coronatis æſtimata eſt, cujus decima pars eſt ſcutum coronatum, triginta quinque ſolidorum: decima autem decimæ eſt centeſima: jam ſi de triginta decimam accipias, habebis tres ſolidos turonicos. Rurſum ſi a quinque ſolidis decimam abſtrahas, nihil hinc elicies, niſi ſex denariolos, ſolidi ſemiſſem. quo apertiſſime fit, drachmam quæ eſt centeſima minæ Atticæ, valere hac noſtra æſtimatione tres ſolidos cum ſemiſſe. & in hoc tota dicendorum moles recumbit. Jam nihil ſupereſt, niſi ad reliqua pergere.

Aliud Præfatum.

Ex his quæ dicta ſunt, conſtat denarium eſſe drachma majorem ſeptima parte drachmæ. Nam ſeptem denarii Romani octo drachmas perficiunt. Sic fit, ut mina Attica, quæ centum perficitur drachmis, hoc eſt, duodecim unciis cum ſemiſſe, octoginta ſeptem denarios Romanos, & ſemiſſem denarii comprehendat. Nam octies duodecim reddunt nonaginta ſex: cui numero ſemuncia addita, quatuor videlicet drachmis, centum drachmæ emergunt.

gunt. At vero septies duodecim reddunt octoginta quatuor: quibus addita semuncia ad denarios reducta, proveniunt octoginta septem denarii Romani cum semisse. Hoc manifeste declarat vera calculi ratio. Et hinc sequitur, quod septem denatii Romani octo drachmas reddunt.

Porro octo drachmæ nostro ære valent octo & viginti solidos turonenses. Nam drachma tribus solidis cum semisse æstimanda est, qui octies repetiti hanc sommam perficiunt. Quod si in septem denarios Romanos partiaris, habebis pro denario Romano, seu septima parte ejus numeri, quatuor solidos turonenses. Superat igitur æstimatio denarii valorem drachmæ in semisse duodenarii nummi, hoc est, sex denariolis.

Aliud Præfatum.

Denarius decem asses habebat, unde denarii nomen promeruit, hoc est, decem æris pondo. Et hoc ante edictum Papyrianum, quo tempore as & libra transiit ad septuncem & semuncialem. Sic factum est, ait Plinius, ut denarius qui denis permutabatur assibus, sedecim permutaretur, victoriatus octonis, sestertius vero quaternis. Sicque de semisestertio factus est quadrussis: quæ omnia in asse probantur. As igitur est pars decima quatuor solidorum turonensium: quam perficiunt quatuor denarioli, obolus unus, una pita, quæ est semis oboli, cum quinta parte unius pitæ. hæc patent rationem inire volenti.

Huic indicaturæ proxime accedit narratio Plutarchi, referentis Camillum quindecim millibus assium fuisse mulctatum: qui numerus (inquit) mille ac quingentas drachmas constituit. Sic autem fit, ut quinque assium millia quingentis drachmis respondeant, hoc est, quinquaginta coronatis. Qua etiam ratione mille asses decem coronata æquabunt, seu minam Atticam argenti: & centum asses coronati unius valorem constituent. Asses itaque quinque & viginti, octo solidos, novem denariolos valore æquabunt. Quinque asses valent carolenos duos, uno adjecto denariolo. Assis itaque unius valor assurgit ad denariolos quatuor cum quinta parte unius denarioli. Et hoc tantillum precium si emas, quod non opus est, juxta Senecam, carum est.

Aliud Præfatum.

As iste denarii partiendus est in uncias duodecim, aliasque partes ex uncia multiplicata constitutas. Semis hujus assis, ut facile videre est, valet duos denariolos, pitam cum semisse, & decimam unius pitæ. Hujus semissis medietas tres uncias capit, assisque quadrans non immerito nuncupatur: qui, ut ex partitione semissis liquet, valet denariolum, semissem unius pitæ cum quarta ejusdem. Hæc est enim semissis hujus assis medietas. A qua quidem extrahenda est tertia pars, quæ est totius assis uncia, cujus æstimatio hoc calculo comprehenditur: ut sit unius pitæ cum semisse, & tertia parte unius quartæ, adjecta etiam tertia parte unius vigesimæ pitæ. Porro tertia pars unius quartæ, est duodecima: & tertia vigesimæ, est sexagesima; quæ quidem uncia duplicata, sextantem reddit, hoc est, pitas tres, duas tertias unius quartæ pitæ, cum duabus tertiis unius vigesimæ. Hic sextans duplicatus trientem quatuor unciarum perficit, valoris unius denarioli, cum obolo una quarta pitæ, & tertia quartæ ejusdem, & una vigesima pitæ, & tertia vigesimæ ejusdem. Hic triens duplicatus bessem continet, hoc est, uncias octo: cujus æstimatio nostro ære est tres denarioli, semis unius pitæ, duæ tertiæ, quartæ partis ejusdem cum decima unius pitæ, & duabus tertiis vigesimæ ejusdem.

Ex his reliquas assis partes, earumque valorem colligere facile est. Nam uncia bessi adjuncta, dodrantem perficiet, & sextans cum besse dextantem. Uncia vero cum dextante constituet deuncem: sic semis & uncia septuncem: triens unciæ conjunctus quincuncem reddet. Quæ omnia ex his quæ dicta sunt, levi manu colliguntur. Hæc ita præfari oportuit, ut ea quæ de denario & drachma, eorumque partibus dicenda sunt, ineluctabili quadam demonstratione probentur, ut jam non sit opus ad pugnantes inter se auctorum sententias recurrere. Quomodo enim cum veritate convenient, qui inter se dissident? Nec jam referet, umbra conjecturarum suam sulcire sententiam, quando in luce clarescent omnia. De asse igitur denarii, de obolo tam Græco quam Hebraico, de drachma Attica, deque denario Romano & solido: de siclo, libra, mina, & talento, eorumque partibus, ex his quæ dicta sunt, facile fuerit definire.

Aliud de siliqua præfatum.

Siliqua ex his, quæ in prima parte dicta sunt, grana quatuor habet: cum semiobolus siliquam unam cum dimidia, grana vero sex comprehendat. Quo fit, ut obolus unus siliquas tres capiat, duo oboli scriptulum reddant, tria scriptula drachmam. Drachma igitur continet sex obolos, duodecim semiobolos & siliquas octodecim: cum semiobolus ad siliquam sit sesquialter, sicut ad duodecim, octodecim. Nunc autem constat drachmam auri valere quadraginta duos solidos: cujus summa pars decima octava, est duorum solidorum turonensium, cum quatuor denariolis. Nam dodrans quatuor solidos cum octo denariolis continet. Hæc eadem siliqua est 24 para solidi sextularis: id quod recte annotavit Andreas Alciatus de verb. signification. in l. *Frugem.* in verbō *Siliqua.* Et hinc plane colligitur intelligentia ejus quod habetur in l. *Sed hodie.* de Episcopis & Cleric. C. & in §. *Sportularum.* in authent. de Sanctiss. Episcopis, collat. IX. Sic enim habetur: *Sportularum nomine ab ecclesiasticis personis pro quacunque causa non amplius quam quatuor siliquas recipere licet, tam in urbe quam in provinciis. Si tamen executor in aliam provinciam ad judicem vel patriarcham missus admonitionem offerat, unum duntaxat solidum accipiat, non quidem a singulis, sed ab omnibus simul, quos causa respicit.* Hac ratione siliquæ quatuor valent novem solidos cum quatuor denariolis: tres vero siliquæ, de quibus in authent. de usuris nauticis in l. *Nauticum.* valent septem solidos turonicos. Non igitur est siliqua quarta pars unciæ, sed siciliquus. Qua in re hallucinatus est Codicis interpres, pro *siliqua siciliquum* accipiens. Prius autem dabantur duo solidi ab Ecclesiasticis: quæ summa longe gravior est ista, tametsi humanior ad priscorum temporum rationem judicetur in l. *Cum clericis.* C. de Episcop. & Cleric. Illud autem semper menti infigendum est, quod cum de solidis agitur, habenda est temporum ratio. Nam ante tempora Justiniani didrachmales erant solidi, postea vero sextulares tantum.

Eadem opera deprehendes, quidnam sibi velit Cuspinianus in Nicephoro, Imperatore Constantinopolitano, cujus inexplebilem avaritiam taxans sic ait: *Non destitit alia super alia excogitando in jacturam subditorum, quin sua avaritia inserviret. Pauperes militare coegit, ita tamen ut ditiores arma subministrarent, & tributa: qua ipse vocabat* εἰς ἀλλήλους τροφήν, *id est, mutuam nutricationem. Insuper & quæstores instituit, per quos vectigalia augerentur:*

quique supra chartiaticum, id est, ad quod jam scriptum erat & taxatum', peterent in unoquoque numismate duo ceratia, id est, duas siliquas. Hæc ille. Jam constat numisma fuisse aureum sextularem, cui hodie correspondet geniatus nummus pendens denarios quatuor, quique sexies repetitus unciam implet: pluris tamen hodie æstimatus quam priscis temporibus, cum scilicet aureus Justiniani quinquaginta sex solidis turonicis nec amplius æstimaretur. Nunc autem assurgit ad sexaginta septem solidorum cum semisse æstimationem, urgente auri penuria, aut certe hominum avaritia. Hac igitur ratione præter morem solitum exigebat Nicephorus in singulos nummos aureos siliquas duas: hoc est, solidos quatuor cum octo denariolis: cum tamen hoc anno 1541. excreverit pristinum vectigal ad solidos quatuor cum semisse in libras singulas, hoc est, ferme ad quadrantem supra onus solitum onere plusquam triplicato, ratione habita ad indictum tempore Nicephori excrementum.

Auctio de siliqua & solido ex Cassiodoro. Invenio tamen aliam solidi aurei indicaturam ex Cassiodoro lib. Variarum primo, ex edicto Theodorici Gotthorum Regis, qui in epistola ad Boetium ad hunc scripsit modum: *Sex millia denariorum solidum esse voluerunt: ut radiantis metalli formata rotunditas, ætatem mundi quasi sol aureus convenienter includeret.* Pendebat autem unciam: quæ duodecies resumpta, libram implet, ad duodecim mensium numerum: designabatur autem pro stipendio menstruo, Sic fit, ut hebdomadario stipendio nostro ære responderent sex libellæ numerariæ turonicæ. Comprehendebat enim sex nummos Justiniani sextulares, aut quatuor Alexandri Mamææ didrachmales: qui prope accedunt ad nobiles rosatos Anglicanos: Et quia Cassiodorus eo loci jus exigendi siliquatici frequenter habet in ore, hujus solidi siliquam facile erit indicare. Est enim quarta & vigesima portio, hoc est, libra una turonica, adjectis undecim denariolis. Dicebantur autem *siliquatores*, qui exigebant: qui vero obnoxii erant huic debito, *siliquatici*.

Præfatum aliud ex placitis trapezitarum seu monetariorum.

Minutum minutissimum, vigesima quarta pars minutuli.

Minutulum vigesima quarta carrubæ.

Carruba vigesima quarta grani.

Granum quarta pars siliquæ seu ceratii, decima quarta pars oboli, vigesima octava sterlini, vigesima quarta denarii, septuagesima secundi grossi seu crassi ponderis. Ex quo apparet inferiora pondera minuta vocari, quædam autem minutiora, alia vero minutula. Granum itaque est centesima septuagesima sexta pars unciæ, si per denarios viginti quatuor numerum colligas. Alioqui si per sterlinos numeres, erit quingentesima sexagesima pars unciæ: marcæ autem seu libræ octonariæ, quater millesima quadringentesima octogesima.

Semiobolus, quem nonnulli *felinum* vocant, septem grana continet.

Obolus ponderalis (nam de monetario alias dictum est) quatuordecim grana comprehendit. Qua in re dissident a præscripto veterum trapezitæ: cum illi obolum duodecim granorum constituant, isti vero quatuordecim. Estque obolus sterlini medietas.

Denarius ponderalis viginti quatuor grana habet, hoc est, obolum & grana decem.

Sterlinus, seu, si mavis, sterlingus, duos obolos, grana viginti octo, seu denarium cum granis quatuor. Est nihilominus alia quædam sterlingorum observatio, priscæ Romanorum constitutioni magis quadrans, ut Tonstallus in sua Arithmetica docet: qui ait grossum sterlingum veterem, pondere & indicatura denarium æquare Romanum. Atqui denarius Romanus, ut suo docetur loco, drachmam valore superat sex denariolis: ut qui quatuor solidis, quos duodenarios appellamus, æstimetur. Qua ratione semigrossus sterlingus duobus solidis æstimandus erit, qui quinario seu victoriato Romano respondet. Quo fit, ut sestertius Romanus, qui est, denarii quadrans, idem sit quod apud nos duodenarius nummus. Cui sestertio respondet priscus denarius sterlingus. Libram vero sterlingam censuit Tonstallus æquare selibram Romanam. Cæterum sestertium neutro genere, eodem auctore, valet quinque libras sterlingas: non tamen, ut idem censuit, viginti quinque aureos coronatos, sed potius bilibres solatos. Hujus demonstrationem habes in denario. Nam sestertium valet quinquaginta libras turonenses. Libra itaque sterlinga, prisca æstimatione æstimanda erit decem libris turonicis. Et hoc de prisca observatione dictum sit. Nunc trapezitarum ordinem sequamur institutum.

Grossus a crassitie ponderis nomen habens (ut intelligas priora appellari minuta pondera) tres denarios complectitur seu sterlinos duos, & obolum unum seu grana duo & septuaginta.

Tertia unciæ pars, caracta dicitur apud trapezitas, quæ est vigesima quarta pars marcæ. Continet autem octo denarios.

Uncia pendet caractas tres, (Gallice *carats*) grossos octo, denarios viginti quatuor, sterlinos viginti: suo pondere complet, obolos quadraginta, grana quingenta sexaginta. Qua in re animadversione opus est. Nam viginti quatuor denarii superant sterlinos viginti in sedecim granis. Quocirca calculi granorum ex sterlinis & denariis non exacte respondent. De hoc viderint trapezitæ.

Marca seu libra octonaria, grossos quatuor & sexaginta habet, sterlinos centum sexaginta, denarios vero ponderales centum nonaginta duos, obolos trecentos viginti, grana autem quater mille quadringenta octoginta, si tamen per sterlinos obolosve calculum deducas: secus autem si per denarios. Sic fit, ut ista pondera, quæ sequuntur, vicenario quaternario se mutuo excedant. Nam uncia quatuor & viginti denarios habet: denarius viginti quatuor grana: granum viginti quatuor carrubas: carruba viginti quatuor minuta: minutum viginti quatuor minutula.

Ex his, quæ dicta sunt, apparet ceratium trifariam accipi. Capitur enim pro siligua, quæ est quatuor granorum, significatu apud veteres receptissimo. Deinde sumitur affinitate quadam vocabuli pro caracta, Gallice *carat*: ut est vigesima quarta pars libræ octonariæ. Novissime autem accipitur pro indicatura auri seu notæ æstimationis & valoris. Nam auri summus valor, viginti quatuor caractas habere dicitur. Et sicut philosophi qualitates primas octo gradibus partiuntur, ut summus calor octo graduum esse dicatur: sic trapezitæ summam auri æstimationem in viginti quatuor caractis constituunt.

Ceratium igitur pro indicatura quandoque sumitur ad notam valoris auri relatum, ut sit summus auri valor ceratiorum, quæ caractæ dici possunt, viginti quatuor. Quam indicaturam tenent nummi, quos regales dicunt, itemque franci pedestres & equites, & quos dicunt salutios, Gallice *saluts*. Nummularii vero ab hujusmodi indicatura quartam partem caractæ eximunt: quam, puto, in impensas necessarias rejiciunt.

Secunda

Secunda auri nota est ad viginti tria ceratia cum semisse: quam indicaturam subit nobilis, qui dicitur ad rosam, veterumque scutorum & ducatorum nummi, quos Gallice appellamus *rides*.

Regales autem nummi, aut novelli ducati papales seu de camera, tertiam notam habent caractarum scilices viginti trium.

Quartam indicaturæ locum recipiunt nummi, quos leoninos dicunt, ceratia scilicet duo & viginti, cum tribus quartis ceratii.

Quinto loco succedunt ducati bicipites nummi, quos scutinos dicunt. Sunt quoque Gaudenses aurei habentes sui valoris notam duorum & viginti ceratiorum.

Sexto se offerunt aurei nummi Rhenenses, veteris ac proinde purioris materiæ, decem & novem ceratiorum.

Novi autem Rhenenses nummi, & qui signantur ad crucem divi Andreæ, & quos *Guillelmines* vocant, notam subeunt ceratiorum octodecim.

Qui vero Trajectenses nummi appellantur, Gallice *mailles au trecq*, veteri materia conflati, sedecim ceratiorum indicatura æstimantur.

Qui vero recenter conflati sunt, crucemque habent insignia intersecantem, aut divi Joannis subeunt imaginem, quindecim tantum æstimantur ceratiis.

Minoris notæ sunt aurei nummi, quos appellant *mailles au chat*, nempe tredecim ceratiorum.

Aurei vero canini, vulgo appellati *mailles au chien*, undecim habent ceratia cum tribus octavis.

Novissime aurei Hornenses, quos appellant *mailles de Horne*, notam titulumque valoris sumunt a ceratiis seu caractis decem, una cum tribus octavis.

Ex quibus differentiis facile erit, servata ratione, suum cuique assignare valorem.

Ex his ponderum definitionibus præclara poterunt elici theormata. Primum:

Ex marca libra octonaria auri argentive, quocumque valore designato, unciæ æstimationem reperire.

ID facile fiet, si juxta librarum Turonicarum numerum, quibus massa illa æstimatur, toties duos solidos cum semisse numeraveris. seu, si mavis, pro singulis solidis singulos denarios cum semisse uno acervo collegeris. Hujus rei hoc tibi exemplum esto. Si marca argenti æstimetur libris septem turonicis, uncia valebit septendecim solidis cum semisse, quot sunt solidi. Itemque toties reperiuntur geminati solidi cum semisse, quot libræ numerantur.

THEOREMA SECUNDUM.

Arte non dissimili ex quavis æstimatione marcæ auri aut argenti, denarii ponderalis valorem elicere.

HOc autem fiet, si pro singulis libris turonicis, quæ totius massæ æstimationem implent, denariolum nummum cum quarta ejusdem parte coadunaveris. Ut si marca argenti octo libris turonicis æstimabitur, denarius ponderalis valebit decem denarios usuales.

Idem de ceratio seu caracta auri argentive repperire.

ID facile assequeris, si pro singulis libris turonicis, quibus marca æstimatur, toties decem denariolos aggregaveris. Ut si marca auri æstimaretur libris turonicis sex & septuaginta: ponderale ceratium valebit sexaginta tribus solidis cum quatuor denariolis. Hunc enim valorem implent septuaginta sex carolei nummi.

THEOREMA TERTIUM.

Non longe dissimili opera, sterlini æstimationem ex marca quocunque pretio æstimata colligere.

HOc fiet, si juxta librarum turonicarum numerum, denariolum unom cum semisse in unam redegeris summam. Ut si marca æstimabitur duodecim libris turonicis, sterlinus valebit octodecim denariolos.

Observatio nummaria de analogia solidorum denarios turonenses usque ad chiliadem.

1. ſ.	12. d.	9. ſ.	108. d
1. ſ. 6. d.	18. d.	9. ſ. 6. d.	114. d.
2. ſ.	24. d.	10. ſ.	120. d.
2. ſ. 6. d.	30. d.	20. ſ.	240. d.
3. ſ.	36. d.	30. ſ.	360. d.
3. ſ. 6. d.	42. d	40. ſ.	480. d.
4. ſ.	48. d.	50. ſ.	600. d.
4. ſ. 6. d.	54. d	60. ſ.	720. d.
5. ſ.	60. d.	70. ſ.	840. d.
5. ſ. 6. d.	66 d.	80. ſ.	960. d.
6. ſ.	72. d.	90. ſ.	1080. d.
6. ſ. 6. d.	78. d.	100. ſ.	1200. d.
7. ſ.	84. d.	200. ſ.	2400. d.
7. ſ. 6. d.	90. d.	400 ſ.	4800. d.
8. ſ.	96. d.	800. ſ.	9600. d.
8. ſ. 6. d.	102. d.	1000. ſ.	12000. d.

Solatus nummus aureus valet denarios 540.

Annus habet dies 365. cum sex horis: summatim ergo complectitur horas 8820.

Alia item observatio ex patrum placitis, constituendo annonæ pretio non parum necessaria.

UBi sextarius tritici libra uno turonica emitur, compertum est justa æstimatione libram panis legitime cocti ac parati, & ex puro ac candido polline confecti, venundandam esse uno denariolo turonensi.

At si sextarius tritici prostat pretio viginti solidorum Parisiensium, sequens est, ut libra panis prostare debeat uno denario Parisiensi. Sicque libræ singulæ turonicæ sextarii pretio accedentes, singulos pariunt denariolos in panis libras singulas.

Sextarius si venditur quadraginta solidis, libra panis venundanda erit duobus turonis. Si vero sexaginta, tres denarioli in libram panis tribuendi erunt.

Octuaginta solidi, seu libræ turonicæ quatuor, pretio sextarii attributæ, pretium libræ panis reddunt ad denariolos quatuor. Quinque libræ turonicæ in sextarium expensæ, pariunt denariolos quinque in unam libram panis. Et ita patet in immensum progressus per libras turonicas ac denariolos. Qua in re advertendum quod quinque solidorum accessio, ad pretium sextarii, parit augmentum unius oboli ad libram panis. Hæc analogia non parum habet momenti ad tranquillam ac legitimam rei triticariæ administrationem.

Alia item accessio.

QVando semel insedit animo obvia quæque discutere, quæ in re nummaria caliginis aliquid præ se ferrent: accedere faciamus ad Gallici communionem numismatis, tria argenteorum turonensium millia, de quibus in Clementina, *Cum sit nemo*. de magistris. Ubi pontificio cavetur edicto, ne insignia doctoris recepturus, convivalibus expensis summam trium millium argenteorum excedat. Hac autem lege sumptuaria, si argentei Turonensis nomine solidus Turonicus intelligatur, planum

planum est centum quinquaginta librarum numerum comprehendi: cum mille solidi turonenses libras quinquaginta nec amplius valeant. Verum aliud quiddam prætendere videtur glossa, quæ eo loco censuit turonensem argenteum æstimandum esse duobus Venetis: quos quidem minutis Bononiensibus quadraginta dicit æstimari. Hoc autem quadraret, ubi Venetus nummus Caroleum nostrum æquaret, valore scilicet decem Turonicorum: qui in obolos viginti resolvuntur, & duo Carolei in obolos quadraginta: ac sic minutum Bononiense nosterque obolus, pro eodem haberentur. Et quo id minus videatur absurdum: illud sciendum, quod solidus noster olim decem tantum denariolis æstimabatur. Hos Caroleos nummos merito dixeris denarios. Decem enim denariolos valore comprehendunt. Constat autem ter mille Caroleos nummos valere centum viginti quinque libras turonicas. Nam ex centum quinquaginta libris, quas suo valore complent ter mille solidi turonici, detractis sex millibus denariolis, seu ter mille sextantibus (quos duplos denariolos vocamus) qui etiam summam viginti quinque librarum nec amplius reddunt: superest ea summa, quam diximus, librarum centum viginti quinque. Quam lege sumptuaria & nihil amplius expendi Clementis auctoritas permittit. Quæ autem de denariolis & sextantibus detrahendis diximus, illustriora evadent hoc abaco denariorum:

100. denarii valent.	8. ſ. 4. d.
200. d.	16. ſ. 8. d.
400. d.	33. ſ. 4. d.
800. d.	3. l. 6. ſ. 8. d
1000. d.	4. l. 3. ſ. 4. d.
3000. d.	12. l. 10. ſ
6000. d.	25. l.

Complent solidum aureum Gothicum Cassiodoro, 10 lib. Variarum. Cui indicaturæ accedit nummus aureus, quem *desideratum* appellamus: pendebat unciam unam. Hic igitur 6000. d. ademptis ex centum quinquaginta libris turonicis, enumerita superest summa librarum centum viginti quinque.

Ut autem rem istam paucis complectar, quoties collatio erit facienda solidorum ad caroleos nummos, observanda erit proportio sesquiquinta, ea scilicet quæ est sex ad quinque. Nam solidus continet sex sextantes, utpote duodenarius: caroleus vero denarius, quinque. Quare sex carolei reddunt quinquaginta: sicut & sexcenti carolei quingentos duodenarios. Denique in æquando solidorum numero cum caroleorum valore, illud observandum, quod sexta parte adempta de solidis, evadent carolei: & quinta parte adjecta caroleis, prodibunt solidi. Exempli gratia: Duodecim solidi ablatis duobus, hoc est, sextante, reddunt 12. caroleos: & duodecim carolei adjecta quinta parte, videlicet caroleis duobus cum denariolis 4. reddunt 21. solidos. Ex hoc canone habetur reductio caroleorum ad solidos, & e diverso.

Hic ergo esto Caroleorum nummorum abacus, quos recte denarios majores Gallicos appellaveris.

5. Carolei valent.	4. ſ. 2. d.
10.	8. ſ. 4. d.
15.	12. ſ. 6. d.
20.	16. ſ. 8. d.
25.	20. ſ. 10. d.
30.	25. ſ.
40.	33. ſ. 4. d.
50.	41. ſ. 8. d.
60.	50. ſ.
70.	58. ſ. 4. d.
80.	3. l. 6. ſ. 8. d.
90.	3. l. 15. ſ.
100.	4. l. 3. ſ. 4. d.
200.	8. l. 6. ſ. 8. d.
300.	12. l. 10. ſ.
400.	19. l. 13. ſ. 4. d.
500.	10. l. 16. ſ. 8. d.
1000.	41. l. 13. ſ. 4. d.

Ex his collige stipendiorum Turcæ æstimationem in aspreis nummis, qui Caroleos nostros valore æquant, aut certe ab eis minimo intervallo distant. Qui igitur (Cuspiniano auctore in historia Turcica) apud eos dicuntur Muselmi, quinque aspreos nummos in dies singulos recipiunt, qui annuo stipendio reddunt 1825. denarios Gallicos, seu Caroleos. Procreant autem libras turonicas. 76. & solidum unum. Sarohari vero calones videlicet & lixæ castrenses, cum dietim quatuor aspreos stipendiarii nomine in sua commoda vertant, hoc est, annuatim mille quadringentos sexaginta denarios Gallicos: sequens est, ut usui eorum annuo, obveniat summa sexaginta librarum, solidorum sedecim, octo denariorum turonensium: uti ex abaco articulatim colligi potest.

Huc non incommode ob calculi affinitatem, accedere faciamus rationem impensæ diariæ, ad annuam mensurnamve collatæ: idque eo, qui sequitur, ordine.

Pita una in diem expensa, parit annuo sumptu.

	7. ſ. 7. d. 1. pitam.
Obolus parit.	15. ſ. 2. ob.
Pitæ tres.	22. ſ. 9. d. pitas 3.
Denarius.	30. ſ. 5. d.
Denarii duo.	60. ſ. 10. d.
Denarii tres.	4. lib. 11. ſ. 3. d.
Denarii quatuor.	6. lib. 1. ſ. 8. d.
Denarii quinque.	7. lib. 12. ſ. 1. d.
Denarii sex.	9. lib. 2. ſ. 6. d.
Denarii septem.	10. lib. 12. ſ. 11. d.
Denarii octo.	12. lib. 3. ſ. 4. d.
Denarii novem.	13. lib. 13. ſ. 9. d.
Denarii decem.	15. lib. 4. ſ. 2. d.
Undecim denarii.	16. lib. 14. ſ. 7. d.
12. d. sive solidus turonensis.	18. lib. 5. ſ.
Solidi duo.	36. lib. 10. ſ.
Solidi tres.	54. lib. 15. ſ.
Solidi quatuor.	73. lib.
Solidi quinque.	91. lib. 5. ſ.

6. ſ.	109. lib. 10. ſ.	6. lib.	2185. lib.
7. ſ.	122. li. 18. ſ. 3. d.	7. lib.	2555. lib.
8. ſ.	146 lib.	8. lib.	2920. lib.
9. ſ.	164. lib. 5. ſ.	9. lib.	3285. lib.
10. ſ.	182. lib. 10. ſ.	10. lib.	3650. lib.
11. ſ.	200. lib. 15. ſ.	20. lib.	7300. lib.
12. ſ.	219. lib.	30. lib.	10950. lib.
13. ſ.	237. lib. 5. ſ.	40. lib.	14600. lib.
14. ſ.	255. lib. 10. ſ.	50. lib.	18250. lib.
15. ſ.	274. lib. 15. ſ.	60 lib.	21900. lib.
16. ſ.	292. lib.	80. lib.	29200. lib.
17. ſ.	310. lib. 5. ſ.	100 lib.	36500. lib.
18. ſ.	328. lib. 10. ſ.	200. lib.	73000. lib.
19. ſ.	346. lib. 15. ſ.	300. lib.	109500. lib.
20. ſ.	365. lib.	400. lib.	146000. lib.
30. ſ.	547. lib. 10. ſ.	500. lib.	182500. lib.
40. ſ.	730. lib.	600. lib.	219000. lib.
50. ſ.	912. lib. 10. ſ.	700. lib.	255500. lib.
60. ſ.	1095. lib.	800. lib.	292000. lib.
4. lib.	1460. lib.	900. lib.	328500. lib.
5. lib.	1825. lib.	1000. lib.	365000 lib.

Aliud

Aliud distributionis genus ad hunc digeremus modum.

Mensis	Annus	Dies		
libræ	lib.	lib.	sol.	denarii.
1	12	0	0	8
2	24	0	1	4
3	36	0	2	0
4	48	0	2	8
5	60	0	3	4
6	72	0	4	0
7	84	0	4	8
8	96	0	5	4
9	108	0	6	0
10	120	0	6	8
11	132	0	7	4
12	144	0	8	0
13	156	0	8	8
14	168	0	9	4
15	180	0	10	0
16	192	0	10	8
17	204	0	11	4
18	216	0	12	0
19	228	0	12	8
20	240	0	13	4
21	252	0	14	0
22	264	0	14	8
23	276	0	15	4
24	228	0	16	0
25	300	0	16	8
26	312	0	17	4
27	324	0	18	0
28	336	0	18	8
29	348	0	19	4
30	360	1	0	0
31	372	1	0	8
32	384	1	1	4
33	396	1	2	0
34	408	1	2	8
35	420	1	3	4
36	432	1	4	0
37	444	1	4	8
38	456	1	5	4

Mensis	Annus	Dies		
libræ	lib.	lib.	sol.	denarii
39	468	1	6	0
40	480	1	6	8
50	600	1	13	4
60	720	2	0	0
70	840	2	6	8
80	960	2	13	4
90	1080	3	0	0
100	1200	3	6	8
200	2400	6	13	4
300	3600	10	0	0
400	4800	13	6	8
500	6000	16	12	4
600	7200	22	19	0
700	8400	26	5	8
800	9600	29	12	4
900	10800	32	19	0
1000	12000	36	5	8
2000	24000	72	11	4
3000	36000	108	17	0
4000	48000	145	2	8
5000	60000	181	8	8
6000	72000	217	14	4

Mensis	Annus		Dies	
solidi	libræ	sol.	sol	denarii.
1	0	12	0	0 $\frac{2}{5}$
2	1	4	0	1 $\frac{4}{5}$
3	1	16	0	1 $\frac{1}{5}$
4	2	8	0	1 $\frac{3}{5}$
5	3	0	0	2
6	3	12	0	2 $\frac{1}{5}$
7	4	4	0	2 $\frac{4}{5}$
8	4	16	0	3 $\frac{1}{5}$
9	5	8	0	3 $\frac{3}{5}$
10	6	0	0	4
11	6	12	0	4 $\frac{2}{5}$
12	7	4	0	4 $\frac{4}{5}$
13	7	16	0	5 $\frac{2}{5}$
14	8	8	0	5 $\frac{3}{5}$
15	9	0	0	6
16	9	12	0	6 $\frac{2}{5}$

Mensis solidi	Annus libræ	sol.	Dies sol.	denarii	
17	10	4	0	6	4/5
18	10	16	0	7	1/5
19	11	8	0	7	3/5

Mensis denarii	Annus solidi	Dies denarii	
1	1	0	1/30
2	2	0	1/15
3	3	0	1/10
4	4	0	2/15
5	5	0	1/6
6	6	0	1/5
7	7	0	7/30
8	8	0	4/15
9	9	0	3/10
10	10	0	1/3
11	11	0	11/30

Alia observatio ad conciliandum valorem solatorum coronatorum, qui nummi sunt aurei: ac librarum turonensium, quæ singula vicenos capiunt duodenarios nummos.

NE quem remoretur difficultas in conferendis mutuo nummis aureis & libris turonicis, illud statuendum in primis, quod cum solatus nummus duas libras capiat turonicas: illud pervium cuique est, quod numerus librarum ad duplum auctus reddit solatos. Contra vero, numerus solatorum ad semissem redactus reddit libras turonicas. Nam viginti libræ decem solatos reddunt, & viginti solati libras quadraginta.

Solatus vero nummus ad coronatum est sesquiseptimus, ut quadraginta ad triginta quinque. Nam coronatum triginta quinque solidorum constituimus, ut olim suo legitimo valore constabat. Est itaque solati ad coronatum ea ratio, quæ est octo ad septem: ita ut octo coronata valeant septem solatos nummos, & solati septem octo coronatos aureos. Rursus septuaginta solati, æquant valore octuaginta coronata. Idem de septingentis ad septuaginta millibus dicendum occurrit, servata proportione. Si quis igitur scire cupit, quot coronatis æquipolleant viginti solati, adjungat octavam partem vicenarii, utpote duo cum semisse, viginti coronatis, & assequetur optatum. Siquidem duo solati cum dimidio (octans scilicet vicenarii) adjecti viginti coronatis, quadraginta libras perficiunt, æquantes solatorum valorem. Alioqui per libras turonicas facile adæquantur solati cum coronatis, simili inter se numero concurrentibus, duplato scilicet numero, solatis in libras conversis, & inde octava parte adempta. Nam viginti solati valent libras quadraginta. Aufer quinque libras, supersunt triginta quinque, qui est, valor coronatorum viginti. E diverso viginti coronata, valent triginta quinque libras turonicas. Cui numero adjunge septimam partem, quæ est quinque librarum: & resultat numerus quadraginta librarum, viginti solatos valore æquantium.

Novissime superest ex coronatis elicere libras, & conversim ex libris coronata. Quod ita facile fiet, si coronatorum numero tres quartas addideris: e diverso de libris facies coronata, si tres quartas ademeris. Exempli gratia: Quatuor coronata sunt libræ septem. De septem adime tria, & restabit numerus coronatorum: cui adde triadem, & sic oborret numerus librarum Turonicarum, nempe septem.

Eadem opera in centum coronatis, centum septuaginta quinque libras reperies, tribus quartis centenarii numeri adjectis. Contra vero in centum libris, viginti quinque coronata tibi obvia occurrent, detractis tribus quadrantibus centenarii.

Hæc autem alia tibi methodus esto: Ex numero coronatorum transi ad solatos, quos in libras duplato numero converte, & inde aufer octavam partem. Qui resultat librarum numerus, æquabit valorem coronatorum. Ut si quis a te requirat: Viginti coronata quot libris æstimatione respondent? Ita apud te cogitabis, totidem solatos valere quadraginta libris, resultat numerus triginta quinque librarum, coronata viginti valore æquantium. De hac re hactenus.

De auri ad argentum analogia, theorema.

EXploranda nobis est, ac penitus explicanda auri ad argentum analogia. Qua in re, ne quid obscuritatis a tergo relinquatur, nonnulla præfari operæ precium est.

Uncia denarios ponderales viginti quatuor recipit.

Denarius granula totidem.

Drachma tres denarios pendit: quocirca priscus aureus, quod scutum vetus appellant, drachmalis est, trium scilicet denariorum pondus habens.

Nobilis vero rosatus, didrachmus est, nempe sex denariorum. Atqui duplicem hoc tempore sortitur æstimationem. Legitimam unam ex edicto scilicet Principis, quæ est solidorum centum, seu librarum quinque turonensium. Usualem alteram apud negociatores passim receptam, quæ priorem superat in sedecim solidis, cujus dimidiatum pondus est prisci aurei: quare legitima æstimatione valere debet solidos quinquaginta, vulgari autem quinquaginta octo. Cum ergo drachma, octo & quinquaginta solidis æstimetur hodie, sequens est, ut uncia subeat æstimationem librarum trium & viginti, cum solidis quatuor. Et hac ratione libra auri æstimanda erit, libris turonicis ducentis septuaginta septem una cum octo solidis. Et id quidem, si indicaturam sequamur vulgato receptam usu. Nam minor est illa, quæ ex decreto Principis constituta est. Didrachmum enim ea lege centum solidos valore comprehendit, uncia vero libras tantum viginti turonicas: & libra auri ducentis quadraginta libris turonicis æstimabitur.

Nunc restat argenti æstimationem, uti hodie usu recepta est, numeratim describere. Quod his præloquiis facile fiet.

In primis argentarii omnes, marcam argenti hodie æstimant libris quindecim turonicis. Id autem quomodo usui monetario respondeat, explorandum est. Constat sane nummos capitatos, quos testones vocant, pendere denarios ponderales septem cum semisse. Quo fit, ut tres nummi argentei, pondus habeant denariorum duorum & viginti & semissis: quare abest a justa unciæ quantitate denarius unus cum dimidio. Cæterum ex Principis constitutione communi recepta usu tres nummi argentei valent unum ac triginta solidos cum dimidio. quibus ad constituendum unciæ valorem, accedere oportet æstimationem denarii ponderalis cum semisse.

ſe. Denarius autem ponderalis, valet denariolos decem & ſeptem cum ſeptima oboli. Cui juncto valore dimidiati denarii, evadit ſumma duorum ſolidorum, unius denarii cum ſeptima oboli, & ſeptima parte unius pitæ. Et hinc conflatur valor unciæ argenteæ juxta hodiernam æſtimationem, videlicet ad triginta tres ſolidos, ſeptem denariolos, cum ſeptima oboli & ſeptima pitæ. Qui numerus duodecies auctus libræ ponderalis valorem conſtituit, videlicet librarum turonenſium viginti cum tribus ſolidis, ſeptima oboli, & ſeptima pitæ unius, juxta præſentis temporis indicaturam, qua nummus capitatus permutatur decem ſolidis cum ſemiſſe. Ex quo liquido conſtat libram auri, ad libram argenti juxta Principis conſtitutionem, habere rationem decuplam. Verum juxta uſum vulgatum auri ad argentum ea ratio eſt, quæ eſt quatuordecim ad unum, aut paulo minus.

Nunc examinanda eſt Tranquilli ſententia, in Julio Cæſare ita inquientis: *In Gallia phana templaque deum donis referta expilavit, urbes diruit ſæpius ob prædam quam ob delictum. Unde factum eſt, ut auro abundaret, ternisque millibus nummum in libras promercale per Italiam provinciaſque divenderet.* Sunt autem tria millia nummum ſeu ſolidorum turonenſium, quos ſeſtertios eſſe docuimus, centum quinquaginta libræ turonicæ. Juxta hanc analogiam, qua auri libra æſtimabatur ternis millibus nummum, hoc eſt, centum quinquaginta libris turonenſibus, erat proportio auri ad argentum octupla, necdum completa. Sicque ea analogia, quæ erat octo ad unum, tranſiit ad eam, quæ eſt duodecim ad unum: demumque ita excrevit, ut nunc ſortiatur rationem, quæ eſt quatuordecim ad unum, aut paulo minus.

Cæterum fuit non multo ante hanc ætatem tempore, quando ea pene analogia ſervabatur auri ad argentum, quam ſub Julio Cæſare uſu receptam diximus: quando ſcilicet nummus aureus ſolatus, triginta tantum ſolidis turonicis permutabatur. Tunc enim ſex ſcuta novem libris turonenſibus æſtimabantur, ut veteratoris facetia prodit, qua dicitur: Aut novem francici, aut ſex ſcuta mihi numeranda ſunt. Porro ſolatus pendet duos denarios ponderales cum ſedecim granulis: qua ratione novem ſolati unciam perficiunt. Pendent enim denarios viginti quatuor. Sic fit, ut centum octo ſolati, libram duodenariam conſtituant. Erit itaque ſumma librarum turonenſium, reſultans centum ſexaginta duarum. Cujus ratio ad viginti eſt, ut octo ad unum, & paulo amplius.

Si autem de coronatis agatur, calculo certo deprehenditur, novem coronata conſtituere duos ac viginti denarios cum totidem granis. Deſunt igitur ab uncia denarius unus, grana duo. Quo fit, ut centum octo coronata, reddant libram auri minus denariis tredecim. Denarius autem, habita ratione valoris ſolati, ſupra coronatum novem denariolis æſtimabitur. Nam duobus granis ſolatus ſuperat, & ejus precium gravius eſt denariolis decem & octo: niſi quod priſcus aureus ad ſolatum habet indicaturam decem denariolorum pro ſingulis granis. auro enim puriore conficitur.

Jam ergo deſignetur denario ponderali caroleus unus ſeu decuſſis noſter, quocirca centum ſexaginta duabus libris ad libræ complementum adjungere opus erit decem ſolidos & decuſſem. Manet igitur proportio auri ad argentum, ut octo ad unum, & paulo amplius. Redundant enim libræ duæ cum ſemiſſe & caroleo nummo. Nunquam ergo legitur ita depreſſum fuiſſe auri valorem, quantum apud Julium Cæſarem, apud quem ratio auri ad argentum erat, ut ſeptem ad unum & paulo amplius.

Ex his principiis parata eſt methodus, ad inveniendum quoties & quantum auri ad argentum analogia aut augeatur aut diminuatur. Planum enim eſt ex dictis, auri ad argentum analogiam excreviſſe a ſeptupla proportione ad quater decuplam, aut ad ſummum quindecuplam: cum tamen æquiſſimum videatur, ſi obſervetur ratio, quæ eſt duodecim ad unum. Sic enim fiet, ut uncia auri æquipolleat libræ argenti. Quod promptiſſime fiet, dum drachma auri ſeu trium denariorum pondus, ut eſt priſcus aureus noſter, æſtimabitur quinquaginta ſolidis: & didrachmus aureus, qualis eſt nobilis roſatus, centum ſolidis permutabitur: ut eſt in edicto regio hodierno, anno Domini ſeſquimilleſimo trigeſimo octavo: tametſi uſus vulgaris precium auxerit nummi ad ſolidos pene ſedecim. Sic enim uncia auri viginti libris turonicis, & libra duodecies viginti, hoc eſt, quadraginta ſupra ducentas æſtimabitur. Atqui libra argenti viginti tantum francicos ſuo valore complet. In cæteris autem nummis aureis, proportio ſervanda erit ponderis ad valorem, juxta deſignatam drachmæ aureæ æſtimationem.

Neque illud prætereundum, quod Francorum hiſtoria refert, ſub annum Domini tertium ac quadrageſimum, ſupra milleſimum trecenteſimum, Philippo Valeſio rege ſuperſtite, ſolati indicaturam excrementum habuiſſe uſque ad ſexaginta ſolidos Pariſinos: hoc eſt, quatuor libras turonicas cum ſolidis quindecim, quanti hodie ferme æſtimantur duæ drachmæ auri. Ob quam ſane cauſam Valeſius male audiit: quia & annonæ precium plus juſto excrevit, ita ut ſextarius tritici, octo libris Pariſinis veniret, hoc eſt, francicis decem: diſplicuit certe immoderatus ille exceſſus. Nam paulo mox redactum eſt ſolati precium ad triginta ſex ſolidos Pariſienſes, qui ſunt turonici quadraginta quinque, quanti hodie æſtimatur ſolatus. Quo maxime probatur etiam veterum conſenſu ſervandam eſſe auri ad argentum analogiam, ut eſt duodecim ad unum. jam inde facile colligitur, quod eo tempore auri precium duplo ferme auctum erat, ut quindecim ad unum, aut ad ſummum ſedecim: exemplo nunquam antea aut viſo, aut audito, nec poſthac videndo. Verum ne ſpecies rationi deeſſet, factum eſt, ut groſſus turonicus, ſeu ſolidus noſter, augeretur ad triplum. Tribus enim nummis duodenariis permutabatur. Hujuſmodi autem inſtitutum, ut præter rationem erat, ita minime perduravit.

Pari pene lapſu in annonæ cariſtia, & plus æquo aucta auri indicatura, ad eundem offendit lapidem Joannes rex: qui anno quinquageſimo nono, ſupra milleſimum trecenteſimum, indixit ſolati valorem ad quinquaginta duos ſolidos Pariſinos, hoc eſt, ſexaginta duos turonicos. Cui protinus errori comes adfuit, ingens annonæ precium, ita ut ſextarius decem & octo libris Pariſienſibus publice permutaretur. Quæ omnia docent, cum in cæteris, tum vero in publico numiſmate æquum maxime eſſe ſervandum.

Confirmat etiam auri indicaturam noſtra ætate vigentem, inſtitutio altera Joannina. Sub annum Domini milleſimum trecenteſimum quinquageſimum, excuſa eſt aurea moneta nummorum, qui *mutonini* appellabantur, Gallice *mouton a la grand laine*: quorum duo & quinquaginta, marcam ſeu uncias octo implebant. Erant ergo paulo minus quam ſextulares, ſeu geniati nummi. Nam quadraginta octo geniati marcam implent, Gallice *angelots*.

Extraria ac peregrina moneta nomenclaturam, cum valore prope verum indicare.

ET hoc etiam ad rei monetariæ negocium pertinet explicare varias, quæ variis permutantur locis, nummorum indicaturas. Ab usu igitur urbis Romæ initium esto.

Romana moneta communis.

Julius argenteus, nostro ære valet quatuor solidos cum quatuor denariolis.

Semis, duos solidos valet cum duobus denariolis.

Carlinus valet tres solidos.

Semis, solidum valet cum semisse.

Bajoque, valet quinque denariolos.

Pieron, quasi petreum dicas, in Sabaudia totidem.

Quadrinus ejusdem valoris apud nos, uti & denarius Parisiensis.

Ducatus aureus, communis apud omnes valoris, solatum valore æquat, & paulo amplius.

Apud Venetos a minori.

BArchatinus, vulgo *barguetin*, puto esse precium trajectus aquæ per barcham. Tres nostrum denariolum reddunt, duodecim soldum Venetum.

Bessi valet duos denariolos nostros. Duo enim soldum ingrediuntur.

Soldus Venetus, vulgo *ung solde*, quatuor denariolis nostris æstimatur. Tres soldi implent valorem solidi nostri turonici, quem vulgo Itali appellant parpaiolam regalem.

Est autem alia parpajola simplex, quæ æquat valore caroleum nummum. Idem soldus marquetus alio nomine dicitur.

Aspreus nummus quinquies bessem implet, vulgo dicitur *aspre*. Ejusdem ergo naloris est cum nostro caroleo nummo.

Grosseto valet soldos 4. hoc est, sedecim denarios.

Marcello reddit decem soldos, hoc est, tres solidos turonicos cum quatuor denariolos. Quatuordecim hujus indicaturæ nummi, ducatum valore implent. Unde & quatuordecim marqueti, hunc quoque marcellum perficiunt. Vulgo appellatur *marcelin*.

Marcellus argenteus valet soldos Venetos duodecim, solidos vero turonicos nostros quatuor. Drachmæ æstimatio est inter otrumque media.

Unde diesdote valet 4. solidos turonicos cum semisse.

Mocenigo, alias *berlingue*, media ac temperata æstimatiooe valet septem solidos, aut ad summum octo: quare sex mocenigui ducati perficiunt æstimationem.

Est autem ducatus duplex. Strictus, qui duodecim Marcellos: largus, qui quatuordecim comprehendit. Porro Marcelli duodecim, quadraginta solidis æstimantur: quatuordecim autem, valent quadraginta sex solidos turonicos, cum denariolis octo.

Apud Hispanos a minori.

MArvezis quatuor, albulum nostrum perficiunt. Æquat igitur valore nummus iste marvezianus denariolum nostrum Parisiensem, qui est semiobolo major turonensi. Tanti æstimatur niquetus Burgundianus, vulgo *niquet*.

Nummus regalis (vulgo *real*) valet tres solidos turonicos cum semisse. Sicque valorem drachmæ veteris complet. novo edicto æstimatur tribus solidis cum dodrante.

Nummus coronatus (vulgo *coronat*) etiam apud Neapolitanos quatuor solidos turonicos valet.

Semis valet duos solidos turonicos.

Apud Insubres.

DEnarius (vulgo *denari*) est duodecima pars unius albuli nostri: qui apud eos dicitur soldus.

Soldus valet quinque denariolos nostros.

Trisoldus valet quindecim denariolos nostros.

Semisoldus (vulgo *seizin*) valet sex denariolos Mediolanenses.

Parpajola simplex, idem qui apud nos caroleus nummus: larga vero, solidus turonicus. Dicitur autem *parpajole*, quasi dixeris ad solvendum, hoc est, *pour pagar*.

Nummus qui Bologninus dicitur; valet sex denariolos nostros cum semisse.

Crosali apud Genuenses valet apud nos denariolum unum.

In Sabaudia *chavalot*, seu nummus equuleatus, valet sex albulos nostros, hoc est duos solidos cum semisse.

Semis valet subduplum.

Petreus nummus, de quo supra (vulgo *pieron*) valet albulum nostrum.

Nummus Bucelotus Mantuæ, valet quatuor solidos cum sex denariolis.

Apud Flandros.

D*Onble patart*, valet duos solidos turonicos.

Patareus simplex solidum unum.

Minimus patareus valet tres denariolos.

Bitremontius nummus, vulgo *bitremont*, valet apud nos albulum unum.

Apud Turcam & Sultanum a minori.

MAnchar valet denariolum unum.

Juditb valet puatuor mancharinos, hoc est, denariolos.

Colarbe nummus argenteus, valet octo mancharinos.

Alius autem valet duos nasserinos cum semisse, hoc est, sex albulos nostros.

Nummus aspreus valet decem mancharin, qui etiam apud Venetos decem denariolis nostris æstimatur.

Nasserin valet solidum unum turonicum.

Tnnitius nummus, valet quinque solidos nostros.

Urbea quadrans ducati aurei.

Nozdinar dechet dimidiatus ducatus.

Saraph a divitiis nomen habet. Est autem apud Barbaros scutum, seu aureus nummus. Censet tamen Aloysius Cadamustus Saraphum granis binis superare ducatum Venetianum.

Sultanus florenus aureus, gerens imaginem Sultani (vulgo *Sultanin*) permutatur sexaginta aspris, seu caroleis nummis, summa paulo plus exuperante ducati nostri hodie consuetum valorem.

Hyperpereus nummus qualis est apud nos grossus Mediolanensis.

Medinus valet apud nos solidum unum Parisiensem, & medini decem valent duodecim solidos turonicos cum semisse: & viginti quinque medini scuto uno antiquitus permutabantur.

Hos

Hoc insuper pro usu variante nationum, circa libram monetariam animadvertendum est, quod communi omnium usu & lege, libra monetaria solidos viginti comprehendit, & solidus quisque duodecim denarios. Hoc tamen inter varias nationes differt.

PRimo quatuor libræ Parisienses quinque libras turonicas reddunt. Qua ratione solidus Parisiensis turonicum quadrante superat. Valet enim quindecim denariolos.

Libra grossorum Flandrensium, valet sex libras turonicas. Qua ratione grossus Flandrensis æstimari debet sex solidis turonicis.

Octo libræ Genuenses, valent quinque libras turonicas. Sic fit, ut libra Genuensis, valeat duodecim solidos turonicos cum semisse. Quam libram si partiaris in viginti portiunculas, exeunt in solidum Genuensem septem denarioli cum obolo.

Libra sterlingorum æstimatur quinque coronatis. Quo fit, ut variante æstimatione scuti coronati, variet etiam æstimatio sterlingi. Coronatus enim nummus dum æstimaretur quadraginta solidis, libra sterlingorum æstimanda erat decem libris turonicis. Qua de re supra disseruimus in placito trapezaturum.

Septem libræ Venetianæ ducati valorem implent. Quod si libra viginti solidos Venetos ex æquo semper capiat, necesse est solidi variare valorem, variante æstimatione ducati. Nam supra solidum diximus æstimari quatuor denariolis: quæ æstimatio non perpetuo constat. Nam septies viginti solidi, hoc est, septem libræ soldorum Venetorum, ascendunt ad summam quadraginta sex solidorum turonensium cum octo denariolis. Nunc autem æstimatio vulgata ducati ad quadraginta octo solidos, efficit ferme, ut soldus Venetus æstimari possit albulo uno, hoc est, quinque denariolis nostris.

Libra monetaria apud Britones, hoc est, Britanniæ Gallicæ minoris incolas, vulgo appellata *un franc monnoye*, communi usu æstimatur quatuor & viginti solidis turonicis. uno solido minor est libra Parisiensi.

De pondere & moneta Calechutiana ex navigatione Aloysii Cadamusti cap. 82.

BAccar, seu Baccara, continet cantaros quatuor.

Cantarus juxta Ludovici Romani placitum Farasolas quinque comprehendit, hoc est, centum viginti quinque libras. Vult enim lib. V. cap. decimo nono, Farasolam pendere quinas ac vicenas libras.

Faracula, seu Faracala, alias Farasola, est vigesima pars Baccari, & quinta pars cantari.

Mitigal seu mitigale, sex uncias pendet cum quarta parte unciæ, hoc est, drachmis duabus. Quibusdam placet genus esse ponderis, valore æquantis ducatos ducentos quinquaginta.

Aratolla Venetiana, est vigesima quarta pars libræ.

Almenum usu Venetiano pendet libras tres.

Censet tamen Ludovicus Romanus Farasolam pendere quinas ac vicenas libras, libro quinto, capite decimo nono: qua ratione Farasolæ quatuor unum quintale efficerent, seu talentum centenarium. Quod si verum est, Baccar, seu Baccara, viginti Farasolas comprehendens, quinque talenta centenaria in se reciperet.

Cantarus vero Baccari, quadrans talentum unum quartamque talenti partem recipit, nempe Farasolas quinque.

Jam de moneta Indica ex Josepho Indo, & Aloysio Cadamusto.

SAraph, aureus est nummus valoris & ponderis nostri ducati. Uno autem Sarapho, gallinæ centum pretio æquante comparari possunt; apud Carangaronam Josephi Indi natale solum.

Favus vigesima pars ducati Aloysio Cadamusto. Cum igitur ducatus, temperata æstimatione, quadraginta nostris solidis æstimetur: sequens est favum duobus, nec amplius, solidis æstimari.

Nummus argenteus, qui Parante dicitur, sex e nostris solidos comprehendit Josepho. Est etiam moneta solidi unius.

Nunc rerum venalium describenda sunt precia.

BAccar nucis muscatæ, auctore Aloysio Cadamusto, circiter annum domini millesimum quinquagesimum quartum, permutabatur quadringentis quinquaginta favis, hoc est, ducatis duobus & viginti cum semisse.

Baccar cinnamomi, æstimabatur trecentis nonaginta favis, seu ducatis octodecim cum semisse.

Baccar tamirindi, favis triginta, hoc est, ducato uno cum semisse.

Baccar piperis longi, favis quadringentis, sive ducatis viginti.

Baccar Zerombeci, favis quadraginta, seu ducatis duobus.

Baccar myrobalani, favis quingentis sexaginta, seu ducatis viginti tribus.

Baccar Zedoariæ, favis triginta, qui sesquiducatum faciunt.

Baccar sandali rubri, favis octoginta quatuor ve ducatis.

Baccar lache, favis ducentis sexaginta, hoc est, ducatis tredecim.

Baccar sandalii, favis centum sexaginta, qui sunt octo ducati.

Baccar mastychis, favis quadringentis triginta, seu ducatis uno & viginti cum semisse.

Baccar piperis, favis trecentis sexaginta, hoc est, ducatis octodecim.

Baccar gariophylli, favis sexcentis, seu triginta ducatis.

Baccar sandali albi, favis septingentis, seu ducatis quinque supra triginta.

Faracala, seu farazola zinziberis aridi, favis sex permutatur, hoc est, duodecim solidis turonicis: conditi vero, favis octo & viginti.

Farasola thuris, favis quinque, hoc est, solidis turonicis decem.

Farasola belsuini, favis sex, solidisve turonicis duodecim.

Farasola ligni aloes, favis quadringentis permutatur, seu ducatis viginti.

Farasola cassiæ, favis duobus, solidisve quatuor turonicis.

Farasola reubarbari, favis quadringentis, sive ducatis viginti.

Farasola opii, favis & ducatis totidem.

Sequens est, proferre mercium Europæ æstimationem apud Calechutium.

FArasola æris, seu quarta pars unius quintalis, illic æstimatur favis quadraginta quinque, hoc est, duobus ducatis cum semisse.

Farasola coralli albi, favis mille, seu ducatis quinquaginta.

Farasola plumbi, favis octodecim apud eos æstimatur, seu ducatis quinque, resectis tamen solidis quatuor.

Farasola coralli obliqui, favis septingentis, ducatisve quinque & triginta.

Farasola coralli nothi, favis trecentis, qui sunt ducati tredecim.

Farasola aluminis, summa æstimatione favis quatuor & quinquaginta, hoc est, ducatis duobus una cum quatuor & viginti solidis turonicis.

Almenum croci, illic emitur favis octoginta, ducatisve quatuor.

De moneta magni Cham, ex Marco Paulo Veneto lib. II. cap. 21.

Conficitur hujusmodi moneta non ex metallo, verum medio cortice arboris mori, regali signo impresso.

Minima moneta habet æstimationem denarioli nostri turonensis.

Majuscula assurgit ad valorem semissis grossi Venetiani. Valet autem grossus Venetianus, denarios turonicos sedecim.

Tertii vero ordinis moneta, duorum Venetorum æquat æstimationem, alia autem quinque, alia item decem.

Est præterea alia æstimatione superior, Bysantii aurei valorem attingens, duorum altera, altera vero quinque, ut necesse sit externis merces suas pro regia commutare moneta: nisi velint in aurea, quam secum detulerunt, argenteave gravem subire jacturam.

Ex Ludovico Patricio Romano, moneta regni Narsinga in urbe Bessenagar.

Pardius aureus nummus.

Favus valet sedecim minutos denarios: nummus est argenteus.

Æreus nummus decima sexta favi, quam cas appellant.

Usus præterea alius recepta apud Taprobanam moneta, quæ alias Sumatra insula dicitur, quæ quingentis mille passibus suo patet ambitu.

Aureus nummus, faciem unam cacodæmonis imagine cælatam habet, alteram vero carpentu ipsum trahente elephante. & hic denis argentei permutatur.

Argenteus nummus sua decade perficit aureum. Qua ratione solidorum nostrorum quatuor videtur habere rationem: cum credibile sit nummum illum Summatracem ducato nostro esse æqualem, quem medie temperato valore, quadraginta solidis æstimare solemus.

Est præterea nummus stanneus, qui quinquies ac vigesies repetitus, aureum reddit: qua ratione pene accedit ad duos caroleos nummos.

Sequitur usus veteris monetæ ex legibus Riboariorum, quas tulit Theodoricus Rex Francorum.

Weregildus comprehendit summam quinquaginta quatuor solidorum una cum tremisse: ut constat ex l. *Si quis.* de Uxoribus & adulteriis. Solidus quatuor tremisses recipit, hoc est, denarios duodecim. Qua ratione dicimus tremissem solidi quadrantem: ut est in l. *Si ingenuus.* de Ictu servorum. Ubi ita cavetur: *Quod si servus servum illum vel bis vel ter percusserit, nihil est: sed tamen propter pacis studium tremisse, id est, tribus denariolis, componat.*

Item in l. *Judex.* de Judicibus, ubi ita cavetur: *Judex vero partem suam accipiat de causa, qua judicavit: de tribus solidis tremissem accipiat, de sex solidis duos tremisses, & de novem solidis unum accipiat. Et sic de omni compositione nonam semper partem accipiat, dum recte judicat.* Sic ergo judici debetur de dodrante unus, hoc est, de novem unum.

Denarius quarta pars est tremissis, & duodecima solidi: qui & saiga vocatur: ut est in l. *de minoribus causis.* de Juratoribus quales esse debeant. Verba sic habent: *Saiga quarta pars est tremissis, hoc est, denarius unus.* Duæ saigæ dicuntur duo denarii. Tremissis est tertia pars solidi & denarii quatuor. Quo fit, ut denarius æstimandus videatur nostro numismate uno caroleo nummo, hoc decem nostris denariolis: qua ratione solidus æstimabitur nummo argenteo capitato (quem testonem vocamus) hoc est, decem solidis turonensibus. Eademque opera colligitur, weregildum ad nostrum numisma relatum, valere libras turonicas septem & viginti una cum tremisse, hoc est, caroleis nummis quatuor, seu albulis octo: nisi solidum accipias juxta calculum solidi Justiniani. Hic autem tantum superest conjecturæ locus.

Illud negari non potest, usum fuisse solidi aurei apud Bajoarios frequentem: ut est in l. *Si quis.* Ubi ita cavetur: *Si quis occiderit presbyterum, quadringentos auri solidos componat.* Huc accedit, quod bos integris cornibus & illæsa oculorum acie duobus solidis apud riboarios æstimabatur, vacca vero tribus: equus sex, equa vero tribus. Quæ omnia rectius ad aureus, quam argenteos solidos referenda videntur. Quis enim æstimet bovem triginta tantum solidis turonicis? Verius ergo solidi aurei intelliguntur sextulares, ad indicaturam Justiniani, æstimatione scilicet quinquaginta sex solidorum turonensium: ut tomo septimo amplius disseritur.

Juxta quam amussim facile colligetur æstimatio mulctarum, quibus eorum leges respersæ sunt. Ut cum pro cæde presbyteri, quadringenti solidi mulctæ nomine imponuntur, pro diacono ducenti, & pro violata ecclesiæ immunitate solidi sexaginta.

Alia tamen lex erat apud riboarios, quam ad hunc modum subtexere libet:

Si quis robarius advenam Francum interfecerit, CC. solidis culpa judicetur.

Si quis riboarius advenam Burgundionem interfecerit, CLX. solidis culpa judicetur.

Si quis riboarius advenam Romanum interfecerit, centum solidis mulctetur.

Si quis riboarius advenam Alemannum, seu Fresonem, vel Bajoarium, Saxonemve interfecerit, centum solidis culpa judicetur.

Si quis clericum interfecerit, juxta quod nativitas ejus fuerit, ita componet: Si servus, sicut servum: Si regius aut ecclesiasticus, sicut alius regius aut ecclesiasticus: Si litus, sicut alium litum: Si liber, sicut alium ingenuum, cum CC. solidis componat.

Si quis subdiaconum interfecerit, CCCC. solidis componat.

Si quis diaconum interfecerit, quingentis solidis componat.

Si quis presbyterum ingenuum interfecerit, sexcentis solidis componat.

Si quis episcopum interfecerit, DCCCC. solidis componat.

Si quis partum in fœmina interfecerit, seu natum priusquam nomen habeat, centum solidis culpa judicetur. Quod si matrem cum partu interfecerit, DCC. solidis mulctetur.

Si

Si quis weregildum solvere debet, bovem cornutam, videntem & sanam, pro duobus solidis tribuat. Vaccam cornutam, videntem & sanam, pro tribus solidis tribuat. Equum videntem & sanum pro sex solidis tribuat. Equam videntem & sanam pro tribus.

Horum omnium æstimationem, ex solidi Justiniani indicatura proclive est assequi. Nam & in solidi sextularis discussione rem istam attigimus, ex lege Lombardica, quæ habetur in cap. *Qui subdiaconum.* 17. quæst. 4. Pluribus itaque immorari, nihil aliud fuerit, quam crambem recoctam apponere mensis. Hactenus de indicatura monetæ usu olim receptæ apud riboarios. Jam ad reliqua, modo ne id omiserim, quæ Rex Calecutianus, auctore Ludovico Rnmano, suo satellitio (macros vocant) in menses singulos, carlinos quatuor in ocio virium distribuit, in negocio vero sex: hoc est, solidos nostros ut minus duodecim, plus vero decem & octo. Ascendit itaque stipendium annuum ad septem libras cum semisse, cessante militia: alias stipendii nomine recipiunt libras undecim turonicas cum duobus solidis.

Quotus quisque nummus aureus communi usu receptus, bessem libra ingrediatur, hoc est, marcam octuncialem singulatim explicare.

NOn prorsus abludit a nostro instituto designare, quoties quivis aureus nummus marcam compleat, seu quot denariis ponderalibus constet. Erit itaque a levioribus ad graviora numismata progressius, si tamen nonnulla fuerimus præloquuti.

Denarius granula habet viginti quatuor.

Drachma denarios tres.

Uncia drachmas octo, denarios autem viginti quatuor, granula vero 576.

Bes libræ, seu marca octuncialis, uncias octo tenet, seu denarios centum nonaginta duos, granula vero 4608

Libra uncias duodecim, seu denarios ducentos octoginta octo.

Sequitur abacus granulorum ad denarios constituendos.

VIginti quatuor granula reddunt denarium unum.

Quadraginta octo granula, denarios duos.

Septuaginta duo, denarios tres.

Nonaginta sex, denarios quatuor.

Centum viginti, denarios quinque.

Centum quadraginta quatuor, denarios sex.

Centum sexaginta octo, denarios septem.

Centum nonaginta duo, denarios octo.

Ducenta sedecim, denarios novem.

Ducenta quadraginta, denarios decem.

Illud insuper constituendum aureorum nummorum duo esse genera. Quidam enim solidorum merentur appellationem, qui scilicet ex denariis (nulla granulorum accedente fractione) constituuntur. Cujusmodi sunt prisci Philippei æquales nobilibus rosatis. Geniati item nummi, quos Angelotios vocant. Prisci item aurei, qui trium denariorum pondus levant, illi vero sex, isti quatuor.

Alii mutili dicuntur. præter enim denarios, aliquot granulorum fractione redundant: quæ præter nummos mox designatos, reliqua turba est.

Jam ut sciamus quotus quisque nummus marcam ingreditur, pro solidis nummis hæc observanda erit methodus.

Partire centum nonaginta duo (qui est numerus denariorum marcam implens) numero denariorum, qui ex æquo nummum aureum perficiunt: numerus quotiens inde resultans, indicabit tibi, quot nummi marcam impleant. Hujus rei id esto exemplum:

Nobilis rosatus sex denarios comprehendit: partire igitur senario 192. emergent pro quotiente triginta duo nummi rosati nobiles, de integro marcam implentes.

Pro mutilis vero nummis, qui scilicet præter denarios granula aliquot comprehendunt, hæc methodus esto:

Denarios in granula comminue, & ex omnibus unum acervum numerumve constitue: per quem partire numerum granulorum marcæ, videlicet 4608. Quotiens ostendet, quot ejus generis nummi marcam ingrediuntur, & si quæ supersunt granula. Hujus rei exemplum accipe:

Solatus nummus duos denarios capit cum sedecim granulis, summatimque reddunt granula 64. quibus partire granula marcæ octuncialis, numero 4608. prodibit quotiens 72. Sic fit, ut septuaginta duo solati aurei nummi, nullo etiam subsultante grano, ex æquo marcam impleant.

Hoc igitur habet nummus aureus cum solidis aureis commune (tametsi granulis aliquot redundet) quod resumptus aliquoties marcam impleat ex æquo, nullo aut abundante aut deficiente granulo, (quod cæteris mutilis nummis negatum est, uti ex discursu facile intelliges) & ea parte solidi nummi rationem habet. Qua in re subit admonere lectorem, geniatum nummum (qui alias angelotius appellatur) esse solato valore & pondere sesquialterum. De valore quidem constat: cum ille solidis sexaginta septem cum semisse, hic vero solatus quadraginta quinque æstimetur. Est autem proportio majoris ad minorem, quæ est est duodecim ad octo. De pondere vero sic accipe: quod denarii quatuor ad duos cum sedecim granulis eam, quam diximus, habent analogiam. Id autem scitu non indignum fuerit angelotium esse cum solido Justiniani pondere æqualem, utpote sextularem: qui scilicet sexto repetitus, unciam implet: & quadragies octies, marcam: bis autem & septuagies, libram duodenariam. Sicut olim septuaginta duo solidi Justiniani libram implere dicebantur: uti alio loco ostendimus in solido, ex lege *Quotiescunque.* de Susceptoribus, præpos. & arc. decimo libro Codicis. Jam sicut septuaginta duo solidi Justiniani libram implent, ita & septuaginta duo solati marcam. Libræ autem ad marcam est proportio sesquialtera. Quare qui volet rectam servare analogiam, solatos septuaginta duos in marcam conferre oportet.

His ita præfatis, sequitur nummorum series a minimis ad crassiores nummos facto progressu.

Caroleus nummus Flandrensis, usu nostro Gallico receptus, duos denarios pendet cum sex granulis, quarta videlicet parte denarii. Marcam itaque subeunt carolei quinque & octoginta, nisi quod redundat in marca sesquidenarius, hoc est, granula decem & octo. Id quidem agnosces, si granula marcæ numero granulorum carolei nummi partitus fueris, juxta formulam mox antea prolatam.

Philippeus nummus Flandrensis (uti & florenus Trajectensis) duos denarios pendit & semissem. Septuagies sexies uterque marcam ingreditur: subsultant tamen duodenarii in marca.

Nummus aureus coronatus suo pondere tollit denarios duos, granula quatuordecim. Quocirca septuaginta quatuor hujus generis aurei absorbentur a marca: nec eam tamen implent, superante eos marca in viginti granulis.

Idem pondus sustinent (tametsi indicatura auri inferiore,

inferiore, ideoque valore inæquali) nboli Lotharingiæ.

Rosatuli Angliæ coronati leviores, singuli pendent denarios duos, granula quindecim. Tres & septuagima marcam non prorius implent: redundant enim granula novem.

Aureus nummus solatus, toto bene cognitus orbe, ut quo nihil inter nummos sol iste prospicit frequentius, duos denarios habet in pondere cum sedecim granulis. Qui cum sit mutilus superabundantia granulorum, hoc tamen habet cum solidis commune, ut marcam nullo subsultante grano bis ac septuagies de integro compleat. Qua de re supra dictum est: ideoque verbum non amplius addam.

Huic indicaturæ proxime accedit ducalium salustianorumque nummorum phalanx. Quales sunt nummi ducales Lusitani, Florentini, Veneti, Genuenses, Ungari, Bononienses, Siculi, Valentini, Castellanique seu bicipites seu monocephali. Hi sigillatim omnes præter denarios duos septemdecim granula levant. Quare septuaginta hujusmodi nummi integre subeunt marcam, marca tamen superante denariis duobus, granulis decem, hoc est, granulis 58.

Proxime accedunt riderei nummi Flandrenses. Denarios enim duos ac præterea granula octodecim suo pondere complent, numero sexaginta octo capiuntur a marca: absunt tamen a justo pondere marcæ granulis viginti.

Regales aurei Franciei seu pedestri seu equestri imagine insculpti, cujus etiam ponderis indicaturam subeunt rosatuli Anglicani majores proxime subsequuntur. Pendunt enim singuli supra denarios duos granula viginti. Septem & sexaginta, superantur a marca duobus denariis, quatuor granulis.

Succedit aureus priscus, (scutum vetus appellant) qui vere drachmalis est. Tres enim denarios suo pondere æquat. Quocirca octo ex eis unciam, sexaginta quatuor marcam, nempe octies octo: libram vero duodenariam nonaginta sex ex æquo constituunt. Ideoque solidus aureus merito appellandus est.

Pone sequitur leoninus nummus trium denariorum cum granulis quinque. Numero quinquaginta novem marcæ ambitu capiuntur: superante tamen eos marca, denariis duobus, granulis septemdecim.

Intervallo majusculo & valoris & ponderis sequitur nummus, quem velleris aurei mutonem appellant. Is leonino gravior est granulis septem. Pendit enim tres denarios cum semisse. Porro quinquaginta quatuor mutonini aurei marcæ pondus implerent, nisi in marca superessent denarii tres.

Subsequitur geniatus nummus (qui & angelotins, & aureus solidus dici potest) idemque sextularis, eo quod sexies repetitus unciam impleat: uti olim solidus aureus Justiniani. de quo in l. *Quotiescunque.* lib. x. Cod. ad hunc modum legitur: *Quotiescunque certa summa solidorum debetur, in septuaginta duos solidos libra feratur accepta.* Pendet igitur denarios quatuor, & sexies repetitus unciam implet. Quadragies octies marcam, bis ac septuagies libram duodenariam perficit.

Nummus Alphonsinus duobus granis gravior seatulari, quadragies septies marcam ingredi potest: superante etiam marca in duobus granulis. Hujus rei veritatem experieris, si præter duo granula digesseris denarios quatuor in granula sua, prodibunt in totum nonaginta octo. Per hæc partire granula marcæ octuncialis 4608. quotiens inde emergens, reddet tibi Alphonsinos integros quadraginta septem, & insuper granula duo, quæ ex marca supersunt.

Nummus aureus imperialis pondere denariorum quatuor, totidemque granulorum gravis, marcam ingreditur. Quadragies septies numeratus, subsultat ex marca denarius unus. Porro quem semiimperialem vulgus appellat, semissis neque pondus neque valorem sustinet, cum plus semisse teneat, nempe denarios duos, granula septemdecim. Ingrediuntur autem hujusmodi nummi duo & sexaginta marcam, redundantibus ex marca denariis duobus, granulis decem.

Henricanus nobilis Anglicanus, pondo denariorum quinque, granulorum decem, numero quinque & triginta, marcam ingredi possunt: superante etiam marca denariis duobus, granulis decem. Id quoque apparebit ex ea, quam designavimus, methodo.

Quadrans unciæ aureus solidus drachmalis, quem rosatum nobilem appellant, sex denarios pendit: cujus ponderis olim extabat solidus aureus Alexandri Mamææ. Quarto repetitus unciam sustinet: bis ac trigesies, marcam implet ex æquo: libram vero duodenariam quadragies octies.

Regalis Austrasianus, cujus gravitas designatur denariis undecim, & granulis insuper quindecim, unciam ferme perficit, deficientibus tantum granulis novem: marcam igitur ingrediuntur regales Austrasiani sedecim. Cæterum ex marca redundant centum quadraginta quatuor granula, hoc est, denarii sex.

Novissime vero præ se agit reliquos sua gravitate nummos decuplaris aureus, decem in se ducales aureos complectens (vocant nonnulli *desideratum Portugalensem*) pondo denariorum viginti septem cum granulis decem. Pendit igitur unciam unam cum tribus denariis ac decem granulis. Complectitur ergo in universum granula 558. Partire igitur hoc granulorum numero marcæ octuncialis minutias 4608. quotiens tibi referet septem decuplares nummos in marca, exsuperantibus etiam granulis quinquaginta, hoc est, duobus denariis & totidem granulis.

Atqui aureorum hujusmodi nummorum æstimatio non tantum a ponderis observatione, quinetiam ab auri pendet indicatura: cujus rationem paulo ante ex trapezitarum placitis texuimus. Sequens est æstimationem singulorum recensere, juxta edictum recentissimum anno a partu salute 1541. promulgatum.

Caroleus Flandrensis	22. sol. 6. d.
Philippeus	28. s. 4. d.
Florenus trajectensis	29. s. t.
Aureus coronatus	43. s. 6. d.
Rosatum Angliæ minus	41. s. 6. d.
Solatus aureus nummus	45. s. t.
Aureus salutisnus	47. s. t.

Nummi ducales Lusitani, Florentini, Veneti, Genuenses, Castellani seu monocephali seu bicipites, Valentiniani, Ungari, Bononienses, Siculi, hi omnes æstimationem subeunt.	46. 3. d.
Ridereus nummus	48. s. t.
Aureus rosatus major	44. s. 10. d.
Regales aurei	47. s. 3. d.
Francici equites pedaneive	48. s. 10. d.
Aureus priscus	51. s. t.
Nummus leoninus	53. s. 9. d.
Aureus mutoninus caret indicatura.	
Geniatus	67. s. 6. d.
Alphonsinus	70. s. t.

Nummus

Nummus Imperialis	71. ſ. t.
Nobilis Henricanus	4. l. 14 ſ.
Nobilis roſatus	5. l. 2. ſ. t.

Regalis auſtraſiani, ac decuplaris ducati, indicatura nulla valoris hoc loco recenſetur: uti nec nummi, quem *ſcutinum* vocant *Anglicum*, & aliorum quorundam.

Porro promptum erit ex ſimplicibus ducatis duplarium ac decuplarium inire rationem.

Duplaris itaque ducatus valoris	4. l. 12. ſ. 6. d.
Decuplaris	23. l. 2. ſ. 6. d.
Obolus Leodienſis Johanninus	12. ſ. 6. d.
Leodienſis Ebrardinus	12. ſ. t.
Leodienſis Gulielminus	11. ſ. 6. d.
Leodienſis Sammartinianus	8. ſ. 6. d.
Scutinus Anglicus.	40. ſ. t.

Lego apud Cuſpinianum hiſtoricum, in Tiberio Conſtantinopolitano Cæſare, aureum nummum fuiſſe aliquando libralem: ut qui Francorum Regi Chilperico, aureos quinquaginta nummos libram unam pendentes ſingulos dono dederit. Quibus inſculpta erat una facie imago Principis hac ſcilicet inſcriptione: *Tiberius Conſtantinus perpetuus Auguſtus.* fronte vero diverſa quadrigæ inſidens conſpiciebatur hoc titulo circumſcripto, *Romanorum gloria.* Pendebat itaque ſolatos ſex ſupra centum.

Hactenus de iis, quæ ad tomum primum pertinent.

TOMUS SECUNDUS.

De aſſis varia acceptione, & ejuſdem partitione.

Aſſis æerei, qui & libra & pondo æris appellabatur, æſtimatio ita depingenda videtur: ut ab uncia, quæ duodecima pars ejus eſt, ad ſextantem, a ſextante ad trientem, & reliquas ejus partes, ſingularum valore deſcripto, & cum noſtro numiſmate collato ad integri aſſis indicaturam perveniatur.

Uncia igitur ab *unitate* ſic appellata, aſſis æerei pars duodecima, ad noſtrum numiſma comparata, valet pitam cum ſemiſſe, & duodecima parte pitæ, inſuper & ſexageſima ejuſdem. Eſt ergo paulo major tertia parte denarioli noſtri, eratque uncia libræ æreæ. quo apparet longe cariorem eſſe æris materiam, noſtris quam priſcorum Romanorum temporibus. Hoc autem ære unciali vendebatur libra olei, auctore Plinio libro 15. qui ait: *Appio Claudio & Lucio Julio conſulibus, duodena olei libra ſingulis aſſibus vendebantur.* Quo fit, ut unciæ, libra olei reſponderet.

Sextans uncias duas capit, valetque noſtro numiſmate tres pitas, duas tertias unius quartæ pitæ, cum duabus tertiis unius vigeſimæ. Capit igitur ſua æſtimatione ſeſquiobolum Pariſinum, & ferme denariolum, demptis paucis minutiis.

Quadrans ſeu teruncius, valet noſtra æſtimatione denariolum unum, ſemiſſem unius pitæ cum quarta inſuper, & viceſima parte unius pitæ. De hoc videtur intelligendum eſſe illuc Euangelicum: *Non exies inde, donec reddas noviſſimum quadrantem.* Lucas 12. capite *minutum* dicit, ſeu λεπτὸν. de lepto tamen ſuo loco dicetur. Verum beatus Marcus cap. 12. ait *viduam miſiſſe in gazophylacium minuta duo, quod eſt quadrans.* Quod ita accipi poteſt, ut quodlibet illorum minutorum ſit quadrans. Nam quadrans minutum quidem eſt, ſed non illud minutiſſimum atque inſectile lepton, quod eſt pars ſeptima chalci ſeu æreoli. Sunt ergo plura minuta, ut quadrans, ſextans, uncia aſſis æerei. Verum illud quod indiviſum manet, eſt ſeptima æreoli pars, quæ abſolute *lepton* & *minutum* nominatur: ideoque non ocioſe addit Euangeliſta, *quod eſt quadrans*, ad differentiam minuti minutiſſimi, quod lepton appellant. Duo igitur æra minuta viduæ ſemiſſem aſſis æerei faciebant, hoc eſt, denariolos duos, pitam unam cum ſemiſſe, cum decima parte unius pitæ. Niſi forte de aſſe Papyriano intelligenda ſunt euangelica verba, quem fuiſſe in uſu tempore Auguſti Cæſaris vehemens conjectura eſt, qui minor eſt hoc aſſe librali ſemuncia & triente: ut ſuo loco dicetur. Hinc etiam promptum eſt ſportulæ Romanæ æſtimationem elicere, quæ centum quadrantes & viginti quinque aſſes (cum as ſit ad quadrantem quadruplus) capiebat, ſeu denarios duos Romanos cum ſemiſſe, ſeſtertios vero, hoc eſt, ſolidos decem. Nam ſeſtertius, quadrans eſt denarii. Erat autem ſportula, ſtipendium ſalutationis & comitatus eorum, qui latera cingebant Romanorum inſignioris notæ, præmium æquante labore, ſi Martiali creditur, qui ait:

Centum miſelli jam valete quadrantes,
Anteambulonis congiarium laſſi.

Idemque ait:

Dat Bajana mihi quadrantes ſportula centum.

Cum ergo denarius decem aſſes, & quadraginta quadrantes recipiat, quid apertius quam ſportulam valere decem duodenarios nummos, quum denarius Romanus quatuor ſolidos, & ſportula duos denarios Romanos cum ſemiſſe contineat? Nummus ergo ille argenteus capitatus, quem teſtonem vulgo appellamus, congiarii & ſportulæ apud Romanos vicem tenet. At longe inferioris notæ erat ea ſportula, quam Samueli oblatam legimus primi Regum nono. Sic enim legitur: *Ecce inventa eſt in manu mea quarta pars ſicli argenti, quam dabo viro dei, ut annunciet nobis viam noſtram.* Nam quarta pars ſicli drachma eſt, denario minor octava parte, quod & ſuo loco dictum eſt: item & alio loco dicendum. major tamen eſt ſportula ſacerdotali uno denario nummo, cum duos tantum ſolidos & ſemiſſem percipiant ſacrificantes hoc noſtro ſeculo ſportulæ nomine. Hæc autem de congiario dicta ita accipi velim, ut eorum quæ dicenda ſunt in aſſe Papyriano, cenſuram expectent. Reſtat ex geminato ſemiſſe componere aſſem, quemadmodum ex duplicato quadrante ſemiſſem, & ex repetito triente beſſem conſtituimus. Semiſſem autem ex noviſſimo præfato diximus valere duos denariolos, pitam cum ſemiſſe & decima unius pitæ. qua ratione as æſtimabitur quatuor denariolis, cum denarioli oboliquе ſemiſſibus, & quinta parte unius pitæ. Id quod etiam alio loco probatur, ex eo quod as ſit decima pars denarii, quem quadrinummum duodenarium eſſe diximus. verum de aſſe fuſius hoc loco diſſeratur.

Aſſis ſignificatio tam late patet, quam varie accidit ſolidum aliquod in partes dividi aliquotas: ſecernitur autem ut plurimum in duodecim. Sic fit, ut aſſem menſuræ concavæ ſextarium appellemus, cujus uncia eſt cyathus. oblongæ vero menſuræ as pedanea menſura: uncia vero ſeu pars duodecima, eſt pollex: ut de his in menſuris oblongis diſſeruimus. Sic & ſolem, dum eclipſatur, in duodecim uncias partiuntur mathematici, ſeu puncta, quæ veteres digitos eclipticos vocant. Uſuram etiam centeſimam jureconſulti aſſem fecerunt, quam in duodecim uncias partiuntur: & ejus partitionis abacum ſubjiciemus, modo prius de aſſe nummario diſſeratur. Vocant & jureconſulti ſolidam hæreditatem *aſſem*, dicentes *aliquem hæredem ex aſſe factum*, ad

quem hæreditas tota pervenisset. *Alium ex triente* seu uncns 4. *ex quadrante* seu uncis tribus, *ex semisse* seu uncus sex. Hinc illud Martialis:

Heredem Fabius Labienum ex usse reliquit.

As igitur ut plurimum duodenarius est, cujus duodecima pars uncia est, & duæ unciæ sextans, tres unciæ quadrans, quatuor triens, quincunx quinque unciæ, sex vero semis, septem onciæ septunx, octo unciæ bes, novem unciæ dodrans, decem dextans, undecim deunx: duodecim vero unciæ, as cohærente analogia denominabuntur. Verum ad rem nostram magis facit as nummarius, quem assem veteres Romani temporibus Tulli Hostilii sexti Romanorum regis æreum percusserunt nota *pecudum*, unde *pecunia* suum nomeo habet, perculumque, libram, & pondo, & æreum nummum appellaverunt. Deinde post annos quadringentos viginti, sub primum bellum Punicum, cogente inopia, hujus assis pondus diminutum est ad dextantarium pondus, seu uncias decem sextante ablato de libra, & indidem facta est quinta pars lucri, non quinque partes. Postea vero præter sextantem uncia adempta est, sicque erat dodrans seu novem unciarum, tandemque lege Papyriana ablata sunt sescuncia, seu uncia & semis. Ad hunc modum as de duodenario redactus est ad septuncem & semunciam, inque eo pondere & valore usque ad tempora Christi perdurasse existimatur: eoque factum est, ot denarius argenteus, qui prius decem assibus æstimabatur, sedecim jam inde permutaretur, quinarius octonis, sestertius vero quaternis: quamvis quinarius antea quinque asses valeret, sestertius vero duos & semissem. Hæc idcirco dicta sunt, ut æstimationem assis & quadrantis Euangelici, certissima ratione assequamur: quam rem nondum mihi videntur assequuti, qui totum suum calculum ab asse gravioris æris pendere fecerunt, cum potius ad assem, septuncem, & semuncialem respiciendum fuerit. Nam eo asse utebantur Augusti Cæsaris temporibus, ut vere tradidit Nebrissensis. Est igitur as duplex, major & minor. Major quidem libræ seu pondo unius, duodecim uncias capit, valetque, uti supra jam probatum est, & collectum, denariolos quatuor cum denarioli oboloque semissibus, & quarta parte unius pitæ. Est vero as alius minor, septunx & semuncialis, quem & Papyrianum dicimus: de quo ita sentit Plinius, & recte. *Sic, inquit, factum est, ut denarius sedecim assibus permutaretur, quinarius octonis, sestertius vero quaternis.* Sic fit, de quinario octonarius, & de semistertio quadrussis, modo id constare fecerimus, quod sedecim asses minores denarium impleant. Id autem sic probabitur. Denarius quum sit decussis, decem libras æris sive uncias decies duodecim, quæ sunt numero centum viginti, ex æquo continet: asses autem sedecim minores, cum sint septem unciarum & semissis singuli, in primis septies sedecim uncias capiunt: ex qua multiplicatione evadit numerus centum duodecim unciarum. Jam restant sedecim semunciæ, ex quibus fiunt unciæ octo: quæ adjunctæ priori numero, centum viginti uncias (quas denarius in se complectitur) summa æquante comprehendunt. Recte igitur Plinius dixit, denarium sedecim assibus permutari, quod a vero esset alienum, si as iste Papyrianus aut major esset aut minor quam septunx & semuncialis. Jam autem ex novissimo præfato docuimus, sex uncias valere duos denariolos, pitam cum semisse & decima parte unius pitæ: quibus jungenda est uncia cum semisse, seu sescuncia, quæ valet obolum, semissem, & vigesimam pitæ. Ex his conflatur valor assis Papyriani, quem dicimus continére tres denariolos, semissem pitæ, & tres vigesimas unius pitæ: quo asse utebantur Romani tempore Cæsaris Augusti. Quo tandem fit, ut tanti duo passeres venirent, juxta Euangelicum illud: *Nonne duo passeres asse veneunt?* As iste geminatus nostra quidem æstimatione reddit sex denariolos, pitam, & tres pitæ decimas. Nam sex vigesimæ tres decimas complent. Idemque vulgo *dupondius* olim dicebatur, eo nempe quod geminis assibus ipse constaret, quanquam & as diminutus esset a libra ad septuncem & semunciam. re tamen mutata nomen immotum permansit. Tum vero temporis (Christo nimirum inter homines agente) quinque passeres dupondio fuisse venditos, cum interim duo duntaxat uno etiam asse venirent, nihil mirum videri debet: nam quintus passer corollarii & superpondii vice super pretium adjungi potuit. Alioqui quatuor passeres gemino asse comparari debuissent. Quæ si vera sunt, (ut certe sunt veri admodum similia) dicemus duos quadrantes assis hujus, quos vidua Euangelica misit io gazophylacium, ad semissem assurgere: atque adeo ære nostro continere denariolum, & semissem denarioli, pitæ quartam unam, insuper & vigesimam unius pitæ, cum semisse vigesimæ. Hæc siquidem est assis Papyriani medietas, ad nostrum valorem reducta.

Age jam ad centum quadrantes procedamus, qui sportulam perficiebant, eam ipsam Cæsaris Augusti tempore usu frequentem: quæ quanti æstimanda sit, hac veluti scalari structura palam fiet. Principio illud tenendum est, centum quadrantes, quinque & viginti asses perficere. Atqui diximus sedecim asses bujus quidem indicaturæ valere denarium, qui ipse est solidorum quatuor, quibus assuendi sunt asses octo, hoc est, duo nummi, duo denarii: sicque evadit numerus sex solidorum. Novissime adjungendus est as vigesimus quintus, cujus valorem nuper descripsimus. Erit itaque nostro ære æstimatio sportulæ illius, quæ tempore Christi, nunquam absque Servatoris præfatione nominandi, in usu apud Romanos esse solebat: erit inquam sex solidorum & unius assis Papyriani, hoc est, trium denariolorum, & trium vigesimarum partium unius pitæ cum semisse. Reliquas partes prosequi, nihil aliud quam sarcina gravis & pondus inutile foret. Id nobis abunde satis est parasse viam; qualis ipsa cunque sit, singula prosequi volentibus. Hactenus de assibus tum gravi, tum levi, deque partibus eorum dicta sufficiant.

De asse autem fœnereo, quia obiter ejus mentio nobis facta est, utpote quem centesimam usuram esse diximus, nonnihil ad præsens disserere haud incommodum fuerit.

Centesima usura est, quæ centesimo mense æquat sortem, hoc est, octavo quoque anno, quarto etiam superaddito mense, habetque ipsa drachmas centum, adeo ut singulis mensibus sua drachma respondeat, ac proinde singulis annis, qui duodecim complentur mensibus, centenarium fœnus exercens unusquispiam, pro centenarii mutuo, drachmas duodecim percipiat. Sic igitur messis mutui centenaria, duodenariam sementem parit in annos singulos: qui vero ad deuncem fœnus exercet, undecim pro centenario metit. dextantarium autem fœnus decem pro centum, dodrantale novem, bessale octo, (Calechutiani apud externos usuram hanc bessalem in suis commutationibus observant, dum octo pro centum colligunt) septunciale septem, semis vero sex pro centenario colligit. Qua ratione in semisse usura medietas drachmæ, hoc est, centesimæ partis mutui, singulis mensibus correspondet: quincunciale vero fœnus de centum quinque

quinque colligit in annos singulos: quam rationem sortitur Calechutianum vectigal, auctore Cadamusto: trientarium quatuor, quadrantale tria, sextantarium duo, unciale vero unum. Porro ex Gallicæ historiæ monumentis constat Philippum Augustum sub annum domini 1206. ad compescendam Judaicæ voraginis sitim inexplebilem, redegisse usuram mutuatæ libræ unius ad sextantem solidi, hoc est, denarios duos: ut non amplius mutuans annuo proventu reciperet, quam libram unam pro centum viginti. Quæ usura minor erat unciali, qua quotannis recipitur unum pro centum. Hic autem ea, quam diximus, servata ratione centuriæ librarum, respondent solidis sedecim cum besse solidi. Quod ut perspicuum magis evadat, hic subnectendus est abacus.

Unus denarius in libras singulas pro centuria librarum assurgit ad	8. s. 4. d.
Denarii duo.	16. s. 8. d.
Denarii tres.	25. s.
Denarii quatuor.	33 s. 4. d.
Denarii quinque.	41. s. 8. d.
Denarii sex.	50. s.
Denarii septem.	58. s. 4. d.
Denarii octo.	66. s. 8. d.
Denarii novem.	75. l.
Denarii decem.	83. s. 4. d.
Denarii undecim.	91. s. 8. d.
Denarii duodecim.	100. s. t.
Duo solidi Turonici.	10. l. t.
Tres solidi.	15. l. t.
Quatuor solidi.	20. l. t.

Hactenus dictum sit de enumeratione hujus abaci. Illud superest dicendum, quod olim Justiniani legibus trientarium tantum fœnus permittebatur, semisse usura vulgo concessa: nisi qui forte negotiatores essent, pro trajectitio nauticoque fœnore, dum tamen salvis ad portum mercibus redirent, tum his bessalis usura concedebatur. Ad summum autem indulgebatur centesimum fœnus: quod ob aliam causam concedi non potuit, nisi aut lucri cessantis gratia, aut damni emergentis incommodo. alioqui timendus est potius Deus, quam audiendus Justinianus. Quocirca mirum est viros alioqui cordatos, quos ex sua conditione oportet ab omni negotiatione esse semotos, plus excrementi exigere, quam olim in summo labore & discrimine negotiatoribus permitteretur. Super hac re viderint reipublicæ moderatores, qua arte, quibus legibus aut senatusconsultis huic morbo adhibenda sit medela. Hodie enim videmus viros magni nominis Christianos, Ethnicorum cupiditatem manifesta crudelitate superare. Siquidem non desunt, qui supra centesimum fœnus sesquiduodecimum exercent, ut qui tredecim pro centum: sesquisextum, qui quatuordecim: sesquiquintum, qui quindecim: sesqui tertium, qui sedecim, pro centum exigunt, aut deprædantur. quodque deterius est, duplam centesimæ metunt, qui pro centum quatuor & viginti; triplam, qui sex & triginta exugere non erubescunt. Rex certe Lusitanus a Calechutium petituris negociatoribus ferme quadruplum centesimæ, de his quæ referuntur mercibus exigit, nempe quadraginta pro centum: Nec alias Indiam petere licet impune. Sicque furiosa quadam cupiditate in immensum crescit usura; ut nonnunquam usuram cum sorte capitali æqualem esse contingat. Quod genus rapacitatis, omnem prædonum immanitatem superat. Quod autem de usura centesima legimus secundi Esdræ 5. illud longe recedit ab hujus centesimæ usuræ ratione. Nam eo loco potius significatur centesima totius capitalis, quæ est decima decimæ, quam percipere solebant summates Hebræorum: quod ipsum fieri prohibet Esdras, his verbis: *Quin potius & centesimam pecunia, frumenti, vini & olei, quam exigere soletis ab eis, date pro illis.* Illud obiter annotandum septunciale fœnus, quo pro centum colliguntur septem, lege permitti in locis ditioni Pontificis subjectis, idque titulo lucri cessantis apud negotiatores. Quæ constitutio lucri in hoc moderata videtur, quod deductis oneribus, periculis, ac lucri cessantis damno, septem assis unciæ respondere videantur. Est ergo lucrum medie temperatum inter centenariam, quam vocant, usuram, quæ duodecim de excremento recipit annuatim, & sextantariam, qua duo pro centum colliguntur, & id quidem habebatur vice muneris & gratitudinis. Porro septem quinario superat binarium, & eodem superatur a duodecim. Verum rectius usura semis pro lucro cessante admittenda videretur inter negociatores, proque deductis oneribus & periculis, quæ negociatores circumvenire solent: alias nihil præter capitale sperandum foret. Hæc de asse, deque ejus varia significatione dicta sint. Superest ab asse ad denarium drachmamque transire: verum prius de obolo disserere opus est.

TOMUS TERTIUS.

De obolo, & partibus ejus.

OBolus ab *obelisco*, cujus signum & imaginem gerit, nomen habet: est autem nummus apud Græcos minutulus, non tamen omnium minutissimus cum in semiobolos, chalcos, & lepta, distribuatur, tametsi Fannius id asseruisse videatur his versibus:

Cecropium superest post hæc docuisse talentum,
Sexaginta minas, seu vis sex millia drachmas;
Quod summum doctis perhibetur pondus Athenis:
Nam nihil his obolove minus, majusve talento.

Quod si verum est, semiobolus, chalchus & lepton, magis ad pondera quam ad numismata figuris formata referenda forent. verum parum refert, an istud credatur, an illud. Utcunque tamen res habeat, tres in usu esse obolos apud auctores reperio: quibus quarti oboli vice sextantem denarii adjungere poteris. denarium enim Vopiscus distribuit in sex sextantes, hoc est, sex Romanos obolos, ita enim sextantem denarii appellare possumus.

Primus igitur omnium obolorum est Hebraicus, qui est vicesima pars sicli. nam siclus viginti obolos habet. Exodi 30. & Ezechielis 45. Siclus autem stater & tetradrachmum, pro eodem apud Josephum & septuaginta Interpretes accipiuntur. Comprehendit igitur siclus drachmas quatuor. & hinc fieri necesse est, quod obolus sit quinta pars drachmæ. drachmam autem trium esse solidorum cum semisse, in præfatis docuimus. Continet igitur drachma denariolos duos & quadraginta, & quinta ejus numeri pars complectitur denariolos octo, pitam cum semisse, insuper & quintam partem unius pitæ. Tantum ergo valet obolus Hebraicus nostro numismati comparatus. Hebræi volunt hunc esse nummum argenteum, qui 1. Regum 2 appellatur *agorah ceseph*, quo loco sic legitur: *Futurum est autem, ut quicunque remanserit in domo tua, veniat, ut oretur pro eo, & offerat nummum argenteum, & tortam panis.* Constat autem, quod gerah obolum significet, Exod. 30. *Viginti gerah*, id est, obolorum, *est sicel.*

Obolus alter est Atticus, sexta pars drachmæ, cu-

 jus

jus drachmæ valore in ſex partes diſtribum, facile agnoſces ſextantarium obolum ſeptem denariolos capere. Illi enim ſepties reſumpti, tres ſolidos cum ſemiſſe reddunt. hac ratione obolus Hebraicus ſuperat Atticum ſeptima parte, & minutus aliquot. Diſtribuitur autem hic obolus in ſemiobolos duos: chalcos ſex, ſeu æreola: minutias vero inſectiles ſeptem, quæ lepta dicuntur.

Hinc facile eſt deprehendere ſtateris Corinthii noſtra æſtimatione valorem, quem Rodiginus antiquarius decalitrum vocatum aſſerit, non a librarum, ſed obolorum decade.

Porro oboli decem Attici, ſeptem caroleis nummis æſtimandi veniunt, hoc eſt, ſolidis turonicis quinque cum caroleo denario. Cum igitur obolus ſeptem denariolos valore conſtituat, ſequens eſt diobolum quatuordecim, & quadriobolum duos ſolidos turonicos cum quatuor denariolis conficere. At hemiobolus nummus tres denariolos cum ſemiſſe reddit, ut ferme eſt apud nos quem appellamus liardum. Verum cum nummus, quem ſiclum appellant, obolos ſeptem cum hemiobolo contineat: promptum eſt elicere, hujuſmodi nummum noſtro numiſmate æſtimari quinque caroleis nummis, duobus denariolis cum ſemiſſe. Hac ratione farinæ capitha, quæ juxta Xenophontem vænibat ſiclis quatuor, & chœnicas duas complectebatur: aſcendebat ad valorem unius ac viginti caroleorum nummorum, qui in ſolidis turonicis reddunt decem & ſeptem cum ſemiſſe, hoc eſt, unius ſemiſſem coronati. Chœnix igitur farinæ olim craſſante inedia, æſtimationem ſubiit ſolidorum octo cum novem denariolis.

Semiobolus, ut ex partitione oboli conſtat, tres denariolos capit, & ſemiſſem.

Chalcus ſeu æreolum, denariolum & ſextam ejus partem comprehendit, cujus indicaturæ ferme eſt apud nos denarius Pariſinus, qui turonico major eſt una pita: quatuor enim Pariſini quinque turonicos conſtituunt.

Lepton vero pars ſeptima chalci, ſeptimam partem denarioli cum ſeptima ſextæ ejuſdem continet. Hæc ſunt pervia rationem inire volentibus, nec ulla poſſunt adverſa ratione refelli.

Obolus Gallicus, medietas denarioli turonici, in geminas partes diſtribuitur, utpote in duas pitas, nec ultra noſter progreditur uſus.

Obolus Romanus ſi non nomine, re tamen ipſa in uſu eſt apud auctores: eſt enim ſextans denarii Romani, quemadmodum Atticus obolus eſt ſextans drachmæ Atticæ. Cum ergo denarius quadraginta octo denariolos, qui in quatuor duodenariis nummis comprehenduntur, numero & valore compleat: ſextantem ejus octo denariolis conſtare neceſſe eſt. Eſt ergo obolus Romanus ad Atticum ſeſquiſeptimus, ſicut denarius ad drachmam: ſicque octo oboli Attici ſeptem Romanos, & ſeptem Romani octo perficiunt Atticos: quemadmodum ſeptem denarii octo drachmas, & octo drachmæ ſeptem denarios recipiunt. Ab obolo vero *diobolare* dicitur, quod pro viliſſimo habetur: quod quidem in obolis Romanis ſedecim denariolos, in Atticis vero quatuordecim juſta æſtimatione valent.

Triobolus ſemiſſem ſeu denarii ſeu drachmæ comprehendit, ſi quidem drachmæ, valet duos caroleos nummos, & denariolorum unum: ſi vero denarii, valet duos ſolidos turonicos. Tanti eſſe cenſetur res, quam veluti abjectam, & nullius ferme precii, trioboli eſſe dicimus. Nunc ſupereſt ab obolo ad drachmam, quam ſeptima ſui parte denario minorem eſſe diximus, ſtylum flectere.

TOMUS QUARTUS.

De drachmæ valore, & ejus partitione.

DRachma per *ch* ſcribitur. nam ſi per *gamma* ſcriberetur, manipulum ſignificaret. ſi autem *drama* ſcriptum inveniatur, genus eſt orationis, cujus phraſi perſonæ loquentes introducuntur. auctor eſt divus Hieronymus ſuper Cantica: *Drama interdum actus comicorum ſignificat. De hac dictione ſcriptum legimus illud in Eccleſiaſtico officio: Ante thorum hujus virginis, frequentate nobis dulcia cantica dramatis.* Drachma igitur Attica, minæ Atticæ pars eſt centeſima, unciæ vero octava, eaque in ſacris ſcripturis uſu frequens eſt, præſertim apud ſeptuaginta Interpretes. Dicitur autem Hebraice *darcemon*, plurative *darcemonim*. ſic enim legitur in Eſdra: *Dederunt in impenſas operis, auri ſolidos quadraginta millia. ubi pro* ſolidis *darcemonim* legitur: apud nonnullos drachmæ reponuntur. Cæterum pro *quadraginta millibus* quidam legunt *ſexaginta millia.* Hebræus habet *darcemonim*, per quo interpres promiſcue aut drachmas aut ſolidos vertit. Habes quoque redundante *aleph* 1. Paralipomenon 29. *ſolidos decem millia*, per quo legimus *adarconim*. De ſolido vero ſuo loco dicetur. Quod vero ad drachmam attinet, conſtat eam valere tres ſolidos & ſemiſſem, cum ſit centeſima pars minæ Atticæ. mina autem Attica, ut ex præfatis liquet, noſtra æſtimatione valet decem coronata æſtimationis triginta quinque ſolidorum pro ſingulis coronatis. Valet autem, ineunda quidem per libras ſupputatione, decem & ſeptem libras turonenſes cum ſemiſſe: cujus valoris centeſima pars ſummam, quam drachmæ tribuimus, continet. Porro denarium drachma majorem octava parte denarii, certiſſimis argumentis Agricola docet: quo fit, ut drachmæ denariique, ſeſtertii & oboli, non ſibi per omnia reſpondeant: immo verius ſeſe excedunt ea proportione, qua denarius drachmam ſuperat, videlicet in ſeſquiſeptimo. Quo fit, ut decem drachmæ ſcutum coronatum valeant: denarii vero Romani decem, libris duabus turonicis æſtimentur, quinque ſolidis majores drachmarum decade, qui ſunt ſeptima pars ſcuti coronati. Qua ratione fit ſeſtertios drachmales, quibus Budæus toto ſui operis decurſu utitur, ſeſtertiis denariorum Romanorum ſeptima parte inferiores eſſe. In ſeſtertiis igitur Romanis, qui denariorum Romanorum ſunt, illud obſervandum eſt, quod eorum calculus calculive æſtimatio, octava parte major eſt ſumma ex ſeſtertiis drachmalibus conflata, cum tamen proprie drachma ſeſtertios non habeat, ſed denarius potius. qui ſecus ſentiunt, exiſtimaverunt denarium & drachmam ejuſdem eſſe valoris: id quod non ita ſe habere diximus, & copioſius dicetur in denario. De drachma igitur hic abacus eſto: Drachma valet tres ſolidos & ſemiſſem.

Drachma una, ovis erat precium legibus Solonis, quinque vero bovis.

Drachmæ tres nummi capitati valorem æquant, nempe ſolidorum decem cum ſemiſſe. Erat autem olim veteris impenſa ſacrificii, juxta adagionem: *Ad porcellum da mihi mutuo tres drachmas.* Mos ſiquidem erat initiari volentibus immolare porcum. Decem drachmæ valent triginta quinque ſolidos turonicos, ſeu ſcutum coronatum.

Duodecim drachmæ valent duos ſolidos & quadraginta. Phocion Athenienſis letalem cicutæ potionem emit a carnifice, adeo ut ne gratis quidem ei mori licuerit. Venděbatur autem uncia cicutæ

12. drach-

12. drachmis, hoc est, quadraginta duobus solidis turonensibus.

Quinquaginta drachmæ quinque scuta coronata reddunt, hoc est, libras turon. octo, solidos quindecim.

Centum drachmæ valent scuta coronata decem, libras turonicas septemdecim cum semisse, & hæc est mina Attica.

Mille drachmæ valent centum coronata, librasve turonicas mille septingentas quinquaginta.

Hinc æstimari potest legis Sulpitiæ indicatura, qua jubetur: *Ne quis ordinis senatorii ultra duo millia drachmarum æs alienum conflare posset.* Designantur enim hoc numero coronata ducenta, hoc est, libræ turonicæ trecentæ quinquaginta.

Myrias drachmarum seu decem millia, valent mille coronata.

Cum igitur myrias drachmarum æstimetur mille coronatis: sequens est, ut centum myriades centies mille coronata, trecentæ vero, trecentena millena, valore comprehendant. Quam trecentarum myriadum summam, Sulpitium tribunum plebis debiti nomine reliquisse, auctor est Plutarchus in Lucio Sylla.

Duodecim millia drachmarum valent mille ducenta coronata, quam summam Judas Machabæus misit Hierosolymam offerendam pro peccatis mortuorum: ut scribitur 2. Machab. 12 Et hic numerus complet talentum vulgare Hebraicum. Id perspicere poteris in re talentari, Tomo nono.

Valet etiam libras turonicas bis mille centum.

Quinquaginta millia drachmarum, valent quinque millia coronatorum, seu libras turonicas octies mille septingentas quinquaginta.

Septuaginta millia drachmarum valent septem millia coronatorum: qua ratione didrachma septuaginta millia valent quatuordecim millia coronata. Qua de re scribitur 2. Machab. 10, *Hi vero, qui cum Simone erant, cupiditate ducti, a quibusdam qui in turribus erant, suasi sunt pecunia: & septuaginta millibus didrachmis acceptis dimiserunt quosdam effugere.* Illud autem sciendum, in exemplari Græco *drachmas* pro *didrachmis* esse repositas.

Centum millia drachmarum, valent decem millia coronatorum.

Ducenta igitur quinquaginta millia drachmarum, valent viginti quinque millia coronatorum: quo munere Claudius Leta a Marco Antonio donatus est, eo quod Ciceronem capite manuque truncasset.

Jam partienda est drachma in suas partes.

Drachma scriptula tria habet, obolos sex, semiobolos duodecim, minutias septem.

Scriptulum cum sit tertia pars drachmæ, valet denariolos quatuordecim.

Obolus scriptuli medietas, valet septem denariolos: quod etiam supra demonstratum est. Est enim sextans drachmæ.

Semiobolus valet tres denariolos, & semissem. de chalco & lepto supra dictum est in obolo.

Denarium Romani in quatuor quadrantes seu sestertios distribuunt. drachmæ partitione non ita liquet: nam sestertiis Græci non utuntur, nisi cum drachma pro denario accipitur. Hujus rei testis est locupletissimus Georgius Agricola. Si cui tamen placet ita partiri drachmam in quatuor quadrantes, ita sestertii drachmalis abacum constituere poterit.

Sestertius drachmalis valet caroleum nummum cum obolo, seu decem denariolos & semissem.

Sestertii quatuor perficiunt drachmam, quæ est trium solidorum & semissis.

Octo sestertii didrachmum faciunt valoris septem solidorum turonensium. Cujus meminit Evangelista his verbis: *Nunquid magister vester solvit didrachmum?* Quod cum sit sicli dimidium, hujus meminit Moyses Exodi 30. *Dabit omnis qui transit ad nomen*, seu alias *ad numerum*, *dimidium sicli: dives non addet ad medium sicli, & pauper nihil minuet.* Tantum ergo tributi nomine persolvebant Imperatori Romano, quantum in recensendis capitibus ex divino instituto offerebatur templo. Illud autem in didrachmo sciendum, apud Græcos fuisse nummum bovis nota signatum, qui didrachmus erat. hinc proverbium natum *Bos in lingua*, adversus eum, qui pecunia corruptus, dicenda reticeret. Qua in re, mea sententia, fefellit Sebastianum Munsterum virum eruditissimum, & plurimæ lectionis, & linguæ sanctæ studiosissimum scrutatorem, Rabbi Salomonis vanitas (ut ne dicam auctoritas) qui ait siclum valere quatuor aureos Colonienses, minam vero centum aureis. Nam quod ad minam attinet, quid in ea tenendum sit, ex Josepho manifeste ostendetur. quod autem de siclo asseritur, plane absurdum est. Quis enim credat divum Joseph in tanta rei familiaris inopia, nomine tributi edicto Cæsareo instituti, duos aureos solvere potuisse? Tanti enim didrachmum valere asserit Rabbi Salomon. Sed & Levitici 27. voti reus pro anima sua qoinquaginta siclos persolvere ex divino instituto debebat. At hi quinquaginta sicli, hac ratione conflarent summam ducentorum aureorum, cui persolvendæ universa mediocris familiæ suppellex sufficere nequaquam potuisset. At eadem lex legitur fuisse divitis & pauperis. quodque rem minus credibilem facit, istud est: quod siclum sanctuarii Rabbi Salomon vult esse duplum ad vulgarem: qua ratione quinquaginta sicli ingentem auri summam conflarent. Rectius ergo tenendum est, drachmam geminatam septem solidis nostro numismate æstimari. neque erat aureum didrachmum, sed argenteum: & denarius non aureus erat, sed argenteus. sic enim legimus: *Ostendite mihi numisma census. At obtulerunt illi denarium.* Stater quoque argenteus erat, de quo scriptum legimus: *illi obtulerunt triginta argenteos.*

Duodecim sestertii constituunt tridrachmum decem solidorum cum sex denariolis, cujus valoris capax est argenteus noster capitatus, testonem appellamus: tanti enim edicto regio hodie æstimatur, modo sit legitimi ponderis.

Sexdecim sestertii tetradrachmum perficiunt, quem argenteum staterem siclumque appellamus: de quo suo loco copiosius disseretur. Valet autem siclus quatuordecim solidos turonicos. Denique ex drachmis sestertios perficies, si numerum drachmarum auxeris ad quadruplum. E regione sestertios in drachmas contrahes, si ex numero sestertiorum subquadruplum extraxeris. Cujus rei sit exemplum hujusmodi: Decem drachmæ quæ valent scutum coronatum, quadraginta sestertios ejusdem valoris conficiunt: qua ratione viginti drachmæ, seu duo scuta coronata, octoginta sestertios reddunt: & centum drachmæ, quæ sunt decem coronata, quadringentos sestertios implent. Ex his paratam habes ad graviora viam. Quod si sestertiorum valorem ignoras, subquadrupla numerum sestertiorum: & habebis drachmas, ex quibus facile erit æstimare numeratæ multitudinis sestertiorum valorem. Verum, ut jam dixi, sestertiorum drachmalium usus non est admodum frequens apud auctores, sed denariorum potius. Nam denarii Romani sunt, drachmæ vero Atticæ. Quapropter sestertiorum calculus ad denarium deferetur. Nam sestertius denarii potius quam drachmæ, vere Romanus est. Hic locus nos admonet, ut de siclo ponderis monetæque Hebraicæ nota disseramus. siclum enim tetradrach-

mum esse diximus: quare post drachmam de tetradrachmo disserendi præsens se offert occasio.

TOMUS QUINTUS.

De siclo & ejus abaco.

Siclus, tetradrachmum, stater argenteus, & semuncia, idem sunt: staterem enim tetradrachmum esse docet illud Euangelicum Matth. 17. *Vade* (inquit Christus Petro) *ad mare, & mitte hamum, & eum piscem qui primus ascenderit, tolle, & aperto ore ejus, invenies staterem: illum sumens, da illis pro me & pro te.* Vides geminatum didrachmum pro Christo domino & Petro solvi, & staterem conficere. Id ipsum docet Josephus libro Antiquitat. 3. cap. 10. *Siclus*, inquit, *Hebræorum numisma, quatuor drachmas Atticas habet.* Hinc collige siclum esse tetradrachmum. Valet autem siclus nostro numismate solidos turonenses quatuordecim. Hunc autem esse quem scriptura argenteum appellat, vel hinc docere possumus, quod in plerisque locis pro siclis Septuaginta reponunt argenteos, & pro argenteis siclos. Nam ubi Hebræi *secel* dicunt, Septuaginta aliquando *drachmam*, quod tamen a multis reprobatur, idque merito, nonnunquam vero *argenteum* reponunt. Et quo rem ipsam apertius intelligas, & certius agnoscas, videndum est quod habetur 2. Regum. 18. ubi Joab de Absalone ita loquitur: *Si vidisti, quare non confodisti eum cum terra, & ego dedissem tibi 10. argenti siclos, & baltheum?* Qui dixit ad Joab: *Si appenderes in manibus meis mille argenteos, nequaquam mitterem manum meam in filium regis.* Hinc facile agnoscis siclos pro argenteis usurpari. Item Genes. 23. *Terra quam postulas, quadringentos siclos argenti valet.* Hebræi habent *secel ceseph. secel* enim siclum significat. Hieremiæ 32. *Appendi ei argentum septem stateres.* pro quo Hebræi habent *squalim* in plurali, Septuaginta habent *septem siclos.* nec mireris quod sequitur, *& decem argenteos:* nam ita reddiderunt Septuaginta, & nodum hunc resolverunt: *Statui ei septem siclos, & decem argenti.* veluti si dicas Hieremiam dedisse pro agro septemdecim siclos argenti. hinc *mischqual* pro pondere sumitur. *Saqual* enim Hebræis ponderare significat, & appendere. Illud supervacaneum esset repetere quod ex Ezechiele supra declaratum est, quod siclus viginti obolos habet: diximus enim suo loco, quanti æstimanda sit vigesima pars sicli, quam obolum scriptura appellat. Ex his quæ diximus, constare potest quanti ære nostro æstimatus sit Christus dominus a Judæis offerentibus proditori Judæ triginta argenteos, qui nostro numismate reddunt unam & viginti libras turonenses, quod alibi in mensura cabi dixisse meminimus. Illud adjungentes, caput asini in extrema penuria fuisse emptum 80. argenteis, hoc est, scutis coronatis 32. una cum decem solidis. Quod si quem scire juvat, quantum mulctæ nomine exigeretur ab eo qui virginem corrupisset, si patri non placeret, quod eam duceret in uxorem prædator ille virginitatis, id ex Josepho poterit quis discere, quo auctore statuebantur quinquaginta sicli ad sarciendam injuriam. Sunt autem quinquaginta sicli nostro numismate viginti scuta coronata. Sed & pœna impostoris, qui per calumniam impudenter suæ uxori stuprum imposuisset, negantis eam fuisse virginem, priusquam reciperetur in uxorem, falsitate deprehensa, præter supplicia verberum erat mulcta, centum siclorum argenti: ut habetur Deut. 22. Quod si centum sicli quadringentas drachmas efficiant, hoc est, minas quatuor Atticas, quum mina Attica decem scuta coronata valeat, sequens est, bujus imposturæ pœnam pecuniariam nostra æstimatione valere quadraginta coronata, hoc est, libras turon. septuaginta. Cætera quæ passim occurrent, deprehendi poterunt ex prædictis. Precium quo venditus est Joseph Ismaelitis, fuit argenteorum viginti, ad nostrum calculum librarum turonensium quatuordecim. Christum autem dominum pluris æstimari conveniebat, nec typum per omnia respondere figurato necesse est: non tamen inficior Ismaelitas denuo vendidisse Joseph Putiphari eunucho Pharaonis, qui an aliquid supra prius precium acceperint, nec ne, prorsus ignoratur. quis enim divinare possit, quæ nec scriptura tradidit, nec apud ullum ex probatis auctoribus scripta leguntur?

Cæterum præter hunc siclum semuncialem, quidam duplarem siclum uncialemque statuunt, quem *sanctuarii siclum* appellant: qua ratione duodecim sicli sanctuarii, libram Romanam constituerent. quod certe pugnat cum his quæ de mina Josephus tradidit: ait enim minam Hebraicam continere duas libras & semissem, libro Antiquit. 14. cap. 18. Cui si adjungas Ezechielis auctoritatem 45. cap. invenies siclos sexaginta minam constituere. quod non nisi de siclis semuncialibus intelligi potest: nam sexaginta semunciæ triginta uncias reddunt, quæ duas libras Romanas cum semisse constituunt. quod patet, si sex uncias, viginti quatuor unciis, seu libris duabus adjunxeris, evadent unciæ triginta, seu sicli sexaginta, qui auctore Ezechiele minam Hebraicam constituunt. Adde, quod textus sacer eum tantum siclum commemorat, qui viginti obolos habet, qualem esse staterem seu tetradrachmum ostendimus. Qui igitur diversa sentiunt, qua auctoritate, quave ratione fulti id faciant, ipsi viderint: nos auctoritate duce, comite vero ratione incedimus. Hoc autem in Joseph admiratione dignum occurrit, quæ libro II. Antiquit. cap. 3. asseverat Joseph precio viginti minarum venundatum negotiatoribus Arabiæ, quæ summa longe excedit viginti argenteorum & pondus & pretium. Verum ea antilogia referri potest, nec absurde, seu ad interpretis somnolentiam, qui sic pro argenteis minas reposuerit: aut ad chalcographi ignaviam, qui forte de nummo minam fecerit: quæ varietas non in Josepho solum deprehenditur, imo & apud Septuaginta, ut in mina copiose differitur. Nam Gen. 33. apud Septuaginta minam pro nummo, & nummum pro mina acceptum videbis. Illud autem moneo, ne quis in re nummaria Hebræorum nostri seculi usum sequatur, nisi quem errare delectat. Nam ut recte censuit August. Eugubinus, Hebræi veterum numismatum ponderumque sunt imperitissimi, nec suas pecunias nominibus sacris appellant: quin potius usum cujusque provinciæ, cum qua illis negotium est, omnino imitantur. quare ex scripturæ locis potius, quam ab Hebraica cæcitate haurienda est veritas, ne ex falsa eorum opinione contrahatur cæcitas. Per hæc expediri possunt in plerisque locis nonnullæ difficultates, quæ vix satis intellectæ leguntur. In primis legitur Gen. 20. quæ Abimelech Saræ dixerit: *Ecce mille argenteos dedi fratri tuo, hoc erit in velamen oculorum ad omnes qui tecum sunt:* quod precium si quis velit ad nostram æstimationem redactum cognoscere, illum scire oportet mille argenteos siclos valere quatuor mille drachmas. Cum autem ex prædictis, centum drachmæ minam argenti reddant, hoc est, decem coronata: & mille drachmæ decem libras faciant, hoc est, coronata centum: sequens est mille siclos valere quadringenta coronata, hoc est, libras septingentas. Rursum in eo quod scribitur Genesis 23.

sis. 23. *Terra quam postulas, quadringentos siclos argenti valet:* ex his quæ diximus, constat centum siclos, quadringentas drachmas & pondere & valore, hoc est, libras argenti quatuor valere. Sunt igitur in summa sedecim libræ argenti, hoc est, centum sexaginta coronata, seu libræ ducentæ octoginta.

Nunc forma quædam abaci describenda est, qua sicli valor per omnes numeros facile deprehendi possit.

Siclus argenti, seu stater argenteus, valet solidos quatuordecim: cujus æstimationis staterem, suo Petrique nomine Christus dominus censum exigentibus Publicanis persolvi voluit. De quo etiam statere scribitur; *Factus est modius similæ statere uno, & duo modii hordei statere uno.* Porro de hujuscemodi capacitate abunde in mensuris concavis dictum est. Hoc tamen observato, quod siclus sanctuarii tetradrachmus est, prophanus vero didrachmus tantum. Pari etiam tenore sacrum talentum duplum est ad prophanum.

Duo sicli unciam reddunt, valentque solidos octo & viginti, precium arietis offerendi pro delicto. Levitici cap. quinto: *Offeret pro delicto suo arietem immaculatum de gregibus, qui emi potest duobus siclis juxta pondus sanctuarii.*

Tres sicli valent solidos duos & quadraginta. eo precio redimebatur fœmina ab uno mense ad annum ætatis quintum deo oblata & devota. Levitici 27. Et hi quidem tres sicli argenti, drachmam auri justa æstimatione complent: nam drachma auri valet sescunciam argenti.

Quatuor sicli uncias argenti geminas pendent, valentque solidos sex & quinquaginta; precium sane ingens, quo vix comparari poterat tantum tritici, quantum fami diurnæ sedandæ sufficeret. Josepho enim auctore libro Antiquit. 3. cap. 18. tempore Claudii Cæsaris urgente insigni ac memorabili inedia, tanti vendebatur gomor seu assarium tritici. De assario vero seu gomor in mensuris satis superque disseruimus. Illud ad præsens obiter dixisse sufficiat, gomor mensuram Hebraicam tantum capere aut liquidi aut aridi, quantum apud nos quartarius & semie chopina comprehendunt.

Quinque sicli duo scuta coronata valent, hoc est, tres libras turon. cum semisse, quo precio emebatur quarta pars cabi stercoris columbarum in obsidione Samariæ 4. Regum 6. Est autem quarta pars cabi, ut in mensuris dictum est & probatum, æqualis sextario Attico, & log Hebraico. Hic autem sextarius Atticus continet heminam Parisinam unam cum triente & semuncia una, heminam dico semisextariolum Parisinum. de hoc supra in mensuris Hebraicis. Hoc etiam precium erat masculi domino per votum oblati, ab ætate unius mensis ad annum quintum, Levitici 27.

Decem sicli quatuor coronata, seu libras turonenses septem valore æquant, precium fœminæ sexagenariæ deo per votum oblatæ: eodemque precio redimebatur mulier a quinto anno usque ad vigesimum sanctificata deo, Levitici vigesimo. Quindecim sicli valent sex coronata, seu libras turonicas decem cum semisse: quo precio sexagenarius masculus deo sanctificatus redimebatur. Sedecim sicli libram octonariam seu nummulariam complent, quam marcam argenti appellamus: valentque scuta coronata cum solidis quatuordecim, hoc est, libras turonicas undecim, & solidos quatuor. Tanti ferme æstimabatur marca argenti paucos ante dies, quamvis nunc rebus in deterius lapsis, pluris æstimetur. Verum rectius visum est, in tanta rerum varietate, ad hujus valoris scopum dicta dicendaque referre.

Viginti sicli valent octo scuta coronata, seu libras quatuordecim: quo precio venditus est Joseph a fratribus, Ismaelitis negociatoribus, qui duxerunt eum in Ægyptum Genes. 37. Precium redemptionis olim erat masculi deo segregati, ab anno quinto usque ad vigesimum: cum pari ætate fœmina deo dedicata decem siclis redimeretur.

Viginti quatuor sicli, uncias duodecim libramque duodenariam perficiunt: valent coronata novem, & solidos unum & viginti, seu libras turonicas sedecim, cum solidis totidem.

Viginti quinque sicli minam Atticam implent, quæ est drachmarum centum: valentque scuta coronata decem, seu libras decem & septem cum semisse.

Triginta sicli valent duodecim coronata, seu libras turonenses unam & viginti: precium fœminæ redimendæ a vigesimo anno ad sexagesimum deo dedicatæ. Quadraginta sicli valent sedecim coronata seu libras turonicas octo & viginti: qui erat diurnus proventus ducum Israel in pane, vino, & pecunia 2. Esdræ 5. *Duces autem primi, qui fuerunt ante me, gravaverunt populum, & acceperunt ab eis in pane, vino & pecunia, quotidie siclos quadraginta. Ego autem non feci ita propter timorem dei.*

Quinquaginta sicli valent scuta viginti coronata, hoc est, libras turonenses triginta quinque, precium terræ, quæ in se recipere potest triginta modios sementis hordei apud veteres Hebræos. sic enim habetur Leviti. 27. *Juxta mensuram sementis æstimabitur precium. Si triginta modiis hordei seritur terra, 50. siclis venundetur argenti.* nomine modiorum sata intellige. triginta enim sata corum faciunt: & Hebræus pro triginta modiis corum reponit. tenet autem corus decem mensuras ephi, satave triginta. De ea re in mensuris plura.

Illud quoque annotatu dignum videtur, quinquaginta siclos ducentarum drachmarum æstimatione comprehendi, quæ summa aliquoties in Scriptura celebratur, præsertim ubi apud Joannem cap. 6. legitur: *ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis, ut unusquisque modicum quid accipiat.* Quibus verbis alluditur ad æstimationem designatam a lege, quam absorbet terra seminabilis coro hordei. Ubi denarium pro drachma accipi verisimile est, ex communicatione vocabuli Hebræorum cum Romanis. Parebant enim Hebræi Romano imperio. Alioquin exacta æstimatione ducenti denarii libris turonensibus quadraginta æstimandi veniunt: drachmæ vero ducentæ libris triginta quinque turonensibus. Denarius siquidem drachmæ æstimationem superat, semisse solidi unius turonensis, ut suo loco probatum est. Hoc autem textui Euangelico lucem adfert, quod ducenti denarii per usurpationem drachmales septingentos solidos turonicos reddunt: quibus respondent panes totidem duodenarii nummi precio æstimati. Jam si singulos panes partiaris in decem portiunculas viritim distribuendas, sufficiet hujusmodi largitio alimoniæ septingentis hominum millibus: ut intelligas præter quinque millia virorum redundare potuisse multitudinem ex mulieribus parvulisque conflatam duum millium numero. Nam & de frustulis panis agitur, cum dicitur: *Ducentorum denariorum panes minus sufficere, etiam si modicum quid quis acciperet.* Illud autem observandum est, quod ager iste seminabilis coro hordei, ut Scriptura indicat: sive ut nonnulli intelligunt, corum hordei annuatim suo cultori referens: nam eo loco anceps est Scripturæ facies (quæ sic habet ad verbum: *Sementis cori hordei quinquaginta siclis argenti*) si statim a jubilæo redimendus foret, quinquaginta siclorum erat redemptionis precium. Si vero medio jubilæi tempore, medio precio redimebatur, hoc est, siclis 25. Si autem unus duntaxat de jubilæo

bilæo superesset annus, unius tantum sicli precio redimebatur. Quo fieri videtur corum unum hordei uno tantum æstimari siclo. verum hinc deducenda esset & cultura & sementis. Siquidem agri alicujus seges apud rectos harum rerum æstimatores, deductis omnibus impensis, familiæque alimento, ad quintam tantummodo proventus partem reducitur. Illud probat rectoris Ægypti, sapientis ac providi Joseph æqua dispensatio: qui ubi urgente fame Ægyptiorum agros suo Principi Pharaoni acquisivit, ea lege eos ipsos colendos colligendosque restituit, ut quintam tantum partem. quæ duas complectitur decimas, Paraoni reservaret. ita scribitur Gen. 47. *Dixit ergo Joseph ad populum: En, ut cernitis, & vos & terram vestram Pharao possidet, accipite semina, & serite agros, quintam partem regi dabitis, quatuor reliquas permitto vobis in sementem, & in cibum familiæ & liberis vestris.* hæc enim pars sola superesse censetur de toto sementis jactu, deque familiæ alimento, ideoque merito in partem possessoris agri cedit. Nec longe absunt nostra ætate agrorum feracium conductores, seu locatores. Hæc autem tam diffuse deducta, eo spectant maxime, ut hinc colligi possit, quintam partem cori, quæ duo epha, seu sex sata complectitur, eo tempore a Moyse sicli unius æstimationem recepisse: hordei dico, non tritici: nam triticum duplo æstimatum, quandoque etiam triplo docet Scriptura, in Apocalypsi paulo ante recitata, itemque quarti Regum septimo: *Cras modius similæ uno statere erit, & duo modii hordei statere uno in porta Samariæ.* Ex quo colligitur, & triticum hordeo esse duplum valore & æstimatione, & duo sata hordei siclo uno fuisse æstimata. Nos autem in sex sata siclum unum statuimus tempore Moysi: quod ne mirum cuiquam videri debeat, plurima faciunt. nam quod hic dicitur, fame nondum extincta, merito precium gravius exigit, quam civilis quædam ad communes annos æstimatio. Huc etiam accedit, quod hic frugum collectarum, mercisque præsentissimæ ratio habetur: illic vero de spe annui proventus agitur. Quod autem futurum est, nec ad manum præstatur, minoris æstimationis rationem habere debet, quam id quod est præsentissimum. Ea quæ diximus, si quis singula consideret, inveniet veterem tritici & hordei, sed & agrorum rei triticeæ seu hordeaceæ feracium æstimationem, non plurimum abesse ab ea, quæ nostris temporibus solet observari. De hac etiam habes quarti Regum decimo quinto: *Indixit Manahem argentum super Israel, cunctis potentibus quinquaginta siclos argenti per singulos, nempe juxta æstimationem quantitatis terræ, quæ sua semente absorbet eorum hordei.*

Sexaginta sicli minam Hebraicam constituunt, auctore Ezechiele capite quadragesimo quinto. ait enim: *Viginti sicli, & viginti quinque sicli, & quindecim sicli minam faciunt.* hi tres numeri coadunati, sexaginta reddunt numero, pondere autem duas libras cum semisse, quas minam Hebraicam pendere Josephus asseverat, ut supra dictum est. quod etiam adsequi facillimum est. nam viginti quatuor unciæ duas libras faciunt, sex unciæ semissem: qui numeri conjuncti sexaginta procreant semuncias seu siclos, uncias vero triginta, hoc est, libras duas & semissem. Verum miretur forsan quispiam, cur non uno verbo Ezechiel sexaginta siclos complexus fuerit? quid causæ est, cur suus duxerit sexaginta partiri in quindecim, viginti, & viginti quinque? super hoc audiat Rabbi Junæ sententiam, sua verba resumantis super eo quod scribitur Ezechielis quadragesimo quinto: *Viginti sicli, & viginti quinque sicli, & quindecim sicli, minam faciunt, cur* (inquit ipse) *divisit ipsum in hæc pondera? quia unumquodque habebat pondus per se, mina autem illa tria simul comprehendebat.* Erant igitur Hebræis tria pondera, eo qui sequitur ordine:

Quindecim sicli pendent libræ duodenariæ semissem & sescunciam: viginti sicli pendent libræ duodenariæ semissem, libræque trientem: viginti quinque sicli pendent libram unam, drachmas quatuor, seu semunciam unam. Quæ pondera si in unum coire facias, evadent libræ duæ cum semisse, pondus scilicet minæ Hebraicæ auctore Josepho.

Nunc pergamus ad reliqua.

Octoginta sicli, seu argentei, valent scuta coronata duo & triginta, libras vero turonicas sex & quinquaginta. De hac re quarti Regum sexto scribitur: *Facta est fames magna in Samaria, & tandiu obsessa est, donec venundaretur caput asini octoginta argenteis.*

Centum sicli argenti valent scuta coronata quadraginta, libras vero septuaginta turonicas.

Centum quinquaginta sicli pendent drachmas sexcentas, valentque scuta coronata sexaginta, libras vero centum & quinque. Sunt autem drachmæ sexcentæ precium equi, qui egrediebatur ex Ægypto: tertii Regum decimo. qui numerus quater repetitus, sexcentos siclos reddit, precium quadrigæ. sic enim textus habet: *Egrediebatur quadriga ex Ægypto sexcentis siclis argenti, equus vero centum quinquaginta.* Istud autem corrupte legitur apud Josephum, ubi drachma pro siclo, aut pretium equi unius pro precio quadrigæ reponitur: nec in hoc solum, sed aliis plerisque locis corruptissime legitur Josephus. In causa esse crediderim, aut interpretis somnolentiam, aut librarii inscitiam magis, quam auctoris errorem. Ex hoc etiam loco facile deprehendes, pro argenteis siclos plerunque reponi.

Ducenti sicli (quos de anathemate clanculum surripuit Achan filius Charmi, Josue septimo, una cum regula aurea quinquaginta siclos pendent) valent octoginta coronata, libras vero turonicas centum quadraginta. de aurea regula nihil ad præsens dicimus, suo loco de ea verba facturi.

Trecenti sicli valent centum viginti coronata, quos una cum quinque stolis Joseph dono de fratri suo Benjamin juniori, & totidem misit ad patrem suum Jacob. Sunt tamen qui de Jacob legant hoc modo: *Patri autem suo misit in hunc modum.* quasi dicas, in modum qui sequitur, non qui præcedit, videlicet decem asinos ferentes frumentum, & cætera sed hæc parerga. Hi trecenti sicli sua æstimatione æquant libram auri duodenariam. nam centum viginti coronata valent libras ducentas decem, quem numerum perficiunt libræ decem & septem cum semisse duodecies multiplicatæ. Sic fit, ut duodecim libræ argenti, libram auri duodenariam perficiant: & uncia auri libram argenti ex æquo comprehendas.

Sexcenti sicli argentei valent ducenta quadraginta coronata, libras vero turonicas quadringentas viginti. Ex quo perspicue demonstratur hujus loci intelligentia, tertii Regum decimo capite: *Egrediebatur quadriga ex Ægypto, sexcentis siclis argenti, & equus centum quinquaginta.* Quo fit, ut equus per manus Hebræorum Syris & Ethæis venderetur coronatis sexaginta: quod precium impositum erat a mercatoribus ex Ægypto, & ex Choa: augendo scilicet precium præter primam emptionem quasi per quoddam monopolium. Nam aliud erat precium Ægypti, cui accedebat precium adunationis, quæ per nomen *choa* intelligitur. Quum igitur viliori precio Hebræi negociatores ex Ægypto equum compararent, nihilominus exteris vendebatur coronatis sexaginta, seu centum quinquaginta siclis: quæ est quarta pars sexcentorum siclorum argenti. Et hac ratione

ratione equus libris centum, quinque turonicis æſtimabatur.

Mille ſicli valent coronata quadringenta, libras vero turonicas ſeptingentas. Huc ſpectat proventus vineæ Canticorum ultimo, æſtimatus mille argenteis: *Tradidit vineam cuſtodibus: vir affert pro fructu ejus mille argenteos.*

Quinque millia ſiclorum argenti, quæ de ſacris Demetrius recipere ſolebat primi Machabæor. decimo, valent ter mille quingentas libras turonicas. *Dabo* (inquit Demetrius) *quinque millia ſiclorum argenti, quæ accipiebam de ſacrorum ratione per ſingulos annos, ut hæc ad ſacerdotes pertineant.*

Quindecim millia ſiclorum argenti valent ſex millia coronatorum. de qoibus primi Machabæorum decimo.

Hoc loco de Daricis nummis obiter. Rodiginus antiquarius auctor eſt, quinque Daricos implere minam argenti, & viginti continere drachmas ſiogulos. Id quod perſpicuum eſt ex ipſios minæ Atticæ, pondere drachmarum centum. Cum igitur mina Attica valore comprehendat libras turooicas decem & ſeptem cum ſemiſſe, ſeu ſcuta coronata decem, ſubducta ratione ad quintam partem, ſequens eſt Daricum nummum noſtro numiſmate æſtimari coronatis duobus, hoc eſt, ſolidis ſeptuaginta. Cujus ſummæ valorem ex æquo complectuntur quinque ſicli, precium videlicet redemptionis primogenitorum. Ex quo dilucidum eſt ſiclum & Daricum nummom ejuſdem eſſe æſtimationis & valoris. De ſiclo vero id promptum eſt aſſequi: qui cum ſit tetradrachmus, quatuordecim ſolidorum ſubit æſtimationem.

Qui quinquies reſumpti, ſeptuagenarium numerum perficiunt. Et hinc deprehendes, quanti conſtiterit Ageſilai ab Aſia io Græciam, ut a bello abſtineret inchoato, evocatio: qui palam prædicabat ſe trecentis millibus ſagittariorum ex Aſia pulſum, *ſagittarii* nomine Daricum nummum intelligens, ut qui ſagittarii ex una parte imaginem præſtaret. Cum igitur conſtet ex hoc ſiclorum abaco, qoos Daricis nummis pondere & valore æquos eſſe oſtendimus, hujus ſummæ ſiclorum æſtimatio: quid de Daricis dicendum ſit, palam eſt.

Quod ſi de aureis Daricis quis intelligere velit, facile id fuerit redigere in ordinem ex aureorum ſiclorum abaco. Siquidem mille ſicli aurei, libras turonicas valent octies mille quadringentas. Quo fit, ut triginta millia ſiclorum, ſeu, quod idem fuerit, Daricorum, librarum turonicarum octuaginta quatuor millia compleant. Quod ſi centuriatas chiliades malis intelligi, auge hunc oumerum decade, & habebis octingenta quadraginta millia.

Sic ergo abacum conſtitues:

Decem millia ſiclorum valent quater mille coronata, libras vero turonicas ſepties mille quinquaginta.

Centum millia ſiclorum, valent quadraginta coronatorum millia, librarum vero turonicarum ſeptuagiota millia quingentas.

Trecenta millia ſiclorum valent centum viginti millia coronatorum, librarum vero ducenta undecim millia cum quingentis.

Ex quo cum fidem fecerimos Daricos nummos æquipollere ſiclis, cuique obvium fuerit numero & æſtimatione aſſequi precium, quo Ageſilaus a perſequenda Aſia ſe avocatum a ſuis gloriabatur, nempe trecentis ſagittariorum millibus. Sunt tamen qoi triginta tantum millia Daricorum reponant.

His ita ſtabilitis, ſiclorum aureorum abacum, quos ſcriptura ſancta commemorat, ad amuſſim deſcribemus: a drachma autem auri initium ſumendum eſt.

Drachma auri valet ſeſcunciam argenti, hoc eſt, drachmas duodecim argenteas, quæ noſtro numiſmate æſtimandæ ſunt libris turonicis duabus, & ſolidis totidem. Illud ex prædictis notius eſt, quam ut ulla probatione egeat: nam drachma argenti valet tres ſolidos, & ſemiſſem: qui duodecies aucti, conſtituunt ſolidos duos & quadraginta: quanti ferme apud nos æſtimabatur ſolatus aureus. Nunc autem urgente auri inopia, ſcutum coronatum ea æſtimatione permutatur, pauloque amplius.

Eſt itaque ex juſto & æquo ſumpta proportio auri ad argentum, quæ eſt duodecim ad unum. Id quod confirmat Egnatius, in Suetonium in Julio Cæſare: *Noſtra* (inquit ille) *ætate auri crevit precium, ut prope Plinianam analogiam æquet, quæ eſt quindecim ad unum, nempe argenti ad aurum: cum juſta, videatur ea, quæ eſt duodecim ad unum.*

Siclus ſeu ſemuncia auri ex deſignata auri ad argentum proportione, & drachmæ valore ad quadruplum aucto, valet libras turonicas octo. Quum autem ſiclus aureus, ſicut & argenteus viginti obolos habeat, quid aliud ſequi poteſt, quam quod obolus aureus vigeſima pars ſicli, valeat octo ſolidos, quatuor denariolos, obolum unum, & quintam unius pitæ? hæc eſt oboli Hebraici aurei æſtimatio. Sicut autem ex ſiclo obolos Hebraicus aureus elicitur: ita quoque ex drachma auri emergit oboli Attici æſtimatio. cum enim obolus ſit ſextans drachmæ, ſequens eſt duarum librarum turonenſiom cum totidem ſolidis ſextantem obolum Atticum perficere: qui ſeptem ſolidorum æſtimatione completur. nam ſexies ſeptem, ſont duo & quadraginta, & hic eſt valor oboli Attici aurei.

Obolus autem aureus Romanus (ſi quis in uſo foret) ſextans eſt denarii: denarius autem ſeptima eſt unciæ, cujus ſi aurea ſit æſtimatio, eſt librarum ſedecim cum ſolidis totidem. Quo fit, ut denarius iſte aureus valeat libras duas cum octo ſolidis: ad hunc modum æſtimare poſſumus obolorum aureorum valorem, modo legitimum pondus habeant ab antiquitate deſignatum. Qui autem circumferuntur ex variis regionibus oboli, nec ponderis ſunt legitimi, nec defecatæ materiæ. Quare nihil mirum, ſi ab hujus æſtimationis cooſtitutione recedant. Quanquam illud dici poteſt, quod hi aurei nummi, quos Gallice appellamus *mailles*, non ab obolari ratione traxere originem; immo potius ab alia noſtri idiomatis nomenclatura, quam dicimus *medailles*, eo quod Priocipis nonounquam alicujus faciem præferant. Nunc ad ordinem revertamur.

Duo ſicli aurei, ſedecim libras cum totidem ſolidis conſtituunt. Quinque ſicli aurei duas & quadraginta libras conflant. Decem ſicli aurei valent octoginta quatuor libras: iſtud eſt precium armillarum, quas famulus Abrahæ Rebeccæ obtulit, futurarum nuptiarum contemplatione. Geneſis vigeſimo quarto: *Protulit vir inaures aureas & armillas totidem, pondo aureorum decem, qui aurei ſiclares erant.*

Quinquaginta ſicli valent libras quadringentas & viginti. Tanti æſtimanda venit lamina illa aurea, quam de anathemate tulit Achan filius Char-

Centum ſicli aurei, valent libras octingentas quadraginta turonicas.

Quingenti ſicli aurei, valent libras quater mille ducentas.

Sexcenti ſicli aurei, valent libras quinquies mille quadragiota. tantum dedit David Ornam Jebuſæ, pro area comparata ad ædificandum altare domino 1. Paralipomenon 23. Totidem ſiclos impendit Salomon ad clypeos laminis aureis tegendos. Quod autem

autem ſecundi Regum ultimo dicitur, David emiſſe quinquaginta ſiclis aream & boves, nihil obſtat. Nam in libro Paralipomenon de tota templi area fit mentio: hic autem de horreo anguſto, & bobus ad præſens ſacrificium neceſſariis. Adde quod liber Paralipomenon ea quæ ex libris Regum ſuperſunt, commemorat. verum ita legunt nonnulli: *Emit David aream.* de cujus precio nihil ad præſens dicitur. Sequitur autem: *Et boves argenti ſiclis quinquaginta. quibus annumeranda ſunt ligna plauſtri:* quæ dicta ſic accipe, ut tertio Regum precium boum deſignetur, & plauſtri: in libro vero Paralipomenon, areæ precium deſignari intelligendum eſt. hæc autem non longe abſunt a noſtræ ætatis precio & æſtimatione.

Septingenti ſicli aurei, valent quinque millia octingenta octoginta libras.

Mille ſicli aurei valent octies mille quadringentas libras. Mille ſeptingenti ſicli, quos de præda hoſtili Madiam Gedeon recepit, ex circulis aureis ab Iſmaelitarum auribus dependentibus (ex quibus confectum eſt ephod, Judicum octavo) valent quatuordecim millia ducentas libras & octoginta.

Quinque millia ſiclorum, quæ exigi ſolita remiſit Demetrius 1. Machab. 12. valent bis ac quadragies mille libras turonicas: proinde quindecim millis ſiclorum, quæ obtulit Jonathas, valent centum viginti ſex millia librarum turonicarum.

Decem millia ſiclorum aureorum, valent centum quadraginta duo millia octingentas libras.

Centum millis ſiclorum aureorum valent millies mille quadringenties vigeſies octies mille libras.

Centum viginti millis ſiclorum aureorum, valent quatuordecim milliones, ducentas octoginta mille libras.

Hæc eſt auri impenſa, ad perficiendas ducentas peltas laminis velatas aureis: ſupra enim dictum eſt ſingulas ſexcentis ſiclis fuiſſe velatas: ſic autem agitur de toto pretio in univerſum.

Poſt ſiclaris numeri valorem, nudi ponderis obſervanda eſt ratio, quæ ferme hic habetur.

Siclus, ſi de pondere tantum agitur, ſemuncia eſt, ſeu drachmæ quatuor. Ubi obiter advertendum Rabinos Thalmudiſtas tribuere ponderi ſicli unius grana trecenta viginti, ut refert Munſterus ſuper Ezechielem cap. 5. Hoc autem non prorſus verum eſt. Nam ſcriptulum habet grana viginti quatuor: quo tertio repetitum drachmam æquat capientem grana ſuptuaginta duo. Sic fit, ut ſiclus ſemuncialis pendeat grana ducenta octuaginta octo. Abundat ergo calculus Rabinorum granis duobus ac triginta.

Duo ſicli unciam reddunt.

Viginti quatuor ſicli pondere libram duodenariam æquant.

Viginti quinque ſicli, minæ Atticæ, quæ centum drachmarum eſt, pondus conſtituunt. eſt enim gravior duodenaria ſiclo uno, ſeu unciis 4: cum illa 96. drachmas, iſta vero centum pendeat.

Mille ſicli ſunt minæ Atticæ 40: libræ vero Romanæ totidem, adjecta una libra cum 8. unciis.

De ſiclo igitur ad pondus relato, illud declarandum occurrit, quod ſcribitur Numeri 7. *Singuli ſingularum tribuum principes obtulerunt acetabulum* (alias *tryblium*, ſeu *ſcutellam argenteam*) *appendentem centum & triginta ſiclos*, hoc eſt, libras ſeu minas centenarias quinque, & drachmas viginti, ſeu uncias duas & ſemiſſem.

Vas autem olearium, quod phialam ſcriptura vocat, nos gutturnium dicere poterimus, appendebat ſexaginta ſiclos, hoc eſt, minas Atticas duas, & ſiclos decem, ſeu uncias quinque.

Quod autem divus Hieronymus *mortariolum* vocat, Septuaginta dicunt *acerram*, Hebræi *caph* ſeu *cochleare*: de quo in menſuris dictum eſt. Appendebat autem ſiclos decem, ſeu uncias quinque. Hæc omnia ſi duodecies reſumpſeris, evadet ſumma ponderum in eodem capite collectorum, in argento quidem ſicli bis mille quadringenti: hoc eſt, minæ Atticæ viginti quatuor, quæ reddunt libras duodecim unciarum viginti quinque. In auri vero materia reperiuntur ſicli centum viginti, ſeu drachmæ quadringentæ octoginta, conſtituentes libras quatuor, uncias decem.

Pondus loricæ Goliath, ſiclos æris quinquies mille capiebat: mille autem drachmæ minas Atticas decem pondere complent. Evadunt ergo ducentæ minæ Atticæ, & totidem duodenariæ ſeu Romanæ libræ cum libris octo, & unciis quatuor.

Ferrum autem lanceæ, ejuſdem Goliath ſexcentos ſiclos, ſeu uncias trecentas (ſiclus enim ſemuncia eſt) appendebat, centenarias vero minas quatuor & viginti, duodenarias autem viginti quinque. Quo fit, ut ejuſdem ponderis eſſet ferrum haſtæ Jeſhidenob, de quo 2. Regum 21. Aliqui tamen trecenta pondera legunt: Hebræi *miſchal* pondus appellant, quod pondus eſſet ſubduplum ad id quod priore loco deſcripſimus. Et hæc de tota ſiclorum ratione dicta ſint, deque his omnibus quæ ad drachmæ rationem attinebant. Nunc deſcribendus partiendusque eſt denarius.

TOMVS SEXTVS.

De denario, & partibus ejus.

DEnarius ut a decade librarum æris, ita & decuſſis a decem aſſibus nomen ſortitur: nummus argenteus erat, ſeptima pars unciæ, ideoque drachma Attica ſeptima parte gravior. Uncia enim octo drachmas, denarios vero ſeptem comprehendit. Manſit hic immotus in valore & pondere, aſſe nihilominus a libra ad ſeptuncem, a ſemuncia diminuto: quare de decuſſe factus eſt ſexdecuſſis, ſeu aſſium ſedecim, ſicut & quinarius factus eſt octuſſis, & ſeſtertius quadruſſis: ut ſupra in aſſe dictum eſt. Jam ſi quis dividat unciam argenti in ſeptem portiones, inveniet ſeptimam partem eſſe valoris nummorum duodenariorum quatuor. Tanti ergo cenſendus eſt denarius ille diurnus, de quo ſcriptum eſt: *Nonne in denario diurno convenisti mecum?* Hic etiam nummus eſt, quo dominus ait: *Oſtendite mihi numiſma cenſus, at illi obtulerunt ei denarium.* Matth. 22. Porro ex denarii ad aſſem decupla proportione, liquido conſtat, quod in ipſis ditionis Romanæ primordiis, libræ æris decem ſeptimam partem unciæ argenti valore æquarent: quo fit, ut uncia argenti, ſeptuaginta libris æris æſtimaretur. Cumque duodecies ſeptuaginta reddant octingentas quadraginta libras æris, quas æquipollere neceſſe eſt libræ argenti duodecim unciarum, ſequitur minam argenti Atticam, octingentas ſeptuaginta quinque libras æris valuiſſe, adjunctis ſcilicet triginta quinque libris æris pro ſemuncia minæ Atticæ. Erat igitur proportio valoris argenti ad materiam æris, inſtitutum Papyrianum, quæ eſt octingentorum quadraginta ad unum. Nunc autem longe aliter res habet: ſiquidem libra æris hodie permutatur duobus ferme ſolidis: ſic fit, ut denarius, qui decem valebat aſſes, duobus hodie permutetur aſſibus. Cumque marca argenti octonaria, quindecim ferme libris turonenſibus æſtimetur, qua ratione libra duodenaria æſtimanda eſt tribus & viginti libris cum ſemiſſe: eſt ergo proportio libræ argenti ad libram æris, quæ eſt ducentorum triginta quinque ad monadem,

nadem, seu quadringentorum septuaginta ad binarium. Ad denarium redeamus, cujus æstimationem declaravimus esse quatuor solidorum, quo fit, ut decem denarii solatum aureum veteri æstimatione quadraginta solidorum constituant. Erit igitur aureus solatus, qui paulo ante hos dies duabus libris turonensibus permutabatur, centussis. Ex quo intellige illud Satyrici: *Decem Græcos uno centusse licetur.* hoc est, unumquemque denario uno: & decem, uno solato, solidorum, ut dixi, quadraginta. Proinde promptum erit æstimare congiariorum nostro ære valorem, de quibus mox sequitur.

Tiberius trecentos nummos, quos denarios dicimus, viritim dedit: qui æstimandi sunt sexaginta libris turonicis. Caligula populo distribuit sestertios tricenos, nempe solidos triginta turonicos. Nero quadragenos nummos divisit in singulos, hoc est, libras turonenses octo, seu centum sexaginta solidos.

Centum denarii valent viginti libras turonenses, & hi antiquitus *mille æris* apellabantur: sicut decussis *decem æris*, & centussis *centum æris*. & inde Lex sumptuaria dicta est *centussis*, *seu centenaria*: qua cavebatur, ne quis una cœna plus centusse profunderet, hoc est, aureo solato quadraginta solidorum.

Trecenti vero denarii, quos apud Marcum 14. cap. Judas deplorat, æstimandi sunt libris turonicis sexaginta. Hic autem lectorem admonitum velim, quod quoties de sestertiis denariisve agetur, hoc inter Budæanum calculum nostrumque referet, quod ubi ille coronatos aureos, ibi ego solatos repono quadraginta solidorum: in promptu est ratio. Ille enim denarios drachmales facit, trium solidorum cum semisse, quasi denarius sit octava pars unciæ, & non septima. Ego vero ut denarium septimam partem unciæ esse didici, certis adductus rationibus, & mole auctoritatum impulsus: ita assevero denarium quatuor esse solidorum, quo fit, ut decem denarii, quadraginta solidos, hoc est, aureum solatum veteri æstimatione valeant: quum apud Budæum decem denarii uno coronato æstimentur, hoc est, triginta quinque solidis. Hoc ergo solum interesse manifestum est, quod ubi ille coronata, ego solata repono: & in tota denariorum sestertiorumve serie, calculus noster Budæanum septima ejus parte superat, sicut denarius drachmam. Hac tamen cautione adhibita, quod quoties de his quæ ad rempublicam Græcorum pertinent, agitur, sequendus est calculus drachmarum, ubi vero rei Romanæ tractatur historia, ad denarios, non drachmas recurrendum est, & pro coronatis solata scuta reponenda sunt.

Quod hic semel testatus sum, pro omnibus sufficiat. Ut omnia uno verbo complectar, in coronatis taxa Budæi, in solatis quadragenariis nostra consistit Ut autem clara sint omnia, hunc abacum subscribemus:

As denarii decima pars, qui etiam libella dicebatur, argenteo nummulo sui valoris excuso, quatuor denariolos, sesquiobolum, quintam partem unius pitæ, valore comprehendit.

Dupondius, quem nescio an bessem, seu binum assem appellare possim, valet denariolos novem, obolum unum, duas quintas unius pitæ. Hic est ferme Caroleus noster nummus.

Tressis tribus constans assibus, quatuordecim denariolos cum obolo & tribus quintis unius pitæ complectitur. Huic æqualis ferme est nummus ille, quem tredecenarium vocant, Gallice *trezain*.

Quadrussis geminum habet dupondium, hoc est, denariolos decem & novem, & quatuor quintas unius pitæ, hic ferme est Caroleus geminatus.

Quinarius, qui & victoriatus & semis denarii appellatur, duos solidos nostro ære comprehendit.

Senarius, sex assium est, valetque duos solidos, denariolos 4. sesquiobolum, & quintam partem unius pitæ.

Septussis vero duos solidos valet, novem denariolos cum obolo & duabus quintis unius pitæ.

Octussis solidos tres, denariolos duos, pitam unam cum tribus quintis partibus ejusdem complectitur.

Nonussis pauco excremento superat valorem drachmæ Atticæ. valet enim tres solidos & semissem, denariolum unum, quatuor quintas unius pitæ. Hæc calculum subducere volenti apertiora sunt, quam ut ulla tergiversatione repelli possint. De asse autem majore hæc intelligo, non de asse Papyriano, ex cujus quidem valore facile est bessem & tressem colligere Papyrianos. quod quidem otiosis excutiendum relinquo. Satis sit illis, aperuisse me viam, qua quicquid in ea re cupient attingere, in promptu est.

Decussis, seu decem asses æris valent quatuor solidos: ad quam summam, priscorum Romanorum instituto, redacta fuit cibarii sumptus impensa, ut præclare Budæus docet, de legibus sumptuariis disserens: de quibus in sestertio copiosius. Viginti quinque æris decem solidorum turonicorum æstimationem subeunt. Qua de re Gellius in Atticis noctibus lib. XX. cap. 1. elegantissime disserit, descripta primum lege 12. tabularum, quæ est hujusmodi: *Si quis injuriam alteri faxit, viginti quinque æris pœna sunto. Verum mollior pœna fuit, quam ut injuriarum petulantiam represserit. Neratius siquidem homo egregie improbus, pro delectamento habebat os liberi hominis verberare palma, quem sequebatur servus crumenam assium plenam portitans, qui depalmatum quemque mulcta donaret viginti quinque assium. Nunc autem in arbitrio judicis consistit audita æstimatione injuriam passi.* Est autem quarta pars centussis: de quo mox sequitur, si prius dixero longe minoris æstimatam fuisse incussionem colaphi lege Bajoarica. Sic enim habetur: *Si quis liberum per iram percusserit, uno solido componat. Si sanguinem fuderit, uno solido & semis.* De servo autem sic habetur: *Si quis servum alienum per iram percusserit, cum semisse componat: si sanguinem fudit, medium solidum donet. Si plaga tumens fuerit, uno solido componat.*

Centussis decem denarios valore complectitur, seu centum asses æris gravioris. Hinc lex sumptuaria quædam centussis appellata, qua sumptus escarius centum taxabatur assibus, seu solidis quadraginta: hoc est, scuto solato uno bilibri, seu duarum librarum turonensium. Centum igitur æris valent solidos quadraginta. Illud non prætereundum silentio, quod lege Aternia in sumptuariis muneribus ovis ære deno, bos ære centeno licitabatur, decupla scilicet proportione.

Præsens se offert occasio de sumptuariis legibus nodos excutere. Varie sibi succedentibus & moribus & annis, magno discrimine rei escariæ modus impositus est, auctore Aymaro de origine juris civilis libro secundo. Lege siquidem Fannia festis diebus, utpote aut ludis, aut Saturnalibus, centenos tantum æris consumere licebat: hoc est, solidos (ut videre est) quadraginta. Calendis vero tricenos, qui solidi sunt duodecim turonici: diebus privatis denos seu denarium unum solidorum quatuor turonicorum. Post hæc autem lex Licinia Calendis, Nonis & Nundinis triginta asses cibario sumptu consumere indulsit: nuptialibus autem conviviis ducentos, libras videlicet turonicas quatuor. Paulatim vero augescente luxu, Lucio Sylla dicta-

tore, indultum eſt, ut feriis menſium ſolennibus, utpote Calendis, Idibus & Nonis ſeſtertios tricenos, qui ſunt ſolidi turonici triginta, in unam expeodere cœnam fas eſſet: privatis vero diebus ternos oec amplius ſeſtertios. Tandemque imperante Auguſto Cæſare ſatis eſſe viſum eſt, ſi modus aliquis (quamvis amplus) luxui coercendo imponeretur. Ventum eſt igitur a ducentis ſeſtertiis ad trecentos: hoc eſt, a viginti libris turonicis ad triginta: qui ſummus erat impenſarum modus, pro Calendis, Idibua & Nonis, & aliis quibuſdam diebus feſtivis. Demum auctore Tiberio Cæſare, per varias dierum ſolennitates permiſſæ ſuot impenſæ cibariæ a trecentis ſeſtertiia, hoc eſt, triginta libris turonicis, ad duo ſeſtertiorum millia. Porro mille ſeſtertia valent quinquaginta millia librarum turonicarum. Sic fit, ut ſummus impenſarum terminus, libras turonicas centies mille attingat. Pro nuptiis autem & repotiis, ventum eſt uſque ad millies ſeſtertium. Quæ, uti apparet ex ſeſtertiorum indicatura, quinquaginta myriades ſolatorum ſua æſtimatione complent: ut hinc videre poſſis, nullis aut finibus aut legibus, contineri tandem potuiſſe luxum Romanum.

Mille æris, ſeu centuſſea decem, valent quadringentos ſolidos, hoc eſt, libras turonicas viginti: quam ſummam impleot centum denarii.

Mille quingenti æris, ſeu centuſſes quindecim, valent libras turonicas triginta: quem cenſum niſi quis ſuperaret, proletarius tenuiſve conditionis habebatur. Erant tamen proletariia inſeriores, qui appellabantur capite cenſi: quorum extremus limes notave infima, auctore Gellio lib. XV, erat trecentorum ſeptuaginta quinque æris. Valent autem noſtro uſu ſeptem libras turonicas cum ſemiſſe.

Decem millia æris, ſeu mille denarii, valent libras turonicas ducentas, ſeu ſolatos bilibres centum: qui dotis modum apud Maſſilienſes inſtitutum perficerent. Dicetur in ſolido.

Quadraginta millia æris, ſeu quater mille denarii valent libras octingentas, ſolatos vero quadringentos bilibres. quo ære dotata fuit impenſis ærarii publici Romani filia Scipionia, quo tempore exercitum in Hiſpania regebat.

Quinquaginta millia æris quingentos ſolatos, ſeu mille libras turonenſes valent, & quinque millia denariorum.

Centum millia æris valent mille ſolatos, ſeu bis mille libras turonenſes, & hic erat cenſus primæ claſſis, faciuntque denariorum decem millia.

Quiogenta millia æris valent quinquies mille ſolatos, ſeu decem millia librarum turonenſium: quam ſummam dotis nomine, Megalia cognomento, dotata recepit, hoc eſt, denariorum quinquaginta millia: de quibus Actuum 19.

Decies centena millia æris valent decem millia ſolatorum, ſeu viginti mille libras turonenſes. Juvenalis:

Bis quingenta dedit, tanti vocat ille pudicam.

Item alio loco:

— Et ritu decies centena dabuntur
Antiquo, veniet cum ſignatoribus auſpex.

Dicuntur etiam decies ſeſtertium, quanti nubere Pantomimas conqueritur Seneca his berbis: *Beatiores ne iſtos putas, quorum Pantomima decies ſeſtertio nubunt, quam Scipionem, cujus liberi a ſenatu tutore ſuo in dotem as grave acceperunt?* Cætera ex Budæo, cui uni ea quæ mox dicta ſunt, accepta refero. A quo in hoc tantum diſcrepo, quod pro coronatia ſolatos repono, & pro drachmis denarios. Hi autem ſunt centum millia denariorum, qui numerus ad quadruplum auctus, ſeſtertios reddet: ut ſuo loco in ſeſtertio dicetur.

Diſtribuitur autem denarius in duos victoriatos, ſemiſſes ſeu quinarios, ſeſtertios ſeu quadrantes quatuor, qui etiam ſeſquiſextantes ſeu ſeſquioboli Romani dici poſſunt. habet enim ſeſtertius ſextantem cum ſemiſſe, quæ omnia noſtro numiſmate æſtimanda ſunt. Victoriatus, ſeu ſemis denarii, duos ſolidos turonicos valet.

Seſtertius, ſeu quadrans denarii, nnum ſolidum perficit: cujus decima pars libella dicebatur, quæ hac ratione valet denariolum cum quinta ejus parte. Erat enim decima pars denarii, moneta quædam, quæ libella dicebatur. Erat & alia libella decima pars ſeſtertii. Verum hujus ſeſtertii partitio tam late patet, ut explanari non poſſit, niſi proprio in hanc rem conſtituto abaco, quem paulo mox ſubjungemus.

Illud nunc ſtatuimus, ſeſtertium ſolido æſtimari, ſeu denario nummo: eo quod denarius ſit ſeptima pars unciæ, quod abunde probavit Georgius Agricola. Quoties igitur ſeſtertios legimus in Romana hiſtoria (hi enim ſunt denarii quadrantes) toties ſolidos intelligendos eſſe cenſemus. Secus de drachmæ quadrante intelligendum eſt. Qui ergo de denariis ſeſtertios extrahere cupit, quadruplet numerum denariorum: qui contra de ſeſtertiis denarios elicere volet, ſubquadruplet oumerum ſeſtertiorum.

Sextans, ſeu obolus denarii Romani, valet denariolos octo. Poteſt etiam appellari ſcriptulum Romanum, quod in ſe continet ſcriptulum Atticum cum tribus ſeptimis, eritque triens denarii, valebitque noſtro numiſmate denariolos ſexdecim, uno denariolo majua quam ſolidus Pariſinus. Nunc ad abacum ſeſtertii redeundum eſt, ſi prius tamen dixerimus, quomodo differant ſeſtertius, ſeſtertium & ſeſtertium cum adverbio. Seſtertius enim nummus ſolido ſeu duodenario nummo, ut diximua, æſtimandus eſt. ſeſtertium vero neutro genere mille ſolidos ſignificat, ſeu ſeſtertios nummos, & decem ſeſtertia, decem millia nummorum: & centum ſeſtertia, centum millia ſolidorum. Cum autem dicimus decies ſeſtertium, non decem, ſed mille ſeſtertia ſignificamus: hoc eſt, millies mille ſeſtertios nummos. Nam decies ſeſtertium, decies centena ſeſtertia valet: ut ſemper inter adverbium & nomen intelligas *centum*, quaſi ita dicas, ſemel ſeſtertium, hoc eſt, centum ſeſtertia: bia ſeſtertium, ducenta: denique decies ſeſtertium, decies centena ſeſtertia: vigeſies ſeſtertium, vigeſies centena ſeſtertia. Ex his pronus eſt ad reliqua aſcenſus: neutrum enim genus io ſeſtertio chiliadem nummorum ſeſtertiorum complectitur, qui minores ſeſtertii dicuntur. Adverbium autem ſeſtertio neutro generis adjunctum, centuriam comprehendit. Seſtertia igitur ſunt chiliarchæ nummorum ſeſtertiorum. Adverbia vero ſunt, quaſi dicas centuriones graviorum ſeſtertiorum: luculentiora erunt iſthæc hujus abaci digeſta ſerie:

Seſtertius valet ſolidum unum turonicum.

Seſtertium valet ſolidos mille, ſeu libras quinquaginta.

Semel ſeſtertium (ſi ita dicere liceat, veritatis explanandæ gratia) valet quinquies mille libras turonicas.

Bis ſeſtertium, decies mille libras turonicas.

Ter ſeſtertium, quindecies mille libras turonicas.

Quater ſeſtertium, vigeſies mille.

Quinquies ſeſtertium, vigeſies quinquies mille.

Hæc idcirco paulo verboſius proſequutus ſum, ut ea differentia altius infigatur memoriæ: quod niſi fiat, facile a memoria excident, quæ hærere menti

debue-

debuerant, ſicque mens in ſe confuſa tabeſcet: ideo ad ſublevandam memoriæ imbecillitatem ſubjungendus eſt Abacus:

Seſtertius, qui & ſemiſtertios dictus eſt, eo quod duos aſſes & ſemiſſem tertii capiat (quod de aſſe graviore intelligendum eſt ſub libra æris: continet enim aſſes minores quatuor Papyrianos) valet noſtra æſtimatione ſolidum unum.

Decem ſeſtertii valent ſolidos decem.

Centum ſeſtertii, libras quinque, ſeu ſolidos centum comprehendunt: quo fit, ut ducenti decem libras, treceuti libras quindecim, quadringenti viginti, quingenti viginti quinque.

Mille vero ſeſtertii quinquaginta libras comprehendunt: & hos mille ſeſtertios unicum ſeſtertium abſorbet: de quo mox ſequitur.

Seſtertium neutro genere mille ſeſtertios nummos, ſeu ſolidos mille, hoc eſt, libras turonicas quinquaginta capit: quos lege Julia ſumptuaria nuptialibus conviviis impendere licebat. Ad ſummum vero nec ultra duorum ſeſtertiorum valor in convivium celebrandum expendi poterat, quæ valent centum libras turonicas: feſtivis alioqui diebus treceni ſeſtertii, hoc eſt, libræ quindecim in expenſas convivo permittebatur expendi, privatis diebus terni, nec amplius. Mira in Romanis frugalitas, qui non plus quam ternos ſolidos uno expendebant aut convivio, aut ſumptu diurno, quanquam peregre proficiſcerentur. Eadem ferme apud nos eſt taxa viatici, ſportula tamen ex aſſibus minoribus conſtituta, quæ ſalutatoribus diſtribuebatur, ſex ferme ſolidos comprehendebat. quæ ſumma conveniebat utrique convivio, prandii ſcilicet & cœnæ. Huic ſeſtertio ſi ducentos conjunxeris ſeſtertios nummos, plane evadent mille ducenti ſeſtertii, precium ſervi a Calliodoro venditi: de quo mox ſequitur.

Mille ducenti ſeſtertii, ſeſtertium ſuperant decem libris turonenſibus. Redduot igitur libras ſexaginta. Libræ autem quatuor argenti Romanæ, ſexaginta ſeptem libras turonenſes cum quatuor ſolidis ex æquo conſtituunt: id quod ex libræ valore facile conſtabit. Prius autem precium eſt ſervi a Calliodoro venditi, poſterius vero precium mulli piſcis empti ab eodem, & eam ob cauſam Martialis invehitur in Calliodorum, his verbis:

Addixti ſervum nummis here mille ducentis,
Ut bene cœnares, Calliodore, ſemel.
Nec bene cœnaſti, mullus tibi quatuor emptus
Librarum, cœnæ pompa caputque fuit.
Exclamare libet, non eſt hoc, improbe, non eſt
Piſcis, homo eſt: hominem, Calliodore, voras.

Immo hac ratione pluſquam hominem devoravit: qui ultra ſervi precium, etiam ſine reliquo apparatu cœnæ, ſeptem libras cum quatuor ſolidis in uno tantum piſce expendit,

Sex ſeſtertia, trecentas libras juſta æſtimatione capiunt. Martialis in Pætum ſic ait:

Sex ſeſtertia ſi ſtatim dediſſes,
Cum dixti mihi, Sume, tolle, dono:
Deberem tibi Pæte pro ducentis.
At nunc cum dederis diu moratus,
Poſt ſeptem puto vel novem calendas,
Vis dicam tibi veriora veris?
Sex ſeſtertia Pæte perdidiſti.

Tanti etiam mullum piſcem emptum ab Aſinio viro conſulari, meminit Juvenalis. ſic enim ait:

—— Mullum ſex millibus emit
Æquantem ſane paribus ſeſtertia libris.

At certe luxum hunc in pari cauſa ſuperavit Aſinius Celer Plinio, qui piſcem octo millibus nummum comparavit. Dixiſſes eo ſæculo (utinam non etiam noſtro) pluris æſtimatos fuiſſe coquos ganeis inſtruendis deſtinatos, quam equos Reipublicæ tuendæ inſtitutos: & piſces, quam homines.

Decem ſeſtertia ſunt quingentæ libræ, quas a Pæto mutuo receptas reſtituere detrectat Martialis his verbis:

Solvere Pæte decem tibi me ſeſtertia cogis:
Perdiderat quoniam Bucco ducenta tibi.
Ne noceant (oro) mihi non mea crimina, tu qui
Bis centena potes perdere, perde decem.

Valent ergo ducentos quinquaginta ſolatos.

Tacitus libro undecimo ad compeſcendam ſitim advocatorum inexplebilem, modum poſuit exigendis ſtipendiis patrocinii nomine uſque ad dena ſeſtertia: quem modum prætergreſſi, repetundarum tenerentur.

Viginti ſeſtertia valent mille libras, quas ſibi non continuo numeratas a Cajo veteri ſodali conqueritur Martialis, in hæc verba:

Mutua viginti ſeſtertia forte rogabam,
Quæ vel donanti non grave munus erant.
Quippe rogabatur fidusque vetusque ſodalis,
Et cujus laxas arca flagellat opes.
Is mihi, Dives eris, ſi cauſas egeris, inquit.
Quod peto, da Cai, non peto conſilium.

Valent igitur quingentos aureos ſolatos. Tanti comparatus eſt corvus ille vocalis ſalutator Auguſti officioſus, ob id quod canora voce pronunciaſſet: *Ave Cæſar victor & imperator.*

Triginta ſeſtertia valent libras mille quingentas, ſolatos vero ſeptingentos quinquaginta.

Quadraginta ſeſtertia, ſeſtertiorum nummorum quadraginta millibus æſtimanda ſunt, valentque ære noſtro bis mille libras turonicas, hoc eſt, mille ſolatos bilibres. Quæ niſi quis poſſideret, lege prohibebatur in theatro ſedere.

Tanti comparatam referunt aſinam Reatinam, gerulam, aratricem & prolificam. Quo fit, ut ſexaginta millia ſeſtertiorum nummorum, quibus aſinum ſua memoria emptum Varro miratur, trium millium librarum turonicarum, hoc eſt, ſolatorum mille quingentorum compleant æſtimationem.

Quinquaginta ſeſtertia, bis mille quingentas libras comprehendunt, ſolatos vero mille ducentos quinquaginta. Quo impendio Lucullum referunt apparaſſe cœnam Ciceroni & Pompejo, nulla illi mora ad parandum convivium relicta. Hoc tantum illi permiſſum eſt, ut diceret miniſtris, ſe in Apollinis aula cœnaturum. Hæc autem geminata, quid aliud quam centum ſeſtertia complent? de quibus mox ſequitur.

Centum ſeſtertia, hoc eſt, ſeſtertiorum nummorum centum millia, ſeu vigintiquinque millia denariorum, ut ex proxima ſupputatione liquet, quinquies mille libras capiunt. De quibus ita Martialis:

Mutua te centum ſeſtertia Phœbe rogavi;
Cum mihi dixiſſes, Exigis ergo nihil?
Inquiris, dubitas, cunctaris, meque diebus
Teque decem crucias, jam rogo Phœbe nega.

Oportebat ſane aut Martialem eſſe admodum familiarem, aut Phœbum ſupra modum divitem & opulentum, a quo ſperaret tam gravem pecuniæ ſummam ſeſe incunctanter recepturum. Siquidem ea ſumma valet ſolatos bis mille quingentos. De his quoque Satyricus ait:

— Simplex ne furor, ſeſtertia centum
Perdere, & horrentis tunicam non reddere ſervo?

Indicibus conjurationis Catilinariæ decreta ſunt hæc præmia? ſervo libertas & ſeſtertia centum, libero impunitas, ſeſtertia vero ducenta: quorum valor ex hoc loco facile deprehenditur.

Quadringenta ſeſtertia, ſumma ſuperiore quadruplata, valebunt viginti millia librarum turonicarum, ſolatorum vero bilibrium decem millia.

Commemorat hunc ingentem æris acervum Martialis dicens:

Quadringentorum reddis mihi, Phœbe, tabellas:
Centum da potius mutua, Phœbe, mihi.
Quære alium, cui te tam vano munere jactes:
Quod tibi non poſſum ſolvere, Phœbe, meum eſt

Hoc loco Martialis, qui viginti millia librarum receperat, quæ ex mutuo in donum redditis tabellis converſa ſunt, nunc confidenter centum ſeſtertia mutuo petit. Nam neutro genere dicit centum mutua, ne quis de nummis ſeſtertiis intelligere poſſit. Petit ergo quinquies mille libras turonicas, præter priorem ſummam ex mutuo in donum converſam. Hic execrare Neronis prodigum luxum, qui in punctum quadringentis ſeſtertiis aleam luſit.

Quingenta ſeſtertia, ex his quæ in abaco præcedunt, valent viginti quinque millia librarum turonicarum. Quam ſummam eſſe ajunt modum cenſus equeſtris. Quo munere cum jure annuli, equeſtris ordinis inſigni, Laberius poeta donatus eſt. Æſtimantur autem a Budæo duodecim millibus, quingentis coronatis. Nos vero pro coronatis ſolatos bilibres ponimus, ob cauſam non ſemel antea dictam. Docet tamen Budæus cenſum equeſtrem ad quadringenta ſeſtertia fuiſſe temperatum ſub Tyberio Cæſare.

Hoc ſtipendium merebat medicæ artis profeſſor Quintus Stertinius, quum tamen ſexcenta ſeſtertia annuo proventu a populo ſibi conciliare potuiſſet, hoc eſt, triginta millia librarum turonenſium, ſeu quindecim millia ſolatorum bilibrium. Idem ergo erat quæſtus medicæ operæ, apud Stertinium medicæ artis profeſſorem, qui & cenſus equeſtris ordinis, eo enim præmio donabatur a Principibus.

Sexcenta ſeſtertia valent triginta millia librarum turonicarum, ſolatorum vero quindecim millia. Plinius tanti æſtimavit Æſopi patinam: cujus rei fides ſit penes auctorem. Capiebat autem aviculaium centuriam, quæ erant humana voce canoræ.

Octingenta ſeſtertia æſtimanda veniunt quadraginta millibus librarum turonicarum, vetus taxa cenſus ſenatorii. Sunt enim octingenta millia nummum, quæ enumerat Suetonius in Auguſto.

Mille ſeſtertia, & decies ſeſtertium, idem ſunt: hoc eſt, decies centena ſeſtertia. Nam adverbium, ut diximus, ſeſtertiorum centuriam ſecum adfert. Quo fit, ut dum legimus *decies ſeſtertium*, intelligi oporteat decies centena ſeſtertia, quæ ſunt ſeſtertia mille. Eſt enim adberbium nota centenarii, quoties adjungitur ſeſtertio. Qua in re gratia Budæo debetur, qua vix aliquid aut dici poſſit aut cogitari gratius, qui ſumma vigilantia cum pari dicendi venuſtate conjuncta, ex abditiſſimo penituſque retruſo antiquitatis ſpecu, in quo iſtæc olim recondita erant, prodire fecit in lucem. Valent ergo ſeſtertia mille, quinquaginta millia librarum turonicarum, ſeu viginti quinque millia ſolatorum Cujus ſummæ meminit Martialis hoc epigrammate:

Si dederint ſuperi decies mihi millia centum,
Dicebas nondum, Scævola, factus eques:
Qualiter o vivam, quam large, quamque beate?
Riſerunt faciles, & tribuere dii.
In jus, o fallax atque inficiator, eamus:
Aut vive, aut decies Scævola redde deis.

Duodecies ſeſtertium, hoc eſt, mille ducenta ſeſtertia, ſeu duodecim millia nummum, valent ſexaginta millia librarum turonicarum, ſolatorum vero triginta millia. Qui modus eſt & taxa cenſus ſenatorii Cæſaris Auguſti temporibus. prius enim octingentis tantum ſeſtertiis æſtimabatur cenſus ſenatorius. hinc fit, ut vigeſies ſeſtertium, vigeſies centena ſeſtertia, ſeu bis mille reddat, quæ valent centum millia librarum turonicarum.

Quadragies vero ſeſtertium implebit valore ducenta millia librarum turonicarum, ſeu ſolatorum bilibrium centum millia. Quam ſummam pecuniarum ad jacturam Lugdunenſis oppidi ſarciendam contulit Nero, auctore Tacito. Tanti etiam conſtituiſſe legimus, millia ſuaviſſimæ menſæ fercula in convivio Vitelliano.

Sexagies ſeſtertium valent trecenta millia librarum turonicarum, ſeu centies quinquagies mille ſolatos, precium unionis dono dati Serviliæ a Cæſare. Erat autem hæc Servilia M. Bruti mater. Tantum etiam juſto decennio ſua hiſtrionica arte ſibi poterat comparaſſe Roſcius, quam tamen gratis populo Romano præſtare maluit.

Octogies ſeſtertium valent quadringenta millia librarum turonenſium, hoc eſt, ducenta millia ſolatorum. Hanc impenſam fecit Claudius dictator, quo tempore primum ſummi pontificatus honorem adeptus eſt.

Centies ſeſtertium valent quingenta millia librarum turonenſium, ſolatorum vero in ſubduplo. hujus impenſæ jacturam, ſupra communem hominum fidem, fecit & rerum & honeſtatis prodiga Cleopatra, in unico unione aceti maceratione conſumpto. Ejuſdem impenſæ fuit cœna Caligulæ unica, *qui* (ut Seneca ait) *id centies ſeſtertium cœnavit uno die* quem ſi vivere diutius contigiſſet, ut Joſephus opinatus eſt, ejus luxuriæ ſolidum imperium ſufficere nequaquam potuiſſet.

Ducenties ſeſtertium valent millies mille ſeu decies centena millia librarum turonicarum, ſolatorum vero quingenta millia, ſeu quinquaginta myriades. hujus ſummæ hiſtrionicis artibus quæſitæ Æſopus filium reliquit hæredem.

Quadringenties ſeſtertium valent vigeſies centena millia librarum turonicarum: quæ ſumma reddit millionem ſolatorem, ſeu centum myriades, quam Marcus Lollius ex provinciarum ſpoliis corraſam, nepti ſuæ reliquit in uſum mundi muliebris: quo aliquando ornatu ſe ſpectandam præbebat ad lucernas. Hæc eſt ſumma tributi a Julio Cæſare Galliæ impoſiti, auctore Eutropio.

Sexcenties ſeſtertium valent quindecies centena millia ſolatorum, ſeu centum quinquaginta myriades. hæc eſt, ſumma luxus Apiciani: qua profuſa, ventrique immerſa, quum adhuc illi centies ſeſtertium ſupereſſent, vitam longiorem pertæſus, veneno hauſto, ſponte finem vivendi fecit. Quæ omnia Martialis explanat hoc epigrammate:

Dederas, Apici, bis tricenties ventri:
Sed adhuc ſupererat centies tibi laxum.
Hoc tu gravatus, ne famem & ſitim ferres,
Summa venenum potione duxiſti.
Nil eſt, Apici, tibi guloſius factum.

Quid autem illi ſatis eſſe potuiſſet, cui centies ſeſter-

ſeſtertium egeſtas erat? Adeo ut vero verius eſſe dicas (quod ajunt) fortunam quandoque nimis, at nunquam cuiquam dediſſe ſatis. Sunt tamen qui velint non bis trecenties, ſed ter trecenties legi debere. ſuper qua re nihil contendo.

Septingenties ſeſtertium, valent ducentas myriades librarum turonicarum, ſeu ſolatorum bilibrium myriades centum: quam ſummam æris alieni contraxerat a creditoribus Milo, auctore Plinio libro naturalis hiſtoriæ 36.

Octingenties ſeſtertium, valent quadragies centena millia librarum turonicarum, ſeu duos milliones ſolatorum, myriadaſve ducentas.

Nongenties ſeſtertium valent ducentos viginti quinque mille ſolatos. Quod teſtatur Egnatius de aureis Venetis. Vide Suetonium in Caligula.

Millies ſeſtertium valent ducentas quinquaginta myriades ſolatorum, hoc eſt, duos milliones, & quingenta millia: librarum vero turonicarum milliones, hoc eſt, chiliades chiliadum quinque. Cæſar de manubiis Galliarum forum inchoavit: cujus area ſeſtertium millies conſtit. Auctor Tranquillus in Julio.

Bis millies ſeſtertium valent quingentas myriades ſolatorum, librarum vero mille myriades, ſeu chiliades chiliadum decem. Tantum Craſſus ille Romanorum olim ſuo ſeculo opulentiſſimus habitus, proventu annuo poſſedit in agris, præter ſupellectilis copiam, proventumque numeroſum ex artificio & labore familiæ prodeuntem: unde plus frugis accedebat in annos ſingulos, quam ex agrorum proventu.

Bis millies quingenties ſeſtertium valent ſexcentas viginti quinque myriades ſolatorum. Tantum de ære alieno contraxerat Cæſar dictator privatus, adhuc necdum quopiam publico munere functus.

Ter millies ſeſtertium valent ſeptingentas quinquaginta myriades ſolatorum. Claudii libertus Pallas tantum in bonis habuiſſe refertur a Cornelio Tacito. eoque perveniſſe in divitiis Senecam a Suillio quodam æmulo improperatum eſt: quam ob cauſam Neronem ſibi ſenſit infenſum.

Quater millies ſeſtertium valent decem milliones ſolatorum, librarum vero chiliades chiliadum viginti. Eo progreſſæ ſunt Lentuli auguris opes, quas Auguſti Cæſaris beneficio recepit, cui omnia ſuæ felicitatis incrementa debebat.

Decies millies ſeſtertium valent viginti quinque milliones ſolatorum, librarum vero milliones, ſeu chiliades chiliadum quinquaginta.

Vigeſies millies ſeſtertium, valent quinquaginta milliones ſolatorum.

Vigeſies ſepties millies ſeſtertium valent ſexaginta ſeptem milliones cum quingentis millibus ſolatorum, quod idem eſt, ac ſi diceremus, ſex millia ſeptingenta & quinquaginta myriades aureorum: theſaurus a Tiberio Cæſare ingenti cura quæſitus, majore ſolicitudine ſervatus, maxima tandem C. Caligulæ & execranda prodigalitate, nondum toto vertente anno profuſus.

Quadragies millies ſeſtertium valent centum milliones, hoc eſt, myriadem myriadum. Quam ſummam undecunque colligendam & in ærarium reponendam ad reipubblicæ Romanæ ſalutem in tuto conſervandam Veſpaſianus profitebatur his verbis: *Quadragies millies ſeſtertium opus eſſe ærario publico, ut res Romana ſtare poſſet.* Sunt tamen qui ita legant, *quadringenties millies.* quæ ſumma mille milliones abſorbet, ſeu decem myriadum myriadas, hoc eſt, milliarum ſeu millionem millionum, quæ eſt etiam apud abacicos ſumma ſummarum maxima.

Addemus ſuperpondii vice quæ mox ſequuntur.

Trigeſies ſeſtertium valent centum quinquaginta millia librarum turonicarum, ſolatorum vero ad ſubduplum ſeptuaginta quinque millia. Quibus ſi quinquies ſeſtertium adjunxeris, ſeu duodecim millia ſolatos quingentos: prodibunt octuaginta ſeptem millia ſolatorum cum quingentis. Quam ſummam plebi Romanæ legatam tradit Suetonius in Auguſto, præter aliud legatum longe magnificentius populo Romano, id eſt, patribus, equitibus & honeſtioribus plebeis deſignatum. Iſtis enim quadringenties millies ſeſtertium Auguſti legato relictum eſt: hoc eſt, decies centena millia aureorum noſtrorum. Quam ſummam legavit Auguſtus populo inſignioris notæ: plebi vero infimæ eam, quam diximus, reliquit: hoc eſt, ſolatos octogies ſepties mille quingentos. Quæ omnia probantur Egnatio in annotationibus adjectis ad Suetonium. Cujus hæc verba ſunt: *Legavit populo Romano quadringenties millies, tribubus vero trigeſies quinquies ſeſtertium: prætorianis militibus ſingula millia nummorum, hoc eſt, ſingulis libras quinquaginta.* Quod ex prædictis liquet. Adjungit Tacitus legionariis cohortibus Romanorum civium tricenos nummos viritim datos, hoc eſt, libras quindecim. Addamus & illud quod ſequitur: *Cæſarem profeſſum non plus perventurum ad hæredes ſuos, quam millies quingenties ſeſtertium quamvis viginti proximis annis ex amicorum teſtamentis, trecenties millies ſeſtertium percepiſſet.* Jam ex abaco deprehendi poteſt, quo aſcendere poſſit hæc ſumma ad ſolatos noſtros reducta. Cum enim millies ſeſtertium ex abaco efficiant quinquaginta myriades ſolatorum, hoc eſt, milliones duos cum viginti millibus: huic ſi adjunxeris ſummæ hujus dimidium, evadet numerus trium millionum, triginta quoque millium ſolatorum; quæ eſt ſumma ſuis hæredibus relicta. Porro id quod ab amicis præceſſoribus a viginti annis acceperat, ter mille nec amplius per-

Sunt & alii loci complures, qui facile clueſcent ex hujus abaci ratione. Primum illud Suetonii in Nerone plurimum lucis accipiet. Ubi Suetonius ait quodam prætorum ſeſtertium decies offerente, tragœdias quoque cantavit perſonatus heroum deorumque. Porro decies ſeſtertium, quod mille ſeſtertia efficit, ſolatorum viginti quinque millia implet.

Alio item loco dicuntur plauſuum theatralium duces ſub eo quadragena millia nummum meruiſſe: quæ ſunt quadraginta ſeſtertia, ſeu mille ſolati duarum quiſque librarum turonenſium. Unum ſiquidem ſeſtertium mille ſeſtertios nummos complectitur.

Aliud etiam quod ait Suetonius in Tiridatem, quod vix credibile videatur, octingenta nummum millia diurna erogavit, abeuntique ſuper ſeſtertium millies contulit. de nummis ſeſtertiis intellige. Quem locum ſic illuſtravit Egnatius, ut nemo queat melius. Octingenta (inquit) nummum millia erogavit, hoc eſt, vicena millia aureorum noſtrorum. Quod autem mox ſequitur, *Abeunti contuliſſe Neronem millies ſeſtertium:* perinde eſt ac ſi quis reponat in numerum, viginti quinquies centena millia ſolatorum, ſeu ducentas quinquaginta myriades. Quodque magis mireris, prodidit Tacitus de hoc profuſiſſimo Nerone, quod quatuordecim annis, quibus imperio præfuit, bis vicies millies ſeſtertium donationibus effuderit: hoc eſt, centum milliones ſolatorum. Quod facile ex abaco colliges.

Quod autem in Galba dicitur, quod vehiculo decies ſeſtertium in auro inferret, viginti quinque millia aureorum noſtrorum deſignantur. Eademque ipſa ſumma in Othone ſcribitur his verbis: *Ante paucos dies ſervo Cæſaris pro impetrata diſpenſatione decies ſeſtertium expreſſerat.*

In

In eodem Othone alio dicitur loco: *Nec quicquam prius pro potestate subscripsit, quam quingenties sestertium ad peragendam auream domum.* Reddidit autem duodecies centena quinquaginta millia. Cæterum quod in Egnatio *quinque* pro *quinquaginta* reponuntur, culpa in librarium referenda videtur. Quinetiam illud ex Plinio traditum, *Bis millies sestertium villa incendio Scauro periisse.* perinde est, ac si quinque milliones solatorum dixisset, seu myriades quingentas.

Eutropius libro septimo ait; *Gallia tributi nomine imperatum fuisse censum annuum sestertium quadringenties:* hoc est, aureorum solatorum centum millia. Id quod plane elicitur ex eo, quod decies sestertium viginti quinque millia solatorum reddunt: uti nuper dictum est. Cætera consulto omittimus posteritatis diligentiæ supplenda. Neque enim est indecorum post spicilegium aut racemationem, spicam unam aliquam subsequentibus relinquere.

Ultra hæc progredi poterit, si cui ad manum fuerint decerpta auctoribus exempla, quibus sestertia in numerato haberi possint. Nos ad denarii abacum properantes, hic finem facimus sestertia numerandi.

Denarii Romani abacus.

DEnarius valet quatuor duodenarios nummos & sestertios totidem, quod erat stipendium diurnum & mechanicæ & militaris operæ. Uti enim drachma viritim distribuebatur apud Græcos, ita & denarius apud Latinos. Qua ratione stipendium menstruum gregarii militis in Græcorum acie militantis, erat quinque librarum turonicarum, totidemque solidorum. Qui vero sub signis Romanis stipendia merebant, quum triginta denarios drachmis solidi semisse crassiores reciperent, fit ut felicior esset Romani militis fortuna solidis quindecim. siquidem recipiebat quisque sex sex libras & semissem in menses singulos. Ex menstruo itaque stipendio annuum colligere promptum est, ratione tantum habita mensium, non dierum. Erat enim annuus proventus simplaris peditisque militis, septuaginta quinque librarum apud Romanos: apud Græcos vero libras turonicas tres & sexaginta comprehendebat.

Duo denarii valent solidos octo, stipendium diurnum centurionis apud Romanos, uti didrachmum apud Græcos. Quo fit, ut stipendium militaris operæ in Romana acie superet Græcæ militiæ stipem septima parte, sicut numerus octonarius septenarium. Erat autem taxa solennioris sportulæ, quæ singulis distribuebatur, siquando viri illustres aut nuptias celebrarent, aut primum inirent magistratum, seu etiam togam virilem sumerent.

Tres denarii valent duodecim solidos seu nummos sestertios diurnæ operæ, equestris militiæ stipendium.

Decem denarii valent solidos quadraginta, totidemque minores sestertios, libras turonicas duas.

Viginti denarii solidos octoginta valent, seu libras quatuor.

Quadraginta denarii valent libras octo.

Quinquaginta denarii valent libras decem, solatos quinque bilibres. Quo precio pavones singulos emptos Roma triumphante legimus.

Centum denarii seu sestertii quadringenti valent libras turonicas viginti. Quod erat precium libræ purpuræ violaceæ apud Romanos.

Quadrigenti denarii valent libras turonicas octoginta, quo precio venisse singula columbarum paria auctor est Varro: tametsi nonnunquam mille tantum sestertiis comparari potuissent, hoc est, denariis ducentis & quinquaginta, nostro vero numismate libris quinquaginta turonensibus.

Mille denarii, seu sestertiorum nummorum quatuor millia, valent libras turonicas ducentas. Quo precio apud veteres Romanos, quum summum opulentiæ verticem Roma attigisset, purpura Tyria dibapha sive bis tincta æstimabatur ad libram: totidemque denarios merebat Roscius arte sua mimica in dies singulos, qui in anno constituunt summam trecentorum sexaginta quinque sestertium majorum. Ex quibus evadit summa decem & octo millium ducentarum quinquaginta librarum. Quam summam quater repetere necesse est, ut æquare possit hujus histrionicæ operæ æstimationem. Merere igitur poterat toto anno Roscius librarum turonicarum septuaginta tria millia.

Decem millia denariorum, seu quadragies mille sestertii valent bis mille libras turonicas, seu mille solatos bilibres, & reddunt myriadem denariorum.

Quadraginta millia denariorum, seu quatuor myriades valent octo millia librarum toronicarum, seu quatuor chiliades solatorum. chilias enim millenarius est.

Quinquaginta millia denariorum, seu quinque myriades constituunt decies mille libras turonicas seu myriadem libellarum turonicarum. Cujus summæ, tametsi gravis & immensæ, scientes & prudentes jacturam fecerunt pro Christi nomine hi qui fuerant curiosa sectati, ad studia meliora conversi. Contulerunt enim superstitiosa volumina, & combusserunt ea coram omnibus: & computatis preciis illorum, invenerunt pecuniam denariorum quinquaginta millium, Actuum decimo nono, hoc est, myriadem librarum, ut diximus. Hic calculo denarii finem imponentes, ad solidi rationem properemus.

TOMVS SEPTIMVS.

De solido, ejus partitione, & abaco.

SOlidus quidam æreus, ut as apud Romanos, duodenarius vero nummus apud nos: quidam argenteus, ut siclus apud veteres Hebros, drachma tam apud veteres quam recentiores, ut est in Esdra frequens mentio, & apud nos nummus capitatus, quem Testonem appellant. hi omnes solidi dici possunt. Est & aureus solidus, non unius ponderis & valoris, ut infra docebitur. In summa, solidum dici voluerunt auctores nummum integrum atque consummatum, qui assis instar in partes aliquotas certo numismate expressas dividitur, uti apud nos duodenarius nummus solidus dicitur. Habet enim nummum semissem: habet etiam quadrantem, quem nos vulgo *liardum* appellamus: habet & pro sextante duplum denariolum. Sic & inter argenteos nummos capitatus nummus solidus dici potest: habet enim quinque solidorum percussum numisma pro quadrante alium valoris sex albulorum. habet & bessalem nummum, quem quindenarium, seu solidum Parisinum apellare solemus. Hinc orta est solidorum aureorum appellatio: de quibus ad præsens se offert differendi occasio. Qui enim solidi aurei appellati sunt, suos habuere semisses, & tremisses, quandoque & quadrantes, certo numismate expressos: alias solidorum nomen non mererentur. hinc facile est colligere, qui nummi solidi, & qui non merentur appellari.

Triplicem autem constituemus aureum solidum. Quidam est drachmalis, cujus frequens usus erat apud Hebræos, maxime Esdræ temporibus: vocaturque

que Hebraice drachma *adarcon*, pro qua dictione passim modo *solidus*, modo *drachma* reponitur, primi Esdræ octavo, secundi ejusdem septimo, & primi Paralipomenon 29. ut supra in drachma dictum est. Octo igitur solidi hujus indicaturæ unciam complent. Sunt & alii didrachmales, quorum quatuor unciam æquare necesse est: hi erant in usu tempore Alexandri Mammeæ. Quare leges, quotquot scriptis redactæ sunt a jureconsultis, qui eo tempore floruerunt, de solidis aureis didrachmalibus, quorum quatuor unciam implent, intelligendæ sunt. Fuerunt & alii solidi sextulares vocati, aurei numismatis extenuatione facta. Nam qui prius erat didrachmus, ad drachmam sesquitertius factus est, & horum solidorum sex unciam constituunt. Et quemadmodum ex uncia sex solidi, ita & ex drachmis tribus tres aurei prodibant. Quum autem libra duodenaria, duodecim uncias habeat, & uncia quæque octo drachmas, libram nonaginta sex drachmas continere necesse est. Quo fit, ut solidi drachmales nonaginta sex, libræ duodenariæ pondus æquent: didrachmales vero solidi, qui florente Romano imperio in usu erant, quadraginta octo libræ duodenariæ pondus absolvunt. Sextulares autem, qui frequentes erant in usu Justiniani Principis temporibus, septuaginta duo numero libram ingrediuntur. Hoc enim constat edicto Justiniani in lege, *Quotiescunque.* de susceptoribus, præpositis, & arcariis, decimo libro Codicis. Ita lex habet: *Quotiescunque certa summa solidorum debetur, in septuaginta duos solidos libra feratur accepta.* Ex quo hæc omnia constare necesse est: Primum, quod hi solidi sextulares sunt: Alterum, quod libra Romana est duodecim unciarum tantum, minorque mina Attica semuncia una: quum hæc centum, Romana vero nonaginta sex drachmas habeat. Hi autem sex solidi unciam perficiunt, & sexies duodecim reddunt septuaginta duo numerum a lege designatum. Et hæc cum mina Attica, quæ in drachmis centenaria est, quadrare non possunt. Nam addendi essent sextulares solidi tres, propter semunciam ex mina centenaria prodeuntem. Priusquam autem horum solidorum æstimatio constitui possit, drachmæ, unciæ, libræ auri stabilienda est æstimatio. Hujus autem negotii summa ex eo pendet, quod unciam statuimus æqualem libræ argenti. Illud tamen, ne quis fallatur attendendum est, duplicem esse libram argenti: centenariam videlicet, seu drachmarum centum, quæ & mina dicitur Attica, æstimata ad valorem decem coronatorum, seu decem & septem librarum cum semisse. Alia est libra, quam dicunt duodenariam, quæ est nonaginta sex drachmarum, minor semuncia quam mina Attica: & hæc valet novem scuta coronata, insuper solidos unum & viginti, seu libras turonicas sexdecim cum totidem solidis. Hoc facile apparebit, si quis de libra centenaria auferat valorem semunciæ, quæ est solidorum quatuordecim: tunc enim restabunt libræ turonicæ sedecim, cum totidem solidis. Dicimus ergo unciam unam auri, esse æqualem libræ argenti solidæ & integræ. Quo fit, ut uncia auri valeat sedecim libras turonicas cum sedecim solidis.

Uncia hujus libræ argenti duodecima pars valet viginti octo solidos turonenses. Siquidem de duodecim libris una adempta, si ex nonaginta sex solidis restantibus duodecimam partem abstuleris, quæ est octo, (nam duodecies octo sunt nonaginta sex) perficies summam valoris unciæ, quæ est viginti octo solidorum. Hujus unciæ octava pars est drachma, quam trium solidorum & semissis esse constat: quos si octies multiplicaveris, valorem unciæ constituent. Hæc cum certissima esse oporteat, ei quoque erunt clara & perspicua, qui calculum sublucere volet. Ex quibus ita stabilius constat, quod drachma auri æstimationem habet sescunciæ argenti. Nam duodecim in octo relata, unciam cum semisse reddunt. Sunt autem octo unciæ, & octo semisses. Quid plura? Istud novissime sequitur, quod drachma auri valebit hac ratione quadraginta duos solidos, hoc est, libras duas turonicas, totidem solidos, ut supra in siclos diximus. & hinc sequi necesse est, unciam auri æstimandam esse sedecim solidis. Hoc facile intelliges, si quadraginta duo per octonarium multiplicaveris. Restat igitur has sedecim libras cum totidem solidis duodenario numero multiplicare. hinc evadet integra æstimatio libræ auri collatæ ad libram duodenariam argenti. Est enim ducentarum unius librarum turonicarum cum duodecim solidis. hæc omnia ex calculo necessario sequuntur. Hanc auri ad argentum analogiam ut in siclo observavimus, ita & observaturi sumus in ea abacum solidorum descripturi. Cujus abaci hoc initium est:

Drachma argenti valet tres solidos cum semisse, quæ octies multiplicata unciam reddit.

Uncia argenti drachmam octies recipiens, valet duodenarios nummos, quos æreos solidos dicere possumus, octo & viginti. Hæc duodecies repetita libram perficit argenti duodenariam, qua semper utimur ad præsens, ut supra in siclo aureo, ita & hic in solido.

Libra argenti duodenaria valet sedecim libras turonicas cum totidem solidis. Nunc drachmæ, unciæ & libræ auri, describenda est æstimatio.

Drachma auri eundem habet valorem, quem sescuncia argenti: libras enim duas, totidemque solidos valet. Hæc summa per octonarium multiplicata, auri continebit unciam.

Uncia auri valet sedecim libras cum totidem solidis. hic autem numerus duodecies repetitus, libræ auri duodenariæ capacitatem implet. Quo apparet præstans Romanorum prisca frugalitas ex lege Oppia, vetante, ne qua mulier variegata colore veste uteretur, neve plus semuncia auri appensum circumferret ornatum.

Porro sescunciæ, quatuor & viginti libris turonicis æstimanda venit. Nunc autem virilis muliebrem vincit aparatum, aureis quibusdam bracteolis sine numero e birro vanissime pendentibus, audituri tandem vetus illud convicium:

Sint procul a nobis juvenes ceu fœmina compti.

Libra auri duodenaria valet unam libram turonicam supra ducentas, cum solidis sive duodenariis nummis duodecim. Vospiscus in Aureliano, ipsius frugalitatem sapientissime depingit his verbis: *Amicos suos Aurelianus honeste ditavit & modice, ut miserias paupertatis effugerent; & divitiarum invidiam patrimonii moderatione vitarent. Vestem holosericam neque ipse in vestiario suo habuit, neque alteri utendam dedit. Et cum ab eo uxor sua peteret, ut unico pallio blatteo serico uteretur, ille respondit: Absit, ut auro fila pensentur. Libra enim auri tunc libra serici fuit. Habuit in animo, ut aurum neque in cameras, neque in tunicas, neque in pelles, neque in argentum mitteretur, dicens plus auri esse in rerum natura; quam argenti: sed aurum per varios bractearum, filorum & reliquationum usus perire, argentum autem in suo usu manere.* Mirum Christianæ posteritati ab hoc uno Ethnico viro frugalitatis exemplum.

Ex hac drachmæ, unciæ, libræ; constitutione, tanquam ex Apollinis tripode, in totius abaci decursu oraculum petendum est. Nam hac ratione solidus drachmalis æreus nostra æstimatione valet libra duas, solidos totidem.

Duo autem solidi drachmales valent libras turonenses quatuor, totidemque duodenarios nummos: & hi quidem solidum didrachmum aureum constituunt, quo utebantur Romani tempore Alexandri Mammeæ: hujusque frequens est apud jurisconsultos illius temporis mentio, qui in suis legibus & edictis, nullum aureum solidum præter didrachmum agnoscebant, usque dum ad Justiniani Imperatoris seculum perventum est. Quo tempore primum aurei nummi percussi sunt sextulares, e quibus sex unciam complebant, quum quatuor didrachmi unciæ sufficerent. Erat autem sextularius solidus ad drachmam sesquitertius. Porro de solido didrachmali, intelligenda est Hermogenis sententia, in lege *Nonnulli*. de accusationibus & inscriptionibus, Digestis. Quo loco censet eum pauperem, qui minus quinquaginta aureis haberet in bonis: ideoque a testimonii ferendi facultate arcendum. Eadem sententia habetur in capite *Prohibentur*. secunda, quæstione prima.

Constat autem quinquaginta aureos didrachmos centum drachmas perficere, quæ drachmarum centuria minam Atticam reddit, duodenaria libra graviorem semuncia una. Hæc autem mina Attica auri, ducentas decem libras turonicas valet. quod manifeste deprehendes, si libræ duodenariæ semunciæ valorem adjeceris. hanc nisi quis haberet, in pauperum ordinem redigebatur. Dives vero censebatur, qui quantum illa valebat, haberet in bonis. Erat igitur insigne quoddam mina auri Attica, quo dives secernebatur a paupere. Ab hoc etiam pendet intelligentia edicti Ulpiani, *de in jus vocando*, paragrapho *In eum*. quo quidem edicto decernit quinquaginta aureorum mulctam adversus liberum, qui prætore inconsulto dominum suum in jus vocare præsumpsisset. Sed & Modestinus censet eum, qui inciderit in hanc poenam, si inopia laboraverit, a prætore castigandum. Quæ probant eum pauperem censeri, qui minus in bonis haberet quam quinquaginta aureos didrachmales, qui centum drachmas & minam auri Atticam faciunt. Et apud eundem Ulpianum, titulo *de servis fugitivis*, libro Digestorum undecimo, statuitur magistratui mulcta centum solidorum, hoc est, duarum librarum auri, ei qui in inquirendo servo fugitivo negligens fuerit. Hi quoque centum aurei, honorarium advocatorum dicuntur. quo fit, ut duæ minæ Atticæ auri, sint advocati præmium, & magistratus mulcta, seu supplicium. A quo non longe abest nostra ætate stipendium senatorum. Valet enim hujusmodi honorarium nostra moneta aureos ducentos quinquaginta coronatos, hoc est, libras turonicas quadringentas triginta septem cum semisse.

Aureus iste didrachmalis æquabat pondere Philippeum nummum, qui olim apud nos in usu erat: cui successit apud Anglos nummus Odoardeus, seu Nobilis ad rosam. Nec obstat quod hodie pluris æstimetur: hoc enim effecit auri penuria, vel hominum seu temporum iniquitas, ut pluris hodie quam olim æstimetur aurum. Solidus ergo iste, qui & integer nummus dici potest, auctore Lampridio, ab Alexandro Mammeæ in semisses & tremisses divisus est. Quare semissem æstimabimus precio drachmæ aureæ unius, valore tamen ad ea tempora relato, cujus valor in abaco describitur, videlicet duarum librarum, solidorum totidem turonensium. Tremissem vero æstimabimus solidis octo & viginti. quod si & de quartario experiri libet, quartarium dicemus esse valoris unius ac viginti solidorum. Et hæc est solidi didrachmalis in semissem, trientem, quadrantemque partitio, ad tempora Alexandri Mammeæ relata. Verum postea injuria temporum aurei numismatis extenuatio facta est. Nam qui prius solidus erat didrachmus, ad drachmam sesquitertius factus est Justiniani Principis & legislatoris temporibus. Inde sequutum est, ut quum quatuor solidi unciam implerent, ad sex solidos reducerentur, & ex quatuor drachmis tres solidi prodirent. Hincque factum est, ut duo & septuaginta solidi aurei libram implerent, juxta legem, *Quotiescunque. de susceptoribus, præpositis & arcariis*, decimo libro Codicis, supra memoratam. Quod si de libra duodenaria, non de centenaria loqueremur, exurgerent solidi quinque & septuaginta, utpote tetradrachmo (ex quo tres solidi fiunt) his duodecim unciis adjecto.

Hunc solidum unciæ sextantem partiri possumus in semissem, tremissem, & quadrantem: & horum æstimationem sequenti abaco describemus. Si quem autem juvat intelligere, cujus valoris sit solidus, quem unum in ludo exponere lex permittit, ex his quæ dicta sunt, facile intelliget, modo prius constiterit, auctore Justiniano in lege, *Alearum usus*, *de religiosis & sumptibus funerum*, Codice, nemini permissum esse ultra unum solidum ludere, etiamsi dives plurimum sit: ut si quem fortasse vinci contingerit, casum non ita gravem sustineat. Hic solidus ex prædictis drachmam continet, & ejus tertiam. Est itaque æstimationis trium librarum, novem solidorum, denariolorum quatuor. Hinc videre est, quam longe distemus hoc nostro perditissimo seculo a legum obedientia, & veterum frugalitate: in quo scilicet agnoscimus cum summa egestate profusissimam prodigalitatem conjunctam. Plerumque enim videre solemus, ut qui minus habent in bonis, confidentius illiberaliter & prodige & sua & aliena profundant, idque in vanissimis ludis, & rebus magis quæstuosis quam voluptuosis. nec enim (ut Satyricus ait)

> *— — loculis comitantibus itur*
> *Ad jactum tabulæ, plena sed luditur arca.*

Et continuo subjunxit:

> *— — Simplexne furor, sestertia centum*
> *Ludere, & horrenti tunicam non reddere servo?*

Hæc quum ita se habeant, nec pudor, nec injuria, denique nec virtutis amor prodigos a rei familiaris jactura coercet: ut merito dixeris eos conspirasse in suam suorumque perniciem. Ex hac de solido aureo consideratione, superest jam illud aperire, quantæ sit æstimationis precium servi, de quo habetur in titulo *de servis fugitivis*, in lege *Quicunque*. Codice. sic enim ait: *Quicunque servum in domum vel in agrum nesciso domino ejus susceperit, eum cum alio pari, vel viginti solidos reddat.* inde colligitur viginti solidos pro servi precio reputari. De hac re habetur in capitulo *Si quis*. & cap. *Episcopus*. duodecima, quæstione secunda. Qua in re fallitur commentator, qui aureum æquat libræ. quin & suæ assertioni refragatur lex ab eo citata, *Quotiens*. quod ex prædictis liquet. Hoc institutum Justiniani tempora præcessit annis plus ducentis. quo fit, ut de solidis didrachmalibus intelligendum foret: nisi quod Justinianus per legem *Quotiescunque*, jam antea sæpe memoratam, solidorum æstimationem ad sui temporis usum reduci voluit. Proinde servi precium majus est sub Constantino, quam sub Justiniano. Viginti itaque solidi didrachmales quadraginta continent drachmas, seu quinque auri uncias, valentes libras octoginta quatuor. Et hoc erat precium servi ante Justiniani tempora: dum scilicet solidus esse didrachmalis. At vero extenuato numismate in drachmam & tertiam drachmæ, dicendum est hos viginti solidos

tres

tres uncias cum semisse perficere, & ea tempestate valoris fuisse quinquaginta octo librarum turonicarum cum sedecim solidis. Hoc igitur erat precium servi, imperatoris Justiniani seculo. Post hæc autem multo temporum defluxu, rebusque in deteriora lapsis, dum sui juris esse cœperunt civitates plurimæ, plerique solidos aureos drachmales percussererunt. qualis est apud nos aureus ille, quem veterem appellamus. Et ab hujusmodi pondere, & ducati & solati non longe recedunt. Ducatos autem seu ducales nummos appellatos existimo, cum jam non imperatori aut regibus, verum ducibus a se delectis subessent. Constat solatum nostrum aureum, minutiis tantum octo (quas *granula* vocant) drachma una esse leviorem. Nam drachma apud nummularios trium denariorum ponderalium pondus habet: denarius autem viginti quatuor granula. Qua ratione solatus noster minoris æstimandus esset quam solidus drachmalis, juxta rationem granulorum octo. Drachmam autem diximus æstimandam duabus libris, solidis totidem: de qua summa subtractis quinque ferme solidis pro octo granulis, supererunt triginta septem duodenarii nummi: quo ferme precio permutabatur solatus, cum aureus coronatus triginta quinque solidis regio edicto & publico usu æstimaretur.

Quod autem pro octo granulis, quinque ferme solidos demendos esse volebam, illud in causa est: Drachma tres denarios habet, lege apud nummularios receptissima. Valebit igitur denarius, quem tremissem drachmæ dicimus, solidos quatuordecim: quam summam partiri oportet in viginti quatuor partes, qua ratione valebit granulum septem denariolos. Octo igitur granulis correspondebit summa quatuor solidorum cum denariolis octo: quos si de valore drachmæ auri abstuleris, succedet ipsius solati solida æstimatio juxta hanc nostram indicaturam, quæ est triginta septem solidorum cum quatuor denariolis. Quo pretio permutari solatum non multis abhinc diebus vidimus, cum nondum esset, quanta nunc est, auri (ut sic dicam) & jejunitas & inopia. Jam cum sæpenumero variet auri nummi & pondus & indicatura, alicui tandem æstimationi firmiter adhærendum censui, quæ constans & immota perseveret, ad quam veluti ad scopum aciem figamus oculorum, intermutantem semper in pondere & valore auri, ac nummorum inconstantia. hæc est libra duodenaria, cujus cum uncia & drachma medie temperatum valorem descripsimus. Sic enim constituimus libram auri duodenariam, ut valeat libras turonicas unam & ducentas cum duodecim solidis. Minam vero Atticam semuncia una priore graviorem, decem ac ducentas libras valere facimus: ut minæ ad libram sit æqus ratio ponderis & valoris. Nunc ad id quod superest de solido drachmali, pergamus.

Quatuor solidi drachmales staterem aureum siclumque Hebraicum tetradrachmum reddunt, valentque libras turonicas octo, & totidem duodenarios nummos, auri semunciam implent.

Octo solidi drachmales, hoc est, duo stateres, seu sicli aurei, valent libras turonicas 16. cum totidem solidis.

Decem solidi aurei drachmales, valent libras turonicas unam & 20.

Viginti solidi aurei drachmales, valent libras turonicas duas & 40.

Quadraginta aurei solidi drachmales, valent libras turonicas 4. & 80.

Quinquaginta aurei solidi drachmales, valent 105. libras turonicas.

Centum aurei solidi drachmales minam auri Atticam constituunt, cujus possessio Hermogenem sententia divitem facit, inopia vero pauperem. Nam centum drachmales sunt 50. aurei didrachmales. valent libras ducentas decem.

Ducenti aurei solidi drachmales, centum solidos didrachmales perficiunt, seu minam Atticam auri geminam: quæ olim honorarium advocatorum appellabatur. valent libras 420.

Mille solidi valent bis mille centum libras turonicas.

Decem millia solidorum aureorum, quorum meminit liber primus Paralipomenon 29. capite his verbis: *Principes obtulerunt in opus domini auri talenta quinque millia, & solidorum decem millia:* valent unam & 20. chiliades, seu millenarios librarum turonicarum. Hic autem attendere oportet, si forte solidus pro siclo accipi debeat. Quod minus credibile facit, quod Hebraice legitur *Adarconim*, & non *Sequel*: hoc est, drachma, non siclus. Si tamen pro siclis solidus caperetur, augenda esset ad quadruplum summa prædicta.

Superest hujus sicli abaco tremissem, semissem & quatarium describere. Hujus ergo drachmæ semissem æstimabimus uno & 20. solidis, tremissem vero solidis 14. quartarium autem decem duodenariis nummis & semisse, quanti hodie æstimatur apud nos nummus argenteus capitatus, quem testonem dicimus.

Jam ad solidi sextularis abacum procedendum est.

Solidus aureus ad unciæ sextulam redactus, juxta decretum Justiniani Principis in lege *Quotiescunque. de susceptoribus.* X. lib. C. libræ duodenariæ auri pars septuagesima secunda, centenariæ vero septuagesima quinta, ad drachmam sesquitertium, æstimatione ferme æqualis nummo quem *genitatum* vocant, Gallice *angelos*, valet 56. solidos: nec amplius olim hujus solidi pretio, ludo expendere lege licebat. Quanquam nunc adaucto aurei precio Principis edicto pluris æstimetur, nempe solidis 67. cum semisse. Differentia est in solidis undecim & sex denariolis.

Semis hujus sextulæ valet solidos 28.

Tremis, hujus solidi tertia pars, valet 18. solidos, denariolos octo. De hoc habetur in l. ii. *Jubemus. de erogatione militaris annona*, libro decimo Codicis: *Amplius quam unum tremissem nullus actuarius pro quocunque tempore, seu annorum spatio pacisci penitus permittatur, nec ulla prolixitate unius tremissis quantitatem excedere.* Ab hujus instituti observatione, quam longe distent nostra secula, sibi quisque conscius esse potest.

Decem solidi sextulares valent libras decem & octo, precium servi ætate minoris decennio: ut est in l. *Si duobus vel tribus.* tit. *communia de legat. & fideicom.* Codice.

Viginti solidi precium servi inertis, supra decem annos constituti, valent libras 36.

Triginta solidi, summum precium servi artificis arte mechanica, tanti etiam a Justiniano æstimatur servus eunuchatus minor decem annis, valent libras 54.

Quinquaginta solidi, precium servi notarii, valent libras 90.

Sexaginta solidi precium servi medici, seu ancillæ obstetricis, valoris centum & octo librarum.

Septuaginta solidi pretium servi eunuchi artificis, valoris librarum 126.

Centum solidi valoris librarum 180.

Nongenti solidi pœna lædentis immunitatem in cap. *Si quis contumax.* 17. quæst. 4. valent mille sexcentas viginti libras turonicas.

Istud interim non omittendum, quod didrachmali solido, qui quadrans est unciæ, nostra ætate respon-

respondet nummus, quem *nobilem rosatum* appellant. Pendet enim denarios sex: cum drachmæ, tres denarii nihilo plus minusve congruant. Sextularii vero solido auri pondere respondet nummus geniatus seu angelotus, pondo denariorum quatuor. Est enim sextans unciæ. Nam viginti quatuor denarii ponderales uociam implent. Quo fit, ut nummi ducales, quos ducatos appellamus, ad drachmæ pondus minime assurgant. Pendent enim denarios duos grana septemdecim. Desunt itaque grana septem de justo pondere drachmæ, octo vero in solato: cui sedecim tantum grana tribuuntur supra denarios duos. Decem vero grana absunt a coronato, quo minus drachmam impleat. Cæterum propius ad drachmam accedit regalis, quem appellant, nummus, Gallice *real*: & aureus francus seu pedes seu eques, Gallice *franc a pied*, & *franc a cheval*. Recedit enim a drachma tribus tantum granis. Solus didrachmalis nummus, est aureus priscus, Gallice *escu viel*. Nam tres denarios, hoc est, ipsissimam drachmam, pendit.

Nummi autem qui leonini appellantur, plusquam didrachmales sunt, nempe sex granorum pondere graviores. Cæterum nummi imperiales hodie appellati, superant sextularem solidum quatuor tantum granis. Ex his quæ de solido dicta sunt, & quæ mox de libra sequentur, clara luce deprehenditur æstimatio eorum, quæ pro consuetudinibus dari permisit Justinianus in §. *Si quis autem episcoporum.* in authen. *de episcopis*, constit. ultima. In qua sic habetur: *Pro consuetudinibus tamen nonnihil dare licebit: ut si ordinetur patriarcha, ea tantum præbebit, quæ consuetudo recognoscit, ultra viginti libras auri non daturus. Si vero metropolita vel a propria Synodo, vel a suis patriarcha ordinetur, pro intronisticis non plus dabit quam centum solidos. Notariis autem ordinatoris & aliis ministrantibus ac solenniter accipientibus dabit trecentos, si reditus ecclesiæ ad triginta libras auri extendantur. Sin autem minores sunt reditus, minores itidem erunt expensæ. Quocirca si ecclesia minus duabus libris auri in reditibus habeat, nihil expendet ejus episcopus, neque pro intronisticis, neque pro ulla consuetudine, ne per hujusmodi occasiones debitis prægraventur ecclesiæ, & venalia fiant sacerdotia. Si quis igitur plusquam oportet acceperit, ex sua substantia triplum restituet ecclesiæ dantis.* Jam ex abaco libræ facile constat, quæ summa expendi poterat in receptione patriarchæ. Viginti enim auri libræ, æstimantur libris turonicis quater mille triginta duabus: & duæ libræ auri valorem implent quadrigentarum librarum turonensium cum quatuor solidis, qui valor in beneficio nihil in receptione debebat.

Porro ex solidi abaco sextularis a Justiniano instituti constat, centum solidos aureos æstimari libris centum octoginta. Et hæc erat receptio episcopi a patriarcha. Cætera, quæ hic habentur, ex dictis promptum est æstimare.

Mulcta præterea indicitur quinque librarum auri judici negligenti animadvertere in eos, qui ascetriam, id est, monialem aut rapuerint, aut sollicitaverint, in authentic. collat. 9. §. *Si quis rapuerit.* Hæ autem quinque auri libræ, uti ex abaco constat, mille octo librarum turonicarum subeunt æstimationem. Eadem est pœna prævaricatoris in l. 3. *de prævaricatoribus.*

Recensetur eadem pœna quinque librarum auri in codice Theodosiano lib. 2. Arcadio & Honorio legislatoribus. in verbo, *Causas.* & sequenti edicto, *Si quis neglectis.* decem libræ auri enumerantur, quas æstimare conveniet 2016. l. t.

Binis autem libris auri mulctatur a gradu dejectus, lib. XVI. sub edicto, *Quemcunque clericum.* quæ valent libras turonicas 403. l. cum 4. sol.

Item lib. XII. Constantino & Constante legislatoribus, pœna indicitur & quinque & decem librarum. Et in edicto, *Quisquis armata militia.* pœna viginti librarum inscribitur: quæ æstimandæ veniunt 4032. l. t.

Item in edicto, *Quisquis.* lib. II. tit. 2.

Indicitur præterea pœna quinquaginta librarum auri lib. XVI. de Judæis & Samaritanis. titulo secundo. Valent autem libras turonicas 10080.

Mulcta decem librarum auri lege Theodosiano decreta est in hæreticos: cujus divus Augustinus meminit epistola quinquagesima. Nunc autem accrescente auri precio, ea mulcta ascenderet ad solatos aureos mille octingentos, libras vero turonicas bis mille quadrigentas quadraginta. Siquidem marca auri solatos aureos duos & septuaginta pendet. Qua ratione libra centum octo solatos pondere æquabit. Qui ad decuplum aucti, mille octuaginta perficiunt.

Hinc æstimare licet legis Lombardicæ mulctam, quæ habetur in cap. *Qui subdiaconum.* 17. quæst. 4. *Qui subdiaconum occiderit, trecentos solidos componat: qui diaconum, quadringentos: qui presbyterum, sexcentos: qui episcopum, nongentos: qui monachum, quadringentos.* Cum autem ex prædictis centum solidi novissima Justiniani institutione libras turonicas centum octoginta comprehendant: sequens est mulctam trecentorum solidorum ob subdiaconi necem ea lege infligendam, quingentis quadraginta libris turonicis æstimari. Interim adverte diaconum & monachum ad paria judicari. Solidis enim quadringentis æstimatur uterque. Quadringenti autem solidi valent libras turonicas septingentas viginti. Sexcenti vero solidi valent mille octoginta libras. Nongenti denique solidi mille sexcentis viginti libris æstimabuntur.

Addamus quoque id quod habetur in cap. *Si quos.* 12. quæst. 2. Cavetur enim eo loco, ne episcopus aut manumissionis nomine, aut alienationis terrulæ seu hospitioli, plus expendat quam solidos aureos viginti: alioquin post manumissoris mortem quod donatum fuerat, ecclesiæ revocetur. Valent autem autem aurei viginti solidi, cum sint sextulares, libras sex & triginta. At eos esse sextulares docet tempus, quo celebratum est Agathense Concilium, nempe post tempora Justiniani.

Præterea in cap. *Anteriorum.* 2. quæst. 6. appellatio non egreditur limites provinciæ, si de re quapiam contentio sit infra decem libras auri æstimata. Valent autem decem libræ bis mille sedecim libras turonicas, uti constat ex abaco. Sed & veteri instituto tam Pelagii pontificis in cap. *Illud.* quam Concilii etiam Toletani quarti, cap. *Inter cætera.* 10. quæst. 3. visitaturo episcopo inhibetur, ne supra duos solidos quicquam a visitando recipiat, neve quempiam ad graviorem summam persolvendam compellat. Valent autem bini solidi sextulares, libras quinque turonicas cum solidis duodecim.

Cum ergo triplex assignetur solidus aureus, maximus videlicet, qui ad tempora Alexandri Mammeæ relatus didrachmalis erat: medius sextularis edicto Justiniani institutus: minimus vero didrachmalis, cujusmodi ferme sunt nostræ ætatis aurei ducati: quandoquidem nonaginta sex ducati Veneti libram ingrediuntur, ut notat elenchus in Felinum cap. *Conquerente.* de offic. ordinarii. & Bertachinus in verbo *libra.* tametsi aliter sentire videatur Felinus, sed minus recte. Huc respicere visus est Albericus, qui libræ argenti æstimationem decem aureorum tribuit: modo illud de aureis coronatis intelligatur juxta veterem æstimationem, qua scilicet aureus coronatus triginta quinque solidis turonensibus

bus æstimabatur. His, inquam, ita suppositis facile erit constituere argenteos solidos ad rationem valoris libræ argenti æstimatos. quandoquidem solidus didrachmalis argenteus hac ratione valebit solidos æreos, hoc est, duodenarios septem: didrachmalis vero, qui minimus est, tres cum semisse: medius vero sextularis, qui sexto repetitus unciam argenti implet, æstimabitur quatuor solidis cum octo denariolis. Nam uncia argenti supraæstimata est octo & viginti duodenariis nummis. Ex his præterea quæ dicta sunt, perspicuum esse poterit, quanti æstimandæ sunt magnæ pupilli facultates: quarum meminit Justinianus in §. *nos autem.* Institut. lib. primo, qui ait: *Dispositimus facultates pupilli vel adulti usque ad quingentos solidos.* Constat autem de solidis sextularibus hæc intelligi oportere, qui ad Justiniani pertinent tempora. Quare cum centum solidi sextulares ex calculo abaci æstimentur libris centum octoginta, hac ratione æstimabuntur libris turonensibus nongentis.

Ultra hanc summam legis auctoritate magnæ æstimantur opes: & eo usque protrahi potest donatio citra omnem insinuationem juxta legem *Si quis.* §. *Cæteris.* C. *de donationibus.* Nam citra quingentos ipsis etiam inclusis parvæ, ultra vero magnæ merito appellabantur. Dum igitur Bertachious in verbo *libra*, ait sex aureos usu regni Siciliæ ingredi unciam, (qua ratione septuaginta duo libram perficiunt) hi certe aurei solidi sunt sextulares. Rursumque dum ait ducales nummos Venetos nonaginta sex, libra auri contineri: hoc certe de drachmalibus solidis plane est intelligendum.

Pari opera pensandum est, quod in Concilio Bracharensi secundo cap. 2. scribitur: *Placuit, ut nullus episcoporum per suas diœceses ambulans, præter honorem suæ cathedræ, id est, solidos duos, aliquid aliud per ecclesias tollat.* Jam cum sint solidi a Justiniano instituti, constat ex abaco pensari solidum valore & æstimatione nummorum duodenariorum sex & quinquaginta. Sic ergo *cathedratici* nomine juxta prisca instituta, recipere poterat episcopus annuo proventu libras quinque & duodecim solidos turonenses. Quod etiam decernitur in capitulo *Unio.* 10. quæst. 3. ex Concilio Toletano: & in cap. *Illud.* & cap. *Inter cætera.* ead. causa & quæst. Cæterum quod in eodem Bracharensi Concilio cap. 4. dicitur: *Placuit, ut modicum Balsami, quod benedictum pro baptismi sacramento per ecclesias datur, quia singulis tremisses pro ipso exigi solent, nihil ulterius exigatur: ne quod pro salute animarum consecratur, donum Dei pecunia venundetur.* Jam facile cuivis constat solidi tremissem summam comprehendere solidorum turonensium octodecim cum denariolis octo. Nec plus a singulis pro distributione chrismatis recipi poterat. Quæ summa eo tempore levis censebatur: hodie vero gravis appareret. Nihil ergo mirum, si pro varietate temporum statuta quandoque varientur humana.

Porro ex libræ argenteæ æstimatione, octavo declaranda tomo, constat libram valere sedecim libras turonicas cum sedecim solidis: decem quoque libras argenti valere sexaginta octo libras turonicas. Quæ summa in triplum aucta, quingentas quatuor libras turonicas comprehendit, valorem scilicet triginta librarum argenti: quas componere jubet sacrilegii reum Joannes octavus in cap. *Quisquis.* 17. quæst. 4. Sic enim ait: *Quisquis inventus fuerit reus sacrilegii, episcopis, vel abbatibus, sive personis ad quas querimonia sacrilegii juste pertinuerit, triginta libras examinati argenti purissimi componat.*

Cæterum in æstimando aureo solido hallucinatus est Alciatus, Dispunct. lib. III. cap. 9. cum de honorario seu advocatorum mercede disserit, ea maxime parte, qua aureum solidum Ulpiani cum nostra usuali moneta conferre nititur. Pulchre sane docet, ac rectissime pronunciat centum sestertios nummos solidum aureum didrachmalem conficere. Nam ubi Suetonius in Othone tradit ipsum Othonem cohorti dividere solitum viritim unum aureum, quoties cœna Principem acciperet, hoc Tacitus declarans lib. XVII. attestatur centenos sestertios dedisse Othonem. Verum sestertius hoc loco pro duodenario nummo accipiendus, qui est quarta pars denarii Romani, ut in denario docuimus. Quo fit, ut aureus nummus centum solidis æstimari debeat, hoc est, quinque libris turonensibus: quanti hodie æstimatur nobilis rosatus, qui etiam aureum illum Ulpiani pondere æquat. Nam sex denarios pendet, hoc est, drachmas duas. Tres enim denarii ponderales drachmam reddunt. Quo fit, ut vulgus doctorum non longe absit a vero, aureum illum quatuor libris turonensibus æstimantium. quin potius longius ipse abest, qui sentit aureum apud Ulpianum decem libris nostris turonensibus æstimari. Quapropter jus illud honorarium centum aureorum, non mille, sed quingentis libris æstimandum est turonensibus. Quinquaginta vero aurei, quorum possessione Hermogenes divitem depingit; ducentas tantum quinquaginta libras valore æquant. Hæc ego nullatenus recensuissem, nisi opinarer e re nostra esse, adversantium nobis sententiarum offendiculum de via tollere, ut hinc clarius veritas elucescat.

Hæc de universa solidi ratione asserta probataque, viro bono & candido satis esse poterunt. Jam de librarum minarumque ratione disserendum est.

TOMVS OCTAVVS.

De libra multiplici ratione & abaco.

Libra ponderum summorum infimorumque media, minorum maxima, majorumque minima, sub cujus nomine minam quoque comprehendimus, varie accipitur apud auctores. Quædam enim est octonaria apud nummularios celebratissima, unciarum octo, quam marcam appellamus. Altera duodenaria, quam Romanam diximus, unciarum duodecim, drachmarum nonaginta sex. Alias libras minas appellant, quas nonnulli nec libræ quidem nomine dignantur. Verum de nomine contentio vana est, modo rem ipsam teneamus. Mina igitur, quæ etiam mna dicitur, quædam est Attica nummaria, quæ habet uncias duodecim & semissem, hoc est, drachmas centum: superatque libram duodenariam, una 24. ejus parte. Alia est mina medica, quæ habet uncias 16. qua ratione habet drachmas 128. sed nihil hæc commune habet cum re nummaria. Alia est mina Alexandrina, quam ita statuunt, ut sit unciarum 20. auctor Galenus referente Agricola lib. V. de ponderib. Hæc habet 160. drachmas. Verum omnibus his, alia est mina ponderalis, atque etiam nummaria, crassior & gravior. Hæc est mina Hebraica: sexaginta enim siclos habet, ut in siclo ex Ezechiele probatum est. qua ratione habet uncias 30. drachmas autem 240. Siquidem minam Hebraicam duas libras Romanas & semissem comprehendere asseverat Josephus lib. Anti. 14. cap. 13. Quod & manifeste probat auctoritas Ezechielis sacrosancta, siclos 60. minæ Hebraicæ tribuentis.

Tametsi Josephus, quem ex Hebræo nobis reddidit Latinum Munsterus, aliud quippiam diversum referat capite 26. lib. IIII. mendoso nimirum codice, ubi ait: *Libram vero faciunt sexaginta unciæ.*

Quo loco bis erratum est, in libra scilicet & uncia. Dici enim debuit: *Minam vero faciunt sexaginta sicli.* Nam mina triginta tantum uncias habet, quas comprehendunt duæ libræ cum semisse, quæ minam (ut Josephus auctor est) implent. Cum autem siclus sit semuncia, nemini dubium esse potest sexaginta siclos triginta uncias perficere.

Siclus enim cum sit tradrachmus, si 60. siclos ex quaternario collegeris, habebis 240. drachmas. Quæ redactæ ad uncias, 30. reddunt: quem unciarum numerum comprehendunt duæ libræ duodenariæ cum semisse. Est ergo mina Hebraica ad Romanam libram dupla sesquialtera, eandemque proportionem servat ad Atticam, demptis tatum drachmis 10. ut facile cernere est. hanc Hebræi vocant *maneh*. Nec plurimum nostra refert, si Hebræi recentiores juxta sua Thalmudica placita, suam minam ad Atticam referri velint. Illud enim recens est placitum, a commercio nationum, cum quibus versantur, nuper ortum, nec de scripturæ auctoritate sumptum. Pugnat etiam cum Josephi certissima assertione. Quare hæc Hebræorum commenta negligimus, quale etiam dicimus esse istud, quod Hebræorum nonnulli minam sanctuarii duplam ad laicam asseverant: quod quidem lubens recipiam, ubi primum eam sententiam scripturæ auctoritate fultam esse intellexero. Utcumque autem res habeat, illud satis est, quod maneh, mna, seu mina quandoque ad pondus, quandoque refertur ad numerum, rei tamen nummariæ subservientem: quandoquidem *manah* Hebræis numerare est. Job. 7. *Noctes laboriosas numeravi mihi.* unde illud Daniel. *Maneh, tecel, upharsin.* hoc est, *numeratio, appensio, divisio.* Numeratio rerum discretarum, appensio gravium, divisio solidorum & integrorum. quasi aliquis ita diceret: Rerum per te tuosque progenitores gestarum omnibus modis ratio habita est, seu numerum, seu pondus, sive etiam minutissimarum partium considerationem quis attendere velit. Denique nihil omissum est, quod non sit justo libramine ponderatum, integre numeratum, & ad minutissimum assem redactum: hoc enim designatur his tribus vocabulis, numeratio, ponderatio, partitio, hoc est, quod legimus in editione nostra, *meneh, tecel, pharesch.* Pro pondere vero *manim* in plurali, Esdræ 2. *Argenti minas quinque millia, quæ reddunt libras duodenarias duodecies mille quingentas.* & Nehemiæ 7. *Argenti duo millia, quæ complent libras duodenarias quinquies mille.* Inde dictio *monim*: quæ cum significet & numerum & pondus, accipitur a beato Hieronymo pro numero. Genesis. 31. *Mutavit mercedem meam ascheret monim*, id est, *decem vicibus*, seu *decem numeris:* hoc est, numero decies, juxta Symmachum. decies enim recessit Laban a pacto, quod pepigerat cum Jacob. *monim* igitur significat minas vel numeros. Verum affinitas hujus dictionis *minas* cum ἀμνάς Græce, nonnullis imposuit: qui similitudine delusi, ex pondere agnam vel ovem fecerunt. Sic Septuaginta interpretes pro *decem vicibus*, *decem agnas* reposuerunt. Simile habes Job ultimo, ubi secundum Hebraicam veritatem legitur: *Dederunt unusquisque nummum unum, scilicet aureum.* Septuaginta sic habent: *Dederunt unusquisque ovem pro eo.* cui alludit quod sequitur: *Et inaurem auream unam.* Editio Græca habet ἀμνάδα μίαν. quam dictionem ἀμνάδα pro *mina* positam esse, conjectura est apud Eugubinum. quod si verum est, intelligeremus datam minam seu libram Hebraicam nna cum inaure aurea. Illud tamen scire oportet, quod Hebræi dicunt *quesitah* a dictione *quesetth*, quæ etiam Hebræorum testimonio significat nummum, modo agnam, seu ovem. utrunque enim legitur. Verum illud expendendum est quod habetur Genesis 33. *Emit partem agri, in qua fixerat tabernaculum, a filiis Emor, meah quesitah.* divus Hieronymus *centum agnis*, Septuaginta interpretes δέκα ἀμνῶν, seu δέκα μνῶν, id est, decem minis, nummum pro mna, & minam pro nummo accipiendo. Nam admodum verisimile est, terram illam valuisse plusquam 100. oves, seu agnas: quum supra legatur Abraham emisse ab Ephron agrum & & speluncam 400. siclis argenti. Legimus etiam 3. Regum. 16. emptum montem Samariæ a Somer duobus talentis: ex quibus conjectura trahi potest, hanc terram majore quam 100. agnarum seu ovium precio emptam fuisse. Quod ut certius teneatur, facit id quod habetur Actuum 7. *Positi sunt in sepulchro, quod emit Jacob precio argenti a filiis Emor patris Sichem.* ubi de precio argenti expressa mentio est. Videatur etiam Josue ultimo, ubi pro ovibus, secundum de Lyra in libro differentiarum, reponunt Hebræi obolos vel nummos, alias minas, seu mnas. Si ergo 100. minis intelligatur terra Sichen empta a filiis Emor, diceremus eam fuisse æstimatam libris duodenariis 250: quæ si forent minæ argenteæ, æstimandæ sunt precio 2400. coronatorum. Illud autem ne de minis auri intelligatur, efficit summæ immensitas.

Jam prædictorum ponderum sequitur abacus. Ad eliciendum librarum minarumve valorem, opus est ordiri a drachmis & uncia.

Drachma argenti 3. solidos cum semisse valet.

Drachma auri, ut in solido probatum est, valet libras duas, solidos totidem.

Uncia argenti valet solidos 28.

Uncia auri valet 16. libras cum totidem solidis. Hæc in solido probata sunt.

Marca argenti octonaria, quam nummulariam libram appellamus, valet libras turonicas 11. cum 4. solidis. Tantum enim valent 8. unciæ argenti, hoc est, octies 28. solidi.

Marca auri valet 134. libras turonicas cum 8. solidis: illud docet uncia auri octonario multiplicata. Hoc etiam constat, si 4. uncias a libra auri duodenaria abstuleris.

Libra argenti duodenaria valet 16. libras turonicas cum totidem solidis. istud aperte constat, si 4. uncias libræ octonariæ adjunxeris.

Libra duodenaria auri valet unam libram turonicam supra 200. cum solidis 12. Illud constat, si 4. uncias auri libræ octonariæ addideris.

Mina Attica argenti 100. drachmarum, valet libras turonicas 17. cum semisse. Illud verum esse experietur, qui semunciam seu drachmas 4. addere volet libræ argenti duodenariæ. Hæc enim illa gravior est semuncia nna, cum ista 100. illa vero 96. recipiat. valet autem coronata 10.

Mina Attica auri, una semuncia major est libra auri duodenaria. valet igitur libras turonenses decem supra ducentas.

Mina Hebraica argenti, cum ex dictis sit ad duodenariam libram dupla sesquialtera, nt recte Josepho visum est. quod etiam ex eo constat, quod auctore Ezechiel 60. siclos habet, ea ratione valore comprehendit libras turonenses 42. Quæ quidem ex æquo constituunt 2. libras duodenarias, & semissem.

Mina Hebraica auri eadem ratione 2. libras auri & semissem continet. Valet igitur 504. libras turonenses.

Quum igitur minæ Hebraicæ ratio a libra duodenaria pendeat, satis fuerit unius libræ duodenariæ texere abacum: ut tandem videamus valorem tabulæ aureæ versatilis a Crasso per sacrilegium ablatæ, cum expeditionem pararet adversus Parthos, quam 300. minas auri pendere Josephus asserebat

libro

libro Antiquitatum 14. capite 13. his verbis: *Crassus quum contra Parthos militiam produceret, ad Judæam pervenit: & pecunias templi, quas Pompejus non tetigerat, duo millia talentorum abstulit. Tulit etiam trabem auream versatilem* 300. *minas pensantem.*

Quatuor libræ argenti duodenariæ valent 67. libras turonicas cum 4. solidis.

Octo libræ valent 134. libras turonenses cum 8. solidis.

Decem libræ valent libras 168.

Viginti libræ argenti duodenariæ, valent 336. libras turonicas.

Triginta libræ argenti valent libras quingentas quatuor: de quibus in capitulo *Quisquis.* 17. quæst. 4

Quadraginta valent 672. libras turonicas.

Quinquaginta libræ argenti ex Codice Theodosiano lib. 11. tit. 2. valent libras turonicas 840.

Octoginta libræ argenti duodenariæ valent 1344. libras turonicas.

Centum libræ argenti duodenariæ valent 1377. libras turonicas cum 12. solidis.

Mille libræ argenti duodenariæ, valent libras turonicas terdecies mille octingenta quadraginta.

Nunc de libra auri duodenaria describendus est abacus, quam diximus valere libras turonicas ducentas & unam cum solidis 12.

Duæ libræ auri duodenariæ valent libras turonicas tres supra 400. cum 4. solidis.

Libræ 4. valent libras turonicas sex & octingentas cum octo solidis.

Quinque libræ auri pœna tergiversatoris in l. 3. ff. de prævaricat. valent octo & mille libras turoni.

Octo libræ auri duodenariæ valent libras turonicas 1612. cum 16. solidis.

Decem libræ auri duodenariæ valent libras turonicas 2016.

Viginti libræ auri duodenariæ valent 4032. libras turonicas.

Quadraginta libræ auri duodenariæ valent 8064. libras turonicas.

Octoginta libræ auri duodenariæ valent myriadem librarum turonicarum, cum sex millibus centum octo & viginti.

Centum libræ auri duodenariæ valent 20. millia, hoc est, duas myriades cum 160. libris turonicis.

Quingentæ libræ auri duodenariæ valent 10. myriades, seu centum millia octingentas libras turonicas. Quibus adjunge 150. libras auri, quæ valent triginta millia ducentas quadraginta libras: sic fit, ut 750. libræ auri una collectione valeant centum triginta unum millia quadraginta libras turonicas. Quæ pondus & valorem implent trabis aureæ versatilis, quam Crassus de templo Hierosolymitano sacrilega manu abstulit. & hinc factum creditur, quod Assyrias macularit sanguine Carras. Nam cum trecentas minas penderet massa illa aurea: mina autem, ut diximus, Hebraica duas libras duodenarias cum semisse pendet: trecentæ igitur minæ Hebraicæ æquant pondere & valore 750. libras duodenarias: quarum æstimationem nostro numismate hoc loco descripsimus.

Mille libræ auri duodenariæ, valent viginti myriades librarum turonicarum, seu ducenta millia: & insuper mille sexcentas libras. Tanti redemerunt suam obsidionem Romani a Gallorum exercitu, auctore Livio. Quod si hujus temporis licitationem sequi juvat, qua scilicet libra duodenaria scutis centum octo solatis, librisve turonicis ducentis quadragiota quinque, procedet precium redemptionis urbis Romæ ad centum octo millia solatorum, librarum vero turonicarum quadraginta quinque millia ducenta.

Nunc describendus est minarum Atticarum abacus usque ad talentum. minam autem Atticam diximus valere libras turonicas decem & septem cum semisse, seu scuta coronata decem. de argentea enim loquimur.

Duæ minæ Atticæ argenti, valent libras turonicas triginta quinque, seu coronata viginti.

Quatuor minæ Atticæ, valent libras turonicas septuaginta, seu coronata quadraginta.

Octo minæ Atticæ, valent libras turonicas centum quadraginta, seu coronata octoginta.

Decem minæ Atticæ argenti, valent centum septuaginta quinque libras turonicas, seu coronata centum.

Viginti minæ Atticæ argenti, valent libras turonicas trecentas quinquaginta, seu coronata ducenta.

Quadraginta minæ Atticæ argenti, valent libras turonicas septingentas, seu coronata quadraginta.

Sexagiota minæ argenti Atticæ, talentum minus pondere complent: valent autem nostro numismate libras turonicas mille quinquaginta, seu coronata sexcenta. Et hæc est æstimatio talenti Attici minoris.

Octoginta minæ argenti Atticæ talentum majus perficiunt, valentque mille quadringentas libras turonicas, coronata vero octingenta. Hic cessat abacus minarum in talento. Quod enim superest, sub talento comprehenditur. Jam de mina auri calculum inire operæ precium est. Minam autem auri æstimavimus libris turonicis decem supras ducentas.

Duæ auri minæ Atticæ, valent libras turonicas quadringentas viginti. Tradit Græca historia 3. Machab. Arsinoen viritim binas promisisse minas victoribus. Ajunt duarum minarum æstimationem hecatombem absolvere, & eo precio æstimata Glauci arma, qui chalcea pro aureis recepit. *hecatombea* appellata sunt. Hinc proverbium, *Diomedis & Glauci permutatio.*

Quatuor minæ Atticæ auri, valent libras turonicas octingentas quadraginta.

Octo minæ Atticæ auri, valent mille sexcentas octoginta libras turonicas.

Decem minæ Atticæ auri, valent bis mille centum libras turonicas.

Viginti minæ Atticæ auri, valent quater mille ducentas libras turonicas.

Quadraginta minæ Atticæ auri, valent octies mille quadringentas libras turonicas.

Octoginta minæ Atticæ aureæ, valent myriadem cum sex millibus octingentis libris turonicis.

Centum minæ Atticæ aureæ, valent mille libras turonicas & duas myriades. Porro nuper diximus octoginta minas Atticas constituere talentum majus. quocirca ex prædictis patet, quanti apud nos æstimari oportet talentum auri. De talento minori sexagenario facile est judicare, si quadraginta cum viginti minis simul adjungas. habebis enim valorem talenti sexagenarii minoris: qui myriadem unam cum duabus ebiliadibus & sex librarum turonicarum centuriis absorbet. Jam nihil superest nisi minarum Hebraicarum describere abacum usque ad suum talentum, quod est centum minarum. *Cicar* enim apud Hebræos centenarium significat: quo nomine talentum significamus.

Mina igitur Hebraica duas in se duodenarias libras cum semisse continet: quo fit, ut mina argenti Hebraicæ valeat libras turonicas duas & quadraginta, hoc est, coronata quatuor & viginti.

Duæ minæ Hebraicæ argenti valent libras turonicas quatuor & octoginta, hoc est, coronata octo & quadraginta.

Quatuor

Quatuor minæ Hebraicæ argenti, valent libras turonicas centum sexaginta octo, seu coronata nonaginta sex.

Octo minæ Hebraicæ argenti, valent libras turonicas trecentas triginta sex, coronata vero centum nonaginta duo.

Decem minæ Hebraicæ argenti valent libras turonicas quadringentas viginti, coronata vero ducenta quadragiota.

Viginti minæ Hebraicæ argenti valent libras turonicas octingentas quadraginta, coronata vero quadringenta octogiota.

Quadraginta minæ Hebraicæ argenti valent libras turonicas mille sexcentas octoginta, seu coronata nongenta sexaginta.

Quinquaginta minæ Hebraicæ argenti, valent libras turonicas bis mille centum, seu coronata mille ducenta.

Centum minæ Hebraicæ argenti valent talentum Hebraicum: perficiuntque valorem quater millium librarum turonicarum ducentarum, quæ valent coronata duo millia quadringenta.

Restat minarum Hebraicarum auri calculum deducere ad talentum usque.

Mina auri Hebraica valet quingentas quatuor libras, coronata vero ducenta octoginta octo.

Duæ minæ auri Hebraicæ valent mille octo libras turonicas, coronata vero vero quingenta sex ac septuaginta.

Quatuor minæ auri Hebraicæ valent bis mille sedecim libras turonicas, coronata mille centum 52.

Octo minæ auri Hebraicæ valent 4. mille triginta duas libras turonicas: coronata duo millia trecenta quatuor.

Decem minæ auri Hebraicæ valent quinquies mille quadraginta libras turonicas, coronata duo millia octingenta & octoginta.

Vigioti minæ Hebraicæ auri valent myriadem librarum turonensium cum octoginta libris, coronata vero quinque millia septingenta & sexaginta.

Quadraginta minæ Hebraicæ auri, valent duas myriades librarum turonicarum, insuper & centum sexaginta, coronata vero 11. millia quingenta viginti.

Quinquaginta minæ auri Hebraicæ valent duas myriades librarum turonicarum, insuper quinquies mille ducentas: coronata 14. millia quadringenta.

Centum minæ Hebraicæ auri, quæ talentum reddunt aureum, valent quinque myriades librarum turonicarum cum quadringentis, seu. quinquagies mille quadringentas, coronata vero viginti octo mille octingenta.

Mille minæ Hebraicæ valent quingenta quatuor millia librarum turonicarum, coronata vero ducenta octoginta octo millia. Qua de re 1. Machabæorum 14. quo scilicet loco narratur *Simonem sacerdotem magnum misisse Romam Numenium, qui dono daret Romanis clypeum aureum magnum, pondo minarum mille ad statuendam cum eis societatem.*

Nunc ipsa rerum suadente consequentia, constituendum est, quam pondo rationem habeat, seu ad minam Atticam, seu ad libram duodenariam Romaniam. Ea enim in re plerosque falsos fuisse animadverto, pondo Romanum modo cum mina Græca, alias vero cum libra Romana confundentes. Hinc autem ansam sui arripuerunt judicii, quod de denariis drachmas fecerint: cum tamen manifeste probatum sit, denarium quatuor solidis turonicis, drachmam vero tribus cum semisse æstimari, ratione crassioris ad levius sesquiseptima. Neque id dubium esse poterit ei, qui intelliget (id quod res est) denarium esse septimam partem unciæ, drachmam vero octavam. Minam autem quandam leviorem constituerunt, quæ septuaginta quinque drachmas in se reciperet, & valore æquaret libras tredecim turonicas cum duobus solidis & semisse: pondo vero septuaginta quinque, non drachmas quidem, sed denarios Romanos complectitur: qui trecenos nummos (ut Suetonius auctor est) seu, quod idem est, libras turonicas quindecim valore comprehenderent. At nec sic quidem mina & pondo invicem æquari possunt: cum sit crassioris ponderis ad levius ea proportio, quæ est denarii ad drachmam, nempe sesquiseptima. Probandum itaque quam certissimis fieri possit argumentis, minam quandoque usu auctorum receptissimo drachmas quinque & septuaginta pendere: pondo vero nummos sestertios trecenos, qui sunt denarii quadrantes, seu quod idem est, solidi turonici, constituentes libras turonicas quindecim. Est enim sestertius quarta pars denarii, quem quatuor solidis æstimari oportere demonstratum est. Hinc ergo ordiamur hujus demonstrationis texturam.

Plutarchus in Bruto septuaginta quinque drachmas ex legato Cæsareo viritim distributas ait: Tranquillus vero rem totam apertius declarans, trecenos sestertios reponit: quos dicimus esse denarii quadrantes, non drachmæ, solidosve turonicos. Quin & Appianus legatum hujusmodi minam Atticam vocat: quam rectius appellasset pondo Romanum. Assurgunt autem sestertii, hoc est, solidi turonici, trecenti ad valorem quindecim librarum turonicarum. Quam summam æquare non potest mina illa ex septuaginta quinque drachmis constituta, cum drachmæ decem unicum impleant coronatum. Quo fit, ut quinque & 77. coronata cum semisse, reddant turonicas libellas ad summum tredecim, adjectis solidis duobus & unius semisse solidi. Sed id evadet apertius ex impensis factis a Lucullo, quando Pompejum & Ciceronem excepit hospitio in Apollinis diverticulo: in quo (ut Plutarchus auctor est) nunquam nisi quinque drachmarum myriadibus in impensas profusis cœnare solebat. Ubi pro drachmis sestertii nummi intelligendi veniunt. Nam quinquaginta millia nummum, seu quinque myriades sestertiorum, ducentas quinquaginta turonicas libellas de integro perficiunt. Nisi dixeris, quod fidem communem superat, apparatum cœnæ assurgere potuisse ad quinque vel drachmarum vel denariorum myriades, cum quinquaginta millia denariorum ad dena millia librarum turonicarum assurgant; drachmarum vero myriades quinque gravem admodum summam constituant, septima quidem parte priore leviorem, turonicas scilicet libellas octies mille septingentas quinquaginta. Quam æris immensam copiam in duorum aut trium convivalem usum fuisse consumptam, longe abest a fide communi. Rectius igitur constituemus in hujusmodi impensas, quæ in Apollinis diverticulo effundi solebant, quinque sestertiorum myriades, quæ (uti jam dictum est) libellas numerarias componunt ducentas quinquaginta. Si quis tamen contrario frui volet judicio, hanc mihi bona cum pace permittat, quam adfero, conjecturam. Quam si sequamur, dicetur nummus Romanus sestertius quadrans denarii solidus turonicus: qui trecenties auctus pondo Romanum efficit æstimatione librarum quindecim. Porro de cœna Luculli narratio sic habet: *Lucullus, cum aliquando sese apud eum invitassent Pompejus & Cicero, exigentes cœnam ab eo familiarem, frugali scilicet ac domestico apparatu, eam conditionem recusasse fertur, nisi servo prius susurraret in aurem super instruenda cœna: quibus id magna contentione negantibus, hoc saltem ut prædiceret impetravit, se in Apollinis diverticulo cœnaturum. Sicque*

saltem

factum est, ut appareretur cœna ad quinquaginta millium nummum æstimationem. Rem certe prodigiosam, & ab omni frugalitate longe diversam, quod scilicet tanti constiterit cœna paucorum brevi temporis absoluta momento, & repentino apparatu instructa. Uti enim Plinio visum est non eodem apparatu excipitur hospes casu oblatus, & ex præcogitato invitatus. Sed de ea re satis.

TOMVS NONVS.

De Talenti ratione, & ejus abaco,

Hebræi suum talentum centuria minarum circumscribunt, *cicar*que appellant: quod nomen corrupte legitur apud Josephum *chintares*, quum *cicar* legendum sit. Minam autem diximus, & ex sententia Ezechielis prabavimus, contiocre sexaginta siclos, hoc est, libras duodenarias duas cum semisse, seu uncias triginta, viginti quatuor unciis in duas libras rejectis, sex vero in semissem. Quo fit, ut talentum, sen centenarius minarum Hebraicarum, comprehendat libras duodenarias ducentas quinquaginta, centenarias autem (siclo uno majores duodenariis) ducentas quadraginta. Nam libra centenaria recipit viginti quinque siclos, duodenaria vero quatuor & viginti. Rursum centenarius minarum Hebraicarum continet centies sexaginta siclos, hoc est, sex siclorum millia. Didrachma vero duodecies mille, & drachmarum viginti quatuor millia: nam siclus est duplus ad didrachmum, & quadruplus ad drachmam. Hoc igitur talentum si centenario numero auxeris, exurgent ex centum talentis minarum Hebraicarum, siclorum millia sexcenta: didrachmorum duodecies centum millia, sen millio cum ducentis millibus: drachmarum vero duo milliones cum quadringentis millibus. quod quidem facili multiplicatione quis assequi potest. Verum hic nodus oritur dissolvendus ex eo, quod Exodi trigesimo octavo, juxta Hebraicam editionem. ita enim legitur: *Argentum vero censuum cœtus, centum talenta, & mille septingenti atque septuaginta quinque sicli, juxta siclum sanctuarii, pro omni qui transibat in numerum a filio viginti annorum & supra pro sexcentis millibus & tribus millibus, atque quingentis quinquaginta.* Jam si talentum tria millia siclorum caperet, id quod quadantenus assequutus est Rabbi Salomon, quadraret numerus siclorum cum numero recensitorum, ut docent Pellicanos & Munsterus Rabbi Salomonem sequuti, hoc pacto. Nam si unus centenarius valet ter mille siclos, centum ergo centenarii efficient siclorum trecenta millia, sive sexcenta millia didrachma. singulis capitibus designato dimidio siclo, absolutus est numerus sexcentorum millium recensitorum. jam pro tribus millibus quingentis quinquaginta viris, supersont sicli mille septingenti septuaginta quinque: quos si singulos in duo didrachma partiaris, numero ad duplum aucto, habebis tria millia quingenta quinquaginta, qui est numerus virorum reliquus.

Verum hac ratione mina triginta siclos caperet, non sexaginta. Quod minus credibile facit auctoritas Ezechielis constituentis minam Hebraicam ad pondus sanctuarii, ad numerum sexaginta siclorum, dum ait capite 45. *Viginti sicli, & viginti quinque sicli, & quindecim sicli minam faciunt.* Ex quibus collectis numerus sexagenarius resultat, ita ut hinc appareat vanitas Rabbi Salomonis, præter hoc talentum duplo gravius aliud, qood sanctuarii esse dicit, somniantis. nam minam aliam scriptura nescit, quam eam quæ est sexaginta siclorum. quod si alia foret siclorum triginta, quadraret quidem cum his quæ hic dicuntur. Verum hic agitur de pondere sanctuarii in siclo mina & talento. Quocirca hæc evasio non satisfacit, nec implet dubium lectoris animum: nisi quis diceret hic non accipi talentum pro pondere, sed pro centenario minarum dimidiatarum: quemadmodum per singula capita non solidus siclus, sed dimidiatus offerebatur. alias numerus talentorum, in sexcentis millibus didrachmis superaret numerum recensitorum. Hunc autem scrupum editio nostra penitus exclusit, quæ non enumerat oblationem talentorum argenti, sed hominum tantum offerentium calculum describit. Utcunque tamen res habeat, non omnino extra fidem est statuere minam vulgarem tricenariam, quæ sit duplo minor ad minam sanctuarii, quam sexagenariam describit Ezechiel: nisi quod a communi sententia abhorrere videtur, si quis diceret textum illum Exodi 38. intelligendum esse de siclis majoribus sanctuarii, minam vero esse vulgarem subduplam ad minam sexagenariam, cujus minæ centurias seu talenta Moses eo loco commemoraret. Cui autem hæc responsio minus sufficiet, editionem potius Hieronymi quam Hebraicam si sequetur, hoc se statim onere liberabit. Ad rem igitur propius accedentes, in talentorum pondere justa proportione certaque æstimatione describendo, ad probatissimam auctorum fidem, quam tum anniti poterimus, absconditam veritatem eruere conabimur, a levioribus sumpto initio.

Talentum siclare quidam ponunt, quod dicendum semunciale talentum: & hi quidem Eupolemi auctoritatem sequuntur. Verum hujusmodi talenti constitutio a sacræ scripturæ præscripto prorsus aliena est, tametsi ethnici scriptores hujus talenti indicaturam usurpent, sed quæ nihil habeat cum sacris voluminibus commune. Talentum enim pro centenario accipi toto scripturæ decursu deprehenditur: quin & ipsa scriptura talenta sæpenumero separat à siclis. Exodi 38. *Omnem aurum quod expensum est in opere sanctuarii, & quod oblatum est in donariis, viginti & novem talentorum fuit, & septingentorum triginta siclorum.* Vides separatim de siclis & talentis mentionem fieri. Sed & ex aliis locis idipsum colligi potest 3. Regum decimo sexto. habetur de Aza rege Juda, quod *emerit montem Samaria a Somer duobus talentis argenti.* Quis autem tam obtusus, ut credat montem illum emptum fuisse duobus siclis, hoc est, una argenti uncia? Rursum quarti Regum 5. *Naaman ligari jussit duo talenta argenti in duobus saccis.* de siclo autem quis ita crederet, cum duos siclos valere diximus solidos octo & viginti? Plura in eandem sententiam adduci possent, nisi hoc esset operam ludere, in re tam aperta desiderare testimonium. Tantum igitur distat talentum a siclo, quantum centum minæ a semuncia, quod ad usum sacræ scripturæ attinet. Utcunque tamen res habeat, hoc genus talenti esset vigesima quarta pars libræ duodenariæ, minæ vero Atticæ vigesima quinta, & diceretur semunciale seu siclare talentum.

Talentum Syrum mille quingentarum drachmarum æstimationem sortitur: quo fit, ut minas Atticas centenarias quindecim numero comprehendat. Nam mina Attica centum drachmas habet, & decem minæ mille drachmas, quindecim vero minæ mille quingentas constituunt. Jam (ut ex abaco facile colligitur) minæ quindecim argenti Atticæ, valent centum quinquaginta coronata, seu libras turonicas ducentas sexaginta duas cum semisse. Auri vero talentum Syrum minarum (ut diximus) quindecim, valet libras turonicas bis mille sexcentas quinquaginta, ut supra ex abaco colligi potest. est igitur hoc talentum quindenarium ad id quod proxi-

me sequitur, subquadruplum. Hanc enim rationem servant quindecim ad sexaginta.

Talentum Euboicum, ut certa ratione Budæus ex Herodoto deprehendit, minus est Attico sexagenario tribus minis & triente, hoc est, trecentis triginta tribus drachmis, & tertia parte unius drachmæ. Quo fit, ut in se contineat quinquaginta sex minas Atticas, geminumque trientem, seu drachmas quinquies mille sexcentas sexaginta sex cum duabus drachmæ tertiis partibus. Valent autem trecentæ triginta tres drachmæ cum triente unius drachmæ, triginta tria coronata cum solidis undecim & octo denariolis. Quas si demas de mille quinquaginta libris, quas nostro numismate comprehendit valor talenti Attici, supersunt libræ nongentæ nonaginta quatuor, solidi tredecim, denarioli quatuor: qui numerus perficit valorem talenti Euboici nostro ære æstimati. Nam illud facile constare potest calculum subducere volenti, triginta tria coronata valore æquare libras turonicas quinquaginta quinque, sex solidos, & octo denariolos.

Talentum Atticum duplex: quoddam sexagenarium minus, aliud vero octogenarium majus. hoc igitur talentum Atticum minus, sexaginta minas Atticas drachmarum centum comprehendit. decem igitur minæ, mille drachmas seu decies centum capiunt. quare talentum istud, sex drachmarum millia capere necesse est. Ex hac ratione est subduplum ad talentum vulgare Hebraicum: ad talentum vero sanctuarii, quod est sexaginta minarum Hebraicarum, subquadruplum est, ut suo loco ex drachmarum numero facile ostendetur. Nec fallat lectorem numerus minarum. Siquidem minæ Hebraicæ multo majores sunt minis Atticis, ut suo loco ostendetur. Ita tamen sibi invicem respondent talentum istud Atticum, & Hebraica talenta majus aut minus, seu sanctum & vulgare, quod ex drachmarum numeratione, palam sequitur duo talenta Attica sexagenaria perficere talentum Hebraicum vulgare. Quatuor vero ex æquo implent talentum sanctuarii majus: ut docebitur in talento Hebraico. Hujus talenti sexagenarii valorem in mina diximus esse mille quinquaginta librarum turonenses quæ valent coronata, illud de talento argenteo intelligentes. Talentum vero auri sexagenarium supra æstimavimus ad unam myriadem cum bis mille sexcentis libris turonicis, hoc est, libras turonenses decies mille sexcentas. Hoc enim facile colliges, collatis in unum quadraginta minis, una cum viginti minis in abaco.

Talentum Babylonicum, septuagenarium est. minas enim Atticas septuaginta comprehendit, hoc est, drachmas septies mille, librarumque turonicarum quatuordecim millia cum septingentis perficit. Ex quo prompte elicies quotidianas thuriferæ regionis Principis impensas: qui, Francisco Nigro auctore, talenta quindecim Babylonica, in dies singulos impensæ nomine e suo penu emittere fertur. Quæ summa viginti duas myriades librarum turonicarum cum quingentis complet & absolvit. Habet autem rationem ad Atticum talentum minus, quam septem ad sex, hoc est, supersextam. Quo fit, ut septem Attica talenta minora, sex talenta Babylonica compleant: & e diverso sex Babylonica, septem perficiant Attica. Nam quemadmodum sexies septem, & septies sex eundem numerum constituunt, scilicet quadraginta duo: ita sexies septuaginta, & septies sexaginta, in eundem numerum recidunt, scilicet quadringenta viginti. Septies ergo sexaginta, sunt sexies septuaginta. qua etiam ratione fit, ut Attica quatuordecim Babylonica reddant: & ita numeris ad duplum auctis, facilis est ad altiora progressus. Jam si ad valorem nostri æris septies mille drachmas argenti reduxeris, hoc est, talenti pondus Babylonici, emerget numerus mille ducentarum viginti quinque librarum turonicarum, quæ valent scuta coronata septingenta. Quod facile patet, si decem minas ex abaco, talento Attico adjunxeris. Babylonicum vero talentum auri, quaterdecies mille, seu myriadem cum quatuor millibus librarum turonicarum, septingentis libris adjectis, justa æstimatione complectitur. Hic est valor Babylonici talenti: cui proxime accedit Atticum majus, de quo continuo sequitur.

Talentum Atticum majus octonarium, cui æquale esse Ægyptiacum Plinius tradit libro naturalis historiæ trigesimo tertio cap. tertio, octoginta minas Atticas habet, drachmas vero octies mille, superat Atticum minus in sesquitertio, Babylonicum vero in sesquiseptimo. Sic enim se habent octo ad sex, & octo ad septem.

Annotandum ex Plinio, quod talentum Ægyptium pondo octoginta *patere* (alias, *pendere*) Varro ait. Hermolaus autem, cui consentit Budæus, pondo & minam Atticam pro eodem recipiunt. Quin & Budæus in asse libro quarto, negat singula auri pondo minoris æstimari posse centum aureis solatis, etiamsi undecima æris solato admixta sit. Alias minam auri obrizi æstimandam censet solatis centum duodecim.

Quo fit, ut quatuor Attica talenta minora, tribus majoribus talentis æquipollcant, & octo minora sex majora talenta perficiant: nam quater sex & ter octo æquipollent. quatuor enim & viginti procreant. Sic ergo ut libet ascendendo progredere. De Babylonicis vero talentis illud tenendum est, quod Babylonicum talentum octies repetitum, perficit Atticum majus septies resumptum. Si quis enim dicat octies septem, & septies octo, idem utrinque numerus prodibit: idemque sequitur ex multiplicatione octogenarii per septenarium, & septuagenarii per octonarium. Babylonicum est minarum septuaginta, & Atticum majus octoginta minas habet. Cæterum talentum illud Atticum majus si argenteum est, uti ex abaco minarum deprehenditur, nostro calculo valet libras turonicas mille quadringentas, coronatave octingenta. Aureum autem talentum myriade librarum turonicarum cum sex millibus octingentis ex abaco æstimabitur.

Talentum Ægineticum centum minas habet: recte igitur talenti meretur appellationem. Recipit autem drachmarum myriadem, ad infimum vero talentum Atticum rationem habet, quam decem ad sex, hoc est, superbipartientem tertias. Ad Babylonicum autem se habet, ut denarius ad septenarium, superantem scilicet in tribus septimis partibus. ad majus vero Atticum habitudinem habet, qua decem superant octo, videlicet in sesquiquarto. Tria igitur Attica minora, & duæ minarum decades, ducentas minas redunt, hoc est, talenta Æginetica duo: tria autem talenta Babylonica duo Æginetica complent, decem superantibus minis. nam ter septuaginta ducentas decem minas complectuntur. ter enim septem sunt unum & viginti, & ter septuaginta sunt ducenta & decem. Cum igitur duo Æginetica, tria Babylonica compleant, superante tamen septima parte Babylonici talenti: sequens est, ut viginti Æginetica, octo & viginti Babylonica cum triginta minis perficiant, hoc est, Babylonica triginta, centum minis ademptis. Tertio sequens est, duo talenta Attica majora cum semisse, æquipollere Ægineticis duobus. Nam bis octo cum semisse octonarii, numerum perficiunt vicenarium. Pari quoque ratione sequitur, quinque Attica majora priore duplata numero, quatuor Æginetica reddere: nam quinquies octo quadraginta

ginta reddunt. Quinquaginta igitur Attica quadraginta capiunt Æginetica: ex quo facile eſt per centurias chiliadeſque progredi. Hujus talenti Æginetici valorem noſtro numiſmate ſi forte requiris, ex abaco facile deprehendes argenteum hoc talentum mille coronata valere, ſeu libras turonicas mille ſeptingentas quinquaginta. Semper enim numerus librarum turonenſium ſuperat numerum coronatorum tribus quartis partibus. Sicque numerus librarum auctior eſt numero coronatorum in duplo, dempta quarta parte. Aureum vero talentum Ægineticum, valet duas librarum turonicarum myriades, chiliade adjecta, hoc eſt, uno & viginti millenariis.

Talentum Hebraicum vulgare ſubduplum eſſe ad talentum majus ſanctuarii, minarum Hebraicarum quadam neceſſitate colligi poſſe videtur ex his, quæ ſupra diximus, explanantes locum Exodi trigeſimi octavi capitis, in hujus nimi exordio, quem ſi vis, lector, conſule. Tenet autem quinquaginta minas Hebraicas majores, quæ ſunt ſexaginta ſiclorum, aut centum minores ſiclorum triginta. quæ res nonnullos adegit duplicem ſtatuere minam: vulgarem ſiclorum triginta, & alteram majorem, quam Ezechiel deſcripſit, ſiclorum ſexaginta. Nam talentum iſtud vulgare *cicar* dici non poſſet, niſi centenario aliquo minarum clauderetur: niſi forte quod vulgus Hebræorum, remanente nomine, centenarii pondus minuiſſe dicatur ad ſubduplum. Cui non prorſus diſſimile eſt id, quod in aſſe diximus Papyriano. Hæc igitur mina vulgaris, ſubdupla eſt ad minam ſanctuarii: quæ quum triginta tantum habeat ſiclos, neceſſe eſt, ut ſexaginta didrachma, drachmas vero centum & viginti capiat. Quæ ſingula ſi centenario multiplicata auxeris, invenies centum hujus ordinis minas vulgares Hebraicas, complecti ſiclorum tria millia, ſex millia didrachma, drachmarum vero duodecim millia: quæ omnia ſubduplam rationem oſtendunt ad talentum Hebraicum majus, quum mina ſit ſiclorum ſexaginta. Nuper autem diximus talentum Atticum minus, ſex millia drachmarum complecti. Quo fit, ut talentum vulgare Hebraicum ſit duplum ad talentum minus Atticum. Nec te fallat minarum numerus; nam minæ Hebraicæ ſunt Atticis graviores. ideo ex numeratione drachmarum haurienda eſt proportio hujus talenti ad Atticum minus, quæ eſt duodecim ad ſex, dupla videlicet, ut duo Attica talenta minora unum Hebraicum minus conſtituant. Hujus vero talenti ad Babylonicum ea eſt ratio, quæ duodecim ad ſeptem. Continet enim ſeptem, & ſex ejus ſeptimas. Quo fit, ut duo Babylonica talenta, unum talentum hujus ponderis perficiant, ſuperantibus duabus ſeptimis partibus Babylonici talenti, quæ ſunt duæ partes duodecimæ hujus Hebraici. Addamus & iſtud, quod quatuor talenta Babylonica conſtituunt duo Hebraica talenta, cum tertia parte talenti Hebraici. Quo fit, ut duodecim Babylonica æquipolleant ſeptem Hebraicis: nam ſepties duodecim, & duodecies ſeptem æquipollent, & viginti quatuor Babylonica æquare poſſunt Hebraica talenta quatuordecim. Rurſum talentum iſtud Hebraicum Attico majori comparatum, habet rationem, quæ eſt duodenarii ad octonarium, nempe ſeſquialteram: & hinc aperte ſequitur, quod tria Attica talenta majora æquipolleant duobus Hebraicis vulgaribus talentis. nam ter octo ſunt viginti quatuor. Collatio autem hujus ad Ægineticum, eſt in ea habitudine, quæ eſt duodecim ad decem, nimirum ſeſquiquinta. Quo fit, ut ſex Æginetica conſtituant quinque Hebraica talenta minora. nam ut quinquies duodecim ſexaginta reddunt, ita & ſexies decem. In proportione enim iſta ſeſquiquinta, quinque majora pondere æquipollent ſex minoribus, & e diverſo. Nunc facile eſt talenti æſtimationem noſtro numiſmati comparatam colligere ex his, quæ de talento Hebraico in mina dicta ſunt, cum ſit hoc talentum ſubduplum ad id, quod ſequitur talentum ſanctuarii. Colligi etiam poteſt ex proportione ad aliorum talentorum valorem: valet ergo hoc talentum noſtro ære libras turonenſes bis mille & centum, videlicet altera parte minus, quam ſit valor talenti majoris. Aureum vero talentum valet libras turonenſes vigeſies quinquies mille ducentas. hoc talentum duodecim millium drachmarum miſit Judas Hieroſolymam offerri pro peccatis mortuorum, ſecundi Machabæorum duodecimo.

Talentum Hebraicum majus, ſeu centenarius minarum Hebraicarum, mina ad ſexaginta ſiclos redacta, divi Ezechiæ auctoritate ita conſtituendum eſt, ut prius dicamus minam ſexaginta ſiclos habere, centum viginti didrachma, drachmas vero ducentas quadraginta. Hoc patet, ſi ſexagenarium numerum ſiclorum prius ad duplum, deinde auxeris ad quadruplum. Jam ſi ſingula centenario auxeris, invenies duodecim millia didrachma, drachmarum vero viginti quatuor millia. Quo fit, ut pro exploranda proportione ad alia talenta, habeat rationem, quam viginti quatuor habent ad ſex, pro talento Attico minore, quæ eſt quadrupla: quatuor itaque talenta minora Attica implent unum Hebraicum. De Babylonio vero iſtud tenendum eſt, quod cum quater ſeptem viginti octo conſtituant, quatuor igitur Babylonica implent Hebraicum talentum cum ſexta parte ejuſdem Hebraici talenti. Illud quoque ſequens eſt, quod viginti quatuor Babylonica talenta ſeptem Hebraica reddunt. quum autem viginti quatuor ad octo ſit proportio, quæ eſt hujus talenti ad Atticum majus: & ter octo, viginti quatuor reddant: quid apertius, quam quod tria talenta Attica majora unum Hebraicum efficiant? Rurſum viginti quatuor ad decem, eſt proportio dupla ſubquadripartiens quintas. Duo igitur talenta Æginetica cum quatuor quintis partibus talenti Æginetici, ex æquo implent Hebraicum iſtud talentum: valor autem ejus ad noſtrum numiſma redactus iſte eſt, quater millium ducentarum librarum turonenſium in argento, quinque vero myriadum cum quadringentis in auro. Quæ duo ex calculo minæ aperte referuntur. Hoc pondus, hæc talenti aurei æſtimatio tribuenda eſt aureo candelabro ductili, de quo ſcribitur Exodi vigeſimo quinto: *Omne opus candelabri cum univerſis vaſis ſuis habebit talentum auri puriſſimi*. Nec opus eſt pro talento centenarium talentorum interpretari, ut quibuſdam viſum eſt, cum huic operi libræ duodenariæ ducentæ quinquaginta abunde ſufficiant pro candelabro, & appendicibus ejus. Sed & hinc luculenter apparet, quam longe abſit a vero ſententia Rabbi Salomonis, quem Munſterus refert, ſenſiſſe minam ſeu libram hujus talenti, pendere centum aureos Colonienſes, ſiclumque valere aureos quatuor. Hæc inquam longe ſecus ſe habere, atque ille dicat, palam in ſiclo & mina demonſtratum eſt. Nunc horum talentorum decades, centurias ac chiliades invicem conferre, legitimo quodam canone operæ precium eſt. Qua in re hac regula uti conveniet.

Talentorum unius claſſis, ad talenta claſſis alterius erit æqualitas, ſi numeri ad numerum proportio ſervetur, quæ erat talenti ad talentum. Adjungemus & hunc canonem ſecundum: Talentum minus auctum denominatione talenti majoris, reddit talentum majus multiplicatum denominatione talenti minoris. Iſtud exemplo perſpicuum evadet.

Talentum Babylonicum fortitur denominationem septenarii, cum sit minarum septuaginta. Atticum vero minus capit denominationem senarii. est enim sexaginta minarum. Dico igitur quod septem Attica minora perficiunt sex Babylouica talenta, & e diverso. Ut igitur ima talenta summis, & summa conferantur infimis, singulorum indicaturas texere operæ precium est.

Talentum Atticum minus est, ut sex.
Talentum Babylonicum, ut septem.
Talentum Atticum majus, ut octo.
Talentum Æginctıcum, ut decem.
Talentum Hebraicum minus, ut duodecim.
Talentum Hebraicum majus, ab Ezechiele & Josepho descriptum, ut viginti quatuor.

Lego aliud Rhodium talentum cistophori nomine dictum, quod cistam pro insigni gereret. Æstimabatur autem valore denarium quater millium quingentorum. Denarius autem Romanus quatuor solidis æstimabatur. Sic fit, ut mille denarii assurgant ad valorem librarum turonic. ducentarum. Assurget itaque talentum Rhodium ad libras turonicas nongentas.

Conferamus igitur duas talentorum classes, videlicet Babylonicorum cum Atticis minoribus. Hæc igitur prima est habitudo Babylonici ad Atticum minus, sic quod Babylonicum superat Atticum, sicut septenarius senarium numerum. Hinc ex regula data sequitur, quod septem Attica sex Babylonica reddunt. Et hinc fit septuaginta Attica minora sexaginta Babylonicis, & septingenta sexcentis, & septem millia sex millibus respondere. Porro decades, centurias ac chiliades, ex præscripto prioris regulæ hac arte adæquare poteris, quod ille numerus Atticorum, seu decuriatus, seu centuriatus, seu etiam chiliadis nota insignitus, implet Babylonicorum acervum, ubi numeri Atticorum ad numerum Babylonicorum servatur proportio sesquisexta, qualis est septem ad sex. Hujus rei exemplum sic habe: Decem Attica talenta cum semisse, novem Babylonica ex æquo comprehendunt. Siquidem illius ad hunc numerum est proportio sesquisexta. denarius enim cum semisse enneadem superat parte sexta ipsius enneadis, quæ est unitas cum semisse.

Novenarius enim sex unitates habet, sexque semisses. Nunc autem quid clarius esse potest, quam quod eadem ratione in centuriatis acervis observata, centum quindecim talenta Attica minora ex æquo referant nonaginta Babylonica, parique discursu centum quinquaginta Attica nongentorum Babylonicorum æstimationem implent?

Utraque amussi progrediendum est ad collationem faciendam inter Atticum majus, & duo inferiora talenta, Babylonicum scilicet & Atticum minus. Cum enim Atticum majus octonarii habeat indicaturam, Babylonicum vero septenarii, & Atticum minus senarii: quid promptius colligi potest, quam quod octo Babylonica septem Attica majora reddunt, & octoginta Babylonicæ classis, septuaginta ex Atticis crassioribus complent? Similique progressu octingenta septingentis, & octo millia septem millibus correspondent. Horum omnium hæc una ratio est. nam septies octo, sunt octies septem. Ad prioris autem regulæ præscriptum utriusque decadis classes conferantur, servata sesquiseptima, qualem habet octonarius ad septenarium. Sic fit, ut duodecim Babylonica æquipolleant decem Atticis majoribus cum semisse: quandoquidem illius numeri ad hunc sesquiseptima proportio locum habet. Pari ratione 120. Babylonica complent Attica majora centum & quinque Rursumque Babylonica mille ducenta Attica mille 500. reddunt. Cum autem Attici talenti majoris ad minus ea sit proportio, quæ est octo ad sex, nemini non perspicuum esse potest eam esse sesquitertiam, ac proinde octo minora sex majora efficiunt, & 80. reddunt sexaginta. sic & octingenta sexcenta, & octo millia sex millibus correspondent. Quod si utriusque classis decurias centuriasque conferre libebit, ex alio canone satis liquet, quod cum duodecim ad novem sit proportio sesquitertia, quod duodecim Attica minora, novem Attica talenta constituunt, & centum viginti nonaginta reddunt: pariterque mille ducenta, nongenta crassiora talenta complent.

Alio jam loco superest classem talentorum Ægineticam cum aciebus conferre minorum, quod facile fiet ad eam, quam in aliis observavimus, amussim. Est enim Ægineticum talentum, ad Atticum majus sesquiquartum, ad Babylonicum autem tripartiens septimas, ad Atticum vero minus quadripartiens sextas. Quare ex repetito altero canone, decem Attica majora octo Æginetica ex æquo implent, centum vero octoginta & mille perficiunt octingenta. Ex alia item regula aperte liquet, quid de decuriatis centuriatisque talentorum acervis sit asserendum. Pro Babylonicis vero talentis ad Æginetica relatis illud primum constat, quod septem Æginetica, decem Babylonica reddunt. nam decica septuaginta & septingenta idem sunt. Quare centum Babylonica septuaginta Æginetiçis, & mille septingentis correspondent.

Vulgaris autem Hebraici ad minora talenta facilis est comparatio, cum ipsum sit ut duodecim, Atticum vero minus ut sex, & ob eam causam duplam rationem habet ad illud. Quocirca duæ Attici decades unam Hebraici constituunt. Duæ item centuriæ, duæque ejusdem chiliades Hebraici, faciunt & centuriam & chiliadem unam. Ad Babylonicam autem istud Hebraicum se habet ut duodecim ad septem, hoc est, in proportione quinquiespartiente septimas. duodecim itaque Babylonica, septem constituunt Hebraica. Porro centum ac viginti, septuaginta Hebraica: & mille ducenta Babylonica, septingenta Hebraica reddunt.

De Attico vero majori, cujus indicatura est octo ad duodecim, ex supra dictis perspicuum est duodecim Attica, octo Hebraica complere: quemadmodum centum viginti, octoginta & mille ducenta octingenta redunt. Æginıcticum autem indicatura est ut decem ad duodecim. Quare duodecim Æginetica, decem Hebraica faciunt: parique progressu centum viginti centenarium Hebraicorum reddunt. Mille quoque ac ducenta de Æginensi talentorum classe, chiliadem Hebraicorum vulgarium ex æquo perficiunt. Jam nihil est promptius, quam novissimi talenti Hebraici majoris ad reliqua expedire rationem. Est enim ut viginti quatuor: quo fit, ut quadruplum sit ad Atticum minus: ad Babylonicum vero triplum, ac tripartiens septimas: ad Atticum majus triplam rationem habet. nam ter octo sunt 24. ob eamque rationem tria Attica Hebraicum istud implent: triginta vero de Atticis decem Hebraica reddunt: trecenta autem centum efficiunt, & tria millia Atticorum, chiliadem Hebraicorum constituunt. Æginecticum autem se habet ad istud, ut decem ad 24. quare viginti quatuor Æginctica, decem Hebraica: & ducenta quadraginta, centum Hebraica: mille autem quadringenta, Hebraicorum millenarium complent. Similique ratione Babylonica viginti quatuor, septem Hebraica: ducenta vero quadraginta, septuaginta: & bis mille quadraginta, Hebraica septingenta perficiunt. Hebraicum autem majus cum sit duplum ad minus, apertior est calculus, quam ut in recensenda proportione conferendisque numeris opus sit immorari.

De talento autem Syro in hac talentorum ratione pauca attingemus. Satis enim conſtat ipſum minas continere quindecim: hinc appareret quatuor Syra talenta unum Aticum minus perficere. Quocirca quadraginta decem Attica minora complent, quadraginta vero centum & quatuor millia chiliadem; eademque ratione octo Syra talenta Hebraicum vulgare minus de integro perficiunt. Octoginta vero talenta Syra, decem talenta Hebraica æqua æſtimatione referunt. octoginta vero centenarium Hebraicorum comprehendunt, & octo millia millenarium. Quo etiam fit, ut unum talentum Hebraicum majus, in ſe comprehendat ſedecim Syra talenta, decem vero Hebraica majora continent Syra centum ſexaginta. Centum autem Hebraica complectuntur mille ſexcenta Syra, & mille decem millia ſexcenta Syra efficiunt. Hæc autem quæ de talentorum inter ſe comparatione dicta ſunt, viam facilem aperiunt ad cooferendas inter ſe & Romanorum opes, & Perſicas gazas, & Græcam ſupellectilem, & Hebræorum theſauros.

Proinde ſupereſt talenti Hebraici deſcribere abacum, ut ad ejus calculum reliquorum talentorom acervi & eorum habitudines promptius referantur. Cæterum ex his quæ in talentis dicta ſunt, facile deprehenditur numerum drachmarum in taleoto, quod ex minis conficitur Atticis, eſſe decuplum ad numerum æſtimatum coronatorum: quandoquidem mina Attica, centum drachmarum eſt, coronatorum vero decem. Quot igitur minas argenti habet talentum, toties io ſe recipit decem coronata: utpote talentum Syrum minarum qnindecim centum quinquaginta coronata habet. Atticum minus ſexaginta minarum ſexcentis coronatis æſtimandum eſt; Babylonicum vero ſeptingentis, Atticum majus octingentis, denique Ægineticum mille penſandum eſt coronatis. Talentum vero Hebraicum vulgare minus, cum duodecim millia drachmarum complectatur, mille ducenta coronata recipit, minas vero Atticas centum viginti. Majus vero talentum, minarum & coronatorum duplum numerum comprehendit: hoc eſt, libras turonicas quater mille ducentas. Porro de talento vulgari agitur 2. Machab. 12. *Judas collatione facta duodecim millia drachmas argenti miſit Hieroſolymam, offerri ea pro peccatis mortuorum:* quæ noſtra æſtimatione valent libras bis mille centum Hinc parvo negotio poteris aſſequi, quid ſub ea ſententia lateat 2. Machab. 8. *Pollicebatur Nicanor nonaginta mancipia ſe talento diſtracturum.* Quæras forſan ex talenti precio nonaginta mancipiorum, quæ ſumma competat ſingulis? Quod ut facile aſſequaris, diſtribuendæ ſunt libræ bis mille centum per 90. Partitione facta ſe offert precium mancipii unius, librarum ſcilicet trium & viginti una cum ſex ſolidis & octo denariolis. Et id quidem, ſi locus ille intelligatur de vulgari talenm. Alioqui ſi de craſſiori taleoto loquamur, ad duplum augendus eſt numerus, ut ſit precinm mancipii unius, librarum 46. ſolidorum 13. denariorum quatuor.

Abacus Talenti minarum Hebraicarum argenti.

TAlentum *cicar* ſeu centenarius minarum argenti Hebraicarum, valet libras turonicas quater mille ducentas, hoc eſt, centies duas & 40. ſeu ut dictum eſt, coronata duo millia quadringenta. De hoc taleoto habetur 3. Reg. 20. *Cuſtodi virum iſtum, qui ſi lapſus fuerit, erit anima tua pro anima ejus, aut talentum argenti appendes.*

Duo talenta minarum argenti Hebraicarum, valibras turonenſes octies mille quadringentas, coronata vero quater mille octingenta. Hnc precio emit Amri rex Iſrael montem Samariæ a Somer, & ædificavit eum 3. Reg. 17. Hoc etiam pondere onuſtus Giezi acceptis a Naaman duobus talentis, perpetuæ lepræ maculam contraxit. 4. Reg. 5. *Melius eſt, ut accipias duo talenta, & coegit eum: ligavitque duo talenta argenti in duobus saccis: & duplicata veſtimenta impoſuit duobus pueris ſuis, qui & portaverunt coram eo.* niſi forte credas Syra fuiſſe talenta, quæ multo minora ſunt iſtis taleotis Hebraicis, ut Tomo de talentis videre eſt.

Quatuor talenta minarum Hebraicarum argenti, valent myriadem librarum ſexies mille octingentas: ſcuta autem coronata novem millia ſexcenta.

Octo talenta minarum Hebraicarum argenti, valent tres myriades ter mille ſexcentas libras turonicas, ſcuta coronata novemdecim millia ducenta.

Decem talenta minarum argenti Hebraicarum valent quatuor myriades & bis mille libras turonenſes, coronata vero viginti quatuor millia. Hoc munere donatus eſt Tobias a rege Medorum, quam ſummam Gabello datam mutuo, aſpirante deo, comite angelo, per manus filii ſui recepit.

Viginti talenta minarum argenti Hebraicarum valent octo myriades, quater mille libras turonicas, ſeu coronata quadraginta octo millia.

Quadraginta talenta argenti minarum Hebraicarum valent centum ſexaginta octo millia librarum turonicarum, coronata nonaginta ſex millia.

Quinquaginta talenta argenti minarum Hebraicarum valent ducenta decem milla, hoc eſt, unam & viginti myriades librarum turonicarum, coronata vero centum viginti millia.

Centum talenta Hebraicarum minarum argenti, valent quadringenta viginti millia, hoc eſt, duas & 40. myriades librarum turonicarum, coronatorum vero ducenta quadraginta millia. Hnc loco admonemur de militari ſtipendio viritim apud Hebræos olim diſtributo diſſerere. Qua de re ſcribitur 2. Paralipom. 25. quod *rex Amaſias mercede conduxit de Iſrael centum millia robuſtorum, centum talentis argenti.* Quocirca mille gregariis militibus talentum unum aſſignabatur, & centum militibus decem minæ. Quo fit, ut decem milites unam minam ſtipendii nomine reciperent, quam ſupra oſtendimus valere coronata viginti quatuor, libras turonicas duas & quadragiota. hujus ſummæ partitio in decadem, reſolvitur io duo coronata, & ſolidos quatuordecim, ſeu libras turonicas quatuor, & ſolidos totidem. Quod ſi libet minam in ſexaginta ſiclos ſeu ſemuncias partiri, hoc eſt, uncias triginta, ſinguli percipient ternas uncias, hoc eſt, viginti quatuor. Hebræi vero ſuos menſes lunares viginti novem, & quandogne paucioribus diebus complent. Quo fit, nt, niſi deeſſent drachmæ quatuor aut quinque, ſingulis diebus drachma ſua reſponderet. Hoc autem menſtruum eſſe ſtipendinm, vel hinc patet: nam minus eſt, quam ut credi debeat annuum; majus vero, quam ut dicatur eſſe dinrnnm. Noſtro ſeculo pro menſe ex triginta diebus conſtituto, viritim diſtribuuntur ſolidi centum & quinque. Qua ratione diebus ſingulis ſua drachma reſpondet. Nonaginta enim ſolidi pro diebus triginta, tres nummos reddunt: qui vero reſtant quindecim de centum & quinqne, in triginta ſemiſſes reſolvuntur. Sic ſit nt militaris operæ nomine dentur tres ſolidi cum ſemiſſe, quæ eſt drachma. Ulpianus l. *Inter publica,* de verborum ſignificatione, in ſalarium militare decernit drachmam in dies ſingulos. Hebræis vero quatuor aut quinque drachmæ deficiunt de hoc numero ad ſingulos dies menſis lunaris relato. Nunc ad reliqua.

Illud etiam ſcire oportet, quod de hac ſumma

 centum

centum talentorum argenti, ſcriptum eſt quarti Regum viceſimo tertio, quod Pharao Nechao mulctam indixit terræ centum talentorum argenti, (quorum valorem ſupra deſcripſimus) & talenti auri, minarum videlicet Hebraicarum, quarum centenarius pendet libras duodenarias ducentas quinquaginta. Valet autem hoc talentum ex taxa antea mox deſignata, quinquagies mille quadringentas libras turonicas. Quod ſi duos numeros in unum contuleris acervum, invenies Hebræos Pharaoni numeraſſe in argento & auro annuatim quadringenta ſeptuaginta millia, ſeu quadraginta ſeptem myriades librarum turonicarum cum libris quadringentis.

Trecenta talenta argenti minarum Hebraicarum, valent librarum turonicarum millionem cum duceotis ſexaginta millibus, coronatorum vero ſeptingenta viginti millia.

Tulit hanc mulctam argenti Ezechias ſub Sennacherib rege Aſſyriorum, una cum triginta auri tatalentis, quarti Regum decimo octavo, ſicque in univerſum mulctatus eſt duobus millionibus librarum turooicarum una cum ſeptingentis ſeptuaginta duobus millibus. Coronatorum vero ſumma in unum collecta, aſcendit ad numerum millies mille quadringentorum quinquaginta ſeptem millium coronatorum una cum centum coronatis. Eo autem quod trecenta talenta argenti, ad triginta auri talenta numero, rationem habent decuplam, colligi poteſt auri ad argentum rationem fuiſſe decuplam: quam tamen ex ſupra dictis ſtatuimus duodecuplam.

Quingenta talenta argenti minarum Hebraicarum valent duos milliones, & centum millia librarum, hoc eſt, ducentas decem myriades, coronatorum vero millionem cum ducentis millibus, ſeu centum viginti myriades.

Mille talenta minarum argenti Hebraicarum, quo ſcilicet precio filii Ammon conduxerunt ſibi ſatellitium ſeu militarem exercitum de Meſopotamia, Syria, Maacha & Soba, ut reſiſterent Joab & militiæ David, ſuis cervicibus imminenti ob violatum jus gentium, & indigne receptam legationem, atque etiam contumelioſe tractatam, ut habetur primi Paralipomenon decimo nono: valent quatuor milliones ducenta millia librarum turonicarum, ſeu quadringentas viginti myriades, coronatorum vero duos milliones, & millia quadringenta ſeu ducentas quadraginta myriades. Qua de re ſcriptum eſt quarti Regum decimo quinto: *Dabat Manahen Phul mille talenta argenti, ut eſſet ei in auxilium, & firmaret regnum ejus.*

Septem millia talentorum minarum argenti Hebraicarum, Davidicum legatum ad ornanda interiora templi, præter auri quantitatem ſuo loco in numero redigendam, ut ſcribitur primi Paralipomenon vigeſimo nono, valent viginti novem milliones quadringenta millia librarum turonicarum, ſeu bis mille nongentas quadraginta myriades, milliones vero coronatorum ſexdecim cum octingeotia millibus, ſeu myriades mille ſexcentas octoginta.

Decem millia, ſeu myrias talentorum minarum argenti Hebraicarum, quam proceres tribuoi filiorum Iſrael obtulerunt in ædificium templi Domino, ut interim taceam de auri immenſo pondere ſuo loco declarando, ut legitur primi Paralipomenon vigeſimo nono, & Matthæi decimo octavo: *Oblatus eſt unus, qui debebat decem millia talenta.* recenſetur etiam hie numerus Heſter tertio: *Decem millia talentorum appendam arcariis gazæ tuæ.* ubi de talentis argenti mentio eſt juxta Græcam editionem. valet ergo hæc myrias talentorum quadraginta duos milliones librarum turonicarum, ſeu quater mille ducentas myriades, coronatorum autem viginti quatuor milliones, ſeu bis mille quadringentas myriades.

Joſephus autem pro decem millibus quadraginta millia pecuniarum talenta reponit. quod ſi verum eſſet, talentum minarum longe differret a talento pecuniarum. ſed vide potius, ne mendoſus ſit codex. nam de mina Attica nihil eſt quod ſuſpiceris. Siquidem tempore Aſſueri, nondum prodierat regnum Græcorum, & auctor hiſtoriæ, ſive ſit Mardochæus, ſive illius ſeculi ſacerdos præcipuus (nam de ea re vacillant auctores) quiſquis tandem fuerit, Hebræus erat, nec Græcorum, ſed Perſarum legibus vivebat, apud quos nulla minæ Atticæ erat mentio. Præſtat igitur de mina Hebraica quæ dicta ſunt intelligere, quam de Attica, niſi forte aliquis contendat talenta illa fuiſſe Babylonica: quod neque aſſerere neque omnino inficiari apud me ſtatui. Tunc autem ejus valor exprimetur, cum de abaco Babylonico tractabitur.

Centum millia talentorum argenti ſeu decem myriades minarum Hebraicarum valent quadringentos viginti milliones librarum turonicarum: coronatorum vero ducentos quadraginta milliones, myriadum vero viginti quatuor millia.

Mille millia, alias decies centena millia, ſive centum myriades talentorum argenti minarum Hebraicarum, valent quater mille ducentos milliones librarum turonicarum, coronatorum vero milliones bis mille quadringentos, hoc eſt, ducenta quadraginta millia myriadum. Hunc ingentem argenteæ ſupellectilis acervum, unacum talentis auri centum millibus, de quibus ſuo loco dicetur, noviſſimis diebus ſuis ad pios uſus reliquit rex omnium regum religione & pacis bellique artibus clariſſimus David Salomoni filio ad templum Domino extruendum, primi Paralip. 22. præter incogitabilem ferri ac æris acervum. Quam regiam magnificentiam ſi cum omnium Regum illius ætatis gazis opibuſque conferas, invenies hanc inter alias tantum caput extuliſſe, quantum lenta ſolent inter viburna cupreſſi ſuas erigere criſtas.

Ut autem omnia inter ſe collata apertius intelligantur, operæ precium eſt de abaco talentorum auri diſſerere, minis Atticis, & eorum talentis in ordinem ſuo loco redactis.

Talentum minarum Hebraicarum auri valet quinque myriades cum quadringentis, ſeu quinquagies mille quadringentas libras turonicas, coronata vero viginti quatuor millia, quingenta ſeptuaginta unum, ſolidos quindecim.

Quatuor talenta minarum auri Hebraicarum valent viginti myriades, & mille ſexcentas libras turonicas, coronata vero nonaginta octo millia, duceota octoginta tria, ſolidos viginti quinque.

Octo talenta minarum auri Hebraicarum valent myriades quadraginta, ter mille ducentas libras turonicas, coronata centum nonaginta ſex millia, quingenta ſexaginta ſeptem, ſolidos quindecim.

Decem talenta auri minarum Hebraicarum valent quinquaginta myriades cum chiliadibus quatuor librarum turonenſium, coronata ducenta quadraginta quinque millia ſeptingenta, ſolidos decem.

Junge ſimul in unum duo talenta cum octo talentis, ex abaco, & invenies verum eſſe quod dicitur. Hac arte ſimilia proſequere, ſi citra negotium ſtatim adſequi velis numerorum collectorum rationem. nam in aliquibus additione, in aliis multiplicatione opus eſt.

Viginti talenta auri minarum Hebraicarum, valent millies mille, ſeu centum myriades, ſive decies centena millia cum octo millibus librarum turonicarum, quadringenta unum & nonaginta millia quadringenta coronatorum, ſolidos viginti.

Triginta

Triginta talenta auri minarum Hebraicarum valent librarum millionem, cum quingentis duodecim millibus & solidis decem, coronatorum vero septingenta triginta septem millia, adjectis centum coronatis. Hanc auri mulctam imposuit Sennacherib Ezechiæ Regi Juda una cum trecentis talentis argenti, quarti Regum decimo octavo.

Quadraginta talenta minarum auri Hebraicarum valent duos milliones, seu ducentas myriades aut vigesies centena millia cum sedecim millibus librarum turonicarum, coronata nongenta octoginta duo millia unum & octoginta solidos quinque.

Quinquaginta talenta auri minarum Hebraicarum valent duos milliones quingenta viginti millia librarum turonicarum, coronatorum millionem, hoc est, ceotum myriades cum ducentis viginti octo millibus, adjectis uno & quinquaginta coronatis & solidis quindecim.

Centum talenta auri minarum Hebraicarum, valent quinque milliones, quatuor myriades librarum turonicarum, coronatorum duos milliones quadringenta quinquaginta septem millia adjectis duobus coronatis; & triginta solidis. Quibus ita deductis facile est in ordinem redigere oumeros & valores talentorum auri, quorum passim scriptura meminit.

Centum viginti talenta auri minarum Hebraicarum, quæ Regina Saba detulit ad Regem Salomonem, tertii Regum decimo, Josephus tantum viginti talenta reponit, & minus recte, nisi mendosus est codex. Valent itaque sex milliones quadraginta octo millia librarum turonicarum, coronatorum vero duos milliones, nongenta quadraginta octo millia, quadringenta & tria cum solidis quindecim.

Ducenta talenta auri minarum Hebraicarum, valent decem milliones, octoginta millia librarum turonicarum, coronatorum vero quatuor milliones nongenta quatuordecim, millia quinque cum viginti quinque solidis.

Quadringenta talenta auri minarum Hebraicarum, valent viginti milliones centum sexaginta millia, seu sedecim myriades librarom turonicarum, coronatorum novem milliones, nongenta viginti octo millia undecim, cum quindecim solidis.

Quadringenta viginti talenta auri minarum Hebraicarum delata ex Ophir, quam terram Josephus *Indiam* appellat, hinc *aurum Ophirizum* vulgo *Obrizum* appellatum est, valent unum & viginti milliones, centum sexaginta octo millia librarum turonicarum, coronatorum decem milliones trecenta novemdecim millia, quadringenta duodecim.

Hanc classem, quam mittebat Salomon in Asiongaber, mihi referre videntur navigationes hujus nostri seculi, quibus itur Calicutium multum ultra insulas seu Madere, seu Fortunatas, & quandoque transitur usque ad antarcticum. Non est igitur nova hæc navigatio, sed multis antea seculis adinventa. Textus sic habet 3. Reg. 6. *Classem fecit Rex Salomon in Asiongaber, quæ est juxta Ahilam in littore maris Rubri in terra Idumea, quam Aylath seu Veronicem appellant, distatque a petra deserti milliaribus decem.* & sequitur: *Misitque Hiram in classe illa servos suos viros nauticos & gnaros maris cum servis Salomonis: qui cum venissent ex Ophir, sumptum inde aurum quadringentorum viginti talentorum, detulerunt ad Regem Salomonem.* verum hic numerus suppletur in libro Paralipom. qui quum sit liber relictorum, supplet omissa, & derelicta reponit. proinde huic summæ adjungit talenta 30. Sic enim dicitur 2. Paralipom. octavo: *Tulerunt inde quadringenta quinquaginta talenta auri, & attulerunt ad Regem Salomonem.* nisi forte intelligas superiorem numerum priore navigatione allatum, & posteriorem altera. Male ergo Josephus habet, nisi vitio interpretis aut librarii fuerit vitiatus, qui solum *quadringenta talenta* reponit. Adde quod habetur secundi Paralipomenon nono: *Argentum in diebus illis pro nihilo reputabatur. Siquidem naves Regis ibant in Tharsis cum servis Hiram semel in annis tribus, & deferebant inde aurum & argentum, ebur, simias & pavones.* Nec est cur aliquis miretur tantam fuisse illis seculis auri argentique copiam, ita ut pene omnem numerum superare videatur. neque enim in numero, sed pondere commercia fiebant. Quid ergo mirum, si gravia pondere comprehendantur, quorum partes minutissimæ, ut sunt drachmæ, & semidrachmæ, nulla numeratione claudantur? Aureum enim illud seculum per pondera & talenta loquebatur: nos autem minutatim omnia prosequentes, numerare pecuniam necesse est, quam illis appendere satis erat. Huc accedit quod Josephus ait libro octavo: *Non enim aurum aut argentum, aut vendebatur aut emebatur, sed multæ fuere naves, quas rex in mari Tharsis constituit, ut interiora gentium penetrarent, & comparatum aurum argentumque Regi deferrent, nec non elephantes & simias.* Idemque ait: *Argenti tantam multitudinem fecit Rex in Hierosolymis abundare, quanta erat & lapidum.* Alludit Josephus ad id, quod scriptum est primi Paralipomenon secundo: *Tribuit Rex argentum & aurum in Hierusalem, quasi lapides & cedros & sycomoros.* Non est igitur hyperbole, neque ulla ex parte a veritate receditur, dum tanta auri & argenti describitur copia; tametsi drachmarum aut nummulorum immensus sit acervus, perinde ac si quis nostro seculo existimaret talenta plumbi aut æris aut ferri in numerum non posse redigi, eo quod drachmarum aut ferri aut æris numerus deprehendi non possit.

Quinquaginta talenta auri minarum Hebraicarum, valent viginti quinque milliones ducenta millia librarum turonicarum, coronatorum undecim milliones, nongenta octoginta quinque millia, quatuordecim coronata cum decem solidis.

Sexcenta sexaginta sex talenta auri, quæ ad pondus non numerum adferebantur Salomoni per annos singulos, exceptis vectigalibus, quibus persolvendis erant obnoxii negociatores scruta vendentes, hoc est, minutulas merces, insuper & Reges Arabum & duces nationum, his inquam exceptis, annuo censu & proventu Salomon suo fisco adjungebat summam quam diximus, adeo ut magis ponderaretur aurum grave, quam levis pecunia numeraretur. Nam seculum illud opulentius erat, quam ut ad numerum oummos reciperet, præsertim ubi de Principum proventu agebatur. Et, quod seculi illius opulentiam magis declarat, sicli apud privatos ad numerum passim recipiebantur, cum tamen siclus aureus valeret ducatos quatuor, argenteus vero solidos quatuordecim. nos autem longe minori numismate uti cogit auri argentique inopia. Quinetiam illud mihi vide, quantum obolus illius ætatis nostri seculi obolum superet. Hæc omnia idcirco dixerim, ne quis miretur, qui aut legit aut audit illius temporis auri & argenti nostris seculis inauditam congeriem: quam mirari desinet, si consideraverit etiam illam etsi non exteris nationibus, certe Hebræis fuisse auream, nostram vero minus quam ferream. Illa metallis omnibus abundabat, hæc omnium patitur penuriam. Apud eos ferme omnia pondere permutabantur, apud nos rerum minutissimarum commercia exercentur. Unde & qui suis insignibus affigere solent pondo auri aut argenti Gallice *bezans*, hoc indicio significare volunt suæ domus suorumve opulentiam, ut quibus non vacet aurum argentumque numerare præ nimia abundantia,

tia, quasi significare velint se suarum rerum pondus non nosse, non item numerum, utpote quæ nulla discretionis numeratione comprehendi possent.

Ut autem ad rem redeamus, sexcenta sexaginta sex illa talenta auri valent triginta tres milliones quingenta sexaginta sex millia librarum turonicarum cum quadringentis, coronatorum vero sedecim milliones quinquaginta tria millia centum nonaginta quinque.

Quæ aperte demonstrant verum esse quod in eo capite scribitur: *Magnificatus est Rex Salomon super omnes Reges terræ divitiis & sapientia.* Nec enim fieri poterat, ut ille non esset ditissimus, qui suis ministris seu militibus annonam tantum & alimenta præberet, & ex omni parte auri argentique pondera gravissima abunde reciperet, cuique ob victorias paternas immensum auri argentique pondus reservatum foret, adeo ut scriptum legamus *David reservasse Salomoni filio suo præter materias ferri, æris, lapidum & lignorum, in impensas domus Domini, auri talenta centum millia, & argenti mille millia talentorum. æris vero & ferri non erat pondus: vincebatur enim numerus multitudine.* Quæ fere ad verbum dicuntur primi Paralipomenon vigesimo secundo. Et hoc dicit David se fecisse in paupertatula sua. Cum igitur pensiones auri aut modicæ aut nullæ erogarentur in milites aut ministros, immensæ vero undecunque reciperentur, & spolia amplissima ex omni parte quæsita reservata forent, non poterat Princeps cui talia inessent, non excedere sua opulentia omnes sui seculi Principes: quod & Scriptura non tacuit, & Josephus assertione quin & probatione confirmavit, qui ait multo tempore post eversam Hierusalem, ex loculis sepulchri David eruta fuisse ab Hyrcano & Herode, ingentia auri argentique pondera. Ait enim Hyrcanum aperto loculo sepulchri David, eduxisse tria millia talentorum, Herodem quoque ex alio loculo plurimam, nec facile numerabilem pecuniam exhausisse. hoc asserit Josephus lib. VII. Antiquitatum, capite ultimo: *Et super hæc omnia obtulit David tria millia talentorum auri de auro Ophir, alias Obrizo seu Ophirizo.* Sed & septem millia talentorum argenti probatissimi & electissimi ad ornatum ædis interioris, in laminas videlicet, quibus interiora templi auro argentove solido tegerentur, aut certe linirentur, eliquato. Hujus calculi ratio facile habetur ex multiplicatione numerorum, per minas & talenta sese dupla proportione excedentium. Præterea coronatorum calculum confirmat & approbat proportio numeri librarum turonicarum ad numerum coronatorum, seu octava numeri librarum turon. Sic calculus alius alium demonstrat. Jam ad chiliades progrediendum est, ut summa numeratio habeatur totius Davidicæ ac Salomonis opulentiæ, tandemque perspicua luce appareat, opes Hebræorum longo superasse intervallo omnes omnium qui præfuerunt, quique sequuti sunt, aut regum aut imperatorum thesauros, ut non auctoritate solum Scripturæ, imo & Ethnicorum ipsorum placitis verissimo verius esse constet, calculo etiam ad assem subducto, id quod scriptum est: *Magnificatus est rex Salomon vehementer super omnes reges terræ divitiis & sapientia.*

Mille talenta auri minarum Hebraicarum valent quinquaginta milliones & quadringenta millia librarum turonicarum, coronatorum vero viginti tres milliones, nongenta septuaginta millia, & viginti octo coronata cum solidis viginti.

Tria millia talentorum auri minarum Hebraicarum, Davidicæ magnificentiæ mune destinata ad deauranda interiora templi, ut scribitur primi Paralipomenon vigesimo nono, valent centum quinquaginta unum milliones, ducentaque millia librarum turonicarum: coronatorum vero septingenta unum milliones, octingenta decem millia, & octoginta quinque coronata cum solidis viginti quinque.

Quinque millia talentorum auri minarum Hebraicarum, quæ principes & proceres Israel obtulerunt ad ædificationem Templi complendam, primi Paralipomenon vigesimo nono, valent ducentos quinquaginta duos milliones, centumque millia librarum turonicarum, coronatorum vero centum novemdecim milliones, septingenta quinquaginta millia, & amplius centum quadraginta duo coronata cum solidis triginta. Quod autem eo ipso loco legitur oblata fuisse æris talenta decem & octo millia, ferri quoque centum millia, hujus immensi pene ponderis æstimationem colligemus, paulo plus minusve in singulas aut æris aut ferri libras solido designato. Cum enim mina Hebraica duas libras ac semissem contineat, ac centum libris ex prius convento respondeant centum solidi, seu quinque libræ turonicæ, primum statuemus quingenta nonaginta millia librarum turonicarum: quo numero duplicato, evadent mille centum octoginta millia librarum: cui acervo adjungenda est medietas prioris numeri. nam mina continet duas libras & semissem, & inde colliges ducenta nonaginta quinque millia. Sicque summa numeratione evadet pro totius æris ac ferri æstimatione, valor unius millionis quadringentarum septuaginta quinque millium librarum turonicarum: quæ ad hunc numerum redacta, aliqua ex parte augent omnium regum sub tempore ditissimi Salomonis opes, quæ etiam in hac æris ferrique materia hunc calculum longe superabant: cum scriptum legamus neque æris neque ferri pondus comprehendi posse, æstimationemve aut numerum. Jam pergamus ad reliqua auri enumeranda talenta.

Decem millia, seu myrias talentorum auri minarum Hebraicarum, valent quingentos quatuor milliones ac ducenta millia librarum turon. coronatorum vero ducentos triginta novem milliones, & quinquaginta millia, super hæc ducenta octoginta quinque coronata, cum viginti quinque solidis.

Triginta millia talentorum auri minarum Hebraicarum, valent mille quingentos duodecim milliones, ac sexcenta millia librarum turonicarum, coronatorum ducentos nonaginta octo milliones, & quinque millia una cum octingentis quinquaginta septem coronatis, solidisque viginti.

Quinquaginta millia talentorum auri minarum Hebraicarum, valent bis mille quingentos unum & viginti milliones librarum turon. coronatorum vero septingentos octoginta septem milliones, unum & quingenta millia quadringenta, 29. coronata.

Octoginta millia talentorum auri minarum Hebraicarum, valent quater mille tres ac triginta milliones, milliaque sexcenta librarum turon. coronatorum vero mille 86. milliones & duo millia, insuper ducenta 87. coronata cum solidis quindecim.

Centum millia talentorum auri minarum Hebraicarum, aucto ad duplum numero quinquaginta millia talentorum, valent quinquies mille quadraginta duos milliones librarum turon. coronatorum vero mille quingentos 75. milliones cum duobus millibus & octingentis quinquaginta octo coronatis. Hunc auri ingentem acervum cum argenti supra numerata æstimataque talentorum multitudine, impendendum reliquit David in usum templi, una cum incredibili æris ferrique pondere. Quo certe facinore suam posteritati magnificentiam declaravit, quam cæteri Reges mirari quidem possint omnes, assequi vero nemo. Id autem singula numerando, suæ magnificentiæ opus liquebit apertius.

Decies

Decies centena millia talentorum auri seu centum myriades, millionem auri Hebraicum reddunt: quæ quum priorem æstimationem decade auctam compleant, valent quindecim millia millionum coronatorum, una cum septingentis quinquaginta millionibus.

Quando itaque semel a nobis decretum est, Hebraicas illius ætatis opes, cum cæterorum Regum thesauris opulentiaque conferre, in cumulum redigendæ veniunt omnes, de quibus ex scripturis certa colligi possunt indicia, hujus thesauri particulæ, ita ut Salomonis opes una cum Davidicis annumerentur, id quod factum curabimus ordine tripartito. In primis talentorum auri describetur Abacus. Deinde numerata etiam in scriptura argenti talenta singulatim reponentur. Tertio autem loco reliqua quæ in illius bonis erant, crassa quadam æstimatione talentorum numero, suo etiam loco reponenda explicabuntur. Quæ omnia summa tandem numeratione collecta, Sardanapali opibus, quem regum omnium ditissimum fabulantur historiæ ethnicæ, plane conferentur, ita ut ipso etiam sensu communi facile quis agnoscat, Salomonem regem Davidicis opibus adjutum auctumque vehementer, reges omnes, & qui præcesserunt, quique sequuti sunt, excelluisse divitiis & sapientia. Esto igitur hic primus Abacus talentorum auri in scripturis numeratorum.

Primi ordinis abacus.

Centum millia talentorum auri Hebraicorum, pars Davidici legati ad structuram templi perficiendam: primi Paralipomenon vigesimo secundo. Tria millia talentorum de auro Ophir ad deaurandos parietes templi, primi Paralipomenon 29. Quinque millia auri talenta cum decem millibus solidorum, qui cum siclis æquipolleant, & sexaginta sicli minam reddant Hebraicam, si recte calculum subduxeris, reperies sexcentos siclos 10. minas Hebraicas reddere. Centum enim 20. sicli duas minas efficiunt, & ducenti 44. minas reddunt, quadringenti vero octoginta octo minas implent, quibus additis centum viginti siclis, decem minarum numerum perficies ex siclis sexcentis. Hac demonstratione quid clarius dici potest? Quum igitur sexcenti sicli decem minas faciant, sex siclorum millia, centum minas, hoc est, talentum Hebraicum reddunt, & novem millia talentum cum semisse, mille autem superantes sicli octo minas cum siclis quadraginta ex æquo implent. Erit igitur hæc numeratio quinque millium auri talentorum, & talenti unius cum semisse, una cum minis octo, & siclis quadraginta 1. Paralipomenon 29. Aurum hic describimus, argenti talenta, ærisque æstimationem suis locis declaraturi, quæ tribuni, centuriones, principesque possessionum regis dederunt in opera domus dei. Tria millia talentorum ab Hyrcano in loculis sepulchri David longo post tempore inventorum, auctore Josepho 7. Antiquitatum novissimo capite. Totidem talentorum millia, quod quidem non assero, crassa tantum conjectura id colligens, lectorem suæ libertati relinquo, quæ ab Herode inventa fuisse traduntur a Josepho, non quod idem Josephus hunc numerum tradat, qui nihil in numerato reliquit de hujus thesauri talentis. Verum demus exempli gratia, hunc thesaurum ei, qui ab Hyrcano inventus est, æqualem fuisse. Ex Salomone autem relata in numerum talenta subscribenda veniunt hoc loco. In primis munus a regina Saba oblatum, centum viginti talenta auri, 3. Regum decimo capite. Deinde hoc loco connumerabuntur ducenta scuta de auro purissimo, in quorum laminas sexcenti auri sicli sigillatim distributi sunt. Erant prætera trecentæ peltæ ex auro probato, quas vestiebant singulas minæ auri trecentæ. Sunt enim minæ peltarum trecenties trecentæ, hoc est, nonaginta millia minarum, quæ faciunt talenta nongenta. Ducenta vero scuta sexcentis aureis siclis laminatim tecta, centum viginti siclorum millia cum octingentis reddunt. Quum igitur sicli sexaginta minam Hebraicam constituant, necesse est decies sexaginta siclos, hoc est, sexcentos, decem minas efficere. Quo fit ut ducenta scuta, duo millia talentorum auri ex æquo constituant. hinc ergo prodibunt in scutis & peltis duo millia nongenta auri talenta, tertii Regum decimo. Enumeranda post hæc sexcenta sexaginta sex auri talenta annuo proventu ad Salomonem redeuntia, 2. Paralipomenon 9. Quum autem Salomon regnaverit annis 40. numerus ille quadragenario auctus, multitudinem efficit utique admiratione dignam, non autem usque adeo incredibilem, ut fideli pectori vel levi quidem momento negotium exhibere possit. Prodibit igitur numerus 26. millium sexcentorum 40. talentorum auri. hæc est summa quadragenarii proventus toto regni Salomonis tempore, exceptis muneribus legatorum diversarum provinciarum, vectigaliumque a negotiatoribus prodeuntium, ac proventu regum Arabiæ atque satraparum, & de his quidem suo loco dicetur. Aurum aliud navigio deferebatur ad Salomonem ductu atque auspiciis regis Hiram tertio quoque anno, uti scribitur secundi Paralipomenon nono. Numerus autem talentorum describitur 3. Reg. 10. *Venerunt in Ophir, tuleruntque inde aurum quadringenta* 20. *talenta.* Qui numerus minimo calculo multiplicandus est, augendusque ad quintuplum. Sunt enim qui dicant non nisi post expletos viginti annos ab ædificata domo domini, missum fuisse in Ophir cum ducibus suis. Restarent itaque anni 20. regni Salomonis, si non auferendi forent anni 4. quandoquidem anno quarto sui regni cœpit ædificare. Restant igitur a vigesimo quarto regni Salomonis, usquedum finem ipse vivendi atque adeo regendi fecit, anni sedecim. Sic igitur restant quinque annorum triades. lege nonum caput tertii Regum. Quum itaque quadringenta & 20. talenta, si quinquies multiplicentur, efficiant numerum bis mille centum talentorum, sequens est, ut ab inchoata navigatione, talenta totidem in bonis Salomon habuisse credatur, quod etiam facit ad divitiarum suarum augmentum.

Quod si malis hanc navigationem tum primum natam commercio cum Hiram inito, una cum exordio sui regni multiplicanda erunt 4020. talenta numero tredenario: ternarius enim tredecies auctus 39. reddit. Emerget itaque numerus talentorum quinque millium quadringentorum sexaginta, atque id quidem summa numeratione. Addamus & thronum de ebore grandem vestitum auro fulvo nimis, cui operi vix minus triginta millibus talentorum attribui potest, quum ad interiora templi summa tantum deauranda facie septem millia impensa leguntur. Quare ex hac primi ordinis talentorum numeratione, summa hæc singulis colligenda venit, ut sit ista uno acervo collecta numeratio, centum viginti unum talenta, minæ Hebraicæ 58. sicli vero 40. Verum cum non omnia quæ in bonis Salomonis erant, sigillatim in calculum redacta sint, levandi oneris gratia, universæ auri summæ tribuimus ducenta millia talentorum Hebraicorum. Jam illud scire conveniet, quod talentum Hebraicum, Syrum sedecupla proportione continet. Est enim quadruplum ad Atticum minus, ut viginti quatuor ad sex. Atticum vero Syro talento est quadru-

plum, ut sex ad triadis semissem. Est ergo viginti quatuor ad tria proportio octupla: nam ter octo sunt viginti quatuor. Si igitur triadem partiaris in duas medietates, superest unum cum dimidio, quæ quidem medietas octupli rationem habet subsedecuplam. Est igitur summum talentum Hebraicum Syro majus in sedecuplo: quo fit ut unus millio talentorum Hebraicorum, sedecim milliones Syrorum reddat. Medietas autem millionis octo milliones efficit Syrorum talentorum. Quarta vero quatuor, & octava pars duos milliones reddit. Est autem octava pars millionis 125. millia. quo fit ut 625. millia talentorum Hebraicorum, 10. milliones Syrorum ex æquo perficiant. Sufficiunt ergo ad adæquandum aureum Sardanapali thesaurum, talentorum Hebraicorum sexcenta 25. millia. nam thesaurus Sardanapali 10. millionibus comprebenditur. Quod igitur superest auri ad numerum quem taxavimus supplendum, facile sarcietur atque implebitur, primum ex supellectili familiari a patre Salomoni relicta, deinde ex donariis principum. nam plurimum auri ea causa Salomoni toto sui regni tempore provenire solebat. Itemque ex vasorum multitudine aureorum regnante Salomone adaucta. Id enim liquet ex 3. Regum 10. *Omnia vasa de quibus bibebat rex Salomon, erant aurea, & tota supellex domus saltus Libani de auro purissimo, & non erat argentum, quia non fuit alicujus precii.* Hæc igitur in unum collecta, quam facillimum est implere numerum preciumve sexcentorum viginti quinque millium talentorum Hebraicorum: quæ quidem æquare docuimus decem Syrorum talentorum milliones, quos Ctesias auctor Ethnicus Assyrii Sardanapali auream gazam implere asseverat. Non ergo jam incredibile est, immo cognitu facillimum, sensuique etiam communi obvium, prompto ac parato calculo assequi, Salomonem Hebræum regem, Assyrium Sardanapalum auri copia insigniter superasse. Ut enim nunc dicam, quasi antea nihil egerim, aut Ctesiæ auctori Ethnico Assyriarum opum numerum describenti creditur, aut non. Si creditur Ethnico, cur non magis scripturæ auctoritati sacrosanctæ? Si vero illi non creditur de se suisque loquenti, quid jam superest nisi id fateri, quod scriptum legimus: Salomonen superasse omnes omnium regnorum Principes divitiis & sapientia? Præsertim quum legatur tantam fuisse abundantiam auri in Hierusalem, quantam & lapidum, cedrosque illic fuisse in copia quasi sycomoros. Id autem nusquam de quavis aut civitate aut provincia legitur, aut re etiam publica seu imperio. Jam quis neget copiam lapidum, multos etiam milliones talentorum pondere æquare potuisse? At jam docuimus, non esse opus uno millione in Hebraicis talentis, ad superandum totum Sardanapali thesaurum, cum ille hunc superet etiam plusquam in sesquialtero. Ad reliqua igitur pergendum est. Jam secundo loco enumeranda veniunt talenta Hebraica argenti relicta in numerato, ex scripturis, veterumque auctorum historiis.

Abacus talentorum argenti Hebraici secundi ordinis, sparsim e scripturis cumulatus.

CEntum myriades talentorum argenti Hebraicorum, seu decies centena millia, hoc est, millies mille, magnificentissimum ac vere regium in usum templi Davidis legatum, una cum auro supra descripto, 1. Paralipomenon 22.

Septem millia talentorum argenti Hebraicorum, ad linienda interiora templi prominentia seu anaglypha, a Davide rege in eum usum relicta.

Decem millia talentorum argenti Hebraicorum, ex spontanea oblatione procerum ac magnatum in tribubus Israel, eodem capite libri ejusdem, & hæc quidem ex Davidico penu suorumve coætaneorum principum deprompta leguntur. Cæterum ex his quæ in bonis Salomonis erant, hauriendus est a descripta equorum currulium atque etiam equestrium, certa numerataque æstimatione thesaurus non contemnendus. Sic enim habetur 3. Regum 4 *Habebat Salomon 40. millia præsepia equorum currulium, & 12. millia equestrium.* Currules equos dicit, qui oneribus vehendis, quadrigisque volvendis, equestres vero qui vehendis militibus inservirent. Diximus autem quadrigam ea tempestate æstimatam fuisse sexcentis siclis, hoc est, nostro numismate ducentis quadraginta coronatis, libris vero quadringentis viginti, ut supra disseruimus. Sed de talentis impræsentiarum agitur: nuper autem diximus 600. siclos minas valere 10. Quo fit ut 10. quadrigæ uni talento argenti valore respondeant. Jam si cuique stabulo quatuor quadrigas assignaveris, habebis ex 40. millibus præsepibus, 160. millia talentorum argenti. nam quater quadraginta, centum sexaginta efficiunt. Istis autem adjunge 12. millia stabula equestrium, e quibus singulis stabulis quatuor quaternionibus equorum attributis, emergent talenta 208. millia. Hi autem duo talentorum numeri collecti in unum efficiunt 208. millia talentorum argenti: & hæc est æstimatio vecturæ & equitaturæ Salomonis. Nec te aversum teneat id quod 3. Regum 10. scribitur, quo loco solum currus mille quadringenti, equites vero 12. mille numerantur. Plures enim esse conveniebat equos quam equites stipendiarios, ideoque major est equorum numerus, quam vecturæ aut equitum. qui enim stabula dicit, equos tantum redigit in numerum: qui vero currus & equites, ipsos præcipue designat, qui diurno stipendio menstruove aut annuo, equitaturam vectoramque exercent, quos convenit numero esse pauciores. convenit enim equos alios aliis laborantibus ociari, & post quietem laborantium oneri succedere. Secundum hæc, summa totius argenti numeratio enumeranda venit, & ex toto talentorum argenti abaco colligenda, quæ est hæc, millies mille ducenta viginti quinque millia talentorum argenti. Jam inde tertio restat, rerum precio æstimandarum abacum describere, quas cum scriptura innumeratas relinquat, reliquam nobis fecit æstimationis colligendæ, si non exacte, certe quidem crassa & quodammodo palpabili licitatione, potestatem.

Abacus Supellectilis æstimata pro tertio ordine.

ÆStimanda in primis erunt æris ac ferri immensa pene pondera, atque ad talenta argenti, precio quodam utcunque collecto, reducenda. Id autem priusquam fieri possit, prænoscenda est æris ad ferrum precii æstimatione proportio, quæ in promptu sic habetur. Libra æris hodie ferme minimo etiam precio æstimatur duobus solidis, ferri autem unius solidi semisse. Est igitur æris ad ferrum valore & æstimatione proportio quadrupla. Quorcirca mina Hebraica ferri, quæ duas libras & semissem comprehendit, nihil aliud quam solidum & quartam ejus partem justa æstimatione tenet. Talentum ergo minarum, cum sit centenarium, centum ac viginti quinque solidos habet, hoc est, libras turonicas sex cum quinque solidis, quæ ferme quatuor coronata reddunt. Agedum facilioris calculi gratia, singulis ferri talentis 4. coronata precio & æstimatione respondere faciamus.

Sic

Sic fiet ut talento æris, quod valore quadruplum esse diximus, 16. coronata respondeant. Jam cum ex abaco talentorum argenti, constet argenti talentum æstimari bis mille quadringentis, omnino sequens est mille ferri talenta, & 250. æris, 4. millibus coronatorum æstimari: & hac ratione 500. talenta ferri & 125. æris duobus millibus coronatis respondebunt. Quibus adjectis centum ferri talentis, quæ quadringenta coronata efficiunt, apertissime sequitur, duo millia centum talenta ferri, uni talento argenti respondere. Quod quidem argenti talentum, æris talentis ad numerum subquadruplum correspondet. Sexcenta igitur talenta æris, unum argenti talentum efficiunt: jam prono omnia cedunt alveo. Quum enim primi Paralipomenon 22. legamus: *David reliquisse Salomoni in usus templi argenti mille millia talentorum*, continuo sequitur: *Æris vero & ferri non est pondus. vincitur enim numerus multitudine.* & paulo mox subjungitur: *Æs & ferrum sine numero.* Minimum igitur fecerimus, si ducentos decem milliones ferri, totidemque æris in Salomonis supellectile constituerimus. Quum autem ex prædictis duo millia, centumque ferri talenta, unum argenti talentum efficiant: ea quidem millenario multiplicata, unum & viginti milliones reddunt. Quo fit, ut unus & viginti milliones ferri, mille talentis argenti respondeant. Et hac ratione ex ducentis & decem millionibus ferri, constituere poterimus argenti talentorum decem millia. Statuemus igitur exempli gratia, in ferri impensas, argenti decem millia talentorum. Cum autem totidem æris pondera designata sint, quorum precium quadruplum esse declarandum est, sequens est in æris impensas tribuenda designandaque fore argenti 40. millia talentorum.

Jam ad æstimationem reliquorum pergendum est: modo tamen intelligamus in æris ferrique sumptus, in totum statuenda esse quingenta millia talentorum argenti. Nunc ad æstimationem ciborum in artifices & architectos usui templi incumbentes impensorum, deveniendum est. Qua de re legitur 3. Reg. 5. *Salomon autem præbebat Hiram 20. millia coros tritici in cibum domus ejus, & 20. coros purissimi olei: hoc tribuebat Salomon per singulos annos.* Illud autem non est ignorandum, quod 20. annis duravit templi & regiæ domus structura & ædificium. Qua ratione annumerandi erunt in universum cori purissimi olei 400. cororum vero tritici 400. millia. Jam autem in mensuris corum diximus & probavimus esse modio triticario respondentem, qui quidem nostra æstimatione, quam etiam minimam esse volumus, valet libris turonicis 14. hoc est, coronatis 8. Quod si quadringenta millia octonario multiplicaveris, in promptu reperies valorem ad numerum coronatorum trium millionum ducentorum millium: quæ ut ex abaco facile constare potest, ferme 1327. talenta argenti æstimatione æquari possunt. Esto igitur hic numerus talentorum argenti pro summa cororum tritici. Nec illud omittendum est, quod ubi est auri copia, ibi carius cætera venduntur. Jam ex libro Paralipomenon secundi secundo, totidem hordei cori in similem usum impensi sunt. Est autem tritici ad hordeum scripturæ etiam auctoritate tripla proportio, si utriusque valorem attendas. scriptum est enim Apocalyp. 6. *Bilibris tritici denario uno, & tres bilibres hordei denario uno.* Quo fit ut æstimatio hordei, ad eam quæ tritico attributa est, sit subtripla. Quare designanda erit hordeaceæ impensæ summa talentorum argenti 402. & 40. paulo plus minusve. Quum autem ex eodem capite 2. Paralipomenon 2. vini & olei mentio fiat, exploranda prius est unius ad alterum precii æstimationisque proportio, ac deinde precium illis statuendum est liquoribus. Nam de mensurarum multitudine ex prædictis satis constare potest: æqualis enim est in utrisque mensurarum numerus. Siquidem utriusque liquoris pro 20. annis cori 400. asserventur, totidemque vini, ut ex. 2. secundi Paralipomenon liquet, temperata quadam civilique æstimatione constituemus excessum precii olei super vinum, in ea proportione quæ est tritici ad hordeum, quæ est tripla. Si ergo duo coronata, coro vini temperato precio tribuerimus, evadet numerus octingentorum coronatorum. Quæ summa ad talenti æstimationem non assurgit, sed nec 40. minarum assequitur valorem. Ex quo apparet, quod amborum juncta precia, vini dico & olei, nec talentum quidem argenti complent. verum, demus unum esse argenti talentum. Summa igitur esculentorum & poculentorum in unam redacta æstimationem, erit 143. talentorum argenti. Nunc si quis forte requirat quanti æstimandum sit precium cedrorum, abietum, lapidum, atque operarum omnium, utpote vecturæ dolaturæque seu lapidum sex lignorum, istud facile inveniet ex precio 20. civitatum Galilææ, in eorum quæ diximus compensationem a Salomone traditarum. Quod quidem precium regi Hiram minus gratum, & pro ratione acceptorum beneficiorum iniquum reputatum est, ideoque civitates illas appellavit *Chabul*, quæ dictio apud Phœnices *displicentiam*, apud Hebræos vero *carcerem* significare creditur. Jam non incommode cuique civitati precium tribui poterit mille talentorum: cujus rei fidem facere potest, quod coloni civitatum ingentia suis regibus tributa pendebant, erantque admodum suis dominis frugiferæ civitates. Nam si Pharao Nechao etiam in temporum infelicitate tributa collegit annua ad numerum centum talentorum argenti, si centum annua mille respondere facias, habebis tributi nomine una vice redempti, mille talenta, & pro talento auri imposito, decem auri talenta, quæ centum viginti talentis argenti æquipollent. Jam pluris æstimanda est una civitas, quam multarum civitatum tributa. Videtur itaque ea æstimatio quam diximus, medie temperata, ut cuique civitati uno precio redemptæ mille talenta respondeant. Sicque erunt in summa, pro 20. civitatibus, 20. millia talentorum.

Prioribus annumeranda venit ex secundi Paralipomenon capite octavo, structura domus regiæ, toto annorum 13. circulo ædificatæ. templum enim domini septem annis, domus vero regia non nisi annis 13. ædificata est. Quod si annis singulis impensarum nomine designemus decem millia talentorum, habebis pro domo illa ædificanda, centum triginta millia talentorum argenti. Addamus & tributum a Salomone erectum, ex quo ædificavit murum in Hierusalem, dotemque a Pharaone uxori Salomonis traditam, & alias civitates in deserto ab eodem Salomone constructas 3. Regum 9. Quid minus hac ratione subscribi poterit, quam quinquaginta millium talentorum numerus?

Totidemque adjungere poterimus nomine civitatum, curruum, thesaurorum, & equitum, a Salomone constructarum, quas & mœnibus & ædificiis rex ille pacificus munivit, & rerum omnium abundantia implevit: prodibit igitur ex his duobus numeris, summa centum millium talentorum argenti.

Neque istud extra numerum est, quod eodem capite scribitur: *Singuli deferebant ei munera, & ipsi portantes unusquisque munus suum, vasa argentea, aurea, vestes, arma, equos, aromata & mulos, per singulos annos.* Jam si annis singulis 10. talentorum millia designabimus, tandem reperiemus ex hac tantum particula procedere 40. millia talentorum.

Demum hujus abaci summa numeratio, totius æstimationis argenti copiam implet, ac numerum duorum millionum, quadringentorum 25. millium, 143. talentorum Hebraicorum. Jam si ex textu attendamus auri copiam lapidum multitudini fuisse adæquatam, majoremque fuisse argenti quam auri copiam, adeo ut omnem ponderis numerum superaret, id quod ex scriptura liquido colligitur, ita dicente secundi Paralipomenon nono: *Tantam copiam præbuit argenti in Hierusalem, quasi lapidum, & cedrorum, tantam multitudinem veluti sycomororum, quæ gignuntur in campestribus.* Idem quoque legitur tertii Regum decimo. Ex quibus verbis nemini dubium esse potest, in regiis thesauris præter ea quæ enumerata sunt, fuisse plusquam decem milliones talentorum argenti. Atqui cum talenti Hebraici ad Syrum sit sedecupla proportio, constat sex milliones Hebraicos cum quarta parte unius, ex æquo replere totam æstimationem argenteæ supellectilis talentorum, quam Sardanapalo Ctesias asseruit atque designavit. Sufficiunt igitur septem milliones, immo & multo superant excremento Assyriæ copiæ molem universam, quos non defuisse Salomoni, facile ostendit scripturæ auctoritas sacrosancta. Promptum est igitur assequi Hebræos multo intervallo copia divitiarum Assyrios superasse.

Nec ea re tantum cæteris fuisse superiores, imo etiam excelluisse sapientia & gloria. Nam Rex Assyrius ut omnium sui ordinis novissimus, ita & contaminatissimus Sardanapalus, ut infeliciter rexerat, vixerat infelicius, ita etiam periit infelicissime: ea siquidem omnia multo labore multaque solicitudine congesta, quindecim dierum intervallo voracibus flammis consumenda tradidit: quem rectius unum in suo scelere perire conveniebat. Cujus vita exemplo, mors vero rerum temporalium incommodo omnibus detrimentosa fuit: nam rebus humanis vale dicturus, proterviam fecit. Vivens igitur suis sibique nocuit, & moriens orbis felicitati invidit. At contra religiosissimus omnium regum David, superis suum cultum honoremque reddidit, templa Deo, mores populo, & moriens dedit ocia ferro: & quæ vivus perficere non potuit, suppeditata rerum copia necessariarum, ea posteris peragenda commendavit. Rex igitur David omnes & priores & posteriores opulentia, una cum religione conjuncta superavit. Nam quod divitiæ non potuerunt, id supplevit religio. Ita etiam dicimus magnificatum regem Salomonem præ omnibus regibus terræ, fama, divitiis, & sapientia. Verum ne quid a tergo relinquamus quod desiderare merito possit lector videndi cupidus, audiendive, novissimo qui superest tomo talentorum memorabiliores cum sui æstimatione copias, quas probati auctores posteritati scriptis reliquerunt, proferemus: si tamen prius nonnulla ex libris Machabæorum collecta protulerimus.

Quando semel ex variis rationem inire cœpimus, ideoque illud expendendum est, quod habetur 1. Machab. 14. *Posthac autem misit Simon Numenium Romam, habentem clypeum aureum magnum pondo minarum mille, ad statuendam cum eis societatem.* Atqui constat ex abaco centum minas Atticas auri, valere mille libras turonicas & duas myriades. Qui numerus decuplo auctus, mille minas Atticas constituet: valebitque unam & viginti myriades librarum turonicarum, hoc est, ducentas & decies mille libras turonicas. At si minæ illæ Hebraicæ fuerint, constat ex abaco minarum Hebraicarum centum minas auri complere talentum: quod nostro ære æstimandum foret libris quinquagies mille quadringentis. Quo fit, ut mille minæ Hebraicæ auri seu decem talenta, æstimanda veniant libris turonicis quadraginta millibus super quinque milliones: coronata vero ducenta octoginta octo millia. Nam centum minæ Hebraicæ valent coronata viginti octo millia octingenta. Et id in parte supra attigimus.

Habes præterea 2. Machab. 3. tempore Oniæ in templo fuisse asservata quadringenta argenti talenta, sacerdotum commissa fidei, utpote deposita viduarum & pupillorum usibus applicanda. Erant autem in universum talenta argenti quadringenta, quæ uti ex abaco facile colligi potest, valent millionem & sexcenta octoginta millia librarum turonicarum. Et præterea auri ducenta talenta æstimationis decem millionum octoginta millium librarum. Quos numeros si in unum collegeris acervum, evadet summa undecim millionum septingentorum sexaginta millium librarum: quæ in ærario templi recondita tenebantur.

Præterea ex talenti valore deprehenditur intelligentia ejus quod habetur 2. Machab. 8. de Nicanore: qui nimio tumore elatus, promittebat se nonaginta ex Judæis personas talento uno venditurum. Porro constat ex abaco talentum æstimari libris quater mille ducentis. Quem numerum si per nonaginta partiaris, prodibit precium captivi unius ad numerum quadraginta sex librarum, tredecim solidorum, denariorum quatuor.

Itemque ex quingentorum talentorum æstimatione, quæ ex abaco valent duos milliones & centum millia librarum, liquet, quantum requireret Antiochus a Judæis, qui Athenobii organo ita cum Simone expostulabat: *Vos* (inquit) *tenetis Joppen & Gazaram, & arcem quæ est in Hierusalem, civitates regni mei, fines earum desolastis. Nunc ergo tradite civitates; sinautem, date pro illis quingenta talenta argenti, & exterminii quod exterminastis, & tributorum civitatum alia talenta quingenta: alioqui veniemus, & expugnabimus vos.* 1. Macha. 15. Hac ratione exposcebat, & improbe requirebat Antiochus a Judæis satisfactionis nomine, milliones quatuor & ducenta millia librarum turonicarum. Habes præterea 2. Machab. 5. quod Antiochus mille octingentis ablatis de templo talentis, velociter Antiochiam regressus est, existimans se præ superbia terram ad navigandum, pelagus vero ad iter agendum deducturum propter mentis elationem. Quæ summa ad verum reducta calculum, facile ex abaco deprehenditur valere septem milliones quingenta sexaginta millia librarum turonicarum: modo quis intelligat minas illas fuisse Hebraicas crassiores. Quod autem ad minarum æstimationem attinet, illud præterire nolim silentio, quod extra nostrum canonem tertio Machab. legitur ex Complutensi editione, Alcinoem victoribus minas auri duas viritim distribuendas promisisse. Sic fit, ut cuique victori designaretur summa librarum turonicarum quadringentarum viginti, si minæ illæ forent Atticæ. Hæc nonnihil lucis candorisque afferent plerisque scripturæ locis obscurioribus, quantum ad veteris calculi æstimationem pertinet.

TOMVS DECIMVS.

Thesaurorum Memorabilium ab historiographis observatorum.

JAm in eam descendimus aream, quæ tota ferme talentis Atticis respersa est. Quocirca priusquam negotii hujus scopum attingere possimus, præferendus erit ac præmittendus talentorum Atticorum, seu aurea, seu argentea dicas, cum singulorum æstimatione, abacus.

Talentum

Talentum argenti Atticum ex prædictis tomo nono, duplex est, minus ſexagenarium, octogenarium vero majus. Sexaginta autem minas Atticas & drachmarum ſex millia capit minus: octoginta vero minas, drachmarumque octo millia majus complectitur. Verum quia ex minore, majoris æſtimatio facile habetur, additis illi minis viginti, eſtque frequentior uſus apud auctores ſexagenarii, quam octogenarii, cui æquale eſt Ægyptiacum talentum: idcirco ſatis fuerit ad præſens, talentorum ſexagenariorum enumerare valorem. Talentum itaque argenti ſexagenarium, valet ſcuta coronata ſexcenta. Cui ſi adjunxeris quadraginta minas Atticas, quarum ſingulæ ſcutis centum coronatis æſtimantur. centum minas efficient coronatis mille æſtimatas: quas in unam cœnam quotidiana impenſa, Alexander magnus invitatis convivis ut plurimum ſexaginta, expendere ſolebat.

Duo talenta argenti Attica valent mille ducenta coronata. Quatuor argenti talenta Attica, valent duo millia quadringenta coronata. Octo talenta argenti minarum Atticarum, valent quatuor millia octingenta coronata

Decem talenta valent ſex millia coronatorum.

Viginti talenta minarum Atticarum argenti, quo precio Harpalos a Demoſthene ſilentium emit, ne adverſus eum cauſam diceret, valent duodecim millia coronatorum.

Quinquaginta talenta minarum Atticarum, numerus mulctæ Demoſtheni indictæ, ob pecuniam per nefas injuriamque receptam, valent triginta millia coronatorum. Narrat Suetonius Julium Cæſarem a piratis captum detentumque dies prope quadraginta, una cum medico & cubiculariis duobus, quingentis ſe redemiſſe talentis: quæ ſtatim ut numerata fuerunt, miſſaque ad prædones, evestigio proſecutus eſt abeuntes, eoſque in poteſtatem redactos, ſupplicio quod per jocum illis minatus fuerat, affecit extremo.

Centum talenta argenti minarum Atticarum, valent ſexaginta coronatorum millia.

Quadringenta talenta, quæ ſolennioris epulæ gratia expendere ſolebat Darius rex Perſarum, invitatis etiam convivis ad numerum quindecim millium, valent ducenta quadraginta millia coronatorum.

Mille talenta valent ſexcenta coronatorum millia.

Septem talentorum millia, quam ſummam præſtare non potuit Ptolemæus rex Cypri, tametſi eam populus Romanus exigeret, & ob id ſeſe præcipitarit in mare, valent 4. milliones, 900. millia coronatorum.

Decem millia, ſeu talentorum myrias, mulcta Gabinio civi Romano indicta, ob deprædatam ejus numeri ſummam Ptolemæo patre Cleopatræ, valent ſex milliones coronatorum. Tanti etiam legimus Alexandrum funeraſſe Ephæſtionem ſibi dum viveret chariſſimum.

Quindecim millia talenta, valent novem milliones coronatorum.

Viginti millia talentorum, mulcta Aſiæ indicta a Lucio Sylla ob eam quam attentavit a Romanis defectionem, valent duodecim milliones coronatorum. Hoc etiam talentorum numero, Cleopatra Antonii partes & juvit & fovit, præter alia plurima magnæ æſtimationis ſubſidia.

Centum millia ſeu decem myriades talentorum Atticorum, valent ſexaginta milliones coronatorum. Hic erat theſaurus Alexandri magni, Trogo Pompejo auctore: duplum ab Aſia exegit Antonius.

Decies centena millia, ſeu centum myriades, aut millio talentorum Atticorum, valent ſexcentos milliones coronatorum.

Decem milliones, ſeu mille myriades talentorum Atticorum, valent ſex millia millionum coronatorum.

Centum milliones, ſeu millies centena millia, aut myrias myriadum, hoc eſt, decies mille myriades talentorum, valent 60. millia millionum coronatorum.

Mille milliones, ſeu decem myriades myriadum talentorum Atticorum, valent ſexcenta millia millionum coronatorum. Hactenus de abaco talentorum argenti minarum Atticarum.

Abacus Talentorum auri ſexagenariorum.

Talentum auri Atticum ſexagenarium, proportione ſervata auri ad argentum duodecupla, ita videlicet ut uncia auri libram argenti complectatur: ſitque mina Attica libra duodenaria auctior ſemuncia una. qua ratione mina auri centum viginti quinque coronatis æſtimanda ſit: his inquam ita ſe habentibus, mina ſexagies multiplicata talentum perficiens, valet ſeptem millia quingenta coronata.

Decem talenta auri valent 75. millia coronatorum. Iſtud cum ſequentibus apparet ex progreſſu multiplicationis ad decuplum.

Centum talenta auri valent ſeptingenta quinquaginta millia coronatorum.

Mille talenta auri valent ſeptem milliones cum quingentis millibus coronatorum.

Decem millia ſeu myrias talentorum, auri valent ſeptuaginta quinque milliones coronatorum.

Centum millia talentorum auri, ſeu decem myriades, valent ſeptingentos quinquaginta milliones coronatorum.

Millies mille ſeu centum myriades, deciesve centena millia, valent ſepties mille quingentos milliones coronatorum.

Decem milliones, ſeu mille myriades, quas etiam appellare poſſis centena millia, valent ſeptuaginta quinque millia millionum coronatorum.

Centum milliones, ſeu decem millia myriadum, valent ſeptingenta quinquaginta millia millionum coronatorum.

Mille milliones, ſeu centena millia myriadum, valent ſeptem milliones millionum cum quingentis millionum millibus.

Hæc ut repoſita ſunt, gradum præſtant facilem æſtimationi noſtro numiſmate colligendæ numerationis Atticæ talentaris, ut ab auctoribus variis hiſtoriarum locis traditur.

Porro illud ex re ſeſtertiaria ad memoriam revocandum eſt, aliam eſſe calculi ſervandam rationem cum de denariis Romanis, & eis cohærentibus ſeſtertiis agitur, quam ſi de drachmis talentiſque Atticis ſumma numeratio requiratur. Diximus enim Atticam drachmam valere denario. In calculo igitur Romano ſolatos ex denariis & ſeſtertiis reponere oportet, ſolatos intelligo bilibres, hoc eſt, duarum librarum turonicarum. drachmis vero talentiſve Atticis numeratio facienda eſt aureis coronatis, quos fecimus eſſe valoris triginta quinque ſolidorum. Iſtud ex drachma & denario colligi poteſt, quibus locis probatur denarium quatuor ſolidis æſtimari, ſeu duodenariis nummis, drachmam vero trium ſolidorum cum ſemiſſe æſtimatione cenſeri. Sic fit ut centum drachmæ decem coronata, centum vero denarii viginti libras turon. ſeu ſolatos decem bilibres aureos valore perficiant. Alius igitur calculus colligendus eſt ex more ſupputandi Romanorum per denarios, & Græce ſupputantium per drachmas.

Sequens eſt Abacum exponere, quem ab initio

 ſub-

subnectere statuimus, eumque in primis quia talentorum Atticorum, pondoque Romanorum æstimatione pendet: deinde Syrorum talentorum indicaturam abaco prosequemur, ut ineluctabili demonstratione ac sensui pervia, notum evadat, Hebræorum opes omnes omnium civitatum, provinciarum, rerumque publicarum congestos undecumque thesauros multa divitiarum mole superasse. hinc ergo sumetur exordium.

Quotidiana in dies singulos impensa Alexandri, drachmas centum sexaginta comprehendebat, æstimationis coronatorum sedecim, quanti æstimanda venit sesquimina cum drachmarum decade. Jam si sumptum hunc diarium in annuum redigere libet, trecentorum sexaginta quinque dierum numero augebitur: sicque evadet summa quinque millium octingentorum viginti coronatorum.

Alexander cognomento magnus, philosophorum principi Aristoteli dono dedit octingenta talenta, quadringentis octoginta coronatorum millibus æstimanda. Hæc autem æstimatio ita colligitur. centum enim talenta Attica ex Abaco, valent sexaginta coronatorum millia: quæ multiplicata ogdoade, numerum constituunt hoc loco repositum.

Bucephali equi Alexandrina equitatura decantatissimi, precium erat talentorum tredecim auctore Gellio, septem millibus & octingentis coronatis nostro calculo æstimandi, quam summam ex Abaco prodeuntem, reperies decem talentis una cum trium talentorum æstimatione conjunctis. Plinius sedecim talenta refert tribus talentis superadditis, quorum adjectione novem millis sexcenta effluent coronata.

Crater Semiramidis pondo auri talentorum quindecim. Proventus Atheniensis annuus numero capiebat ducenta mille talenta septingentis viginti millibus coronatorum æstimanda: id quod manifestum evadit, si talentis mille ducentorum valorem adjunxeris.

Ægyptiæ pecuniariæ messis fructus annuus sub Ptolemæo Aulete Romano fisco addictus, Strabone & Marco Tullio auctoribus, duodecim millium quingentorum talentorum manipulum implebat, valoris septem millionum, & quingentorum millium coronatorum. profluit hæc summa ex Abaco, ex duodecim millibus quingentis talentis calculi ratione subductis.

Romanum imperium Pompejana manu & industria in ærarium mittebat drachmarum octies mille quingentas myriades: quæ nostro calculo expressæ valent octo milliones quingenta millia coronatorum. Id quod assequi facile est hac ratione. Nam centum drachmæ minam Atticam reddunt, seu decem coronata. Mille igitur drachmæ centum coronatis æstimabuntur, myriasque drachmarum coronatis mille: mille igitur myriades drachmarum, millionem coronatorum efficient, quæ octies repetitæ & auctæ, quingentis myriadibus drachmarum adjectis, novissima æstimatione exurget numerus octo millionum coronatorum, cum quingentis millibus. Id quidem verum intelligendum est, si de drachmis Atticis agatur. Nam si de denariis Romanis in re præsertim Romana quispiam malit intelligi, pro coronatis solatos bilibres subscribere habet. denarius enim drachma major est semisse unius solidi turonici.

Qui Strabonem sequuntur auctorem, Darianis opibus tribuunt centum nonaginta millia talentorum argenti: quæ quidem æstimationem subeunt centum 14. millionum coronatorum: hoc perspicue agnosces si ex abaco talentari Attico ex ducentis millibus decem millia abstuleris talenta valoris sex millionum coronatorum. quod reliquum est, summam quam diximus, perficiet.

Omnium quæ in sestertio habentur numerationum summa & maxima hæc est, quadragies millies sestertium, quam valere diximus in sestertiario tomo, centum milliones, solatorum, quam etiam fisco Romano necessariam Vespasianus asserebat ad propellendos hostes ex Romani imperii limitibus. verum ea, tametsi ingens copia, longe inferior est Assyriorum, ac longe magis Hebræorum thesauris: cujus rei fidem faciunt ea, quæ supra diximus.

Auri Tholosani moles referente Justino, pendebat, auri pondo 110. millia. Pondo autem nomine libras magis quam talenta intelligenda censent, ex quibus brevi calculo aureorum solatorum centum octoginta milliones, una cum centum quinquaginta uno millibus & sexcentis haurire poteris: quam summam ex Abaco deprehendes, si æstimatis centuria ac decade librarum auri millenariarum, subduplum ad solatos bilibres reduxeris. Argenti vero Tholosani congeries tota pendebat quinquies decies centena millia, seu quinque milliones librarum, ut diximus, Romanarum. pondo enim appellantur, non Atticæ minæ. porro mina Attica semuncia major est quam libra. Qua ratione argenteæ molis acervus Tholosanæ, æstimandus est quadraginta millionibus solatorum, una cum centum viginti quinque millibus. Quod si in ea re hæsitas, rem totam paucis aperiam. Ex libræ argenti æstimatione, suo loco agnosces illam valere sedecim libras turon. cum solidis totidem. Quæ faciunt solatos bilibres octo, & solidos sedecim. Jam quinque milliones librarum argenti multiplica per octo, emerget numerus quadraginta millionum solatorum: rursumque quinque milliones solidorum multiplica per sedecim, invenies solidorum duplum numerum, videlicet octoginta milliones. Illud autem exploratum esse oportet mille solidos libris quinquaginta turonicis æstimari, id quod nemo ignorat. Qua ratione decem millia solidorum libris quingentis, & centum millia quinque millibus, millionem vero quinquaginta millibus convenit æstimari. Quo fit ut quinque milliones solidorum, ducentis quinquaginta millibus librarum æstimandi veniant. E quibus si solatos bilibres effeceris, numero ad semissem redacto, habes centum viginti quinque millia solatorum, quæ cum quadraginta millionibus conjuncta, numerum perficiunt æquantem valorem totius molis argenteæ Tholosanæ. Jam si auri & argenti æstimationes in unum jungas, summa numeratione comperies ducentos viginti milliones, ducenta sexaginta quatuor millia solatorum bilibrium cum sexcentis. Alia tamen ineunda est ratio, si justam vocabuli Pondo, rationem teneamus. Pondo enim probavimus apud Romanos fuisse drachmarum septuaginta quinque, cum libra nonaginta sex drachmas capiat. Est igitur libra auctior quam pondo drachmis una & viginti. Eximendæ itaque veniunt libræ argenti duodenariæ centum nonaginta tres cum drachmis quatuor.

Porro libræ centum valent turonicas libras 1377. & solidos duodecim.

Rursum nonaginta libræ argenti valerent libras turonicas 1512.

Tres insuper libræ duodenariæ, valent libras quinquaginta cum octo solidis.

Drachmæ vero quatuor, valent solidos turonenses 14.

Summa itaque detrahenda ex præcedenti calculo, assurgit ad quantitatem libellarum turonicarum 2940. cum solidis 14.

Sicque in totum pro centum decem pondo argenti, colligere, summa æquante, poteris supra quadraginta milliones centum viginti tria millia ac viginti novem solata cum libra turonica una & solidis turonicis

turonicis ſex. Hæc eſt germana collectio ex Juſtini deſcriptione ad veram pondo æſtimationem: qua ſcilicet ſingula pondo Romana, trecenis ſeſtertus ſeu libris quindecim turonicis æſtimanda veniunt.

De hac re Strabo ita ſcriptum reliquit: *Quæ a Poſidonio tradita ſunt, veriſimiliora dixerim, repertas Tholoſæ pecunias circiter quindecim millium talentum fuiſſe, e quibus partem in ſecretis templi ſedibus depoſitam, partem in conſecratis lacubus, nullos apparatus habentem, ſed aurum atque argentum inelaboratum.* Hujus rei gratia lectorem admonitum velim, quam parum inter utrunque, Juſtinum inquam & Strabonem conveniat. Strabo enim ex Poſidonio refert, ſed veriſimiliter (ut ait) potius quam aſſertive, Tholoſæ pecunias repertas ad quindecim talentum millia. Trogus vero auri Tholoſani copiam ad centum decem millia pondo aſſurrexiſſe ait, argenti vero ad quindecies centena millia. Sic fit, ut argenti æſtimatio totam Poſidonii æſtimationem abſorbeat. Nam quindecim millia centuriata, hoc eſt, centenario numero aucta (talentum enim centum pondo perficit, chiliadem chiliadum librarum una cum quingentis millibus explent, hoc eſt, quindecies centena millia. Ex quo conſtat, quam lata ſit inter utrunque differentia: quæ vix ullo poſſit conciliari augurio, ut ne dicam explorato aliquo certove judicio. Non defuere tamen, qui in ſingula pondo libras duodecim referendas putarint: ut tot eſſet pondo librarum, quot libra unciarum.

Cyri regis Perſarum opes, ſtatim a domitis Mida & Crœſo Phrygiæ Lydorumque regibus, in ſumma comprehendunt quingenta millia talentorum argenti Ægyptiorum. Sunt autem Ægyptiaca talenta, æqualia majoribus Atticis octogenariis. Porconſtat ex abaco quingenta millia ſexagenariorum talentorum valere trecentos milliones coronatorum, quibus adjungere oportet vigeſies quingenta millia minarum Atticarum, hoc eſt, decem milliones. Valet autem millio minarum decem milliones coronatorum. Sicque ex tota minarum ſumma, centum milliones prodeunt coronatorum: quos ſi adjungas trecentis millionibus, habebis ſummam una numeratione collectam quadringentorum millionum coronatorum: quæ quidem omnes Cyri opes uno cumulo aggregatæ intelliguntur.

Noviſſime autem, cum Syrorum æſtimatione talentorum Sardanapali ſit metienda ſupellex, ea abaco æſtimanda veniunt, ut nihil obſtare poſſit, quominus liquido conſtet auream Salomonis ætatem regnorum omnium faſtum, opes ac gloriam magno exceſſu ſuperaſſe. ſuper omnia enim vincit veritas, & ſcripturæ divinæ auctoritas ſacroſancta.

Talentum itaque argenti Syrum Attico ſexagenario ſubquadruplum, uti alias ex tomo talentari colligitur, valet libras turonicas ducentas ſexaginta duas cum ſemiſſe, coronata vero centum quinquaginta.

Duo talenta argenti Syra, valent libras turonicas quingentas viginti quinque, coronata vero trecenta.

Quatuor Syra talenta, valent libras turonicas mille quinquaginta, coronata vero ſexcenta.

Octo talenta Syra, valent libras turonicas bis mille centum, ſeu mille ducenta coronata.

Decem Syra talenta, valent libras turonicas bis mille ſexcentas viginti quinque, coronata vero mille quingenta.

Centum Syra talenta, valent viginti ſex millia librarum turonicarum, cum ducentis quinquaginta, coronata vero centum quindecim millia.

Mille Syra talenta, valent ducenta ſexaginta duo millia librarum cum quingentis, coronatorum vero centum quinquaginta millia.

Decem millia talentorum Syrorum argenti, valent duos milliones ſexcenta viginti quinque millia librarum turonicarum, coronatorum vero millionem, cum quingentis millibus.

Centum millia talentorum argenti Syrorum, valent viginti ſex milliones, ducenta quinquaginta millia librarum turonicarum: coronatorum vero quindecim milliones.

Mille millia talentorum, ſeu millio aut decies centena millia argenti Syrorum, valent ducentos ſexaginta duos milliones, una cum quingentis millibus librarum turonicarum, coronatorum vero centum quinquaginta milliones. hic eſt valor talentorum argenti theſauri Aſſyriorum noſtro numiſmate æſtimatorum.

Decem milliones talentorum argenti Syrorum, valent bis mille ſexcentos viginti quinque milliones librarum turonicarum: coronatorum vero mille quingentos milliones.

Centum milliones talentorum argenti Syrorum, valent viginti ſex mille & ducentos quinquaginta milliones librarum turonicarum: coronatorum vero quindecies mille milliones.

Quam ſummam talentorum argenti non reliquit poſteritati profuturam, ſed moriens, ſuæ memoriæ, ſuorumque utilitati invidens, infeliciter conſumpſit Sardanapalus, una cum decem talentorum auri millionibus. Quorum æſtimatio, Abaci ſequentis continuo defluxu, paucis venit emonſtranda.

Talentum auri Syrum minarum Atticarum quindecim, uti ex tomo ſuperiore talentari colligitur, valet ter mille centum quinquaginta libras turonicas. Eſt enim quarta pars minæ Atticæ auri ſexagenariæ. Ideoque æſtimandum eſt coronatis mille octingentis ſeptuaginta quinque.

Duo talenta auri Syra, valent libras turonicas ſexies mille trecentas, coronata vero ter mille, ſeptingenta quinquaginta.

Quatuor talenta auri Syra, valent libras turonicas duodecies mille ſexcentas, coronata ſex millia quingenta.

Octo talenta auri Syra, valent libras turonicas quindecies mille ducentas, ſeu coronata tredecim millia, hoc eſt, myriadem cum trecentis.

Decem talenta auri Syra, valent librarum turonicarum unum & viginti millia, cum quingentis: coronatorum vero ſedecim millia & ſeptingenta quinquaginta.

Centum talenta auri Syra, valent ducenta quindecim millia librarum turonicarum, coronatorum vero centum ſexaginta ſeptem millia quingenta.

Mille talenta auri Syra, valent duos milliones, centum quinquaginta millia librarum turonicarum, ſeu unum millionem, ſexcenta ſeptuaginta quinque millia coronatorum.

Decem millia talentorum auri Syrorum, valent unum & viginti milliones cum quingentis millibus librarum turonicarum, coronatorum vero milliones ſexdecim una cum ſeptingentis quinquaginta millibus.

Centum millia talentorum auri Syrorum, valent ducentos quindecim milliones librarum turonicarum, ſeu centum ſexaginta ſeptem milliones coronatorum cum quingentis millibus.

Millies mille, ſeu millio talentorum auri Syrorum, valent bis mille centum quinquaginta librarum turonicarum, ſeu mille ſexcentos ſeptuaginta quinque milliones coronatorum.

Decem milliones talentorum auri Syrorum, valent noſtra æſtimatione unum & viginti millia millionum cum quingentis millionibus librarum turonicarum, coronatorum autem ſexdecim millia millionum cum millionibus ſeptingentis quinquaginta: quæ

quæ est æstimatio summa & novissima aureæ gazæ ab Assyrio Sardanapalo collectæ.

Jam si in unum colligas summas talentorum argenti Syrorum, & auri numerationes, habebis totam Assyriorum opum nostro numismate æstimationem, quæ est quadraginta septem millia millionum una cum septingentis quinquaginta millionibus librarum turonicarum, coronatorum vero unum & triginta millia millionum.

Erant tum temporis aurea secula, quibus successerunt deteriora ferreis: nisi hac una ratione auream dicas nostram ætatem, ut quidam cecinit, ita dicens:

Aurea nunc credas fore secula, plurimus auro
Venit honos, auro conciliatur amor.

Porro delicatiora sunt ac molliora, quam ut ferrea dici debeant. Testea igitur potius atque omnino fragilia, nisi jam fracta sint & diruta, dicenda veniunt. Ita enim Daniel præviderat olim. Viderat inquam statuam, cujus caput erat aureum, plantæ vero testeæ & luteæ: luto quidem in varia fragmenta cominuto. Siquidem hæc ætas plena rimarum est, huc illucque variarum hæresium sectione diffluens, atque adeo vacillans ac natabunda, ut nihil propius quam ruinam expectare debeat, nisi brevi de alto prospiciat, manumque proferat adjutricem dominus: cujus clementiæ est solvere compeditos, cæcos illuminare, nutantes erigere, & elisos consolidare. Cui honor, triumphus, & gloria, nulli obnoxia consummationi.

Sequuntur paucula quædam, quæ metentium manus evaserant, Paralipomena: quæ ita relicta intelliguntur, ut non habeantur pro derelictis. Colligenda itaque veniunt hæc fragmenta, ne pereant.

PRimum itaque occurrit in rem sestertiarum spicilegium. Sestertiarius nummus ex alio loco probatis, assem nostrum duodenarium ex æquo complet. Est enim quarta pars denarii, qui denarius est septima pars unciæ.

Sestertii centum, seu duodenarii asses, valent 5. li. t.

Sestertii mille, seu sestertium unum valet. 50. li. t.

Decies mille sestertii nummi valent 500. li. t.

Hæc est myrias nummorum sestertiorum, seu sestertia decem.

Centies mille sestertii, seu sestertia centum, valent. 5000. li. t.

Decies centena millia, seu myriades centum nummorum sestertiorum, quæ etiam merito dixeris decies centena sestertia, valent. 50000. li. t.

Hucusque ex usu vulgato tædii levandi gratia, processum est: ut omissis mediis vocabulis, extrema tantum efferrentur, videlicet decies sestertium: ita ut subaudiri debeant hæc verba intermedia, centena millia nummorum, quæ sunt centuriæ sestertiorum neutro genere. Cum ergo audis decies sestertium, vicies, aut tricies, sexagiesve sestertium, toties intelligere habes *centena millia nummorum. sestertium* pro *sestertiorum*. Centies sestertium, hoc est, centies centena millia nummum, seu centies centena sestertia valent. 500000. l. t.

Millies sestertium, seu quinque chiliades chiliadum librarum turonicarum numero perficiunt. 5000000. l. t.

hinc fit, ut sestertiarius, chiliastes diarius, vulgato nomine *milsoldarius* appelletur, Gallice *mille soudier*, ut qui quotidiana messe colligat sestertium unum, seu sestertios nummos mille, hoc est, libellas turonicas quinquaginta. Ea messis annuo proventu assurgit ad trecentena sexagena quina sestertia, totidemve nummorum sestertiorum millia. Quæ nostro ære æstimationem subeunt librarum turonicarum 18250.

Anno vero bissextili 18300.

uno adjecto sestertio, nempe unius diei accessione.

Pro re drachmatica, epitome.

IN drachmis Atticis ad scuta coronata perducendis hic canon perpetuus esto. Quod numeri drachmarum ad coronata, ea est ratio, quæ decem ad unum. Quo fit, ut mille drachmæ, centum respondeant coronatis. Brutus igitur, cum extremis suis diebus viritim suis militibus mille drachmas distribuendas designarit, perinde egisse intelligatur, atque si centum coronata in singulos distribuisset. Qua de re ita Sabellicus in Philippis: *Postridie quam ita dimicatum est, Brutus milites pro concione alloquutus, eos vehementi oratione confirmavit, milleque drachmas singulis pro re bene gesta numerari jussit.*

Hujus rei præsentissimum sese offert exemplum. Herodes ex Josepho in bello Judaico lib. 1. cap. 17. militibus suis centum quinquaginta drachmas viritim distribuit, ducibus vero summam duplicatam, hoc est, vulgo militari coronata quindecim: militiæ vero præfectis aucto ad duplum numero, coronata triginta.

Restat alia via progredi in constituenda æstimatione rei nummariæ, juxta nostræ tempestatis æstimationem, una cum auri argentive ponderibus, seu in libris unciisve aut drachmis.

Ad constituendum abacum juxta usum nostra ætate receptum, id primum observandum est, quod auri ad argentum ea est ratio, quæ est duodecim ad unum: ita ut libra una auri duodenaria, valore æquare possit duodecim libras argenti: sic fit ut uncia auri & libra argenti ex æquo invicem permutentur. Siquidem marca argenti octonaria hodie æstimatur libris turonicis paulo plus minusve 13.

Hac ratione libra duodenaria, seu unciarum duodecim, æstimatur libris turonicis paulo plus minusve 20.

Designavimus itaque in libram argenti, libras turonicas viginti. Porro centum octo solati aurei nummi, libram auri nostro usu valore complent. Solatus autem æstimatur solidis turonicis quinque & quadraginta: quo fit, ut in libram auri usu hodie recepto designanda veniat summa librarum turonicarum 243.

Hic autem rejicimus tres libras turonicas in expensas & operas monetariorum. Quæ superant ducentæ quadraginta libræ, servant rationem ad æstimationem libræ argenti, quæ est duodecim ad unum, utpote duodecies viginti ad viginti.

Hoc etiam ipsum in ducalibus aureis nummis, ex recepto nostro usu eorum valore facile demonstratur. Ducales etenim nummi si vere drachmales essent, nonaginta sex libram auri perficerent. Quapropter ad perficiendum centenarium, supplendumque drachmarum defectum, & monetariorum operas & impensas, ducatos quatuor adjungimus. sic fit, ut centum ducati designentur in libram auri, si non ad æquum pondus, certe ad æstimatum nostra ætate valorem paulo plus minusve. Atqui ducalis nummus hodie æstimatur solidis turonicis octo & quadraginta: quo fit, ut ducatorum centuria æstimanda veniat centum quadraginta libris turonicis. Qui numerus ad viginti collatus eam habet rationem,

rationem, quæ est duodecim ad unum. Nam duodecies viginti centum quadraginta perficiunt. Servatur itaque seu in solatis, seu in ducalibus nummis juxta æstimationem hodie receptam auri ad argentum duodecupla ratio paulo plus minusve. Quod enim superest, rejiciendum venit in operas & expensas monetariorum. Jam si quis drachmarum Atticarum rationem inire velit, levior erit libræ argenti æstimatio. Siquidem nonaginta sex drachmæ, quæ duodecim unciis absorbentur, æstimandæ veniunt libris turonicis sedecim, solidis sedecim. Quod superest usque ad viginti, nostra ætas adauxit in operas & expensas monetariorum: uti alio loco in ponderibus copiosius deductum est. Hoc ad præsens dixisse sufficiat, juxta usum æstimationis auri & argenti nostra ætate receptum, quam hoc loco sequimur, non exactam (ut in ponderibus constituta est) fixamque rationem. His ita demonstratis, constituendus est abacus ad hunc modum, ut inde lector habere possit in digitis, priscæ monetæ æstimationem ad temporis nostri usum redactam: idque ad elucidationem locorum ad rem nummariam pertinentium, qui sparsim apud auctores leguntur.

Talentorum abacus.

Libra auri valet ducatos. 100.
Decem libræ auri valent ducatos 1000.
Centum libræ auri valent ducatos 10000.
seu myriadem unam. Porro centum libræ talentum minimum perficiunt, hoc est, librarum centuriam.
Talenta decem valent ducales nummos 100000.
Nam decem myriades, chiliades centum perficiunt, centumve millia ducatorum.
Talenta centum valent ducatos 1000000.
nos millionem appellamus, sive chiliadem chiliadum: aut, si mavis, decies centena millia, seu myriades centum.
Mille talenta valent ducatos 10000000.
seu decadem millionum: aut si mavis, chiliades chiliadum decem, centiesve centena millia ducatorum. Quo fit, ut decem millia talentorum, quæ Josephus commemorat a Judæis modico tempore fuisse extorta per Romanos, centum millionibus ducatorum æstimanda veniant, hoc est, centum chiliadibus chiliadum: & id quidem, si de talento librarum auri intelligamus. Alioqui si respexerimus ad centurias minarum Hebraicarum, (cum constet ex ipso Josepho minam Hebraicam, duas libras cum semisse pendere, hoc est, uncias triginta siclosve semunciales sexaginta, juxta æstimationem ab Ezechiele designatam) augenda erit summa talentorum ex minis Hebraicis constitutorum, ad duplum sesquialterum. Assurget itaque ad ducentas 50. chiliades chiliadum. Quam summam exhauriri potuisse nomine tributi a quacunque vel provincia vel regno, non fidem tantum communem, verum cogitatum etiam humanum superat. Plura de hac re in ponderibus & mensuris diximus.

Hyrcanus effoso cavædio Davidici tumuli, inventa talentorum tria millia sustulit, Josepho lib. Antiquitatum 16. cap. 7. quæ pariunt chiliades chiliadum ducatorum, millionesve triginta. Aurea illa vitis quingentorum auri talentorum, quam Aristobulus ad Pompejum misit ad aucupandum ejus favorem, quinque ducatorum millionibus æstimanda venit, seu quinquagies centenis millibus. De qua rapsodus Josephi lib. 4. historiarum Judaicarum cap. 20. Nicomedes vero dum quadringenta auri talenta ab Aristobulo, ut ei apud Pompejum faveret, recepit: æstimabitur nostro ære recepisse chiliadum ducatorum quatuor. Hic semper de levioribus talentis loquor, quæ librarum auri centuriam comprehendunt: alioqui augenda esset summa ad duplum sesquialterum, cum mina Hebraica duas libras cum semisse comprehendat. Sicque erumperent ex quadringentis talentis minarum auri, decem milliones. Bis mille talenta in templo reposita, quæ Pompejus attingere noluit, ex eodem vigesimo capite libri historiarum quarti, viginti ducatorum milliones absorbent. Quæ tamen non multo post Crassi sacra fames, dum in Parthos expeditionem parat, penitus exhausit: ex eodem cap. 26. Quod scelus fœdissima ejus morte expiatum est. Neque enim multo post proprio *maculavit sanguine Carras.* Quin & infuso in caput ejus truncum auro liquato, acclamatum est: *Aurum sitisti, aurum bibe.*

Hoc loco obiter annotandum, crassius talentum minarum Hebraicarum esse duplum sesquialterum ad aliud, quod centuriam diximus esse librarum. Siquidem, uti in ponderibus diximus, mina Hebraica duas libras cum semisse pendet. Lege rapsodum Josephi lib. quarto cap. vigesimo sexto, qui in hoc corrupte legitur, dum ait: *Libram vero faciunt unciæ sexaginta.* Id enim falsum est. Nam sexaginta sicli tetradrachmi seu semunciales, minam Hebraicam reddunt. Ezechielis 45. quæ ad subduplum numerum decurtatæ constituunt uncias triginta, hoc est, duas libras cum semisse. Et sic omnia quadrant. Talenta igitur minarum Hebraicarum, quoties cum centurialibus librarum talentis conferenda venient, augenda erit summa ad duplum sesquialterum.

Cassius & Brutus statim a cæde Cæsaris Syriam pervagantes, Judæam septuaginta auri talentis mulctarunt. Quæ si ad leviora talenta referas, exurget summa septingentorum millium ducatorum auri.

Antigonus filius Aristobuli, Hyrcani nepos, ut Persarum regem Pacorum ad se adversus Hyrcanum traheret, spondet mille auri talenta se daturum; hoc est, decem milliones ducatorum: apud eundem lib. V. cap. 8.

Pherodas Herodis frater Josephi alterius sui fratris, recisum caput ab hoste Papo quinquaginta auri talentis redemit, hoc est, quingentis ducatorum millibus, ex eodem cap. 11.

Appianus auctor est, in triumphi sui operas & impensas Cæsarem effudisse talenta 65000.
Et hinc donativum militum reservasse ex coronis aureis octingentis viginti duabus libras auri 25414.
Et in milites singulos designatas fuisse drachmas Atticas 5000.

Nunc singula nostri numismatis æstimatione designanda sunt, ad minimam indicaturam auri talentarem, scilicet librarum centum. Jam cum decem talenta ex abaco æstimentur centum millibus ducatorum, sequens est, ut sexaginta quinque talenta triumpho Cæsaris attributa, æstimari oporteat sexcentis quinquaginta millibus ducatorum

Rursum libra auri centum ducatis æstimata, ad decadem aucta profert mille ducatos: ad centuriam vero, decem millia ducatorum. Quæ si assurgat in chiliadem, decem myriades perficiet, centumve chiliades. Sic fit, ut auri coronarii a Julio Cæsare toto orbe expilati & exacti summa, assurgat ad numerum duorum millionum quingentorum quadraginta millium una cum mille & quadringentis ducatis. Porro donativum militibus viritim distributum, ex Appiano cum ad quinquies mille drachmas assurgat Atticas, reddit summam quingentorum coronatorum: quandoquidem decem drachmæ coronatum unum, centum coronata decem, mille vero drachmæ Atticæ centum coronata perficiunt.

Priusquam finem inveniat abacus iste per talenta

progrediens, quæ mox ſequuntur commemoraſſe non pigeat. Interceptus Cajus Cæſar a piratis, ut ſe ſuoſque redimeret, nempe medicum unum & cubicularios duos, non prius liberatus eſt, quam quinquaginta talenta auri prædonibus illis pacta ex° pediret. Quod perinde eſt ac ſi numeraſſet 50. millia dncatnrum.

De drachmis autem, ſeſtertiis, ac pondo ſeu auri, ſeu argenti abacum texere ſupervacancum forte fuerit, cum de his fuſius in ponderibus noſtris tractatum ſit. Hoc tamen perſtringam, quod drachma pars unciæ, tres ſolidos cum ſemiſſe ſua æſtimatione compleat. Denarius autem cum ſit ſeptima unciæ pars, ſolidos turon. 4. de integro comprehendit. Seſtertius vero nummus denarii quadrans, hac ratinne ſolidum turonicum valore complet. Sic fit, ut decem drachmæ perficiant nummum unum aureum coronatum, centum vero drachmæ coronata decem, mille vero centum coronata abſorbeant. Porro ſeſtertium neutro genere mille ſeſtertios nummos (quos ſolidos turon. recte dixerim) ſuo valore concludit, hoc eſt, libras turon. qninquaginta. Centum ergn libræ turon. duo ſeſtertia complent, ducentæ 4. & ita deinceps. Nam & decem ſeſtertia hac ratione quingentis libris turon. æſtimanda veniunt, viginti vero ſeſtertia mille libris. Reliqua ex ponderibus noſtris ſingulatim digeſta cernere eſt. Drachmarum conſtitutio (id quod nuper attigimus) hac methodo habebitur. Drachmæ decem veterem ſcuti coronati æſtimationem implent, quinque ſcilicet & triginta ſolidorum turon. Centum drachmæ valent coronata decem. Mille drachmæ valent coronata centum. Myrias drachmarum coronata mille. Decem myriades valent coronatorum myriadem: hoc eſt, centum millia drachmarum valore æquant decem millia cnronatorum. Porro centum myriades drachmarum, ſeu decies centena millia (quem nos millionem dicimns) ex æquo perficiunt decem coronatorum myriades, ſeu centena millia. Eſt enim numeri drachmarum ad reſpondentem numerum coronatorum ratin ea, quæ eſt decem ad unum. In ſumma, drachmarum gregem 15. coronatis aureis, ſeſtertiorum vero libris turonicis, talentorum autem turbam ducalibus ſeu drachmalibus aureis nummis penſare metirique oportet. Per hæc facile deprehenditur ex Appiano lib. IV. quanti conſtiterit Marco Antonio inexplebile adverſus Marcum Ciceronem odium: qui a ſanguinarin Lena, caput manumque reſciſſam Ciceronis, ducentis quinquaginta millibus drachmarum Attiearum, quaſi rem præclariſſimam egiſſet, incunctanter emit, quæ noſtra æſtimatione valent viginti quinque millia coronatnrum. Qua de re ita ſcribit Appianus: *Lena vero, qui propriam cauſam Ciceronis patrocinio tutatus pœnam effugerat, caput e lectica primus extulit, ſimulque præcidit, tribus feriens ſecanſque vulneribus ob inexperientiam. Abſcidit & dextram, qua orationes illas luculentiſſimas in Antonium veluti tyrannum exaravit, ad Demoſthenis in Philippum editarum ſimilitudinem. Quo facto, nonnulli in equis, quidam navibus prevecti ſunt, ut hæc Antonio primi nunciarent. Lena ſedenti in foro Antonio caput manumque Ciceronis a longe protulit, oſtenditque. Qua ex re exhilaratus, ducem coronavit, adornavitque donis, ducentis ſcilicet & quinquaginta millibus drachmis Atticis, quod maximum & pugnaciſſimum inimicorum olim ejus occidiſſet. Caput manuſque Ciceronis in foro ante tribunal per ſpacium temporis pependere, quo in loco & ipſe prius orare ſolitus. Ad id ſpectaculum multi audientes viſendi cauſa convenere. Ferunt & in die Antonium Ciceronis caput in menſa tenuiſſe, demum ſatiatum animo, ab hoc nefando ſpectaculo abſtinuiſſe. In hunc modum Cicero, eloquentia admirabilis, præter cæteros in hanc ætatem uſque, & qui conſularem dignitatem obtinuerat in maximis patriæ ſuæ utilis, extinctus ab hoſtibus, contumeliis affectus eſt.* Hactenus Appianus. De ſeſtertiis vero nummis, (quos ſolidos turonicos noſtro ære valere diximus) apud Suetonium legitur, Auguſtum Cæſarem ſingulis prætorianis militibus ſingula nummorum millia diſtribuiſſe: quæ pariunt libras turonicas quinquaginta. legionariis autem cohortibus trecentos nummos ſeſtertios dediſſe viritim, qui reddunt libras turonicas quindecim.

Pondo vero, quod nnum vocabulum explanandum ſupereſt, plurativa & indeclinabilis dictio, alias duodecim uncias ſingulasve libras deſignat: nonnunquam vero ad duodecuplum aſſurgit, totidem libras complectens, quot libra uncias tenet: ut ſcilicet ſingula pondo dicamus, pondera duodecim librarum. Ex his facile eſt ſeſtertiorum, drachmarum, librarumque ac pondo; æſtimationem deſignare.

Primumque ſtabilitur ea, quam ſupra conſtituimus, valoris æſtimatin ex ipſius Egnatii ſententia in Suetonium ita dicentem; *Cæſar in Gallia fana templaque deum donis referta expilavit, urbes diruit ſæpius ob prædam quam ob delictum; unde factum, ut auro abundaret, ternisque millibus nummum in libras promercale per Italiam provinciaſque divenderet.* Quæ ſententia ut perſpicua ſit, ac lectorum intelligentiæ pervia, nbſervandum nummos ſeſtertios (de quibus hic agitur) ſingulos ſolidos turonicos valore conſtituere. Cumque ſeſtertius nummus ſit quadrans denarii Romani, ſequens eſt denarium apud Romanos noſtro ære quatuor ſolidis turonicis æſtimari: cum drachma Attica tribus tantum ſolidis cum ſemiſſe æſtimanda ſit. Cujus hæc una ratio eſt, quod octo drachmæ nnciam conſtituunt: quæ tamen ſeptem denariis Romanis conficitur, ſeſtertiis vero nummis octo & viginti. Qua de re ſupra nonnihil attigimus, & copioſius in ponderibus noſtris diſſeruimus. Dicendum igitur tria millia nummum ſeſtertiorum, quibus promercale aurum ex præda Cæſaris redundans paſſim divendebatur, æſtimanda eſſe centum quinquaginta libris turonicis. Nam mille ſolidi turonici quinquaginta libras efficiunt. Libram vero argenti conſtitutam diximus, ad æſtimationem librarum turonicarum viginti. Quo fit, ut libra auri ſeptem argenti libras cum ſemiſſe ſua æſtimatione conſtitueret: uti exactiſſime deſignavit Egnatius. Erat igitur proportio auri ad argentum ſeptupla ſeſquialtera: quæ ante Galliam deprædatam, auctore Plinio, rationem habebat ad argentum eam, quæ eſt quindecim ad nnum. Sic fit, ut æſtimaretur trecentis libris turonicis: cum tamen juſta ratio auri ad argentum eſſe debeat duodecupla, ut libra argenti æquet unciam auri. Hæc igitur, quam diximus, conſtitutio probatur Baptiſtæ Egnatin. Nec alteranda eſt lectio *ex ternis millibus nummum* in *quaterna millia*: quæ centum ſolatos bilibres, ſeu ducentas libras turonicas conſtituunt, ad rationem ſcilicet auri ad argentum decuplam, ut recte Egnatius ſentit. Ex his æſtimare licet pecuniæ ſummam a Cajo Cæſare in milites & populum viritim diſtributam, auctore Appiano, poſt celebratum triumphum. *Primum* (ait) *ſingulis ex populo diſtributam fuiſſe minam unam Atticam*, quæ quadringentos nummos ſeſtertios valet, ſeu ſolidos turonicos: hoc eſt, libras turonicas viginti. Tranquillus autem reponit *tricenos*, hoc eſt, trecentos nummos viritim diſtributos, & inſuper pro mora centenos: quæ junctim perficiunt viginti libras turonicas. Et ea parte quadrat Suetonius cum Appiano. Neque enim fallit aut fallitur, qui ait: *In ore duorum vel trium ſtat omne verbum.*

Quod

Quod autem Appianus ait, quina millia drachmarum cuique militi distributa, ductori turmæ bis totidem, tribunis vero militum equitibusque duplum majus: intelligendum est donativum militi factum assurgere ad libras turonicas octingentas septuaginta quinque, seu coronata quingenta. Qua ratione eques duplo donativo locupletatus, recipit nostro numismate, bis mille septingentas quinquaginta libras turonicas. Quod mirum videri poterat, nisi ex Plutarcho constaret Antonium triumvirum post aciem Philippensem viritim in singulos milites quina drachmarum millia distribuisse. Porro centum drachmæ Atticæ valent libras turonicas decem & septem cum semisse, seu coronata decem: quæ si auxeris ad decuplum, exurget numerus librarum turonicarum, centum septuaginta quinque centumve scuta coronata. Ex his cætera probantur. Ad rem talentarem revertor. Hibreas Asianus, cum animadverteret Antonianam auri sitim inexplebilem, ita respondisse fertur: *Si tui a te, Marce Antoni, exactam pecuniam non deferunt, eorum injuriam merito tuenses. At vero si delata tuam explere libidinem non potuit ballenus, nulla nobis spes erit sitis imposterum satianda.* Exegerat autem Antonius nomine annui tributi, ducenta talentorum millia: quæ brevi temporis spacio, his quibus captus erat & dementatus illecebris profligaverat. Quæ æstimationem subeunt vicies centenum millium ducatorum.

Porro talentorum decem millia quingenta, ex regiis rationibus olim expensa feruntur in pyramidum structuram: parit ea summa pecuniæ centum quinque chiliades chiliadum ducalium nummorum. At vero in pentaclinio regis Persarum, ejusque interiori cubiculo, seposita leguntur ad repentinos casus reservata quinque millia auri talenta: idque ad caput lecti præter vitem auream, ingentis indicaturæ lapillis insignitam. In suppodio vero ejusdem cubilis; tria talentorum millia asservabantur: constat ex abaco octo talentorum millia octoginta millionum ducatorum summam perficere. Illud ex Josepho non omiserim, centum talenta Cassio fuisse numerata, immo (ut verius dicam) præenumerata ad implendam summam talentorum septingentorum, pro parte tributi Galilæam contingente, ab Herode filio Antipatri Josepho lib. I. cap. 9. Assurgit autem hujusmodi talentorum centuria, ea quam sequimur æstimatione, ad chiliadem chiliadum millionemve ducatorum. Quo fit, ut subinde numerata septingenta talenta, septem millionum ducatorum summam impleant, quæ pleno haustu sibi numerari, Cassius exigebat.

Habuit & Pheroras in proventu annuo ex fructibus terræ trans Jordanem talenta centum, seu ducatorum decies centena millia. auctor Josephus de bello Judaico lib. I. cap. 17. Qui nisi ancillæ amore dementatus, regale matrimonium recusasset, recepturus erat dotis nomine trecenta auri talenta tresve ducatorum milliones, eodem Josepho auctore eo ipso libro & capite. Zephyrius ab Archelao Alexandri socero, ut in causa sui generi apud Cæsarem faventem se præstaret ac benevolum, triginta talenta recepit, hoc est, trecenta ducatorum millia. Herodes (ut Josephus ait libro primo, capite quarto, belli Judaici) pro redemptione pacis ab Arabum legatis oblata, quinquaginta talenta accipere recusavit. Quorum æstimatio est quingentorum millium ducatorum. Idemque apud Josephum decimo tertio belli Judaici, cum Marco Antonio egit, alioqui sibi non parum infenso, instigante Cleopatra, quæ eum dementaverat, annuo tributo ducentorum talentorum ablatas possessiones redemit: hoc est, vigesies centenis millibus ducatorum, seu myriadibus ducentis, quæ duos perficiunt milliones. Idem ipse ex capite undecimo, asseverat trecenta. quæ in bonis Hyrcani erant auri talenta, violentas rapacissimasque manus Parthorum evasisse; quæ nos tribus ducatorum millionibus æstimanda ex abaco docuimus.

Ex eodem Josepho in bello Judaico libro secundo, capite quarto, proventus Toparchiæ Archelai quadringenta illi talenta suppeditabat annuatim, hoc est, quatuor ducatorum milliones: Galilææ reditus exurgebat ad summam ducentorum talentorum, hoc est, ducentorum millionum ducatorum. Portio vero Philippum tetrarcham contingens, centum (nec amplius) talenta perficiebat, seu millies mille ducatos.

Cæsar supremis tabulis cavit, quinque & octoginta drachmis populo Romano viritim distribuendas: quæ nostro ære octo coronata cum semisse complent. Cassius apud Appianum lib. 4. devicto Dolabella a Tharsensibus, mille quingentorum talentorum triburum exegit, hoc est, quindecim millionum ducatorum. De immoderata exactione Cassii, Josephus in bello Judaico libri noni cap. 9. sic ait: *Cassius civitatibus tributum indicebat. Nec modus erat exactionum, cum Judaeis septingenta talenta jussisset inferre.*

Porro Herodes ex Galilæa parte sua, centum talenta portavit; propterea inter eximios amicos numerabatur. Malacho autem indignabatur Cassius, quasi eum interfecturus, quod remissior in exigendo fuisset. Verum hujus & civitatum interitum suppressit Antipater, centum illico talentis Cassio delinito.

Habes itaque ex abaco talenta centum, valere ducatorum decies centena millia. Quo fit, ut septingenta talenta, septem ducatorum milliones æquo valore comprehendant.

Facit ad talentorum abacum id quod Sabellicus lib. VIII. enneadis sextæ commemorat ad hunc modum: *Fuit M. Antonius auctor partibus senatusconsulti faciendi, ut Sextus magni Pompeji filius ex Hispania revocaretur, utque quinquagies decies mille sestertia ei pro bonis paternis ex publico darentur.* Cum igitur duo sestertia centum libras turonicas, & viginti sestertia mille libras constituant, centum vero quinque millia librarum; necesse est, ut mille sestertia, quina millia librarum turonicarum colligant. Sequens est quinquagesies decies (hoc est, quingenties mille sestertia) vigesies quinquies centena millia in libris turonicis perficere, seu duos milliones & millia quingenta. Idemque in eodem refert apud Antonium, ut paternum amicum, depositam fuisse pecuniam ex peculio Cæsaris, quam Calpburnia uxor apud illum cum testamento deposuerat. Et ea exurgebat ad summam 4. millium talentorum, quam repetebat Octavius Cæsar: eam repetitionem ita indigne tulit Antonius, ut contumeliis etiam oneratum Octavium, non ultra reversurum a se diviserit, retentis nihilominus ex alieno ære, quadraginta ducalium nummorum millionibus.

De minutis ponderibus relicta quadam, ex usu Trapezitarum recentiore deprompta.

UNcia pendet drachmas seu grossos octo. Quo fit, ut grossus habeatur pro drachma, quæ est unciæ pars octava. Semuncia pendet drachmas grossosve quatuor, seu (quod idem est) denarios duodecim, stellinos vero decem. Stellinum (ut obiter dicam) a stellæ nota dictum existimo; est enim stella apud veteres, nota decadis. Proinde quarta unciæ drachmarum duarum, totidemque grossorum, sex denarios seu stellioos quinque pon-

 dere

dere levat. At vero drachma (quæ & grossus vulgo dicitur) denarios tres, stellinos vero duos pondere sustinet. Porro stellinus dimidiatus, idem cum obolo censetur apud Trapezitas: qua ratione sesquidenarium pondere sustinebit. Obolum dico, vulgo appellatum *maille*, deducto nomine a vocabulo *medaille*, seu, paucis immutatis, *metaille*, a *metallo*. Oboli medietas, selinus dicitur: ea est quarta stellini, quæ in quadrantes secernitur & octantes. *Felinum* autem augurarer dictum quasi *semistellinum*, *S* transmutata in *F*. nisi scirem esse quartam stellini, hoc est, semissem semissis. Hæc ex usu recentiorum deprompta recensui, a vetusti ponderis ratione distincta, uti suo digessimus loco.

De denarii u drachma diversa æstimatione.

VIdeo vix persuaderi posse plurimis, aliam esse denarii quam drachmæ indicaturam; cui tamen sententiæ unum hoc argumentum sufficere poterat, quod drachma sit octava unciæ, denarius vero septima. Id autem omnem ambiguitatem absolvit, quidem ex Tacito lib. 1. scriptum legimus, questos milites infructuosam nimium illis fuisse militiam: quod scilicet denis in diem assibus anima æstimaretur & corpus. Denarium itaque postulabant in diem sibi dari, aucto nimirum stipendio, Alioqui quid attinebat denarium pro drachma petere, nisi auctior esset ipsius supra drachmam indicatura? Id probe animadvertit sua in Tacitum annotatione Æmylius Ferretus. *Ex his* (inquiens) *fit planissimum denarium pluris fuisse, quam decem asses. Cum enim decem asses singuli reciperent, & denarium cuperent: constat pluris assibus decem, valuisse denarium: tametsi Alciatus hunc locum involvere potius quam evolvere videatur, cum ait: Ostendit hic locus, denarium decem asses æris esse, quod diurnum stipendium erat militis, ubi drachmam per denario reposuisse debuit.* Nemo jam, nisi quem errare delectat, deinceps dubitare possit, denarium quatuor solidis turonicis æstimandum, cum drachma trium tantum solidorum cum semisse subeat æstimationem. Ponderum vero notulas ex Valerio Probo, & eo qui nobis obtruditur Volusio Metiano, qui volet exquirat: apud quem Volusium, secto asse in octo octavas, portio illa sescuncia dicetur: continet enim unciam cum semisse. Si in partes novem secueris assem, novem habebis binas sextulas: hoc est, novem nonas, sextantes sex, quadrantes quatuor, trientes tres, duosque semisses.

Id quoque ex eo addiderim, quod scriptulum dimidiatum *simplium* vocet. Numeratur autem assis totios quingentesima septuagesima sexta. Hanc vero inter assem & libram differentiam ponit, quod as ad pondus numeratamque refertur pecuniam. Libra vero pondus potius respicit, quam numerum. Nos autem ab eo placito recedentes, libram etiam in numerariam constituimus & pecuniariam, quam *francicum* ex usu appellare solemus. Id quoque ex eodem observato, quod denarius a decem assibus, ad sedecim assium valorem assurgere cœpit & numerum, id suadente rei nummariæ inopia. Inde sequutum est, ut victoriatus de quinario octonarius fieret: sestertius vero quatuor assium valorem impleret.

Id in causa fuit, cur alia ineunda foret partitio, non cuivis facile obvia. Secandus enim primum est denarius in semuncias sedecim, totidemque siciliquos: qui junctim assem reddunt, qui merito appellabitur, semuncia siciliquus. Ita igitur denarium secare conveniet, ut semuncia siciliquus sedecies repetita, assem denarii constituant. As geminatus, dupondium: tertio repetitus, tressim: singulatimque resumptus quartussim, quinquessem, sexim, septussem, octussem, nonussem, decussemque reddit. A decusse vero procedunt undeciæs, hoc est, undecim æris. Duodeciæs, tredeciæs, quatuordeciæs, & quindeciæs, hoc est, quindecim æris asses. Denarium novissime constituit as decimo sexto repetitus. Ex his collige, ex semuncia & siciliquo minore sedecies repetitis, assem componi. Toties vero repetitam sescunciam, dupondium: sextantem siciliquum, tressim: quadrantem vero quartussim: & ea ratione quadrans, semuncia, & siciliquus quinquessem reddit. Sexis vero ex triente & semuncia perficitur. Septus autem ex quincunce ac siciliquo. Octus ex semisse. Nonus ex semuncia & siciliquo semissi adjunctis: ita ut appelletur semissis uncia siciliquus. Decus autem habet cum septunce semunciam, undeciæs vero bessem cum siciliquo, ideoque dicitur bessiciliquus. At duodeciæs, sive duodecim æris, dodrante perficitur sedecies multiplicato. Tredeciæs autem habet cum dodrante semunciam siciliquum. Quatuordeciæs dextantes semunciasque sexdecim. Quindeciæs, deuncem ac siciliquum absorbet sedecies repetitos.

Sestertius autem, eodem auctore Volusio, in decem libellas secatur. Est igitur libella decima sestertii: cujus vigesima singula, dicitur libellæ medietas. Teruncius vero quadragesima: cujus teruncii medietas, octogesima sestertii censebitur.

Reliqua ex eo colligito. Et hæc sunt spicilegii vice proposita: quæ ut omnia complecti impossibile est, metentis manum effugerant; quæ vero supersunt, (supersunt autem sat scio plurima) posterorum diligentiæ supplenda relinquo.

Immortali Deo, semper ac super omnia benedicto, perpetuum decus, immortales gratiæ, & gloria perennis.

Nunc habes cum levi declaratione subjectam ob oculos totius rei nummariæ ponderalisque figuram.

POnderum notulæ ita se habent, quod siclus designatur per hanc notulam 1. simplicem, uncia vero per eandem duplicatam hoc modo: adjecto hoc signo , quod Unciam significat.

Unciæ duæ hoc modo, : Unciæ tres hoc modo, : & ita de reliquis suo ordine usque ad minam Hebraicam centenariam, quæ Hebraice dicitur *cicar*, figura capacissima circulari conclusam. Hactenus de unciis, libra, & minis tam Græcis quam Hebraicis. Subest & alia figura mensurarum longitudinis a palmo usque ad mensuram pedum duodecim. Cui substernitur longitudo pollicaria duodenaria, quæ tamen lectori poterit designare pedem. Neque enim aliud fieri potuit propter loci angustiam. Hæc ad inferioris tabulæ declarationem sufficere poterunt. Continet autem mensuras tam capedinis, quam longitudinis.


F I N I S.

P O N-

PONDERVM NOTVLAE.

I Siclus, seu semuncia drachmarum quatuor.

I uncia drachmarum octo.



Marca argentaria drachmarum |64|

Libra negociatoria drachmarum |96|


Mina Alexandrina drachmarum |128.|

Mina Attica medica drachmarum |160.|

Mina Hebraica drachmarum |240.|

כִּכָּר

Sicli seu semunciæ.



Mina Attica negociatoria drachmarum |100|



MENSVRARVM FIGVRAE ORDINATAE.

Palmus | Digitorum 4.
Doron | Digitorum 5.
Dichas | Digitorum 8.
Spithame | Palmorum 3.
Pes pal. 4.
Cubitus sesquipes.
Gradus bipes
Gressus simplex, bipes cum semisse
Tripeda mensura.
Tredrapeda seu ulna negociatoria telam dimetiens.
Pentapeda gressus duplex.
Hexapeda seu canna spithamarum octo, alias brassa cubitorum 4. orgia, toise, amplexus.
Heptapeda.
Octopeda.
Enneapeda seu cubitus geometricus mensura arcæ Noe cubitalis, sesquiorgia accena calamus mensuræ vulgaris sex cubitorum.
Decapeda, alias pertica, seu radius addito palmo evadit calamus mensuræ sanctuarii Ezechielis 40. alia est pertica pedum 25.
Endecapeda. Hic tibi pro vero pollice finge pedem.
Dyodecapeda.

P | O | L | L | I | C | E | S | DV | O | DE | CIM.

LVCAE PAETI

JVRISCONSVLTI

DE

MENSVRIS ET PONDERIBVS ROMANIS, ET GRAECIS,

CVM HIS QVAE HODIE ROMAE SVNT

COLLATIS

LIBRI QVINQVE.

INDEX LIBRORVM.

OPTIMO

OPTIMO SANCTISS. Q. PRINCIPI PIO QVINCTO PONTIFICI MAXIMO

LVCAS PAETVS FELICITATEM.

Cum divina mens tuà, & numen, Pater beatissime, ad prolapsos Christianæ Reipublicæ mores pristinæ pietati restituendos, Christianosque Principes adversus immanissimum Turcarum tyrannum; in Rempublicam Venetam sævientem, tecum conjungendos, nec solum consiliis, verum etiam pecunia strenuissimisque Duce & militibus, adjuvandos incumberet, non audebam hæc, quæ ad antiquorum ponderum, mensurarumque cognitionem, humanæque vitæ utilitatem scripseram, & tuæ Beatitudini dicaveram, legenda porrigere, timens, ne non apto tempore divinam tuam mentem, tot tantisque cogitationibus occupatam, interpellarem, animique tui offensionem subirem. Postquam autem cognovi, eam non solum his actionibus summa vigilantia insistere, sed nihil, quod ad bene beateque vivendum attinet, intactum relinquere: nempe Ecclesias etiam antiquitate collapsas, non solum parietibus, tectis, aris, sacris vasis, vestimentis, ornamentisque muniri ornarique fecisse: verum etiam eas, debitis horarum Canonicarum temporibus a suis clericis & sacerdotibus finito numero frequentari: male alienata ipsarum Ecclesiarum bona vindicare: Seminarium quoque optimæ spei adolescentium, futurorum Aræ omnipotentis Dei ministrorum, quod tam diu totque votis exoptatum fuerat, in dies augeri: Sanctimonialium, Deoque gratissimarum Virginum claustra, severissime custodiri: Religiosorum Monachorum fratrum domos & ordines, qui pæne omnem a piissimis Patribus traditam regulam & disciplinam abjecerant, pristinae religioni restitui, sancteque & canonice regi: sed & clericorum habitum (quod frustra sæpius tentatum fuerat) ab iis, qui sacris initiati non sunt, non solum dignosci & separari, verum etiam ad debitam modestamque formam reduci: utque Justitia suos rectos expeditosque tramites habeat, non solum Judicum, caussarumque Patronorum, verum etiam eorum, qui caussas promovent, fidem, mores, & peritiam recenseri. Quin etiam nec tuæ sanctæ senectuti & valetudini parcens, in tanta rerum gerendarum mole, pauperum oppressorum querelas, singulis mensibus (vacuis ad id auribus paratis) publice cunctis astantibus judicibus, ad tuam Sanctitatem referri: Non minus & Tribunalium omnium actuariorumque notariorum proplapsas consuetudines & avaritiam a severissimis ad id electis censoribus tolli, debitisque finibus coerceri:

Carceres

Carceres quoque in ampliorem commodioremque formam ad pauperum reorum ſolatium fieri, ipſorumque carceratorum curam humane tractari, &, quemadmodum innocentes abſolvi, ſic impios ſceleratoſque debitis ſuppliciis, nulla in auro ſpe relicta, ſeveriſſime puniri. Sed &, quod maxime ad legitimam prolem ſanctamque fidem pertinet, Matrimonia, Baptiſmatum fontes, Animarumque curam, pie ſancteque cuſtodiri. Quin etiam Judæos, ſumma omnium optimorum lætitia, & fidelium alacritate, a Chriſtianorum pane commercio ſeparari, habitu diſtingui, habitatione ſejungi, & clauſtro coerceri. Meretrices quoque in tanta peccandi licentia bonos mores peſſimis exemplis corrumpentes, relegari & concludi imperaſſe & effeciſſe. Sed etiam decori & ornamento tuæ urbis Romæ proſpiciendo, Aquam Virginem, nuper poſt octingenteſimum annum reſtitutam, (de qua re tuæ Beatitudini notus fui) in fontes ſalienteſque per totam urbem deſignatos conſtrui mandaſſe. Nihilque earum rerum, quæ etiam minimæ ſunt, propter maximas ſollicitudines a te omitti. Ea fiducia fretus, non prætermittendum putavi, ut hæc, quæ de menſurarum ponderumque reſtitutione, deque earum cum his, quibus Romæ utimur, collatione diu a me elaborata fuerunt, Tuæ Beatitudini legenda porrigerem, ut, quod tam diu inter doctiſſimos eruditiſſimoſque viros controverſum extitit, feliciſſimis Tuæ Beatitudinis temporibus, ſubque tuo ſanctiſſimo nomine eluceſcat. Nulli enim tutelam hujus de menſuris & ponderibus tractatus, quam Tuæ Beatitudini, convenire judicavi. Si quidem tu Princeps optime omnia, quæ tuo numini Deus optimus maximus ſubjecit, ut optimum Principem decet, juſtiſſima trutina regis, infallibilique menſura diſpenſas. Tua igitur Sanctitas devoti ſui ſupplicis munuſculum benigne ſuſcipere non dedignetur, ut ſuæ ſerenæ frontis fiducia audeam majora quoque excogitare, ſubque tuo ſanctiſſimo nomine, tutiſſimoque clypeo in lucem edere. Cui omnem a Deo Optimo Maximo felicitatem ſupplex precari non deſinam.

LVCAE

LVCAE PAETI
JVRISCONSVLTI
DE
ROMANORVM GRAECORVMQVE
MENSVRIS,
QVIBVS
INTERVALLA METIEBANTVR,
LIBER PRIMVS.

IAm satis constat ex iis, quæ a disertissimis utriusque ætatis viris tradita sunt, pedem in Romanis mensuris, quibus longitudines, latitudines, altitudinesque metiuntur, primum locum inter quascumque minores majoresque mensuras tenere. in eo namque minores omnes terminantur, & ab eo majores omnes incipiunt. Prisca enim prudentia, a digiti latitudine initium sumens, ex quatuor ex eis palmum constituit, quia tot a palma digiti proficiscuntur: & ex palmis quatuor, id est, digitis sexdecim, pedem creavit, ex duobus perfectis numeris, nempe sex & decem, unum constituens perfectissimum. Decem enim omnibus perfectus habetur, ut & Aristoteli problematum sec. XV. quæst. 3. placuit, & Vitruvius lib. III cap. 1. & Martianus Capella de Nuptiis Philologiæ lib. VII. testantur. sex autem a Mathematicis (ut idem Vitruvius &, Martianus Capella demonstrant) perfectus quoque appellatur. de quo quidem pede Columella lib. V. cap. 1. sic scripsit: *Modus omnis areæ, pedali mensura comprehenditur, qui digitorum est sexdecim.* quem rursus pedem, ut fere res omnes reliquas in uncias duodecim, assem ex eo constituentes, idem antiqui diviserunt, ita ut ternis quibusque unciis quaternos digitos complecterentur, ut ex Frontino colligi licet, in eo, quod de Aquæ ductibus scriptum reliquit, sic dicente: *Est autem digitus, ut convenit, sextadecima pars pedis uncia duodecima.* Idemque in eo de Limitibus tradidit. Et exinde has unciales Pedis divisiones iisdem nominibus, quibus assis partes, nuncupaverunt, Unciam, Sescunciam, Sextantem, Quadrantem, Trientem, Quincuncem, Semissem, Septuncem, Bessem, Dodrantem, Dextantem, & Deuncem. De Sescuncia, quæ uncia est & semis, & de Sextante, qui Pedis sexta pars est, duas continens uncias, (ut veterum auctoritates aliquas afferamus) meminit Plinius lib. Nat. Hist. 36. cap. 25. de pavimentis loquens his verbis: *Fastigium vero servati in pedes denos, sescuncem.* lib. XIII. cap. 15. de cedrinis mensis: *Qua in re non omittendum videtur, Tiberio Principi mensam quatuor pedes sextante & sicilico excedentem, crassitudine sescunciali.* Ex cujus verbis, & illud colligi licet, uncias istas pedales in minores etiam partes ab antiquis divisas fuisse: quod ex infra dicendis latius apparebit. sic & quadrantem trium digitorum crassitudinem idem Plinius appellavit bis verbis: *Magnitudo amplissima adhuc fuit unius commissæ ex arboribus dimidiatis duobus, a Rege Mauritaniæ Ptolemæo, quatuor pedum & semipedis per medium ambitum, crassitudine quadrantali.* A quo semipede, *crassitudinem semipedalem* dixit idem lib. XXXVI. cap. 25. sic & *bessales laterculos* appellavit Vitruvius, qui unciarum octo latitudinis essent, lib. VII. cap. 4. sic dicens: *Deinde tegulæ bipedales ex una parte supra marginem canalis imponantur, ex altera parte bessalibus laterculis pilæ struantur.* sic & *dodrantem* pro novem pedalibus unciis dixit Columella lib. IV. cap. 1. his verbis: *Quippe seminibus vineaceis nimium me profundos censuisse fieri scrobes adjecto dodrante, super altitudinem bipedaneam.* Et rursus circa ejusdem cap. finem: *Sed non est dupondii & dodrantis altitudo, quæ istud efficere possit.* Quo loco *dupondium* pro duobus pedibus, quasi pedes asses ponderales essent, accepit. Similiter *dodrantem* Plinius lib VII. cap. 2. sic scribens: *Supra hos extrema in parte montium, spithamæ Pygmæi narrantur ternas spithamas longitudine, id est, ternos dodrantes, non excedentes.* Quod & Vitruvius dixerat lib. III. cap. 3. ubi de gradibus templorum tractans inquit: *Crassitudines autem eorum graduum ita finiendas censeo, ut neque crassiores dextante, neque tenuiores dodrante, sint collocatæ.* Quo loco *dextantem* pro decem unciarum spatio posuit. Quem quidem in assem, & uncias, & unciæ partes dividendi morem, in hereditatibus quoque Jurisconsulti observaverunt, ut Ulpianus testatur lege: *Si servum meum.* ad finem, de Heredibus instituendis. cujus hæc sunt: *Hereditas plerumque dividitur in duodecim uncias, quæ assis appellatione continentur.*

Habent autem & hæ partes propria nomina ab uncia usque ad assem, sexcunx, sextans, quadrans, triens, quincunx, semis, septunx, bes, dodrans, dextans, deunx, as. Sic & terræ jugerum partitus est Columella, qui & unciam ipsam in sicilicum, sextulam, scripulum, & semiscripulum divisit lib. V. cap. 1. nec ultra semiscripulum, id est, Græcum obolum processit, etsi Severinus Boetius, quantum ad geometriæ disciplinam attinet, pedalem unciam non solum in semiobolos sex & nonaginta, & siliquas 144. sed ipsam quoque siliquam, quæ est scripuli pars sexta sive oboli tertia, in duo puncta, & punctum ipsum in duo minuta, & minutum in duo momenta, diviserit: quæ postremæ partes potius ingenio percipi, quam oculis cerni, aut demonstrari possunt, nisi adeo magnæ quantitatis uncia constitueretur, ut has divisiones reciperet. De quo etiam Sicilico (ut ad eum redeam) meminit Plinius, ubi supra. sic & totius Africæ assem fecisse idem videtur lib. XVIII. cap. 6. sic scribens: *Sex homines semissem Africæ possidebant, cum interfecit eos Nero Princeps* Non minus etiam has unciales partes numero appellaverunt, ut constat ex eodem lib. XXXIII. cap. 8. qui de lapide Heraclio, sive Lydio sic dixit: *Sunt autem modici, quaternas uncias longitudinis, binasque latitudinis non excedentes.* Quin & quinariam, quæ aquæ est mensura, & unciam, & digitum mensuralem, & ipsum denique digiti scripulum, Frontinus in lib. de Aquæductibus in assem & uncias divisit. *Uncia*, inquit, *modulus habet diametri digitum unum, & trientem digiti, capit plus quam quinaria octava, hoc est, sescuncia quinaria, & scripulis tribus, & besse scripuli. Digitus quadratus in rotundum redactus habet diametri digitum unum, & digiti sescunciam sextulam. capit quinaria dextantem. Digitus rotundus habet diametri digitum, capit quinaria septuncem, semunciam, sextulam.* Hactenus ille. De quibus quidem unciæ divisionibus & nominibus, & quo modo se ad unciam habeant, infra libro quincto satis dixi. A pede *pedale spatium* appellavit Columella, quod unius pedis mensuræ esset, lib. V. cap. 9 his verbis: *Deinde ut arbuscula spatium pedale in circuitu relinquatur, atque ita cum suo cespite planta eruatur.* Sic & *bipedaneum*, & *tripedaneum* appellaverunt, quod duorum, aut trium pedum mensura esset. Columella eodem lib. cap. 5. *Si ante annum fiat, quam vinea conseratur, scrobs in longitudinem altitudinemque defossus, tripedaneus abunde est, latitudine tamen bipedanea.* De quo & lib. IV. cap. 1: & Plinius lib. XXXIV. cap. 6. his verbis: *Non omittendum, quod annales annotaverunt tripedaneas iis statuas in foro statutas, hac videlicet mensura honorata tunc erat.* A pede quoque (ut jam ad ea, quæ supra pedem sunt, transeam) fit palmipes, pro ea mensura, quæ fit palmorum quinque i. pedis & palmi, de quo Vitruvius lib. V. cap. 6. *Gradus spectaculorum, ubi subsellia componantur, ne minus alti sint palmo pede, ne plus pede & digitis sex.* Et lib. X. cap. 20. de testudine ad congestionem fossarum paranda: *Insuper hanc compactionem erigantur postes compactiles, præter cardines pedum novem, crassitudine quoquoversus palmi pedales, intervalla habentes inter se sesquipedis.* Varro de re rust. lib. II. cap. 4. *In haris ostium esse oportet, & limen inferius, altum palmipedale: ne porci ex hara, cum mater prodit, transilire possint.* Item a pede fit sesquipes: de quo Vitruvius, ubi proxime, & Horatius in arte poetica:

Projicit ampullas, & sesquipedalia verba.

Columella lib. V. cap. 9. de olea: *Deinde taleæ sesquipedales serra præcidantur,*

Cubitus quoque a pede formatur, qui est sesquipes, id est, palmorum sex, ut proxime dixi. idem enim cubitus est, & sesquipes. de quo Vitruvius lib. III cap. 1. *Cubitumque animadverterunt ex sex palmis constare, digitisque viginti quatuor. ex eo etiam videntur civitates Græcorum fecisse, uti, quemadmodum cubitus est sex palmorum, ita in drachma quoque eo numero uterentur. illæ enim æreos signatos, uti asses ex æque sex, quos obolos appellant, quadrantesque obolorum, quos alii dichalca, alii trichalca dicunt, pro digitis 24. in drachma constituerunt.*

Rursus a Pede proveniunt Passus, Stadium, Milliarium, Actus minimus, Clima, Actus quadratus, Jugerum, Centuria, Saltus, de quibus singulatim dicendum. Interim tamen animadvertendum putavi, quod tria priora nomina, Passus, Stadium, Milliarium, lineares longitudines demonstrant, quibus plerunque geographi & scriptores ad locorum distantiam demonstrandam utuntur, cetera vero nomina longitudines & latitudines complectuntur: ut & latius ex infra dicendis apparebit.

Passus, quem a *passis* sive diductis brachiis juniores dictum putant, constat ex pedibus quinque in longitudine, dicente Columella lib. V. cap. 1. *Passus habet pedes quinque.*

Stadium Græcorum mensura fuit, cujus tamen tamen usus & nomen ad Romanos transivit, constans passibus centum viginti quinque. Columella, ubi supra. Stadium deinde habet passus 125. id est, pedes sexcentos viginti quinque. Plinius lib. II. cap. 23. *Stadium centum viginti quinque nostros efficit passus, hoc est, pedes sexcentos viginti quinque.* Ex cujus sententia illud animadverterunt juniores, longitudinis diversæ fuisse pedem Græcum a Latino: nam ex Herodoti & Suidæ sententia, stadium Græcum, quod constat ex Græcis pedibus sexcentis, pedes efficit Romanos, ut Plinius declarat, sexcentos viginti quinque: qua ratione pes Græcus Romano pede longior est semuncia ejusdem Romani pedis. sexcentæ enim semunciæ constituunt viginti quinque illos pedes, qui sexcentorum numerum excedunt. quod verum censeo, etsi Plutarchus in vita C. Gracchi, infra de milliario referendus, discrimen istud non animadvertens, putaverit stadia octo non integrum conficere milliare, numerans ipse stadium pedum Græcorum sexcentorum, qui octies multiplicati summam pedum quatuor millium octingentorum constituunt. quo fit ut ad integrum quinque millium, ducenti deficiant: qui ducenti ex illa semuncia, qua pes Græcus Romanum excedit, constituuntur, ut prædixi. multa enim similia inveniuntur, quæ animos doctissimorum etiam virorum distraxerunt, ut & infra notavi. Milliarium, sive milliare, constat, ut & ipsa vox sonat, ex passibus *mille*, stadiis vero octo, pedibus autem quinque millibus, ut & Columella loco proxime relato declarat. pro quo *milliare* & *mille passus* leguntur. Varro de ling. lat. lib. V. *Nam quod sensus nullus, quod abest mille passus, sentire possit. Oculorum sensus visusque ad stellas pervenit.* Horum milliariorum viginti pro diurno itinere in jus vocatis prætor tribuit, ut inquit Cajus Jurisc. lege 1. *Si quis cautionibus judicio sistendi causa factis non obtemperaverit.* cujus hæc sunt verba: *Vicena millia passuum in singulos dies dinumerare prætor jubet, præter eum diem, quo cautum promittitur, & eum, in quem sistere in judicium oportet* quod & amplius declarat Ulpianus Jurisc. l. *In itinere.* de verborum & rerum signific. sic inquiens: *In itinere faciundo, viginti millia passuum in dies singulos peragenda, sic sunt accipienda, ut, si post hanc dinumerationem minus, quam viginti millia, supersint, integrum diem occupent, videlicet, si unum & viginti*

millea

millia passuum sint, biduum ei attribuatur. Milliaria autem, quoniam lapideis columnis in viis signari cœperunt, *lapides* a scriptoribus appellata fuisse passim legitur. Hoc autem a C. Graccho inventum puto: nam ante factum, non memini me legisse. de quo Plutarchus in illius vita. *Ad hæc,* inquit, *viam omnem per milliaria dimensus (capit autem paullo minus octo stadia milliare) columnas lapideas, spatii signandi caussa, locavit.* Hæc ille. Quo loco animadvertendum est, quod & paullo ante dixi, Plutarchum in eo, quod dixit, octo stadia paullo minus esse milliare, discrimen Romani Græcique pedis non animadvertisse. Quod autem milliaria *lapides* appellarentur, clarius est, quam quod probatione indigeat: tribus tamen Plinii locis contentus ero lib. XV. cap. 18. de ficu Carthaginiensi a Catone in Senatu allata: *Non castra Punica ad tertium lapidem vallata.* Et lib. XXXI cap. 3. de aqua Virgine ab Agrippa ducta: *Virginem adduxit ab octavi lapidis diverticulo.* Et lib. XXXVI. cap. 15. de ductu aquæ Claudiæ: *Quippe a lapide quadragesimo ad eam excelsitatem, ut in omnes urbis montes levarentur, influxere Curtius atque Cæruleus fontes.* Quibus & illud Martialis accedat libro epig. X. de Torquato & Otacilio:

Ad lapidem Torquatus habet prætoria quartum:
Ad quartum breve rus emit Otacilius.

Quorum quidem lapidum, seu columnarum, nonnulla vestigia adhuc in via Appia, Roma Neapolim proficiscentibus occurrunt. sunt enim columnæ lapideæ: quarum & una est in porta civitatis Fundorum, in ingressu, si recte memini, a sinistra, in quibus milliariorum numerus, quo columnæ ipsæ ab urbe distant, signatus inspicitur.

Actus minimus habet in latitudine pedes quatuor, in longitudine pedes centum viginti. Columella lib. V. cap. 1. *Actus minimus, ut ait Varro, latitudinis pedes quatuor, longitudinis habet pedes centum viginti.*

Clima, eodem teste Columella ubi supra, quoquoversus est pedum sexaginta.

Actus quadratus undique finitur pedibus centum viginti, teste Columella loco proxime relato, & Varrone de re rust. lib. I. cap. 10.

Jugerum ab eo dictum est, quod duos in se *junctos actus* quadratos contineat ex Columellæ & Varronis sententia locis proxime relatis. Varronis hæc sunt: *Modos, quibus metirentur rura, alius alios constituit. nam in Hispania ulteriore metiuntur jugis, in Campania versibus, apud nos in agro Romano & Latino jugeris jugum vocant, quod juncti boves uno die exarare possint. Versum dicunt centum pedes quoquo versum quadratum: Jugerum, quod quadratos duos actus habeat.* de quo apud Plinium lib. XVIII. cap. 3. sic legitur: *Jugerum vocabatur, quod uno jugo boum in die exarari posset; Actus, in quo boves agerentur, cum aratur uno impetu justo. hic erat centum viginti pedum, duplicatusque in longitudinem jugerum faciebat.* Hæc ille. Sed id, quod *jugerum* in Plinio legitur, *jugum* restitui debet, alioqui lapsus fuisset Plinius, cum jugero Romano tribuisset, quod jugo Hispanico Varro tribuit. in quem errorem multi ex junioribus, corruptam lectionem secuti, ceciderunt. Ex hac traditione jugeri mensuræ apparet jugerum esse pedum quadratorum duo de triginta millium octingentorum, ex Columella lib. V. cap. 1. *Ergo, ut dixi, duo actus jugerum efficiunt, longitudine pedum ducentorum quadraginta, latitudine pedum centum viginti: quæ utraque summa inter se multiplicata quadratorum faciunt pedum viginti octo millia & octingentos.* Hæc ille. Labes hoc in loco animadvertere, Palladium de re rust. lib. II. cap. 12. de jugero non recte sensisse. ait enim, quadratam tabulam jugeralem constare quoquoversus pedibus centum octuaginta quæ summæ si inter se multiplicentur, summam pedum quadratorum duorum & triginta millium, & quadringentorum constituunt, cum ex Columella & omnium sententia viginti octo millium & octingentorum tantum sit. lapsus est, ut arbitror, quia cum videret jugerum in longitudine esse pedum 240. & in latitudine 120. quæ duæ summæ conjunctæ constituunt summam trecentorum sexaginta, putavit ille, non admodum optimus geometra, hunc numerum trecentorum sexaginta dividendo jugerum æquilaterum constituisse, non reminiscens Vitruvium lib. VIIII.] cap. 1. ex Platonis sententia tradidisse aream quadratam certæ quoquoversus mensuræ siquis duplicare velit, numeris assequi non posse. cui tamen si prope accedere voluisset, latera ex pedibus centum sexaginta novem & dodrante & eo minus constituere debuisset.

Centuria centum jugerum olim mensura fuit, quæ postmodum duplicata, & ducentorum facta, pristinum nomen retinuit. ita Varro de re rust. lib. I. cap. 10. cujus hæc sunt: *A centum centuria dicta. Centuria est quadrata in omnes quatuor partes pedum ∞ ∞ c. hæ porro quatuor centuriæ conjunctæ, ut sint in utramque partem bina, appellantur in agris divisis viritim publice, saltus.* Hæc ille, quem Columella lib. V. cap. 1. sequens, sic dixit: *Centuriam nunc dicimus, ut idem Varro ait, ducentorum jugerum modum, olim autem ab centum jugeribus vocabatur centuria, sed mox duplicata, nomen retinuit, sicuti tribus dictæ primum a partibus populi tripartito divisa, quæ tamen nunc multiplicatæ, pristinum nomen possident.* Hactenus ille. Sed animadvertendum puto, Varronis numerum, *duum millium centum*, librariorum incuria, quorum colpa multa similia per notas scripta desiderantur, corruptum esse. constat enim, quatuor centurias simplices, seu duas duplicatas, quinquagies centies millies & septingentos sexaginta millia quadratos pedes habere, idest, secundum hodiernum numerandi modum (ut ego quoque verbo millionis utar, quo juniores logistæ utuntur) pedum quinque milliones ac septingentos sexaginta millia continere. ex eo autem Varronis numero non nisi quatuor milliones ac quadringenti decem millia rediguntur. locus igitur restituendus est, ut numerum *duum millium & quadringentorum* contineat, & quadrabit.

Saltus postremus est, constans ex jugeribus quadringentis, ut ex prædictis colligitur. & hæc citra controversiam vera sunt.

Pedis autem (ut ad pedem redeam) quæ vera fuerit mensura, diu inter doctissimos nostræ ætatis viros disputatum fuisse scio. nam ut ineptias quorundam, qui nescio quas nugas de ordei seminibus, quæ etiam ab antiquis reprobata fuerunt, repræsentare nixi sunt, omittam: item illa, quæ Budæus, vir alioqui doctus & egregius, de suo Lutetiano pede tradidit, ab omnibus reprobato, cum nihil cum Romano commune habere dignoscatur: Leonardus Portius Vicetinus, vir sane doctus, primus omnium nostræ ætatis, qui de hac re scripserit, mensuram Colotiani pedis pro vera tradidit: cum nec tunc alius appareret. is autem Colotianus ex marmorea base sepulcri Cn. Cossuni sculptoris, ut arbitror, sumptus est: quæ quidem basis olim in hortis Angeli Colotii (unde Colotiani pedis nomen) ad Pincii montis radices, viri sane doctissimi, erat, nunc autem in ædibus nobilis Marii Delphini, a Gentile, ejus fratre, viro doctissimo & rerum antiquarum perito, comparata superioribus annis,

multis item aliis epitaphiis & inſcriptionibus congeſtꝰ, conſervatur: quem juniores quoque ſecuti ſunt. Cujus ſepulcri ſchema in calce operis ſubnectere viſum eſt, ut appareat ſculptoris conſilium fuiſſe, non exactam pedis menſuram demonſtrare, ſicut nec circinorum, nec libellæ, aut mallei, ſed tantum oſtendere, cujus profeſſionis hominis cineres inibi conſervarentur. ſicque Colotianus hic potius anſam perquirendi legitimum pedem præbuit, quam quod ipſe legitimus ſit. Cum hac Colotiani pedis menſura Gulielmus Philander, qui abhinc annis circiter triginta Romæ floruit, in annotationibus in Vitruvium lib. III. cap. 3. pedem alterum marmoreum congruere teſtatur, in alia marmorea baſe ſepulcri T. Statilii Vol. Apr. menſoris ædificiorum Romæ ſuo tempore ex Janiculo refoſſa, & in Vaticani Pontificios hortos tranſportata, cum quo ſane convenit modico diſcrimine hic Statilianus, habens ſatis clare digitos & uncias diſtinctos, quibus ille Colotianus caret omnino. Mihi autem multis abhinc annis pes unus æreus allatus fuit, terra rubigineque ut refoſſus illico fuerat, obtuſus & involutus, in ruderibus antiquarum ruinarum ex urbe antiquitus evectis, ac prope & extra portam Nomentanam projectis, inventus quo in loco maxima tunc Chryſolithorum copia & aliorum pretioſorum lapillorum cum plumbi fruſtulis & carbonibus, æreis clavibus, ſeris & armillis aliiſque ſimilibus eo tempore reperiebantur, adeo ut locus ille univerſus, qui vineatus erat, cribro a perquirentibus fuerit everſus, & excretus. Eſt autem pes iſte palmis, unciis, digitiſque diviſus complicabilis, qui cum explicatus eſt teſſerula ex eodem ære anſulata, clavo in una ipſius parte affixa, clavis duobus altera parte infixis, inſeritur. atque ita clauditur, ut, niſi ea teſſerula removeatur, complicari non poſſit. in cujus ſuperficie ab altera ipſius parte litteræ quædam punctis notatæ inſpiciuntur, quas tamen propter antiquitatem materieique tenuitatem legere aut interpretari nequivimus: nam quadratus eſt, ejus craſſitudinis, cujus gallinacea penna ex ala eſſe conſuevit, ſi illius rotunditati quadrata forma ſuppleretur. qui pes æreus dictis duobus marmoreis comparatus ſeptima unciæ parte, ſive unciæ ſcripulis tribus, & duabus ſcripuli ſextulis, & ſextulæ ſemiſſe brevior eſt. Cum autem diu hæſitaſſem, fruſtraque porphyreticam illam columnam perquiſiviſſem, de qua Marlianus in ſuo de antiquitatibus Urbis, & Philander, ſæpe, nec non & juniores meminerunt, quam ego, dum juvenis eſſem, in æde ſanctorum duodecim Apoſtolorum ad ædes Illuſtr. de Columna inſpexeram, & in illius calce ΠΟΔ΄. Θ. ſæpius legeram, alius mihi pes æreus, ſeu ex orichalco, allatus eſt, itidem ut primus, complicabilis: qui dum complicatus eſt clavo ab uno capite affixo, foramini ab altero capite exiſtenti infixo, ita clauditur, ut facile explicari non poſſit, & cum explicatus eſt ſimili teſterula, ut alius proxime relatus, ſuſtinetur, ut complicari non poſſit, palmis, unciis, digitis, & ſextula diſtinctus. quo factum eſt, ut incertior eſſem multo, quam prius. inveni enim eum nona ipſius Colotiani & Statiliani unciæ parte illis longiorem eſſe, & illo priore æreo unciæ illius parte tertia, ſive duella, cujus pariter longitudinis illum ex porphyreticæ columnæ menſura ſumptum, Philander, qui eam columnam ſe metitum fuiſſe teſtatur, loco ſupra relato exſtitiſſe conſtanter aſſerit. Quamobrem ulterius perquirendo inveni duos alios æreos pedes, ita ut prædicti, complicabiles, cum ſuis anſulatis teſſerulis & clavis, ejuſdemque fere craſſitudinis, cujus ille meus primo loco deſcriptus, pariter palmis, unciis, & digitis diſtinctos, penes illuſtrem Fulvium Urſinum, Canonicum Lateranenſem, virum bonarum litterarum eruditiſſimum, & rerum antiquarum peritiſſimum, & affluentiſſimum, cum illo priori meo etiam longitudine ad amuſſim convenientes, aliumque omnino prædictis ſimilem, penes præfatum nobilem Marium Delphinum, qui tamen tribus prædictis longior eſt, quantum eſt unciæ ſcriptulum, & ſcripuli triens; eoſque exinde, meum ſcilicet & Illuſtr. Fulvii triplici teſtimonio, atque omnium litteratorum, qui Romæ ſunt, aſſenſu comprobatos, pro vera & legitima antiqui pedes menſura, proque veris & antiquis pedibus menſuralibus habui, & palam facere non dubitavi. Sed non eo minus inveſtigare libuit, ſi ratione aut conjectura aſſequi poſſem, unde horum æreorum pedum meorum diſcrimen oriretur. habebam enim pro comperto, illum meum majorem, Græcum pedem non eſſe, cum Græcus pes, ut ſupra tradidi, ſemuncia Romano pede major ſit, meus autem ille vix tertia unciæ parte ſive duella iſtos alios ſuperaret. quamobrem cum haberem penes me antiquam ſelibram lapideam admodum incorruptam cum hac in ſuperiori planitie nota S. & dodrantem unum æreum, ac quadrantem pariter æreum unum, maſſamque lapideam alteram pariter integram & incorruptam pondo librarum decem, alteramque lib. IV. invicem concordantes, & reſpondentes, etiam cum alia ærea libra penes præfatum Illuſtrem Fulvium exſiſtente, in cujus ſuprema planitie argenteis litteris hæc erat nota I. & in circunferentia hæ aliæ EX. AVG. D. CAS. necnon & cum alio ejuſdem ſemiſſe æreo, id eſt, unciæ ſex, invicem pariter convenientes & concordantes, ſextarium formari curavi, qualem me in manibus Angeli Colotii., dum juvenis eſſem, vidiſſe memineram. erat enim forma rotunda, plana baſe, altior quam latior, ab imo ad ſummum æqualis, cum inſcriptione Honorii Imperatoris: huncque ita a me formatum ſextarium, ita modulatus ſum, ut viginti unciarum ex prædictis ponderibus formatis, puræ aquæ ex ciſterna, quæ pluvia eſt, capax eſſet. Deio ex eo communi pede, quem legitimum me credere dixi, quadrantal cupreſſinis tabulis, quæ omnium minime humore aut ſiccitate moventur, formari feci, ſicque ſextarium prædictum cum hoc quadrantali, purgato cribratoque milio, quo Romæ menſuræ examinari conſoeverunt, examinavi, diligentique cognitione adhibita inveni, quadrantal prædictum octo & quadraginta ſextariis expleri; & plenum evacuari, regula redula ſemper adhibita, ita ut nihil nec de ſextario nec de quadrantali ſupereſſet, aut deficeret. cumque apud me eſſet alius ſextans æreus ponderis majoris aliis prædictis, in quo in ſuperiori planitie ita notatum inſpicitur z. B. id eſt, unciæ duæ, inter cujus ſextantis unciam, & illam relatorum aliorum ponderum grana unum & viginti, ex noſtri temporis uncia ſumpta, intercedunt, quibus hæc illis major eſt. (de his autem granis intelligo, quorum quatuor & viginti ſcrupulum conſtituunt.) rurſus alium ſextarium priori ſimilem fieri feci, qui viginti unciarum ejuſdem aquæ ex ciſterna capax eſſet: pariterque aliud quadrantal ex illo majori æreo pede formatum habui, diligentique examine ut prius feceram adhibito, non minus ſextarium hunc ex majoribus unciis, cum hoc quadrantali ex majori pede formato, convenire reperi, quam ſextarius ex unciis prioribus cum priore formato quadrantali conveniſſet. unde conjecturam feci, hunc majorem pedem & unciam poſterioris & fere ultimi temporis fuiſſe, quia hodie quoque Romæ uncia major prædictis reperitur: ut credere liceat, paullatim pondera ad hanc, quæ nunc eſt, ponderis

ris magnitudinem excrevisse, sicut ex contrario monetarum bonitas & pondus decrevit, & in dies magis decrescit. Sed hæc ex conjectura dicta sint. Ceterum, ut prædixi, asserere tot testimoniis & experimentis non dubito, Romanum antiquum & legitimum pedem illum esse, qui ea tribus æreis prædictis colligitur, marmoreis rejectis: quia, ut etiam prædixi, non eum finem sculptoris fuisse credendum est, ut exactam pedis mensuram demonstraret, sed ut ostenderet instrumenta professionis hominis illius, cujus ossa aut cineres eo in sepulcro clauderentur: cum contra finem eorum artificum, qui pedes æreos tanta subtilitate formaverunt, credendum sit eum fuisse, ut illorum mensuræ essent legitimæ, & ad metiendum juste spatia deservirent: quorum & omnium mensuras & schemata in operis calce subnectere visum est. Verum, lector candide, ut ea, quæ in sequentibus dicturus sum, planius intelligas, scire te equidem volo, antiqua pondera (quæ Romanis & Græcis communia fuisse ex iis quæ lib. quincto dicentur, facile intelliges) non eadem fuisse cum iis, quibus hodie Romæ utimur. nam libra, quæ Romæ, ut olim, sic hodie una eademque est omnibus argentariis, monetariis, medicis, veterinariis, pharmacopolis, lanis, piscariis, & demum negotiatoribus omnibus, & tam civibus, quam agricolis communis, major est antiqua libra, scripulis quatuordecim: quæ scripula velim intelligas de iis, quæ a libra instantis temporis proficiscuntur, & de quibus quatuor & viginti unciam constituunt, & quæ rursum scripula singula (ex receptiori medicorum sententia, ut lib. quincto dicam) in partes quatuor & viginti, *grana* appellata, dividantur. quo fit, ut unciæ Romanæ temporis instantis undecim, drachmæ tres & scripulum unum, antiquam libram, de qua supra memini, peræquent: uncia vero nostri temporis, major sit uncia antiqua, scripulo uno & granis quatuor, quæ ratio ad calculum ineundum, antiquas liquorum aridorumque mensuras, cum nostri temporis mensuris pondere examinabimus, necessario tenenda est. Non minus & aliud te scire volo, quod palmus, quo hodie Romæ Architecti utuntur, de quo cum reliquis ab eo proficiscentibus mensuris sequenti libro dicam, si cum legitimi antiqui pedis dodrante, id est, unciis novem, (quem dodrantem Plinius, ut supra retuli, *spithamam*, vocabulo a Græcis mutuato, appellat) conferatur, & examinetur, palmus ipse dodrante, seu spithama, quantum sunt duæ nonæ partes unciæ pedis prædicti, id est, unciæ sextula, scripulo uno, & triente scripuli, longior esse reperitur. quod si palmus idem cum altero supra relato pede commetiatur, qui major est, & qui cum prophyretico illo concordat (si vera Philander dixit) & quem posteriorum & postremorum temporum fuisse existimavi, & cum illius dodrante seu spithama conferatur, duorum ferme scripulorum differentia intercedente, quibus palmus hic dodrante isto minor est, convenire constabit, ut subjectum in calce operis schema demonstrat: ex qua etiam demonstratione fulcitur conjectura, quam paullo ante feci, dum me credere dixi, majorem hunc pedem sequentium postremorum temporum inclinationis Romani imperii fuisse. nam putavi, & puto, labentibus annis, & felicitate Romani pop. decrescente, mensuras & pondera aucta fuisse, & ab hoc majore pede & illius spithama ad spannam, de qua sequenti libro, itum esse. quæ tamen ita dicta sint, ut opiner potius, quam affirmem.

De Græcis intervallorum mensuris epitome.

MEnsurarum, quibus Græci intervalla metiri consueverunt, ex iis, quæ a recentioribus tradita sunt, & juxta eorum translationem, epitomen tradere visum est, ut in hoc quoque hujus rei studiosis consultum sit: quas cum ego ex propriis illarum auctoribus non sumpserim, ita tamen ut ab aliis tradita sunt, non quidem ut illorum laborem in meam laudem transferre cupiam, sed ut operi nihil desit, ad publicam studiosorum utilitatem referre visum est. sunt autem hæc: Dactylus, Dochme, sive Dactylodochme, sive Palæste, sive Doron, (nam hæc omnia synonyma sunt) Lychas, Orthodoron, Spithame, Pes, Pygme, Pygon, Cubitus, Orgya, Plethron, Stadium, Diaulus, Hippicon, Milliare, Dolichos. Quarum mensurarum quantitates & discrimina sunt hæc:

Dactylus, lati digiti est mensura e Græcis omnium minima.

Dochme,

Dactylodochome,

Palæste,

Doron, quæ idem sunt, constant ex digitis quatuor, & sunt idem, quod Latinis Palmus.

Lychas, est intervallum digitorum, id est, quantum quis ab extremitate indicis ad pollicis extremitatem, expansis quanto magis fieri potest iis digitis, complectitur.

Orthodorum, est intervallum digitorum undecim, & est quantum quis inter primam palmæ partem, ubi brachio jungitur palma, & supremam medii digiti complectitur: quasi *rectum palmum* dixeris.

Spithame, constat ex digitis duodecim, palmis vero tribus, & est quantum quis expansa manu, ab extremitate digiti minimi ad summitatem pollicis, complecti potest.

Pes, est palmorum quatuor, digitorum sexdecim. & hic reminisci oportet, hunc, semuncia, Romano pede majorem esse, ut supra late deduxi, dum de stadio & milliario tractavi.

Pygme, est mensura digitorum circiter duodeviginti, pro parvo cubito capi solita: & est, quantum a brachii curvatura ad extremam manum complicatis contractisque digitis quis complectitur.

Pygon, est mensura digitorum viginti, ipsa quoque pro parvo cubito sumpta: & est, quantum quis a brachii curvatura, ad extremam manum complicatis, non tamen contractis digitis, complecti potest.

Cubitus, est mensura constans ex palmis sex, digitis XXIV. & est, quantum a brachii curvatura ad extremitatem digiti medii quis complectitur.

Orgyia, sive passus, mensura est constans ex cubitis quatuor, pedibus vero sex.

Plethron constat ex pedibus in longitudine centum.

Stadium, qui & Stadios, constat ex pedibus in longitudine sexcentis, sive orgyis centum.

Diaulus, spatium est constans ex stadiis duobus.

Hippicon, spatium est constans in longitudine ex stadiis quatuor.

Milliare constat ex stadiis octo in longitudine: & hæc Græca mensura non est, sed a Romanis mutuata, ex quinque millibus Romanis pedibus constans: ut supra de stadio & milliario dixi.

Dolichos, mensura est, constans ex stadiis duodecim. & hæc de Græcis: ad quarum mensurarum comprobationem duas ex multis, quæ a junioribus adducuntur, auctoritatibus referre visum est.

Altera

Altera est Herodoti in libro, quem inscripsit, Euterpe, cujus hæc sunt: *Centum autem justi passus sunt stadium unum, quod sex sit plethrorum: ut passum sex pedibus metiamur, & quatuor cubitis, pedes autem sint quatuor palmorum, cubitus autem sex palmorum.* Altera est Heronis, qui sic scriptum reliquit: *Stadium in longitudine habet pedes sexcentos, Diaulus mille ducentos, Milliare stadia octo, Dolichus stadia duodecim.* Reliqua ex Julio Polluce, Hesychio, & aliis comprobantur. Has autem mensuras siquis in usum deducere velit, facile assequi poterit, si ex Romano pede, supra a nobis tradito, Græcorum formabit, qui Romano longior sit semuncia, eumque sic formatum, in digitos sexdecim diviserit, (nam Græcis uncias mensurales, de quibus loquimur, fuisse, non memini me legisse) & cum eo sic diviso spatia supra relata metiatur. Atque hic harum Græcarum mensurarum finis.

LVCAE PAETI
IVRISCONSVLTI
DE
Intervallorum Mensuris, quibus hodie Romæ utimur,
LIBER SECVNDVS.

ANtiquis longitudinum latitudinumque mensuris jam cognitis, operæ pretium me facturum existimavi, si eas nunc, & suo loco liquidorum aridorumque mensuras & pondera, cum iis, quibus Romæ utimur, conferrem: ut inde architecti, & agricolæ, medici quoque, & qui humanioribus litteris delectantur, notitiam & discrimen facile assequi valeant. igitur eas hic longitudinum latitudinumque mensuras, quibus hodie Romæ utimus, enarrabo. De iis autem loquor, quibus architecti, & agrimensores utuntur. nam Romæ magna differentia est inter istas, & illas, quibus mercatores pannorum, & serici, ac illas, quibus merciarii (ita appellati) & illas, quibus textores telarum (quæ omnes & inter se differunt) utuntur. sunt autem architectorum & agrimensorum, de quibus loquimus, hæ: Palmus, Canna, sive Passus senatus, Staiolus, Petia, Rublum: de quibus singulatim tractandum. Palmus igitur inter has, de quibus loquimur, architectorum & agrimensorum mensuras, sicut & in antiquis pes, primum locum inter majores minoresque mensuras obtinet. Qui Palmus non idem est, qui antiquis, sed triplo major, idest, tres ex illis capiens, & eo amplius, constans ex unciis antiqui pedis novem, & unciæ sextula, scripulo uno, & triente scripuli, ut priore libro demonstravi. eadem tamen ratione, & a palmo appellatum fuisse putaverim. nam fere est, quantum homo recte formatus, aperta manu ab extremitate digiti minimi ad extremitatem pollicis, complecti potest. & hic palmus a Dante Aligerin, & in Tuscia Flaminiaque *Spanna* appellatur, quem ita quoque in Hispania & Germania appellari testantur Didacus Covarruvias Variarum Resolutionum lib. II. cap. 20. & nonnulli ex junioribus; quem a Græca *spithama*, quæ pedis dodrans est, corrupto vocabulo dictum puto; de qua spithama Plinius supra etiam relatus lib. VII. cap. 2. ita inquit: *Infra hos extrema in parte montium spithamei Pygmæi narrantur ternas spithamas longitudine, hoc est ternos dodrantes non excedentes.* de qua & Julius Pollux, a junioribus relatus, sic dixit: *Si vero digitis extensis a pollice usque ad minimum metiaris, ea mensura spithame vocatur.* Cujus *spanna* nomen & usus a Græcis, (Imperio jam in Constantinopolim translato) cum ipsi exarchatu Ravennate potirentur; in Etruriam, Flaminiam, Hispaniam & Germaniam forsan irrepsit. & corrupte pro *spithame spanna* dictum est. & facile usu ea mensura recepta fuit, cum unicuique quasi in manu hæc mensura esset. quæ forsan facilitas pedis usum in Latio & Etruria abolevit. Etsi non negem *spannam* ab *expansa* quoque manu, corrupto pariter vocabulo, dici potuisse. Hic autem noster palmus hodie ab Architectis non solum in tres tertias & quatuor quartas partes dividitur, sed etiam in digitos duodecim, quos etiam aliqui uncias palmi appellant, rursumque digitos singulos in partes quinque quas minuta appellant, & minuta in duo semiminuta ac tertia quarta & quincta minuti parte, dividunt, ut facilius minimam etiam intervalli partem quamlibet exprimere possint. Canna, quæ in nostris muncipalibus juribus *Passus senatus* appellatur, constat ex palmis decem, instar decempedæ, qua aliqui ex antiquis usi sunt, ut meminit Cicero pro Milone, & Philip. 14. Frontinus de limitibus, Suetonius in Aug. cap. 24. & Palladius lib. II. cap. 12. ex decem palmis ideo, ut arbitror, constituta, quia is numerus receptiori sententia perfectus dicitur, ut & supra priore libro deduxi. Nomen autem *cannam* a palis arundineis, quibus Romæ vineæ pedantur, (qui *Canne* vulgo appellantur) sumpsisse credo. hi enim arundinei pali, ejus longitudinis esse consueverunt, ut, cum terra semipalmari spatio sint defixi, summitas ejus extremitate digiti medii, extenso quo ad fieri possit brachio, contingatur: quæ mensura cum palmis decem

decem concurrit: vel etiam forſan ex eo, quia, relictis perticis, hanc menſuram in arundinibus, quas promptiores habebant, deſignabant. Quidquid ſit, hæc menſura, ut dixi, in noſtris municipalibus juribus *paſſus ſenatus*, eo quia ſenatusconſulto & certa lege ea menſura ſtatuta ſit, appellatur. qua etiam voce in menſurandis lignis, quæ ad comburendum emuntur, hodie quoque utimur: ligna enim paſſu menſurantur & venduntur, hoc modo. ſtrues lignorum, quæ palmorum trium & ſemis longitudinis ſint, conſtruuntur, ita compoſitæ, ut neque ictu calcentur, neque tranſverſarus aut fraude rareſcant; quæ autem ſtrues erit longitudinis palmorum decem, totidemque altitudinis, ſive longitudinis palmorum viginti, altitudinis palmorum quinque, *paſſus* appellatur. Hæc autem menſura decem palmis diviſa, & diſtincta olim in ſtipitibus portarum veterum palatiorum Senatoris, & Conſervatorum, quæ in Capitolio ſunt, inſculpta erat. Hodie vero, illis in meliorem auguſtioremque formam factis, in marmorea tabula, quam Conſervatorum palatio poni curavi, cum ceteris intervallorum menſuris, quibus Romæ utimur, conſervatur. Stajolus eſt menſura, qua agri menſurantur, conſtans ex palmis quinque & dodrante ipſius palmi, hoc eſt, tribus quartis partibus palmi. Hujus originem & nomen ab opilionum palis provenisſe conjicio; nam ipſi palos, quibus retia ad continendas oves ſuſpendunt, *ſtaiolos*, eo quod ſtantes retia ſuſtineant, hodie quoque appellant: ſuntque ejus longitudinis, ut, cum terra ſemipalmari ſpatio defixi fuerint, extrema ſuperiore parte, hominis imum pectus pertingant; quæ cum ea, quam dixi, menſura palmorum quinque & dodrantis concurrit. cum quibus forſan palis, opiliones ipſi, his ſuperioribus calamitatum temporibus, agros, quorumherbas viliſſimo pretio emebant, forſan metiri ſolebant, & ex inde in uſum certamque menſuram tranſlati, nomen conſervant. Sed hæc ex conjectura dicta ſint, melius autem ſentienti facile acquieſcam. Retia tamen venatoria, altitudinis palmorum quinque noſtri temporis, aut paullo amplius, etiam apud antiquos fuiſſe colligi licet e Xenophonte de Venatione, qui præcipit venationum retia quinque ſpithamis altas eſſe: quæ cum de Græcis intellexerit, efficit palmos noſtri temporis quinque & digitos duos, & ſemiſſem digiti, habita ratione diſcriminis Romani & Græci pedis, de qua priore libro abunde dixi. quæ quidem retium altitudo hodie venatoribus, & opilionibus communis eſt. opiliones etiam antiquitus retibus oves in montanis, & longinquis paſcuis continuiſſe, conſtat ex Varrone de re ruſt. lib. II. cap. 2. Hic autem Staiolus nihil cum antiquis menſuris commune habet, nec ſimile. Petia eſt terræ quantitas certa. in Petias enim, vineta, arundineta, & pomaria diſtribuere ſolemus, ut in jugera conſueverunt antiqui, licet Petia non ad omnes agros ut jugerum pertineat, ſed tantum ad prædicta. Hæc autem Petia conſtat ex ſtaiolis quoquo verſus quadraginta, qui inter ſe multiplicati, conſtituunt ſtaiolos quadratos mille ſexcentos, ſeu, ſi eam Petiam ad cannarum menſuram reducere mavis, conſtat ex cannis in longitudine tribus & viginti, totidemque in latitudine, quæ ſummæ inter ſe multiplicatæ conſtituunt quadratas cannas quingentas viginti novem, & hæc Petia cum antiquo jugero non multo diſcrimine concurrit. jugerum enim, ut dixi, eſt in longitudine pedum ducentorum quadraginta, in latitudine centum viginti. pedes autem centum viginti (ea ratione retenta, ut palmus hic, de quo loquimur, legitimi pedis ſit dodrans, & unciæ ſextula, ſcripulum, & ſcripuli triens) conſtituunt palmos hoſce centum quinquaginta ſex in latitudine, & in longitudine duplum, id eſt, palmos trecentos duodecim; quæ ſummæ, inter ſe multiplicatæ, conſtituunt palmos quadraginta octo millia ſexcentos ſeptuaginta duos: qui ſi dividantur per numerum centum, (ex quo palmorum numero conſtat canna una quadrata) cannas habebis quadratas quadringentas octuaginta ſex, & palmos ſeptuaginta duos. cum autem Petia, ut ſupra dixi, conſtet ex cannis quingentis viginti novem, perſpicue intelligitur, Petiam majorem eſſe jugero cannis quadratis quadraginta duabus, & pal. 28. & tantum a jugero differre. qua ex ſupputatione eorum detegitur error, qui jugerum pro rublo capiunt: de quo ſtatim dicam.

Rublum, ſive Rubium, agri certa eſt menſura, conſtans (quantum ad agrorum menſuram attinet) ex petiis ſeptem: nam aridorum quoque menſura Rublum eſt, de qua quarto libro dicendum. Hujus autem Rubli nomen unde provenit, non ſolum fateor me ignorare, ſed nec aſſequi conjectura poſſe, concurrente etiam maxime ipſius nominis varietate. In marmore enim quodam, quod in palatio Conſervatorum eſt, ubi quædam ſubjectio Tuſcanellolorum memoriæ traditur, quæ anno a Chriſti ſervatoris noſtri natali milleſimo trecenteſimo extitit, *Rublum* per litteram *l.* poſt *b.* hoc carmine ſcriptum legitur:

Frumenti Rubla bis millia ferre coegit.

& iiſdem litteris ſcriptum legitur inter noſtra municipalia jura, quæ ante annum natalis Domini 1352. vigebant, in quibus *Rublitella frumenti & calcis*, quæ eſt Rubli dimidia pars, crebro legitur, & ita in antiquis venditionum prædiorum inſtrumentis, ſupra annos centum quinquaginta ſtipulatis, ſcriptum ſæpe legi. In Platina vero in vita Gregorii duodecimi, qui creatus eſt Pontifex anno 1406. *Rubium*, *l.* littera in *i.* mutata etiam in veteri exemplari ſcriptum legitur, bis verbis: *His autem perturbationibus adeo Romæ annona caritas invaluit, ut menſura tritici, quam Rubium vocant, decem & octo florenis venderetur.* In marmoribus vero Capitolinis ſub portico palatii Conſervatorum, ubi earum Rublitellarum menſuræ publicæ conſervantur, *Rugitella*, *b.* littera in *g.* mutata ſcriptum eſt. Quidquid autem ſit, Rublum iſtud (nam hoc verum nomen puto, quia pluribus teſtimoniis comprobatur) in agri quantitate conſideratum conſtat ex ſtajolis decem in latitudine, in longitudine ſtajolis mille centum viginti: quæ ſummæ inter ſe multiplicatæ ſummam quadratorum ſtajolorum undecim millium ducentorum conſtituunt: ſive, ſi eam menſuram ad cannas redigere volueris, conſtabit Rublum ex cannis quadratis tribus millibus ſeptingentis tribus, & ſic ex petiis, de quibus proxime dixi, ſeptem, ſive numeres ſepties ſtajolos mille ſexcentos, ſive ſepties cannas quingentas viginti novem multiplicaveris. qua ex ſupputatione junctis his, quæ paullo ante de jugero dixi, liquido apparet, quam turpiter quidam ex noſtris decepti ſint, qui cupientes *Rublum* in Latinam vocem transferre, pro *Rublo Jugerum* ſcriptis tradiderunt: cum jugerum ne ſeptimam quidem Rubli partem contingat. capit enim Rublum jugera ſeptem, & jugeri ſeptuncem, ſcripula duo, & ſemiſſem ſcripuli. Petiæ autem & Rubla metiri conſueverunt ab agrimenſoribus catenula longitudinis ſtajolorum decem, habente ſtajolos ſuis anulis pendentibus diſtinctos. hæc enim neque rore contrahitur, neque ſole relaxatur, ut in funiculis evenit, quem Rublum in ſubſicivis in quartis quatuor, & quartam,

in ſcortia pariter quatuor, & ſic in ſcortia ſexdecim dividunt: quamvis Rublum in menſura aridorum ex ſcortiis pluribus conſtet, ut quarto libro tradetur. Libet quoque hoc in loco animadvertere, quod menſura tritici Rubli unius cribrati & purgati, de qua dicto libro quarto, in prima ſementi, menſuram terræ mediocris bonitatis, unius Rubli catenæ (nam ſic a catena, qua terram metiuntur, terræ Rublum appellant) ſerendo implere ſolet. Dixi autem, in prima ſementi, quia in ſecunda & tertia, eo quia propter tempeſtates, & pluvias ac frigora non nihil ſeminis emoritur, plus ſeminis & in pingui terra minus, teſte etiam Columella lib. II. cap. 9. requiritur. a cujus ſententia nemo ex iis, qui de agricultura ſcripſerunt, diſcedit: & re ipſa verum eſſe compertum eſt.

Milliarium, quod ex quinque millibus pedum priore libro conſtare dixi, ea ſupputatione, qua palmum pedis dodrantem, & unciæ pedalis ſextulam, ſcripulum, & ſcripuli trientem eſſe demonſtravimus, erit hodie cannarum ſexcentarum quadraginta novem, palmorum novem, digitorum trium.

Stadium vero, quod eſt ut dixi milliarii pars octava, eadem ſupputatione retenta, erit cannarum unius & octuaginta, palmi unius, & digiti. Et hic harum menſurarum finis.

Menſurarum noſtri temporis notæ.

P.	Palmus
Ca.	Canna.
St.	Stajolus
Pet.	Petia
R.	Rublum
Sc.	Scortium

LVCAE PAETI JVRISCONSVLTI DE

Menſuris liquidorum & aridorum, tum Romanis, tum Græcis, deque earum pondere,

LIBER TERTIVS.

NUnc de liquidorum aridorumque menſuris dicendum eſt, & primo liquidorum, eis ſcilicet, quæ apud Romanos fuere, in quibus Amphoram inter quaſcumque minores majoreſque menſuras primum locum obtinere certiſſimum eſt. tametſi nonnulli ex junioribus primas ſextario in re medica, quia eo frequentius medici uterentur, attribuiſſe videantur, ab Amphora enim minores omnes derivant, & ex ea culleus fit, qui ea menſura major eſt. Quam inquam Amphoram antiqui, ut Fannius refert, ex quadrato pede formaverunt, & exinde *Quadrantal* eam ab initio appellaverunt, eundemque Jovi in Capitolio, ne violare liceret, conſecraverunt. Mos enim fuit antiquorum, ut & hodie quoque Romæ eſt, menſuras in loco publico, ex marmore vel ære confectas, conſervari, & cuſtodiri, ut inde, quoties res exigeret, & de legitima menſura dubitaretur, veritas peti poſſit. de qua re Fannius ita:

Pes longo ſpatio latoque notetur in angulo,
Angulus ut par ſit, quem claudit linea triplex.
Quatuor ex quadris medium cingatur inane:
Amphora fit cubus: quam ne violare liceret,
Sacravere Jovi Tarpeje in monte Quirites.

Cujus etiam moris teſtis eſt Congius, Veſpaſiani & Titi temporibus in Capitolio poſitus, de quo infra. Sed & Imperator Valentinianus Aug. lege univerſali cavit, ut per ſingulas Romani Imperii civitates pondera, & menſuræ publicæ eſſent expoſitæ. cujus Conſtitutionis verba titulo de ſuſceptoribus & arcariis in decimo Codicis libro ſunt hæc: *Modios æneos vel lapideos cum ſextariis atque ponderibus per manſiones, ſingulaſque civitates juſſimus collocari, ut unuſquiſque tributarius, ſub oculis conſtitutis rerum omnium modiis, ſciat, quid debeat ſuſceptoribus dare: ita ut, ſi quis ſuſceptorum conditorum modiorum ſextariorumque vel ponderum normam putaverit excedendam, pœnam ſe ſciat competentem eſſe ſubiturum.* Juſtinianus quoque Imperator ea poſtrema Conſtitutione, quam de Collatoribus tradidit, quæ in Authenticorum libro eſt, collatione nona, menſuras & pondera in ſacratiſſima cujuſque civitatis Eccleſia cuſtodiri mandavit. De hoc igitur quadrantali (ut ad illud redeamus) meminit Plautus in Curcul. actu 1. ſce. 2. *Phe. Sitit hæc anus. Pa. Quantillum ſitit? Phe. Modica eſt: capit quadrantal.* Item Cato de re ruſt. cap. 119. *Ubi hauſeris de mari, in dolium indito, nolito implere, quadrantalibus quinque minus ſit quam plenum.* & cap. 12. *Ahenum, quod capiat quadrantalia triginta.* Plinius lib. XIV. cap. 14. *Licinius Craſſus & L. Julius Cæſar cenſores, anno ab Urbe condita ſexcenteſimo ſeptuageſimo quinto edixerunt, ne quis vinum Græcum Amin*neumque

neumque ollonis aris singula quadrantalia venderet. Varro de re rust. lib. I. cap. 57. *In mille modium quadrantal amurca.* A forma autem, qua deinde, gratia commodioris usus, hujus mensuræ usa formata fuerunt, cum utrimque ansata essent, *Amphora* appellari cœpit: quæ quidem ansata forma clare ex Catone colligitur cap. 119. cujus hæc sunt: *Post dies quadraginta diffundito in amphoras, & addito in singulas amphoras, sape sextarium unum. amphoras nolito implere nimium, ansarum infimarum fine.* qua quidem *Amphora* voce plerumque scriptores ad vasa non certæ & determinatæ mensuræ, ut quadrantal est, sed ad ipsum vasis corpus demonstrandum usi sunt, ut Cato cap. 13. qui de *amphora nasiterna*, idest, ad aquam continendam inter vineæ instrumenta meminit, quam Varro de re rust. lib. I. cap. 22. ex ære fuisse interpretatur, de qua Sex. Pompejus ita scripsit: *Nasiterna genus vasis aquarii ansati & patentis, quale est, quo equi perfundi solent.* Quin etiam & in loco proxime relato, Cato de sparteis amphoris meminit. Quo pariter sensu, idest, pro vase, non tamen determinatæ mensuræ, eam accepit Columella lib. XII. cap. 28. his verbis: *Hoc facto post septimum diem rursus vinum purgatur, & in amphoras bene picatas, & bene olidas diffunditur.* & rursus eodem lib. cap. 40. de ora loquens: *Quod deinde fluxerit, aut doliis aut amphoris condito, & cum deferbuerit, obturato, commodius autem servatur in amphoris,* &c. 47. de olivis condendis: *Amphoras usque ad fauces replent olivis.* Quin & olearias fuisse amphoras, ex Catone colligitur cap. 12. & 15. ibi, *Amphoras olearias duas*, quas tamen olearias separatas & alias a vini amphoris fuisse infra demonstrabo. A forma quoque amphoræ *Amphorale* appellavit Plinius vas crystallinum lib. XXXVII. cap. 2. his verbis: *Idem Xenocrates auctor est, vas amphorale visum, & aliqui ex India, crystallum sextariorum quatuor.* Indeque Proculus Jurisconsultus l. fin. in fine, de tritico legato, *vinum amphorarium* appellavit, quod in amphoris conditum esset, his verbis: *Quod si ita esset legatum vinum Amphorarium, Aminaeum, Graecum, & dulcia omnia, nihil inter dulcia, nisi quod potionis fuisset legatum, putat Labeo, ex collatione vini amphorarii.* Apud quos Jurisconsultos promiscue pro vase & mensura, vocem hanc usurpatam fuisse legitur. Pompo. lib. II. eodem tit. de tritico legato: *Si centum amphora tibi, quas velles, legata sint, ex testamento agendo consequi poteris, ut degustare tibi liceat.* Ulpian. lib. III. eodem titulo: *Si cui vinum sit legatum centum amphorarum, cum nullum vinum reliquisset, vinum heredem empturum & praestaturum.* Et paollo inferius: *Sed quia credibile est, mentem testatoris eam esse, ut voluerit accessionem vini esse amphoras: & sic, inquit, loquimur habere nos amphoras mille, ad mensuram vini referentes.* Proculus l. *cum vinum.* illo eo. titulo: *Cum vinum heres dare damnatus est, quod in amphoris seu cadis diffusum est, dari debet, etiamsi vasorum mentio facta non est.* Et l. *vinum.* eodem titulo: *Illud verum esse puto, cui vinum legatum cum vasis erit, ei amphoras & cados, in quibus vina diffusa servamus, legatos esse. Vinum enim in amphoras & cados hac mente diffundimus, ut in his sit, donec usus caussa promatur, & s. cum his amphoris & cadis id vendimus.* de quo quidem diffundendi promendique usu alibi dixi. Idem Ulpianus l. *ex eo.* eod. tit. *Ex eo vino, quod ex illo fundo nascetur, heres meus amphoras decem quotannis dato.* Idem quoque Ulpianus l. *Vinaria vasa.* de verborum & rerum significatione aperte demonstrat amphoras vinaria vasa certo tempore esse, certo alio non esse, his verbis: *Eandem caussam amphorarum esse, ut, cum vinum habeant, tunc vasis vinariis, cum inanes sint, tunc extra numerum vinariorum sint: quia aliud in his condi possit.* Plinius quoque pro vase amphoram accepisse videtur lib. XXXVI. cap. 6. de sudinibus loquens his verbis: *Cornelius Nepos tradit fuisse magno miraculo, cum P. Lentulus Spinther amphoras ex eo Chiorum magnitudine cadorum ostendisset.* Hæc autem amphoraria vasa fictilia fuisse, tum ex eo, quia picabantur, tum etiam ex his, quæ Plinius dicit lib. XXXV. cap. 12. colligi licet, qui de fictilibus tractans sic dicit: *Hodieque in templo ostenduntur amphoræ duo, propter tenuitatem consecrata discipuli magistrique certamine, uter tenuiorem humum duceret.* quod ex his, quæ quotidie Romæ e terra eruuntur, apertissime constat. sic etiam, quod longi colli essent, ex Catone colligitur, cap. 95. *Salem candidum sic facito: amphoram defracto collo puram impleto aqua pura, & in sole ponito.* Ima autem parte amphoras fuisse acutas, non solum in multis antiquis sculpturis inspicitur, sed etiam oculata fide ex his, quæ infra terram reconditæ & obrutæ reperiuntur, passim Romæ conspicitur. sed & amphoris non solum ad vina, olivas, &c. de quibus supra, condienda antiquos usos fuisse constat, sed etiam ad uvas passas servandas, tradit Columella lib. XII. cap. 26. sic dicens: *Cum deinde modice aruerunt, in vasa nova sine pice, operculata & gypsata, sicco loco reponito. Quidam uvam passam foliis ficulneis involvunt, & assiceant, alii foliis vitigineis, nonnulli plantaninis, semivietas uvas contegunt, & ita in amphoras recondunt.*

Quadrantal istud, sive hæc amphora, ut ad institutum redeamus (pro mensura sumpta capit sextarios octo & quadraginta, ut Festus testatur, cujus hæc: *Quadrantal vocabant antiqui, quem ex Graeco amphoram dicunt: quod vas pedis quadrati, octo & quadraginta capit sextarios.* Hæc ille, quod & multis aliis argumentis, de quibus infra, probatur. Ipsa autem amphora infrascriptas minores mensuras in se continet, & in has quoque dividitur: primo in urnas duas, secundo in modios tres, tertio in semodios sex, quarto in congios octo, quincto in sextarios octo & quadraginta, sexto in heminas sex & nonaginta, septimo in quartarios centum nonaginta duos, octavo in acetabula trecenta octoginta quatuor, nono in cyathos quingentos septuaginta sex, decimo & postremo in cochlearia sive ligulas bis mille trecentas quatuor. & hic finis Romanis liquidorum aridorumque mensuris, quæ a pede sumuntur, & infra pedem sunt. supra autem quadratum pedem, sive amphoram, Culleus est, qui constat ex amphoris viginti, nec eo major mensura reperitur. de quibus omnibus singulatim distincte tractandum censeo, & pondus aquæ & vim cujusque mensuræ tradendam, ut non solum qualia antea fuerint, cognoscere possimus, sed etiam, eas cum nostri temporis mensuris & ponderibus conferendo, discrimen percipere valeamus. Interim tamen, lector candide, te hæc scire volo, culleum, amphoram, urnam, & congium, liquidorum tantum mensuras fuisse; modium & semodium aridorum tantum; sextarium, heminam, quartarium, acetabulum, cyathum, ligulam sive cochlear promiscuo tam liquidorum quam aridorum in usu fuisse: quod & ex infra dicendis latius apparebit.

Urnam, quæ est amphoræ dimidium, ab eo dictam putat Varro de lin. lat. lib. IV. quod in aqua haurienda *urinet* summergendo & emergendo. has autem non solum ex siglino opere, sed etiam ex ære & ex sparto confectas fuisse, satis aperte legitur, quod pro mensura & amphoræ dimidia probat Fannius, de amphora sic scribens: *Hujus dimidium fert urna.* Columella lib. XII. cap. 20. *Ego tamen,*

si humida fuerit vindemia, trientem; si sicca, quadrantem medicaminis, in binas amphoras miscere solitus sum, ita ut quatuor urnarum esse musti modus, urna autem quatuor & viginti sextariorum. Hæc Columella. ex cujus verbis constat aperte, amphoram duas urnas, & sextarios octo & quadraginta in se continere. Pro mensura etiam accepit urnam Paulus Jurisconf. l. *taberna.* de fundo instructo sic scribens: *Item urna area, congiaria & sextaria:* quod & multis aliis argumentis a recentioribus probatum, adeo ut sine controversia pro veritate haberi possit. Nec quemquam moveant adversus hanc scribentium omnium sententiam Catonis verba cap. 155. ubi in lege vini in doliis vendendi ita scripsit: *Vinum in doliis hoc modo venire oportet. Vini in culleos singulos, quadragena & singulæ urnæ dabuntur: quod neque aceat, neque muceat.* Ex cujus verbis colligi videtur, culleum, qui ex amphoris constat viginti, ut infra suo loco probabitur, urnis una & quadraginta repleri: quoniam id in sua lege ea ratione adscripsit Cato, ut emptori consultum esset propter detrimentum, quod in metiendo vino per singulas urnas emptor pateretur: ideoque urnam adjiciendam putavit, quod & Budæus aliique recentiores censuerunt. laborabant enim non parum antiqui, in mensurando vini culleo uno, unico actu, ut constat ex ejusdem Catonis testimonio cap. 161. dum docet, quomodo vini culleum unica mensura metiri possis. qua de re alibi. quod autem pro vase & non mensura urnam quoque antiqui usurpaverint, probat idem Cato cap. 12. & 15. ubi in instrumento rustico urnam quinquagenariam requirit. quo in loco aliter quam pro vase accipi non potest, quibuscumque mensuris & ponderibus examinetur. sic & eam accepit Plautus in Rud. actu 2. sce. 5. dum dicit:

Metuo hercle, ne illa mulier mihi insidias locet,
Ut comprehendar cum sacra urna Veneria.
Nempe optimo jure in vinclis enicet
Magistratus, siquis me hanc habere viderit.
Nam hæc litterata est: ab se cantat, cuja sit.

Unde & illud notandum, quod sacræ urnæ nomina, cujus fani essent, inscripta habebant. Sparteas quoque urnas, ut dixi, fuisse testatur idem Cato cap. 13. ibi. *Urnas sparteas sex.* & quod ex ære cap. 142. ubi tractans de locis, ubi optima quæque utensilia venderentur, ita inquit. *Hama, urna olearia, urceo aquario, urna vinaria, alia vasa ahenea Capua.* quod & Paulus Jurisconf. loco proxime relato testatur. Ex quo Catonis loco olearias & vinarias urnas, non easdem fuisse intelliges. de qua re infra. Rursus & pro vase urnam accepisse videtur Proculus Jurisconf. l. *qui vinum.* de tritico legato, dum inquit: *Qui vinum Surrentinum in urnalibus habebat diffusum, ei tibi legaverat vinum in amphoris, omne illud quoque quod in urnalibus fuisset, legatum esse Labeo, & Trebatius responderunt.* A qua quidem urna *Urnarium* appellari, locum in culina & balineis, ubi urnæ aquatiles retinebantur, dixit Varro de ling. Lat. lib. IIII. his verbis: *Præterea erat tertium genus mensa & quadrata vasorum, vocaturque Urnarium, quod urnas cum aqua positas, ibi potissimum habebant in culina: ab eo etiam nunc ante balneum locus, ubi ponis solebant urna, Urnarium vocatur.* Hæc ille. Ex quibus intelligi licet, urnas, de quibus Varro ima parte acutas non fuisse, ut erant amphoræ & seriæ, cum supra mensam quadratam servarentur. Urnæ quoque appellabantur vasa, in quibus mortuorum cineres recondebantur: quarum multæ Romæ inspiciuntur, um ex figulino opere, tum etiam in marmoribus sculptæ, cum suis inscriptionibus, de quibus meminit Cicero Tusc. 1.

Aspicite o cives senis Ennii imaginis urnam.

Et Ovidius ad Liviam:

Scilicet exigua cineres condentur in urna.

Et in elegia de morte Tibulli:

Carminibus confide bonis: jacet ecce Tibullus:
Vix manet e toto, parva quod urna capit.

Urnæ quoque appellantur vasa, in quibus judicum suffragia colliguntur. Virgil. Æn. 6.

Nec vero hæ sine sorte data, sine judice, sedes.
Quæsitor Minos urnam movet. ille silentum
Conciliumque vocat, vitasque e crimine discit.

Hæc urna, retenta supputatione, quam infra de scatario tradam, vino defæcato, non crasso, non cocto, non nigro, aut aceto, vel aqua pura plena, pondo librarum quadraginta fuit, secundum quam rationem, amphoram pondo octoginta librarum fuisse constat: ut infra latius probabitur. & sunt hæ duæ liquidorum mensuræ tantum, ut prædixi.

Modius, qui aridorum tantum est mensura, & in quo secunda est ab amphora divisio, amphoræ pars tertia est. tres enim modii amphoram unam constituunt, ut Fannius testatur de amphora loquens, ut jam dixi.

Hujus dimidium fert urna, ut & ipsa, medimni
Amphora, terque capit modium, sextarius istum,
Sex decies haurit, quot solvitur in digitos pes.

A qua sententia nullus ex his, quos mihi videre licuit, discedit. Quod esset aridorum mensura, passim legitur: sed, ne sine auctoritate pertranseam, probatur ex Varrone de re rust. lib. I. cap. 44. ubi ita: *Seruntur faba modis in jugero quatuor, tritici quinque, ordei sex, farris decem, sed non nullis locis paullo amplius aut minus.* & lib. III. cap. 6. *Ordei pavonibus singulis mensibus singulis modis singuli.* Martialis X. epigr. in Crispum:

Quando fabæ nobis modium farrisque dedisti?
Cum tua Niliacus rura colonus aret.

Horum quidem modiorum quatuor tritici, erat servorum demensum, ut dicit Terentii interpres in Phorm. act. 1. sce. 1. & Cato cap. 66. his verbis: *Familia cibaria qui opus faciant per hiemem, tritici modios quatuor, per æstatem modios quatuor semis.* quibus quidem singulis servis, ultra tritici mensuras præfatas, olei menstruum sextarium, & salis annuum modium Cato attribuit, dicto cap. 66. A quo modio *Modiales aulæ & calices* dicti sunt, quod sexdecim sextariorum, idest, modii capaces essent. Plautus in Capt. actu 4. sce. ult.

Aulas calicesque omnes confregit, nisi quæ modiales erant.

Inde & *Sesquimodius*, pro modio & semis, a Varrone de re rust. dictus, lib. I. cap. 7. qui de vinearum recta & ordinata dispositione tractans, & quantum illa a confusa & inordinata in fructu differat, sic scripsit: *Hoc licet conjectura videre in aliquot rebus, ut nuces integras, quas uno modio comprehendere possis, quod putamina suo loco quæque habeant natura composita, cum easdem, si fregeris, vix sesquimodio concipere possis.* Et cap. 42. de medica loquens: *In jugerum unum si est natura temperata terra, scribunt opus esse medicæ sesquimodium.* Hinc a modio *Trimodium*: de quo Plinius lib. XXXIII. cap. 1. de usu anulorum loquens: *Promiscui autem usus alterum secundo Punico bello. neque enim aliter potuissent trimodia*

trimodia illa nunlorum, Carthaginem ab Hannibale mitti. Meminit quoque Columella lib. XII. cap. 19. *Funiculi quoque fiscellis, & lora trimodiis.* Et cap. 50. tradens quo modo oleum fiat: *Tum scala, corbula decem modios, Trimodiæ satoria quibus districta bacca suscipitur.* Hactenus ille. *Trimodia* verò *satoria*, sacculus est metæ universæ similis, quem a latiori parte collo suspensum & funiculis seu loris alligatum, ima & acuta parte ad sinistram manum revoluta, qui hodie quoque seminant, plenum semine ad semen jaciundum portant. Modios autem mensurales & semodios, de quibus statim, non ex opere figulino, ut amphoræ, sed ex ligno fuisse crediderim, & præferratos, ut hodie quoque mensuræ, quibus arida metimur, Romæ pro majori parte conspiciuntur, ex Catone cap. 13. qui inter vineæ instrumenta, modium præferratum unum, semodium unum requirit. Nam nisi lignei fuissent, vix est ut præferrari potuissent, aut præferratione indigerent. Constat autem modius iste ex sextariis sexdecim, ut ex Fannio probatum est, & facile ex calculo colligi licet. nam cum amphora constet ex sextariis octo & quadraginta, ipseque modius amphoræ sit pars tertia, modico negotio dignoscitur sextariorum sexdecim esse. Pendent autem, si ejus capacitatis vinum purum aut aqua pura appenderetur, retenta supputatione prædicta, libras sex & viginti, & libræ bessem. nam pondus tritici, vel ordei, aut farris, vel aliorum seminum, certa ratione pro mensura tradere absurdissimum puto: com non solum frugum pondera pro regionibus mutentur, & varient, sed etiam ejusdemmet fundi semen a semine ejusdem generis pondere discrepet, ita testante Columella lib. II. cap. 9. cujus hæc sunt: *Collis enim quamvis granum robustius aliquanto, minus tamen tritici reddit.* Quem & Palladius lib. I. cap. 6. secutus est, & re ipsa dignoscitur. Mitto annorum & temporum qualitates; cum, si rubigo inciderit, quincta parte & amplius ponderis detrimentum accipiat. Ex quibus constat, ex seminibus nihil certi, & perpetui ponderis aut mensuræ statui posse, & ea quæ Plinius lib. XVIII. cap. 7. de tritici pondere diversorum locorum tradidit, non præcise, sed a communiter contingentibus intelligi oportere.

Semodius, modii est pars dimidia, amphoræ sexta, in quo est, ut dixi, tertia amphoræ divisio, dictus, quia semis est modius: *se* enim pro *semis* antiqui in his frequenter usurpaverunt, teste Varrone de ling. Lat. lib. IV. cujus hæc sunt: *Semuncia, quod dimidia pars unciæ: se valet dimidium, ut in selibra, & semodio.* Hæc ille. De semodio quoque meminit Cato cap. ult. de salsura pernarum his verbis: *Salis Romaniensis moliti in singulas semodios.* Idemque Varro de re rust. lib. III. cap. 8. *In vicenas centenas turtures fere semodium aridi tritici.* a semodio autem *semodialem placentam* Cato appellavit cap. 83. constat autem ex sextariis octo, & aridorum est tantum mensura.

Congius, in quo quarta est amphoræ divisio, est ipsius amphoræ pars octava, & liquidorum tantum mensura, constans ex sextariis sex. a quo congio sextarium nomen sumpsisse Fannius testatur:

> *Adde duos chus fit vulgo, qui est congius idem,*
> *A quo sextarii nomen fecisse priores*
> *Crediderim, quod eos capiat sex congius unus.*

Ex cujus Fannii versibus, sententia eorum confundi videtur, qui primas sextario tribuere velle visi sunt: cum liquido appareat, si Fannii sententia, ut arbitror, vera est, sextarium ab alio formari, nempe a congio, cujus ille sexta pars est, & non ipsum, alteram supra se mensuram formasse. Quod congius esset vini mensura, probat Paulus Jurisconf. loco supra & infra de sextario a me relato, in quo congium, & urnam, & sextarium inter instrumenta tabernæ cauponæ connumerat. Plinius quoque hoc probat lib. XIV. cap. 16. de vinis fictitiis loquens: *Proximum fit e milii semine maturo cum ipsa stipula, libram & quadrantem in congios duos musti macerato, & post septimum mensem transfuso.* Et paullo post: *Græci vero & alio modo, ramis teneris cum suis foliis in albo musto decoctis tusis, libram in tribus musti congiis defervefaciunt.* Quod esset etiam congius olei mensura, eo tamen modo, ut infra declarabo, probat Livius lib. XXV. *Et congii olei in vicos singulos dati.* A congio *congialem fideliam*, eo quod congii capax esset, appellavit Plautus in Aulul. actu 4. sc. 2.

> *—— Sed si reperero, o sancta Fides,*
> *Mulsi congialem, plenam faciam tibi fideliam:*
> *Id autem tibi faciam: verum ego mihi bibam,*
> *Ubi id fecero. ——*

A quo etiam congio *congiarium munus* appellatum est, quod populo dabatur, de quo abunde Budæus, ceterique juniores. Hinc & *Tricongium* appellatum fuisse Torquatum Mediolanensem, Tiberio imperante, refert Plinius lib. XIV. cap. 22. his verbis: *Apud nos cognomen etiam Novellius Torquatus Mediolanensis, ad proconsulatum usque e pretura honoribus gestis, tribus congiis, unde & cognomen illi fuit, epotis uno impetu, spectante miraculi gratia Tiberio principe.* Hos autem congios puto fuisse in communi usu ut plurimum ex aere, ut infra de sextario dicam, ubi formam in Capitolio positam temporibus Vespasiani, & Titi Imperatorum demonstrabo. Congius autem vino puro aut aqua pura plenus, librarum pondo decem fuit, ut ex supra & infra traditis constat, & inscriptio prædicti congii testatur.

Sextarius, in quo quincta est amphoræ divisio, qui est, ut dixi, congii pars sexta, amphoræ vero octava & quadragesima, in cyathos duodecim instar assis divisus fuit, ut Fannius testatur:

> *Quod si mensura pondus componere fas est,*
> *Sextarii cyathus pars est, quare est uncia libræ.*

Hic Fannius, cujus carmina nonnulli Prisciano falso tribuerunt, Q. Rhemnius Fannius Palæmo appellatus est, ut ejus inscriptio in fine operis Cornelii Celsi notata demonstrat: ne quis ulterius, quisnam fuerit, & quo tempore claruerit, hæsitet. de quo Plinius lib. XIV. cap. 4. his verbis: *Sed maxima ejusdem Sthelenii opera Rhemnio Palæmoni, alias grammatica arte celebri, in hisce viginti annis mercato rus DC. nummum, in eodem Nomentano, decimi lapidis ab urbe diverticulo,* & quæ sequuntur. de quo etiam meminit Crinitus de poetis Latinis lib. IV. in vita Lucani, cujus præceptorem in grammatica fuisse asserit Rhemnium Palæmonem, qui principem locum inter omnes grammaticos tenuit. Ideoque ejus carmina inter Prisciani opera, qui de ponderibus scripsit, a benignis librariis, & forsan ab ipso Prisciano, ne perirent, si sola vagarentur, inserta fuisse credendum est. Non igitur ignotus est auctor, ut quidam existimaverunt, sed celebris, & qui felicissimis temporibus floruit. Vt igitur ad sextarium redeamus, is capit heminas duas, quartarios quatuor, acetabula octo, cyathos duodecim: ut infra per singula probabo. Quod autem fuerit mensura liquidorum, constat apertissime ex his, quæ a Portio, Budæo, Alciato, ceterisque recentioribus tradita sunt, nempe vini venalis ex Horatio primo serm. sat. 1.

Nescis, quid valeat nummus, quem præbeat usum,
Panis ematur, olus, vini sextarius.

Paulus Jurisconf. l. *Taberna.* de fundo instructo: *Tabernacauponia instrumento legato, etiam institores contineri, Neratius existimat. sed videndum est, ne inter instrumentum tabernæ, & instrumentum cauponæ sit discrimen: ut taberna non nisi loci instrumenta sint, ut doliaria vasa, vectiones, ancones, calices, & trullæ, quæ circa cœnam solent trajici, item urna area, & congiaria, & sextaria, & similia: cauponæ autem cum negotiationis nomen sit, etiam institores.* Hæc ille. Quod olei fuerit mensura, nontamen venalis, (quia venale oleum non nisi pondo, vel libra mensurali vendi, memini me legisse) probat Cato cap. 15. qui inter instrumenta cellæ oleariæ requirit *amphoras olearias duas, urceum aquarium unum, urnam quinquagenariam unam, sextarium olearium unum.* Et cap. 66. de cibariis familiæ loquens: *Oleum dato unicuique sextarium,* ut & supra de modio retuli. Quod sextarius quoque mellis, salis, & aquæ fuerit mensura, probat Columella lib. XII. cap. 25. de aqua salsa vel muria ad vina condienda loquens: *Sic curata cum fuerit aqua, in modum defruti ad tertias decoquenda est. adjicitur autem in aquæ dulcis sextarios quinquaginta, salis sextarius, & mellis optimi unus sextarius.* Idem eodem lib. cap. 12. de aqua mulsa: *Veteris aquæ sextarium cum libra mellis miscent. non nulli autem cum austeriorem efficere volunt gustum, sextarium aquæ cum dodrante pondo mellis diluunt, & ea portione repletam lagenam, gypsatamque patiuntur per caniculæ ortum in sole quadraginta diebus esse.* Et paullo post: *Deinde, cum refrixerit, sive dulciorem mulsum facere volunt, duobus aquæ sextariis sextarium mellis permiscent: si vero austeriorem, sextario aquæ dodrantem mellis admiscent: & his portionibus factis in lagenam diffundunt.* Quod mihi aliorumque aridorum mensura esset seatarius, duobus tantum locis ad probandum contentus ero. cum mille legemibus se offerant. Columella lib. XI. cap. ult. de napo & rapa: *Jugerum agri, quatuor sextarios seminis eorum poscit.* Plinius lib. XVIII. cap. 7. de milio Indico loquens: *Ex uno grano terni sextarii gignuntur.* Cujus autem ponderis sextarius vino puro, vel aqua pura, vel etiam aceto plenus fuerit, varie a Portio, Budæo, Alciato, ceterisque junioribus traditum est: adeoque controversum, ut fere tot fuerint sententiæ, quot scribentium exstiterunt capita. verior tamen sententia est, eum fuisse unciarum ponderalium viginti, sive puram aquam, aut purum vinum, non tamen nigrum, crassum, sive etiam purum acetum (nam inter ista discrimen nota dignum non esse constat) appendamus. Hoc enim probatur primo auctoritate Dioscoridis viri sane doctissimi, & in scribendo solertissimi, & medicæ artis periti, cujus dicta cum libello de ponderibus & mensuris, qui sub Galeni nomine circumfertur, quemque de Græco in Latinum novissime transtulit doctissimus præceptor meus Andreas Alciatus. Dioscoridis aotem verba, quantum ad rem attinent, hæc sunt: *Ceramium, id est, amphora, habet libras octoginta, Urna libras quadraginta, Congius libras decem, Semicongius libras quinque, Sextarius libram unam, uncias octo, Hemina seu Cotyla uncias decem: Acetabulum, quanta pars heminæ, habet uncias duas semis: Cyathus sexta pars Heminæ, unciam semis, & scrupulos quatuor: Chame, quæ est cyathi pars quarta, habet drachmas tres, scripulum unum. Id autem est cum aquæ, tum aceti pondus, ajuntque pluvialis aquæ adimpleri vasculum, certissimamque hanc esse ponderis rationem.* Hæc ille. Qui paullo post de melle sic: *Mellis amphora habet libras 120. urna sexaginta, congius libras quindecim, semicongius libras septem semis, sextarius libras duas semis, hemina libram unam uncias tres. quartarius habet uncias septem semis, acetabulum uncias sex semis, & drachmas duas, cyathus habet uncias duas semis, chame, quia quarta pars est cyathi, drachmas quinque.* Hactenus ille: cum quo, quantum ad aquæ, & aceti pondus, congruit, alius ignotus Græcus, eodem libello adscriptus: cum quibus & Fannius, qui de ponderibus variorum liquidorum sextarii sic scriptum reliquit:

Illud præterea tecum cohibere memento,
Finitum pondus varios servare liquores.
Nam libra, ut memorant, bessem sextarius addet,
Seu puros pendas latices, seu dona Lyæi.

quod etam auctoritate Sex. Pompeji comprobatur: quem mirum est a tot egregiis viris ad hanc diem observatum non esse. is in verbo *Publica pondera,* io exemplari edito ex bibliotheca Antonii Augustini, Episcopi Ilerdensis, viri bonarum omnium artium eruditissimi, plebiscitum retulit. quod etsi in aliquibus corruptum sit, quantum tameo ad rem attioet, pondera quadrantalis, & congii vini, dilucide explicat. verba autem sunt hæc: *Q. Duo Silli P. & M. tribuni pl. rogarunt his verbis. Ex ponderibus publicis, quibus hac tempestate populus oitier qui solet, uti coæquetur comtatur sedulum, uti quadrantal vini octoginta pondo fiet. congius vini decem P. IS. sex. sextarii congius fiet vini. duo de quinquaginta sextarii quadrantal fiet vini. Sextarius æquus æquo cum librario fiet.* Hæc ille. Quibus & Oribasius medicus adstipulatur. *Amphora,* inquit, *Italica capit sextarios octo, & quadraginta, sextarius libram unam, uncias octo.* Quorum quidem veterum traditiones veras esse, expericotia comperi: siquidem, ut primo latius dixi, ex eo pede, qui ex duorum consimilium aliorum pedum testimonio, & omnium, qui Romæ sunt, litteratorum opinione pro legitimo habetur, quadrantali formato, eoque cum sextario a me pariter fabricato, qui viginti ponderalium unciarum aquæ puræ ex cisterna capax esset, earum quidem unciarum, quas ex antiquis ponderibus, de quibus eodem primo libro dixi, sumpseram, examinato, comperi sextarium ipsum pedali cubo ad unguem respondere. quod nusquam cum sextario unciarum duodeviginti aliorumque minutorum, (ut juniorum est opinio) capaci, assequi valueram. Quinetiam, dum circa prædictum examen versarer, allatus est mihi ex pretiosissimo Illustrissimi & Reverendissimi Cardinalis Farnesii promptuario congius ex ære sive orichalco, Dei optimi maximi beneficio a barbarorum, temporumque injuria vindicatus, integer admodum, nisi quod ab altera parte, qua obrutus terram attigerat, paullulum ab ærugine prærosus erat. cujus caemplar, ita ut se habet, in calce operis subnectam: in quo hæc erat inscriptio:

IMP. CAESARE
VESPAS. VI.
T. CAES. AVG. F. IIII. COS.
MENSVRAE
EXACTAE. IN
CAPITOLIO
P. X.

Ex qua inscriptione etsi manifeste legerem & intelligerem congium pondo decem fuisse, ut Festus, Dioscorides, ceterique supra nominati testantur: attamen,

attamen, ut me omnino redderem certiorem, cum congium, obstructis rimulis cera, pura aqua ex cisterna usque ad supremum angustum, ut schema demonstrat, plenum feci: (nam partem latam supra illud angustum ad conservandum, ne mensura violari posset, factam fuisse existimavi) sicque plenum cum justissima trutina, qua hodie Romæ utimur, cum appendissem, inveni aquam, qua cum compleveram, libras nostri temporis novem, uncias sex & semis efficere. quibus uncias quinque, drachmas quatuor, scripulum unum, & grana quatuordecim, quæ amplius sunt in his nostris quam in antiquis libris, computando cum congium libras decem, & ultra scripulum unum, & grana quatuordecim (de quibus nullam rationem habendam esse putavi) ex antiquis libris prædictis pendere inveni. Demum autem, congio prædicto cum sextario legitimarum unciarum a me formato pariter examinato, affirmare non dubitavi, nec dubito, & libram & pedem supra a me relatos veros illos antiquos existere, tamdiu quæsitos & controversos, sextariumque juxta Dioscoridis, Fannii, & aliorum relatorum sententias, inter quos est e nostris Leonardus Portius post Hermolaum Barbarum, ne sua laude careant, unciarum viginti ponderalium fuisse. Nec me movent, quæ a junioribus ex Galeni sententia ad probandum sextarium Romanum unciarum viginti non ponderalium, ut Dioscorides & alii a me relati testantur, sed mensuralium apud ipsos Romanos exstitisse, adducuntur. ex cujus Galeni dictis ipsi eos, qui sextarium ex unciis viginti constare tradiderunt, non de ponderalibus, sed de mensuralibus intelligendos esse contendunt: quoniam, ut omittam, quod hoc sine cavillatione, tot testimoniis in contrarium urgentibus amplius dici non possit, adhuc, si eorum rationes & argumenta recte perpendantur, nihil ex a me relata opinione, seu potius veritate infringere, aut immutare possunt. quas quidem rationes in medium adducere & perpendere non piget. Et quidem in primis adducunt Galeni locum lib. I. de compositione medicamentorum secundum genera, ubi ita inquit: *Sextarii autem Romani Heram meminisse arbitror. nam Atheniensibus, neque mensura, neque nomen hoc erat. nunc vero ex quo Romani rerum potiuntur, sextarii nomen omnibus, qui Græca lingua utuntur, exsistit: at ipsa mensura, Romana æqualis non est. alius enim alia sextarii mensura utitur. quippe sextarius apud Romanos libram unam, & dimidiam, & sextam ipsius partem capit: ut unciæ universæ sint viginti, quas plerumque in cornibus, quibus in orbem ducta quadam linea sunt extrinsecus incisa, metiuntur. sed quidam falso putaverunt sextarium Romanum octodecim continere uncias mensurales. videtur igitur & Heras, si quando cotylen scribit, dimidiam sextarii partem indicare. novem vero uncias eorum librali significet, an decem, obscurum est.* Ex quibus Galeni locis colligunt ipsi, uncias illas viginti in sextario, non ponderales, sed mensurales fuisse: quia erant in cornu distinctæ lineis, non habito respectu ad pondus, sed ad mensuram. quod apertius probari putant, quia Galenus verbo *capit* usus est: quod non ad pondus, sed ad mensuram refertur. Non minus & quia ex Columella constat aperte, antiquis mensurales quoque uncias fuisse. ait enim ille lib. XII. cap. 21. de musti conditura loquens: *Deinde interposito biduo, cum id mustum pariter cum defruto deferbuerit, purgatur, & ita coadjicitur in binas urnas, ligula cumulata seu mensura semuncia, bene plena salis cocti & triti.* Ex quo loco aperte probatur, uncias quoque mensurales antiquis fuisse. Secundo hoc idem, quod sextarius vino aut aqua plenus unciarum viginti ponderalium non fuerit, sed mensuralium, iidem juniores probare nituntur tribus aliis Galeni locis. quorum primus est lib. III. eodem titulo, de compositione medic. secundum gen. ubi ita inquit: *Est autem apud ipsos Romanos mensura, qua oleum metiuntur, intersecta lineis dividentibus totum in duodecim partes: atque mensura integra vocatur ab eis libra, duodecima ejus pars uncia.* Secundus est lib. V. de eadem composit. *Heras quidem,* inquit, *centum & octoginta drachmas scripsit, ad pondus oleum reducens, non ad mensuram, tanquam cotyle drachmas sexaginta pendat. pendet enim eas Attica, quæ novem unciarum Italicarum exsistit. etenim novem unciæ Italicæ, in cornibus intersectis discretæ, pendent uncias ponderales septem & dimidiam: quæ sexaginta drachmæ fiunt, si uncia una octo drachmas ceperit.* ac iterum & tertio lib. VI. de eadem composit. *Ego tamen olei libram Romæ nuncupatam, quam intersectis cornibus metiuntur, appendi aliquando, cupiens scire, quantum ponderis haberet. inveni vero duodecim uncias mensurales, decem ponderalibus æquales.* Quibus Galeni traditionibus, & eo axiomate, quod aqua & vinum nona parte sint oleo graviora, probatum esse putant, sextarium vini & aquæ fuisse unciarum mensuralium vigintl, ponderalium vero duodeviginti, drachmarum quatuor, siliquarum duarum, granorum duorum, & duarum tertiarum grani, olei unciarum ponderalium sexdecim, drachmarum quinque & scripuli unius. Denique cum viderent ipsi juniores, prædictam eorum opinionem ex diametro cum Dioscoridis, Fannii, & aliorum sententia pugnare, arbitrantur, a Dioscoride & aliis non ita recte, aut tam accurate, aut tam puriolci, sicut a Galeno, pondera examinata fuisse: & tandem concludunt, se malle Galeno, viro probo, quam ceteris, credere. Quibus quidem objectis ut respondeam, in primis præsuppono, quod, si vas figuremus unum, cujus æqualis sit forma, qualem me vidisse sextarium Honorii Imperatoris dixi, quod sane vas capax sit unciarum ponderalium vini vel aquæ puræ viginti, & idem vas in viginti æquales partes ductis transversis lineis sive intrinsecus sive extrinsecus dividamus, certo certius erit, unciam ponderalem unciæ mensurali ejus liquoris, quo primo vas impletum fuerit, æqualem esse: licet, si liquores pondere dissimiles varientur, non mensura, sed pondus mutetur: quo fit, ut, etsi maxime concedamus, uncias mensurales antiquis fuisse, & ex viginti ex eis sextarium vino plenum constitutum fuisse, non eo minus verum esse dicendum sit sextarium viginti pariter uncias aquæ aut vini ponderales continuisse, si ita ab initio fuisset constitutum: cum utrumque de facili verum esse possit, & viri antiqui etiam plebiscito cautum ita fuisse testentur, nempe Galenus de mensuralibus, Dioscoridesque ceterique de ponderalibus. Verum igitur erit ex Galeni sententia, sextarium fuisse unciarum mensuralium viginti, quæ viginti ponderalibus in vino, aqua, & aceto responderent. Quod & ita factum fuisse verisimili ratione probatur, nempe ex summa exquisitaque diligentia, quam Romani in modulandis mensuris & ponderibus adhibuerunt, in qua facile ceteros omnes superaverunt mortales. quod constat tum ex iis, quæ primo libro de pede ex Vitruvii sententia retulimus, quem ex digitis sexdecim propter numerorum sex & decem perfectiones, & ex unciis duodecim, ut assi responderet, formatum & divisum esse voluerunt, tum etiam quia liquidorum aridorumque mensuras formare volentes, non casu, sed ratione cubica, a pede, ut supra dictum est, quadrantal formaverunt, quod in duas urnas, ubi primus ex arithmeticis traditionibus reperitur numerus, & rursus in modios tres, quia in numero ternario prima reperitur

ritur imparitas, divisum esse voluerunt. Cumque & ipsum quadrantal ter sexdecim digitos principaliter habeat, scilicet in longitudinem, latitudinem, & profunditatem: idem quadrantal in totidem modios, quot illæ sunt lineæ, & sic in modios tres diviserunt, quorum singuli sexdecim caperent, prout lineæ ipsæ digitos sexdecim continent. Rursus idem quadrantal in congios octo partiti sunt, ut cubus etiam numeralis mensurarum, cubo mensurali amphoræ responderet. bis enim duo constituunt quatuor, & bis quatuor octo, qui numerus est apud arithmeticos cubus primus. Ipsumque congium in sextarios sex, in quo numero tres sunt primæ paritates, & reliquæ eximiæ qualitates, propter quas is numerus a mathematicis, ut dictum est, *perfectus* appellatur. Postremoque sextarium in cyathos duodecim diviserunt; ut assem & in his mensuris repræsentarent & uncias. Verisimile est igitur, (ut ad rem redeam) ut antiquos, postquam repererunt vini sextarium, cujus frequentior erat usus, unciarum fuisse ponderalium viginti, si divisionem alteram unciarum mensuralium fecerunt, (ut fecisse testatur Galenus) eam talem fuisse, quæ ponderali responderet, ut una eademque in aqua, vino, & aceto puris, uncia ponderalis & mensuralis esset, quæ & sibi invicem in istis responderent. Nam si sextarius ex unciis ponderalibus duodeviginti in his frequentioribus liquoribus extitisset, ut juniores asserunt, parvo negotio mensurales quoque in eum numerum dividere potuissent. quid enim interesse potuit, an sextarius duodeviginti, an viginti mensuralium unciarum fuisset? Credendum est igitur, ut dixi, si in reliquis discrimen & dissonantiam vitarunt, in hoc quoque non solum dissonantiam, sed scrupulosam siliquarum & granorum divisionem vitasse, ut omnia invicem responderent. & hoc quidem arguendi genere usus est Frontinus de aquæductibus, sic dicens: *Omnia autem, quæ mensura continentur, certa & immobilia congruere sibi debent. ita enim universitatis ratio constabit. & quemadmodum, verbi gratia, sextarii ratio ad cyathos, modii vero ad sextarios & cyathos respondent, ita & quinariorum multiplicatio in amplioribus modulis servare sequentia sua regulam debet.* Sed &, ut propius ad argumenta diluenda accedamus, dico Galenum supra primo loco relatum, etsi dixerit, Romanum sextarium in uncias mensurales viginti transversis lineis notatis fuisse divisum, non tamen aperit, an is, de quo loquitur, vini vel olei sextarius esset. quinimmo de olei sextario illum sensisse, ipsius sequentia dicta demonstrant. & tamen constat mensuras olearias, diversas a vini ceterorumque liquorum mensuris fuisse: licet hoc juniores negent. quod tamen facile probatur, vel auctoritate Catonis, qui de olei mensuris ut separatis ab aliis tradidit cap. 12. ubi de olei instrumento tractans, amphoras olearias duas parandas præcipit: & cap. 15. in instrumento cellæ oleariæ amphoras olearias duas, urceum aquarium unum, urnam quinquagenariam unam, sextarium olearium unum, requirit. Et rursum cap. 142. tradens, ubi quæque optima utensilia venderentur, ita inquit: *Hamæ, urnæ oleariæ, urcei aquarii, urnæ vinariæ, alia vasa ahenea Capuæ.* Ex quibus quidem traditionibus manifeste colligo, apud antiquos amphoras olearias, urnas olearias, sextarios olearios, ab aliis amphoris, urnis, & sextariis distinctas & separatas fuisse. alioqui qualitas illa olearia illis adjecta non fuisset, si unæ eædemque fuissent. Ac ne quis dicat, eas patris familias destinatione ita fuisse appellatas, & distinctas, Cato, qui eas novas ita commercari tradidit, dubium sustulit. etenim, si eæ mensuræ inter se non differrent, Cato, qui brevitati admodum studuit, eas diverso nomine, uno eodemque verborum contextu non appellasset, nec diversas illis qualitates adjecisset. Si igitur amphora, urna, & sextarius olearii, ergo & congius, de quo Livius, ubi supra. Postremo, etsi daremus olei sextarium a vini sextario non discrepasse, cujus contrarium ex prædictis apparet, adhuc dicendum est, ex libræ olei mensuralis examine, a Galeno facto, nihil ad sextarium seu sextarii pondus attinens inferri posse: cum maxime ex infra dicendis constet, aliter oleum aliterque vinum in commerciis antiquis fuisse tractatum: siquidem vinum semper mensura, oleum vero (nisi in supra citato Livii loco de congio, & Catonis de sextario, menstruo familiæ dando) numquam mensura apud Romanos in commerciis fuisse memini me legisse: cum contra pondere, seu libra, oleum donatum, venditum, stipulatum, & legatum frequentissime legerim. Esto igitur, quod libra olei mensuralis pependerit, ut Galenus testatur, uncias ponderales decem, non ex hoc infertur, illas duodecim uncias mensurales libræ, duodecim unciis sextarii vini mensuralibus æquales fuisse: quod est probandum. Quod autem oleum antiquis non mensura scilicet amphoræ, congii, aut sextarii, sed pondere, seu etiam libra sua mensurali in commerciis tractaretur, probant hi. Cato de re rust. cap. 153. in lege oleæ pendentis: *Olea pendens in fundo Venafrano venibit, qui oleam emerit, amplius quam quanti emerit, omnis pecuniæ centesima accedet. præconium præsens HS. L. & oleum romanici pondo ∞ D. viridis pondo CC. oleæ caducæ modios L. strictivæ M̊ X.* Idem cap 151. in lege oleæ legendæ: *Accessiones in M̊ ∞ CC. accedit olea salsa M̊. V. olei puri pondo IX.* id est, oleæ salsæ modios quinque, olei puri pondo novem. hacque de causa idem Cato cap. 15. in cella olearia, trutinam unam, centum pondium incertum unum, & pondera certa requisivit, de quo incerto centum pondio infra lib. V. Plinius lib. XVIII. cap. 3. annonæ summam vilitatem recensens: *M. Varro auctor est, cum L. Metellus in triumpho plurimos duxit elephantos, assibus singulis, farris modios fuisse, item vini congios ficique sicca pondo triginta, olei pondo decem, carnis pondo duodecim.* Suetonius in Dictatore cap 38. *Populo, præter frumenti denos modios, totidemque olei libras, vicenos quoque nummos, quos pollicitus olim erat, viritim divisit.* Pomponius Jurisconf. l. *Si ex toto* de legatis primo. *Si olei pondo quinquaginta, aut in singulas libras certum as legatum sit.* Ulpianus l. *Cum certum.* de tritico legato. *Cum certum pondus olei, non adjecta certa qualitate, legatur.* Idem l. *Si quis a me.* de actionibus empti. *Si quis oleum, quod quis emisset, adhibitis iniquis ponderibus accepisset, ut in modo falleret, vel emptor circumscriptus sit a venditore, ponderibus majoribus.* Horatius secundo sermonum, Sat. II.

> *Ac nisi mutatum parcit diffundere vinum, &*
> *Cujus odorem olei nequeas perferre, licebit*
> *Ille repotia, natales aliosve dierum*
> *Festos albatus celebret, cornu ipse bilibri*
> *Caulibus instillet, veteris non parcus aceti.*

Quod & ex supra relatis Galeni locis manifesto constat, qui de olei librali mensura testatur. Ex quibus, ut arbitror, probatum satis est, aliter in oleo, quam in vino, ceterisque liquoribus antiquis commercium fuisse, separatasque illis olei mensuras ab aliis fuisse, oleique commercium non amphoræ, urnæ, congii, aut sextarii mensura, sed pondere, seu sua libra mensurali illis extitisse. Nec me movet, quod Plinius aliquando in suis compositionibus,

bus, & medelis sextario olei usus fuerit: quoniam id, Græca transferendo scripta, egit, quorum mensuras & nomina se servare velle, dilucide professus est lib. XXI. cap. ult. Quin etiam, si mihi sententiam ex mea conjectura afferre licet, credendum assero, Romanos, postquam viderunt sextarium aquæ & vini uncias pendere viginti, ut illi in pondere oleum, quod natura nona parte levius est, responderet, libram olei mensuralem fabricasse, quæ decem ponderalibus unciis, & sic heminæ aquæ & vini, & bilibrem, quæ sextario responderet; siquidem ex supra relatis Galeni verbis constat olei libram mensuralem decem, & bilibrem viginti ponderalibus unciis pares fuisse. quod quidem eo mihi persuadetur, (ne omnino sine ratione ad ita conjectandum videar adduci) quia hodie Romæ video, quod licet olei vinique mensuræ uno eodemque nomine appellentur, nempe congius, congitella, petittus, medius, & folietta; ejusdemque formæ & materiei sint, æris scilicet congii & congitellæ, aliæ vero ex opere figulino: attamen capacitate differunt, quia olei mensura, vini mensura major est, & tamen in pondere, modico discrimine excepto, quod vix sit unciæ unius & semis, in centum conveniunt, ut sequenti libro demonstrabo: quod tamen discrimen publicanorum, qui eas custodiunt mensuras, culpæ seu negligentiæ facile adscribi posset. quo fit, ut id ipsum antiquis fuisse conjectem, & hæc antiqui discriminis in mensura, & convenientiæ in pondere vestigia remansisse. quod forsan plebisciti supra relati verba: *Sextarius æquus æquo cum librario fiet*, inferebant; & in eum sensum restitui possent, ut legeretur: *Sextarius æquus aquæ cum bilibra olei fiet.* Ex his igitur (ut ad rem redeam) facile dignosci licet, examen libræ mensuralis olei a Galeno, viro doctissimo, pondere factam, nihil iis, quæ a viris non minus doctis de pondere aquæ & vini sextarii, tradita sunt, obesse, aut immutari posse: præsertim cum olei commercium a vini etiam commercio in modo fuerit separatum: & olei etiam ejusdem nominis mensuras a vini ejusdem nominis mensuris separatas fuisse constet: & ex separatis inferre omnium consensu non liceat. etsi non negem juniorum traditiones ad hujus rei veritatem indagandam mihi mirum in modum profuisse. Neque huic a me relatæ, & comprobatæ antiquorum opinioni refragatur, quod Fannius pondus olei, mellis, & vini unius & ejusdem sextarii, simul ponere & examinare videatur: quoniam eo in loco Fannius non mensuras conjungere, sed liquidorum discrimina tradere voluit, quod ex illius verbis clare dignoscitur, dum inquit:

Illud præterea tecum cohibere memento,
Finitum pondus varios servare liquores.

Ideoque cum supra & paullo ante sextarium vini puri & aquæ puræ uncias viginti appendere statuisset, adjecit, quod si ea mensura oleo impleretur, quia oleum vino nona parte levius est, pondus illius mensuræ erit unciarum duodeviginti: si mellis, quia mel est aqua gravius portione sesquialtera, erit unciarum pondo triginta. sicque non repugnat. Sicuti nec repugnat, quod juniores dicunt, Oribasium pro hac parte adductum, uncias illas viginti, per verbum *capit* expressisse: quod verbum mensuræ, & non ponderi servire videtur, quia præter id, quod verbum *Capit*, ab Oribasio scriptum, non sextarium, sed amphoram respicit. ait enim: *Amphora Italica capit sextarios octo & quadraginta, sextarius libram unam uncias octo:* sicque verbum *capit*, ad proximam amphoram retulit. Præterea dicendum est, quod nec Galenus loco superiori relatus, ut a junioribus versus est, nec Oribasius, de vocum proprietate bis in locis certarunt. nam & Galenus supra relatus verbo *capere*, in pondere usus est, dum dicit, *si uncia una octo drachmas ceperit.* quin etiam Plinius aperte de pondere loquens lib. XXXIII. cap. 3. verbo *capere* utitur, his verbis: *Talentum autem Ægyptium pondo octoginta capere Varro tradidit.* Postremo si junioribus unius tantum Galeni testimonio, & ex prædictis evitabili, innixis, dicere licuit, se magis Galeno assentiri: cur & mihi, qui quinque antiquorum doctorum hominum testimonio, Dioscoridis, Fanii, Sex. Pompeji, Oribasii, ignotique Græci, antiqui ponderis, congii, & quadrantalis ex antiquo pede formati examine & collatione, suffultus sum, idem dicere non licebit? Audacter igitur concludo cum Dioscoride, & sextarium vino puro, non crasso, neque nigro, aceto similiter puro, vel aqua pura plenum, unciarum ponderalium viginti extitisse. etsi non negem, libram olei mensuralem, quam vere apud antiquos in oleo fuisse confiteor, uncias decem ponderales appendisse, ut Galenus apertissime dicit. cui quidem in hoc non solum non contradico, sed ingenue assentior.

Hemina, in qua sexta est Amphoræ divisio, pars est sextarii dimidia, ut Fannius testatur:

At cotylas, quas, si placeat, dixisse licebit
Heminas, capit geminas sextarius unus.

Quod & Gellius noctium Atticarum lib. III. cap. 14. testatur, qui de differentia inter dimidium & dimidiatum tractans, ita inquit: *Contra quoque, si ex sextario hemina fusa est, non dimidiatum sextarium fusum dicendum est.* Hæc autem capit cyathos sex, ut idem Fannius testatur, de ea sic dicens:

At cotyle cyathos bis ternos una receptat.

Quo fit, ut amphora capiat heminas, de quibus loquimur, sex & nonaginta. Quam quidem heminam liquidorum aridorumque (ut & sextarium) mensuram fuisse, colligi licet ex Columella lib. XII. cap. 49. qui de olivarum salsura loquens dixit: *Sat erit tot heminas salis adjicere, quot sunt modii olivarum.* Ex cap. 41. de musto lixivo: *Priusquam de igne medicamentum tollatur, tres heminæ roris Syriaci contriti & cribrati, super omnia adjiciuntur.* Plinius lib. XIV. cap. 17. *Oxymeli hoc vocarunt, mellis decem libris, aceti veteris heminis quinque, salis marini libra, aquæ pluviæ sextariis quinque.* Quibus & multæ aliæ veterum auctoritates adjici possent, quas consulto omitto. Pendet autem hemina, vino, aceto, aut aqua plena, secundum supputationem prædictam, uncias decem.

Quartarius, de quo inter juniores soli postremi meminerunt, in quo septima est amphoræ divisio, est, ut & nomen sonat; sextarii pars quarta, teste Volusio Metiano, qui Jurisconsultus fuit, & præceptor Antonini Philosophi, ut Ber. Rutilius in vitis Jurisconsultorum ex Politiani etiam sententia testatur. is igitur Volusius hæc: *Quadrantal, quod nunc plerique amphoram vocant, habet urnas duas, modios tres, semodios sex, congios octo, sextarios octo & quadraginta, heminas sex & nonaginta, quartarios centum nonaginta duos, cyathos quingentos septuaginta sex.* Et de quartario meminit etiam Columella lib. XII. cap. 5. *In vappidi vini, ut acescat, sextarios duodequinquaginta, fermenti libram, fici arida pondo quadrantem, salis sextarium subterito, & subtrita cum quartario mellis aceto diluito.* Livius lib. V. *Manlius primum ob virtutem laudatus,*

donatusque non a tribunis solum militum, sed consensu etiam militari, cui universi selibras farris, & quartarios vini ad ædes ejus, quæ in arce erant, contulerunt, rem dictu parvam, ceterum inopia fecerat eam argumentum ingens caritatis; cum se quisque victu suo defraudans, detractum corpori atque usibus necessariis, ad honorem unius viri conferret. Hæc ille. Nec vero de alia mensura, quam de sextarii quarta parte, intelligi potest, si ad farris selibram, & ad obsidionem, qua tunc Romani premebantur, spectemus. De eodem quartario meminit Plinius lib. XVIII. cap. 3. his verbis: *Dona amplissima Imperatorum ac fortium civium, quantum quis uno die plurimum circumaravisset, item quartarii farris, aut heminæ conferente populo.* quo in loco animadvertendum est, Plinium *farris quartarium* dixisse, & Livium *vini*, de utroque forsan facto sentientes. Ceterum quod Cato cap. 102. de convolvulo loquens, quartarii & tertiarii meminit, sic dicens: *Postea sumito bituminis tertiarium, & sulphuris quartarium.* id Plinius non mensuræ, sed portionis esse intellexit, lib. XVII. cap. 28. de eodem convolvulo & Catonis remedio loquens, quam tertiam & quartam, alibi intellexi respectu amurcæ, jam ad mellis crassitudinem decoctæ: quia Cato id spectavit, ut intritum tam crassum, quam viscum fieret, ut ex eo vitis circum caput & sub brachiis liniri possit. nimis enim crassum fieret, & durum, si portio hæc ad crudæ amurcæ quantitatem responderet. Hæc autem quartarii mensura, servata ratione prædicta, pondus unciarum quinque aquæ, vel vini continebit.

Acetabulum post quartarium sequitur, in quo est octava amphoræ divisio, ipsumque octava sextarii pars est, capiens sesquicyathum, pendetque aqua vel vino plenum, juxta supputationem prædictam, uncias duas semis. Dictum est autem *acetabulum*, ex Hermolai sententia, ab *accipiendo*, seu, ut verius puto, & juniores tradiderunt, ab *aceto*. nam & Græci suum *oxybaphum* (cui acetabulum est simile, & loco, & portione) ab *aceto* dixerunt, eo quod ejus quantitatis esse soleant vascula, quibus acetum & acria in mensa poni solent, ad ciborum fastidia vitanda, & appetentiam excitandam. Quod autem constet ex sesquicyatho, probat Fannius sic dicens:

At cotyle cyathos bis ternos una receptat.
Sed de abaco nobis id pondus sæpe notatur.
Bis quinque hunc faciunt drachmæ: si appendere tentes,
Oxybaphus fiet, si quinque addantur ad illas.

Plinius lib. XXI. cap. ult. *Cum acetabuli mensura dicitur, significat heminæ quartam partem, id est, drachmas quindecim.* Quæ loca, ne in pondere erret lector, intelliges non de Romano cyatho, vel acetabulo, sed de Græco, ut & Plinii attestatio loco supra relato demonstrat. ait enim: *Et quoniam in mensuris quoque & ponderibus crebro Græcis nominibus utendum est, interpretationem eorum semel hoc loco ponemus. Drachma Attica (fere enim Attica observatione medici utuntur) denarii argentei habet pondus, eademque sex obolos pondere efficit, obolus 9. chalcos. cyathus pendet per se drachmas decem. Cum acetabuli mensura dicitur, significat heminæ quartam partem, id est, drachmas quindecim. Mna, quam Romani minam vocant, pendet drachmas Atticas centum.* Hæc ille. Quod & non minus ex Galeni relatis locis, iis, quæ infra de Græcis mensuris dicturi sumus, colligi licet. Cum enim Græca cotyle, minor Romana hemina esset, ut Galenus testatur, & utraque ex sex cyathis constet, necesse est, ut ea portione, qua Græca cotyle Romana hemina minor est, cyathus quoque, & oxybaphus Græci, Romano cyatho & acetabulo minores sint. Sit igitur probatum ex Fannio & Plinio acetabulum heminæ quartam partem esse, pondus autem illius, si ex Dioscoride supra relato petatur, esse unciarum duarum & semis. Is enim utrumque probat, sic dicens: *Acetabulum, quarta pars heminæ, habet uncias duas semis.* Hac autem acetabuli mensura, & voce, medici medicinæque scriptores frequentius usi sunt, quam ceteri. Plinius lib. XXIV. cap. ult. de fœno Græco loquens: *Diocles ait, difficile parientibus, semen ejus dedit acetabuli mensura tritum, in novem cyathis sapæ, ut cum tertias partes biberint, calida laventur.* Et paullo post: *Damion fœni Græci semen, acetabuli dimidia mensura, cum sapa & aqua novem cyathis ad menses ciendos dedit potui.* Et hæc de Græcis acetabulis propter Plinii protestationem intelligo. contra vero quod idem Plinius dixit lib. XVIII. cap. 7. de polentæ confectione: *Quocumque autem genere præparato, viceenis ordei libris, ternas seminis lini, coriandri selibras, salisque acetabulo torrentes, ante omnia miscent in mola:* de Romano acetabulo intelligo, tum quia Romanam polentam tractat, tum quia ante protestationem, de qua supra. *Accetabula* quoque appellavit Plinius vascula quædam, quæ sunt in polyporum piscium brachiis, quibus saxis aut lignis adhærent, lib. IX. cap. 29. his verbis: *Cetero per brachia, velut accetabulis dispersis, eo hausto, quodam modo, cui adhæserunt, tenent supini, ut avelli non queant.* Et cap. 30. *Præterea negant ullum esse atrocius animal ad conficiendum hominem in aqua. luctatur enim complexu, & sorbet accetabulis.* Et paullo post de illo immani polypo loquens: *Accetabulis, ceu calculis urnalibus pelvium modo.* Quibus verbis Plinius vastitatem illius polypi, non solum ex capitis magnitudine, quod instar dolii amphorarum quindecim exstitit, sed ex istis caliculis, seu accetabulis, quæ essent in pelvium modum formata, & unius urnæ capacia, demonstrare voluit. *Accetabula* autem hoc loco ab *accipiendo* dicta puto, ut verba Plinii demonstrant, & in istis Hermolao consentio, ut per duplex *c* scribi debeat; sicut in eo *acetabulo*, quo pro mensura utimur, contradico, cum illud ab *aceto* cum junioribus dictum putem, & per simplex *c* scribi debere.

Cyathus, in quo nona est amphoræ divisio (vox a Græco sermone sumpta) a sumendo vel hauriendo vinum dictus est. ea enim mensura apud antiquos pocula commetiebantur, relicto in sacrificiis sympulo, teste Varrone de ling. Lat. lib IV. qui sic scriptum reliquit: *Quo vinum dabant, ut minutatim funderent, a guttis, guttum appellarunt: & quo sumebant minutatim, a sumendo simpulum nominavere. in hujusce locum in conviviis e Græcia successit epichysis & cyathus, in sacrificiis remansit guttum & simpulum.* Hæc ille. A quo cyatho *cyathissare*, pocula miscere, Plautus dixit in Menæchm. actu. 2. sce. 2.

Non scis, qui ego sim, qui tibi sæpissime
Cyathisso, apud nos quando potas.

Quod Cæsari exprobratum fuisse a C. Memmio, Suetonius in dictatore cap. 49. testatur his verbis: *Sed & C. Memmius etiam ad cyathum & vinum Nicomedi stetisse objecit.* Quod tamen munus hodie apud Principes nobilissimum Budæi testimonio exsistit. Constat autem cyathus ex quatuor ligulis, sive cochlearibus, & est sextarii pars duodecima, ut dictum est. quem sextarium, cyathorum assem, antiquos constituisse jam dixi, ideoque ab eo ex cyathorum numero pocula appellasse, his nominibus, quibus assis partes

partes appellantur, nempe fextantes, quadrantes, trientes, quincunces, femiffes, feptunces, beffes, dodrantes, dextantes, deunces, pro calicibus feu poculis, quæ duos, tres, quatuor, & fic deinceps cyathos continerent. quem quidem cyathorum numerum plerumque ex numero litterarum, quæ ad exprimendum nomina fuorum deorum, dominorum, & amafiarum concurrebant, formaffe conftat, diphthongorum ratione habita, ut clarius ex infra dicendis apparebit, quæ pro majori parte a Leonardo Portis, Budæo, Alciato, ceterifque junioribus, ficut pleræque aliæ a me fupra & infra relatæ auctoritates adductæ funt. Suetonius in Augufto cap. 77. *Vini quoque natura parciffimus erat. non amplius ter bibere eum folitum fuper cenam in caftris apud Mutinam, Cornelius Nepos tradidit; poftea quoties largiffime fe invitaret, fenas fextantes non exceffit, aut, fi exceffiffet, rejiciebat.* Hæc ille. Sexies enim bibebat Auguftus, quando fe large invitabat, calice qui duorum cyathorum capax effet, ita ut in tota cœna fextarium affumeret. De fextante quoque meminit Martialis lib. XII. in Cinnam:

Poto ego fextantes, tu potas Cinna deunces:
Et quæris, quod non Cinna bibamus idem.

Idem lib. V. epigr. ad miniftros:

Sextantes, Callyfte, duos infunde Falerni:
Tu fuper aftivas, Alcine, funde nives.

Idem lib. VIIII. ad Calatiffum de quadrante, qui trium cyathorum effet:

Addere quid ceffas, puer, immortale Falernum:
Quadrantem duplica de feniore cado.
Nunc mihi dic, quis erit, cui te, Calatiffe, deorum
Sex jubeo cyathos fundere? Cæfar erit.

Quorum loco illud notandum, quod *duplicem* appellavit *quadrantem*, poculum, qui fex cyathorum effet, quia tot litteræ in Cæfaris nomine, quem *fummum deum* appellat, reperiuntur. Idem eodem libro ad Lupercum, de triente, qui quatuor eft cyathorum:

Septem poft calices Opimiani,
Denfo cum jaceam triente blafus,
Affers nefcio quas mihi tabellas.

Septies enim tunc Martialis biberat calice trientali, ideft, cyathorum quatuor, ita ut fextarios duos & trientem Opimiani vini affumpfiffet. quod vinum jam tunc ducentefimum fere annum attigerat, ut Plinius lib. XIIII. cap. 4. teftatur: cujus verba (etfi extra propofitam materiam) adfcribere libuit: *L. Opimio confule, cum C. Gracchus tribunus plebem feditionibus agitans, interemptus eft, ea coeli temperies fulfit, quam cocturam vocant, folis opere natali Urbis DCXXXIV. durantque adhuc vina ducentis fere annis, jam in fpeciem redacta mellis afperi.* Hæc ille. Conftat autem Martialem Plinii contemporaneum fuiffe. Idem lib. VI. in bibentes aquam:

Setinum, dominaque nives, denfique trientes,
Quando ego vos, medico non prohibente, bibam?

Propertius lib. III. de natali amicæ:

Cum fuerit multa exacta trientibus hora.

Idem Martialis lib. II. ad librum de quincunce fic:

Te conviva leget mifto quincunce, fed ante
Incipias pofitus, quam tepuiffe calix.

Idem lib. II. de Cajo & Proculo.

Quincunces, & fex cyathos, beffemque bibamus,
Cajus ut fiat, Julius, & Proculus.

Cajus enim pro quincunce, nomen quinque litteris conftat, *Julius* pro fex, & *Proculus* pro beffe, qui cyathorum eft octo. Idem libro primo ad fomnum:

Nævia fex cyathis, feptem Juftina bibatur,
Quinque Lycas, Lyde quatuor, Ida tribus.
Omnis ab infufo numeretur amica Falerno:
Et quia nulla venit, tu mihi, fomne, veni.

Et lib. III. in Zoilum de feptunce, ideft, calice feptem cyathorum:

Septunce multo deinde perditus ftertis.

Plautus in Sticho actu 5. fce. 5.

Quibus divitiæ domi funt, fcaphio, cantharis, batiolis
Bibunt: nos noftro Samiolo poterio tamen vivimus.

Et paullo poft.

Vide, quot cyathos nos bibimus. Sa. Tot, quot digiti funt tibi
In manu. cantio eft Græca: quinque bibe, tres bibe, dimidium quatuor.
Tibi propino decuma fonte, tibi tute inde fi fapis.

Quo in loco *decumam fontem* Plautus appellavit decem cyathorum poculum. Sed & medici in fuis potionibus ex pharmacis, poculis cyathorum menfura modulatis ufi funt. Plinius lib. XXIII. cap. 7. *Silveftrium quidem prunorum bacca, vel e radice cortex, in vino auftero fi decoquatur, ita ut triens ex hemina fuperfit, alvum & tormina fiftunt. fatis eft fingulos cyathos decocti fumi.* Celfus lib. I. cap. 8. *Ante quam conquiefcant, duos trefve cyathos per tenuem fiftulam bibant.* Ex lib. III. cap. 9. *Non alienum eft, in ipfa febre dare mulfi tres aut quatuor cyathos.* Ex cap. 19. de curatione cardiaci morbi: *Si ne id quidem manferit, forbere vini cyathum.* Plinius lib. XXI. cap. 19. de viola lutea: *Dimidio cyatho in aqua tribus, menfes trahit.* Cato cap. 120. *De eo vino cyathum fumito, & mifceto aqua, & bibito ante cœnam. fine periculo purgabit.* Ex cap. 129. *Jejunus cyathum fumito.* Sed & non minus olei & falis menfura cyathus fuit. Columella lib. XII. cap. 16. de uvis paffis loquens: *Deinde in lixiviæ fextarios decem, falis tres cyathos, & olei cyathum adjiciunt.* Plinius lib. XIIII. cap. 9. *Diftat a mulfo, quod fit e mufto, cum quinque congiis aufteri, mufti congio mellis, & falis cyatho fubfervefactis, hauftum.* Pendet autem hic cyathus aquæ vel vino plenus, juxta ea, quæ fupra tradita funt, unciam unam, drachmas quinque, fcripulum unum. nam quod Fannius & Plinius dixerunt, eum effe drachmarum decem fupra declaravi eos de Græco cyatho intellexiffe.

Cochlear, five ligula, decima & poftrema eft amphoræ divifio, & eft cyathi pars quarta, ut colligi licet ex Columella lib. XII. cap. 21. *Præterea fœnum Græcum maceratur in vino vetere per triduum, deinde eximitur, & in furno ficcatur, vel in fole: idque cum eft aridum factum, molitur: & ex eo molito poft falituram, mufti cochlear cumulatum, vel fimile genus poculi ejus, quod eft quarta pars cyathi, adjicitur in binas urnas.* Qui & paullo ante de ligula fic dixerat: *Et ita coadjicitur in binas urnas ligula cumulata, feu menfura femuncia bene plena falis cocti & triti.* Neque huic fententiæ refragatur, quod Fannius dicit:

At myftrum cyathi quarta eft, ac tertia myftri;
Quam vocant cyanem. capit hac cochlearia bina.

Ex qua fupputatione videtur dicendum; cochlear effe cyathi partem quartam & vigefimam, quam

Fannius non ibi de Latinis, ſed de Græcis cochlearihus intellexit, ut ex infra traditis Græcis menſuris colligi licet. Miſcuit enim vir ille, alioqoi egregius & doctus, Græcas menſuras cum Romanis: ut non facile quoque, niſi a caute legentibus, dignoſci poſſint. Hanc autem quartam cyathi partem appellavit Dioſcorides Græca voce *Chemen*, quam pro poſtrema amphoræ parte, & cyathi quarta collocavit. Ligulam autem cavam fuiſſe, ad modum linguæ ad palatum retractæ, juniores putaverunt: quod colligunt ex Columella lib. X. cap. 15. ubi de melle conficiendo tractans ſic inquit: *Deinde ubi liquatum mel in ſubjectam alvum defluxit, transfertur in vaſa fictilia, quæ paucis diebus aperta ſint, dum muſteus fructus deferveſcat. is ſæpius ligula purgandus eſt.* Plinius lib. XXI. cap. 14. de cera loquens: *Punica fit hoc modo. ventilatur ſub dio ſæpius cera fulva, deinde fervet in aqua marina ex alto petita, addito nitro. inde ligulis eligunt florem, ideſt, candidiſſima quæque, transfunduntque in vas, quod exiguum habeat marinæ frigidæ.* Hæc ille. Non enim purgatio, aut transfuſio rei liquidæ ligula fieri poſſet, niſi, ut juniores advertunt, ligula concava fuiſſet, quæ a multis & *Lingua* eſt appellata, & diminutive *Ligula*. eos namque, qui *Lingulam* appellabant, irrides Martialis lib. XIV. his verſibus:

Quamvis me ligulam dicant equiteſque patreſque,
Dicer ab indoctis lingula grammaticis.

Qui & ſtatim de cochleare ita ſuhjunxit:

Sum cochleis habilis, ſum nec minus utilis ovis:
Num quid ſcis potius cur cochleare vocer?

Unde facile intelligi licet, hæc inſtrumenta ut ſimilia a Martiali fuiſſe conjuncta. Pendet autem cochlear, aqua vel vino plenum, drachmas tres, ſcripulum unum.

Culleus, qui ſupra amphoram, ſeu quadrantal eſt, conſtat ex amphoris viginti, ut colligi licet ex Columella lih. III. cap. 4. qui de cultura & fructu vineæ ſeptem jugerum loquens, ita ſcriptum reliquit: *Quippe, ut deterrimi generis ſint vinea, tamen, ſi culta, ſingulos utique culleos vini ſingula jugera peræquabunt; utque trecentis nummis quadragenæ urnæ veneant, (quod minimum pretium eſt annonæ) conſummant tamen ſeptem cullei ſeſtertia duo millia & centum nummos.* Quæ Collumellæ ſupputatio, quadragenas urnas, ideſt, amphoras viginti, ut ſupra dictum eſt, culleo reſpondere demonſtrat. quod & aperte teſtatur Plinius lib. XIV. cap. 4. de vinea Rhemnii Palæmonis, (quem ſupra eum Fannium fuiſſe dixi, cujus ſunt carmina toties citata) ſic dicens: *Quando & poſtea ſæpe numero ſeptenos culleos ſingula jugera, hoc eſt, amphoras centenas quadragenas muſti dedere.* Idem quoque teſtatur Fannius:

Eſt & bis decies, quem conficit amphora noſtris
Culleus: hac nulla eſt major menſura liquoris.

Et ab his nemo, quod viderim, diſcrepat. Nec huic ſententiæ refragatur, quod Cato cap. 115. ſingulis culleis quadragenas ſingulas urnas attribuerit: quoniam, ut & ſupra dixi, ex omnium recta ſententia, urnam culleo acceſſionis loco & pro detrimento adjecit Cato. Culleos autem fuiſſe ex corio, vel ex eo apparet, quod lex præcipiebat parricidam culleo inſui, & in mare projici, ut refert Modeſtinus Juriſconſulti l. *pœna.* ad legem Pompejam de parricidiis. *Pœna parricidii more majorum hæc inſtituta eſt, ut parricida virgis ſanguineis verberetur, deinde in culleo inſuatur cum cane, & gallo gallinaceo, & vipera, & ſimia; deinde in mare profundum culleus jactetur.* Quod ideo fieri teſtatur Conſtantini Imperatoris conſtitutio in Codice, de iis, qui parentes aut liberos occiderunt, *ut inter eas ferales anguſtias comprehenſus ſerpentium contuberniis miſceatur, & omni alimentorum uſu vivus carere incipiat, & cælum ſuperſtiti, terra mortuo auferatur.* Nec aliter inſui, aut in mare, ita ut non ſubmergeretur, ſtare potuiſſet, ſi ex alia quam ex corii materia culleus fuiſſet. Forma autem cullei utri formæ ſimilis fuit, licet ſpecie major, ut Romæ ſculptum videre licet in marmoreo fragmento, in ædibus nobilis Franciſci Porcii, cujus, & nonnullorum fragmentorum, quibus plurimum delectatus ſum, exemplar in calce hujus operis apponendum curavi: ex qua ſculptura puto intelligi debere locum Plinii lib. VII. cap. 20. dum inquit: *A Julius Valens meruit in prætorio divo Auguſto centurio, vehicula culleis onuſta, donec exinanirentur, ſuſtinere ſolitus.* Non enim plures, ut aliqoi exiſtimaverunt, ſed ſinguli cullei, ſingulis vehiculis, ſingulo boum jugo trahebantur. quod & ex Catone colligi licet cap. 12. qui in inſtrumento oleti jugerum CCXL. cui ſex tribuit boves, hæc requirit: *Ploſtra majora tria, aratra cum vomeribus ſex, juga cum loris ornata tria, ornamenta bubus ſex.* Tria enim juga, totidemque ploſtra ſex bobus tribuit. Et cap. 13. ubi in inſtrumento vineæ *boves duos, aſinos ploſtrarios duos, ploſtra duo, aratra duo, jugum ploſtrarium unum, jugum vinarium unum, jugum aſinarium unum* eſſe voluit. Duobus enim bubus jugum unum, & ploſtrum unum tribuit. Ex cujus verbis, etſi extra rem propoſitam, illud ſcire licet, aſinos quoque ploſtrarios, & aratorios, & quadrigarios apud antiquos fuiſſe. quod ex Varrone de re ruſt. lib. II. cap. 1. & 8. qui illorum mira pretia refert, colligi licet. quod tamen Columella lib. VII. cap. 1. ita intellexit, ut vehicula non nimium eſſent onerata, & humus proſcindenda facilis. Singulis igitur ploſtris, ſeu vehiculis, ſingulos culleos vehi ſolitos, & ſculptura, & rei qualitas demonſtrant. nam duo boves non ultra culleum unum, ſi is juſtæ menſuræ ſit, cum mille & ſexcentas libras appendat, in ploſtro duarum rotarum ducere poſſent, ut reipſa hodie quoque videre licet. Mirum quippe eſt, quantum antiquitatum reliquiæ, præſertim quæ Romæ ſunt, ad ſcriptorum intelligentiam conferant. quod etiam oſtendit Gulielmus Philander, vir ſane doctus, & rerum antiquarum peritus, in Vitruvium lib. VI. cap. 5. ubi, quonam modo antiqui accumberent, ex antiquis ſculpturis ſumptum, palam fecit. ſubjecta namque ſculpta marmora, mihi belliſſime aperuerunt differentias inter rotas curruum, & tympana plauſtrorum, de quibus Virgilius Georg. 2. de laudibus ſilveſtrium arborum, ita inquit:

Dant alios alia fetus, dant utile lignum
Navigiis pinos, domibus cedroſque cupreſſoſque.
Hinc radios trivere rotis, hinc tympana plauſtris
Agricolæ, & pandas ratibus poſuere carinas.

Pro tympanis enim intelligo rotas plauſtrales ſine radiis, quæ ex aſſeribus invicem tranſverſis & affixis, componebantur, ſpeciem tympani habentes, etſi ibi Servius aliter intellexerit. Radii autem in rotis ſunt illi, qui inſtar radiorum Solis, diſpartiuntur, arcuatam materiam, quæ terram terit, (*canthum* appellant) ſuſtinentes, ut in triumphalibus curribus, carpentis, rhedis, bigis, trigis, & quadrigis, etiam in numiſmatibus & aliis civilibus operibus inſpiciuntur. Rurſus ex eiſdem marmoribus mihi ſe oſtendit forma amphoræ, vel feriæ, cum

quibus

quibus vinum poculis fundebant, necnon rustici potorû, & sinus lactus, & agricolarum vestium, & quo tegminis genere rustici caput operirent: licet hoc setam tempore variatum, non tamen adeo, quin adhuc in illorum speciem in rusticis sagis capitia illa, colorum modnacuta, pendere videamus. ex quibus etiam sculpturis, (ut mihi paullo amplius, bona venia, vagari liceat) subtilis illa differentia inter plaustrum & vehiculum discernitur, de qua Varro de ling. Lat. lib. IV. ita disserit: *Vehiculum, in quo faba aliudve quid vehitur, quo ex viminibus uterentur, & quod eo vehitur brevis veha, vehiculum est dictum, ab aliis etiam dictum arcera, quæ etiam in duodecim tabulis appellatur, quod ex tabulis vehiculum erat factum ut arca, arcera dictum. Plaustrum ab eo, quod, non ut in iis, quæ supra dixi, sed ex omni parte palam sunt, quæ in eo vehuntur, quod perlucent lapides, asseres, tignum.* Hactenus ille. Quæ tamen nomina usu confusa fuisse, vel ex Plinio colligi licet, qui vehiculum appellat culleo onustum, quod plaustrum, quia palam culleum faceret, ex Varronis relata sententia appellari debuit. Sed ut ad culleos, unde nos marmora diviserunt, redeamus, de his inter instrumenta ad vinum transferendum meminit Ulpianus Jurisconsultus l. *quæsitum.* de fundo instructo sic dicens: *Sed & ea, quæ exportandorum fructuum causa parantur, instrumenti esse constat, veluti vehicula, & naves, & cuppæ, & culei.* Ex Scævola l. ult. in fine de pigneratitia actione. *Titius pecuniam mutuam a C. Sejo sub pignore culleorum accepit. Istos culleos cum Sejus in horreo haberet, missus ex officio annonæ centurio, culleos ad annonam sustulit, & postea instantia C. Seji creditoris recuperati sunt; quæro intertrituram, quæ ex operis facta est, utrum Titius debitor, an Sejus creditor agnoscere debeat.* Jabolenus vero l. *legatum.* de annuis legatis, *culleum* pro *mensura* posuit, dum dixit: *Vini Falerni, quod domi nasceretur quotannis, in annos singulos binos culleos heres meus Titio dato.* quod & Ulpianus fecit l. *si cui.* de tritico legato. *Vino legato utres non debebuntur, nec culleos deberi dico.* Hæc ille. Utribus enim ad transferenda vina, non minus quam culleis, usi sunt antiqui, ut & hodie Neapolitani ad musta præsertim transferenda, & Hispani quoque, ut audio, non solum ad transferenda, sed ad in illis diffusum vinum conservandum utuntur. Quibus quidem utribus etiam hodie ad oleum transferendum Romæ utimur, qui sunt ex hircorum sive caprarum integro corio. quem morem antiquorum quoque fuisse crediderim ex Virgilio Geor. 2.

> *Non aliam ob causam Baccho caper omnibus aris*
> *Cæditur, & veteres ineunt proscænia ludi,*
> *Præmiaque ingentes pagos, & compita circum*
> *Thesidæ posuere, atque inter pocula læti*
> *Mollibus in pratis unctos saluere per utres.*

Culleus igitur (ut ad eum iterum redeam) servata ratione prædicta, vino puro, vel aqua pura plenus, pendet, ut dixi, lib. mille sexcentas. Et de antiquis Romanorum mensuris, quantum ad liquida & arida attinet, dixisse sufficiat, quarum hæ sunt notæ:

q	Quadrantal, sive amphora.	Q.	Quartarius.
qS.	Urna sive quadrantalis semis.	Cu.	Cyathus.
C.	Congius.	M.	Modius.
S	Sextarius	Ms.	Modius semis sive semodius.
SS.	Hemina, sive semisextarius.		

Græcarum mensurarum epitome.

GRææ liquidorum aridorumque mensuræ cum non solum pro locorum varietate discrimen receperint, sed etiam quia apud eos non tantum Atticæ, quibus frequentius medici sunt usi, sed & georgicæ quibus uterentur agricolæ, & qui agriculturam tractaverunt, nec non hippoiatricæ, quibus veterinarii usi sunt, omnes capacitate dissimiles, licet in nomine convenirent, magnam maximis & doctissimis viris difficultatem attulerunt. Ego vero, alieno labore fruens, non quidem eo animo, ut alienam laudem in me transferam, ut alibi dilucide testatus sum, sed ut, qui quid legerim, ad studiosorum utilitatem referam, eorum sententias, in epitomen redactas tradam; ut properantibus laborem minuam. sunt autem, quæ sequuntur:

Mensura Attica, sive Medica, quibus Græci ad liquores usi sunt.

MEtretes, quem ceramium, cadum, & amphoram Græcam, appellaverunt, capit choas duodecim: pendet autem, oleo plenus, habita ratione ponderis, cotyle a Galeno traditi, priore libro relati, quod est unciarum septem semis; sive drachmarum sexaginta, pendet, inquam, Metretes, oleo plenus, libras nonaginta: cum autem supra traditum sit, vinum purum, aquam puram, & acetum purum, oleo nona parte graviora esse, pendet Metretes, vino aut aqua plenus, libras centum. Intelligo autem hic & in sequentibus omnibus de libra ponderali antiquarum unciarum duodecim: quarum unciarum pondus unum & idem Græcis & Latinis fuisse, libro quinto demonstrabo. Hac Metretes mensura usi sunt quoque Latini, mutato genere, ut Cato cap. 107. *Oleum si in Metretam novam indituris eris, amurca, ita uti est cruda, prius colluito, agitatoque diu, ut bene combibat. id si feceris, Metreta oleum non bibet, & oleum melius faciet, & ipsa Metreta firmior erit.* De qua & Columella lib. XII. cap. 51. Quibus in locis haud dubie pro vase, & non mensura capitur. Sed & pro mensura eam sumpsit idem Columella, dicto lib. XII. cap. 22. sic scribens: *Picis liquidæ Metretam adde in labrum.* Et iterum eodem lib. cap. 40. de lora: *Quantum vini uno die feceris, ejus partem decimam, quot Metretas efficiat, considerato, & totidem Metretas aquæ dulcis in vinacea addito.* De hoc quoque Metrete sensit Fannius, qui eum amphoram Atticam, sive cadum appellavit; sic dicens;

> *Attica præterea dicenda est amphora nobis,*
> *Seu cadus: hanc facies, nostra si adjeceris urnam.*

Hæc autem verba *nostra si adjeceris urnam*, velim intelligas nomine tenus, i. ut Græca amphora, sive cadus constet ex tot Græcis sextariis, seu cotylis, ex quot constat Romana amphora, & urna. hi enim sunt sextarii octo & quadraginta in amphora, & quatuor & viginti in urna, ita ut Metretes, sive cadus, vel Attica amphora capiat sextarios Græcæ mensuræ 72. sive cotylas 144. Cotylæ autem cum sint oleo plenæ pondo unciarum septem semis singulæ, ut probatum est, efficient pondus librarum olei nonaginta, aquæ puræ, aut puri vini centum.

Chus, qui & Choeus appellatur, & qui, ut prædixi, duodecima pars est metretes, continet in se sextarios Atticos sex, seu cotylas duodecim, pendet, oleo plenus, ex Galeni, Dioscoridis, & Cleopatræ sententia, drachmas septingentas viginti, quæ

libras ſeptem & ſemis conſtituunt. juxta quam rationem pendet aquæ puræ aut vini puri libras octo & quadrantem.

Sextarius, qui cum Romanorum vox & menſura ſit, cum Romano imperio in Græciam, in uſu præſertim medicorum, tranſivit, imminuta tamen capacitate, choæ eſt pars ſexta, continens in ſe cotylas duas: pendet autem, ex relatorum ſententia, Græcus Sextarius, oleo plenus, uncias quindecim, aqua aut vino uncias ſexdecim, drachmas quinque, ſcripulum unum. Hic autem Sextarius, licet nomine ſit idem cum Romano, tamen, ut dixi, capacitate differt, & pondere: ſiquidem Romanus, oleo plenus, ut ſupra ex Dioſcoridis & aliorum ſententia ſtatui, pendet uncias duodeviginti, hic autem quindecim, ut Galenus tradidit.

Cotyle, quæ & Tryblion dicta eſt, ſextarii dimidia pars eſt, choei autem duodecima. continet in ſe quartarios duos, cyathos ſex: pendet autem, oleo plena, uncias ſeptem ſemis, ſive drachmas ſexaginta, vino aut aqua uncias octo, drachmas duas, ſcripula duo.

Quartarius, ſive Semicotylium, qui eſt, ut vox ſonat, dimidium cotylæ, & ſextarii pars quarta, menſura pariter eſt medicis potius, quam ceteris in uſu, continet in ſe oxybapha duo, cyathos tres. pendet, oleo plenus, uncias tres, drachmas ſex; vino aut aqua, uncias quatuor, drachmam unam, ſcripulum unum.

Oxybaphum, qui & a Fannio Oxybaphus dicitur, continet in ſe ſeſquicyathum: pendet, oleo plenum, unciam unam, drachmas ſeptem; aqua, aut vino, uncias duas, ſcripula duo.

Cyathus, qui duodecima pars eſt ſextarii, cotyles ſexta, & quartarii tertia, continet in ſe conchas duas, myſtra quatuor, chemas quinque, cochlearia parva decem: pendet autem Cyathus, oleo plenus, unciam unam, drachmas duas; vini unciam unam, drachmas tres, grana octo.

De hoc Cyatho, & præcedenti Oxybapho, & Cotyla dixi ſupra, intelligendum eſſe Fannium, dum dixit:

At cotyle cyathos bis ternos una receptat:
Sed de abaco nobis id pondus ſæpe notatur.
Bis quinque hunc faciunt drachmæ, ſi appendere tentes.
Oxybaphus fiet, ſi quinque addantur ad illas.

Quem locum ex prædictis de olei drachmis intelliges ex Galeni examine de Græca cotyle tradito.

Concha, ſemicyathus eſt, continens in ſe myſtra duo: pendet autem, oleo plena, drachmas quinque, vino aut aqua drachmas quinque, ſcripulum unum, grana xx. De concha inter Latinos meminit Cato cap. 73. quam videtur ſumpſiſſe pro vaſe, quo capulator oleum tollit. Sed & pro menſura, & quidem parva, eam ſumpſiſſe videtur idem Cato cap. 173. De minori & majori concha meminit idem cap. 15. inter inſtrumenta cellæ oleariæ. De concha etiam pro vaſe, nec eo quidem minimo ad chryſocollam lavandum, meminit Plinius lib. XXXIII. cap. 5.

Myſtrum cyathi quarta pars eſt: pendet autem oleo plenum drachmas duas ſemis, aqua aut vino drachmas duas, ſcripula duo, grana octo.

Cheme, quincta pars eſt cyathi, capit cochlearia minora duo, pendet, oleo plena drachmas duas, aqua aut vino drachmas duas, grana. xvi.

Cochlear, cui ſolet adjici *parvum*, cyathi pars eſt, ex juniorum ſententia, decima: pendet oleo plenum drachmam unam, vino aut aqua drachmam unam, grana octo. de his tamen Fannius ita ſcripſit:

At myſtrum cyathi quarta eſt, ac tertia myſtri,
Quam vocant cyanem. capit hæc cochlearia bina.

Juxta quam ſupputationem parvum Cochlear, pars quarta & vigeſima cyathi eſſet. diſſident enim de menſuris, quæ infra chemem ſunt, ſcribentes fere omnes, eam tamen quartam cyathi partem eſſe conſentientes.

Attica aridorum menſura.

Medimnus capit chœnicas octo & quadraginta, ſextarios vero Græcos duos & ſeptuaginta. juxta quam ſupputationem chœnix eſt cotylarum trium.

Chœnix capit cotylas tres, ſeu ſeſquiſextarium, cyathos vero duodeviginti.

Cotyle capit oxybapha quatuor, cyathos ſex.
Oxybaphus capit ſeſquicyathum.
Cyathus cochlearia parva decem.

Qui harum menſurarum modulum conſequi voluerit, cotylen formabit, quæ unciarum ſeptem ſemis olei capax ſit, & cum ea multiplicabit, & in minores dividet, parvoque negotio ceteras & certam medimni & chœnicis menſuram habebit. Hic notandum, quod chœnix frumenti, quæ pro diurno cibo familiæ aſſignabatur, non eſt hæc Attica, ſeu medica, de qua loquimur, ſed georgica, quæ ex ratione ſtatim dicenda ſeſquialtera eſt ad iſtam. qua ratione fit, ut cum duobus ſextariis Romanis non multo diſcrimine, nempe quantum unciæ duæ, & unciæ pars quarta, ſive ſicilicus olei, loci ſeu ſpatii occuparent. quo quidem ſpatio & capacitate duo Romani ſextarii georgicum chœnicem excedunt. quod autem ſupra in modio diximus, quatuor modios demenſum ſervorum fuiſſe, qui ſunt ſextarii quatuor & ſexaginta, modico negotio intelligimus, Romanos & Græcos parem fere victum familiæ & ſervis tribuiſſe. de choenice, quæ diurni victus eſſet, meminit Homerus in perſona Telemachi Odyſſeæ decimo nono, ſic dicentis, ut juniores vertunt:

Haud operis vacuum noſtrum contingere quemquam
Chœnica perpetiar, longis licet hoſpes ab oris
Venerit.

De qua Suidas ab eiſdem relatus ſic ſcribit: *Chœnix enim cibus diurnus. unde & proverbio in morem uſurpatum eſt, Chœnici non inſidendum.*

De Georgicis.

Georgicæ menſuræ, quibus utebantur agricolæ, & tractantes res ad agriculturam ſpectantes, eædem ſunt nomine cum ſupradictis, tam liquidorum, quam aridorum: diverſæ tamen ſunt capacitate, & pondere, ſiquidem ſeſquialteræ ad medicas ſunt, id eſt, dimidio ampliores, quam illæ. Nam cotyle, quam in Atticis, ſeu medicis probavimus oleo plenam uncias ſeptem ſemis pendere, in iſtis georgicis pendet uncias undecim, & drachmas duas, id eſt, quantum illa, & amplius dimidium illius. qua ratione quilibet modico negotio de cujuslibet capacitate poterit judicare. hoc unum moneo, ut animadvertat eum, quem legit, auctorem, & rem, de qua tractat, ut diſcrimina Georgicarum & Atticarum aſſequi poſſit, ne decipiatur.

De

De Hippoiatricis.

Hippoiatricæ mensuræ, quibus veterinarii in curandis equis, & bubus, ceterisque animalibus usi sunt, eodem pariter sunt nomine cum Atticis, capacitate tamen ab illis & Georgicis differunt: habent enim se ad medicas, proportione supra tertiam, id est, capiunt quantum illæ, & amplius illarum partem tertiam. Exemplum in cotyle, quæ in Atticis, ut sæpius diximus, oleo plena pendet drachmas sexaginta, quæ sunt unciæ septem semis, in istis pendet uncias decem, sive drachmas octoginta. juxta quam supputationem reliquarum capacitas & pondus facile poterit inveniri. Et hactenus de antiquis mensuris dixisse sufficit, quarum notæ ex ignoto Græco, & junioribus hæc sunt:

- Ceramium.
- Chos.
- Sextarius.
- Cotyla.
- Tryblion.
- Oxybaphus.
- Cyatbus.
- Mystrum.
- Cheme.
- Medimnus.
- Chœnix.

LUCAE PAETI JURISCONSULTI DE

Liquidorum aridorumque Mensuris, quibus hodie Romæ utimur, deque earum pondere,

LIBER QUARTUS.

Nunc de iis liquidorum aridorumque mensuris, quibus hodie Romæ utimur, dicendum est, & primu de iis, quibus liquida metimur, quæ & ipsæ bipartitæ sunt. Aliæ enim olei sunt, aliæ vini, aceti, ceterorumque liquidorum, qui mensura tractantur: licet unum idemque nomen tam olei quam vini mensuris commune sit, barbarasque voces barbare me proferre profiteor, ne, dum eas Latinitate donare studeo, rem per se obscuram obscuriorem efficiam. Primum igitur locum in vini mensuris tribuo bocali, seu baucali: de quibus e nostris meminit Catellianus Cotta in memoralibus verbo *supellectili legata*: quæ mensura me puero *petittus* appellabatur, & ita in marmoribus, ubi hæc mensura cum ceteris in Conservatorum Capitoliuis ædibus in publico est exposita, inscripta est. Hic petittus dividitur in duos semipetittos, quos alii medios absolute, alii medios petitos, seu media bocalia appellant: atque hic dimidius petittus rursus in duas partes, quas foliettas appellant, dividitur: nec alia infra foliettam, seu minor folietta mensura reperitur: licet non semel tentaverim, eam quoque ut pauperibus consuleretur, dividi oportere: quod forsitan fiet. Supra petittum est congius, ita in marmoribus, de quibus supra, appellatur, constans ex petittis quatuor, *congitella* a nostris municipalibus juribus, quasi parvus congius, appellatur. Supra congium est barilis, constans ex congiis quatuor, congitellis autem octo, petittis vero duobus & triginta. Supra barilem, est salma, ita a nostris municipalibus juribus appellata: quæ si vini sit, taxatur congitellarum quatuor & viginti; si musti, sex & viginti, illis duobus additis propter defæcationem, ut arbitror, & id quod in deferbuendu amittitur. quam congitellam ita, idest, petittorum quatuor, intelligendam esse, alibi declaravi; cum ex diminuto congii nomine, tum etiam, quia, si aliter, id est, de congio intelligeretur, salma illa constaret ex barilibus sex, onus non unius, sed duorum validorum equorum: & ita usu receptum est. Est etiam supra barilem caballus sive caballata, vulgo æstimatus musti barilium quatuor; de qua auctoritatem aliam, quam vulgi opinionem; non habeo. Postremu est illa, quam appellant bottem, constans ex barilibus octo. quarum mensurarum hic finis, qui culleo: de quibus singulatim differendum censeo, ut exinde cum antiquis, cum Græcis, tum Latinis collatio fieri posset.

Fulietta (ut a minori incipiamus) vino puro, non crasso, non nigro, non cocto, aut aqua pura plena, pendet uncias sexdecim, earum scilicet, quibus hodie Romæ utimur. cum autem singulæ nostri temporis unciæ, scripulo uno & granis quatuor singulis antiquis unciis majores sint, ut supra primu libro dictum & deductum est: efficitur, ut hæc folietta, vino puro aut aqua pura plena, pendeat antiquas uncias sexdecim, drachmas sex, grana sexdecim. quo fit, ut si folietta cum sextario Romano conferatur, ab eo longe differre cognoscatur. ille enim, ut jam demonstravi, pendet ex his antiquis uncias viginti: si vero cum Atticorum sextario, seu duabus Atticis cotylis conferatur, cum sextarius ille Atticus, aqua aut vino plenus, citra controversiam pendeat uncias sexdecim, drachmas quinque, & scripulum unum, prope est ut conveniant. intersunt enim scripula duo, grana sexdecim, quibus sextarius Atticus folietta minor est, antiqui ponderis ratione habita. Cur autem folietta

hæc

hæc potius ad Atticum ſextarium, quam ad Romanum accedat, eadem ratione factum crediderim, qua primo libro arbitratus ſum, pede relicto, ſpithamæ, ſeu ſpannæ, uſum in Italiam prorepſiſſe. nam eum Imperium in Byzantium a Conſtantino tranſlatum fuiſſet, Græcique Italia potirentur, Romaque inſequentibus deinceps temporibus a Græcis rectoribus gubernaretur, in tanta rerum calamitate ſuas Græci menſuras, & voces introducere conati ſunt. quod eo facilius adducor ut credam, quod in noſtris municipalibus juribus, quæ ab hinc annis trecentis vigebant, lib. III. cap. 106. hæc legantur: *Omnes menſura tam rublitellarum, quam congitellarum, vini & olei, quarteronum & metretorum, ſigillo ſenatus ſignentur.* conſtat autem ex iis, quæ dicta ſunt, metretem, Græcam menſuram fuiſſe, etſi de ea Columella bis aut ter meminerit.

Medius, ſive dimidius petittus, conſtat ex foliettis duobus. pendet autem, vino puro & aqua pura plenus, ſecundum ſupputationem prædictam, uncias duas & triginta, noſtri temporis, hoc eſt, libras duas, & beſſem; ex antiquis vero, uncias tres & triginta, drachmas quatuor, ſcripulum unum, grana octo.

Petittus, qui & hodie *Bocalis* dicitur, conſtat ſoliettis quatuor: pendet, vino puro aut pura aqua plenus, uncias quatuor & ſexaginta, ſive libras quinque & trientem, ex antiquis vero uncias ſeptem & ſexaginta, ſcripula duo, grana ſexdecim.

Congitella, quæ eſt ſemicongius, conſtans ex petittis quatuor, pendet vino aut aqua plena, noſtri temporis libram unam & viginti, ac trientem libræ, ideſt, uncias ducentas quinquaginta ſex, antiquarum vero libras duas & viginti, drachmas tres, ſcripulum unum, grana ſexdecim, hoc eſt, uncias ducentas octuaginta quatuor, drachmas tres, ſcripulum unum, grana ſexdecim. & hujus duplum eſt congius: cujus menſura in Capitolio, *Vini congius*, eſt inſcripta.

Barilis, quem idem Catellianus in verbo *Vinitor*, Romanorum, id eſt, noſtri temporis menſuram eſſe aſſeruit, conſtat, ut dixi, ex congiis quatuor, congitellis vero octo, petittis autem duobus & triginta. vino puro aut aqua pura plenus, pendet noſtri temporis libras centum ſeptuaginta, & libræ beſſem, antiquarum vero libras centum ſeptuaginta octo, uncias undecim, drachmas quinque, ſcripula duo, grana octo.

Botte, quæ *Dolium* latine paſſim vertitur, & recte; licet antiquis Romanis dolia alterius materiei & formæ eſſent, nempe ex opere figulino, ut alibi dixi, & ſubjectum in calce operis ſchema oſtendit, & Plinius demonſtrat lib. XIIII. cap. 21. & lib. XXXV. cap. 12. & Columella lib. XII. cap. 18. & Jabole. Juriſc. l. *dolia.* de fundo inſtructo, qui etiam de plumbeis meminit. conſtat, inquam, hoc dolium ex barilibus octo, etſi vaſa ipſa majoris ſint capacitatis: nam & trecentorum barilium non longe ab urbe vidi, & plurium eſſe audivi: hæc autem noſtri temporis dolia ex caſtanea materia fabricantur, circuliſque etiam caſtaneis, & colurnis, ſeu etiam ex orno factis, quin etiam majora ferreis quoque cinguntur. quiſquidem ligneorum doliorum uſus, etſi Plinii temporibus adhuc Romanis non eſſet, tamen in locis circa Alpes exſiſtentibus in uſu erant, ut Plinius ipſe teſtatur lib. XIIII. cap. 21. ſic dicens: *Magna eſt collecto jam vino differentia in cella. circa Alpes ligneis vaſis condunt, circuliſque cingunt, atque etiam hieme gelida ignibus rigorem arcent.* Hæc ille. Quem uſum in Sicilia quoque fuiſſe, colligi licet ex eodem Plinio lib. VIII. cap. 6. dum de elephantorum in Italiam transfretatione ſic ſcripſit: *Centum quadraginta fuere tranſvecti ratibus, quas doliorum conſertis ordinibus impoſuerant.* Quo in loco de fictilibus doliis intelligi non poteſt, cum illa, tum propter materiei ponderoſitatem & gravitatem, tum etiam propter oris patentiam, potius ipſa auxilium ad transfretandum recipere, quam alteri dare ſint apta. quod de ligneis ſecus eſſe videmus: cum illorum ope, ſi plena demergantur, & pondera alligentur, dein fiſtulis tractoriis per os exinaniantur, etiam magna pondera ex profundo erui & attolli poſſe compertum ſit. ratibus enim ad tranſportandum majora onera, quæ humidum non timerent, uſi ſunt antiqui, quas ex trabium conſertis ordinibus, ut & nos hodie (qui eas Romæ *trabatas* dicimus, Tridentini & Veneti *zattas* appellant) ſine carinis & puppibus conſtituebant, ut Lucanus lib. IIII. paullo poſt recitandus declarat. quibus ratibus ad majora onera ſuſtinenda vacuorum doliorum ſeu cuparum ordines ſupponebant, ut dictorum elephantorum transfretatione factum fuiſſe Plinius refert. & ita intelligendum puto Lucani carmen illud:

Namque ratem vacua ſuſtentant undique cupa.

Non, ut alii ſenſere, quos Catellianus Cotta ſecutus eſt, putans inde colligi cupis naves ſuſtineri, cum illarum carinæ aut latera reſarciuntur, cum non ſolum Lucanus id non ſenſerit, ſed etiam uſus aliter fieri demonſtret: ſiquidem naves ad ſarciendum aut ſubducuntur, juxta illud Virgilii primo Æn.

Urbem quam ſtatuo, veſtra eſt: ſubducite naves.

aut, malo in contiguam alteram navem aut proximum litus alligato, in latus inclinantur, ita ut latus alterum aquam contingat, alterum reſarciendum cœlum ſpectet. quod & in navibus & triremibus factum fuiſſe ſæpe vidi. Lucanus igitur eo in loco proprie de rate, & non improprie ratem pro navi, ut quandoque facere conſueverunt poetæ, intellexit, ut illius verba aperte demonſtrant, quæ etiam modum ratis fabricandæ belliſſime explicant. Sunt autem hæc:

Ut primum adverſa ſocios in litore terræ,
Et Baſilum videre ducem, nova furta per æquor
Exquiſita fuga. neque enim de more carinas
Extendunt, puppeſque levant, ſed firma gerendis
Molibus in ſolido contexunt robora ductu.
Namque ratem vacuæ ſuſtentant undique cupæ,
Quarum porrectis ſeries conſtricta catenis
Ordinibus geminis obliquas excipit alnos:
Nec gerit expoſitum telis in fronte patenti
Remigium, ſed quod trabibus circumdedit æquor,
Hoc ferit, & taciti præbet miracula curſus,
Quod neque vela ferat, nec apertas verberet undas.

Quas quidem rates ex ſcirpo pro pueris nare diſcentibus fieri conſueviſſe, teſtatur Plautus in Aulul. ſce. 4. actu 1. his verbis:

Quaſi pueris, qui nare diſcunt, ſcirpea inducitur ratis,
Qui laborent minus, facilius ut nent, & moveant manus.

Uſus autem lignéorum doliorum hodie apud omnes Italos pertranſivit, ſublatis in totum teſtaceis, cum ſua picandi difficultate, & tranſportandi periculo, &, quod omnium maximum videtur, cum pene illa incredibili moleſtia hauriendi vinum per ipſorum vaſorum ora, tam in diffundendo, ideſt, de uno in aliud vas tranſportando, ut docet Juriſconſultus Proculus

Proculus l. *vinum.* de tritico legato, & Columella lib. XII. a cap. 18. uſque ad 30. quam in depromendo & deguſtando, ut prædicti auctores, & Plinius lib. XIV. cap. 14. demonſtrant: de quo & Terentius in Heautont: *Relevi dolia omnia, omnes ſerias.* De qua re alibi. Iſta igitur noſtra dolia, ut ad ea redeamus, ex communi uſu octo barilium cum in venditionibus, tum in ſtipulationibus ceteriſque commerciis eſſe intelliguntur, niſi certum corpus, de quo intelligatur, demonſtratum ſit. Pendent autem, ſi, ut dixi, octo barilium ſint, vino puro aut aqua pura plena, noſtri temporis libras mille trecentas ſexaginta quinque, uncias quatuor, ex antiquis libras mille quadringentas triginta unam, uncias novem, drachmas tres, grana XVI. Cum igitur culleus pendeat ex antiquis libras mille ſexcentas, apparet barriles novem (cujus ferme ſunt menſuræ dolia iſt) communia, quæ Neapoli præſertim conficiuntur, cum antiquo culleo in capacitate concurrere. novem enim bariles pendent ex antiquo pondere libras mille ſexcentas decem, uncias novem, & drachmas quatuor, ita ut ad cullei pondus ſuperſint libræ decem, unciæ novem, & unciæ ſemis. Si quis igitur ex novem barilibus petittum unum & ſemis demeret, culleum, modicarum unciarum diſcrimine intercedente, coæquaret. S[u]putationes bujuſcemodi laborioſæ potius ſunt, quam ingenioſæ. quem laborem cum rerum antiquarum ſcriptores vitaverint, in maximas nos tenebras conjecerunt. præſertim cum Græcas menſuras & monetas in Latinas & ex contrario verterent, quia non, quibus & quantum convenirent, & in quo diſcreparent, exacte ſupputare curaverunt, ſed ad proximam, ſeu ſimilem recurrentes, duas cotylas pro ſextario, tres urnas pro metreta, & ſimilia vertentes, hiſce rebus tenebras, ut dixi, offuderunt, laboremque poſteris etiam doctiſſimis reliquerunt, cum tamen, ut ſupra demonſtratum eſt, eæ menſuræ inter ſe non parum differant, quarum quo major numerus auctus fuit, eo majus diſcrimen exortum eſt. ſic & drachmam pro denario, cum denarius in moneta conſideratus non unius ponderis perpetuo fuerit, ut ſequenti libro demonſtrabo. Quæ ideo dixiſſe volui, ne ſtudioſi circa prædicta, quæ plurima ſunt, diutius hæſitent: ut a junioribus quoque optime traditum & declaratum eſt.

De olei noſtri temporis menſuris.

SEquitur, ut de olei menſuris dicamus, quæ, ut prædixi, forma & nomine eædem ſunt cum vini menſuris. utriuſque enim vini & olei eſt congius, & congitella: utriuſque dicitur petittus, ſive bocalis: utriuſque medius, & folietta, capacitate tamen differunt, etſi in pondere conveniant, ut infra ex utriuſque collatione apparebit: quod nonnihil conferre arbitror ad eam, quam ſupra feci, conjecturam, cum dixi olei menſuram antiquis a vini menſura capacitate fuiſſe diverſam, in pondere parem, Galenum & Dioſcoridem ad concordiam redigendo. Sunt autem olei menſuræ hæ: Congius, conſtans ex petittis, ſive bocalibus octo: cujus menſura cum ſua iſta *Congius Olei* inſcriptione, in Capitolino palatio cum aliis conſervatur. Item Contigella, conſtans ex petittis quatuor, diminutione, ut arbitror, a *congio*, ſicut a *rublo rublitella* appellata. Item Petittus olei, cujus pariter menſura cum inſcriptione, ubi ſupra, ſervatur. Item dimidius petittus. Item Folietta, & foliettæ dimidium, & quarta. qui medius, & petittus ex figulino opere conſtant, congius & congitella ex ære, reliquæ minores ſtanneæ, ponderis autem infra dicendi.

Petittus olei, oleo puro plenus, qui olivarum ſit, de quo ſemper intellexi, & defæcatus, pendet uncias noſtri temporis quatuor, & ſexaginta, drachmas ſeptem, ſcripulum unum, antiquarum, de quibus ſupra, uncias octo & ſexaginta, ſcripulum unum, gra. 15. $\frac{9}{2}\frac{1}{8}$. Aquæ puræ autem noſtri temporis duas & ſeptuaginta, drachmas ſeptem. Ex collatione igitur ponderis petitti olei, oleo pleni, & vini vino pleni, conſtat, ipſas menſuras in pondere concurrere, drachmis ſeptem, & ſcripulo uno intercedentibus: quod diſcrimen in mole unciarum quatuor & ſexaginta, vix ſenſibile eſt: ut jam vel ex omni minima indiligentia publicanorum, qui hodie eas menſuras ex ære fabricatas cuſtodiunt, quo vendentium menſuras æquent, & ſignent, evenire poſſe, facile admitti poſſet.

Medius, ſive dimidius olei petittus, oleo plenus, pendet noſtri temporis uncias duas, & triginta, drachmas tres, ſcripula duo, antiquarum uncias quatuor triginta, gra. 19. $\frac{9}{9}\frac{1}{4}$ aqua pura aut vino, ſi his liquoribus impleretur, noſtri temporis uncias ſex & triginta, dracbmas tres, ſcripulum unum, gra. 12.

Folietta olei, quæ pars quarta eſt petitti, pendet olea plena noſtri temporis uncias ſexdecim, dracb. 1. ſcrip. 2. gra. 12. antiquarum uncias decem, & ſeptem, gra. 9. $\frac{1}{4}\frac{1}{8}$ aqua aut vino plena, ſi eo impleretur, noſtri temporis uncias duodeviginti. Diſcrimen igitur ponderis menſuræ vini ab oleo in folietta, eſt drachmæ unius, ſcripulorum duorum, & granorum duodecim. Pondera autem ſemifoliettæ, & aliarum minutarum menſurarum, quilibet parvo negotio ſupputare poterit.

Contigella olei, quæ congii eſt dimidia, capit oleo plena uncias noſtri temporis ducentas quinquaginta novem, drach. 5. ſcrip. 1. hoc eſt, libras unam & viginti, uncias ſeptem, drach. 5. ſcrip. 1. gra. 22. $\frac{2}{2}\frac{1}{8}$ aqua pura, aut vino, ſi iis impleretur, noſtri temporis uncias 288. Cujus duplum eſt congius, conſtans ex petittis octo, ut prædixi. Et hic finis olei menſuris, quibus Romæ utimur. nam utres, quibus oleum transfertur, incertæ capacitatis ſunt, licet cum congitellis decem plus minus in menſura concurrant.

De aridorum, quibus Roma utimur, menſuris.

ARidorum noſtri temporis menſuræ ſunt, Rublum, Rublitella, quæ rubli eſt ſemis, Quarta, quæ rubli eſt pars quarta, Scortium, Semiſcortium, Quartucium, & Semiquartucium, quæ ſe invicem habeot, ut infra.

Rublum in menſura aridorum conſideratum, eſt menſura potius intellectu percepta, quam quod per ſe appareat, propter illius magnitudinem, quæ manibus a metientibus facile tractari non poſſet: quod tamen ex duabus apparentibus rublitellis conſtituitur: quarum rublitellarum tam frumenti, ordei, aliarumque frugum, quam etiam calcis & ſalis, quæ inter ſe differunt, ſchemata, & menſuræ, marmoribus inſculptæ, in palatio Capitolino, ut reliquæ, conſervantur. Hoc autem rublum, frumenti ſcilicet & frugum, conſtat ex rublitellis, ut dixi, duabus, quartis quatuor, ſcortiis vero viginti, aut duobus & viginti, juxta menſurarum qualitatem, hoc modo. Rublitella aut quarta, quarum oblonga eſt forma, palis leviter frumento impletur fere ad ſummum, menſuraque ipſa ter ab utroque capite extollitur, & humi percutitur, ut frumentum calcetur, dein iterum impletur, regu-

laque ducta, quod supra mensuram est, quoad fieri potest, raditur, & super excedens excluditur. & hæc mensura scortiorum est viginti, appellaturque. *Campi Floræ mensura*, quia in eo foro advectum maxime ab advenis frumentum populo venditur, in quo ut plurimum non rublitellis, sed quartis frumentum admetiuntur. in horreis vero, ac inter mercatores & furnarios (nam furnarii in eo foro, ut pauperibus consultum sit, emere prohibentur) frumentum rublitella alio modo mensuratur. palæ namque ligneæ admodum patulæ, frumento plenæ, in altum a bajulis, quantum fieri potest, sublevantur, ac derepente certo etiam ictu subducuntur, ut frumentum ex alto cadens ictu in rublitellam calcetur, idque a duobus altrinsecus fit. quam mensuram *Palam battutam* (quasi *percussam* dixeris) appellant. quo more scortia crescunt, ut sint viginti duo, aut etiam plura, prout regula radula propius ad rublitellæ fauces admovetur, vel extollitur, quod pro frumenti caritate aut vilitate diligentius aut negligentius animadvertitur: siquidem in caritate avarius radula sive radius ducitur, ut minus, quam fieri potest, venditori concedatur. Cujus autem ponderis sit frumenti rublum, vix est ut statui possit: cum ex diversis annorum qualitatibus pondus variet: in communi tamen mensura (quam *pala battuta* appellari dixi) librarum pondo sexcentarum esse statuitur. quod tamen perpetuum non est. nam, dum hæc scriberem, etsi frumentum non ultra sexuplum reddidisset, quia tamen rubiginis calamitate hoc anno caruimus, pondo sexcentarum septuaginta librarum, etiam ducta regula radula, quoad fieri posset, pro majori parte frumenti rublum appensum, exstitit. & tamen tribus abhinc præteritis annis, quia rubigo infesta fuit, vix frumenti rublum inventum fuit, quod quingentarum viginti librarum pondus æquaret: ut liquido verum esse appareat, quod & antea dixi, mensuræ frumenti & frugum, certum pondus statui non posse. Rublum istud, & vini barilem, putaverunt quidam e nostris a mensuris, quibus intervalla metimur, idest a palmo, ut a pede quadrantal, constitutos fuisse, asserentes rublum ex quadratis palmis quinque & viginti constitui, quia putaverunt cannam quadratam, quæ mille palmorum est, rublis quadraginta repleri: qua ratione palmi quinque & viginti quadrati rublum constituerent. sed ex fide dignorum relatu, qui hoc diligenter eximinarunt, canna quadrata quinque & quadraginta rublorum ejus mensuræ, quæ *Campi Floræ* appellater, capax est. qua ratione rublum ex palmis duobus & viginti, & fere quarta parte alterius palmi, constare dignoscitur: ideoque non verisimiliter ex palmo fabricatum fuisse credi debet, cum, si ita factum esset, aliquo pari, aut saltem completo numero absque palmorum fragmentis fabricatum exstitisset. quod & de barili credendum est: nam constat, palmum unum, in cubicam figuram formatum, sex petittis seu bocalibus impleri: qua ratione ex palmis quadratis quinque, & palmi parte tertia, barilis constat: ideoque, non habita palmi ratione, sed congii, cum ex petittis duobus & triginta constitutum fuisse, credendum est, aliaque, unde rublum formatum fuerit, ratio quærenda est. Memini me supra dixisse, rublum terræ mensuræ catenæ, rublum unum tritici purgati & cribrati, ejus scilicet mensuræ, quam *palam battutam* appellant, in mediocri terra & prima sementi exposcere. & alibi rublum terræ ex jugeris septem, & jugeri septunce, scripulis duobus, & semisse scripuli constitui. ut igitur scirem, spissius ne, an rarius hodie, quam Columellæ temporibus, semen in agris jaciamus, calculum inire libuit, & exinde nostri temporis scortium cum antiquo sextario examinavi, invenique scortium sextariis quatuor & viginti repleri: quo fieri cognovi (ea ratione retenta, ut rublum seminis mensuræ palæ battutæ ex scortiis duobus & viginti constet) rublum tritici, quingentos vigintiocto sextarios capere, & sic modios, qui ex sextariis sexdecim singuli constant, tres & triginta. Cum autem asserat Columella lib. XII. cap. 9. jugerum agri mediocris terræ, in prima autumnali sementi, modios tritici quinque exposcere, rublumque terræ, ut prædixi, ex jugeris septem & semis & eo amplius constet, evenit, ut, secundum Columellæ rationem, modii septem & triginta & modii semis, & eo amplius tritici, in terræ rublo requirantur: & tamen his nostris temporibus in rublo terræ tres & triginta modii jaciuntur. Ex qua supputatione colligitur, Columellæ temporibus tritici semen spissius, quam hodie, spargi consuevisse.

Rublitella per diminutionem a *rublo* dicta, dimidia pars est rubli, constans ex scortiis decem vel undecim, juxta mensuræ qualitatem, de qua supra.

Quarta, ut nomen dictat, rubli pars est quarta; constans ex scortiis quinque, aut quinque & semis, juxta mensurarum qualitatem, de quibus in rublo.

Scortium mensura est rotunda, quod quoad fieri potest, cumulatur, & ita cumulata mensuræ rubli, rublitellæ & quartæ, quarum superficies raduntur, respondet, licet non in omnibus recte. longa enim differentia cumuli est inter milium, quod labitur, & ordeum, aut siliginem, vel similia, quæ non ita de facili labuntur, ita tamen & male servatur. Dividitur autem scortium in semiscortia duo, quartucia, id est, scortii quartas 4. & semiquartucia 8. quæ omnes mensuræ, instar scortii, rotundam formam habent, & cumulantur. Et hic earum finis.

LVCAE PAETI

IVRISCONSVLTI

DE

Ponderibus Romanis & Græcis,

LIBER QVINTVS.

TErtia instituti laboris pars continet pondera, quibus levitatem gravitatemque rerum trutina modulamur & scimus, humani commercii pars optima: nempe pondere non solum numismata ad ceteras res comparandas certa lege taxata sunt, sed etiam pondere rerum pretia metimur, & annonam certa lege, ad publicam utilitatem, non minus quam mensura, tuemur, ideoque Reip. interest, ut pondera certa & inviolata custodiantur. Quamobrem Divus Hadrianus, ut refert Ulpianus, lege *annonam.* de extraordin. criminibus, edicto cavit, ne quis pondera violaret. Ulpiani verba sunt hæc: *Onerant annonam etiam statera adulterina: de quibus Divus Hadrianus edictum proposuit, quo edicto pœnam legis Cornelia in eos statuit, perinde ac si lege testamentaria, quod testamentum falsum scripsisset, signasset, recitasset, damnatus esset.* Hæc ille. Quin etiam eum, qui majora pondera commodavit ad pondus ementi, furti venditori teneri Mela scripsit. emptorem quoque si scivit: non enim voluntate venditoris accepit, cum erret in pondere, ut idem Ulpianus testatur l. *si quis uxori.* de furtis. Hinc, ut supra tertio libro demonstravi, imperialibus sanctionibus in omnibus provinciis Romano imperio subjectis, Mensuræ & Pondera publice custodiebantur ita, ut violari non possent. Cum autem diversis gentibus, & præsertim Græcis diversarum rerum diversa pondera fuerint, Romanis tamen rerum omnium unum pondus exsistit, nempe libra, constans ex unciis duodecim, ut Fannius tradidit.

Unciaque in libra pars est, quæ mensis in anno. quod & ex sequentibus latius apparebit. Hanc autem libram *assem* quoque fuisse appellatam ab *are* tradit Varro de ling. Lat. lib. IIII. cujus hæc sunt: *Multa pecunia signata vocabula sunt, aris & argenti hac: as ab are, dupondius a duobus ponderibus, quod unum pondus assipondium dicebatur. id ideo, quod as erat libra pondus, deinde ab numero reliquum dictum usque ad centussis.* Hæc ille. Quod quidem assis nomen cum in agrorum dimensionibus, tum etiam in hereditatum divisionibus transivisse, primo libro ostensum est. Sed & assem pro uno in numero Columellam accepisse constat, quod apud alium me legisse, aut ab alio animadversum fuisse, non memini, lib. V. cap. 3. his verbis: *Duco quinctam partem longitudinis, fiunt CCXL. & quinctam partem latitudinis, hoc est XXIV. his utrinsque summis singulos asses adjicio, qui efficiunt extremos ordines, quos vocant angulares. fit ergo altera summa ducentorum quadraginta unius, altera viginti quinque.* Hæc ille. Qui hoc ibidem sæpius repetiit. quæ vox *assis* pro uno Italis tesserulis ludentibus remansit. ii enim punctum unum in tesserulis *asum* nominant, ab *asse*, ut arbitror, littera mutata. In pondere autem libram assem fuisse appellatam, probat etiam Plinius lib. XXXIII. cap. 3. his verbis: *Populus Romanus ne argento quidem signato ante Pyrrhum regem devictum usus est. Librales, unde etiam nunc libella dicitur, & dipondius appendebatur assis.* Hæc ille. Libram autem & Pondo idem significare, & verbum *pondo* pro *libra* capi, si nihil aliud adjectum sit, & scriptores utroque verbo ad idem demonstrandum promiscue usos fuisse, etsi legentibus manifestum sit, adhuc tamen aliquibus auctoritatibus probare libet: ut error eorum, qui aliter senserunt, ostendatur, etsi satis a junioribus sit detectus. Cato cap. 128. *Adipis pondo duo, casei libram.* Columella lib. VI. cap. 10. *Veterem tussim sanant dua libra hyssopi macerati sextariis aqua tribus.* Plinius lib. XXXIII. cap. 4. de auro loquens: *Inveniuntur ita massa, nec non in puteis, etiam denas excedentes libras.* Columella lib. XII. cap. 41. de musto lixivio: *Conjicies in urnam musti mellis optimi pondo decem.* Sed quod unus idemque auctor, una eademque oratione, utroque verbo usus fuerit, probatur ex Plinio lib. XVIII. cap. 7. qui de generibus frumentorum loquens sic dixit: *Quibusdam generibus per se pondus, sicut Balearico, modio tritici panis pondo 30. reddit, quibusdam in binis mistis, ut Cyprico & Alexandrino, viginti prope libras non excedentibus.* Hæc ille. Nec refert, verbum *pondo* præcedat, aut subsequatur numerum. nam *pondo* 30. & 25. *pondo* Plinius eodem libro scriptum reliquit. Sed & verbum *pondo libra* conjunctum sæpius legitur, *pondo libram*, *pondo unciam*: de quibus Columella lib. XII. cap. 2. *calamus pondo libram.* Plautus in Rud. actu quarto, scena secunda:

Neque piscium ullam unciam pondo hodie cepi.

Quibus multa similia curiosus lector passim offendet. Supra libram autem, & eam, ut dixi, unciarum duodecim, pondus Romanis fuisse, non legitur. nam quod apud Plautum in Asin. actu secundo, scena tertia scriptum legitur:

Ad pedes cum alligatus es aequum centum pondium:

ex numeri librarum compositione dictum est, sicut dupondium, & simila: quod & præcedentibus verbis Plautus demonstraverat, illud idem pondus disjunctis verbis proferendo:

Nudus vinctus centum pondo es, quando pendes per pedes.

Sic multiplicato librarum numero *mille pondo*, *duo millia pondo*, *tredecim millia pondo*, & *vicena millia pondo*, dixit Plinius lib. XXXIII. cap. 1. 3. & 4. Nam quod Cato *centum pondium incertum* appellavit cap. 15. de cellæ olearıæ instrumento loquens, his verbis: *Trutinam unam centum pondium, incertum unum, pondera certa*: aliter, quam juniores senserint, (pace eorum dictum sit) intelligendum puto: *incertum* enim *centum pondium*, intelligo ego pondus librarum centum, ex diversis diversorum ponderum massis, non autem ex una sola massa constitutum. habebant enim antiqui pondera, ex lapidibus quibusdam nigris, venis quibusdam viridibus obscurissimis commaculatis, quæ non nisi madidis lapidibus, & diligenter intuentibus apparerent, silicea duritie, expolitionem ita recipientes, ut intuentium imagines redderent: ex quibus majora duobus ferreis anulis, sive ansis, in superiori parte plumbo ferruminatis, minora uno, suspendebantur decem pondo & infra id pondus plerumque sine ansa: quorum adhuc maxima copia diversarum magnitudinum a centum usque ad selibras, trientes, & quadrantes, Romæ inspiciuntur, licet attrita, & sine ansis saltem legitimis, ita ut rarissimæ sint illæ, ex quibus certum pondus elici possit. etsi penes me sint aliquæ, de quibus primo libro dixi: ex quarum una, quam nuper illustris Angelus Capranicus mihi dono dedit, (etsi ex ea legitimum pondus percipi non possit, cum antiquæ ansæ fuerint replumbatæ & avulsæ, & novæ non legitime substitutæ, quam tamen librarum centum fuisse conjicio) clare colligitur, curam & custodiam ponderum ad quæstores urbis ex Senatus consulto pertinuisse, quod alibi me legisse non memini, ut illius massæ inscriptio declarat, quam cum suo schemate in calce operis apponendam curavi. Igitur Cato, (ut ad eum redeamus) ne patrem familias multis ponderibus, seu ponderum massis oneraret, in ea olearis cella centum pondium unum incertum requisivit, idest, tot certa pondera, ut puta massam alteram librarum quinque, alteram 10. aliam 20. aliam 25. aliam 40. quæ summam librarum centum constituerent, ut ex his certis ponderibus illud incertum centum pondium, constitui posset. *Certum* enim Jurisc. Paulus, lege *certum*, de rebus creditis, illud appellari testatur, cujus species, vel quantitas, aut nomine suo, aut ea demonstratione, quæ nominis vice fungitur, qualis quantaque sit, ostenditur: ideoque illud *centum pondium* appellavit *incertum* Cato, quia per se corpus non haberet, sed ex aliis divisis certis ponderibus, re exigente, constitui posset. putavit enim ille hoc modo venditori & emptori & in parvo & magno librarum numero consultum esse posse, cum amphoræ & seriæ, & vasa alia, quibus oleum diffusum conservabatur, vix centum pondium excedere possent, ea præsertim ratione retenta, quæ supra a nobis tradita est, juxta quam amphora, si oleo impleretur, librarum septuaginta duarum capax esset. Nec adversus hanc sententiam, quod Romanis scilicet pondus majus libra non fuerit, quidquam faciunt a Vitruvio tradita lib. X. cap. 21. qui de testudinibus tractans sic scripsit: *Gubernabant eam homines centum, habentes pondus talentum quatuor millium.* Quoniam ibi Vitruvius de Græca machina loquitur, & ideo Græcum pondus expressit, quod tamen continuo declaravit subjungens: *Quod fit quadringenta octoginta millia pondo.* qua ratione talentum, de quo ipse, librarum centum viginti exstitit, ut infra declaravi. Sicut nec obstant a Livio tradita lib. I *Suessamque Pometiam vi cepit: ubi cum divendita præda quadraginta talenta argenti aurique recepisset*, & quæ sequuntur. quoniam non potuit Livius argenteam aut auream monetam aliam quam Græcam, ibi exprimere: cum constet ex Plinio lib. XXXIII. cap. 3. cujus verba paullo post referam, argentum Romæ post annum ab Urbe condita quingentisimum, octuagesimum quinctum, & aurum post argentum anno sexagesimo secundo, signatum fuisse. & tamen constat, Suessam Pometiam circiter annum CCLX. ab Urbe condita captam fuisse. quo tempore, ut prædixi, nec argentum, nec aurum Romæ signatum exstabat: ideoque Livius, facta illius temporis recensens, Græcam monetam expressit.

A libra fit *Libralis*, uti a pondo *Dipondius*, & quæ sequuntur. Plinius lib. XXX. cap 3. *Libralis, unde etiam nunc libella dicitur, & dipondius appendebatur assis.* Idem lib. XV. cap. 2. *Necnon & quædam e piris libralia appellata, amplitudinem sibi ponderis nomine asserunt.* Et lib. XVIIII. cap. 2. de tuberibus: *Excedunt sæpe magnitudinem mali cotonei, etiam librali pondere.*

Fit & *Selibra* a libra, quæ libræ est semis. Varro de ling. Lat. lib. IIII. supra relatus: *Se valet dimidium, ut in selibra.* Columella lib. XII. cap. 20. de sapa & defruto: *Ad prædictum autem modum musti, adjici debent ii odores, nardi folium, iris Illyrica, nardum Gallicum, crocum, palmam, cyperum, schœnum. quorum singulorum selibra satis faciens.* Et paullo post, *Casiæ selibram.* De qua etiam selibra meminit Plinius lib. XVIII. cap. 7. & Livius supra tertio lib. relatus, de Manlio, & farris selibra. Quin etiam pluribus selibris Græcorum more numeravit Plinius lib. XVIII. cap. 10. de similagine loquens his verbis: *Et secundarii panis quinas selibras, totidem cibarii, & furfurum sextarios sex, quinas selibras* pro libris duabus & semis scribens. quo dicendi genere usi sunt Romani Græcorum analogiam secuti, ut Prisciano in suo de ponderibus placuit: unde & *sestertium*, idest, *tertium semis*, teste Varrone de ling. lat. lib. IIII. formaverunt.

Fit quoque a libra *Sesquilibra*, pro libra & semis. Columella lib. XII. cap. 20. Item resinæ terebinthinæ sesquilibram.

A libra quoque fit *Bilibris*, *Trilibris*, & *Quadrilibris*, pro eo quod duarum, trium, & quatuor librarum sit. inde Martialis quincto epigr. in Ligurium:

> *Nolo mihi ponas rhombum, mullumve bilibrem.*

Horatius 2. serm. sat. 2.

> —— *laudas insane trilibrem*
> *Mullum.* —— ——

Plautus in Aulul. scena ex his, quæ exstant, ultima:

> *Quadrilibrem aulam auro onustam habeo: quis me divitior?*

Et paullo post:

> —— *quadrilibrem, inquam,*
> *Aulam, auri plenam.* —— ——

Etsi credam eo in loco Plautum de libra mensurali, non de ponderali intellexisse, verbum *quadrilibrem* ad aulæ capacitatem referendo, cum auro onustam, & auri plenam subjunxerit: quod a junioribus, qui libram mensuralem ostenderunt primi, animadversum non fuisse, mirum est; cum viderint & animadverterint Plautum in Mil. actu. 3. sce. 2. de æquali bilibra mensurali meminisse, dum dixit:

> *Sed in cella paullum erat loculi lubrici.*
> *Ibi erat bilibris æqualis hic propter cados:*
> *Eaque sæpe decies complebatur dic.*

Libra

Libra autem ponderalis hæc, de qua loquimur, in uncias duodecim dividitur, divisionumque singularum sunt propria nomina: quæ etsi primo libro etiam ex Jurisconsultorum sententia retulerim, adhuc rescribere non pigebit: ut & illis, qui librum hunc sine illo legere voluerint, consultum sit. sunt autem hæc, libra constans ex unciis duodecim: a qua si unciam dempseris, reliquum *Deunx* appellabitur. hoc ita, quia uncia a libra sit dempta. si duas, reliquum quod est unciarum decem, appellabitur *Dextans*, idest, dempto sextante. si tres, reliquum quod est unciarum novem, appellabitur *Dodrans*, ideo, quod a libra quadrans, id est, pars quarta dempta sit. si dempseris trientem, reliquum quod est unciarum octo, *Bes* appellabitur ab eo dictus, ut Festo placuit, quod in eo bis triens sit. *Triens* enim ideo appellatus, quod tertia sit libræ pars, constans ex unciis quatuor. vel, ut Varroni de ling. Lat. lib. IIII. placuit, ab eo *Bes* dictus, quia ab eo triens sit demptus, cujus verba paullo post referam. Si vero a libra quincuncem dempseris, reliquum *Septunx* appellabitur. nam Septuncem, & Quincuncem in suis propriis nominibus & numeris, litteris collisis, remansisse constat. si sex dempseris, quod remanet, *Semis*, vel *Selibra*, seu sex unciæ appellantur. si septem dempseris, reliquum erit *Quincunx*: si octo, *Triens*: si novem, *Quadrans*: si decem, *Sextans*: si undecim, *Uncia*, quæ remanent, appellabuntur. De quibus Varro dicto lib. IIII. sic meminit: *Uncia ab uno. Sextans ab eo, quod sexta pars assis, sicut Quadrans, quod quarta, & Triens, tertia pars: Semis, quod semis, idest, dimidium assis, ut supra dictum est; Septunx a septem & uncia collisum. reliqua obscuriora, quod ad deminutionem, & ea, quæ deminuntur, ita sunt, ut extremas syllabas habeant, ut a duodecim una dempta uncia; Deunx: Dextans dempto sextante: Dodrans dempto quadrante: Bes, ut olim Des, dempto triente.* Hæc ille. Sed & Volusius Metianus sic de libra scriptum reliquit: *Prima divisio solidi, quod est libra, quod As vocatur, in duas partes dimidias deducitur, pars dimidia semis vocatur. sequens divisio fit in tres tertias partes, tertia triens vocatur. sequitur divisio in quatuor quartas, quarta pars Quadrans vocatur. deinde fit divisio in sex sextas partes, sexta partis nomen est Sextans. deinde dividitur in octo octavas, quæ Sescuncia vocantur. item novem nonas, nona pars vocatur Uncia, duæ sextulæ. dividitur item As in duodecim partes duodecimas, vocantur singulæ unciæ. Hæc velut elementa primæ de asse distributionis æqualitatem servant: si quid quibusdam partium detrahas, vel conferas, fiunt dispares. Quare si quadranti sextantem, vel trienti unciam applices, facies quincuncem, quæ constat ex quinque duodecimis. si semissi applices duodecimam, vel quincunci sextantem, vel trienti quadrantem, efficies septuncem, id est, septem duodecimas. si septunci applicueris unciam, vel semissi sextantem, vel quincunci quadrantem, vel trienti tantundem, facies bessem, id est, duodecimas octo. si bessi applicueris unciam, vel septunci sextantem, vel semissi quadrantem, vel quincunci trientem, dodrantem efficies, id est, novem duodecimas. si dodranti applicueris unciam, vel bessi sextantem, vel septunci quadrantem, vel semissi trientem, vel quincunci tantundem, facies dextantem, hoc est, decem partes duodecimas. si dextanti applicueris unciam, vel dodranti sextantem, vel bessi quadrantem, vel septunci trientem, facies deuncem, hoc est, undecim duodecimas. Ex his apparet, in quas partes æqualiter, in quas dispares dividatur.* Hæc ille, pluribus admodum, quam res exigeret. de qua divisione Fannius sic scriptum reliquit:

Nunc dicam, solida quæ sit divisio libra,
Sive assis. nam sic legum dixere periti.
Ex quo quod soli capimus perhibemur habere.
Dicimur aut partis domini pro partibus hujus.
Uncia nam libra si deest, dixere deuncem.
At si sextantem retrahas, erit ille decunctis.
Sed nullum reliquo nomen semuncia certum
Dempta dabit. neque enim est hujus sescuncia triplex.
Dodrantem reliquum vocitant, quadrante retracto.
Cumque triens deest, bessem dixere priores.
Iidem septuncem, dempto quincunce, vocarunt.
Post hæc semissis solidi pars maxima fertur.
Nam quæ dimidium superat pars esse negatur,
Ut docuit tenui scribens in pulvere Musa.
Cetera dicta prius, quibus est semuncia major.

De sextante (ut ad auctoritates singularum partium veniamus) meminit Columella lib. VII. cap. 5. de medicinis ovilli pecoris sic dicens: *Humana veteris urina tepefacta trium heminarum instar, per sinistram narem corniculo sufundere, atque axungiæ sextantem faucibus inserere.* Ex lib. XII. cap. 22. de pice Allobrogica: *Et tunc demum prædictæ picis sextans & semuncia, in sextarios quinque & quinquaginta adjicitur.* A quo sextante *pondus sextantarium*, quod duarum unciarum esset, appellavit Plinius lib. XXXIII. cap. 3. *Libra autem pondus immutatum bello Punico primo, cum impensis respublica non sufficeret, constituitumque, ut asses sextantario pondere ferirentur.* De quadrante, triente, & quincunce Columella lib. XII. cap. 20. *Item myrrhæ quincunx, calami pondo libram, casiæ selibram, amomi pondo quadrans, croci quincunx, cripæ pampinaceæ libram.* Et paullo post: *Ego, si humida fuerat vindemia, trientem; si sicca, quadrantem, in binas amphoras miscere solitus sum.* Plinius lib. XVIII. cap. 7. de pondere frumenti: *Adjicit Sardum selibras, Alexandrinum trient, Africum dodrantes.* Hæc ille. Sed & quincuncem & trientem simul, relicto dodrantis nomine, conjunxit. Columella lib. XII. cap. 28. de vini conditurarum generibus: *Item odoramenta trita, id est, irim cribatam, quæ sit instar pondo quincuncem & trientem, fænı Græci pondo quincuncem & trientem, schœni pondo quincuncem.* sed & non minus pro quadrante tres uncias dixit. Idem Columella lib. VI. cap. 6. *Ad bovem cruditate laborantem tribus heminis vini, tres unciæ pensiis alii admiscentur.* Et lib. XII. cap. ultimo: *Piperis albi, si sit, sin minus, nigri unciæ tres. apii seminis unciæ duæ.* Quod volui dixisse, ut sciamus antiquos non ita sibi legem in bis nominibus præscripsisse, ut uncias numero proferre non liceret. De uncia quoque per se meminit Plinius lib. XII. cap. 29. sic dicens: *Asarum jocinerum vitiis salutare esse traditur, uncia sumptum in hemina mulsi mixti*, Columella dicto lib. XII. cap. ultimo: *Ligustici unciam.* Ab uncia fit *Sescuncia*, quæ est libræ pars octava, quæ est uncia & semis: de qua etiam Columella lib. XII. cap. ultimo: *Laseris radicis, quod Græci Silphium vocant, sescuncem.* & Celsus in malagmate eutychei lib. XVII. *Galbani sine surculis sescuncia.*

Uncia vero ipsa, quæ, ut dixi, assis pars est duodecima, dividitur primo in duas semuncias, secundo in tres duellas, seu tres binas sextulas, tertio in quatuor sicilicos, quarto in sex sextulas, quincto in denarios septem, sexto in victoriatos quatuordecim, septimo in drachmas octo: etsi drachmam a Græcis mutuati simus: octavo in scripula XXIV. nono in grana 576. de quibus omnibus singulatim tractandum.

Semunciam, dixit Varro supra relatus de ling. Lat. lib. IV. a se & unciam appellatam, ut semis uncia sit. de ea meminit Columella lib. XII. cap. 23. cujus

cujus verba paullo ante retuli. Idem dicto lib. XII, cap. ult. *Pro silphio mellis adjicies pondo semunciam.*

Duella unciæ est pars tertia: tres enim ex eis unciam constituunt: dicta a *duabus* conjunctis sextulis, constans ex scripulis octo: de qua Fannius:

Sextula cum dupla est, veteres dixere Duellam.

Sicilicus quarta unciæ pars est, constans ex drachmis duabus, scripulis vero sex: de quo idem Fannius:

Drachmam si gemines, aderit quem dicier audis.

Sicilicus ab eo dictus, ut Festo placuit, qui eum in neutro genere protulit, quod semunciam *secet.* cum enim semuncia ex quatuor drachmis scripulisque duodecim constet, semis ejusdem semunciæ sicilicus dictus est. De sicilico meminit Scribonius Largus compositione CXLV. per notas tamen, his verbis: *Croci pondo sicilici quinque, apii pondo sicilici sex.* Meminit & Plinius, licet ipse de sicilico unciæ pedalis intellexerit. quarum pedalium unciarum, & harum ponderalium divisio in nominibus non differt, lib. XIII. cap. 15. supra primo libro relatus, de cedrina mensa Tiberii Principis, *Mensam quatuor pedes sextante & sicilico excedentem.* Meminit & Columella lib. V. cap. 1. *Pars quadragesima octava pedes sexcentes, hoc est, sicilicus, in quo sunt scripula sex.* Hæc ille. in pondere autem allias auctoritates me vidisse non memini.

Sextula sexta est unciæ pars, ut & vox sonat, constans ex scripulis quatuor, qui *sexies* multiplicati unciam constituunt, de qua Varro de ling. Lat. lib. IIII. sic scripsit: *Æris minima pars sextula, quod sexta pars sit unciæ.* Columella dicto lib. V. cap. 1. de agri uncia loquens: *Pars septuagesima secunda pedes CCCC. hoc est, sextula, in qua sunt scripula quatuor.* de qua & Fannius sic:

—— Drachma scripuli si adjectio fiet,
Sextula, quæ fertur: nam sex bis uncia constat.

Frontinus de aquæductibus: *Digitus rotundus habet diametri digitum unum, capit quinariæ septuncem, semunciam, sextulam.*

Denarius septima est unciæ pars. septem enim ex eis unciam constituunt. qui quidem denarii licet, quantum ad rem nummariam attinet, pondere fuerint imminuti: tamen ex septem ex eis unciam constare, clare liquet ex Plinio lib. XXXIII. cap. 9. cujus hæc sunt: *Miscuit denario triumvir Antonius ferrum: miscuit æri falsæ monetæ. Alii e pondere subtrahunt, cum sit justum octuaginta quatuor e libris signari.* Ex cujus dictis duo clare eliciuntur, unum quod justum pondus denarii septima est unciæ pars; alterum, quod jam Plinii tempore pondus argenti denarii erat imminutum. quod etiam ex eo probatur, quia cum ejusdem Plinii tempore monetæ, tam æreæ, quam aureæ, pondere imminutæ fuissent, necesse etiam fuit, argenteas imminutas esse. Primum probatur ex Plinio, lib. XXXIII. cap. 3. cujus verba etsi prolixa sint, & paullulum a proposita materia me distrahant, attamen, ut demonstrem eos decipi, qui ex antiquis numismatibus pondera sumere & restituere posse putant, (quod & juniores bellissime tradiderunt) adscribere visum fuit. verba Plinii sunt hæc: *Populus Romanus ne argento quidem signato ante Pyrrhum regem devictum usus est. librales, unde etiam nunc libella dicitur, & dupondius appendebatur assis: quare æris gravis pœna dicta, & adhuc expensa in rationibus dicuntur, item impendia, & dependere: quin & militum stipendiorum, hoc est, stipis ponderandæ pensatores, Libripendes dicuntur, qua consuetudine in his emptionibus, quæ mancipii, etiam nunc libra interponitur. Servius rex primus signavit æs: antea rudi usos Romæ, Remeus tradit. signatum est nota pecudum, unde & Pecunia appellata. maximus census, CX. millia assium fuit illo rege, & ideo hæc prima classis. Argentum signatum est anno Urbis DLXXXV. Q. Fabio consule, quinque annis ante primum bellum Punicum, & placuit denarius pro decem libris æris, quinarius pro quinque, sestertius pro dipondio & semisse. Libræ autem pondus æris imminutum bello Punico primo, cum impensis respublica non sufficeret, constitutumque, ut asses sextantario pondere ferirentur. ita quinque partes factæ lucri, dissolutumque æs alienum. Nota æris fuit ex altera parte Janus geminus, ex altera rostrum navis, in triente vero & quadrante rates. Quadrans ante triuncius vocatus, a tribus unciis. Postea Hannibale urgente, Q. Fabio Max. dictatore, asses unciales facti, placuitque denarium sexdecim assibus permutari, quinarium octonis, sestertium quaternis. ita resp. dimidium lucrata est: in militari tamen stipendio semper denarius pro decem assibus datus. Notæ argenti fuere bigæ atque quadrigæ, & inde bigati quadrigatique dicti: mox lege Papiria semunciales asses facti. Livius Drusus in tribunatu plebis octavam partem æris argento miscuit. Qui nunc Victoriatus appellatur, lege Clodia percussus est: ante enim signatus victoria, & inde nomen. Aureus nummus post annum LXII. percussus est, quam argenteus, ita ut scripulum valeret sestertios vicenis: quod efficit in libras ratione sestertiorum, qui tunc erant, sestertios 5760. Post hæc placuit, quadraginta signari ex auri libris: paullatimque principes imminuere pondus. minutissimus vero ad quadraginta octo.* Hæc ille. Quibus quidem Plinii verbis & Plauti, multo ante Plinii tempora, dictum in Casinæ procemio adstipulatur:

Nam nunc nova, quæ prodeunt Comœdiæ,
Multo sunt nequiores, quam nummi novi.

Semper enim in deterius monetæ pondus & bonitas, quod & nostris temporibus actum esse cognoscimus, prolapsa sunt. Secundum vero, quod dixi, usque ad Plinii tempora argentei denarii pondus esse imminutum & ad drachmæ pondus redactum probatur ex eodem Plinio lib. XXI. cap. ult. cujus hæc sunt: *Drachma Attica (fere enim Attica observatione medici utuntur) denarii argentei habet pondus.* Cum enim Plinius argentei denarii, qui tunc in moneta esset, per verba præsentis temporis meminerit, non quidem de denario, ut est pondus & septima unciæ pars, neque ut fuerat ab initio justi ponderis intellexit, sed ut erat tunc sua ætate argentei denarii pondus, jam ad octavam unciæ partem redactum, propter imminutionem a Republica & Principibus factam; ideoque hodie qui inveniuntur denarii, post M. Antonium præsertim percussi, drachmæ: & qui ante eum, denarii ponderi respondent, quod & re ipsa comperi. proinde cum drachma pro denario, vel ex contrario in nummis vertitur, aut versum legitur, ad tempora animadvertendum censeo, quia, ut jam demonstratum est, paullatim ponderis imminutio facta est. Redeo igitur ad denarium ponderalem, quem septimam unciæ partem ex Plinii sententia esse asserui, & dico ejusdem ponderis fuisse, probari quoque ex Celso lib. V. cap. 17. cujus hæc sunt: *Sed & ante ea sciri volo, in uncia pondus denariorum septem esse, unius deinde denarii pondus a me dividi in sex partes, id est, sex sextantes: ut idem in uncia denarii habeam, quod Græci in eo, quod obolum appellant, id ad nostra pondera relatum, paullo plus dimidio scripuli facit.* Hæc ille.

ille. Sicque in suis compositionibus post denarii notam signum quoque adjecit suæ divisionis: exempli gratia lib. V. cap. 19. primo de emplastris eacdentibus: *Resina terebinthina fuliginis, thuris, singularum pondo * 2. id est*, pondo denarii sextans. sic & trientem & quadrantem post denarium posuit sic dicens: *pondo * triens, & pondo * quadrans*, pro tertia & quarta denarii parte. Quo scribendi genere & ponderum usu, ut & juniores attestantur, solus ipse inter medicos usus est. Sed nec denarii pondere, præter ipsum & Scribonium Largum, quo teste juniores utuntur, in re medica usus est alius. nam quod Plinius lib. XIX. cap. 3. bis verbis scripsit: *Laserpitium, quod Græci Silphion vocant, in Cyrenaica provincia repertum, cujus succum vocant Laser, magnificum in usu medicamentisque, & ad pondus argentei denarii pensum:* potius demonstrant, laseris pondus argenti pari pondere fuisse permutatum, quam quod ad pondus denarii ponderalis venderetur.

Victoriatus octavam unciæ divisionem facit. qui denarii semis est, dictus etiam Quinarius, ut ex Plinio lib. XXXIII. cap. 3. colligi licet: qui utriusque & nomen & etymologiam exprimit, de quo etiam Volusius sic dixit: *Victoriatus nunc tantundem valet, quantum Quinarius olim.* Et paullo post: *Denarius primo asses decem valebat, unde & nomen traxit; Quinarius dimidium ejus, id est, quinque asses, unde & ipse vocatur.* Hactenus ille. Sed hæc potius rem nummariam, quam pondera, respiciunt. Quinario autem pro pondere, præter Scribonium Largum, alium usum fuisse non legi: juniores testantur, nec ego memini legisse.

Drachma, in qua nona est unciæ divisio, quæ octava unciæ pars est, quamvis Romanum pondus ab initio non fuerit, tamen sæpe in translationibus Græcorum Latinorumque auctorum eo nomine scribentes usi sunt, maximaque exinde circa ejusdem drachmæ & denarii pondus quæstio exorta est: ideoque ea, quæ legerim, hic tradere opportunum duxi. Quod autem non fuerit Romanum pondus, nemo est qui neget, nec de ea Latini scriptores Latinas res tractantes meminerunt. nam Cato cap. 134. ad dyspepsiam & stranguriam, qui drachmæ pondere usus est, his verbis: *Incœnatum jube esse, postridie thuris drachmam unam conterito, & mel coctum drachmam unam, & vini sextarium origaniti, dato jejuno & puero pro ætate triobolum, & vini heminam.* eam medicinam ab aliquo Græco sumpsisse videtur, ideoque Græca pondera mutare noluit, sed cum drachma obolum, & paullo supra minam bis miscuit, quæ citra controversiam Romana pondera non sunt. sic & Plinius lib. XXI. cap. 20. de nardo Gallico: *Ergo adversus serpentes duabus drachmis in vino succurrit.* quod & ibi sæpius repetit: & eo lib. cap. 29. de *tribus & quatuor drachmis:* & lib. XXXIV. cap. 12. ubi de *unica drachma* meminit, absque dnbio de Græcis locutus, ut & ipse dicto lib. XXI. cap. ultimo dilucide testatus est. Hæc igitnr drachma, ut dixi, unciæ tam Romanæ quam Græcæ pars est octava. nam unam & eandem Græcis & Romanis unciam fuisse, postquam uncia in Græcorum usum transivit, satis constat cum ex Galeni relatis locis, tum ex Fannio paullo post rescribendo, tum etiam ex aliis supra deductis, & infra deducendis.

Quod autem unciæ sit pars octava probat Fannius, sic dicens:

Uncia fit drachmis bis quatuor.

& paullo post:

Accipe præterea, parvo quam nomine Graji
Unam vocitant, nostrique minam dixere priores.
Centum hæ sunt drachmæ. quod si decerpseris illis
Quatuor, efficies hanc nostram denique libram.

Si enim nonaginta sex in duodecim diviseris, invenies octo drachmas, id est, bis quatuor, singulis unciis respondere. si drachma est eadem Romanis & Græcis, ergo & uncia eadem, constans ex octo ex eis. quod & ex eo etiam probatur, quia scripulum, juxta Columellæ supputationem, lib. V. cap. 1. in libra seu asse ducenties octuagies octies invenitur: & tamen constat ex eodem Fannio, drachmam ex tribus scripulis fieri, dum dicit, *in scripulis tribus drachma.* Si igitur sex & nonaginta drachmæ, ex quibus libram Romanam constare dixi, ter numerentur, erunt scripula 288. ex quibus Romanum assem Columella constituit. Et ex his probatum plane videtur, unciam Romanam ex octo drachmis Græcis constare, non minus & drachmam Græcam, Romanæ unciæ octavam partem esse, unciamque eandem Romanis & Græcis fuisse: etsi uncia ab initio Romanum nomen & pondus fuerit, quæ cum Romano nomine & imperio, ut dixi, ad Græcos transivit. Hoc ipsum testatur Dioscorides in libello de ponderibus his verbis: *Uncia vero drachmas habet octo, scripula XXIV.* Idem & Galenus lib. VI. de compositione medicament. secundum genera, sic dicens: *Icirco quod ponderalis uncia octo drachmas pendet.* Et lib. V. ejusdem tituli relato supra tertio lib. *Etenim novem unciæ Italicæ in cornibus intersectis discretæ, pendent uncias ponderales septem & dimidiam, quæ sexaginta drachmæ fiunt, si uncia una octo drachmas ceperit.* Cleopatra libello de munditiis: *Libra habet uncias duodecim, drachmas 96. scripu. 288. Uncia habet drach. octo, scripul. 24.* Nec quemquam turbet Pliniana lectio, in qua, transferendis Dioscoridis locis, dum de plantis & medicinis ex eis tractat, sæpe *libram* pro *mina* vertit: cum tamen, secundum prædictam supputationem, drachmæ quatuor intersint: qu●, ut supra tertio libro animadvertendum duxi, scriptores antiqui, vertentes Græca pondera in Latina, & ex contrario, raro illius modici excessus vel defectus rationem habuerunt, nempe drachmas quatuor in centum. etsi non negem in potionibus & pharmacis, præsertim vehementioribus, id multum interesse potuisse. sic & Plinius tertiam partem minæ, quæ est drachmarum 33. & scripuli, ad denarii pondus vertens, novem & viginti denariorum pondus expressit: cum tamen, ex supputatione supra in denario tradita, tertia minæ pars ex denariis viginti octo, & scripulis quatuor, sive unciæ sextula constet. hoc autem ad vitandam scrupulosam divisionem factum fuisse, credendum est. verba Plinii sunt hæc, loquitur autem de thure: *Etiam nunc tamen inveniuntur guttæ, quæ tertiam partem minæ, hoc est, viginti novem denariorum pondus æquent.*

Scripulum sequitur, in quo est penultima unciæ Romanorumque ponderum divisio, quod est, ut diai, unciæ pars XXIV. Contendunt autem juniores, aut *scripulum* neutro genere, aut certe *scriptulum*, ex Varronis & Volusii Metiani sententia, scribi oportere. Mihi autem *scripulum* appellare placuit, nt duritiem *scriptuli*, & differentiam *scrupuli* lapilli, a *scrupo* Festi auctoritate formati, vitarem, etsi non negem, scrupulum quoque a scripulo deduci posse, littera mutata, ut *carnufex, lubens, pessumus*, & similia dicuntur. Credo enim cum Fannio, nomen istud, ad similitudinem Græci nominis gramma, a Romanis formatum fuisse, de quo Fannius ipse ita scripsit:

Gramma

Gramma vocant, scriotulum nostri dixere priores.

& paullo post:

Uncia fit drachmis bis quatuor: unde putandum
Grammata dicta, quod hæc viginti quatuor in se
Uncia habet: tot enim formis vox Græca notatur,
Horis quod mundus peragit noctemque diemque

His igitur rationibus motus, scripulum post juniores, qui se ita etiami n antiquis libris legisse testantur, scribere visum est: alius, ut sibi melius videbitur, scribat. De scripulo autem meminit Collumella lib. XII. cap 23. sic scribens: *Sat erit ejusdem picis sex scripula in sextarios quinque & quadraginta, tum demum miscere, cum mustum deferbuerit.* Ex cap. 28. *Tum in serias singulas, quæ sint amphorarum septenum, addito medicamenti pondo unciam, & scripula octo gypsi.* Plinius lib. XVIIII. cap. 1. de lino byssino: *Proximus byssino mulierum maxime deliciis circa Elim in Achaja genito, quaternis denariis scripula ejus permutata quondam, ut auri, reperio.* Idem lib. XXXIIII. cap. 8. de nobilitate ex ære: *Idemque in uncias additis auri scripulis senis, prætenui pyropi bractea ignescit.* Et a scripulo *scripularem, differentiam* dixit Plinius lib. XXXIII. cap. 8. *Hi coticulis periti, cum e vena, ut lima rapuerint experimentum, protinus dicunt, quantum auri sit in ea, quantum argenti, vel æris, scripulari differentia mirabili ratione non fallente.*

Scripulum Græci & Mauri medici longe post Galeni tempora, & paullum ante nostra, quorum opinionem secutus sum supra libro primo, in grana XXIV. pariti sunt. & hæc est unciæ ultima divisio. etsi Neapolitani & Veneti medici dissentiant. quod ego ita sentio, non ut ex granis viginti quatuor, sicut a natura producuntur, scripulum conficiatur, sed ut scripulum, ut est unciæ pars 24. in grana quatuor & viginti dividatur, partesque in suis bracteolis ære, vel orichalco, distinctis, suisque numeris signatæ habeantur, ita ut in aureorum ponderibus a negotiatoribus retineri videmus.

Restat unum, ut remitiscamur, quod primo libro a me traditum est, unciam, qua hodie Romæ utimur, antiqua uncia scripulo uno & granis quatuor graviorem esse, quæ scripulum & grana ex uncia instantis temporis formata sint, & ex consequenti libram nostri temporis, antiqua libra scripulis nostri temporis quatuordecim graviorem esse. Cum autem libellus Logistarum Italico sermone circumferatur, in quo discrimina & proportiones ponderum, omnium fere civitatum Europæ, in quibus emporia fiunt, continentur, si ea, quæ in ipso libello continentur, vera sunt, cum a nobis traditis conferantur, quisque litterarum non ignarus, parvo negotio suæ regionis pondera cum antiquis examinare, & si maluerit restituere, facile poterit. Et hæc, quantum ad Romana utriusque temporis pondera attinet, dixisse sat sit. quorum antiquæ notæ ex Volusio Metiano, Valerio Probo, Cornelio Celso, & Scribonio Largo, a junioribus relatæ, hæ sunt:

Ponderum Romanorum notæ.

- Libra.
- Dupondium.
- Semis.
- Septunx.
- Bes.
- Dodrans.
- Dextans.
- Deunx.
- Triens.
- Quadrans.
- Sextans.
- Uncia.
- Sescuncia.
- Semuncia.
- Binæ sextulæ, sive duella.
- Sicilicus.
- Sextula.
- Denarius.
- Scripulum.
- Victoriatus, sive quinarius.
- Sextans apud Celsum.
- Binæ sextulæ apud aliquos.
- Sescuncia apud Scribonium.
- Drachmæ sex apud eundem.
- Drachma apud medicos nostræ ætatis.

Græcorum ponderum epitome.

GRæcorum pondera, antiquorum medicorum præsertim opera, ita sunt intricata, ut vix a doctissimis peritissimisque viris extricari possint: cum etiam plurium civitatum sint, ut & de mensuris liquidorum & aridorum dixi. Ego vero, quæ ab iis, qui de illis doctissime disseruerunt, collegi, brevissime tradam. sunt autem tripartita, in Attica scilicet, Medica, & Hippoiatrica seu Veterinaria. Attica hæc, Talentum parvum, Talentum magnum, Mna, sive Mina Attica antiqua, Mina Attica Solonis, Drachma, Obolus, Areola, sive Chalcos, Lepta, sive Minuta.

Talentum, sive Talentum parvum, constat ex minis sexaginta.

Talentum magnum constat ex minis octuaginta.

Mina Attica vetus constat ex drachmis quinque & septuaginta.

Mina Attica Solonis constat ex drachmis centum.

Drachma, quam dixi eandem esse Latinis & Græcis, constat ex obolis sex.

Obolus constat ex areolis, seu chalcis sex. etsi Plinius lib. XXI. cap. ult. ex decem chalcis obolum constare dixerit. Vitruvius vero, de quo juniores non meminerunt, quantum ad nummos attinet, (nam constat, hæc omnia pondera numismatum etiam nomina fuisse) obolum in quatuor partes (quas ipse obolorum quadrantes appellat) apud Græcas civitates fuisse divisum testatur, eosque quadrantes, ab aliis dichalca, ab aliis trichalca appellari, lib. III. cap. 1.

Areolum,

Areolum, ſive chalcus, conſtat ex ſeptem minutis *leptis* appellatis, quæ non dividuntur: ex quibus (ſi ſupputatio fiat) apparebit in ſcripulo eſſe lepta quatuor & octoginta, & granum conſtare ex leptis tribus & ſemis. & hæc omnia apud Græcos tam in ponderibus quam in numiſmatibus fuiſſe leguntur.

Scripulum quoque apud Athenienſes non tamen in re nummaria fuiſſe legitur, conſtans ex obolis duobus.

Ceratium quoque legitur, ſive ſiliqua, quæ eſt oboli pars tertia, ſcripuli ſexta, continens in ſe lepta quatuordecim.

Paucæ ex multis, quæ ad prædicta probandum veterum auctoritates adducuntur, ſunt hæ. Suidas: *Talentum, ut ait Diodorus in libro de ponderibus, minarum eſt ſexaginta, mina vero drachmarum centum, drachma obolorum ſex, obolus areolorum ſex, areolum minutorum ſeptem.* Cleopatra vero libro de munditiis, cujus verba in eo qui Galeno de ponderibus inſcribitur, inſerta ſunt: *Attica mina uncias habet duodecim & dimidiam, drachmas centum, ſcripula trecenta, obolos ſexcentos.* Fannius:

Accipe præterea, quam parvo nomine Graji
Mnam vocitant, noſtrique minam dixere priores.
Centum hæ ſunt drachmæ. quod ſi decerpſeris illis
Quatuor, efficies hanc noſtram denique libram:
Attica quæ fiet, ſi quartam dempſeris hinc, mina.

Intelligo autem, Fannium, tam cum dixit *Grajam*, quam cum *Atticam*, de Attica mina intellexiſſe, aut intelligere debuiſſe. conjicio autem ex his, ſequentibus dicam, (quod etiam ex conjectura dictum fuiſſe volo) apud Athenienſes duas fuiſſe minas, unam drachmarum quinque & ſeptuaginta, & hanc ante Solonis leges, alteram centum, & hanc poſt leges & tempora Solonis. Quia conſtat ex iis etiam, quæ Plutarchus in illius vita tradidit, Solonem Athenienſibus menſuras & pondera auxiſſe. Cum autem Fannius aſſerat, minarum Græcarum unam fuiſſe drachmarum LXXV. alteram centum, nec ullum aliud incrementum minæ aut ponderum appareat, neceſſario quodammodo intelligendum eſt incrementum fuiſſe in mina, ut ipſa a drachmis quinque & ſeptuaginta ad centum aucta fuerit: quia aliud, ut dixi, incrementum non apparet, quod ſciam. Hinc ergo exorta fuiſſe conjicio talenta illa duo, a Servio lib. V. & 9. Æn. in controverſiam allata, non tamen recte explicata, ut juniores quoque demonſtrant, parvum, inquam, & magnum, ita differentiæ cauſſa appellata. nam præſuppono, veritate non læſa talentum, quod hodie parvum ſeu ſexaginta minarum in Attica fuiſſe dicitur, ab initio minarum extitiſſe octoginta, earum ſcilicet, quæ ex drachmis LXXV. conſtabant, hucque ſpectare Fannii carmen paullo ante relatum:

Attica quæ fiet, ſi quartam dempſeris hinc, mina.

Cum autem mina ad drachmas centum aucta fuit, factum eſt alterum talentum majorum quidem minarum, numero tamen octoginta, ſicut & primum, illudque primum remanſit minarum auctarum ſexaginta. nam ſi octoginta quinquagies & ſeptuagies numerabis, ſex millia habebis. Quod autem utrumque talentum majus & minus, ideſt, unum minarum Atticarum ſexaginta, alterum octoginta apud Athenienſes fuerit, conſtat aperte, ſi ſententia Suidæ & Diodori ſupra relata, & Julii Pollucis poſt referenda, nec non Fannii, qui teſtantur talentum Atticum fuiſſe minarum ſexaginta, cum Livii dictis conferatur. is enim referens leges & conditiones pacis a S. P. Q. R. Antiocho datas, ita inquit: *Argenti probi Attica talenta XXII. millia dato intra duodecim annos penſionibus æquis: talentum ne minus pendo octoginta Romanis ponderibus pendat.* ex cujus dictis aperte conſtat, talentum minarum quoque octoginta apud Athenienſes fuiſſe: quod *majus*, ad illius, quod eſſet minarum ſexaginta, differentiam, appellatum fuiſſe conjicio. ideoque ſenatum verba illa, *Ne minus pondo octoginta Romanis ponderibus pendat*, appoſuiſſe credendum eſt: quia ſciebat alterum apud Athenienſes talentum diverſi & minoris ponderis eſſe, ne dubitari contingeret, de quo actum fuiſſet. De hoc autem talento octoginta minarum puto Terentium intellexiſſe in Phorm. actu. 4. ſce. 3. dum dixit:

Si quis daret Talentum magnum:

Et Virgilium Æn. 5.

Vinaque & argenti magnum dat ferre talentum.

Et rurſum lib. 9.

Et tripedas geminos, auri duo magna talenta.

Nec me movet, quod ex Plauto in Moſtellaria colligi videatur, talentum magnum minarum fuiſſe ſexaginta, eo quia ſervus Tranio actu 3. ſce. 1. interrogatus a Teuropide, quanti filius ædes emiſſet, reſpondeat:

Talentis magnis totidem, quot ego & tu ſumus.

De quibus cum jam dixiſſet, *ſumpſiſſe fœnori a daniſta; & ſolviſſe minas quadraginta*, paullo poſt ſenex reſiduum pretii ſoluturus, &, quantum venditori adhuc deberetur, exprimens, ita inquit: *Nempe octoginta debentur huic minæ.* cui ſervus reſpondens ſubjunxit: *Aut nummo amplius.* ex quo conſtare videtur, illa duo magna talenta centum & viginti minarum fuiſſe: quia mendax & turbulentus ſervus nihil magis quærebat, quam ſenem involvere, ut illius præcedentia verba declarant:

— Quid agam nunc jam?
Niſi in vicinum hunc proximum mendacium;
Eas emiſſe ædes dicam hujus filium.
Callidum Hercle audivi eſſe optimum mendacium.

Ideoque ſenem in dinumeratione errantem non admonuit, cum conſtet erraſſe ex prædictis. Talentum quoque Euboicum fuiſſe legitur apud Livium: quod ego ejus ponderis fuiſſe conjicio, cujus Atticum majus, nempe minarum Atticarum octoginta, illarum, inquam, quæ ex drachmis centum conſtabant: quod quidem non ſolum ex locorum vicinitate exiſtimo, ſed ex Livii verbis. is enim lib. 37. conditiones pacis a conſule, Antiochi regis legatis oblatas referens, inquit: *Europa abſtinete, Aſiaque omni, quæ cis Taurum montem eſt, decedite: pro impenſis deinde in bellum factis quindecim millia talentum tum Euboicorum dabitis, quingenta præſentia; duo millia & quingenta, cum S. P. Q. R. pacem comprobaverit. deinde mille talentum per duodecim annos.* Hæc autem XII. millia talentum, quæ hic Livius appellat *Euboica*, illa eadem eſſe exiſtimo, quæ ſequenti libro ſenatus, oblatas a conſule pacis conditiones ſecutus, penſionibus æquis intra annos duodecim ſolvi imperavit, quæ Livius in eo S. P. Q. R. decreto, ut paullo ante retuli, *Attica* vocavit: ut facile conjectari liceat, Euboicum & majus Atticum talentum ejuſdem ponderis fuiſſe. Ceterum intelligo cum Priſciano Cæſarienſi lib. de ponderibus, inter talentum Atticum minarum octoginta & libras Romanas octoginta diſcrimen librarum trium & trientis libræ interceſſiſſe: quia ex iis, quæ dixi, conſtat, minam Atticam (intelligo poſtremam) ſeuncia, ſive drachmis quatuor Romana libra ma-

jorem fuiſſe. ex quo exceſſu in minis octoginta, unciæ quadraginta, ideſt, libræ tres & triens conſtituuntur. ſed in eo, quod Priſcianus ſubdit, ſenatum decreviſſe, ut non plus, quam ternæ libræ, & quaternæ unciæ ſingulis deſint talentis, in hoc non conſentio, nec Livius hoc dicit, nec ex decreti verbis colligitur. ſiquidem decreti verba excludunt, ne talentum minus ſit pondo octoginta, non autem includunt, ut non majus octoginta pondo talentum eſſet, ſi in talento majus pondus ineſſet. talenta enim Attica, ita ut erant, fuerant imperata: ſed, dubitationis tollendæ cauſſa, ut prædixi, adjectum fuit, ne minus pondo octoginta talentum eſſet: quia aliud minus ſexaginta minarum erat. Sed &, quæ ibi Priſcianus de denariis ſubjunxit vera non eſſe, ex ſupra relatis facile colligitur, quæ a junioribus quoque improbantur.

Ægyptium quoque Talentum fuiſſe, Plinius lib. XXXIII. cap. 3. his verbis teſtatur: *Talentum autem Ægyptium pondo octoginta capere, Varro tradit.* de pluribus quoque talentis meminit Julius Pollux lib. VIIII. a Budæo junioribuſque relatus, ſic dicens: *Hoc utique dicere non intempeſtivum erit, quod Atticum talentum ſex millia drachmarum valebat Atticarum, Babylonium vero ſeptem millia, Æginæum decem millia, Syrium mille & quingentas, ſecundum Atticæ drachmæ rationem.* Meminit & de alio talento Vitruvius ſupra relatus, quod eſſet librarum CXX. lib. X. cap. 21. machina teſtudinea loquens, his verbis: *Gubernabant eam homines centum, habentem pondus talenti quatuor millium: quod fit CCCCLXXX. pondo*, ideſt, quadringenta octoginta millia pondo. nam in emendatiſſimo codice, quem in opido Toleto vidiſſe ſe mihi aſſeruit vir doctiſſimus Petrus Ceconus, littera M, ſupra numerum notata inſpicitur. Et ſane aliter intelligi non poteſt: cum alioqui talentum illud fuiſſet drach. undecim & ſcripuli ac ſcripuli quincuncis. quod nemo dicet, qui machinæ iſtius magnitudinem intelligat.

Ponderum medicorum epitome.

Mina medica habet uncias ſexdecim: libra habet uncias duodecim, uncia drachmas octo, drachma ſcripula tria, ſcripulum obolos duos, obolus duos ſemiobolos, ſemiobolus ſiliquam unam & dimidiam, ſiliqua grana quatuor. Hæc autem probantur ex his. Dioſcorides libello de ponderibus, quo ſupra: *Mina ſecundum medicorum uſum habet uncias ſexdecim, ideſt, drachmas* 128. *Italica autem uncias* 18. *hoc eſt, libram unam ſemis. drachmas* 144. *Alexandrina mina habet uncias viginti, drachmas* 160. Cleopatra, ubi ſupra: *Mina nomen ponderis, habet uncias ſexdecim, drach.* 128. *ſcripula* 384. Et paullo poſt: *Ptolemaica uncias decem, & octo drach.* 144. *ſcripu.* 432. quo in loco animadvertendum, quod Cleopatra appellat *Ptolemaicam minam*, quam Dioſcorides appellavit *Italicam*, ſeu eas parificat. Galenus lib. II. de compoſitione medicamentorum ſecundum genera: *In hoc medicamento Heras manifeſte videtur velle, minam eſſe ſexdecim unciarum. niſi enim voluiſſet hoc, ſextam decimam minæ partem non ſcripſiſſet.* Hoc in loco animadvertendum duxi, medicos unciam & ſcripulum, a Romanis mutatos eſſe, cum Græca pondera non ſint, ut ſupra oſtendi.

Hippoiatricorum, ſive veterinariorum ponderum epitome.

Mina habet uncias quindecim, libra drachmas nonaginta, uncia drachmas ſeptem & dimidiam, drachma ſcripula tria, denarius ſcripula quatuor, ſcripulum obolos duos. Hæc ab ignoto Græco in dicto libello de ponderibus, qui Galeno inſcribitur, in quo & Græcorum ponderum notæ ſunt omnes, quas hic deſcribere libuit.

Mna. | Olce idem quod drachma.
Libra. | Gramma, ſive ſcripulum.
 | Obolus.
 | Diobolus.
Vncia. | Ceratium, ſive ſiliqua.
Drachma. | Chalcus.

F I N I S.

PRISCIANI


VASA FICTILIA
VASA FICTILIA
DIS MAN
COSSVTIAE
CONIVGI
SVE BENE
MERENTI
XXXXV
DIS MAN
CLAVDVS
FRATRISVO
XXXV



EX AEDIBUS NOB. FRANCISCI PORCII



P. 1674.
L
EXAVC·D
CAS
P IIII
X
P·X
MODVLI MASSAR LAPIDEARVM ANTIQVAR
DIVNIVSLF SILANVS
Q VRS
S C
LLVCRF TVSLFTRICIPITNVS
Q VRB·
P·C
XXX
P·XXX
S




CONGIVS
I MP. CAESARE
VESPAS · VI
T · CAES · AVG · FI
MENSVRAE
EXACTAE · IN
CAPITOLIO
PX

PRISCIANI
CÆSARIENSIS,
RHEMNII FANNII,
BEDÆ ANGLI,
VOLVSII METIANI,
BALBI AD CELSVM.
LIBRI
DE
NVMMIS, PONDERIBVS, MENSVRIS, NVMERIS,
Eorumque Notis, & de vetere computandi per digitos ratione, ab

ELIA VINETO

Santone Emendati; ut & a

J. FRIDERICO GRONOVIO.

ELIAS VINETVS
LECTORI S.

ANni sunt plus viginti quinque, quum Prisciani Grammatica emendare aggressus sum: & tanto tamen tempore non admodum promovi. adeo est difficile antiquos invenire codices, in quibus sint integra quum Latina, tum Græca, quæ hic auctor Latinis suis immiscuit. Dum quærere pergo, si forte possum tandem investigare, unde instituto meo extremam manum imponam, libellum Prisciani de nummis & ponderibus & numeris interea publicare visum. Quem ita restitui, ut non sperem posse unquam reddere meliorem. Ejus Latina ex multis emendavi vetustis codicibus. Græca in unico reperi, quem commodavit Joannes Tilius, Briocensis Episcopus de disciplinarum liberalium studiosis vir bene meritus: qui nunquam cessavit jam inde a prima adolescentia veteres bibliothecas scrutari, siquid usquam reperiat bonarum literarum neglectum & latens, quod in lucem proferat. Qui codex, tametsi mendosissimus erat, tamen si integer fuisset, sed ex decem & octo libris vix duæ tertiæ posteriores partes octavi decimi supererant, potuissem, ut arbitror, omnia Prisciani scripta nunc edere longe emendatiora. Quæ corruperunt indignis modis non solum veteres librarii, verum etiam novi, aut illi saltem, qui apud nostros typographos nuper emendanda susceperunt. Nam ut de ceteris flagitiis in eo scriptore commissis taceam, veteres librarii, qui Græca neque legere, neque scribere noverant, ea plerunque prætermittebant; isti vero novi castigatores veterum scriptorum, homines audaculi, quæ Græca desiderabantur, ea ex suo ingenio per Latinorum comparationem posse se restituere putaverunt: sed quam inepti fuerunt, quam deridiculi, & improbi in ea re, Tilii nostri codex nobis prodidit. Exiguum autem libellum noluimus solum emittere, verum illi aliquot ejusdem argumenti comites addere placuit. Quos etiam cunctos ex veterum librorum collatione longe meliores reddidimus. Vale, Burdigalæ, idibus Novembris, anno Christi millesimo quingentesimo sexagesimo quarto.

DE AVCTORIBVS.

Priscianum Cæsariensem vixisse sub Justiniano Principe omnes sunt auctores. Vidimus Rochellæ antiquum ejus grammaticorum exemplar, in quo addiderat librarius, id se scripsisse Constantinopoli, Mavortio consule. Fuit autem Mavortius consul, solus, anuo primo Imperii Justiniani: qui erat annus Christi quingentesimus vicesimus nouus, ut putat Haloander.

Beda, est Monachus ille Anglus, longe doctissimus: quem Venerabilem cognominaverunt. Hic diem obivisse traditur anuo Christi septingentesimo tricesimo secundo.

Remus Favinus, sive ut aliis appellatur, Rhemuius Fannius Palæmon, quis fuerit, & quibus vixerit temporibus, uemo novit hodie, quod sciam.

VOLVSIVM *Metianum auctorem libri de asse, uescio, an aliquem ex juris professoribus fuisse ex eo conjicias, quod iu ipso statim libri principio, assis distributionem in heredum institutione uecessariam esse scribat: sed credunt tamen multi, Metianum illum esse jurisconsultum, quem cum Vero, Valente, Marcello, & Jaboleno in consilium ab Autoniuo Pio ad multa de jure sancienda adhibitum fuisse, & ab Antonino Philosopho juri studeute auditum memoriæ prodidit Capitoliuus, cum tribus nominibus Lucium Volusium Metianum in Antonini Philosophi vita appellaus. Idem autem vix potest esse ille jurisperitus Metianus: quem ita solo Metiani nomine vocat Lampridius, unum ex Alexandri Severi consiliariis cum Ulpiano, Paullo, Pomponio, Modestino, & aliis ejusdem disciplinæ claris professoribus. Senex enim nimium vixisset, postquam inter Antonini Pii & Alexandri Severi principatus anni sunt plus sexaginta. Ita si fuerint Metiani multi, incertum erit, cujus eorum sit liber ille de asse. Metianus autem, qui sedecim fideicommissorum, & publicorum quatuordecim libros composuit, & si qua Metiani alia citantur in Justiniani Digestis, hæc sunt, ut arbitror, omnia ejus Metiani, quem in Antonini Pii consilio fuisse diximus. Hoc sic habere colligo, quum ex aliis locis istorum Digestorum, tum ex lege (ut jurisperiti nostri citant) octogesima sexta tituli secuudi, libri vicesimi noni: ex lege decima septimæ tituli de Jure patronatus libro tricesimo septimo: & ex lege quadragesima secunda tituli quinti, libri quadragesimi. Quibus locis appellatur Metiauus quidem tantum sæpius, sed duobus tamen interdum nomiuibus Volusius Metiauus, ut in illo de Jure patrouatus capite, & in titulo de Lege Rhodia libro quartodecimo: nunquam tribus, quæ apud Capitolinum leguntur. Quum autem* MAECII *&* METII *fuerint inter Romaua uomiua (nisi forte hi, Mettii potius scribendi sint, gemiuata cousonante media, quam Metii) unde Mæciani & Metiani fiaut, sicut ab Æmilio Æmiliani, & Octavio Octaviani, a Rullo Rulliani, a Justino Justiniani sunt dicti: hic nobis unus scrupulus etiam restat, Mæciano ne cognomentum illi fuerit, an Metiano. Metiauus scribitur in omnibus, quotquot videre mihi contigit omnium scriptorum exemplaribus, præterquam iu Digestis illis Florentinis: iu quibus nusquam aliter, quam* MAECIANVS, *& Græce etiam* Μαικιανός, *scribitur, quatuor illis primis literis, quæ & in Mæcenate primæ debent esse.*

His adjectus est Balbus ad Celsum de asse, minutisque ejus portiunculis.

PRI-

PRISCIANI

GRAMMATICI CÆSARIENSIS

DE

Figuris & Nomininibus Numerorum, & de Nummis vel Ponderibus,

LIBER,

CUM NOTIS ELIÆ VINETI.

Priscianus Symmacho S.

OMni te, Symmache, nobilitatis spleodore celebratum, ac omni naturæ munere præstantem, omnique virtutis luce fulgentem, studiis etiam optimarum artinm disciplinarumque florentem, justissimeque prospera fortunæ, meritis vitæ probantem, fama quidem antea nobis absentem, venerabilem faciebat: nunc autem præsentem veritas sopergressa laudes prædicationis ostendit. Mediocritatis enim altissimæ, qua superbiæ calcas tumores, & pietatis ponderibus gravissimis superas omnia. Itaque gloriosum mihi credens, aliquid a tanta auctoritate, interrogationis mereri, de figuris, sicut jussisti, numerorum, breviter collecta demonstrabo, & de nummis vel ponderibus, præterea de Terentii metris, necnon etiam de præexercitamentis rhetoricis, quæ Græci προγυμνάσματα vocant. Quoniam diligentius ea sophistæ juniores, quos sequimur, aptioribusque divisionibus ad omne rhetoricæ genus exposuisse creduntur. Petimus igitur sapientem (1) eloquentiam vestram (hac enim dignitate nihil in homine melius novimus) ut & nos hujuscemodi frequentius quæstionibus tam præsentis quam absentis eum felicitate exerceatis: & Romanorum diligentiam vestrorum ad artes suorum alacriores reddatis auctorum: quibus solis ceteras cum Grajis gentes superasse noscuntur: quarum decus & munimen industria vestri nititur culminis.

De Figuris Numerorum, quas antiquissimi habent codices.

SCiendum, quod quum ab uno (2) ad millies mille numeri notentur, apud Latinos (3) non plus tredecim eos figuris notari inveoimus. Nam principales repetuntur quater singuli tamante quinarios, qui sunt medii, numeros, quam post eos. Sunt igitur principalium figuræ septem, mediorum vero sex: quarum rationes diu exquisitas, ut potero, breviter differam. Una per scribitur antiquo more Atticorum, qui solebant priocipalem nominis numeri literam pooere, & sigoificare numerum. (4) Ergo ἴα pro μία dicentes, ι scribebant: & Π, πέντε: & Δ, δέκα: & sic [Δ], πεντήκοντα, πεντάκις δέκα sigoificantes: & H, ἑκατόν. Vetustissimi enim quique Græci pro aspiratione, H scribebant: quam habebant HEKATON in principio: & sic [Η], πεντακόσια, id est, πεντάκις ἑκατόν. Χ, χίλια. [Χ], πεντάκις χίλια, id est, πεντάκις τὰ χίλια. M, μυρία, (5) vel sic X, quod significat δεκάκις χίλια. Quidam autem & sic scribebant [X]. Non incoogruum tameo videtur etiam versus Græcos aptissime de his numeris compositos subjicere:

(1) *Eloquentiam vestram*] Pluralis numerus pro singulari. Quod loquendi genus sub Cæsarum & Augustorum tyrannide adulatoribus nimium placuit. Priscianus in grammaticorum præfatione ad Julianum non est ita locutus.

(2) *ad millies mille.*] Quem Galli *millionem* vulgo dicunt. Plinius libro tricesimo tertio Naturalis historiæ. *Non erat apud antiquos numerus ultra centum millia. Itaque & hodie multiplicantur hæc, ut decies centena millia aut sæpius dicantur.* Hæc Plinius. qui *millies millena* potius dixisset, ut arbitror, quam *millies mille* Sic enim Cicero & alii veteres Latini dispertiuvis numerorum nominibus in multiplicando potius usi.

(3) *non plus tredecim*]

i	unum,
v	quinque,
x	decem,
l	quinquaginta,
ↀ	mille,
IↃↃ	quinque millia,
CCIↃↃ	decem millia,
IↃↃↃ	quinquaginta millia,
CCCIↃↃↃ	centum millia,
qↃ	quingenta millia,
cmↃ	mille millia.

Plures in libro de notis, qui Marco Valerio Probo inscriptus extat.

(4) *Ergo ἴα pro μία.*] In vetusto codice Græca tonos non habebant notatos. Impressi ἰα scribebant: sed Cyrillus ἴας vocem esse dicit: unam vero & primam ultima acuta ἰάν.

(5) *vel sic* X.] In hac nota, literæ Δ & X facile agnoscuntur.

(6) Χίλια

(6) Χίλια χ̄ πέλεται. καὶ Πεῖ μέσον Ἦτα φέροντος
Ἥμισυ τῶν ἐφάμην. Ἑκατὸν δ' ἄρα Ἦτα πέλονται.
Δέλτα δὲ τετμομένοιο μέσον, καὶ Πεῖ φορέοντος
Πεντήκοντ' ἀριθμοῦ σημεῖα. καὶ δέκα Δέλτα.
Πεῖ δ' ἄρα πέντε πέλει καθαρόν. καὶ Ἰῶτα ἓν ἐστι.

Hos igitur Latini quoque in plerifque imitati funt. (7) Nam per I. unum notant, illos fecuti. Quinque per V, quia quinta eft vocalis, a, e, i, o, u. (8) Decem per X, quia decima eft confonans apud Græcos, β, γ, δ, ζ, θ, κ, λ, μ, ν, ξ: vel quod poft u apud Latinos x fequitur. Quinquaginta per L, quia apud antiquos Græcos, L pro N, (9) quæ nota eft quinquaginta, ponebant, (10) tefte Apollonide, (11) & Lucio Tarrhæo: unde Latini quoque *Lympha* dicunt pro *Nympha*, aquam vel fontem volentes monftrare. Virgilius in primo Æneidos:

Dant famuli manibus lymphas, Cereremque canistris.

Centum autem per principalem nominis literam C. Quingenta per fequentem literam confonantem. Nam poft C, D fequitur. Mille fecundum Atticos per X Græcam, fed ut fit differentia ad decem, circumfcriptis lateribus, CIↃ. Quinque millia per I, & duas a dextera parte apoftrophos, IↃↃ. Decem millia per fupradictam formam, additis in finiftra parte contrariis duabus notis, quam funt apoftrophi, CCIↃↃ. Et hoc ad imitationem Græcorum, qui μύριοι, unius nota, fubdita linea nunc quoque fcribunt, fic Ī. Quinquaginta millia per I mediam, & tres in dextera parte apoftrophos, IↃↃↃ. Centum millia per I mediam, & tres in dextera parte apoftrophos, & in finiftra totidem contrarias, CCCIↃↃↃ. Vel, quod verifimilius eft, decem millia notantur per M circumfcriptam ex utroque latere, fic CMↃ: quo modo mille per X circumfcriptam ex utroque latere, fic (X) Et hoc ad imitationem Græcorum. quia χίλιοι eam literam habent principalem fui nominis. Sed differentiæ caufa, media linea altior facta eft. quia millies quoque mille per M circunfcripaam folet notari, fic CMↃ. Ergo quinque millia quum fint dimidia pars decem millium, dimidiam partem fcripturæ fervaverunt, fic IↃↃ: quomodo quinquaginta millia dimidia pars centum millium. qui numerus per eandem notam decem millium fcribitur, additis tamen ex utroque latere fingulis circunfcriptionibus. Quingenta millia per per ꟼↃ, quod eft initium nominis, & apoftrophen. Mille fimiliter millia per M, unde incipit nomen, ex utraque parte circunfcriptam, ot CMↃ, vel etiam fic CCM.

DE PONDERIBVS etiam neceffarium effe putavimus addere.

AS, nummus eft libralis, per L perfcriptam ₤ notatus, ut fignificet, unam habere hunc nummum libram.

DVPONDIVS, nummus eft bilibris, per duas ₤ perfcriptas.

SESTERTIVS, nummus duarum femiffis librarum, per duas LL. & S, ex qua incipit femis, perfcriptas, LLS: unde feftertius dicitur femis tertius: (12) de quo Arruntius hæc ait: *Seftertius, olim dupondius & femis, quafi femiftertius, quo tempore denarius decuffis valebat: hoc eft, poft duo, fequens tertio loco eft femis.* Hoc quoque fecundum Atticos & Ionas, qui ἥμισυ τρίτον dicebant pro δύο ἥμισυ, (13) tefte etiam Didymo, qui hoc ponit, oftendens in omni parte orationis & conftructionis, analogiam Græcorum fecutos effe Romanos. Unde & Herodotus in primo hiftoriarum: (14) Ἐποιέετο δὲ καὶ λέοντος εἰκόνα χρυσοῦ ἀπέφθου, ἕλκουσαν σταθμὸν τάλαντα δέκα. Οὗτος ὁ λέων ἐπεί τε κατεκαίετο ὁ ἐν Δελφοῖς ναὸς, κατέπεσεν ἀπὸ τῶν ἡμιπλινθίων. ἐπὶ γὰρ τούτοισιν ἵδρυτο. καὶ νῦν κεῖται ἐν τῷ Κορινθίων θησαυρῷ, ἕλκων σταθμὸν ἕβδομον ἡμιτάλαντον. * ἰδιάλων τῶν δέκα ταλάντων γεγενῆσθαι τὸν λέοντα. καταλήγει ἔχων ἕβδομον ἡμιτάλαντον. τουτέστιν ἓξ ἥμισυ τάλαντα. Septimum femitalentum dixit pro fex femis talenta.

DENARIVS quoque decem librarum nummus per X. perfcriptam X. notatur. Horum pleraque in Verrinis Ciceronis licet invenire, antiquiffimæ fcripturæ emendatis codicibus.

OBOLVS dicitur, (15) ut Dardanus docet (16) fcripulus effe, id eft, fex filiquæ.

DRACHMA, five ARGENTEVS, fcripuli tres.

UNCIA dragmæ octo, fcripuli viginti quatuor.

(6) *Χίλια χ̄ πέλεται.*] Verfus hi in impreffis exemplaribus adhuc defiderati funt. Quorum tertius valde dubito, an fine mendo fit. Multum corrupta fuerunt Græca omnia in codice membraneo. In quo literarum nomina ut notabantur fcribebanturve, ita reddidimus. Ibi fuit fola litera χ, quæ χῖ vulgo fcribitur, appellaturque. Π vero illic tribus locis ΠΕΙ: quam πῖ fcribebant duabus tantum literis, pronunciabantque, qui nobis prima linguæ Græcæ rudimenta tradiderunt.

(7) *Nam per I unum notabant.*] Notam unius I, non literam, fed lineolam vocat Aulus Gellius in principio libri decimi noctium Atticarum. Et certe funt, qui a Prifciano hic ita diffentiunt, ut dicant non a Græcis hominibus eorumque literis, fed ab illiteratorum tefferis, taleifve, numerarias iftas notas ufu receptas. Vide caput ultimum libri decimi parergon Andreæ Alciati.

(8) *Decem per X.*] *Decim* frequenter vetufti codices, I pro *e* ante *m*: quomodo & in Virgilianis caftigationibus monuit Pierius.

(9) *quæ nota eft quinquaginta*] Græci per confonantem quinquaginta notant: quæ eft Latina *n*.

(10) *tefte Apollonide.*] Quis hic fuerit grammaticus Appollonides, non fatis fcio. Eft apud Stobæum, & in epigrammatum anthologia, Poeta Græcus Apollonides. Eft & unus ex Plinii Solinique auctoribus Apollonides: ex quo inter cetera Bithias Scythiæ illi noverunt.

(11) *& Lucio Tarrhæo.*] Hic mihi non multo notior. Tarrhæi proverbia Græca formis edidit Aldus Manutius. Citatur in vetuftis fcholiis Tarrhæus, qui commentaria in Apollonii Argonautica fcripferit: fi forte fit idem Tarrhæus.

(12) *de quo Arruntius.*] Ita in *Arruntio* geminabant liquidam antiqui codices hoc loco: alibi non geminabant, ut apud eundem Prifcianum libro tertio de fuperlativo. Victorinus in capite de orthographia, ut *ferrum*, & *currit*, fic *Arruntium* per duo *r* fcribere præcipit: fi nomen idem fit. Hunc autem Arruntium, nifi forte multi fuerunt Arruntii grammatici, Arruntium Claudium appellat Diomedes, quo loco de propriorum nominum fpeciebus difputat: Arruntium Celfum Carifius de adverbiis *perdite*, *tuto*, *ut*, Terentii & Virgilii interpretem faciens. Quibus tamen omnibus locis impreffi codices noftri *Aruntium* unico *r* fcribunt.

(13) *Tefte etiam Didymo.*] quem & *Didumum* fcribunt antiqui libri. Eft enim vocalis illa Græca *y*, *u* vocalis Latina. Hoc autem Didymo nemo plura fcripfit, inquit Quintilianus libro primo inftitutionum oratoriarum: quem & quatuor millia librorum fcripfiffe meminit Seneca in epiftola, quam numerant tertiam libri tertii decimi illarum, quas ad Lucillium fcripfit. Suidas autem aliquot Διδύμους grammaticos recenfet: hunc, *Claudium Didymum* vocat.

(14) *Ἐποιέετο δὲ.*] In his Herodoti Græcis, fi quid corruptum habuit membraneus codex, id ex ipfo fui auctoris libro reftituimus. Verborum autem Herodoti ultimum eft ἡμιτάλαντον. quæ fequuntur alia Græca ὑδ' ὅλων τῶν δέκα ταλάντων γεγενῆσθαι τὸν λέοντα. καταλήγει ἔχων ἕβδομον ἡμιτάλαντον. τουτέστιν ἓξ ἥμισυ τάλαντα; ficut in vetufto codice habuerunt, ita tibi damus: five Didymi fint hæc, five alicujus alterius, locum Herodoti Græcum Græce explicantis.

(15) *Ut Dardanus docet.*] Quis hic grammaticus, quem & alibi citat?

(16) *Scripulus effe.*] Dicitur & genere neutro *fcripulum*: ut apud Martialem in epigrammate LXXXIX. libri quarti:

Ergo nec argenti fex fcripula Septitiani:

& in vicefimo quinto:

Flammeta vo toga fcripula tota decem.

(17) Unciæ

(17) Unciæ duodecim, LIBRA.

(18) Libra vel MINA ATTICA, drachmæ septuaginta quinque. (19) Libra vel MINA GRAJA, drachmæ nonaginta sex.

(20) TALENTVM Athenienſe parvum, minæ ſexaginta: magnum, minæ octoginta tres, & unciæ quatuor.

Libra vel AS, unciæ duodecim.

DEVNX, unciæ undecim.

DECVNX vel DEXTANS, unciæ decem.

DODRANS, unciæ novem.

(21) BESSIS, unciæ octo.

SEPTVNX, unciæ ſeptem.

SEMIS, unciæ ſex.

QVINCVNX, unciæ quinque.

TRIENS, unciæ quatuor.

QVADRANS, unciæ tres.

SEXTANS, unciæ duæ.

UNCIA SESCVNX, vel, ut alii, SESCVNCIA, tres dimidiæ partes unciæ.

SEMVNCIA, ſemis unciæ.

Duæ SEXTVLÆ, ſunt tertia pars unciæ, id eſt, ſcripuli octo.

SICILICVS, ſcripuli ſex.

SEXTVLA, ſcripuli quatuor: dimidia Sextula, ſcripuli duo.

Rurſus ſextula & dimidium ſextulæ SICILICVS appellatur.

SCRIPVLVS, ſiliquæ ſex.

SILIQVA eſt, quod dicunt Græci (22) κεράτιον, vel λεπτόν.

Neceſſarium tamen exiſtimavi ad confirmanda ſupradicta, a diverſis auctoribus de his dicta ſubjicere. Livius (23) in triceſimo quarto ab Urbe condita: *Multitudinis eorum argumentum ſit, quod Polybius ſcribit centum talentis eam rem Achæis ſtetiſſe, quum quingentos denarios pretium in capita, quod redderetur dominis, ſtatuiſſent. Mille enim ducentos ex ratione, Achaja habuit captivos Italicos.* Qua ratione oſtenditur ſex millia denariorum habere talentum. Nam quum quingeni denarii pro mille ducentis captivis dati colligantur, ſexcenta millia denariorum, centum ea oſtendit fuiſſe talenta. Centeſima autem pars ſexcentorum millium, ſex millia inveniuntur. DENARII autem illo tempore, nummi argentei erant, viginti quatuor ſiliquarum: quod in eodem libro oſtendit Livius: (24) *Signati, octoginta quatuor millia fuere Atticorum τετράδραχμα vocant.* Trium fere denariorum in ſingulis argenti eſt pondus. Vide, quod quatuor drachmæ ſunt ſeptuaginta duæ ſiliquæ. Diximus enim ſuperius, (25) quod tres oboli, quorum ſinguli, ſex ſiliquas habeant, drachmam faciunt. Tres autem denarii idem habebant. id eſt, ſeptuaginta duas ſiliquas. Idem Livius in triceſimo octavo ab Urbe condita, oſtendit magnum talentum Atticum octoginta habere libras, & paulo plus, quum ſupradictorum computatio manifeſte octoginta tres libras & quatuor uncias habere talentum: quod eſt ſex millia denariorum. Livius: *Talentum ne minus pondo octoginta, Romanis ponderibus, pendat.* Id eſt, ſic decrevit ſenatus, ut non plus, quam ternæ libræ, & quaternæ unciæ ſingulis deſint talentis. Et eſt ſciendum, quod ſecundum Livii computationem, centum minæ Atticæ (26) quarum ſingulæ ſeptuagintaquinque drachmas habent, faciunt talentum magnum.

& in quinquageſimo quinto decimi:

Libras, ſcripula, ſextulaſque dicit.

Ceterum varia eſt hujus nominis ſyllaba prima. *Scrupulum* per quintam vocalium, & *ſcripulum* per tertiam ſcriptum reperio. Medici noſtri *ſcrupulum* per *u* fere appellant: ſed qui per *i* ſcripulum malunt. hi deducunt a *ſcribendo*, propterea quod Græcis γράμμα dictum legant, ut in carmine illo mutilo de ponderibus:

Gramma vocant, ſcriplum noſtri dixere priores:

quod nomen γράμμα a verbo Græco γράφειν originem trahit: cujus eadem eſt ſignificatio cum Latino *ſcribere*. At eam primam ſyllabam quæ *i* habet pro *u*, variam etiam reperies: quod id & *ſcripulum* & *ſcriptulum* olim dictum ſit, teſte Cariſio Grammatico vetuſtiſſimo: cujus apponam verba de hoc nomine. *Scripulum*, quod nunc vulgus ſine *i* dicit, Varro in Plautorino dixit. Idem in annali: *Nummum argenteum conflatum primum a Servio Tullio dicunt. Is quatuor ſcriptulis major fuit, quam nummi.* Sic Cariſius noſter habet: unde conjicias, eos, qui ſuum *ſcrupulum* a *ſcrupo* trahunt, errare poſſe: poſtquam ea *ſcripulo* & *ſcriptulo*, *ſcrupulum* & *ſcruptulum* ita poſſunt eſſe facta, ſicut ex *carnifice carnufex*, & ea *optimo*, *maximo*, *optumus*, *maxumus*, facta.

(17) *Unciæ duodecim libra.*] Hæc eſt libra, quam poſtea Italicam & Romanam libram, minamque appellabit dragmarum nonaginta ſex.

(18) *Libra vel mina Attica, drachmæ ſeptuaginta quinque.*] Tantidem æſtimat minam Atticam carmen de ponderibus. Corrupta exemplaria *octoginta* notabant pro *ſeptuaginta quinque*.

(19) *Libra vel Mina Graja, drachmæ nonaginta ſex.*] Hic numerus fuit in exemplaribus impreſſis: in aliis C V, id eſt, centum & quinque. Mina Graja centum eſt drachmarum in carmine de ponderibus & menſuris. Vide de his Guilielmum Budæum, Alciatum, & Georgium Agricolam.

(20) *Talentum Athenienſe parvum, minæ ſexaginta*] Varia talentorum genera apud veteres fuerunt. Atticum, Æginæum, Euboicum, Byzantinum, Ægyptium, & alia: de quibus quærunt, qui nuper de aſſe, de menſuris, de ponderibus, & nummis ſcripſerunt. Apud eoſdem multa de mina & libra, quas Priſcianus pro eodem accepit, ut hæ minæ ſexaginta, ſint ſexaginta libræ: & minæ octoginta tres majoris talenti, octoginta tres libræ Romanæ unciarum duodenum, ut paulo poſt patebit.

(21) *Beſſis unciæ octo.*] Hic ita ſcripſerunt etiam membranei libri, pro BES. Dicebatur enim utrunque, vel Beda teſte: apud quem *biſſis* & *biſſe* legitur pro *beſſis* ſ. pro *e*. Bes autem monoſyllabum, eſt in Monoſyllabicis Auſonii,

Tertia defuerit ſi portio, quid reliquum? Bes.

(22) *Κεράτιον vel ΛΕΠΤΟΝ.*] *Hoc* ΛΕΠΤΟΝ quid nominis eſſe debeat non video, niſi forte λεπτόν. Leptum tamen, id eſt, minutum, ſeu minutia, alii ceratio minus faciunt, & omnium minimum.

(23) *In triceſimo quarto*] Non procul a fine. Ita triceſimum quartum dicit, quem inepti, quartum decadis quartæ. Iſtas δεκάδας Titi Livii non noverunt antiqui homines. Legitur autem apud Livium *eſt* pro *ſit*: *quingenos* pro *quingentos*: & *ea ratione*, pro *ex ratione*.

(24) *ſignati octoginta.*] *argenti* addunt apud Livium: *ſignati argenti octoginta.* Ibique *tetradrachmum* ſcripſerunt pro *tetradrachma*. Neutrius generis nomen eſt τετράδραχμον, quod quatuor drachmas ſignificat.

(25) *quod tres oboli.*] Ὀβολὸς & ſcriptulus, idem, ſex ſiliquæ. Drachma, tres ſcriptuli, ſive oboli tres. Ergo drachma, decem & octo ſiliquæ. Hunc ſiliquarum numerum quater multiplica: fient quater denæ & octonæ ſiliquæ. Quatuor ergo drachmæ, id eſt, tetradrachmum, ſunt ſeptuaginta duæ ſiliquæ. Tres autem denarios dicit Livius eſſe fere tetradrachmum.

(26) *Quarum ſingulæ ſeptuaginta quinque drachmas habent.*] Idem Budæus, & Agricola, Priſcianum hic erraſſe oſtendunt. Nam ſi talentum Atticum majus valet, ut ait, octoginta tres libras Romanas cum quatuor unciis, & idem valent centum minæ Atticæ, quarum ſingulæ ſeptuaginta quinque drachmas contineant: poſtquam libra Romana ea duodecim eſt unciis, octoginta tres libræ Romanæ & quatuor unciæ, ſunt mille unciæ, & quia drachmarum octo eſt uncia, erit talentum majus ex octo millibus drachmarum. Centenæ vero minæ Atticæ ſi ſeptuagies quinquies multiplicentur, fient tantum ſeptem millia & quingentæ drachmæ, quæ deberent eſſe octo millia. Præterea quod ſubjungit de talento minore, habere ſexaginta ſecundum Dardanum ſi ſexaginta minas Atticas intelligit, quæ contineant ſeptuagies quinquies ſexagenas tantum, id eſt, quatuor millia & quingentas drachmas: ipſum paulo poſt ex Senecæ auctoritate ſexaginta libras Romanas probabit habere, quæ ſunt nonagies ſexies ſexagenæ, hoc eſt, quinque millia ſeptingentæ ſexaginta drachmæ.

gnum. Nam minus sexaginta habet, secundum Dardanum. Quod autem est magnum & minus, ostendit Terentius in Phormione:

* *Si quis daret Talentum magnum.*

Italica autem mina drachmas habet, (27) ut supra dictum est, nonaginta sex; quod est libra duodecim unciarum, id est, denarii septuaginta duo. Hac igitur computatione, octoginta tres libræ Romanæ & quatuor unciæ, quod est magnum talentum, centum minas Atticas faciunt. (28) Seneca in decimo epistolarum ad Novatum: *Viginti quatuor sestertia, id est, talentum Atticum parvum. Viginti quatuor enim sestertia, sexaginta libras habent.* Varronis, quoque auctoritate supradictorum pleraque comprobemus. (29) Varro de lingua Latina libro quinto: *Multa pecunia signata vocabula sunt æris & argenti hæc.* AS, *ab ære.* DVPONDIVS, *a duobus ponderibus. Quod unum pondus,* ASSIPONDIVM *dicebatur. ideo, quod as erat libra pondus. Deinde a numero usque ad Centussem. Ab tribus assibus* TRESSIS, *& supra sic pro portione usque ad Nonussis. In denario numero hoc mutat. Quod primum est ab decem assibus,* DECVSSIS. *Secundum* (30) *ab duobus decussibus,* VICESSIS. *Reliqua conveniunt, ut* TRICESSIS *pro portione usque ad* CENTVSSIS, (31) *quod Persius ostendit:*

Et centum Græcos uno centusse licetur

Quo majus æris proprium vocabulum non est. Nam ducenti, & sic proportione qua dicuntur, non magis asses, quam denarii, aliæque res significantur. Æris minima pars SEXTVLA, *quod sit sexta pars unciæ.* SEMVNCIA, *quod dimidia pars unciæ.* VNCIA *ab uno dicta.* SEXTANS *ab eo, quod sexta pars assis est:* QVADRANS, *quod quarta: &* TRIENS, *quod tertia pars.* (32) SEMIS, *quod semis, id est, dimidium assis, ut supra dictum est.* SEPTVNX, *a septem & uncia collectum. Reliqua obscuriora, quod a diminutione: & ea, quæ diminuuntur, ita sunt, ut extremas syllabas habeant. Una dempta uncia,* DEVNX. DEXTANS, *dempto sextante.* DODRANS, *dempto quadrante.* BES, *ut olim* DES, *dempto triente.* (33) *In argento, nummi, id est, a Siculis.* DENARII, *quod denos æris valebant:* QVINARII, *quod quinos:* (34) SESTERTIVS, *duobus semis. Dupondius enim & semis, antiquus sestertius est, & veteris consuetudinis, ut retro ære dicerent, ita, ut semis quintus, semis quartus, semis tertius pronunciarent. Ab semis tertius, sestertius dictus.* (35) *Nummus denarius a decima libella. Didymus etiam ita ea confirmat:*

(36) ΔΙΔΥΜΟΣ ἐν τῷ περὶ τῆς παρὰ Ῥωμαίοις ἀναλογίας Τ, Ἴωνες καὶ Ἀττικοὶ, τὰ δύο ἥμισυ, ἥμισυ τρίτον φασί. καὶ τὰ ἓξ ἥμισυ τάλαντα, ἕβδομον ἡμιτάλαντον καὶ τοὺς τέσσαρας ἥμισυ πήχεις, πέμπτον ἡμιπηχυαῖον, καθάπερ φησὶν Ἡρόδοτος πρώτῳ τῷ ἐνδεκάτῃ. (37) Ἰάδης ἐν τῷ περὶ μουσικῆς. Ἐπιφέρει τρίτον ἡμιπόδιον. ἀντὶ τοῦ δύο ἥμισυ πόδες. Καὶ καθόλου, ὅταν βούλωνται ἀριθμόν τινα δηλοῦν, καὶ μορίον τι προσκείμενον, τὸ ὁμώνυμον τοῦ ἀριθμοῦ ἀεὶ τοῦ πλεονάζοντος λαβόντες, τὸ ὅλον φασίν. οἷον τὰ ἓξ ἥμισυ, ἕβδομον ἥμισυ φασὶ τοῦ ἑπτὰ ἕβδομον, ὃς μονάδι πλεονάζει τοῦ ἓξ τὸ ὁμώνυμον λαβόντες. Καὶ Ῥωμαῖοι δ' εὑρεθήσονται τούτῳ χρώμενοι τῷ σχήματι. τὰ γὰρ δύο ἥμισυ ἀσσάρια (38) τὸ δηνάριον, ὡς αὐτοὶ λέγουσι δηναρίους παρὰ τὸ δῆνα ἐσχηματισμένους, σηστέρτιον φασὶ, τοῦ μὲν ση, τὸ ἥμισυ δηλοῦντος, ὡς ἐν τῷ σημόδιον, σήσκυας, σήσκυπλα, τοῦ δὲ τέρτιον, τὸ τρίτον. καί ἐστιν ἥμισυ τρίτον. Τὰ δὲ χίλια σηστέρτια ποιεῖ διακόσια πεντήκοντα δηνάρια ἀργυρᾶ, δέκα δὲ χρυσᾶ, ὥσπερ καὶ μίλλε νούμμους φασί. τὸ δὲ ΣΗΣΚΟΥΑΣ, σύνθετόν ἐστιν ἀπὸ τοῦ ση, καὶ τοῦ κυα, καὶ τοῦ ας ἀσσις. καί ἐστιν ἥμισυ σὺν ἀσσαρίῳ, τουτέστιν ἓν ἥμισυ ἀσσάριον. Ὥσπερ δὲ ἡμόδιμνον λέγουσιν Ἀττικοὶ, ἀντὶ τοῦ ἡμιμέδιμνον, οὕτω καὶ οὗτοι σημόδιον, πλεονάζοντες τὸ σ.

NECESSARIVM esse existimavimus etiam ipsa nomina numerorum, & quæ ab eis derivantur vel componuntur, subjungere.

Et sciendum eos declinari numeros, qui variant genera. qui vero una voce tria genera continent, indeclinabiles esse tam apud Græcos, quam apud Latinos. Unus, una, unum: duo, & duæ, & duo: hi & hæ tres, & hæc tria: hi & hæ & hæc

---

(27) *ut supra dictum est.*] Italica & Romana mina, est, quam libram simpliciter appellavit, ex duodecim unciis constantem. Quod autem idem sit duodecim unciæ, id est, libra, & septuaginta denarii, sic collige. Uncia est scripulorum viginti quatuor, ut supra dixit: & scripulus siliquarum sex. Quare in uncia fuerint centum & quadraginta quatuor siliquæ. Hanc ergo siliquarum numerum multiplica per duodecim uncias libræ: fient mille septingentæ viginti octo siliquæ. Hanc denique summam siliquarum per viginti quatuor dividito, postquam, ut dixit, denarii sunt vicenum quaternum siliquarum, invenies septuaginta duos denarios.

(28) *Seneca in decimo epistolarum ad Novatum.*] Inter Senecæ scripta, nullæ extant ad Novatum epistolæ, sed tantum libri tres de ira ad Novatum scripti.

(29) *Varro de lingua Latina libro quinto.*] Hæc oratio non fuit in codicibus impressis, inter verba *comprobemus* & *multa*: quam in aliis reperimus. In laceris tamen illis & mutilis Marci Terentii Varronis reliquiis, quæ extant, liber numeratur quartus, in quo leguntur hæc de asse & partibus ejus. In his autem ex Varronis libro descriptis, quædam aliter habent, atque apud Varronem ipsum hodie inveniuntur: sed Prisciani exemplaribus nihil addere, neque detrahere volumus.

(30) *ab duobus decussibus vicessis.*] Habent g quidem *viginti* & *triginta*: sed ab iis derivata sæpius per *e* reperio scripta, *vicesimus* & *tricesimus*, *viceni* & *triceni*, *vicennium* & *tricennium*, *vicessis* & *tricessis*. Pro *vicessis* autem *bicessis* etiam per *b* pro *v* scribebant alia nostrorum exemplarium. Nam & ipsum viginti *v* pro *b* habet, quod ex bis denis compositum sit. *Ab* autem hic habebant vetusti codices pro *a*, *ab tribus*, *ab decem*, *ab duobus*.

(31) *quod Persius ostendit.*] Varronis esse hoc non potest. Nam ante naturam poetam Persium, in cujus Satyrarum extrema quinta legitur centussis, Marcus Terentius Varro plus sexaginta annis mortuus fuerat, quomodo computat Hieronymus Eusebii interpres. At ne Prisciani quidem esse interjectionem facile crediderim. Sciolorum quispiam audaculus potius interscripserit.

(32) *Semis quod semis.*] In Varronis codice: *semis, quod semias: & semis, quod semias.*

(33) *In argento nummi, id est, a siculis.*] Alia exemplaria: *Et argentei nummi, id est, ab siclis.* Ipse Varronis codex: *In argento nummi, id a Siculeis.*

(34) *Sestertius duobus semis.*] Sic omnia nostra exemplaria. In ipso Varrone: *sestertius, quod semis tertius.*

(35) *Nummi denarii a decima libella.*] Apud Varronem nulla præpositione: *Nummi denarii, decuma libella.*

(36) ΔΙΔΥΜΟΣ ἐν τῷ περὶ] Hæc Græca ex unico exemplari, edere meliora non potuimus.

(37) Ἰάδης ἐν τῷ.] Plinius libro tricesimo quarto historiæ naturalis, Iadem inter nobiles statuarios memorat: cæterum Iadem musicum aliunde non novi.

(38) τὸ δηνάριον.] Vel ex hoc loco poterunt discere nostri homines, quam inepti sint, qui vocalem Græcam η proferunt *ita*, & non *eta*. Omnia autem nomina Latina, quæ hic Græcis literis scribuntur, sic descripsi, ut in exemplari vetusto scripta reperi. Accentuum tantum notas adjeci & spirituum. Δηνάριον ergo illic ultima brevi, & δηναρίους ultima longa diphthongo, & δῆνα, id est, *denarium*, *denarios*, & *dena*: σηστέρτιον, *sestertium*: ση, *se*: σημόδιον, *semodium*: σήσκυας, *sesquas*, *sesquassis*: quod nomen Latinum nescio an alibi unquam legerim. σήσκυπλα *sescupla*: τέρτιον. *tertium*, ultimam literam μ diphthongo ι præcedente, sicut & in σηστέρτιον, & σημόδιον, μίλλε, *mille*, geminata consonante media, & posteriore syllaba brevi, sicut eam corripiunt sui Latini: νούμμους, *nummos*, priore syllaba diphthongo ου, & geminata etiam hic media consonante, quemadmodum & apud Julium Pollucem libro nono, altera vocali ο longa, ut eam accusativorum pluralium terminationem semper Latini produxerunt; & ἀσσ, cum α præpositio per α & σ.

Qua-

quatuor & similiter quinque, & sex, & septem, octo, novem, decem, undecim, duodecim, tredecim, quatuordecim, quindecim, (39) sedecim, decem & septem, decem & octo, decem & novem, VIGINTI, vigintiunus, vigintiuna, viginti-unum. Sic deinceps omnibus cardinalibus numeris minores usque ad novem adduntur: (40) quamvis contrarium ante decem fiat usque ad sedecim. Licet tamen & præpostere maxime conjunctione interposita hæc proferre, decem & unum, decem & duo. Triginta, quadraginta, quinquaginta, sexaginta, septuaginta, octoginta, nonaginta, CENTVM, ducenti ducentæ ducenta, trecenti trecentæ trecenta, quadringenti quadringentæ quadringenta, quingenti quingentæ quingenta, sexcenti sexcentæ sexcenta, septingenti septingentæ septingenta, octingenti octingentæ octingenta, nongenti & nongenti, nongentæ & nongentæ, nongenta & nongenta, hi & hæ & hæc MILLE.

Ex his nascuntur ORDINALIA nomina. (41) hæc inæqualiter quidem quantum ad vocem, primus, & secundus: æqualiter vero tertius, & quartus, quintus, sextus, septimus, octavus, nonus, DECIMVS, undecimus, duodecimus, ab undecim & duodecim. Nam reliqua ex utraque parte declinantur (42) contra consuetudinem Græcorum usque ad nonum decimum: ut tertius decimus, quartus decimus, quintus decimus, sextus decimus, septimus decimus, octavus decimus, nonus decimus, VICESIMVS, (43) vicesimus primus, vigesimus secundus, vicesimus tertius, vicesimus quartus, vicesimus quintus, vicesimus sextus, vicesimus septimus. Sic omnes sequentes, velut in primitivis, (44) ad imitationem Græcorum, (45) a vicesimo & supra, majori minorem addunt numero plerumque: ante decem vero minorem ponunt, quando composita accipiuntur, & sub uno accentu proferuntur. Nam licet, dissoluta compositione, diversis accentibus ea proferentes, mutare ordinem, quomodo & apud Græcos, (46) & dicere decimus & septimus, pro septimus decimus: &, tertius & vicesimus, pro vicesimus tertius sic & similia. Tricesimus, quadragesimus, quinquagesimus, sexagesimus, septuagesimus, octogesimus, nonagesimus, CENTESIMVS, ducentesimus vel ducesimus, trecentesimus vel trecesimus, quadringentesimus vel quadrigesimus, quingentesimus vel quingesimus. Livius ab Urbe condita tricesimo primo: (47) *Anno quingesimo.* Sexcentesimus vel sexcesimus, septingentesimus vel septigesimus, octingentesimus vel octigesimus, nongentesimus & nongentesimus vel nonigesimus & nongesimus. millesimus.

Habent ex omnibus numeris Romani DISPERTITIVA, (48) quæ Græci vocant ἐπιμεριζόμενα: quæ naturaliter semper pluralia sunt. quippe in multos distribui eundem significant numerum: ut, singulos oculos habebant Cyclopes: quod Græci dicunt, ἀνὰ ἕξ, ἀνὰ δύο, ἀνὰ τρία. Sic usque ad mille habent Latini: ut, singuli, bini, quæ sunt anomala, quantum ad vocem Vnius & Duorum: terni vel trini: sed terni, ἀνὰ τρεῖς: trini, τριχῇ magis significat, vel τρισσοί. trini ludi. quaterni, quini, seni, septeni, octoni, noveni, deni, undeni, duodeni, terni deni ex duobus integris, quomodo tertius decimus: & deinde quaterni deni, quindeni, seni deni, septeni deni, octoni deni, noveni deni, VICENI, viceni singuli, viceni bini, viceni terni. Similiter ceteri, triceni, quadrageni, quinquageni, sexageni, septuageni, octogeni, nonageni, CENTENI, ducenteni, per syncopam duceni: trecenteni, per syncopam treceni: quadringenteni & quadringeni: quingenteni & quingeni, sexcenteni & sexceni, septingenteni & septingeni, octingenteni & octingeni, nongenteni & nongeni, milleni. Auctores tamen non proprie etiam singulari numero ea protulisse inveniuntur: ut Lucanus,

> — *septeno gurgite Nilus:*

pro septenario. Et Virgilius iò decimo Æneidos:

> *It gravis Aulestes, centenaque arbore fluctum*
> *Verberat assurgens.* —

Hæc tamen ipsa etiam in semperpluralibus congeminatis ponuntur: ut bina mœnia, terna arma. (49) Cicero in secundo Verrinarum: *Inter binos ludos.* quia LVDI quando spectacula significant, sem-

---

(39) *sedecim decem & septem.*] Qui puerum numerare Latine docebant, dicere me præcipiebant, *quindecim*, *sedecim*, *septemdecim*, *octodecim*, *novendecim*. sed hæc tria posteriora vereor, ut ne barbara sint. Miror enim, quod hic auctor eorum nullam faciat mentionem. Quod si in aliquo veterum scriptorum forte reperiuntur, ut *septendecim* memini legisse in Nerone Suetonii, & in Verrinis Ciceronis: *octodecim* & *novemdecim* in breviario Eutropii: eosdem numeros ibi etiam notatos invenias, XVII. XVIII. XIX. ut plane nescias, utrum auctores ipsi *septendecim*, *octodecim*, *novendecim*, dixerint, an vero imperiti, quos notis comprehensos repererant numeros, ita ipsi extulerint, pro *decem & septem*, *decem & octo*, *decem & novem*: quæ probat Priscianus: quæque interdum reperias in vetustis codicibus, & frequentius etiam, quam illa, de quorum probitate dubitare me confiteor.

(40) *quamvis contrarium ante decem.*] In undecim, duodecim, tredecim, quatuordecim, sedecim, minores numeri unum, duo, tres, quatuor, quinque, sex, præcedunt ante decim sive decem.

(41) *Hæc inæqualiter quidem.*] ὁμαλὸς, *æqualis*: ἀνώμαλος, *inæqualis*. Hinc adverbia ὁμαλῶς, *æqualiter*: ἀνωμάλως, *inæqualiter*. Ab ἀνώμαλος etiam est ἀνωμαλία: quam Varro de analogia disserens, *inæqualitatem* appellavit. Sunt ergo *primus* & *secundus*, *singuli* & *bini*, *semel* & *bis*, anomala: quæ non ducuntur ab *unus* & *duo*, sicut *tertius*, *terni*, & *ter*, ab eo fiunt, quod est *tres*: *quartus*, *quaterni*, & *quater*, a *quatuor*. Anomali autem vocem corruperunt aliquando barbari, qui a *norma* factum somniantes, *anormalum* dicebant.

(42) *contra consuetudinem Græcorum.*] Qui priorem partem non declinant, ut δωδέκατος, *duodecimus*, δωδεκάτου. δωδεκάτῳ. Sic τρεισκαιδέκατος, ἐννεακαιδέκατος, & alia.

(43) *vicesimus primus*, *vicesimus secundus.*] *Unus* pro *primus*, & *alter* pro *secundus*, hic interdum usurpantur. Eutropius libro quarto: *Anno quinquagesimo uno post, quam secundum Punicum bellum transactum erat.* Sic *unum & centesimum caput legis*, in quadam Cælii epistola ad Ciceronem: *una & vicesima legio* apud Cornelium Tacitum, libro vicesimo. Livius libro tertio: *Anno trecentesimo altero.* Eutropius primo: *Anno trecentesimo & altero.* Livii epitome quadragesimo nono: *Altero & sexcentesimo anno ab Urbe.*

(44) *ad imitationem Græcorum.*] Dicunt Græci εἰκοστὸς πρῶτος, *vicesimus primus*: εἰκοστὸς δεύτερος, *vicesimus secundus*: εἰκοστὸς τρίτος. *vicesimus tertius*, &c. Dicunt etiam cum conjunctione εἰκοστὸς καὶ πρῶτος, εἰκοστὸς καὶ δεύτερος, εἰκοστὸς καὶ τρίτος: & præposito minore numero, πρῶτος καὶ εἰκοστὸς δεύτερος καὶ εἰκοστὸς, τρίτος καὶ εἰκοστός. Polybius in extremo libro secundo: περὶ τῆς εἰκοστῆς καὶ τετάρτης ὀλυμπιάδος. Et ibidem: περὶ τῆς ἑνδεκάτης καὶ [illegible].

(45) *A vicesimo & supra.*] Ut *vicesimus primus vicesimus secundus*, sic *tricesimus primus*, *tricesimus secundus*: *quadragesimus primus*, *quadragesimus secundus*: *quinquagesimus primus*, &c.

(46) *Et dicere decimus & septimus.*] Hæc septem sine conjunctione etiam reperisse memini in bonis auctoribus, *decimus tertius*, *decimus quartus*, *decimus quintus*, *decimus sextus*, *decimus septimus*, *decimus octavus*, *decimus nonus*: sed quia imperiti homines variis modis corruperunt antiquorum scripta, tutius fuerit, in numerandi ratione, antiquissimi grammatici præceptis auscultare.

(47) *Anno quingesimo.*] In Livianis codicibus *quingentesimo* pro *quingesimo* hodie legitur.

(48) *Quæ Græci vocant* ἐπιμεριζόμενα] Huic loco sua restituimus Græca ex duobus antiquis codicibus.

(49) *Cicero in secundo Verrinarum.*] In quarto, ut nunc dividuntur in libros orationes illæ, atque in ea oratione, quam Asconius *de jurisdictione* inscribit.

per pluraliter dicuntur. Livius in tricesimo quinto: *bina equestria arma.* Uni quoque & unæ & una semper pluralibus adjunguntur, quæ pro singularibus accipiuntur, ut Sallustius in Catilinario: *Hi post, quam in una mœnia convenere.* pro in unam urbem. Virgilius in secundo Æneidos:

—— satis una, superque
Vidimus excidia. —— *

Pro unum excidium. Et Lucanus in quarto:

—— totumque in partibus unis
Bellorum fecere nefas. ——

pro una in parte. Donatus in arte prima: *Atque excepto amphibracho & epitrito, quorum alterum tripla, alterum epitrita divisione partimur, universorum pedum trina conditio reperitur.* Trina pro tripertita dixit.

PRIMANUS, primæ legionis: secundanus, secundæ legionis: similiter tertianus, unde tertiana febris: quartanus, unde etiam quartana febris: quintanus, unde & quintana porta castrorum: sextanus, septimanus, (50) unde septimana dierum: octanus, nonanus, decimanus, unde decimana porta castrorum. DECANUS quoque a decem, & decuria, & decurio nomen, & verbum decurio decurias, ex quo decuriata comitia: ut a centum centurio nomen & verbum, & centuriatus, ex quo centuriata comitia, ex quo succenturiatus. Terentius in Phormione:

—— Ego in subsidiis hic ero
Succenturiatus, siquid deficias. ——

Sunt & altera forma ex omni numero derivativa, in RIUS desinentia, (exceptis unus & duo, e quibus singularis & dualis dicimus) ut ternarius jambus, qui tres habet pedes: quaternarius, quinarius, unde & semiquinarius: senarius, septenarius, unde & semiseptenarius: octonarius, novenarius, DENARIUS, unde & denarius nummus: undenarius, duodenarius, ternarius denarius: similiter ceteri, vicenarius, tricenarius, quadragenarius, quinquagenarius, sexagenarius, septuagenarius, octogenarius, nonagenarius, CENTENARIUS, ducentenarius & ducenarius, trecentenarius & trecenarius, quadringentenarius & quadringenarius, quingentenarius & quingenarius, sexcentenarius & sexcenarius, septingentenarius & septingenarius, octingentenarius & octingenarius, nongentenarius & nonningenarius (sed melius per syncopam proferuntur) millenarius.

ADVERBIA quoque ex omni numero inveniuntur, ab unus quidem & duo inæqualiter, semel & bis: a ceteris vero æqualiter, ter, quater.

Reliqua omnia in es productam desinunt, quinquies, sexies, septies, octies, novies, decies, undecies, ter decies, quater decies, quinquies decies, sexies decies, septies decies, octies decies, novies decies, VICIES, tricies, quadragies, quinquagies, sexagies, septuagies, octogies, nonagies, CENTIES, ducenties, trecenties, quadringenties, quingenties, sexcenties, septingenties, octingenties, noningenties & nongenties, millies. Infinitis tamen numerorum adverbiis, etiam *n* interponitur, (51) quotiens, totiens, similiter multotiens, aliquotiens.

Inveniuntur & aliæ derivationes vel compositiones multæ a nominibus numerorum: ut, unicus, ullus, unitas, unio, universus, & uno verbum, unas, unat: ternitas vel trinitas, septimana, senio. Persius:

Jure etenim id summum, quid dexter senio ferret.

millia, semiquinarius, semiseptenarius, nundinum & nundinæ, trinundinum, trinum nundinum. Et sciendum, quod poetæ sæpe derivativis utuntur pro primitivis, vel contra: vel aliis speciebus pro aliis. Virgilius in decimo Æneidos.

Tot lecti in proceres bis denis navibus ibant.

pro bis decem. Et Lucanus:

—— septeno gurgite Nilus.

pro septenario.

Sunt præterea SIMPLUM, duplum, triplum, quadruplum, & similia, quæ proprie ad pondus vel numerum dicuntur: SIMPLEX, duplex, triplex & similia, quæ ad omnem rem dicuntur: & verba ex iis duplico duplicas, triplico triplicas: multiplex, multiplico multiplicas: dupondius, tripondius, & similia.

Illud quoque sciendum, quod UNDEVIGINTI dicimus pro decem & novem: id est, unde unum deest viginti. Vel undeviginti, post quem viginti numerus est, quod est novem & decem numerus. Post eum enim sequitur viginti numerus. Horatius in secundo sermonum:

*—— * unde.*
Octoginta annos natus, cui stragula vestis,

Unde octoginta dixit, id est, septuaginta novem annos habens ætatis: hoc est, octoginta, unde unum. Etiam DUODEVIGINTI dicunt, pro decem & octo: quod Attici *δυοῖν δέοντος* dicunt. Idem invenitur in ceteris cardinalibus numeris, id est, triginta, & quadraginta, & reliquis: duodetriginta pro viginti octo, & similia.

UNIFORMIS, biformis, triformis, & similia.

Duo asses, DUSSIS, dupondius: Tressis, quadrassis, decussis, vicessis, tricessis, quadragessis, quinquagessis, sexagessis, septuagessis, octogessis, nonagessis, CENTUSSIS: post quem numerum, teste Varrone, non componuntur cum asse numeri. Deunx, dextans, dodrans bessis, septunx, sexcunx, quincunx, triens, quadrans, sextans, sextula.

Libra, BILIBRIS, trilibris, quadrilibris, & similia.

Anniculus vel annuus; biennis, triennis, quadriennis, quinquennis, & similia. Biennium, triennnium, quadriennium, quinquennium, & similia. BIMUS, trimus, quadrimus, & similia. BIDUUM, triduum, quadriduum, & similia.

BINOCTIUM, trinoctium, quadrinoctium, & similia.

BICORPOR, tricorpor, & similia.

BIPES, tripes, quadrupes, decempes & decempeda, & similia.

BICEPS, triceps, quadriceps, centiceps, & similia.

BIFARIAM, trifariam, quadrifariam, & similia.

BIPATENS, tripatens, & similia.

BILINGUIS, trilinguis, & similia.

BIVIUM, trivium, quadrivium, & similia.

* *Sat.* 3.

(50) *Unde septimana dierum.*] Quæ sic Italis, Gallis, Hispanis, hodieque appellatur: sed quod nomen hac significatione apud antiquiores Latinos auctores non sis inventurus. *Hebdomada* sunt, qui libentius appellent, Græco verbo. De istis autem septimanis, & dierum nominibus, Angelus Politianus capite octavo Miscellaneorum.

(51) *quotiens, totiens, similiter multotiens, aliquotiens.*] Sic idem Priscianus libro quinto decimo, & Prisciano antiquior grammaticus Victorinus. Quare longe ineptos judicabis, qui nostris temporibus, Angelo Politiano, ut arbitror, duce & auctore, dicunt *quoties, toties, multoties, aliquoties*, sine *n*.

BIFIDUS,

BIFIDVS, trifidus, quadrifidus, & ſimilia.

Biſulcus, triſulcus, & ſimilia.

GEMINVS, tergeminus, centum geminus & ſimilia.

VNIMANVS, bimanus, trimanus, centimanus, & ſimilia.

VNICOLOR, bicolor, tricolor, & ſimilia.

DVVM VIR, trium vir, quinque vir, ſeptem vir, decem vir, centum vir, & ſimilia.

BIGÆ, trigæ, quadrigæ, & ſimilia.

BIJVGVS, unde Virgius in quinto Æneidos.

— bijugo certamine campum
Corripuere. —

A Et bigati nummi: trijugus, quadrijugus, & ſimilia.

TRIANGVLVM. (52) Cæſar *in Arato:*

— Cur dente lingua,
Græcia, præcurram, potiuſque triangula dicam:

quadrangulum, quinquangulum, ſexangulum, & ſimilia.

BIFVRCVS, trifurcus, quadrifurcus, & ſimilia.

---

(52) *Cæſar in Arato.*] Hoc non memini legiſſe in Germanici Cæſaris Arateis, quæ extant.

F I N I S.

REMI FAVINI,

SIVE, VT QVIDAM VOLVNT,

RHEMNII FANNII

PALÆMONIS CARMEN

DE

PONDERIBVS ET MENSVRIS,

CVM NOTIS ELIÆ VINETI.

(53) Pondera Pæoniis veterum memorata libellis
Noſſe juvat. Pondus rebus natura locavit
Corporeis. elementa ſuum regit omnia pondus.
Pondere terra manet. vacuus quoque ponderis æther
Indefeſſa rapit volventis ſidera Mundi.
Ordiar a minimis. poſt hæc majora ſequentur.
Nam majus nihil eſt aliud, quam multa minuta.
Semioboli duplum eſt OBOLVS: quem pondere duplo
γράμμα vocant: (54) Scriplum noſtri dixere priores.
(55) Semina ſex alii ſiliquis latitantia curvis
Attribuunt ſcriplo: lentis veraciter octo.
Aut totidem ſpeltas numerant, triſteſve lupinos
Bis duo. Sed ſi par generatim his pondus ineſſet,
Servarent eadem diverſæ pondera gentes:
Nunc variant. (56) Etenim cuncta non fœdere certo,
Naturæ, ſed lege valent hominumque repertis.
(57) Scripula tria drachmam faciunt: quo ponderc doctis
Argenti facilis ſignatur nummus Athenis.
(58) Holceque a drachma non re, ſed nomine differt.

A Drachmam ſi gemines, aderit, quem dicier audis,
Sicilicus. Drachmæ ſcriplum ſi adjecero, fiet,
Sextula quæ fertur. (59) Nam ſex his uncia conſtat.
Sextula quum dupla eſt, veteres dixere duellam.
Uncia fit drachmis bis quatuor. Unde putandum
(60) Grammata dicta, quod hæc viginti quatuor in ſe
Uncia habet: tot enim formis vox noſtra notatur,
Horis quot Mundus peragit noctemque diemque.
Unciaque in libra pars eſt, quæ menſis in anno.
(61) Hæc magno Latio libra eſt, gentique togatæ.
B Attica nam minor eſt. (62) Ter quinque hanc denique drachmis,
Et tervicenis tradunt explerier unam.
Accipe præterea patrio quam nomine Graji.
Μνᾶν vocitant, noſtrique Minam dixere priores.
Centum hæ ſunt drachmæ. (63) Quod ſi decerpſeris illis
Quatuor, efficies hanc noſtram denique libram.
Attica quæ fiet, (64) ſi quartam dempſeris hinc, mna.
(65) Cecropium ſupereſt poſt hæc docuiſſe talentum.
C (66) Sexaginta minas, ſeu vis, ſex millia drachmas,

---

(53) *Pondera Pæoniis.*] *Remum Pavinum* appellant hujus imperfecti poematis auctorem vetuſta exemplaria: ſed corrupta nomina exiſtimantes Politianus, Lilius Ferrarienſis, & alii quidam, *Rhemnium Fannium Palæmonem* pro *Remo Favino* appellaverunt. Proſtitit autem aliquandiu ſine titulo inter Priſciani ſcripta carmen hoc: unde ejuſdem Priſciani opus eſſe multi putaverunt.

(54) *Scripulum noſtri.*] Quia primam ſyllabam ſcripulum producit, ut in ſupra citatis illis tribus locis Martialis, id debet triſyllabum legi in hoc poemate, per eam quam ſyncopen vocant grammatici.

(55) *Semina ſex alii.*] Georgius Agricola libro de reſtituendis ponderibus & menſuris.

(56) *Etenim cuncta non fœdere certo.*] Sic habuerunt omnia noſtra exemplaria, ſyllabamque brevem ſic producunt: quum ſic legi poſſit, ſi quis malit: *Etenim non certo fœdere cuncta.* Agricola vero Georgius libro de reſtituendis ponderibus & menſuris legit, *etenim non omnia fœdere certa.*

(57) *Sripla tria drachmam faciunt.*] Sic fuit in antiquo libro, pro, in ſcripulis ternis drachmarum. Poteſt autem *a* in *tria* ideo productum videri, quod ſequitur muta cum liquida.

(58) *Holceque.*] ὁλκὴ apud Galenum & alios.

(59) *Nam ſex his.*] ſextulis.

(60) *Grammata dicta.*] Græci γράμματα dicunt, quas Latini literas, & viginti quatuor habent: quot diei civilis horas numeramus.

(61) *Hæc magno Latio.*] Latina, Italica, Romana libra, eſt ex duodecim unciis: quæ ſunt drachmæ nonaginta ſex.

(62) *Ter quinque hanc.*] Ter quinque, quindecim: & ter viginti, ſexaginta. Quindecim autem & ſexaginta, ſeptuaginta quinque.

(63) *Quod ſi decerpſeris.*] Ex centum drachmis ſi quatuor D drachmas ſubduxeris, reliquæ erunt nonaginta ſex drachmæ: quæ Romana libra eſt.

(64) *Si quartam dempſeris hinc.*] Id eſt, ſi ex centum drachmis, quæ Graja mina eſt, detraxeris quartam partem, quæ drachmæ ſunt viginti quinque, fiet Attica mna: quam dixit ex ſeptuaginta quinque drachmis conſtare.

(65) *Cecropium.*] Atticum, Athenienſe talentum.

(66) *Sexaginta minas.*] Sexaginta minæ Grææ, ſunt ſex millia drachmarum, poſtquam mina centum drachmas valet. Si quis autem contendat *a* longum ſemper eſſe in fine horum nominum *triginta*, *quadraginta*, *quinquaginta*, *ſexaginta*: id ut *a* hic quoque producatur, *mnas* pro *minas* legere poteſt.

Quod

Quod ſummum doctis perhibetur pondus Athenis.
(67) Nam nihil hiaobolove minus, majuſve taleuto.
Nunc dicam ſolidæ quæ ſit diviſio libræ,
Sive aſſis. (68) Nam ſic legum dixere periti,
Ex quo quid ſoli capimus. perhibemur habere,
Dicimur aut partis domini pro partibus hujus.
Uocia nam libræ ſi deeſt, dixere deuncem.
Aut ſi ſextantem retrahas, (69) erit ille decuocis.
(70) Sed nullum reliquo nomen ſemuncia certum
Dempta dabit. Namque eſt hujus ſeſcuocia triplex.
Dodrantem, reliquum vocitant, quadraote retracto.
Cumque triens deſit, Beſſem dixere priores.
Idem Septuncem dempto quincunce vocarunt.
Poſt hæc Semiſſis, ſolidi pars maxima fertur.
Nam quod dimidium ſuperat, pars eſſe negatur,
Ut docuit (71) teoui ſcribens in pulvere Muſa.
Cetera dicta prius: quibus eſt ſemuncia major.
Hæc de ponderibus. ſupereſt pars altera nobis,
Humida metiri, ſeu frugum ſemina mavis:
Cujus principio nobis pandetur origo.
Pes loogo ſpatio, atque alto, latoque notetur:
(72) Angulus & par ſit, quem claudit linea triplex:
Quatuor & quadris medium cingatur inane:
Amphora fit cubus. (73) Quam oe violare liceret,
Sacravere Jovi, (74) Tarpejo in monte Quirites.
Hujus dimidium fert urna, ut & ipſa medimni
Amphora: (75) terque capit modium. (76) Sextarius iſtum
Sedecies haurit: (77) quod ſolvitur in digitos pes.
At cotylas, quas, ſi placeat, dixiſſe licebit
(78) Heminas, recipit geminas ſextarius unus.
Qui quater aſſumptus, Grajo fit nomine χαῖνιξ.
(79) Adde duos, χοῦς fit: vulgo qui eſt congius idem.
E quo ſextarI nomen feciſſe priores
Crediderim, quod eos capiat ſex congius unus.
At cotyle cyathos bis ternos una receptat.
Sed de abaco nobis id pondus ſæpe notatur.
(80) Bis quinæ hunc faciunt drachmæ, ſi appendere velles.
Oxybaphum fiet, (81) ſi quinque addantur ad iſtas.
At myſtrum cyathi quarta eſt: ac tertia myſtri,
(82) Quam vocitant chemen. capit hæc cochlearia bina:
Quod ſi menſuræ pondus componere fas eſt,
SextarI cyathus pars eſt, quæ eſt uncia libræ.
Nec non oxybaphi ſimilis ſeſcuncia fiet.
Sicilicumque tibi myſtro ſimilare licebit.
Cochlear extremum eſt: ſcripliquе imitabitur inſtar.
Attica præterea diſcenda eſt amphora nobis,
Seu cadus. hanc facies, (83) noſtræ ſi adjeceris urnam.
Eſt &, his decies quem conficit amphora noſtra,
Culeus. hac nulla eſt major menſura liquoris.
Eſt etiam terris, quas advena Nilus inundat,
(84) Artaba: cui ſuperat modii pars tertia poſt tres.
Nanque decem modiis explebitur artaba triplex.
(85) Illud præterea tecum cohibere memento,
Finitum pondus varios ſervare liquores.
Nam libræ, ut memorant, beſſem ſextarius addit,
Seu puros peodas latices, ſeu dona Lyæi.
Addunt ſemiſſem libræ liventis olivi.
Selibramque ferunt mellis ſupereſſe bilibri.
Hæc tamen aſſenſu facili ſunt credita nobis.
Nanque nec errantes undis labentibus amnes,
Nec merſi puteis latices, aut fonte perenni
Manantes, par pondus habent: non denique vina,
Quæ campi, aut colles, nuperve, aut ante tulere.
Quod tibi mechanica promptum eſt depromere muſa.
Ducitur argento, tenuive ex ære cylindrus,
Quantum inter nodos fragilis producit arundo.
Cui cono interius modico pars ima gravatur:
Ne totus ſedeat, totuſve ſupernatet undis.
Lineaque (86) a ſummo tenuis deſcendit ad ima,
Ducta ſuperficie: (87) tot quæque in fruſta ſecatur,
Quot ſcriplis gravis eſt argenti æriſve cylindrus.
(88) Hoc cujuſque potes pondus ſpectare liquoris.
Nam ſi tenuis erit, (89) majori immergitur, undas

(67) *Nam nihil bis obolo.*] Budæus, Porcius, Alciatus, Agricola, de his quæſierunt diligentius ex Polluce, Galeno, Cleopatra, Suida, & aliis.

(68) *Nam ſic.*] aſſem.

(69) *Erit ille decuncis.*] Quo caſu *decuncis*? Pro *decuncis* legitur & *decunces*.

(70) *Sed nullum reliquo*] Semunciam, id eſt, dimidium unciæ, ſi ex aſſe ſuſtuleris, reſtabunt undecim unciæ & ſemis.

(71) *Tenui ſcribens in pulvere*,] Geometriæ peritus. Sed quis hic?

Pes longo ſpatio latoque notetur in anglo.

Ineptus fuit, qui hoc, *in angio*, ſubjecit ad complendum verſum, quem ſic mancum invenerat:

Pes longo ſpatio latoque notetur.

Petrus Daniel Aurelianenſis codicem antiquum miſerat: in quo etiam mutilus erat hic verſus, ſicut in omnibus aliis noſtris. De hoc ergo eum rogaveram ſcripſeramque ſic potius legi poſſe:

Pes longo ſpatio latoque notetur & alto:

quum reſcripſit habere ſe codicem ex impreſſorum antiquiſſimis, in quo ſic legeretur:

Pes longo ſpatio, atque alto, latoque notetur.

(72) *Angulus ut par ſit.*] Ut angulus ſit æquabilis, & rectus: quem jungunt tres lineæ trium dimenſionum, longitudinis, altitudinis, & latitudinis. Sed de fabrica Amphoræ, Quadrantis, Cubi, lege Budæum libro quinto de Aſſe, & Georgium Agricolam de reſtituendis ponderibus & menſuris.

(73) *Quam ne violare liceret.*] Locum hunc explicavit Georgius Agricola libro primo de menſuris Romanis.

(74) *Tarpejo in monte.*] In monte Capitolio: ubi fuit arx Tarpeja & Jovis Capitolini templum.

(75) *Terque capit modium.*] amphora.

(76) *Sextarius iſtum.*] Hoc eſt, modius capit ſextarios ſedecim

(77) *Quot ſolvitur in digitos pes.*] Pedem, quo res metimur, in ſedecim partes æquales dividimus: quos appellamus digitos. Dividitur idem & in duodecim, quos vocamus pollices.

(78) *Heminas.*] ἥμισυ *dimidium* ſignificat: unde *heminam* dictam putant. Feſtus: *Hemina ex Græco* ἥμισυ, *quod eſt dimidia pars ſextarii.*

(79) *Adde duos.*] Ad quatuor ſextarios, qui χοίνικα faciunt, adde duos ſextarios, fient ſex ſextarii: qui χοῦν complent.

(80) *Bis quinæ.*] Docuit Agricola intelligendum hoc de pondere olei. Senſus ergo hujus loci erit, cyathum olei pendere decem drachmas.

(81) *Si quinque addantur.*] Si quinque drachmæ ad decem addentur, fient quindecim drachmæ: quot continet cyathus ſemis.

(82) *Quam vocitant chemen.*] χήμη eſt rectius hujus: quod varie corruptum fuit in noſtris exemplaribus. De cheme & myſtro Agricola libro 3.

(83) *Noſtræ.*] Romanæ amphoræ, quæ continere duas urnas dicta eſt, ſi unam urnam addideris, fiet Attica amphora, tres complectens urnas.

(84) *Artaba.*] Ἀρτάβη, menſura Ægyptiaca, Perſica, Medica: de qua plura Georgius Agricola in libro priore de externis menſuris.

(85) *Illud præterea.*] Idem Agricola libro tertio de ponderibus.

(86) *a ſummo.*] Sic habent hic ſcripti calamo codices, & ſic legendum, non *a ſummo*.

(87) *tot quæque.*] & quæ linea ducta in ſuperficie cylindri ſecundum longitudinem, a ſummo ad imum ejus in tot partes dividitur, quot ſcripula pendit cylindrus.

(88) *Hoc.*] hac re, cylindro.

(89) *majori immergitur.*] Legitur & *majori mergitur.* Senſus autem eſt, ſi aqua, in quam cylindrum injeceris, fuerit tenuis & levior, ea cedet oneri: & in eam cylindrus altius deſcendet, majoreque pondere. Sed confer huc, quæ de aqua marina & fluviali diſputat Ariſtoteles in problematibus, & Macrobius ſeptimo Saturnaliorum.

Sin gravior, (90) plures modulos supereſſe notabis.
(91) Aut ſi tantundem laticis ſumatur utrinque,
Pondere præſtabit gravior. (92) ſi pondera ſecum
Conveniunt, tunc major erit, quæ tenuior unda eſt.
Quod ſi (93) ter ſeptem numeros texiſſe cylindri
Hos videas latices, (94) illos cepiſſe ter octo:
(95) His drachma gravius fatearis pondus ineſſe.
Sed refert æqui tantum conferre liquoris,
Ut gravior ſuperet drachma, quantum expulit undæ
Illius aut hujus, teretis pars merſa cylindri.
Hæc de menſuris: (96) quarum ſi ſigna requires,
Ex ipſis veterum poteris cognoſcere chartis.
Nunc aliud partum ingenio trademus eodem.
(97) Argentum fulvo ſiquis permiſceat auro,
Quantum id ſit, quoque id poſſis deprendere pacto,
(98) Prima Syracuſii mens prodidit alta magiſtri.
Regem namque ferunt Siculum, quam voverat olim
Cœlicolum regi, ex auro ſtatuiſſe coronam:
Compertoque dehinc furto (nam parte retenta,
Argenti tantundem opifex immiſcuit auro)
Oraſſe ingenium civis, qui mente ſagaci,
Quis modus argenti, fulvo latitaret in auro,
Repperit, (99) illæſo, quod diis erat ante dicatum.
Quod te quale ſiet, paucis, adverte, docebo.
Lancibus æquatis, quibus hæc appendere mos eſt,
Argenti atque auri, quod edax purgaverit ignis,
Impones libras, neutrum ut præponderet: haſque
Summittes in aquam. Quas pura ut ceperit unda,
Protinus inclinat pars hæc, quæ ſuſtinet aurum.
(100) Denſius hoc nanque eſt, ſimilari craſſius unda.
At tu ſiſte jugum: mediique e cardine centri
Intervalla nota. quantum diſcerpſerit illinc,
Quotque notis diſtet ſuſpenſo pondere filum,
Fac drachmis diſtare tribus. Cognovimus ergo
Argenti atque auri diſcrimina. denique libram
Libra tribus drachmis ſuperat, quum mergitur unda;
Sume dehinc aurum, cui pars argentea mixta eſt.
Argentique meri par pondus: itemque ſub unda
Lancibus impoſitum ſpecta. propenſior auri
Materies. ſubſiſtet enim, furtumque docebit.
Nam ſi ter ſenis ſuperabitur altera drachmis,
Sex ſolas libras auri dicemus ineſſe,
Argenti reliquum. quia nil in pondere differt
Argentum argento, liquidis quum mergitur undis.
Hæc eadem puro deprendere poſſumus auro,
Si par corrupti pondus pars altera geſtet.
Nam quotiens ternis pars illibata gravarit
Corruptum drachmis ſub aquam, totidem eſſe notabis.
Argenti libras, quas fraus promiſcuit auro.
Pars etiam libræ quævis ſi forte ſuperſit,
Hæc quoque drachmarum ſimili tibi parte notetur.
(101) Nec non & ſine aquis.

---

(90) *plures modulos.*] plura, quæ dixit, fruſta & partes cylindri, ſuper aquam extabunt.

(91) *Aut ſi tantundem.*] Ut cyathum aquæ fontanæ, verbi gratia, & cyathum puteanæ. Quanquam ſcribit Plinius libro tricefimo primo, levitatem deprehendi aliter, quam ſenſu, vix poſſe, nullo pæne momento ponderis aquis inter ſe diſtantibus.

(92) *Si pondera ſecum.*] *pondere* pro *pondera*, quædam exemplaria, ſed eodem, puto, ſenſu. Si aquarum, & aliorum liquorum pondera, inter ſe conveniunt, aut ſi aquæ pari inter ſe conveniunt pondere: ut ſi fuerit, exempli cauſa, aquæ pluviæ libra, & libra aquæ fluvialis, major erit quantitas aquæ pluviæ, quam alterius: quod aqua pluvia ſit tenuior & levior.

(93) *Ter ſeptem numeros.*] viginti unam earum partium, in quas diviſa ſit linea longitudinis cylindri.

(94) *illos.*] alteros latices, alterum liquorem.

(95) *His drachma gravius.*] longitudinem cylindri diviſit in ſcripula. Sunt autem tria inter viginti unum & viginti quatuor, quæ drachmam faciunt.

(96) *quarum ſi ſigna.*] Menſurarum, ponderum, numerorum notæ extant, ſed corruptæ pleraque, apud Cornelium Celſum, Valerium Probum, Voluſium Metianum, Scribonium Largum, Priſcianum, Bedam, Paulum Diaconum.

(97) *Argentum fulvo.*] Scribitur & *flavo.*

(98) *Prima Syracuſii.*] *Syracoſii* ſunt, qui ſcribere malint in Sileno Virgilii, quam *Syracuſio.* Syracuſanus autem Archimedes quomodo deprehenderit argenti in aurea corona miſtionem, & manifeſtum artificis furtum, exponit pluribus Vitruvius libro nono.

(99) *illæſo quod diis erat ante dicatum.*] corona illa aurea, jam facta.

(100) *Denſius hoc*] Hic quædam exemplaria *P* pro *D* habent & *Penſius* pro *Denſius.* Sunt autem hæc magis etiam corrupta apud Palladium in libro de Architectura.

(101) *Necnon & ſine aquis.*] Extremum carminis hoc hemiſtichium, in omnibus noſtris exemplaribus. Quod autem per aquam docuit, id etiam ſine aqua deprehendi poſſe deinceps docebat Fannius, ſi forte carmen abſolvit: quod ad nos venit imperfectum.

F I N I S.

RATIO COMPVTANDI
PER
DIGITOS ET VTRANQVE MANVM,
EX
BEDÆ ANGLOSAXONIS
LIBRO
DE
TEMPORVM RATIONE,
CVM NOTIS ELIÆ VINETI.

De temporum ratione, Domino juvante dicturi, necessarium duximus, utilissimam primo, promptissimamque flexus digitorum paucis præmonstrare sollertiam; ut quum maximam computandi facilitatem dederimus, tum paratiore legentium ingenio, ad investigandam, dilucidandamque computando seriem temporum veniamus. Neque enim contemnenda, parvive pendenda est regula, cujus omnes pæne sacræ expositores scripturæ non minus quam literarum figuras, monstrantur amplexi. Denique & multi alii alias, & ipse divinæ interpres historiæ (102) Hieronymus, in Evangelicæ tractatu sententiæ, hujus adjumentum disciplinæ non dubitavit assumere. *Centesimus*, inquit, *& sexagesimus, & tricesimus fructus, quanquam de una terra, & de una semente nascitur, tamen multum differt in numero.* TRIGINTA *referuntur ad nuptias. Nam & ipsa digitorum conjunctio, quasi molli osculo se complectens, & fœderans, maritum sibi pingit & conjugem.* SEXAGINTA *ad viduas, eo, quod in angustia & tribulatione sint posita: unde & in superiore digito deprimuntur. Quantoque major est difficultas experta quondam voluptatis illecebris abstinere, tanto majus est præmium. Porro* CENTESIMVS *numerus (quæso, diligenter, lector, attende) a sinistra transfertur ad dexteram: & iisdem quidem digitis, sed non eadem manu, quibus in læva, nuptæ significantur & viduæ, circulum faciens, exprimit virginitatis coronam.* Quum ergo

(102) *Hieronymus in evangelicæ tractatu historiæ.*] In ipso fere principio libri primi contra Jovinianum. Auctores autem multi, & Hieronymo antiquiores, istius disciplinæ meminerunt. Julius Firmicus libro primo: *Vides, ut primos discentes computos, digitos tarda agitatione deflectant?* Macrobius libro primo Saturnaliorum de Jano: *Inde & simulachrum ejus plerumque fingitur manu dextera trecentorum, & sinistra sexaginta & quinque numerum tenens, ad demonstrandam anni dimensionem.* Et septimo, de digito, qui minimo vicinus, *medicinalis* appellatur: *Complicatus enim senarium numerum digitus iste demonstrat.* Apulejus in apologia secunda de magia: *Si triginta annos pro decem dixisses, posses videri pro computationis gestu errasse: quos circulare debueris, digitos aperuisse. quum vero quadraginta, quæ facilius cæteris porrecta palma significantur, ea quadraginta in dimidio auges, non potes digitorum gestu errasse.* Plutarchus in regum & imperatorum apophthegmatibus: *Orontes regis Artaxerxis gener, ob irato rege exauctoratus, damnatusque Quemadmodum, inquit, supputatorum digiti, nunc decem millia, nunc unum tantum ponere possunt: Sic & regum amici interdum possunt omnia, interdum minimum.* Quinctilianus libro primo institutionum oratoriarum de notitia numerorum: *In causis vero vel frequentissime versari solet: in quibus actor non dico si circa summas trepidat, sed si digitorum saltem incerto aut indecoro gestu a computatione dissentit, judicatur indoctus.* Ex libro undecimo de gestu manuum: *Nam gestum poculum poscentis, aut verbera minantis, aut numerum quingentorum flexo pollice efficientis, quæ sunt a quibusdam scriptoribus notata, ne in rusticis quidem vidi.* Juvenalis libri quarti Satyra primo:

— atque suos jam dextra computat annos.

In quem locum sic scribit vetus interpres, sive Annæus Cornutus is sit, sive Valerius Probus, ut plerisque placere video: *Usque ad centum numerus in læva manu computatur: a centum, & deinceps per dexteram fit computatio.* Plinius libro tricesimo quarto Naturalis Historiæ: *Præterea Janus Geminus a Numa rege dicatus, qui pacis belli que argumento colitur, digitis ita figuratus, ut trecentorum quinquaginta quinque dierum nota per significationem anni, temporis & ævi se deum indicaret.*

Ovidius libro tertio Fastorum de numero denario:

Seu quia tot digiti per quos numerare solemus.

Et in Elegia tertia libri secundi de Ponto:

At reditus jam quisque suos amat: & sibi quid sit
Utile? sollicitis computat articulis.

Nicarchus libro secundo Græcorum Epigrammatum:

Ἡ πολιὴ πρέσβειρα Κοτύτταρις, ἡ παλίμηβος
Γραῖα, δι' ἣν Νέστωρ οὐκ ἔτι πρεσβύτατος,
Ἡ φάος ἀθρήσασ' ἐλάφου πλέον, ἡ χερὶ λαιῇ
Γῆρας ἀριθμεῖσθαι δεύτερον ἀρξαμένη,
Ζώει, καὶ λεύσσουσα, καὶ ἄρτιπος, ὥστε νεῆνις,
Ὥστε με διστάζειν, μήτι πέπονθ' Ἀΐδης.

Hæc ergo, & siqua sunt hujusmodi alia veterum scriptorum loca, quod nos hodie intelligamus, hoc uni Bedæ Anglo debemus: ex quo solo hanc numerandi disciplinam discere possumus, undecunque illam acceperit circiter annum a Christo nato septingentesimum.

dicis VNVM, minimum in læva digitum inflectens, in medium palmæ artum infiges. Cum dicis DVO, fecundum a minimo flexum ibidem impones. Cum dicis TRIA, tertium similiter adflectes. Cum dicis QVATVOR, itidem minimum levabis. Cum dicis QVINQVE, fecundum a minimo fimiliter eriges. Cum dicis SEX, tertium nihilominus elevabis, medio duntaxat folo, qui *medicus* appellatur, in medium palmæ fixo. Cum dicis SEPTEM, minimum folum, ceteris interim levatis, fuper palmæ radicem pones. Juxta quem, cum dicis OCTO, medicum: cum dicis NOVEM, impudicum e regione compones. Cum dicis DECEM, unguem indicis in medio figes artu pollicis. Cum dicis VIGINTI, fummitatem pollicis, inter medios indicis & impudici artus immittes. Cum dicis TRIGINTA, ungues indicis & pollicis blando conjunges amplexu. Cum dicis QVADRAGINTA, interiora pollicis lateri vel dorfo indicis fuperinduces, ambobus duntaxat erectis. (103) Cum dicis QVINQVAGINTA, pollicem exteriore artu inftar Græcæ literæ Γ curvatum, ad palmam inclinabis. Cum dicis SEXAGINTA, pollicem, ut fupra, curvatum, indice circumflexo, diligenter a fronte præcinges. Cum dicis SEPTVAGINTA, indicem, ut fupra, circumflexum pollice immiffo fuperimplebis; ungue duntaxat illius erecto trans medium indicis artum. Cum dicis OCTOGINTA, indicem ut fupra circunflexum pollice in longum tenfo implebis, ungue videlicet illius in medium indicis artum infixo. Cum dicis NONAGINTA, indicis inflexi unguem radici pollicis infiges. Atque hactenus in læva. CENTVM vero in DEXTERA, quomodo decem in læva, facies. DVCENTA in dextera, quomodo viginti in læva. TRECENTA in dextera, quemadmodum triginta in læva. Eodem modo & cetera ufque ad NONINGENTA. Item MILLE in dextera, quemadmodum unum in læva: DVO MILLIA in dextera, quemadmodum duo in læva: TRIA MILLIA in dextera, quemadmodum tria in læva: & cetera ufque ad novem millia. Porro DECEM MILLIA cum dicis, lævam medio pectori fupinam appones, digitis tantum ad cœlum erectis. VIGINTI MILLIA cum dicis, eandem pectori expanfam late fuperpones. TRIGINTA MILLIA cum dicis, eadem prona, fed erecta, pollicem cartilagini medii pectoris immittes. QVADRAGINTA MILLIA cum dicis, eandem in umbilico erectam fupinabis. QVINQVAGINTA MILLIA cum dicis, ejufdem pronæ, fed erectæ pollicem umbilico impones. SEXAGINTA MILLIA cum dicis, eadem prona femur lævum defuper comprehendes. SEPTVAGINTA MILLIA cum dicis, eandem fupinam femori fuperpones. OCTOGINTA MILLIA cum dicis, eandem pronam femori fuperpones. NONAGINTA MILLIA cum dicis, eadem lumbos apprehendes, pollice ad inguina verfo. At vero, CENTVM MILLIA & DVCENTA MILLIA & cetera, ufque ad NONINGENTA MILLIA, eodem, quo diximus ordine, in dextera corporis parte complebis. DECIES autem CENTENA MILLIA cum dicis, ambas fimul manus infertis invicem digitis implicabis. (104) Eft & alterius modi computus articulatim difcurrens: qui quoniam fpecialiter ad Pafchæ rationem pertinet, quum ad hanc ex ordine ventum fuerit, opportunius explicabitur. Poteft autem & de ipfo, quem prænotavi, computo, quædam MANVALIS LOQVELA, tam ingenii exercendi, quam ludi agendi gratia, figurari: qua literis quis figillatim expreffis, verba, quæ iifdem literis contineantur, alteri, qui hanc quoque noverit induftriam, tametfi procul pofito, legenda atque intelligenda contradat, vel neceffaria quoque per hæc occultius innuendo fignificans, vel imperitos quofque quafi divinando deludens. Cujus ordo ludi vel loquelæ talis eft. Cum primam alphabeti literam intimare cupis, unum manu teneto: cum fecundam, duo: cum tertiam, tria: & fic ex ordine ceteras. Verbi gratia, fi amicum inter infidiatores pofitum, ut caute rem agat, admonere defideras, tria, & unum, & viginti, & decem, & novem, & quinque, & unum, & feptem, & quinque, digitis oftende. hujus nanque ordinis litera, CAVTE AGE, fignificant. Poteft & ita fcribi, fi caufa fecretior exigat. Sed hæc Græcorum compoto literifque facilius difci fimul atque agi poffunt: qui, non ut Latini, paucis iifdemque geminatis fuos numeros folent exprimere literis, verum toto alphabeti fui charactere in numerorum figuras expenfo, tres, qui plus funt, numeros, notis fingulis depingunt, eumdem pæne numeri figurandi, quem fcribendi alphabeti ordinem fequentes, hoc modo:

α,	β,	γ,	δ,	ε,	ϛ,	ζ,	η,
I,	II,	III,	IIII,	V,	VI,	VII,	VIII,
θ,	ι,	κ,	λ,	μ,	ν,	ξ,	ο,
IX,	X,	XX,	XXX,	XL,	L,	LX,	LXX;
π,	ϟ,	ρ,	σ,	τ,	υ,		
LXXX,	XC,	C,	CC,	CCC,	CCCC,		
φ,	χ,	ψ	ω,	ϡ.			
D,	DC,	DCC,	DCCC,	DCCCC.			

Qui ideo mox, ut numeros digitis fignificare didicerint, nulla interftante mora, literis quoquè pariter iifdem præfigere fciunt. Verum hæc hactenus.

De Ratione unciarum ex eodem Libro.

VNCIARVM quoque divifionem noffe, quæ non minus temporibus rebufve aliis, quam nummis eft apta computandis, non ignobilis intentio eft. Quibus quia & difperfæ paffim hiftoriæ, & ipfa facra fcriptura utitur, nomina pariter (105) & figuras earum paucis affigere curavimus ℔, LIBRA, vel (106) AS five ASSIS. duodecim unciæ. ꟗ;

(103) *Quum dicis feptuaginta.*] Hujus numeri & infequentis turbatæ defcriptiones in noftris exemplaribus.

(104) *Eft & alterius modi compotus.*] Ita *compotus* per *o* vulgus, ficut & nos pueri edifcebamus:

Compotus eft talis proprie dictus manualis:

Sed *computus* per *u* vetus codex: quem in exiguis Sanctamandanorum monachorum bibliothecæ reliquiis forte reperi anno poft natum Chriftum millefimo quingentefimo quinquagefimo quinto, quum propter peftilentiam Burdigala feceffiffem, Engolifmenfiumque Montinracum veniffem ad falutandum vifendumque Jacobum Benedictum, illum fenatus Burdigalenfis principem: qui & ipfe in patriam eo autumno fecefferat. Efto ergo hic potius *computus* per *u* a *computando*: videaturque *computus* quafi *computatus* quidam effe: ficut *guftus* ex eo contractus videtur, quod eft *guftatus*, a *guftando*, quanquam diverfa declinatione, quum *guftus* per quartam flectatur, *computus* per fecundam. Novum autem verbum *computus*, quod apud fcriptorem Julio Firmico antiquiorem legere non memini, qui Chaldaica illa componebat circiter annum Chrifti trecentefimum & quadragefimum.

(105) *Et figuras earum.*] Figuræ iftæ, ut jam diximus, & notæ unciarum, ponderum, menfurarum, funt tam variæ in libris omnibus, quam varia ipfa exemplaria, & librariorum manus: ut, quæ pro veris habendæ fint, nefcias, præter eas, quas Prifcianus & quidam alii veteres grammatici defcripferunt. Nos quas in perantiquo Bedæ libro, cujus modo meminimus, & altero, qui fodalium Francifcalium Burdigalenfium fuit, reperimus, & quæ in novis defiderabantur, eas curavimus appingendas.

(106) *As five affis.*] *Affis* rectum cafum alibi non legi.

(107) DEVNX,

(107) DEVNX, sive IABVS, undecim unciæ. ʃʃʃ, DECVNX vel DEXTANS, decem unciæ ʃʃ, (108) DODRANS, sive DORAS, novem unciæ. ʃʃ, (109) BES sive BISSIS, octo unciæ. ʃ, (110) SEPTVNX sive SEPTVS, septem unciæ. ʃ, SEMIS, sex unciæ, ʃʃ, (111) QVINCVNX, sive CINCVS, quinque unciæ. ʃʃ, (112) TRIENS sive TRIES, quatuor unciæ. ʃ, QVADRANS sive QVADRAS, tres unciæ. ʃ, SEXTANS sive SEXTAS, duæ unciæ. Ꝡ, SESCVNX sive SESCVNCIA, una uncia & semis. I, VNCIA viginti quatuor scripuli. Ζ, SEMVNCIA, duodecim scripuli. Ꝁ. (113) Duæ SESCVLÆ sive SESCLÆ, octo scripuli, id est, tria pars unciæ. Ʒ, SICILICVS, sex scripuli. Ꝉ, SESCVLA sive SESCLA, quatuor scripuli. Dimidia Sexcula sive Seela, duo scripuli. ʃʃ, SCRIPVLVS, sex SILIQVÆ. Hæc, inquam, ponderum vocabula vel characteres, non modo ad pecuniam mensurandam, verum ad quævis corpora, sive tempora dimetienda, conveniunt. Unde & ratio & mos obtinuit, ut in cautione computorum, (114) pueri unum & duo sæpius asse & dipondio mutent. (115) Item tressis, quartussis, quinquussis, sextussis, septussis, & cetera hujusmodi, quasi tres asses, quatuor asses, quinque asses, sex asses, proferant, & in eundem modum sequentia numerorum quam plurima. Sive igitur horam unam, sive diem integram, sive mensem, sive annum, seu certe aliud aliquod majus minusve temporis spatium, in duodecim partiri vis, ipsa duodecima pars, uncia est: reliquas undecim deuncem appellant. Si in sex partiris, sexta pars sextans sive sextas: quinque reliquæ dextans, (116) vel, ut alii, distas vocitantur. Si in quatuor, quarta pars quadrantis nomen, residuæ tres dodrantis accipiunt. Et hujus disciplinæ regula solvitur, quod & plerosque turbat imperitos, quia (117) Philippus in expositione beati Job, ÆSTVM MARIS OCEANI cotidie bis venire describens, adjunxerit, hunc unius æquinoctialis horæ dodrante transmisso, tardius sine intermissione sive die venire, sive nocte. Porro si per tria quid dividere cupis, jam tertiam partem trientem, duas residuas bissem nuncupabis. Si per duo, dimidium semis appellatur. Sic & cetera: quæ verbo melius colloquentis, quam scribentis stilo disci pariter & doceri queunt. Item de corporibus, sive milliarium, sive stadium, sive jugerum, sive perticam, sive etiam cubitum, pedemve, aut palmum partiri opus habes, præfata ratione facies.

---

(107) *Deunx sive Iabus.*] *Labus* L pro I quædam scribunt exemplaria. Quid nomen alibi legere non memini.

(108) *Dodrans* sive *Dorat.*] Neque hoc *Doras* apud alium legi: quod a dodrante duabus literis abest D & N.

(109) *Bes* sive BISSIS.] *Bessis* pro hoc *bissis* apud Priscianum. *Bissa* etiam quædam exemplaria pro *bissis*, sicut ante monuimus.

(110) *Septunx* sive *Septus.*] Hoc *septus*, nescio an sit integrum: quod apud antiquiores non legi.

(111) *Quincunx* sive *Cincus.*] *Quincunx* est apud veteres: *cincus* nescio, unde acceperit Beda, nisi forte ex antiqui nominis corruptione.

(112) *Triens* sive TRIES.] Hoc *Tries* ex *Triens*, sicut *Quadras* & *Sextas* ex *Quadrans* & *Sextans* facta, *n* rejecta.

(113) *Duæ Sescula* sive *Sescla.*] Ita hic scriptum reperimus, & infra *sescula* sive *sescla*. Hanc ergo *sesclam* alibi non legi: quæ videtur a *sescula* esse facta, sicut ex *saeculo* *saeclum* contrahitur, & ex *vinculo* *vinclum*. Sed *sextulam* *x* & *t* pro *s* & *c* dixerunt: & *sextulam* esse dictam scripserunt Varro, Volusius, & Fannius, quod *sexta* pars esset unciæ. Incertum ergo, quo modo scripserit Beda. Qui *Lentlum* & *titlum* ex *Lentulo* & *titulo* fecerunt, iidem ex *sextula* *sextlam* facere potuerunt.

(114) *Pueri unum & duo, sæpius asse & dipondio.*] Ita & nobis hodieque in ludo tesserarum, unum *as* appellatur.

(115) *Item tressis, quartus, quinquis, sexis, septus.*] Sic fuit in nostris codicibus vetustis: in aliis *tressis*, *quartussis*, *quinquussis*, *sextussis*. Hæc probat Varro. Illa etiam apud Volusium leguntur (*quinquus* tamen illic, pro *quinquis*) & præterea *octus*, *nonus*, *decus*, pro *octussis*, *nonussis*, *decussis*.

(116) *Vel ut alii distas.*] Neque hoc *distas* alibi legimus.

(117) *Philippus in expositione*] Quod commentarium nuper Basilienses expresserunt. Fuit autem Hieronymi discipulus, homo hic, auctore Gennadio, qui Presbyterum appellat: & scribit obiisse mortem Marciano & Avito regnantibus. Quem numerat annum a Christo nato quadringentesimum & quinquagesimum septimum Sigebertus.

F I N I S.

VOLVSII MÆCIANI
JVRISCONSVLTI,
DISTRIBVTIO,
ITEM
Vocabula ac Notæ partium in Rebus Pecuniariis, Pondere, Numero, Menſura,
cum notis Eliæ Vineti & J. Friderici Gronovii.

SÆpenumero, Cenſor, animadverti ægre ferentem te, quod *Aſſis* diſtributionem, & in hæredum inſtitutione & in aliis multis neceſſariam, ignotam haberes. Quæ ne tam exigua res ingenium tuum ullo modo moraretur, cum partes ipſas, tum vocabula & notas proponendas exiſtimavi. Et deprehendes diſtributionem quidem partium infinitam, oppido autem quam exigua vocabula ac notas. Prima diviſio ſolidi, id eſt, libræ, quod *As* vocatur, in duas partes dimidias diducitur. Pars dimidia *Semis* vocatur. nota ejus S. Sequens diviſio fit in tres tertias partes. pars tertia *Triens* vocatur. nota ejus = =. Sequitur diviſio in quatuor quartas partes. pars quarta *Quadrans* vocatur. nota ejus = —. Deinceps fit diviſio in ſex ſextas partes. ſextæ partis nomen eſt *Sextans*. cujus nota eſt =. Deinde dividitur in octo octavas, quæ *Seſcuncia* vocantur. quarum nota eſt (a) Σ 1. C— Σ. Ɔ Item in novem nonas. Nona pars vocatur *Uncia dua ſextula*. nota = \\. Dividitur item *As* in duodecim partes duodecimas. vocantur ſingulæ, *Uncia*. cujus nota —. Hæc, velut elementa primæ de Aſſe diſtributionis, æqualitatem ſervant. Si quid quibuſdam earum detrahas, vel conſeras, fient diſpares. Quare ſi quadranti ſextantem vel trienti unciam applices, facies *Quincuncem*, qui conſtat ex quinque unciis, hoc eſt, quinque duodecimis. nota Quincuncis (b) =— = C = = 1. Ɔ Si ſemiſſi applices unciam, vel quincunci ſextantem, vel trienti quadrantem, efficies *Septuncem*, hoc eſt, ſeptem duodecimas. nota ſeptuncis (c) S—. Si ſeptûnci applicueris unciam, vel ſemiſſi ſextantem, vel quincunci quadrantem, vel trienti tantundem, facies *Beſſem*, id eſt, duodecimas octo. nota beſſis S =. C — S —. Ɔ. Si beſſi applicueris unciam, vel ſeptunci ſextantem, vel ſemiſſi quadrantem, vel quincunci trientem, *Dodrantem* efficies, hoc eſt, novem duodecimas. nota dodrantis SZ. CS =—. aut S = 1. Ɔ. Si dodranti applicueris unciam, vel beſſi ſextantem, vel ſeptunci quadrantem, vel ſemiſſi trientem, vel quincunci tantundem, facies *Dextantem*, hoc eſt, decem partes duodecimas. nota dextantis S = =. Si dextanti applicueris unciam, vel dodranti ſextantem, vel beſſi quadrantem, vel ſeptunci trientem, vel ſemiſſi quincuncem, facies *Deuncem*, hoc eſt, undecim duodecimas. nota deuncis (d) S =— =. CS = =1. Ɔ. Ex his apparet, in quas partes æqualiter, in quas diſpares *As* dividatur. Quo tamen facilius & memoria res teneatur, ſumma diviſionis hæc eſt. In *Aſſe* ſunt unciæ decem duæ, hoc eſt, partes duodecimæ duodecim: unciæ & binæ ſextulæ novem, hoc eſt, novem nonæ: ſeſcunciæ octo, id eſt, octo octavæ: ſextantes ſex, id eſt, ſex partes ſextæ: quadrantes quatuor; id eſt, quatuor partes quartæ: trientes tres, id eſt, tres partes tertiæ: ſemiſſes duo, id eſt, duæ partes dimidiæ. Cæteræ partes inæqualem faciunt diviſionem. In *Deunce* ſunt unciæ undecim, ſextantes quinque & uncia, quadrantes tres & ſextans, trientes duo & quadrans, quincunces duo & uncia, ſemis & quincunx, ſeptunx & triens, bes & quadrans, dodrans & ſextans, dextans & uncia. deeſt aſſi uncia. In *Dextante* ſunt unciæ decem, ſextantes quinque, quadrantes tres & uncia, trientes duo & ſextans, quincunces duo, ſemis & triens, ſeptunx & quadrans, bes & ſextans, dodrans & uncia. deeſt aſſi ſextans. In *Dodrante* ſunt unciæ novem, ſextantes quatuor & uncia, quadrantes tres, trientes duo & uncia, quincunx & triens, ſemis & quadrans, ſeptunx & ſextans, bes & uncia. deeſt aſſi quadrans. In *Beſſe* ſunt unciæ octo, ſextantes quatuor, quadrantes duo & ſextans, trientes duo, quincunx & quadrans, ſemis & ſextans, ſeptunx & uncia. deeſt aſſi triens. In *Septunce* ſunt unciæ ſeptem, ſextantes tres & uncia, quadrantes duo & uncia, triens & quadrans, quincunx & ſextans, ſemis & uncia. deeſt aſſi quincunx. In *Semiſſe* ſunt unciæ ſex, ſextantes tres, quadrantes duo, triens & ſextans, quincunx & uncia. deeſt aſſi alter ſemis. In *Quincunce* ſunt unciæ quinque, ſextantes duo & uncia, quadrans & ſextans, triens & uncia. deeſt aſſi ſeptunx. In *Triente* ſunt unciæ quatuor, ſextantes duo, quadrans & uncia. deeſt aſſi bes. In *Quadrante* ſunt unciæ tres, ſextans,

Voluſii Mæciani.] Hunc Libellum quomodo ſuus auctor inſcripſerit, dubito: cujus titulum in antiquis codicibus non reperi. *Elias Vinetus.*

(a) In v. c. Σ, *Gronovius.* (b) = =l. *Grov.*

(c) Ƨ. *Grov.* (d) In v. c. S = =l. *Grov.*

tans, & uncia. deeſt aſſi dodrans. In *Sextante* ſunt unciæ duæ. deeſt aſſi dextans. Huc uſque diviſio majorum, ut ita dictum ſit, partium & celebris & nota eſt: (a) ſed quum in ſe natura infinitam partiendi præſtet facultatem, ſuccedit *Uncia* quoque (quæ eſt aſſis, ut ſupra dictum eſt, pars duodecima) diviſio, non tam celebris quidem, ſed tamen non adeo ignota. Ut *Aſſis*, ita *Uncia* prima diviſio fit in duas partes dimidias, quæ vocantur *Semuncia*. nota ſemunciæ ʃ. Item dividitur uncia in tres partes, quæ vocantur *Bina ſextula*. nota binarum ſextularum (b) \\. Item dividitur uncia in quatuor *Sicilicos*, id eſt, quatuor quartas. nota ſicilici Ↄ. Item in *Sextulas* ſex, id eſt, ſex ſextas. nota ſextulæ ƪ. Item in duodecimas duodecim, quas ſingulas partes *Dimidias ſextulas* vocamus. nota dimidiæ ſextulæ χ. (c) Item in *Scriptula* viginti quatuor. ſcriptuli nota ⳩. Eſt autem aſſis *ſemuncia* pars viceſima & quarta: *duæ ſextulæ*, pars triceſima ſexta: *ſicilicus*, quadrageſima octava: *ſextula*, ſeptuageſima ſecunda: *dimidia ſextula*, centeſima quadrageſima quarta: *ſcriptulum*, ducenteſima octogeſima octava. *Semuncia* habet ſicilicos duos, ſextulas tres, dimidias ſextulas ſex, ſcriptula duodecim. *Duæ ſextulæ* habent ſicilicum & dimidiam ſextulam, ſextulas duas, dimidias ſextulas quatuor, ſcriptula octo. *Sicilicus* habet ſextulam & dimidiam, dimidias ſextulas tres, ſcriptula ſex. *Sextula* habet dimidias ſextulas duas, ſcriptula quatuor. *Dimidia ſextula* habet ſcriptula duo. Has quoque partes in quantumlibet dividere poſſis: verum infra eas neque notas neque propria vocabula invenies. Præterea dimidium ſcriptulum audio quoſdam ratiocinatores *Simplium* vocare: quod erit totius aſſis quingenteſima ſeptuageſima ſexta. Quam & ipſam partem infinito ſeparare poſſis. Nec mirum, ſi infra has partes partitio facta & nominibus & notis caret, quum etiam inter partes ſuperiores primaſque diviſiones pleræque partes & nominibus & notis careant. Statim namque undecim undecimæ aſſem efficiunt: nec aut nomen proprium aut notam habent. Perinde decem decimæ. Nam nona aſſis facit *Unciam duas ſextulas*. Octava, ut ſupra redditum eſt, *Seſcuncia* vocatur. Septem ſeptimæ, quæ & ipſæ aſſem implent, nec nomen proprium nec notam habent. Sextæ *Sextantes* vocantur. Ne quintæ quidem aut nomen proprium aut notam habent. Jam vero tertias, *Trientes*; quartas, *Quadrantes*; ſicut duodecimas, *Uncias*, vocari oſtenſum eſt. Infra has cæteræ uſque ad ſextam decimam nomine proprio notaque carent: ſed ſexta decima, *Semuncia ſicilicus* vocatur. Nam ſedecim ſemunciæ, octo ſunt unciæ; ſedecim ſicilici, quatuor unciæ fiunt: junctæ unciis octo aſſem implent. Septimadecima deinde interjecta nomine notaque caret. Octavadecima vocabitur *Semuncia ſextula*. nam hæ decies octies ductæ aſſem efficient. Poſt has inferiores partes (excepta ſemuncia, duabus ſextulis, ſicilico, ſextula, dimidia ſextula, ſcriptulo) neque vocabula propria neque notas habent. (d) *Centeſima*, quæ commodi aut uſurarum (e) nomine ad ſortem applicaretur, ſicilico, id eſt, C averſo, eo notari; quod quum C centum ſignificaret, convertebatur ad eam ſummam, cujus centeſima futura erat: & ſive una convenerat, unus ſicilicus; ſive plures, tot ſicilici ponebantur. Sicut autem *Aſſis* appellatio ad rerum ſolidarum hæreditatiſque totius, diviſio autem ejus ad partium demonſtrationem pertinet, ita & ad pecuniam numeratam refertur: quæ olim in ære erat, poſtea & in argento feriri cœpit, ita, ut omnis nummus argenteus ex numero æris poteſtatem haberet. Eo in numero ſunt hi argentei nummi: *Denarius*, cujus eſt nota ✳: *Quinarius*, cujus eſt nota V: *Seſtertius*, cujus nota eſt HS: *Victoriatus* enim nunc tantundem valet, quantum Quinarius olim, ac peregrinus nummus loco mercis, ut nunc tetradrachmum & drachma, habebatur. Denarius primo aſſes decem valebat, unde & nomen traxit. Quinarius, dimidium ejus, id eſt, quinque aſſes; unde & ipſe vocatur. Seſtertius duos aſſes & ſemiſſem, quaſi ſemis tertius, Græca figura; ἕβδομον ἡμιτάλαντον· nam ſex talenta & ſemitalentum eo verbo ſignificantur. Lex etiam duodecim tabularum argumento eſt, in qua duo pedes & ſemis, *ſeſtertius pes* vocatur. Nunc Denarius ſedecim, Victoriatus & Quinarius octo, Seſtertius quatuor aſſes valet. Infra quam diviſionem ſequitur alia quædam ſubdiviſio, notas æque ac propria vocabula habens. Quare ſi ad denarium rationem conficias, aſſem hac nota ſcribas ✳ʃↃ, ac voces *Semuncia ſicilicus*. ſemunciæ enim ſedecim & ſicilici ſedecim aſſem efficiunt. Dupondium hac nota ſcricas ✳— ʃ, & voces *Seſcuncia*. nam ſedecim ſecunciæ dupondium efficiunt. Treſſis hac nota ſcribas ✳— Ↄ, ac voces *Sextans ſicilicus*. æque enim ſedecim ſextantes totidemque ſicilici tres aſſes efficiunt. Quatruſſis hac nota ſcribas ✳ =–, voceſque *Quadrans*. ſedecim enim quadrantes quatruſſis efficiunt. Quinques hac nota ſcribas ✳=– ʃ Ↄ, voceſque *Quadrans ſemuncia ſicilicus*. nam ſedecim quadrantes ac totidem ſemunciæ ſicilicique faciunt quinques. Sexis hac nota ſcribas ✳= = ʃ, nomineſque *Triens ſemuncia*. æque enim trientes & ſemunciæ ſedecies ducti ſexis efficiunt. Septus hac nota ſcribas ✳=–= Ↄ, ac nomines *Quincunx ſicilicus*. ſimili enim modo quincunces ac ſicilici multiplicati ſeptus efficiunt. Octus hac nota ſcribas ✳S, ac nomines *Semis*. quibus eodem modo multiplicatis, octus reperies. Nonus hac nota ſcribas ✳S ʃ Ↄ, appelleſque *Semis ſemuncia ſicilicus*, ut ſemiſſem hac quoque notam, quæ vocatur Semis ſemuncia ſicilicus, multiplicatum nonus invenies. Decus hac nota ſcribas ✳S– ʃ, atque nomines *Septunx ſemuncia*. ſeptuncem quoque ac ſemunciam totiens ſi duxeris, decus efficies. (f) Undeciaes hac nota ſcribas ✳S= Ↄ, appelleſque *Beſſicilicus*. nam beſſicilici totiens ducti, undecieris efficiunt. Duodeciaes hac nota ſcribas ✳S=–, ac voces *Dodrans*. dodrantes eodem modo computati duodeciaes efficiunt. Tredeciaes hac nota ſcribas ✳S=– ʃ Ↄ, voceſque *Dodrans ſemuncia ſicilicus*. dodrantibus ſemunciis ſicilicis eadem ratione multiplicatis tredecim aſſes efficies. Quatuordeciaes hac nota ſcribas ✳S= = ʃ, ac voces *Dextrans ſemuncia*. dextantes ſemunciæque ſedecim æque quatuordeciaes efficiunt. Quindeciaes hac nota ſcribas, ✳S=– =Ↄ, ac appelles *Deunx ſicilicus*. deunx quoque ac ſicilicus ſedecies ducti quindecies efficiunt. Ingenioſiſſime autem, quum ad denarium ratio conficeretur, excurrentis æris nota inventa eſt, quæ ſedecies multiplicata id efficeret. Namque cum denarii nota præſcribatur, eique ſubjungatur æris excurrentis nota, manifeſtum eſt, eam ſedecies ducendam ex adnotatione denarii.

(a) Sed cum ſe i naturam. Sed cum rei natura. *Gron.*

(b) In v. c. W. Nummi. *Gron.*

(c) *Item in ſcriptula.*] Sic *t* habuit nomen hoc in Metiani tam novis, quam vetuſtis exemplaribus: ſicut veteres primum dixiſſe ſupra docuimus. *Elias Vin.*

(d) *Centeſimaque commodia.*] Sic fuit in utriuſque generis exemplaribus, quicquid ſit nominis hoc *commodia*, ſive a *modio* deductum, ſive aliunde. *Elias Vin.*

(e) In v. c. Et dimidiam. *Gron.*

(f) *Undecies hac not.*] Quæ in impreſſis exemplaribus erant *Undecias*, *Duodecias*, *Tredecias*, *Quatuordecias*, *Quindecias*, ea in vetuſto codice Danielis noſtri fuerunt *Undeciare*, *Duodeciare*, *Tredeciare*, *Quatuordeciare*, *Quindeciare*. Elias Vin.

Ad quinarium & victoriatum rationem Romæ confici nescio: quemadmodum tamen, si velis, conficias, facilius apparebit, si prius inspexeris, ad quem modum sestertiaria ratio conficiatur. tunc enim vel excurrentis æris licet exemplum denariariæ rationis (*a*) dimidiam duces, vel sestertiariam duplicabis. Ad sestertium ratio si conficiatur, semis hac nota scribitur——T: vocatur *Libella teruncius.* Est autem *Libella* sestertii decima pars, *Teruncius* quadragesima: quæ duæ partes junctæ, octavam sestertii, id est, semissem, efficiunt. Nam octo libellis, id est, octo decimis, teruncii octo, id est, octo quadragesimæ, (quæ fiunt quatuor vicesimæ, hoc est, duæ decimæ) adjectæ complent sestertium. Sunt enim in sestertio *Libellæ* decem, *Singulæ* viginti, *Teruncii* quadraginta. Infra semissem nemo rationem (*b*) temere sestertiariam ducit. Potest tamen. nam quadrans, qui est pars sextadecima sestertii, poterit notari (*c*) *Singula*, quæ est vicesima sestertii, & *dimidio teruncio*, quæ est octogesima sestertii, & *dimidio teruncio*, qui est octogesima sestertii. nam utraque hæc pars juncta efficit sextamdecimam. As notari debet ⊏ ʃ. hæc ad sestertium nota vocatur *duæ Libellæ singula*: fiunt duæ decimæ & vicesima, hoc est, quarta pars sestertii. nam quater binæ libellæ, octo fiunt decimæ: quatuor singulæ, quatuor fiunt vicesimæ, hoc est, duæ decimæ, quæ superioribus junctæ, sestertium complent. As semis notari debet ⊏-- ʃ T. vocatur *Tres libellæ singula teruncius*: & sunt tres decimæ, una vicesima, una quadragesima, hoc est, quarta & octava sestertii. Supersunt octavæ quinque, id est, semisses quinque, ut compleant sestertium. Dupondius hac nota S. vocatur *Quinque libellæ*, quæ sunt quinque decimæ. hæ duplicatæ sestertium implent. Dupondius semis hac nota S⁻ T. vocatur *Sex libellæ teruncius*. Sunt autem sex decimæ & quadragesima, id est, dimidia & octava totius. Supersunt octavæ tres, id est, semisses tres, ut sestertium compleant. Tressis hac nota, S⊏ ʃ. Vocatur *Septem libellæ singula*. Sunt autem pars dimidia & duæ decimæ & vicesima, hoc est, pars dimidia & quarta. Desunt duæ octavæ, id est, quarta, quæ juncta impleat sestertium. Tressis semis hac nota S⊏-- ʃ T. vocatur *Octo libellæ singula teruncius*. Sunt pars dimidia & tres decimæ & vicesima & quadragesima, hoc est, pars dimidia & quarta & octava. Superest octava, quæ adjecta sestertium compleat. *Libella* dicta creditur, quasi pusilla libra. Nam quum olim *Asses* librales essent, & *denarius* decem asses valeret, & decima pars denarii libram, quæ eadem as erat, *singula* selibram quæ eadem semis erat, *teruncius* quadrantem haberet; sive denariaria, sive sestertiaria ratio conficeretur, iisdem notis, id est, libellarum & singularum & terunciorum, præposita nota denarii vel sestertii, ut erat ratio, æra exprimebantur. Posteaquam in sedecim asses denarius distributus est, denariaria ratio expeditius confici cœpit, ut supra dictum est, sestertiaria mansit sub iisdem notis, aucta tamen computatione. Hæc quoque *Libella*, exemplo majorum, in duos velut semisses, qui *Singulæ* vocantur, & quatuor velut quadrantes, qui *Teruncii* vocantur, dividitur. Ponderis eadem divisio quæ æris. nam in quas partes *As* dividitur, in has & *Libra* dispenditur. Ita *As* quidem seu de divisione solidi, seu de pondere, seu de numerata in ære pecunia agatur; *Libra* autem in pondere; *Nummi* vero *argentei* in pecunia, forma publica dumtaxat, nomen accipiunt. Mensurarum liquoria atque grani expeditior & forma & appellatio est. Nam *Quadrantal*, quod nunc plerique *Amphoram* vocant, habet *Urnas* duas, *Modios* tres, *Semodios* sex, *Congios* octo, *Sextarios* quadraginta octo, *Heminas* nonaginta sex, *Quartarios* centum nonaginta duos, *Cyathos* quingentos septuaginta sex. Notæ mensurarum. Quadrantalia ʃ'. Ad granum U. Urnæ ʃ'. Heminæ ϟ. Sextarii ad vinum ɔ. Semodii ⁞s. Cyathi ττ. Congii ʃ. Modii ⁞'. Quartarii † ∽.

(*a*) Sestertiaria & dup. *Hæc ita legenda sunt*, denariariæ rationis, & dimidiam duces; vel sestertiariam, & duplicabis. *Gron.*

(*b*) Tenere. *Gron.* (*c*) Sigula. *Gron.*

F I N I S.

BALBVS

BALBUS AD CELSUM DE ASSE

MINUTISQUE EJUS PORTIUNCULIS,

cum notis Johannis Friderici Gronovii.

Quicquid unum est, & quod ex integrorum divisione remanet, *Assem* ratiocinatores vocant. Quotquot ergo de integra divisione singulares res unitatesve remanebunt, totidem *asses* erunt: si unitas una remanebit, unus erit *assis asve*; si duæ, duo; si plures, plures erunt asses. Sed quia (a) pauciores inter æquales æqualiter dividi non possunt, nisi in minutias, quemadmodum dictum est, secentur; oportet eum, qui docet, ostendere, quibus rationibus ab integris deriventur minutiæ. *Assis* quidem *asve* in duas partes sectus sex principales generat divisiones, quibuslibet binis partibus toti suo (b) æquatus, & ejusdem sui totus constitutus. Aut enim assis altera pars est *deunx*, altera *uncia*: aut altera *dextans*, altera *sextans*: aut altera *dodrans*, altera *quadrans*: aut altera *bessis*, altera *triens*: (sic enim potius dicendum est quam aut *bes* aut *des*, quoniam binas ex tribus assis partes sibi vindicat) aut altera *septunx*, altera *quincunx*: aut utræque partes erunt *semis*. Harum omnium partium nullæ parem quantitatem habent, præter duas ultimas, quemadmodum patuit. Principales ideo dicuntur hæ partes, quoniam unaquæque illarum & in alias partes dividitur, quæ secundariæ sunt ad totum. Omnis enim pars partis, totius pars est. Quod diximus explanandum est. Cujuslibet integræ rei in duodecim partes divisæ semper duodecima pars (c) *Uncia* dicitur, sexta vero *Deunx*: & hæ sunt partes primæ divisionis. Hæc de assis partibus tractamus, (d) nisi eo modo, quo simpliciter sunt partes, ut integri totius. Species enim illius innumerabiles sunt. nam quotquot sunt integræ unitates, totidem necesse est intelligi assis esse species. Earum unitatum quælibet divisa (e) in æquales partes sextam habebit *sextantem*, reliquas *dextantem*. ergo sic potest dividi: pars una assis *dextans*, altera *sextans*. Item cujuslibet rei integræ in quatuor partes æquales divisæ quarta pars *quadrans*, vocabitur, reliquæ *dodrans*. Item cujuslibet rei in tres partes divisæ, duæ illarum *bessis* nominabatur, (f) reliquæ *triens*. Rursus cujusvis rei divisæ in tales duas partes, quarum altera alteram septima sui totius parte superat, *septunx* nuncupabitur, superata *quincunx*. Sexto modo res aliqua integra in duas æquales minutias separatur, quæ utræque *semis* dicuntur. Septima divisio his adjungi potest: nam rei integræ in octo partes distributæ pars quælibet (g) ex aliis sine aliis considerata *sescuncia* dici potest, reliquæ *semuncideunx*. Licet assis plures sint divisiones, tamen his septem numerarii ratiocinatores magis utuntur, & pars illa, quæ est *semuncideunx*, in frequenti usu non est, unde characterem non habet, quo designetur. As ergo habet unum *deuncem*, unum *dextantem*, unum *dodrantem*, unum *bessem*, unum *septuncem*, duos *semisses*, duos *quincunces*, tres *trientes*, quatuor *quadrantes*, sex *sextantes*, octo *sescuncias*, duodecim *uncias*. Et, uncia ablata de asse remanet *deunx*: sublata uncia de deunce remanet *dextans*: sublata uncia de dextante remanet *dodrans*: sublata uncia de dodrante remanet *bessis*: sublata uncia de besse remanet *septunx*: sublata uncia de septunce remanet *semis*: sublata uncia de semisse remanet *quincunx*; sublata uncia de quincunce remanet *triens*: sublata uncia de triente remanet *quadrans*: sublata uncia de quadrante remanet *sextans*: sublata uncia de sextante remanet *uncia*: sublata semuncia de sextante remanet *sescuncia*, hoc est, uncia & dimidia: sublata semuncia de sescuncia remanet *uncia*. Et uncia quidem sic dividitur: unciæ pars alia *semuncia*, alia *duella*, alia *sicilicus*, alia *sextula*, alia *drachma*, alia *hemisescla*, alia *tremissis*, alia *scripulus*, *scrupulusve*. *Semuncia* quidem est medietas unciæ, *duella* tertia pars, *sicilicus* quarta, *sextula* sexta, *drachma* octava, *hemisescla* duodecima, *tremissis* sextadecima, *scrupulus* quarta & vigesima. Quare *tremissis* continet scrupulum & dimidium, *hemisescla* duos scrupulos, *drachma* tres, *sextula* quatuor, *sicilicus* sex, *duella* octo, *semuncia* duodecim, *uncia* quatuor & viginti, *sescuncia* sex & triginta, *sextans* octo & quadraginta, *quadrans* duos & septuaginta,

(a) Scribo, *pauciora*.

(b) Fortasse: *quibuslibet binis partibus toti suo æquatas, & ejusdem sui totius constitutrices.* Nempe divisiones.

(c) Falsum deuncem esse partem assis sextam, quæ *sextans* dicitur. Legendum: *cætera vero deunx*: Ut mox: *reliquas dextantem*, *reliquæ dodrans*, &c. Nisi fuit: *undecima vero deunx*. nam *sexta* ex VI, quod pro XI. fefellerat, ortum potest videri. Parique mendo laborat finis.

(d) Forte: *non nisi eo modo*.

(e) Non profecto in quasvis æquales partes, sed in *sex æquales partes*: sive mavis ponere, *in æquales partes sex*, *sextam habebit sextantem*. Ut mox: *in quatuor partes æquales divisæ*. &, *in tres partes divisæ*.

(f) Scribo: *reliqua triens*. Unam enim tertiam designat. At cum dixit, *reliquas dextantem*, intellige quinque sextas: *reliquæ dodrans*, tres quartæ: *cætera deunx*, undecim duodecimæ. Sic statim: *superata quincunx*, inquit, non *superatæ*.

(g) Opinor, *ex illis*. nempe octavis.

triens

triens ſex & nonaginta, *quincunx* centum & viginti, *ſemis* centum & quatuor & quadraginta, *ſeptunx* centum & octo & ſexaginta, *beſſis* centum & duos & nonaginta, (a) *dodrans* ducentos unum & viginti, *dextans* ducentos & quadraginta, *deunx* ducentos & quatuor & ſexaginta, *As* ducentos & octo & octoginta.

(a) Immo, *dodrans ducentos ſedecim.* Tot enim fiunt, ſi centum nonaginta duobus ſcriptulis, quot habes bes, viginti quatuor addas: nec aliter dextans, rurſus viginti quatuor additis, CCXL. poteſt habere. Pro CCXVI. librarius accepit CCXXI.

F I N I S.

ALEXANDRI SARDI
FERRARIENSIS
DE
N V M M I S
L I B E R,

In quo priſca Græcorum & Romanorum pecunia ad noſtri æris rationem redigitur.

PERILLVSTRI ET EXCELLENTISSIMO

DOMINO

D. MARCO AVRELIO GALVANO,

PATRICIO FERRARIENSI,

In celeberrimo Lyceo Patavino Juris Civilis Antecessori dignissimo,

Domino meo summe colendo.

CReditam a sapientissimo rerum moderatore provinciam dum pro viribus exornare contendo, non minoris operæ video, neglecta per ætatem magnorum ingeniorum monumenta rei literariæ commodo in lucem revocare, quam conquisita pretio precibusque nova dubio eventu protrudere. Unus e pluribus, qui jam literatorum prope memoria excidere, tua Vir Humanissime benignitate mihi sese in conspectum dedit Alexandri Sardi de Græca & Romana pecunia ad nostrum ævum comparata libellus, Augustino Musto Patricio Ferrariensi annis hinc septuaginta in Germania dicatus. Eximiam Clarissimi viri eruditionem satis superque testatur solida rerum divinarum humanarumque, præsertim Juris ac Philosophiæ, cognitio, qua scriptor gravissimus ætate sua eminuit. Principum autem totius Europæ maximeque Ferrariensium Origini præcox nimis fatum lucem invidit publicam, cui protinus cum auctore exemta intra parietes aulæ non sine cultu æstimationeque etiamnum delitescit. Eruditorum paucis hic itidem commentariolus ne porro communis foret, tuo nunc merito tuique nominis claritate denuo cultior prodit, Amplissime Domine, dignum Te sibi vindicem nactus, qui omni literarum virtutumque genere avitum patriæ decus tueare: cui Deus singulari literarum accessione diutissime sospitem velit. Patavii.

Amplissimo nomini tuo

Devinctissimus

PAVLVS FRAMBOTTVS

ALEXANDER SARDVS DE NVMMIS.

Libræ fuerunt *Latina*, *Attica*, *Graca*.

Latinam ex duodecim unciis. *Atticam* ex 75. drachmis, faciunt Priſcianus *in lib. de Nummis*, & Rhemnius Fannius *in Carmine de Ponderibus*. hancque *Mnan* appellari a Græcis, *Minam* a Latinis ajunt.

Libram *Gracam*, quam Euboicam vocat Herod. ex 100. drachmis conſtituit idem Faonius: *Unciam* ex 8. drachmis: *Drachmam* ex 3. ſcripilis: *Scripulum* ex 6. ſiliquis, vel ex 4. lupinis. Sed octo lentes ſcripulum conſtituere, falſum eſt apud ipſum Fannium. quoniam ſemeo lupini eſt ponderis ſex lenticularum. Itaque recte ſcripſit M. Junius Niplus, *in lib. de Menſuris*. Scripilum eſſe ex 8. granis ciceris: quia ſemeo lupini & duo grana ciceris æqualia ſunt in pondere. Idem Junius non recte tradit, *Siliquam continere* 3. *hordea*. Nam ſiliqua continet 4. hordea. quia æquale pondus videmus lenticulæ & hordei. Ergo SCRIPILVM fuit ex 24. hordeis: *Uncia* ex quingentis ſeptuaginta ſex. *Libra Latina*, quam & *Italicam* Priſcianus nominat, ex ſex millibus nongentis duodecim. *Libra Attica* ex quinque millibus quadringentis. *Lib. Graca* ex ſeptem millibus ducenis. Ita Libra Latina Atticam excedit, *ſextante*, *ſemuncia*, & *drachma*: minor fuit quam Græca, *uncia & tribus ſiliquis*.

NVMMS potiſſimum in ære, in argento, & in auro fuere. *Æneum* taxari ex pondere, *argenteum* poteſtatem habere ex numero ænei, ſcribit Voluſius Metianus. *Aureus* vero diſtribuitur in argenteis.

Romani Nummi fuere

EX AERE.

As libræ pondus, teſte Varrone.

Triens tertia pars aſſis, ex quatuor unciis.

Quadrans quarta pars ex 3. unciis. propterea a Plinio alio nomine dicitur, *Triuncis*. Nota Aſſis fuit ex altera parte *Janus geminus*, ex altera *Roſtrum navis*. In Triente & Quadrante erant *rates*.

Dipondium bilibrem referunt, Varro, Plin. & Priſc.

Grave as ex denis aſſibus conſtituit Sext. Pompejus. Primo autem bello Punico cum Reſpublic. impenſis non ſufficeret, *ut Plinius*, conſtitutum, ut aſſes ſextantario pondere ferirentur quinque partium lucro facto. Poſtea Annibale urgente aſſes unciales facti, Q. Fabio Maximo Dictatore, mox ſemunciales lege Papyriana. Hioc *As ſecundus* Sextantarii ponderis *Sextans* appellatur a Varrone: & *Aſſes ſemunciales* videntur a Sext. Pompejo vocari *Breves nummi* ex ære: & *Triens Papyrianus* ex quatuor ſcripilis *Sextula* nuocupatur a Varrone.

EX ARGENTO

Nummum Romæ primo conflatum a Servio Rege refert Chariſius Grammaticus. Signatum Plinio credimus, a Q. Fabio Coſ. quinque annis ante primum bellum Punicum. A figura cælaturæ dicti fuere *Bigati* & *Quadrigati*, ut aſſerit Pompejus. A numero autem æneæ monetæ, cujus precium tenebant, *Seſtertii*, *Quinarii*, *Denarii*. Itaque & Varro, & Voluſius & Priſcianus ſcribunt, *Denarium* vocari, quod denos æris valeret: *Quinarium*, quod quinos: Seſtertium quaſi ſemis tertium, nummum ſcilicet duorum ſemiſſis librarum: & tunc *Libellam* Voluſius tradit ſeſtertii decimam partem, & *Teruncium*, quadrageſimam partem. Verum quando Annibale urgente Aſſes facti fuere unciales, teſte Plinio, placuit *Seſtertium* permutari quaternis aſſibus, *Quinarium* octonis, *Denarium* ſexdecim. Inde Denario notam XVI. perſcriptam tradit Voluſius.

Victoriatus nummus peregrinus, ut idem ait ex Illyrico adductus, lege Clodia Romæ percuſſua, & Victoria ſignatus, tantundem valet, quantum *Quinarius*. Sed Nummi nomen commune fuiſſe Seſtertii & Denarii, Cicero & Plinius indicant. Nam ille modo *quinque millia nummum*, modo *quinque millia ſeſtertia* dicit Scandilium adnumeraſſe Apronio, juſſu Verris. Plinius vero veniſſe murem *ducenis nummis* Caſilinum obſidente Annibale tradit, quos *ducentos denarios* appellaverat Valerius Maximus. Quare cum Aſioius Celer mullum piſcem mercatus fuerit *ſeptem vel octo millibus nummum* (hoc Plinius, illud tradit Macrobius) incertum eſt, ſint ne *ſeſtertii*, an *denarii*.

EX AVRO

Nummum poſt annos ſexaginta duos percuſſum, quam argenteus fuerit, aſſerit Plinius, ita ut *Scripulum* valeret ſeſtertiis vicenis, quod efficit in libra ratione ſeſtertii, qui tunc erant, *ſeſtertios nongentos* Aureus itaque nummus percuſſus eſt anno Urbis 542. Annibale urgente, quando aſſes unciales facti: quando placuit ſeſtertium quaternis aſſibus permutari. Sed ſi ſcripulum auri valeret ſeſtertiis vicenis, ut ſcriptum eſt apud Plinium, *Scripula* 24. quæ ſunt in uncia, efficerent in libra *ter mille &* *ſeptin-*

septingentos sexaginta sestertios. Scripilum vero precii duodecim semissis Assium, efficit in libra *Sestertios nongentos*, ut librarii pro XII HS. scripserint XX HS.

Post hæc, *inquit Plinius*, placuit quadraginta millia signari ex auri libra. Tu vero, *Muste*, habes aureum nummum C. Julii Cæsaris ter Dict. *pondere sex scripul. & quatuor siliquarum*, qui nummus percussus fuerit anno Urbis DCCVI. quando Scipione, Afranio & Juba victis, libertate omnino sublata, ipse Cæsar tertio constitutus fuit Dictator, sed in decennium: & ei eligendorum magistratuum auctoritas populi attributa. Habes etiam nummos aliorum Principum, & Domitiani, ad quem libros historiæ naturalis misit Plinius, ponderis paulatim imminuti. Sed ex pondere tui nummi Cæsariani colligimus, *potuisse ex auri libra signari hujuscemodi nummos quadraginta tres, superexistente quiam scripulo & duabus siliquis.* Idem numerus fortasse fuit apud Plinium, facili lapsu ex XLIII. in XLM.

In Gracia Julius Pollux refert nummos

EX AERE

Chalcon octavam partem oboli: *Dichalcon* ex 2 Chalcis: *Pentechalcon* ex quinque. Sed *Obolo* nihil minus Athenis, dixit Fannius, & erat *scripilus*, ut retulit Priscianus ex Dardano. Pollux autem constituens *drachmam* ex sex obolis, ostendit, *obolum* fuisse *semiscripilum*, nominatque *semiobolum* ex 4 chalcis; & a numero Atticos nummos, *Diobolum*, *Triobolum* & *Tetrobolum*, qui insculptam haberet Jovis faciem in altera parte, in altera duas noctuas, sicut *Trioboli* nota fuit Jovis facies in utraque parte; *Dioboli* autem noctua.

EX. ARGENTO

Drachmam Fannius fecit ex 3. scripilis: Pollux ex 6. obolis. A Prisciano nuncupatur *Argenteus*, & est drachma Attica. Nam drachmam *Æginaam*, quam Athenienses *Magnam* dixere, decem obolos habuisse testatur idem Pollux, qui & *Didrachmam* nominat: cujusmodi *Siculus* est apud Fannium, & Priscianum. Et apud eundem Pollucem *Bos* ex bove insculpto Atheniensis, vel *Deliacus nummus.* Præterea ipse nominat *Tridrachmam*, *Tetradrachmam*, & Cyrenensium *Pentadrachmam*, & *Pentacontadrachmam.* *Numisma* Plutarchus constituit ex 100 drachmis, scribens, *Tigranem semmnimisma dedisse singulis militibus Pompeji*, quas Appianus dixit *quinquaginta drachmas.*

EX AVRO

Chrysus, auctore Polemarcho, fuit ex pondere *Didrachma.* Quare *Semichrysus*, quem nominat Alexandrides, fuit ex pondere drachmæ.

Statera fecisse *Minam Græcam*, id est, *centum drachmas*, ait Pollux, & alios stateras refert, *Dareicos*, *Philippeios*, *Alexandreicos*, *Corinthiacos* etiam ex decem obolis: *Semistaterem* quoque & *Tetrastaterem* Cyrene.

Sed facile nummos antiquos redigemus ad pecuniam nostri æris, ubi ostenderimus, *Aurum decuplo præstantius fuisse argento*: *Denarium* continuisse *drachmam & scripilum*: *Drachmam* Romæ permutatam *decem assibus*: *Drachmam* fuisse ponderis *nostri scuti.*

Aurum decuplo præstantius argento, docet Pollux ex auctoritate Menandri, qui quod talentum auri appellaverat, mox dixerit *Decatalentum*: & docet Livius, qui refert, Senatum de mille talentis, quæ M. Fulvius Nobilior Ætolos jusserat dare populo Romano nihil mutasse, nisi si pro argento aurum dare mallent, pro argenteis decem darent aureum unum.

Denarium continuisse *drachmam*, *& scripilum* ostendit pondus denariorum antiquorum, & indicat Priscianus ex 72. denariis constituens 96. drachmas, & ex 72. siliquis constituens 3. denarios, vel 4. drachmas. Livius etiam, *Tetradrachmam* scribit fuisse ponderis trium denariorum At cum Plinius *drachmam Atticam* denarii pondus habere dicat: & cum A. Gellius *myrias drachmas*, quas poscebat Lais, interpretetur *denariorum* 10000, intellexere de *denario decussi.* ut omnino corrupte legatur apud eundem Plinium tertiam partem *Mina* adæquare pondus 39 denariorum. Nam tertia pars *Mina Attica* adæquat pondus 25. denariorum, qui sint decusies, & *Mina Græca* tertia pars totidem item denariorum pondus adæquat, qui essent ex sexdecim assibus.

Drachmam Romæ permutatam 10. assibus, dicimus ex Plutarcho, quindecim millibus assibus æstimante mille quingentas drachmas.

Drachma est ponderis septuaginta duorum *seminis hordei*, hoc est, ex tribus scripilis. Ejusmodi ponderis est noster nummus aureus, quem *Scutum* appellamus: & qui permutatur quadringentis viginti *Quatrenis Venetis*, qui constituunt 70. solidos singulos ex sex *Quatrenis.* Ex hujusmodi autem 20. solidis facimus libram. Nam in hac adæquatione sumsimus *Quatrenos Venetos* communes omnibus Italis. Igitur ex adæquato pondere drachmæ, & scuti, & ex auro decuplo præstantiore argento, *Drachma*, decima pars scuti, valeret 7. solidis: nisi antiqui nummi aurei in bonitate auri, duabus fere ex 24. partibus, quos aurifices appellant *characteres*, præstarent auro nostri scuti, quod in bonitate est characterum 22 tantum. Illi enim antiqui nummi sunt ex auro puro & obryzo, ex fluminum ramentis & arrugia quæsito, quod statim aurum est: vel quod in metallis repertum, & igne perfectum, recoctum profecerit ad bonitatem: cujusmodi auri etiam sunt *Ducati*, *Ungarici* potissimum. Si autem adæquemus aurum *nostri scuti* ad bonitatem *obryzi*, & nummis antiquis recte constituemus precium nostro ære, & æstimare poterimus omne aliud aurum, cui insit argentum vel dena, vel nona, vel octava, vel alia parte. Aurum vero *scuti* adæquamus cum *obryzo*, si unamquamque ex decem & octo partibus ipsius scuti, quas nos *siliquas*, aurifices autem *characteres*, sed in pondere dicunt, fingamus esse pretii 26. quatrenorum & semis: sicut singulæ partes Ducati ponderis drachmæ & siliquæ. Tunc enim *scutus* valeret quatrenis 477.

Hac itaque ratione *Drachma*, decima pars scuti in bonitate obryzi permutaretur octo solidis, minus tribus tribus, ex denis partibus quatreni.

Obolus, sexta pars drachmæ octo quatrenis minus una ex 20. partibus quatreni.

Chalcus octava pars oboli quatreno fere.

Argenteum numisma ex 100. drachmis conficeret undecim scutos, libram, & solidos 25. Ex drachma Romæ decem assibus permutata.

Assis decima pars, drachmæ adæquaret quatrenos quatuor, & septuaginta septem centenas partes quatreni.

Triens quatrenum, & quinquaginta novem centenas partes.

Quadrans quatrenum, & 19. centenas partes.

Denarius ex drachma & scripilo fuisset ex 63. quatrenis, & senis ex 10. partibus alterius, si libræ, *Attica & Latina*, æquales fuissent. Sed cum

Latina *Atticam* excedat *sextante*, *semuncia*, & *drachma*, hoc est, 1512. *hordeis*: hæc dividuntur in 75. drachmis libræ Atticæ, ita ut unamquamque drachmam in libra Latina efficiant 20. hordeis, & paulo plus majorem quam sit in Attica. Quæ hordea in unaquaque drachma constituunt *quatrenos undecim, & quintam partem alterius*. Inde dicimus *Denarium*, ea ratione fuisse ex 12. solidis, duobus quatrenis, & quatuor quinariis partibus quatreni: *Quinarium* ex 6. solidis, quatreno, & duobus quinariis partibus: *Sestertium* ex solidis 3. & septenis ex decem partibus quatreni. Quomodo *Quadrans* est quasi sextadecima pars sestertii, ut Volusius ait. Item *Libra auri* efficiens sestertios 900. fuisset ex scutis 40. solidis 16. quatrenis 4. Nummos vero aureos 43. in libra videmus singulos ex duobus scutis, libra, & solidis 17.

Chrysus ex pondere didrachmæ conficit 2. scutos, & 19 solidos.

Stater undecim scutos, libram & solidos 5.

Dareicus est pretu Chrysi. Nam Xenophon talentum auri ex trecentis Dareicis dixit esse.

Philippeius, quem habebat Jacobus Sadoletus Cardinalis optimus & doctiss. fuit ponderis 3. drachmarum, totidem siliquarum, hoc est, trium ducatorum.

Alexandreium concisum, ejusdem ponderis pæne, apud se esse testatur Henricus Glareanus.

Statera Corinthiacum, ex 10. obolis, facimus ex 13. solidis, quatreno, & semis: At Euthymius refert, *Statera*, *a B. Petro inventum in ore piscis*, fuisse ex 4. drachmis, hoc est, ex libra, solidis 11. quatrenis 4. & quatuor quinariis partibus alterius. Alium *Statera* fecit B. Hieronymus ex 20. obolis, *duplicatum*, scilicet, *Corinthiacum*.

Galli, Germani, Britanni, Flandri & Hispani hos ipsos nummos poterunt metiri precio æris, quod in usu habent ex ejus adæquatione a nobis facta cum *Denario Romano*: quem dicimus conficere, *in Gallia*, solidos 6. denarios 2. Turonenses, & quatuor quinarias partes alterius: *In Germania*, communiter quindecim cruciatos, minus vigesima quinta parte unius: *In Britania*, solidos quinque Sterlinorum, denarios 9. Turonenses, & quatuor quinarias partes alterius: *In Flandrina*, 6. Stauros, & paulo plus denariis 8. Turonensibus: *In Hispania*, Maravilios fere 65. Quam adæquationem fecimus, quia denarius Turonensis est pretii *nostri quatreni*: ex Turonensibus denariis 12. est *Solidus* ille *Turonensis*: ex quinque in Germania communiter est *Cruciatus*: Ex 13. in Britannia *Solidus Sterlinorum*: Ex 11. & paullo plus in in Flandria *Staurus*. *Maravilius* est precii nostri quatreni, & paulo plus septimæ partis alterius: quoniam *Realis* est ex 34. *Maravilius*, & *ducatus* permutatur 11. *Realibus*. Denarius autem Turonensis partitur in 4. *Pitlu*, cujusmodi apud majores nostros fuere Bagari: & ex 45. solidis Turonensibus fit *Scutus*, qui cognominatur *a Sole*. At ex duobus cruciatis fit *Carolus*, ex 7. *Grossus Argentinensis*, ex 80. *Coronatus*. Centum vero octoginta solidi Sterlinorum conficiunt libram precii quinque *Scutorum*. *Staurus* tandem partitur in 4. hordeis: & 28. staurus *scutus* permutatur.

TALENTVM

Olim fuisse minimi pretii indicat Homerus: apud quem quarto loco datur præmium in equorum certamine. Fuit 3. *Chrysi*, ut ait Pollux: postea ita auctum, ut a Fannio dicatur,

— summum doctis perhibetur pondus Athenis.
Nam nihil his Obolove minus, majusve Talento.

Nomen ipsum indicat fuisse pondus.

IN AERE

Quidem pondus 125 assium libralium. Nam Dionysius 2000. hujusmodi assium constituere ait 16. talenta in pondere æris. A Phavorino dicitur esse ex 6000. quadrantibus, 6. scilicet scripulorum singulis. Nam tot ejusmodi *Quadrantes* constituunt 125. libras æris: ad quot *Talentum* redactum fuisse etiam tradit Epiphanius in libro de Mensuris.

IN ARGENTO

Talenta alia omnia fuere, nisi quæ *Talenta auri* vocantur: ex quibus diximus unum dari pro 10. argenteis. Ex talentis; *Atticum parvum* a Fannio, & a Polluce dicitur ex 6000. drachmis, vel ex 60. minis Græcis. Seneca Controversia 34. quam Priscianus appellat *librum decimum Epistolarum ad Novatum*, in hoc talento collocat 24. sestertia, quæ ipso Prisciano interprete sunt 60. libræ ex primo sestertio duarum semissis librarum. Qua ratione & Gellius 13. talenta, quibus emtus fuit Bucephalus, æris Romani summam esse dixit 312. sestertium. Ut omnino corrupte legamus apud Plinium hoc talentum texari 16. sestertiis. Ea 4500. denariis, hoc est, ex 6000. drachmis. Sextus Pompejus item fuisse ait *Cistophorum* & *Talentum Rhodium*. Sed *Atticum Magnum* ex 100. minis Atticis, id est, ex 7500. drachmis fecit Priscianus, quas tamen minas dixit esse *libras Romanas* 83 *& semunciam*: cum recta computatione sint 78. libræ Romanæ, & semuncia. Sed Cn. Manlius hoc Talentum Antiocho non minus pondo 80 Romanis ponderibus decrevit, ut ait Livius. Quod autem Sextus Pompejus *Talentum Atticum* retulit 6000. denariorum: quod Priscianus quandoque appellavit *Atticum Magnum*, & quæ Gellius dixit, tria talenta Attica numi Romani fuisse sestertia duo, & 70000; non *Atticum*, sed *Achaicum Talentum* apud eos auctores legendum puto. Achaicum enim talentum ex 6000. denariis fuisse videmus ex Polybio, ut ait Livius, tradente, Achæis 100. talentis stetisse redemtionem 200. civium Romanorum, cum 500. denarios precium in capite, quod redderetur dominis, statuissent. Ex hujuscemodi tria talenta ex 18000. denariis constituunt sestertia 72000. quæ dixit Gellius. Tria autem talenta Attica parva sunt ex 54000. sestertiis, & tria magna ex 66070. tantum.

Euboicum talentum nominat Polybius in pace Scipionis cum Carthaginensibus, Romano nummo 4000. denariorum relatum a Pompejo.

Æginæum majus aliis talentis Græcis, ait Pollux, ex 10000. drachmis Atticis, quot scribit Appianus Tigranem dedisse singulis tribunis, qui erant in exercitu Pomponii, quodque Plutarchus nominat *talentum*, quale poscebat Lais, vel *myrias drachmas*.

Babylonicum Pollux recenset ex 7000. drachmis, hoc est, 70. minis Græcis, vel Euboicis, ut appellat Herodotus explicans hoc ipsum talentum, quod & *Romanum* fuisse ostendit Servius ex auctoritate, ut ait, Plauti, apud quem cum quidam dixisset debere 140. libras, paulo post intulit:

Talenta tot, quot ego, & tu sumus.

Erat itaque ex 5250. denariis.

Ægyptiacum pondo 80 capere Varro tradit, quæ sunt 7680. drachmæ.

Syriacum nominat Pollux ex 1500. drachmis.

Siculum antiquum ex 24. nummis. *Siculum posterius*, ex 12. Et Pompejus

Alexandrinum recenset ex 12. denariis.

Neapo-

Neapolitanum ex 6.
Syracusanum ex 3.
Rheginum ex Victoriato.

Collapsa Republica, alii nummi fuere sub Imperatoribus. & Lampridius nominat *Semisses*, *Tremisses*, *Quartarios*, *Sevaros*, *Bilibras*, & *Centenarios*.

Junius Nypsus hos nummos posteriores redegit, ad *libram XX. solidum*. Ad *solidum ex* 12. *denarios*. Ad *denarium*, *vigesimam partem uncia*.

Libram in are, *in argento*, *in auro*, ostendunt Imperatores Constantinus, Gratianus, Valentinianus, Theodosius, Arcadius, & Honorius. Sed Arcadius & Honorius libram æris vigesimam quintam partem solidi tradunt esse.

. *Libram argenti* Arcadius ipse, Theodosius item, & Valentinianus dividunt in 60. argenteos nummos.

Libram auri in 72. solidos obryziacos: Arcadius vero & Honorius in 25. solidos. Dion autem *Aureum nummum* distribuit in 25. denarios. Itaque ex precio nostri æris excurrentis redacto ad antiquam pecuniam eo modo, quem retulimus, sunt:

1. *Denarius argenteus Nypsi*,	Solidi 3. Quatreni 2. & fere 3. ex 16. partibus Quatreni.
2. *Libra aris*,	Solidi 12. Denarii 2, & paulo plus semis.
3. *Argenteus nummus Impp.*	Solidi 12. Den. 8. & paulo plus septem ex denis partib. den.
4. *Denarius aureus Nypsi*,	Libra, Solidi 11. Denarii fere 10.
5. *Solidus argenteus Nypsi*,	Libra, Solidi 18. Denarius & octava pars alterius.
6. *Solidus Obryziacus*,	Scutus, Libra, Solidi 16 & fere tres octonæ partes Denar.
7. *Solidus aureus Impp.*	Scuti 4. Libra, Solidi 5. Denarii 5. & semis fere.
8. *Aureus nummus Dionis*,	Scuti 4. Libra, Solidi 11. Denarii 8.
9. *Solidus aureus Nypsi*,	Scuti 5, Libra, Solidi 10. Denarii quasi 10.

In Antiquis autem Nummis sunt

10. *Teruntius Volusii*,	Novem vicenæ partes quatreni.
11 *Chalcus*,	Quatrenus fere.
12. *Quadrans* 13. *Triuncis*	Quatrenus, & decem novem centenæ partes.
14. *Triens* 15. *Sextula*.	Quatrenus, & quinquaginta novem centenæ partes.
16. *Libella*,	Quatrenus, & paulo plus octo ex denis partibus.
17. *Dichalcus*,	Quatreni fere 2.
18. *Semiobolus*,	Quatreni 3. & pauloplus decem novem ex vicenis part.
19. *As*,	Quatreni 4. & 77. ex centenis part.
20. *Pentechale*.	Quatreni fere V.
21. *Obolus*,	Solidus, quatrenus, & $\frac{20}{29}$ partes.
22. *Dipondium*,	Solidus, quatreni 3. & quadraginta quat. ex cent. part.
23. *Diobolus*.	Solidi 2. quatreni 3. & $\frac{20}{11}$ partes.
24. *Sestertius*.	Solidi 3. & 17. partes quatreni.
25. *Triobolus*,	Solidi 3. quatreni 5. & $\frac{20}{27}$ partes.
26. *Tetrobolus*,	Solidi 5. quatrenus, & sexdecim vicenæ partes.
27. *Quinarius*. 28. *Victoriatus*. 29. *Talentum Rheginum*.	Solidi 6. quatrenus, & duæ quinariæ partes.
30. *Graveas*, 31. *Drachma Attica* 32. *Argenteus*,	Solidi 7. quatreni 5. & septem ex denis partibus alterius.
33. *Denarius*,	Solidi 12. quatreni 2. & quatuor quinariæ partes unius.
In Gallia,	Solidi 6 denarii 2. Turonenses, & quatuor quinariæ partes unius.
In Germania,	Cruciati 15. minus vigesimaquinta parte unius.
In Britannia.	Solidi 5. sterlinorum, denarii 9. Turonenses, & quatuor quinariæ partes denarii.
In Flandria.	Stauri 6. & denarii paulo plus 8. Turonenses.
In Hispania.	Maravilii fere 65.
34. *Drach. Æginæa*. 35. *Stater Corinthiacus*.	Solidi 13. quatrenus, & semis.
36. *Didrachm*, 37. *Siculus*, 38. *Bos*.	Solidi 15. quatreni 4. & 4. ex denis partibus quatreni.
39. *Tridrachma*.	Libra, solidi 3. quatreni 5. & decima pars alterius.
40. *Tetradrachma*.	Libra solidi 11. quatreni 2. & octonæ ex denis partibus unius.
41. *Talentum Syracusanum*.	Libra, solidi 17. quatreni 2. & duæ quinariæ partes alterius.
42. *Pentadrachma*.	Libra, solidi 19. quatreni 2. & semis.
43. *Talentum Neapolitanum*.	Scutus, solidi 4 qustreni 4. & quatuor quinariæ partes unius.
44. *Semichrysus*.	Scutus, solidi 9. quatreni 3.
45. *Talentum in are*.	Scutus, libra, solidi 9. quatreni 2. & quarta pars alterius.
46. *Talentum Alexandrinum*.	Scuti 2. solidi 9 quatreni 2. & tres quinariæ partes unius.
47. *Chrysus*. 48. *Dareicus*.	Scuti 2. sol. 19.
49. *Aureus nummus*.	Scuti 2. libra, solidi 17.
50. *Philippeus*. 51. *Alexandreius*.	Scuti 3. libræ 2. solidi 2.
52. *Semistater*. 53. *Pentacontadrach*.	Scuti 5. libræ 2. solidi 2. quatreni 3.
54. *Stater*. 55. *Numisma*.	Scuti 11. libra, solidi 5.
56. *Talentum Siculum posterius*.	Scuti 18. libræ 3. solidi 4.
57. *Tetrastater*.	Scuti 45. libra, solidi 10.
58. *Taleentum Siculum antiquum*.	Scuti 57. libra, solidi 18.
59. *Talentum Syriacum*.	Scuti 170. libra, solidi 5.
60. *Talentum Euboicum*.	Scuti 585. libræ 2. sol. 8. quaterni 5. & semis.
61. *Talentum Atticum parvum*, 62. *Talentum Rhodinum*. 63. *Cistophorus*.	Scuti 681. libra, solidi 10.

64. *Talentum Babylon.*	Scuti 795.
65. *Talentum Romanum,*	
66. *Talentum Atticum magnum.*	Scuti 85. libræ 2. sol. 15.
67. *Talentum Achaicum.*	Scuti 908. libræ 2.
68. *Talentum Æginaum.*	Scuti 1135. libræ 2. sol. 10.

Hæc pecunia prædicta juxta Alphabeti seriem in ordinem reducta est, ut sequitur.

Alexandreius. num.	51	*Daricus.*	48
Argenteus.	32	*Denarius.*	35
Argenteus Impp.	3	*Denar. argenteus Nypsi.*	1
As.	19	*Denar. aureus Nypsi.*	4
Aureus.	49	*Dichalcus.*	17
Aureus Dionis.	8	*Didrachma.*	36
Bos.	38	*Diobolus.*	23
Chalcus.	11	*Dipondium.*	22
Chrysus.	47	*Drachma Æginaa.*	34
Cistophorus.	63	*Drachma Attica.*	31
Grave as.	30	*Talentum Æginaum.*	68
Libella.	16	*Tal. Alexandrinum.*	46
Libra aris.	2	*Tal. Atticum parvum.*	61
Numisma.	55	*Tal. Attic magnum.*	66
Obolus.	21	*Tal. Babylonicum.*	64
Pentadrachma.	42	*Talentum Euboicum.*	60
Pentacontadrachma.	53	*Talentum in are.*	45
Pentechalcus.	20	*Tal. Neapolitanum.*	43
Philippeius.	50	*Tal. Rheginum.*	29
Quadrans.	12	*Tal Rhodium.*	62
Quinarius.	27	*Tal. Romanum.*	65
Semich ysus.	44	*Tal. Sicul. antiquum.*	58
Semiobolus.	18	*Tal. Sicul posterius.*	56
Semistatera.	52	*Tal. Syracusanum.*	41
Sestertius.	24	*Tal Syriacum.*	59
Sextula.	15	*Teruntius Volusii.*	10
Siclicus.	37	*Tetradrachma.*	40
Solid. arg. Nypsi.	5	*Tetrastater.*	57
Solidus aur. Impp.	7	*Tetrobolus.*	26
Solidus aur. Nypsi.	9	*Tridrachma.*	39
Solidus Obryzaicus.	6	*Triens.*	14
Stater.	54	*Triobolus*	25
Stater Corinthiacus.	35	*Tressucis.*	13
Talentum Achaicum.	67	*Victoriatus.*	28

F I N I S.

INDEX

I N D E X
RERUM ET VERBORUM.

A.

— *Corin-*

Angues

in

— Gr-

B.

C.

Cæ-

— Roma-

— *septi-*

— nam

Cu-

D.

Dio-

E.

— *Domi-*

G.

Gothos

— Dux

K.

L.

— secunda

Matra-

Milia

— &

O.

P.

 penes

Principes

Q.

Servus

sp-

Tricns

V.

— *apud*

F I N I S.